FR 208.24 AL2 q2 v.2 (L. II p.1)

91-206



WITHDRAWN

DOCTORIS IRREFRAGABILIS

ALEXANDRI DE HALES

ORDINIS MINORUM

SUMMA THEOLOGICA

WITHDRAWN

DOCTORIS IRREFRAGABILIS

ALEXANDRI DE HALES

ORDINIS MINORUM

SUMMA THEOLOGICA

IUSSU ET AUCTORITATE

Rmi P. BONAVENTURAE MARRANI

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM

MINISTRI GENERALIS

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

AD FIDEM CODICUM EDITA

TOMUS II.

PRIMA PARS SECUNDI LIBRI

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

—

MCMXXVIII.

Province of St. Joseph
Capuchin-Franciscan Libr.
Mt. Calvary, Wisconsin

SERAPHICO PATRIARCHAE

SANCTO FRANCISCO ASSISIENSI

QUEM

GREGORIUS PAPA NONUS

UT CHRISTO CONCORDITER AGERET

SEPTIMO ABHINC SAECULO

CATALOGO SANCTORUM ADSCRIPSIT

HANC PRIMAM PARTEM SECUNDI LIBRI

SUMMAE THEOLOGICAE

DOCTORIS IRREFRAGABILIS ALEXANDRI DE HALES

AD FIDEM CODICUM EDITAM

PERENNE MONUMENTUM PIETATIS

FILIORUM IN PATREM

ANNO CURRENTE QUINQUAGESIMO

A FUNDATIONE COLLEGII SANCTI BONAVENTURAE

AD CLARAS AQUAS

EXULTANTI GRATOQUE DICAVERUNT ANIMO

FR. BONAVENTURA MARRANI

TOTIUS ORDINIS FRATRUM MINORUM MINISTER GENERALIS

AC FRATRES EDITORES

PROPRIETAS LITTERARIA

PROLEGOMENA

AD PRIMAM SECUNDI SUMMAE THEOLOGICAE.

INDEX PROLEGOMENORUM

PAG.

Benevolo lectori. IX

SECTIO I. — OBSERVATIONES CRITICAE CIRCA CODICES I PARTIS II LIBRI « SUMMAE ».

§ 1. Elenchus codicum X

§ 2. Descriptio codicum.

I. Codices pro editione adornanda adhibiti X

II. » ex integro lecti, sed non adhibiti XII

III. » collati XIII

§ 3. De mutua independentia codicum XVII

§ 4. De familiis codicum XVII

§ 5. De operis et divisionum titulis XX

§ 6. De bonitate textus XX

§ 7. De unitate compositionis XXII

§ 8. De integritate textus XXV

SECTIO II. — DE DOCTRINA PHILOSOPHICA HALENSIS HISTORICE CONSIDERATA.

§ 1. De speculativo caractere Alexandri Halensis XXVI

§ 2. De philosophiae et theologiae relationibus XXIX

§ 3. De metaphysica Alexandri Halensis. XXXI

§ 4. De aesthetica Alexandri Halensis XL

§ 5. De psychologia Alexandri Halensis. XLII

§ 6. De erroribus ab Halensi impugnatis LII

Opera manuscripta a nobis allegata LXII

Opera impressa a nobis allegata LXII

Tabula siglorum quibus codices nostri signantur LXV

PROLEGOMENA

Benevolo lectori.

In hoc secundo volumine *Primam Partem Secundi Libri Summae Theologicae Alexandri Halensis* publici iuris facimus.

Quoad textum constituendum eamdem methodum et rationem secuti sumus quam in primo volumine duximus observandam. Cf. tomo I, pp. XXVII, § 10.

Quod ad fontes Magistri nostri attinet, multum iterum laboris temporisque impendimus ut accurate investigaremus non tantum auctoritates expresso aut tacito nomine allatas, sed etiam quoscumque antiquos auctores, a quibus dependet, vel qui possunt suam illustrare doctrinam.

Omnia tamen invenire non licuit, cum sententiarum auctores seu theologiae tractatores, iuxta morem illius temporis, raro indicentur; immo sub generali illa formula '*quidam*' vel '*alii*' saepius ipsi designabantur olim, utpote iam a Petro Lombardo (cf. p. 749 sqq.) et ab Hugone de S. Victore (cf. p. 718) indeterminate nominati. Huic accedit quod plerumque scripta veterum Magistrorum nunquam edita fuerunt. Nam a tempore Petri Lombardi usque ad Alexandrum († 1245), solemnes floruerunt Magistri, scilicet Robertus Melodunensis, Petrus Cantor, Magister Martinus, Martinus de Fugeriis, Praepositinus, Simon Tornacensis, Philippus Cancellarius, Stephanus Langton, ut paucos tantum afferamus, quorum opera, utique non spernenda, hucusque inedita iacent. Mirum igitur non erit si plures quos citare voluissemus scriptores prae manibus non habuerimus, etsi manu scriptis quorumdam operibus saepe usi simus.

E fontibus ergo citatis ab Alexandro necnon ex aliis documentis, quae ad historiam litterariam *Summae* spectant, melius patebit modus quo ipsa per densam auctoritatum sententiarumque susceptionem efformata fuit. Minime etenim aestimandum vel ipsos summos Scholasticae Theologiae principes a suis praedecessoribus nihil mutuasse vel tamquam insolita astra in tenebroso apparuisse caelo. Indubium est enim illos, sicut aliorum scriptores saeculorum, debitores esse erga suos antecessores, et si quidam aliquando novas inierunt vias, a termino tamen, quo iam pervenerunt illi, et isti progredi conati sunt, ut sic, vetera non spernentes, nova invenirent et ita *de thesauro suo nova* proferrent *et vetera*, prout facere debet *omnis scriba doctus in regno caelorum*.

Quod si studia nostra utcumque aliquid afferre possent utilitatis iis qui antiquorum Scholasticorum textibus incumbunt, haec nobis grata summaque merces foret nostri laboris.

SECTIO I. — Observationes criticae circa codices I Partis II Libri *Summae*.

§ 1. — ELENCHUS CODICUM.

In hoc elencho sequuntur, iuxta ordinem alphabeticum Bibliothecarum, 39 codices continentes Primam Partem Secundi Libri *Summae* Alexandri. Inter parentheses addimus siglum codicis et, numeris cursivis, locum ubi in sequenti codicum descriptione unusquisque invenitur.

Assisii, Bibl. Commun., cod. 105 (*10*).
» » » » 107 (*11*).
» » » » 108 (*17*).
Avenione, Bibl. Municip., cod. 280 (L, *3*).
Bononiae, Bibl. Commun. (Archigymn.), cod. A. 920 (*12*).
Brugis, Bibl. Commun., cod. 210 (*18*).
Caesenae, Bibl. Malatest., Fila I, Pl. 14, c. IV (*13*).
Cantabrigiae, Bibl. Coll. SS. Trinit., cod. 377 (*19*).
Capistrani, Bibl. Commun., cod. LIII (*20*).
Cracoviae, Bibl. Univ. Jagell., cod. 1191 (*21*).
» » » » » 1189^{2} (*22*)
Florentiae, Bibl. Laur., S. Cruc., Pl. 24, Dext., cod. 4 (F, *2*).
» » » Fesulan., cod. 130 (*23*).
» » Nation., Conv. Soppr., cod. I. III. 10 (*24*).
Lauduni, Bibl. Municip., cod. 141 (*25*).
» » » » 142 (*26*).
Lipsiae, Bibl. Univ., cod. 449 (*27*).
Monachii, Bibl. Status, cod. lat. 6944 (*31*).
» » » » » 13426 (*28*).
» » » » » 18053 (*29*).
» » » » » 7405^{b} (*30*).
Parisiis, Bibl. Nation., cod. lat. 3035 (S, *6*).
» » » » » 15327 (R, *5*).
» » » » » 15330 (P, *4*).
» » » » » 15334 (T, *7*).
» » » » » 15752 (*14*).
» » Mazarin., » » 784 (*31*).
Patavii, Bibl. S. Antonii, cod. Scaf. XII, n. 263 (*15*).
Rhemis, Bibl. Municip., cod. 471 (*32*).
Romae, Bibl. Vatic., cod. Vat. lat. 701 (V, *8*).
» » » » » » 702 (Z, *9*).
» » » » » » 703 (*33*).
» » » » Urbin. lat. 124 (*34*).
» » » » Ottob. » 189 (*35*).
» » » » Ottob. » 436 (*36*).
» » » » Chisian. lat. B. VII. 110 (C, *1*).
» » » » Rossian. » VIII. 241 (*37*).
» » Angelica, cod. F. 2. 2. 537 (*38*).
Trecis, Bibl. Municip., cod. 396 (*39*).
Vindobonae, Bibl. Nation., cod. lat. 1384 (*16*).

§ 2. — DESCRIPTIO CODICUM.

I. — Codices pro editione adornanda adhibiti.

1. — Codex C. *Romae, Bibl. Vaticanae, cod. Chisian. B. VII. 110 (1376).* — Membran., mm. 329×230, saec. XIV. In dorso: *Alex. de Hales Sum. Theol. P. II.* Folia 202; foliatio antiqua (folia 197) omittit unum folium inter 3 et 4 et alterum inter 125 et 126. Binis columnis, lin. 65, altera manu Prima Secundi, altera Secunda Secundi nitide exaratus. Initiales et paragraphi omnes rubrae. Desunt tituli quaestionum. Correctiones et notae marginales sat frequentes. Fol. 1v manu moderna: *Alexandri de Hales Ord. Min. Summa theologica Pars 2ª.* Fol. 2a manu antiqua, scriptura quasi evanida, incipit: *Completis tractatibus.* Fol. 3b desinit: *sumitur cum dicitur in mundo erat et in XVII Act.* (ed. p. 9b). Fol. 3v manu antiqua: *Nº 101;* parum infra in rasura: *Secunda Pars Alexandri super Sententias . . .* Fol. 4a absque rubrica incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 78d desinit: *reducitur ad synderesim* (ed. p. 500); reliquum huius columnae vacat. Fol. 79a alia manu incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 200d desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur. Et hec de toto opere secunde partis Summe Alexandri de Alis.* Fol. 201-202 vacant.

2. — Codex F. *Florentiae, Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 24, Dext., cod. 4.* — Membran., mm. 291×215, saec. XIII exeuntis. In dorso: *Alexandri de Hales Summae theologicae liber II.* In interiori parte tegumenti anterioris in scheda agglutinata impressum: *Bibliotheca | S. Crucis Petri Leopoldi | M. E. D. | iussu | in Laurent. | translata die 16 Octobr. | MDCCLXV | Pluteus | XXIV dextr. | cod. 4.* Folia recenter numerata 325, et folia insititia cartacea 3 (I-III) et unum membran. in principio (IV), in fine vero unum membran. (I) et 3 cartacea (II-IV). Fol. insititio anteriori IVv, manu antiqua: *Alexander de Ales super 2ᵐ Sententiarum. Conventus S. Marci de Florentia ordinis Predicatorum, habitus a Cosma Iohannis de Medicis.* Deinde manu saec. XV: *Iste liber est Florentini conventus ordinis minorum quem habuimus a fratribus sancti Marci de Florentia ordinis predicatorum pro quo dedimus et commutavimus tertium Alexandri de consensu Rdi p. Ministri magistri Nicholai de Spinellis de Florentia: qui tertius erat signatus littera B coopertus corio rubeo anno Dni MºCCCCºXLVIº xxvjª die mensis novembris.* Parum infra: *Nº 265.* Fol. 1r ternis columnis tabula totius Secundi Libri incipit: *Quod causa creaturarum sit.* Prima Secundi

habet distinctiones 1-27, Secunda Secundi distinctiones 28-56. Fol. 5e desinit: *Utrum Petrus scandalizaverit gentiles discernendo cibaria. Finis rubricarum secundi libri Summe fratris Alexandri.* Binis columnis, lin. 60, a duobus amanuensibus nitide exaratus, quorum alter parva littera scripsit fol. 1r-99v, alter vero littera grandiori fol. 100-325d. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae, absque titulis quaestionum. Correctiones frequentissimae et exactissimae, ita ut inter meliores codices merito haberi debeat. Hunc codicem pro Prima Secundi adhibuimus a pag. 501 huius editionis, loco codicis Chisiani, qui has quaestiones non habet. Fol. 6r in margine superiori, manu saec. XV: *S*[ecundu]*m Alexandrum de Alis.* Fol. 6a absque rubrica incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 155d desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Reliquum huius columnae et tota secunda columna vacant. Fol. 156a incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 325d desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur.*

3. — Codex L. *Avenion., Bibl. Municip., cod. 280 (olim 96).* — Hunc codicem iam descripsimus in tomo I, p. XIII, sub num. 4. Fol. 126a absque rubrica incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 204d desinit: *reducitur ad synderesim* (ed. p. 500); reliquum huius columnae vacat. Fol. 205a eadem prorsus manu continuat: *Cum dictum est de substantia spirituali* (ed. p. 501). Fol. 252b desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Fol. 252v vacat. Fol. 253a incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 372d desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur.* Sequuntur quaedam penitus abrasa.

4. — Codex P. *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 15330.* — Membran., mm. 430×310, saec. XIII, eadem manu conscriptus ac codex 15329 eiusdem Bibliothecae, de quo egimus in tomo I, p. XIII, sub num. 5. Folia recenter numerata 348 et unum fol. insititium in initio, in cuius verso, manu saec. XIV: *548. Primum volumen secundi libri d. Alexandri.* Deinde manu saec. XVIII: *Ce Ms du 13e siècle en gros caractères contient la première moitié de la Seconde Partie de la Somme d'Alexandre de Halès.* Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Tituli quaestionum in ipso textu vel in margine rubro exarantur. Rarissimae occurrunt correctiones, immo non raro parva spatia vacua remanent quibus inscribenda erant verba omissa, quae amanuensis in suo originali legere non valuit. Ultima folia humiditate maculata sunt, sed nulla pars codicis consumpta est. Fol. 1a rubrica: *Divisio libri;* deinde Prima Secundi incipit: *Completis tractatibus.* Fol. 348b desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* — Huius codicis, quia non complete correctus fuit, speciminis tantum gratia accepimus variantes lectiones usque ad editionis nostrae paginam 27, ut huius codicis cum textu codicis V parentela luculenter appareat.

5. — Codex R. *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 15327.* — Hunc codicem iam descripsimus in tomo I, p. XIV, sub n. 6. Tituli quaestionum in ipso textu rubro exarantur, frequentes correctiones marginales. Fol. 134a-139c, binis columnis, tabula quaestionum totius Secundi Libri incipit: *In hac prima distinctione secundi libri agitur de causa creaturarum, scilicet de causa creaturarum secundum se sive secundum sui substantiam, de qua queruntur hec.* Pro Prima Secundi numerantur 21 distinctiones et 159 tituli quaestionum, quarum ultima est, fol. 136b: *Utrum dominabatur creaturis carentibus sensu.* Deinde maioribus litteris titulus: *De malo,* et sequuntur, sub nova numeratione, pro Secunda Secundi 17 distinctiones et 149 tituli quaestionum, quarum prima est: *In hac distinctione agitur de malo, de quo queruntur hec.* Fol. 139c desinit: *Utrum Petrus scandalizaverit gentiles discernendo cibaria cum iudeis.* Fol. 139d vacat. Fol. 140r in margine superiori: *Incipit liber secundus.* Fol. 140a rubrica: *Incipit liber secundus.* Deinde Prima Secundi incipit: *Completis tractatibus.* Fol. 289b desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Reliquum columnae et fol. 289v vacant. Fol. 290a absque rubrica incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christo* (!) Fol. 438b desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur.* Reliquum huius columnae et fol. 438v vacant. Fol. insititio sequenti, manu antiqua: [Iste liber est colle]*gii pauperum magistrorum Parisius in theologia studentium, precium XII. lb.* Et inferius, manu saeculi XV: *Pro pauperibus magistris collegii Sorbone.*

6. — Codex S. *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 3035 (olim Colbertinus 1010, Regius 5676).* — Membran., mm. 392×280, saec. XIII exeuntis. In dorso: *Alexander Alensis tom. II.* Folia 170 recenter numerata; duo folia insititia in initio ac duo in fine vacant. Binis columnis, lin. 54, una manu nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Correctiones frequentes manu primi amanuensis. Fol. 1r in margine superiori: *cod. Colb. 1010. Regius 5676;* parum infra in margine dextra: *3035.* Fol. 1a absque rubrica incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 170c desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.*

7. — Codex T. *Paris., Bibl. Nation., cod. lat. 15334.* — Membran., mm. 357×250, saec. XIII. In dorso: *In 1am part. 2i Sentent. M.S.* Folia, numeratione moderna, 1-138; unum insititium in principio, in cuius verso, manu saec. XIII: *Iste liber est Collegii pauperum magistrorum Parisius in theologica facultate studentium. Quicumque delebit hunc titulum delebitur de libro viventium. Centum sol.; Prima pars secundi Sententiarum;* manu moderniori: *559;* deinde manu saec. XVIII: *Ce Ms du 13e siècle contient le Commentaire d'Alexandre de Halez sur la Première Partie du Second livre du maître des Sentences.* Manu antiqua: *Inter scripta, sunt questiones xliij.* Binis columnis, lin. 59, una manu nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Desunt tituli quaestionum. Fol. 1r in superiori extremitate folii vestigia notantur verborum a ligatore per medias litteras abscissorum. Fol. 1a absque rubrica incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 137d desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis. Valete. Omnis spiritus laudet Dominum. Explicit prima pars secundi libri.* Fol. 138r manu posteriori, binis

columnis, fragmentum indicis materiarum. Fol. 138a incipit: *Questiones huius libri. Quid sit principium.* Fol. 138b desinit: *quinto que causa ordinis.* Fol. 138v vacat.

8. — **Codex V.** *Romae, Bibl. Vaticanae, cod. Vat. lat. 701.* — Hunc codicem iam descripsimus in tomo I, p. XIV, sub n. 8. Fol. 144a, post rubricam *Divisio libri,* incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 318c desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis. Explicit prima pars secundi libri.* Deinde absque ullo intervallo incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 484c desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur. Explicit.* Deinde alia manu: *2ª pars 2ᵉ partis de Alis.*

9. — **Codex Z.** *Romae, Bibl. Vaticanae, cod. Vat. lat. 702.* — Membran., mm. 369×260, saec. XIII. Folia 301. In dorso scuta Pii VI et F. X. de Zelada, card. bibliothecarii. Binis columnis, lin. 64, una manu nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Desunt tituli quaestionum; correctiones frequentes, quae usque ad fol. 176v in marginibus plumbo exaratae, ibidem vel in textu atramento iterum descriptae sunt. In calce unius alteriusve fasciculi (ut fol. 199v) legitur: *Cor* [rexi]. Adsunt adhuc pauci numeri petiarum: fol. 128v, *lxxvjª;* fol. 130r, *lxxvijª;* fol. 131v, *lxxviijª;* fol. 133r, *lxxviiijª;* fol. 136r, *lxxxjª;* fol. 140v, *lxxxiiijª.* In imis paginis quaedam exstant notulae plumbo exaratae, ut fol. 164r: *hic desinit xxviij et xxix p*(etia); fol. 223v: *hic desinit xlv p*(etia). Fol. 2v, manu saec. XV: *Secunda pars Summe Alexandri de Ales;* manus recentior addidit: *franciscani.* Fol. 3r, in summa pagina, manu saec. XV: *413. Carte ccc.* Fol. 3a absque rubrica incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 151d desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis. Explicit.* Fol. 152a absque rubrica incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 295d desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur.* Deinde alia manu, littera cursiva: *Iste liber est mei Thome de Sarzana, qui servio Domino Episcopo Bononiensi.* Hic Thomas Parentucelli fuit postea Papa Nicolaus V, 1447-1455. Fol. 296r, ternis columnis, incipit index totius Secundi Libri. Numerantur 150 quaestiones, quarum prima est: *De causa prima sive principio. An prima causa sit et quid sit.* Fol. 299d desinit: *Utrum Petrus scandalizavit gentes discernendo cibaria.* Fol. 1-2r et 300-301 vacant.

II. — Codices ex integro lecti, sed non adhibiti.

10. — *Assisii, Bibl. Municip., cod. 105.* — Hunc codicem iam descripsimus in tomo I, p. XIV, sub num. 9. Fol. 170v vacat. Fol. 171a incipit Prima Secundi: *causa deficiens. Unde Augustinus, in libro De civitate Dei: Si queritur causa mali* (ed. p. 6b). Fol. 346a desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Deinde incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 506a desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur.*

11. — *Assisii, Bibl. Municip., cod. 107.* — Membran., mm. 320×230, saec. XIII. In dorso: *Alensi Summe P. 2.* In interiori parte tegumenti anterioris: *Fogli 183.* Fol. 183v, manu antiqua: *Secundus liber Alexandri de Ales pretii ducatorum x auri.* Parum infra, manu saec. XVIII: *Revisto e cartolato di carta in carta et sommano in tutto carti 183 et un peso di carta pecora bianca in principio et un altro peso in fine. Dico carti 183.* Fol. 1r, 2r, 182v et 183v sigillum: *Bibliothecae Portiunculae.* Binis columnis, lin. 65, una manu nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Correctiones et notae marginales frequentes. Fol. 2r in margine superiori: *2 Alexandri.* Fol. 2a, absque rubrica incipit Prima Secundi: (C)*ompletis tractatibus.* Fol. 71b desinit: *reducitur ad synderesim* (ed. p. 500). Fol. 71v vacat. Fol. 72a incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 183b desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur. Explicit liber secundus Alexandri.*

12. — *Bononiae, Bibl. Communalis (Archigymnasii), cod. A. 920* (16 ll. 1. 8). — Hunc codicem iam descripsimus in tomo I, p. XVI, sub num. 18. Fol. 145a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 286d desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Fol. 287a incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 417c desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur. Ad quod respondent quidam quod non peccavit et innituntur cuidam glosse que dicit: reprehensibilis talis, id est dignus reprehensione pro aliis, non pro se; illam vero auctoritatem que ponitur in glossa* etc.

13. — *Caesenae, Bibl. Malatestiana, Fila I, Plut. 14, cod. IV.* — Hunc codicem iam descripsimus in tomo I, p. XVI, sub num. 20. Fol. 149a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 294a desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.*

14. — *Paris., Bibl. National., cod. lat. 15752 (olim Sorbonae 552).* — Membran., mm. 343×254, saec. XIII. In dorso: *Halensis Summa 2ª pars.* In interiori parte tegumenti anterioris, manu saec. XIX: *Ce Ms du 13ᵉ siècle contient la 2ᵉ Partie de la Somme d'Alexandre Hales.* Deinde alia manu: *552.* Folia 239 et duo folia insititia cartacea, quorum unum in initio, alterum in fine. Binis columnis, lin. 50, una manu nitide exaratus. Correctiones et notae marginales frequentes. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Tituli quaestionum rubri. Fol. 1r in margine superiori, manu antiqua: *Incipit,* cetera a ligatore per medias litteras abscissa sunt; deinde manu saec. XIV: *Prima pars secundi libri Alexandri de Halis.* Fol. 1a rubrica: *Queritur de pertinentibus ad creaturam in quantum creatura;* deinde incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 239b desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Sequitur rubro: *Explicit tractatus de primo homine quantum ad corporis conditionem.* Fol. 239v: *Precium vij lib.*

15. — *Patavii, Bibl. S. Antonii, cod. 263.* — Membran., mm. 370×250, saec. XIII. Folia 241. Binis columnis, lin. 53, una manu nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 1a rubrica: *Incipit secundus tractatus Alexandri de Alis super librum sentenciarum.* Deinde incipit Prima Secundi: *Completis*

tractatibus. Fol. 100a desinit: *reducitur ad synderesim* (ed. p. 500). Sequitur immediate, absque rubrica, Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 100r in margine superiori: *Secunda pars 2 Alexandri;* in margine laterali: *Secunda pars secunde Alexandri;* in margine inferiori: *Hic nota qualiter secunda secunde primum fuit ab Alexandro quam a Thoma* etc. Fol. 241r desinit: *non dimittendum est opus iustitie.*

16. — *Vindobonae, Bibl. National., cod. 1384 (U. 615).* — Hunc codicem iam descripsimus in tomo I, p. XX, sub num. 42. Fol. 1a (recens 90a) incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 63r (rec. 152r) manu saec. XIV, in margine superiori: *Hic incipit additio fris Gil. de Militona* (cf. ed. p. 500, nota 1). Fol. 105v (rec. 194) desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Deinde immediate incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 200v (rec. 289) desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur.* Rubrica: *Finis secunde partis Alexandri de Hallis.* In fine duo folia insititia vacua.

III. — Codices collati.

17. — *Assisii, Bibl. Municip., cod. 108.* — Membran., mm. 320×235, saec. XIV. In dorso: *Ales. Summa. 108. XXXII. F. 335.* Folia 88. Binis columnis, lin. 120, una manu litteris valde parvis exaratus. Fol. 2v: *Ad usum magistri Angeli de Assisi.* Fol. 3r in margine inferiori: *Ex libris Bibliot. Sac. Conventus Assisii.* Fol. 3r in margine superiori: *Incipit secundus liber summe Magistri Alexandri. De cognitione principii rerum creatarum.* Fol. 3a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Ordine confuso et aliis immixtis (de sacramentis) sequitur textus, qui saepius abrumpitur et iterum reassumitur. Fol. 5r in margine: *Continuatio de summa Alexandri.* Fol. 38r in margine: *Continuatio de summa Alexandri de consideratione virium anime usque ad tractatum de malo.* Fol. 66b desinit: *de sacramento baptismatis dicta sufficiant.* Fol. 67r in margine: *Sequitur de summa Alexandri.* Fol. 67a incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Salvatoris post considerationem.* Fol. 80v: in margine superiori: *pretium eius sc. vij;* deinde: *Iste liber est fratris P. Francis....* Sequitur schema delineationis crucifixi plumbo exaratum. Fol. 88a desinit: *Quo autem hic modo fiat nostrum excedit intellectum.* Fol. 88v in margine inferiori: *In isto libro omnes quaterni sunt IX et duo folia scripta.* Hic codex signatur in Inventario librariae Sacri Conventus, anno 1381 exarato, hoc modo: *cccli. - Secundus liber summe, fratris magistri alexandri de alys. ordinis minorum. Cum postibus. — Cuius principium est. Completis tractatibus de hiis que pertinent ad speculationem dei. Finis vero. Quo autem hic modo fiat nostrum excedit intellectum. — In quo libro omnes quaterni sunt IX. - H -.* Cf. Leto Alessandri, *Inventario dell'antica Biblioteca del S. Convento di S. Francesco in Assisi compilato nel 1381,* Assisi 1906, pp. 105 et 199.

18. — *Brugis, Bibl. Communalis, cod. 210.* — Membran., mm. 303×204, saec. XIV. In dorso sub inscriptione moderna videntur vestigia antiquioris tituli: *Summa Alexandri de Hales Pars Secunda.* In tegumento anteriori sub cornu, antiqua manu: *Secundus liber Summe Alexandri de halis.* Folia 435 et unum insititium vacuum in fine. Binis columnis, lin. 43-46, una manu nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae; tituli quaestionum rubri. Fol. 1r-4r (non numeratis) tabula quaestionum Primae Secundi incipit cum rubrica: *Incipit secundus fratris Alexandri.* Fol. 4v vacat. Fol. 5r-12r tabula Secundae Secundi incipit cum rubrica: *Incipit secunda pars secundi libri fratris Alexandri.* Fol. 12v vacat. Sequitur foliatio numeris romanis. Fol. 1r in margine superiori: *Incipit liber secundus fratris Alexandri. Prima pars.* Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 213c desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Sequitur rursus absque foliatione tabula Secundae Secundi. Deinde incipit nova foliatio numeris romanis. Fol. 1a post rubricam: *Incipit secunda pars libri Alexandri de malo et peccato,* sequitur Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 206b desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur.* Fol. 206v: *Liber Sancte Marie de Thosen quem qui abstulerit vel iniuste alienaverit a Deo anathema sit.*

19. — *Cantabrigiae, Bibl. Coll. S. Trinit., cod. 377 (alias B. 16. I. 325).* — Hunc codicem iam descripsimus in tomo I, p. XVII, sub num. 24. Deest foliatio. In Secundo libro penitus desunt correctiones. Fol. 1r per totam marginem pulcherrimis picturis, floribus, variis coloribus, auro et minio ornatur. Prima Secundi incipit: *Completis tractatibus;* desinit: *reducitur ad synderesim* (ed. p. 500). Secunda Secundi incipit: *Adiuvante gratia Iesu Christi;* fol. 380d desinit: *nondum tamen incidit in heresim; ergo heresis non est;* cetera folia avulsa sunt.

20. *Capistrani, Bibl. Municip., cod. LIII.* — Membran., mm. 295×220, saec. XIV. In tegumento anteriori: *De 3ª 4'. Alexander super s*(ententias); tegumento posteriori ad partem interiorem agglutinata est membrana continens textum liturgicum in scriptura beneventana saec. X. Folia 195. Binis columnis, lin. 83, una manu nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Correctiones marginales frequentes. Desunt tituli quaestionum. Fol. 1r in margine superiori: *2us Alessandri.* Fol. 1a absque rubrica incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 2r in margine superiori: *ad usum f. Io*(annis) *de Capistrano.* Fol. 58a desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Fol. 58v vacat. Fol. 59a incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 195v desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur.*

21. *Cracoviae, Bibl. Universitatis Jagellonicae, cod. 1191.* — Partim membran., partim cartaceus, mm. 310×215, saec. XV. In tegumento anteriori, manu antiqua: *Prima pars Allexandri super 2º;* deinde alia manu: *Pars prima 2e partis Summe Alexandri.* Folia 418 et unum insititium in principio, in cuius recto legitur: *Pars prima secundae partis Summae Alexandri.* Binis columnis, lin. 38-43, una

manu exaratus. Initiales et paragraphi omnes rubrae. Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 412d desinit: *ob meum cultum noluerunt esse quod nati sunt etc.* (ed. p. 711b, lin. 4); deinde rubro: *Amen.* Continuatur textus in codice 1189[2] eiusdem Bibliothecae. Fol. 413a-418c index quaestionum Secundi libri.

22. — *Cracoviae, Bibl. Universitatis Jagellonicae, cod. 1189[2].* — Partim membran., partim cartac., mm. 310×215, saec. XV. In tegumento anteriori: *Pars secunda Allexandri super secundo sentenciarum.* Folia 508 et 7 folia insititia. Fol. insit. 1 (non numerato): *2ª pars Allexandri super 2º.* Binis columnis eadem manu ac codex 1191 exaratus. Initiales et paragraphi omnes rubrae. Fol. 1a incipit: *Determinato de modo sive de via propagandi* (ed. p. 711). Hic codex est continuatio absque ulla omissione textus Primae Secundi codicis 1191 eiusdem Bibliothecae. Fol. 46c desinit Prima Secundi: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operanti* (!). Deinde immediate incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 500c desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur etc.* Fol. 501a-508c tabula quaestionum.

23. — *Florentiae, Bibl. Laurent., cod. Fesulan. 130.* — Membran., mm. 400×282, saec. XV. In dorso: *Eiusdem Summae vol. II. 130.* Folia 314 et folia insititia 3 cartacea vacua in fine; item fol. insit. 4 in principio, quorum 3 prima cartacea vacant. Fol. 4v (membran.): *In septimo banco ab oriente.* Deinde alia manu: *Alexandri de Ales ordinis minorum infrascripta opera in hoc volumine continentur, videlicet Secunda pars summe. Magnifici viri Cosme de Medicis ingens liberalitas, eximia virtus et charitas prope singularis ex omni parte sese ostendit. Sacras has edificavit edes his religiosis viris Canonicis regularibus que ad usum vite necessaria erant paravit. Postremo illis hoc Alexandri de Ales volumen dono dedit ut nihil relinqueretur quod esset ab eis ulterius expetendum. Adsit ei igitur clementissimus Deus et benedicat ei omnibus diebus vite sue.* Fol. 1a-6d, binis columnis, tabula quaestionum totius Secundi Libri divisa in 45 distinctiones et 311 quaestiones, scilicet pro Prima Secundi dist. 1-20, pro Secunda Secundi dist. 21-45. Fol. 1a: *Incipit tabula Summe Secunde partis Alexandri de Ales. D*[ist.] *I. Utrum sint plura principia secundum substantiam.* Fol. 6d desinit: *8. Utrum Petrus scandalizaverit gentiles discernendo cibaria cum iudeis.* Distinctiones et quaestiones rubro exarantur. Binis columnis, lin. 60, una manu nitida exaratus. Correctiones marginales rarissimae. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 7r, eleganter ornatum, habet stemma Mediceum. Fol. 7a post rubricam: *Incipit Summa secunde partis Alexandri de Ales Ordinis Fratrum Minorum,* incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 168b desinit: *vel denuntiatores divine voluntatis predicta operantis.* Deinde rubrica: *Sequitur consideracio eorum que pertinent ad lapsum sive ad deterimacionem*(!) *eiusdem. Et primo de malo et peccato, quod est quasi genus peccati, non tamen simpliciter etc. An sit proceditur sic.* Deinde incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 314c desinit: *tamquam ydolatriam gentium dampnare crederetur. Explicit Secunda Pars Alexandri de Ales.*

24. — *Florentiae, Bibl. National., Conv. soppr., cod. I. III. 10.* — Membran., mm. 400×280, saec. XIV. In dorso: *Alexandri de Ales Summae theol. pars II. III. 10. 493.* Folia 201 et 1 fol. insit. membranaceum in principio, in cuius verso, manu saec. XV: *146. de xxviiij° banco ex parte orientis;* alia manu saec. XV: *Alexandri de Ales Secunda pars Summe. Conventus S. Marci de Florentia ordinis predicat. habuit a Cosma Iohannis de Medicis.* Binis columnis, lin. 75, una manu nitide exaratus. In fol. 1r-80v et 143r-158v initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae, in aliis deest rubricatio. Rarissimae correctiones vel notae marginales. Desunt tituli quaestionum. Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 57d desinit: *reducitur ad synderesim* (ed. p. 500), reliquis 13 lineis vacuis relictis. Fol. 58a eadem manu continuatur: *Quoniam dictum est de substantia spirituali unibili* (ed. p. 501). Fol. 100b desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Fol. 100v vacat. Fol. 101a incipit Secunda Secundi: [A]*diuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 201d desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur.*

25. — *Lauduni, Bibl. Municip., cod. 141.* — Hunc codicem iam descripsimus in tomo I, p. XVII, sub num. 27. Folia 141. Fol. 1-2 tabula quaestionum. Fol. 135c, absque rubrica, incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 141d desinit: *et comprehendendo sub tempore nunc quod est principium temporis* (ed. p. 36b, lin. 29-30). Textus continuatur in sequenti codice.

26. — *Lauduni, Bibl. Municip., cod. 142.* — Membran., mm. 400×270, saec. XIII. In dorso: *Tracta*(tus) *theolo*(gici) *MSS Nº 176,* et infra: *142. P. 5. 6. 13ª.* Folia 157. In fine codicis unum fol. insititium, in cuius verso habetur documentum quoddam gallicum saec. XIV. In parte interiori tegumenti anterioris: *Nº du Cat. 142 (176) T. R. 38. 7.;* et infra: *Ce volume contient 157 feuillets. 30 avril 1877.* Fol. 1r: *Cotte ffff;* alia manu: *Nº 176, tractatus theologici libri secundi Pars Iª;* in margine superiori, manu antiqua: *Tituli prime partis secundi.* Fol. 1r-2v, ternis columnis, index materiarum quae distribuuntur in Quaestiones, quarum tituli rubro exarantur. Fol. 1a incipit cum rubrica: *De causa prima sive principio questio prima.* Fol. 2v desinit: *Utrum dominabatur creaturis carentibus sensu.* Fol. 3r in margine superiori, manu saec. XIV: *hic deficiunt due questiones quarum tituli ponuntur in principio et hic est primus. Ultimus titulus 2ª questionis hic deficit.* Fol. 3a incipit: *non tamen est in tempore* (ed. p. 36b, lin. 30). Est continuatio textus Primae Secundi, cuius initium habetur in codice 141 eiusdem Bibliothecae. Binis columnis, lin. 68, litteris grossis nitide exaratus; correctiones marginales rarissimae. Fol. 157d desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Sequitur alia manu: *Finis prime partis 2ª.*

27. — *Lipsiae, Bibl. Universitatis, cod. 449.* — Cartaceus, mm. 305×208, saec. XV. In tegumento anteriori, manu saec. XVI: *Secunda pars Allexandri de Halis.* Folia 302

et folia insititia 10 in fine. Binis columnis, lin. 45-48, una manu exaratus. Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 302 desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Fol. insititiis I-X sequitur tabula quaestionum, manu saec. XV vel XVI, quae incipit: *Tabula prime partis Allexandri de Halis circa secundum Sententiarum de creaturis.* In interiori parte tegumenti posterioris, manu saec. XV: *L*(egatum) *collegio minori,* scilicet a Petro Sterck († 1431). Provenit ex *Kleines Fürstenkolleg* Universitatis Lipsiensis, cuius Bibliotheca annis 1676 et 1686 Bibliothecae Paulinae adiuncta fuit.

28. — *Monachii, Bibl. Status, Clm. 13426 (Dominic. Ratisbon. 26).* — Cartaceus, mm. 300×212, anno 1398 conscriptus. In dorso: *M. S. Alexandri de Ales P. Summe 1398.* In tegumento anteriori: *Secunda pars Summe Alexandri de hales (Ratisbon. Dominic. 26).* Folia 497. Binis columnis, lin. 45, una manu exaratus. Desunt tituli quaestionum. Fol. 1r in margine superiori, rubro: *Incipit secunda pars Summe Alexandri de hallis.* Manu recenti, atramento nigro: *Conventus Ratisb. ffr. Predic.* Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 183 desinit: *reducitur ad synderesim* (ed. p. 500). Fol. 184-187r vacua. Fol. 187c incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 497a desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur. Sic pateant questiones libri 2ᵉ magistri Allexandri a. D. 1398 feria quinta ante Catherine in Praga.*

29. — *Monachii, Bibl. Status, Clm. 18053.* — Cartaceus, mm. 409×288, anno 1439 exaratus. In tegumento anteriori: *Secunda pars Summe Alexandri de Ales super Sententiis.* Folia 388 et folia insititia 13 in principio. Fol. 13v: *Iste liber attinet venerabili cenobio sancti Quirini regis et martyris ac patroni nostri in Tegernsee;* parum infra: *Pars secunda Summe Alexandri de halis de ordine fratrum minorum super Sententiis.* Binis columnis, lin. 53-57, una manu exaratus. Fol. 1a incipit Prima Secundi, cuius prologus, omnino differens ab illo qui communiter in aliis codicibus occurrit, sic incipit: *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit celos prudentia, Prov. iij. Quoniam in primo sufficienter tractatum est de divina essentia* etc. Fol. 169b desinit Prima Secundi: *Et hoc plane dicit Augustinus, VIII Super Genesim ad litteram.* Sequitur Secunda Secundi. Est codex interpolatus, qui textum Alexandri arbitrario modo, quandoque brevius, quandoque cum multis additionibus refert.

30. — *Monachii, Bibl. Status, Clm. 7405ᵇ.* — Cartaceus, mm. 405×295, anno 1444 conscriptus. Folia 427 et 3 folia insititia in principio et in fine 6 folia vacua. Fol. insit. 1 vacat; fol. 2-3 habetur tabula totius Secundi libri. Fol. insit. 2r in margine superiori: *Tabula tractatuum huius secunde partis Summe Alexandri de Hales.* Fol. 1r, in margine superiori, rubrica: *Questio prima de causa prima omnium rerum.* Binis columnis, lin. 47-56, variis manibus nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Dominus sapientia,* ut in codice 18053 eiusdem Bibliothecae. Fol. 203d desinit: *Et hoc plane dicit Augustinus, VIII Super Genesim ad litteram.* Deinde illico sequitur Secunda Secundi. Est codex interpolatus.

31. — *Paris., Bibl. Mazarineae, cod. lat. 784.* — Membran., mm. 320×220, saec. XIII. Folia 362. Binis columnis, lin. 56, pulcre exaratus. Fol. 1r in margine superiori: *2ᵘˢ de halis VI fr. emptus.* Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 162v desinit: *vel denuntiatores divine voluntatis predicta operantis. Explicit prima pars secundi libri.* Fol. 163-164 vacant. Fol. 165a incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 362 desinit: *tamquam ydolatriam gentium dampnare crederetur. Explicit secunda pars secundi libri fratris Alexandri.* Sequuntur duo folia vacua, praeterquam quod in secundo, manu saec. XV, scribitur: *Secundus liber Alexandri des Hales.*

32. — *Rhemis, Bibl. Municip., cod. 471 (olim F. 423).* — Hunc codicem iam descripsimus in tomo I, p. XX, sub num. 37. Post Primum Librum incipit Prima Secundi, cum nova foliatione fol. 1a: *Completis tractatibus.* Fol. 155 desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Fol. 156 vacat. Sequitur cum nova foliatione Secunda Secundi, fol. 1a: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 139v desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur. Explicit.*

33. — *Romae, Bibl. Vaticanae, cod. Vat. lat. 703.* — Membran., mm. 311×218, saec. XIII. Folia 108. Binis columnis, lin. 56-62, exaratus. Initiales et paragraphi omnes rubrae. Paucae correctiones marginales. Fol. 1r in margine superiori, manu antiqua, sed scriptura quasi deleta: *Secunda pars summe Alexandri de Alest fratrum Minorum.* Sequuntur quaedam abrasa. Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 99d desinit: *reducitur ad synderesim.* Alia manu: *Et hic est finis secunde partis.* In margine dextra, manu saec. XV: *Hic sumat ab alia Summa in q. 21.* In margine inferiori, alia manu saec. XV: *Hic non est finis 2ᵉ partis totalis Alexandri sicut scriptum est supra sed 2ᵉ partis illius partis totalis quo autem ad hoc volumen hic deficit magna pars 2ᵉ partis Alexandri, scilicet tota pars que tractat de peccatis in particulari et non est parvus defectus quia deficit quasi medietas tocius operis.* Fol. 99d, illico post Primam Secundi, incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 107b desinit: *prout autem est causa peccati non sic dividit sed est una causa;* reliqua pars ultimae lineae abrasa est. Fol. 107c incipit alia manu, binis columnis, tabula quaestionum, quae numerantur 74. Fol. 108b desinit: *questio 74, utrum omnis virtus moralis aufferatur per malum culpe.*

34. — *Romae, Bibl. Vaticanae, cod. Urbin. lat. 124.* — Membran., mm. 386×260, saec. XV. In dorso insignia gentilicia Pii papae VI. Fol. alia 12 in principio, deinde alia foliatione folia 465. Fol. 1-10, binis columnis, tabula Secundi libri. Fol. 1a incipit cum rubrica: *Tabula Secunde partis Summe Alexandri de Ales doctoris incipit salubriter. Distinctio prima. De causa sive principio creationis.* Pro Prima Secundi sunt distinctiones 1-20, quarum ultima quaestio est: *De dominio presidentie primi hominis.* Pro Secunda Secundi sunt distinctiones 21-40,

quarum prima est: *Distinctio xxi. De malo et peccato primorum parentum.* Fol. 10a desinit: *Distinctio XI. De scandalo,* cuius ultima quaestio est: *Utrum Petrus scandalizaverit gentiles discernendo cibaria cum iudeis.* Deinde rubro: *Tabula secunde partis super Sententiis Alexandri de Ales feliciter explicit. Laus Deo.* Fol. 10v et 12r vacant. Fol. 12v circulus corona quernea et floribus ornatus, in cuius medio titulus operis: *In hoc co* || *dice continet-* || *ur secunda pars Al-* || *exandri de Ales Or-* || *dinis Fratrum Mi-* || *norum super se-* || *ntentiis.* Binis columnis, lin. 58, pulcherrime exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Desunt correctiones. Tituli quaestionum rubri. Fol. 1r (nova foliatio) ornatum floribus, avibus, geniis, insignibus ac tesseris gentiliciis Friderici Ducis Urbini. Fol. 1a rubrica: *Incipit Secunda Pars Alexandri de Ales super Sententiis.* Deinde incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 241d desinit: *vel denuntiatores divine voluntatis predicta operantis.* Fol. 242a incipit Secunda Secundi: [A]*diuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 465a desinit: *tamquam ydolatriam gentium dampnare crederetur.* Deinde rubro: *Secunda Pars Alexandri de Ales excellentissimi doctoris super Sentenciis feliciter explicit.* Fol. 465v vacat.

35. — *Romae, Bibl. Vaticanae, cod. Ottob. lat. 189.* — Membran., mm. 336×238, saec. XIII. Folia 306. Binis columnis, lin. 60, una manu nitide exaratus. Initiales omnes caeruleae. Desunt tituli quaestionum; paucissimae correctiones. Fol. 1r in margine superiori: *cod. Ottob. 189.* Fol. 1a absque rubrica incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 147d desinit: *vel denunciatores divine voluntatis predicta operantis.* Fol. 148a incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 304d desinit: *et quod Petrus erat reprehensibilis.* Fol. 305a, ternis columnis, incipit tabula Secundi libri: *Quid sit causa vel principium secundum substantiam.* Fol. 305f desinit: *Utrum omnia facta erant in illo tempore in materia.* Fol. 306r alia manu antiqua fragmentum quoddam incipit: *ostenditur* (?) *quod iudei inferiores quam Christum crucifixerunt.* Fol. 306b desinit: *sed quando factum est tenet.* Fol. 306v vacat.

36. — *Romae, Bibl. Vaticanae, cod. Ottob. lat. 436.* — Membran., mm. 285×204, saec. XIII. Folia 330. Binis columnis, lin. 59, 63, Prima Secundi manu saec. XIII, Secunda Secundi manu saec. XIV, lin. 68, exarata. Spatium relictum est vacuum pro rubricatione initialium et paragraphorum. Paucae correctiones. Fol. 1r in margine superiori: *2 de hales. 436. 582.* In margine inferiori manu antiqua: *hic deficiunt 14 questiones;* manu saec. XVIII: *questiones varie Ales.* Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Boecius de consolatione, bonum et unum idem in substantia* (ed. p. 25a, n. 3). Fol. 80r et 80v vacant. Fol. 180d desinit: *mediante oratione predicta operantis.* In margine dextra: *Explicit. defectus secundi libri.* Sequitur, absque rubrica, Secunda Secundi: [A]*diuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 328d desinit: *ait Apostolus, non oportet litigare.* Fol. 329r, manu saec. XII fragmentum quoddam incipit: *verba autem in tribus personis erant.* Fol. 330v desinit: *in duas partes.*

37. — *Romae, Bibl. Vaticanae, cod. Rossian., 305 (VIII. 241).* — Membran., mm. 371×255, saec. XIII. In dorso: *Alexandri de Alexandris Summa P. II. cod. membr. saec. XIII. ex Bibl. Card. Firmani.* Folia 351 et folia insititia 5 cartacea in principio et in fine. Binis columnis, lin. 57, una manu nitide exaratus. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae; tituli quaestionum rubri. Fol. 1r in margine inferiori: *Rmi Dni Hieronymi Grimaldi S. Ro. E. sancti Georgii Diaconi Cardinalis.* Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 174c desinit: *vel denuntiatores divine voluntatis predicta operantis.* Fol. 175a incipit Secunda Secundi: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 343b desinit: *tamquam ydolatriam gentium dampnare crederetur.* Fol. 344a rubrica: *Sequitur tabula super secunda parte Summe Alexandri de Ales.* Nigro: *In primis.* Fol. 347c (non numerato) rubro: *Tabula super tertia parte Summe Alexandri de Ales. In primis.* Est index Secundae Secundi. Fol. 345-351 non numerantur. Fol. 351c desinit: *Quaeritur de materialibus differentiis symonie. fol. 336. col. 2.*

38. — *Romae, Bibl. Angelicae, cod. F. 2. 2. 537.* — Cartaceus, mm. 408×293, anno 1470 conscriptus. In dorso: *Alexander de Ales 1470. 1ª et 2ª Secundae Summae.* Folia 410. Binis columnis, lin. 60, una manu nitide exaratus. Rarissimae notae marginales. Initiales et paragraphi alternatim rubrae et caeruleae. Fol. 1r, pulcre ornatum, habet stemma Dni Nicolai, episcopi Modrusiensis; in margine superiori: *Prima Secunde Summe Alexandri de Ales.* Fol. 1a incipit Prima Secundi: *Completis tractatibus.* Fol. 204c desinit: *vel denuntiatores divine voluntatis predicta operantis etc. Explicit prima pars libri secundi magistri alex. de ales. etc.* Sequuntur folia 4 non numerata; quorum 1a-3b, binis columnis, habent alia manu tabulam quaestionum, quarum prima: *Utrum sit unum primum principium.* Fol. 3b desinit: *Utrum Petrus scandalizaverit gentiles f. 408. Finis. Laus Deo.* Fol. 3v et 4 vacant. Post haec continuat foliatio a fol. 211. Fol. 211r, pulcre ornatum, habet iterum stemma eiusdem episcopi; in margine superiori: *Secunda Secunde Summe Alexandri de Ales.* Fol. 211a incipit: *Quoniam dictum est.* Fol. 211d desinit: *mediantibus angelis a quibus anime frequenter.* Deinde rubro: *Incipit 2ª pars secundi libri de malo et peccato.* Deinde incipit: *Adiuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 408c desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur. etc. Deo gratias. Hec Lectura finita est Rome prope sanctum Petrum ad instantiam Rmi Dni Nicolai episcopi Modrusiensis per me Hugonem Dordraci al Leck de Hollandia traiecten. dyoc. anno Dni M°CCCC°LXX die iiij mensis octobris etc.* Alia manu: *Finis secunde partis integralis Summe Alri de Ales.* Deinde manu amanuensis Hugonis: *Alexander de Ales.* Folia 409 et 410 vacant.

39. — *Trecis, Bibl. Municip., cod. 396 (Clairvaux K-55).* — Membran., mm. 340×235, saec. XIII. In dorso: *I et II Alexandri.* Folia 357 et duo folia insititia in principio, quorum primum cartaceum, alterum membranaceum; item duo insititia in fine, quorum primum membranaceum et ultimum cartaceum. Praeter foliationem modernam habetur

duplex foliatio antiqua, quarum altera ad rectum ab 1 ad 160, altera ad versum ab 1 ad 158. Binis columnis, lin. 52, nitide exaratus. Deest quaevis rubricatio. Fol. 1r in margine superiori, manu saec. XV: *Prima pars secunde Alexandri.* Fol. 1a absque rubrica incipit Prima Secundi: (C)*ompletis tractatibus.* Fol. 160d desinit: *quod si metalla quoque convenit hiis annumerari divitiis que* (ed. p. 599a, lin. 42). Sequuntur duo folia vacua. Fol. 161 iterum incipit nova foliatio, et quidem numeris romanis. Fol. 161r manu saec. XIV: *Secunda pars secunde Alexandri.* Fol. 161a incipit Secunda Secundi: (A)*diuvante gratia Iesu Christi.* Fol. 354v desinit: *tamquam ydolatriam gencium dampnare crederetur.* Foliis sequentibus alia manus adiunxit quaedam de scandalo, scil. fol. 355r: *Si religiosi teneantur dimittere edificare propter scandalum.* Fol. 355v: *Si debeant dimittere opera iustitie propter scandalum;* deinde: *Si unusquisque teneatur sedare scandalum in proximo et de fraterna correctione.* Fol. 357r desinit: *facienda est vis in hoc quod dicit gladio.* Fol. 357v, manu antiqua: *Prima et secunda pars magistri de aulis* (ab alia correctum *Alexandri de Haliz*) *que incipit Completis tractatibus etc.* Infra: *K. 55.*

§ 3. — DE MUTUA INDEPENDENTIA CODICUM.

Cum omissiones singulis codicibus propriae testimonium sint luculentissimum independentiae uniuscuiusque codicis ab alio (cf. tomo I, p. XXI, § 3), harum omissionum, praesertim longiorum, specimina hic afferimus, quibus constet nullum ex codicibus, quos adhibuimus ad editionem adornandam, esse transcriptum ex alio codice ad hunc finem selecto.

Omissiones solius **P**: 3*g, t,* 6*d, g, h, t,* 7*k, p, q,* 8*b,* 9*m, q, v,* 10*c, g,* 11*k,* 12*p,* 13*l, m,* 14*n,* 15*d, r,* 16*g,* 17*k,* 18*n,* 19*b, f, h, n,* 20*e, o, r,* 21*r, t,* 22*i, c, l,* 23*b, p, u,* 24*h, r, s, u,* 26*b, i, t,* 27*f, l, p.*

Omissiones solius **V**: 5*o,* 6*b,* 7*h, i, u,* 8*f,* 10*k,* 11*b,* 20*v,* 21*d,* 22*c, d,* 23*m,* 36*r,* 40*c,* 41*v,* 43*m,* 57*o,* 59*g,* 64*r,* 74*h,* 76*m,* 77*h,* 86*c,* 87*g,* 96*h,* 120*g,* 127*f,* 132*h, k,* 133*l,* 140*b,* 153*g,* 154*q,* 159*l,* 170*p,* 174*r,* 175*f,* 182*b,* 184*o,* 191*x,* 193*g,* 194*l,* 197*m, v,* 200*d,* 202*f,* 225*b, x,* 226*q, u, x,* 240*k, l,* 258*s,* 269*c,* 289*k,* 301*p,* 307*c, d,* 311*o,* 313*p,* 314*x,* 315*m,* 319*c,* 321*f,* 322*n,* 324*b,* 329*l,* 330*l,* 331*c,* 332*f,* 335*c,* 337*f,* 350*e,* 357*g,* 370*g,* 373*g,* 385*n,* 386*a,* 387*d,* 391*h,* 394*h,* 395*a,* 410*e,* 412*e,* 414*p,* 415*a,* 416*m,* 421*g,* 422*e,* 428*l,* 431*v,* 433*i,* 445*i,* 453*o,* 462*l,* 466*e,* 472*e,* 491*b,* 497*o,* 502*n, m, r,* 513*d,* 519*c,* 529*h, i,* 540*c,* 541*d,* 542*b, u,* 545*s,* 548*u,* 550*t,* 552*m,* 588*l,* 599*u,* 603*c,* 605*k,* 611*o,* 614*i,* 631*d,* 634*i,* 638*g,* 642*r,* 646*b, k,* 648*k,* 650*a,* 652*d,* 654*d,* 655*k, g,* 658*d,* 659*d,* 661*k,* 682*q,* 685*l,* 686*g,* 687*r,* 694*s,* 697*n,* 698*a,* 705*u,* 717*g,* 728*e,* 729*h,* 739*q,* 740*h, p,* 745*e,* 746*p,* 750*q,* 755*v,* 757*f,* 762*l, o,* 764*f,* 766*e,* 767*q,* 768*m,* 773*f.*

Omissiones solius **S**: 1*b,* 5*d, i,* 6*i,* 7*e,* 8*u,* 9*b,* 10*i,* 11*m,* 16*i,* 17*q,* 21*a, c, s,* 22*b, e,* 25*v,* 30*m,* 35*f,* 40*k,* 43*h,* 67*x,* 89*g,* 128*s,* 129*m,* 151*x,* 164*m, z,* 173*r,* 188*h,* 204*m,* 220*b,* 223*e,* 235*l,* 241*p,* 247*b, k,* 250*s,* 281*k,* 339*m,* 340*a,* 349*n,* 381*s,* 397*b,* 427*b,* 432*r,* 440*n,* 451*a,* 452*c,* 463*d,* 467*q,* 469*c, e,* 487*o,* 497*p,* 506*n,* 516*a,* 528*d,* 533*k,* 542*f,* 556*o,* 573*q,* 577*e,* 585*k,* 594*m,* 618*b,* 629*m,* 634*g, v,* 636*r,* 640*i,* 645*g,* 649*k,* 651*s,* 653*l,* 654*h, l,* 665*s,* 666*k, m,* 667*k,* 668*g,* 679*f, u,* 671*b, o,* 672*b,* 680*d, i,* 682*d,* 684*i,* 686*t,* 687*o,* 688*b,* 689*q,* 696*c,* 697*o, s,* 700*q,* 702*f,* 705*e,* 714*o, r,* 717*n,* 725*e,* 726*r,* 727*h,* 728*n,* 730*b,* 734*i, m,* 740*g, l,* 743*b,* 745*l,* 746*b,* 748*f,* 752*f, p,* 753*g,* 756*o,* 757*p,* 758*g,* 762*m,* 764*o,* 766*i,* 767*o,* 776*g,* 778*d,* 781*t,* 783*q.*

Omissiones solius **T**: 5*n, z,* 9*i, c, d, t,* 12*c, i,* 13*r,* 14*c,* 15*q, v,* 17*l, z,* 18*g,* 19*l, p,* 20*n, t,* 21*p,* 22*g,* 23*q, y,* 24*l, s,* 25*e,* 27*e,* 29*s,* 46*p,* 47*o,* 72*h, t,* 74*p,* 91*d,* 106*q,* 115*d,* 116*f,* 132*f,* 134*s,* 152*r,* 166*l,* 170*q,* 176*d,* 181*s,* 186*p,* 188*a,* 195*k,* 201*n,* 204*u,* 207*m,* 227*o,* 230*i,* 231*k,* 248*i,* 255*a,* 278*r,* 281*s,* 304*p,* 308*e,* 323*a,* 325*e,* 326*s,* 328*i,* 330*n,* 333*d,* 334*e,* 366*p,* 368*c,* 369*u,* 370*e,* 379*t,* 380*g,* 387*o,* 390*c,* 403*s,* 410*b,* 426*c,* 427*d,* 433*i, y,* 463*r,* 466*e,* 470*l,* 473*l,* 475*c,* 479*i,* 521*k,* 529*i,* 533*g,* 550*s,* 555*k,* 560*p,* 576*u,* 578*a,* 595*f,* 599*q,* 613*n,* 632*n,* 653*b,* 664*g,* 675*k,* 679*u,* 696*b,* 697*x,* 705*r,* 709*c,* 712*n,* 726*y,* 739*d, f,* 744*e,* 757*g,* 773*b, g.*

Omissiones solius **F**: 504*f,* 509*e,* 510*n,* 511 s, 513*h,* 517*c,* 518*r,* 520*g,* 521*e,* 532*a,* 534*e, t,* 535*f,* 539*r,* 541*a, h, n,* 543*p,* 545*m,* 546*v,* 547*h, k,* 548*c,* 549*i,* 550*n,* 551*f,* 556*e,* 557*g,* 561*e, f, p,* 564*b,* 566*k, q,* 567*a, q,* 568*h,* 569*f,* 571*m,* 578*h,* 587*n,* 596*c,* 615*r,* 668*p,* 757*i.*

Omissiones solius **R**: 8*f,* 9*q, m,* 13*p,* 17*r,* 21*g, v,* 25*x,* 26*c,* 47*p,* 87*h,* 90*p,* 125*k,* 130*o,* 142*c,* 151*i,* 159*x,* 210*a,* 323*m,* 430*h,* 431*p,* 443*q,* 499*q,* 505*u,* 566*e,* 603*e,* 605*h,* 618*o, u,* 622*s,* 634*t,* 636*n,* 640*f,* 662*h,* 682*a,* 695*i,* 702*m,* 705*d,* 723*f,* 740*s,* 750*t,* 769*o.*

Omissiones solius **L**: 1*a,* 7*d, l,* 8*a, k,* 10*l,* 12*d,* 21*b,* 22*a,* 33*i,* 41*x,* 54*h,* 80*r,* 100*f,* 125*r,* 156*p,* 158*g,* 195*a,* 209*n,* 211*s,* 216*k,* 219*g,* 222*t,* 223*a,* 250*m, s,* 271*x,* 282*s,* 303*v,* 311*g, h,* 331*g, p,* 358*f,* 468*d,* 504*m,* 607*q,* 608*y,* 611*g, r,* 613*r,* 621*s,* 622*l,* 630*s,* 655*a,* 680*a,* 686*m,* 687*g, v,* 692*q,* 694*k,* 696*i,* 697*d,* 700*o,* 709*d,* 710*b,* 727*a,* 728*i,* 731*h,* 739*v,* 745*r,* 749*h,* 750*d,* 757*o,* 764*b,* 766*k,* 769*h,* 775*u.*

Omissiones solius **C**: 11*z,* 22*p,* 27*b,* 41*k,* 65*g, q,* 92*d,* 196*o,* 201*q,* 219*b,* 224*p,* 227*q,* 231*m,* 241*t,* 265*n,* 270*q,* 281*m,* 285*i,* 291*b,* 309*a,* 330*m,* 334*g,* 356*t,* 387*k,* 400*v,* 428*y,* 461*q,* 464*q.*

Omissiones solius **Z**: 11*b,* 21*m,* 22*q,* 24*n,* 25*g,* 27*g,* 83*v,* 104*e,* 107*a,* 111*k,* 114*n,* 167*h,* 174*n,* 191*x,* 202*n,* 224*b,* 282*o,* 315*y,* 329*t,* 351*d, s,* 386*m,* 392*h,* 549*n,* 606*g,* 624*r,* 627*q,* 628*p,* 629*i,* 637*p,* 679*s,* 695*m,* 731*m,* 764*m.*

Omissio omnium, excepto **F**: 137*k.*

§ 4. — DE FAMILIIS CODICUM.

Ad sequentis schematis intelligentiam haec pauca notanda sunt: a=additio; ai=additio interlinearis; am=additio marginalis; - c=codex habuit variantem lectionem, sed per correctionem se a codicibus indicatis retrahit; e=expunxit; o=omissio; v=varians lectio; vc=varians lectio post correctionem.

Pag.	Var.	Add.	Om.	P	V	S	T	R	L	C	Z
1	*c*	.	.	.	.	.	.	v	.	.	v
2			*a*	.	.	.	.	o	o	.	.
	e	.	.	v	v	v	v	.	.	.	.
	f	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
			g	o	o	o	o	.	.	ai	.
	h	.	.	.	.	.	.	.	v	vc	vc
	i	.	.	.	.	.	.	.	v	vc	.
3			*b*	.	.	o	o	.	.	.	.
			c	.	.	.	.	o	.	.	o
			h	o	o	.	.	.	.	.	.
		l	.	a	a	.	.	.	.	.	.
			q	o	o	.	.	.	.	.	.
	r	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
			u	.	.	o	o	.	o	ai	.
		x	.	.	.	.	.	a	.	.	a
	z	.	.	v	v	.	v	.	v	v	.
4	*b*	.	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	d	.	.	.	.	v	.	v	.	.	.
	e	.	.	.	.	.	.	v	v	v	.
			f	o	o	.	.	.	.	.	.
		g	.	a	a	.	.	.	.	.	.
			i	.	.	.	.	o	.	.	o
		k	.	a	a	.	.	.	.	.	.
			l	o	o	.	.	.	.	.	.
	r	.	.	a	.	a	.	.	e	e	.
			u	.	.	.	.	o	o	o	o
5	*e*	.	.	v	-c	.	.	.	.	.	v
	f	.	.	.	.	.	.	v	.	v	v
		g	.	o	o	o	o	.	o	.	e
	k	.	.	.	.	.	.	v	vc	ai	v
	l	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
			p	o	o	.	.	.	.	.	.
	x	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
		y	.	a	a	.	.	.	.	.	.
6	*c*	.	.	.	.	v	-c	v	v	v	v
			e	.	.	.	.	o	o	ai	ai
	f	.	.	v	v	v	v	.	.	.	.
	n	.	.	.	.	.	.	v	.	.	v
			p	o	o	.	.	.	.	.	.
	s	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
	x	.	.	.	.	.	.	v	.	v	v
			y	o	o	.	.	.	.	.	.
7	*a*	.	.	.	.	.	.	v	v	.	-c
		b	.	.	.	.	.	a	.	e	.
	m	.	.	.	.	.	.	v	v	.	-c
			s	o	o	.	.	.	.	o	.
			t	.	.	.	.	o	a m	ai	o
	v	.	.	.	.	v	v	.	.	.	vc
8			*f*	.	.	.	.	o	.	.	a m
			g	o	o	.	.	.	.	.	.
		h	.	a	a	.	.	.	.	.	.
	i	.	.	.	.	.	.	v	vc	v	-c
	k	.	.	v	v	v	.	v	.	-c	.
			m	o	o	.	.	.	.	.	.
			o	o	o	.	.	.	.	.	.
	v	.	.	.	.	v	.	v	v	v	v
	x	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
			y	o	o	.	.	.	.	.	.
9	*b*	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
			c	o	o	.	.	.	.	.	.
			g	o	o	.	.	.	.	.	.
	l	.	.	.	.	v	.	v	.	.	v
			o	o	o	.	.	.	.	.	.
9b			*g*	o	o	.	o	.	.	.	.
			i	o	o	.	.	.	.	.	.
	o	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
	p	.	.	.	.	v	.	.	.	v	.
			r	o	o	o	o	.	a m	.	.
	s	.	.	.	.	.	.	v	.	.	v
			u	o	o	.	.	.	.	.	.
	z	.	.	.	.	.	.	.	v	.	.
10	*c*	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
			e	o	o	.	.	.	.	.	.
	l	.	.	.	.	.	.	v	.	v	v
			m	o	o	.	.	.	.	.	.
	q	.	.	.	.	v	v	.	.	.	.
10b	*a*	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
			i	o	o	.	.	.	.	.	.
11	*a*	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
	c	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
	d	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.
	e	.	.	v	v	.	.	.	.	.	.

Pag.	Var.	Add.	Om.	V	S	T	R	L	C	Z
28	*d*	.	.	v	.	v	.	v	.	v
	l	.	.	v	.	.	.	.	.	v
29		*a*	.	.	a	a	.	.	.	.
			e	.	o	o	.	.	.	.
			k	.	o	v	o	.	.	.
30	*g*	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	i	.	.	v	.	v	.	.	.	.
31	*c*	.	.	.	.	.	.	v	v	.
		f	.	.	.	.	a	.	.	a
			r	o	o	.	.	o	.	o
			z	o	o	o	.	.	.	.
32			*d*	.	.	.	o	.	.	o
	g	.	.	.	.	.	.	v	v	.
34	*n*	.	.	v	v	v	.	.	.	.
35			*k*	.	.	.	o	o	o	o
	m	.	.	v	.	v	.	v	.	.
	r	.	.	.	.	.	v	v	.	.
36			*c*	o	.	o	.	.	.	o
			o	o	o	o	.	.	.	a m
	u	.	.	v	v	.	vc	.	.	.
37	*a*	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	e	.	.	v	.	v	.	.	.	.
			h	.	o	a	.	.	o	o
		k	.	a	a	a	.	.	.	.
	l	.	.	.	v	.	.	v	.	.
	n	.	.	.	.	.	.	v	v	.
38	*b*	.	.	.	.	v	.	-c	-c	v
	d	.	.	v	.	.	v	v	v	v
39	*b*	.	.	.	v	.	v	v	.	.
	d	.	.	v	.	.	v	.	.	.
	e	.	.	.	.	.	.	v	v	v
			l	o	.	.	.	.	.	o
40	*b*	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	d	.	.	v	-c	v	.	.	.	.
		c	.	a	.	a	.	.	.	.
41			*i*	.	o	.	o	o	o	a i
	m	.	.	.	.	.	.	v	v	v
	p	.	.	v	.	.	v	v	.	-c
	q	.	.	.	v	v	.	.	.	.
			y	.	.	.	o	.	.	o
42	*d*	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	f	.	.	.	v	v	.	.	.	.
	i	.	.	v	.	v	.	.	.	.
43		*o*	.	a	.	.	.	.	.	a
		p	o	o	o	.	.	.	.	.
44		*b*	a	a	a	.	.	.	.	.
			l	.	o	o	.	.	.	.
45	*d*	.	.	v	v	.	v	v	v	.
	h	.	.	.	.	.	.	v	.	v
	l	.	.	.	.	.	v	v	.	.
46	*o*	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	p	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	d	.	.	v	v	v	v	.	.	.
		h	.	.	.	.	a	.	.	a
		m	.	.	.	.	a	.	.	a
		q	.	a	.	a	.	.	.	.
	r	.	.	.	.	.	.	v	v	v
48		.	*l*	.	.	.	o	o	o	a i
	o	.	.	v	v	v	v	.	.	.
	q	.	.	.	.	.	v	.	.	v
49	*b*	.	.	.	v	v	.	.	.	.
	c	.	.	.	.	.	v	.	.	v
	e	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	p	.	.	v	v	.	.	.	.	.
51	*l*	.	.	.	v	v	.	.	.	.
52		.	*a*	.	.	.	o	.	.	o
		.	*b*	o	.	o	.	.	.	.
	l	.	.	.	.	.	v	.	.	v
	n	.	.	.	v	v	.	.	.	.
		.	.	.	.	.	.	.	.	.
53		*c*	.	.	.	a	.	a	.	.
	f	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	g	.	.	.	.	.	v	v	v	v
54	*d*	.	.	v	v	.	.	.	.	.
	k	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	n	.	.	.	v	v	.	.	.	.
		.	*o*	o	.	.	o	.	o	o
		.	*p*	.	.	.	o	.	.	a m
55		.	*a*	.	.	.	o	.	.	o
	c	.	.	v	.	.	v	.	.	v
		.	*m*	o	o	o	.	.	.	.
	n	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	q	.	.	v	v	.	.	-c	.	.

Pag.	Var.	Add.	Om.	V	S	T	R	L	C	Z
56			*a*	.	.	.	o	o	o	o
	d	.	.	v	.	.	.	v	v	v
	g	.	.	v	v	v	.	.	.	.
57	*d*	.	.	.	.	.	v	.	.	v
	e	.	.	v	.	v	.	.	.	.
			n	.	o	o	.	.	o	.
	p	.	.	v	v	.	v	.	.	v
	u	.	.	v	v	v	.	.	.	.
58			*a*	.	.	.	.	o	o	.
			b	.	.	.	.	o	.	o
		c	.	.	a	a	.	.	.	.
	e	.	.	.	v	v	.	.	.	.
			f	.	.	.	o	o	o	o
	h	.	.	.	v	v	.	.	.	.
			m	.	o	.	a m	o	.	.
59	*o*	.	.	v	v	v	.	.	.	.
60	*g*	.	.	v	v	.	v	.	.	v
65	*a*	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	k	.	.	.	.	.	v	v	v	v
			l	.	.	.	o	o	o	o
			r	o	o	.	o	.	.	.
70	*d*	.	.	v	v	.	.	.	.	.
	l	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	p	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	u	.	.	.	.	.	v	v	v	v
80	*g*	.	.	.	.	.	v	v	v	v
			i	.	.	.	o	o	o	o
90		*c*	.	.	a	a	.	.	a	a
	f	.	.	v	.	v	.	.	.	.
		k	.	.	a	a	.	.	a	a
	l	.	.	v	v	v	.	.	v	.
100			*i*	.	.	.	o	o	.	.
			k	o	o	o	.	.	.	.
			m	o	o	o	.	.	.	.
200	*e*	.	.	.	.	.	.	v	.	v
		k	.	.	.	.	.	a	.	a
	o	.	.	.	.	.	.	v	.	v
300			*a*	.	.	.	.	o	o	.
	l	.	.	v	v	.	.	.	.	.
			o	.	.	.	o	o	o	o
400	*e*	.	.	.	.	v	v	v	v	v
			i	.	o	o	.	.	.	.
	q	.	.	v	.	.	.	v	v	v
	y	.	.	.	.	.	v	v	.	v
401			*c*	.	.	.	o	o	.	a i
	d	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	f	.	.	v	v	v	.	.	.	.
	i	.	.	v	v	v	.	.	-c	.
	o	.	.	.	.	.	-c	v	v	v
			p	o	o	o	o	a m	a m	a m
402	*a*	.	.	.	v	v	.	.	v	.
	d	.	.	.	.	.	.	v	v	v
403			*c*	o	o	o	o	a m	.	a i
	i	.	.	v	v	v	.	.	-c	.
			l	.	.	.	.	a i	.	o
	r	.	.	.	.	v	.	.	.	v
	v	.	.	.	.	.	.	v	v	.
405	*b*	.	.	.	.	.	-c	v	.	v
	c	.	.	.	v	v	.	.	.	.
	d	.	.	.	.	.	.	v	.	v
	f	.	.	v	v	-c	.	v	v	-c
		m	.	.	a	a	.	.	.	.
406	*d*	.	.	v	v	v	.	.	.	.
406b	*c*	.	.	.	.	.	v	v	v	v
	f	.	.	v	v	v	.	.	.	.
		p	.	.	a	a	.	.	a	.
407							v	v	v	v
			c	o	o	o	.	.	.	.
			d	.	.	.	o	o	o	o
	e	.	.	.	.	.	v	v	v	v
			f	.	.	o	.	o	.	.
	k	.	.	v	v	v	.	.	-c	.
	l	.	.	v	.	.	.	v	.	.
	n	.	.	.	.	.	v	-c	-c	-c
	q	.	.	.	v	v	.	.	.	v
408			*a*	.	.	.	o	a i	.	o
			e	.	.	.	o	.	.	o
			l	.	.	.	a i	o	o	a i
409			*b*	o	.	.	.	a m	.	.
411			*g*	o	o	o	o	.	.	.
499			*c*	.	o	o	.	.	.	.
	d	.	.	.	v	v	.	.	.	.
		e	.	.	.	.	a	a	a	a

Pag.	Var.	Add.	Om.	V	S	T	F	R	L	Z
615	*o*	.	.	.	v	v	.	v	-c	v
620			*b*	.	o	.	.	o	.	o
	r	.	.	.	v	.	v	.	.	.
625	*f*	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
			k	.	o	.	o	.	o	o
625b	*a*	.	.	.	v	-c	-c	.	v	v
	f	.	.	.	.	.	.	v	.	v
630	*q*	.	.	.	.	.	v	.	.	v
	t	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
635	*b*	.	.	.	.	.	v	.	.	v
	c	.	.	v	.	.	.	.	v	.
	d	.	.	.	v	.	.	.	v	.
	f	.	.	.	v	v	.	v	v	.
	o	.	.	v	.	v	.	.	v	.
	t	.	.	.	v	.	.	v	.	.
			u	.	o	o	.	.	o	o
640		*h*	.	.	a	.	a	a	.	a
	x	.	.	.	v	.	-c	.	v	.
645	*k*	.	.	.	v	.	.	.	v	.
650		*b*	.	a	.	.	a m	.	.	.
		c	.	.	.	.	a	.	.	a m
	f	.	.	v	v	.	.	.	v	v
	m	.	.	v	.	v	.	.	.	.
655	*m*	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
	p	.	.	v	.	.	.	.	v	.
661	*c*	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
		f	o	o	o	.	.	.	.	.
	h	.	.	.	v	.	.	.	v	.
		i	.	o	.	.	.	.	o	.
665		*f*	o	.	o	.	.	.	.	.
670		*i*	.	.	.	.	a	a	.	.
		p	.	.	o	a m	.	.	.	.
676	*e*	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
		p	.	.	a i	o	o	.	.	.
681	*e*	.	.	.	v	.	.	v	.	.
	h	.	.	v	v	.	.	v	v	v
	l	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
685	*i*	.	.	v	.	v	.	v	.	.
	n	.	.	.	.	.	a m	o	.	.
690	*d*	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
	t	.	.	v	.	.	v c	.	v c	.
		x	o	.	.	.	.	o	.	.
696	*i*	.	.	.	.	.	-c	-c	v	v
700		*b*	o	.	o	.	.	.	.	.
	c	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	d	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	f	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	h	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	i	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	k	.	.	.	v	.	.	.	v	v
	l	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	m	.	.	v	.	v	.	.	.	.
		n	o	.	o	.	.	.	.	.
	p	.	.	v	.	v	.	.	.	.
710	*c*	.	.	.	.	.	.	v	.	v
	i	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
		o	a	a	a	.	.	a	.	.
	q	.	.	v	.	.	-c	.	.	v
720	*o*	.	.	.	.	.	.	v	v	.
	p	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
730	*a*	.	.	.	v	.	-c	v	.	.
		c	.	a	.	a	.	.	.	.
	d	.	.	v	.	.	v	.	.	v c
	e	.	.	v	.	v	.	.	.	.
	h	.	.	.	v	.	-c	v	.	.
	n	.	.	.	.	.	.	.	v	v
740	*c*	.	.	.	v	v	.	.	-c	.
	r	.	.	v	.	v	.	.	.	.
750	*a*	.	.	.	v	.	.	.	v	v
	c	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
	o	.	.	v	.	.	v c	.	.	.
765	*a*	.	.	v	.	.	v	.	.	.
	k	.	.	.	.	.	.	.	v	v
769		*a*	.	a	.	.	a i	.	.	.
	c	.	.	.	v	.	.	.	v	.
	q	.	.	.	.	.	v c	.	.	v
775	*e*	.	.	.	v	.	.	v	v	v
	g	.	.	.	v	.	-c	v	.	v
	n	.	.	v	.	v	.	.	.	.
		q	.	a	.	a	.	.	.	.
	r	.	.	v	.	v	.	.	.	.
784	*b*	.	.	v	.	v	.	.	.	.
		g	o	.	o	.	.	.	.	.

Ex apparatu critico editionis et praecedenti schemate apparet codices nostros recte distribui in duas familias, quarum altera est PVSTF, altera vero RLCZ, licet aliquando unus alterve codex a propria familia abscedat ut alteram sequatur.

Et hos quidem codices pro constituendo textu sufficientes duximus, quia iis traditio manuscripta certo stabilitur. Praeter istos quidem, alios insuper octo codices ex integro legimus et eorum variantes prae manibus habemus, sed apparatum criticum hac immensa farragine variantium duximus non augendum, cum ipsi textui constituendo nihil inde utilitatis oriretur. In editionibus quidem quae praesertim philologorum utilitati intendunt, alia utique via incedendum esset, in edendis autem textibus scholasticis eo criterio opinamur utendum quo textus fideliter statuatur, relictis subtilitatibus philologicis, quae ad nostrum intentum nihil conferunt. Verum quidem est nec raros nec parvos aliquando occurrere errores in codicibus quos adhibuimus, ex immensa vero copia variantium quas comperimus habere codices, in medio relictos, manifestum est hos nec minores nec pauciores errores recipere.

§ 5. — DE OPERIS ET DIVISIONUM TITULIS.

Tituli, quibus opus Alexandri designatur, iidem sunt ac illi quos iam pro Libro I adduximus, nempe tum *Summa*, tum opus *Super Sententias*, tum in solo cod. Chisiano (sub n. 1) *Summa theologica*. Vocatur *Summa* in novem codicibus (17, 18, 23, 24, 28, 30, 33, 37 et 38), *Super Sententias* in tribus codicibus (15, 22, 27), utroque modo in quinque codicibus (1, 2, 21, 29, 34).

Quod de divisionum titulis in prolegomenis ad Librum I (p. XXVI) iam notavimus, plene confirmatur ex antiquis inscriptionibus codicum huius Secundi Libri. Vocatur *Secundus Liber Summae* in septem codicibus (2, 5, 11, 14, 17, 18, 31); *Secunda Pars Summae* in aliis duodecim (1, 8, 15, 16, 21, 23, 24, 29, 33, 37, 38, 39); in duobus tandem (28, 30) utraque denominatio occurrit.

Iterum Secundus Liber dividitur in partes duas, quae respective intitulantur *Prima* et *Secunda Pars Secundi Libri* (codd. 14, 18, 26, 31) aut *Prima* et *Secunda Pars Secundae Partis* (codd. 8, 21, 23, 24, 39).

Denique ad designanda singula quaesita iidem occurrunt tituli quos etiam in Libro I invenimus (cf. tomo I, p. XXVI), uti patet ex sequenti elencho:

Pag. 10a: *ex praecedenti Quaestione est conclusum.*
p. 26a: *datur intelligi ex praemissa Quaestione de pluralitate principiorum.*
p. 27a: *Ad secundum vero membrum quaestionis.*
p. 29a: *Deinde dicendum est de tertio membro quaestionis.*
p. 34a: *Ad tertiam vero quaestionem.*
p. 35a: *Deinde sequitur quartum membrum.*
p. 44a: *in Tractatu de peccato.*
p. 44b: *in Tractatu de angelis.*
p. 97b: *quod propriam habet inquisitionem.*
p. 113b: *in Tractatu de malo et peccato.*
p. 127b: *in Tractatu de assumptione corporum.*
p. 129a: *dicetur in proprio Tractatu.*
p. 136b: *in Tractatu de operibus sex dierum.*
p. 152b: *in Tractatu de cognitione angelorum.*
p. 223a: *Expedita quaestione de dilectione naturali.*
p. 265a: *in sequenti Problemate.*
p. 275a: *in solutione praecedentis Problematis.*
p. 279: *Post Tractatum de praesidentia angeli.*
p. 305: *Completo Tractatu de spirituali natura angelica.*
p. 362b: *in proprio Tractatu.*
p. 424: *Completo Tractatu pertinente ad considerationem animae secundum se.*
p. 439: *Habito Tractatu de cognitivis viribus.*
p. 446: *Completo Tractatu de parte sensibili.*
p. 494b: *in Quaestione de conscientia.*
p. 506b: *in Quaestione de miraculo.*
p. 621a: *in Quaestione qua quaeritur utrum corpus mulieris debuit formari viro in adiutorium.*
p. 623b: *in Quaestione de miraculo.*
p. 769a: *in Quaestione de fide illius.*

Tandem remittendo ad Librum I, p. 175, nota 5, utitur his verbis: *hoc explanatum est supra in Primo Libro;* remittendo vero ad Librum IV, p. 417, nota 4, dicit: *de separabilitate autem erit sermo in ultima parte quae spectat ad retributionem.*

§ 6. — DE BONITATE TEXTUS.

Triginta et novem codices huius *Primae Secundi* sat fideliter textum auctoris nobis transmiserunt, licet non solum singulae familiae codicum, sed et concors omnium lectio, varios eosque evidentes errores habeant. Illi autem errores iterum confirmare videntur omnes codices ab uno apographo originem, mediatam aut immediatam, habuisse, uti etiam pro Libro I ostendimus (tomo I, p. XXIV, § 6).

In sequenti elencho signantur 191 loci, ubi lectionem omnium codicum, utpote erroneam, reiecimus:

3*a*, 8*q*, 14*f*, 18*e*, 28*c*, 29*h*, 31*m*, 35*u*, 41*d*, 46*i*, *s*, 49*a*, 52*e*, 59*l*, 76*g*, 85*e*, 96*m*, 101*q*, 104*c*, *g*, *n*, 111*b*, *i*, *p*, 113*p*, 116*h*, 117*b*, 118*a*, 128*e*, 134*r*, 138*b*, *c*, *p*, 139*o*, 143*c*, 149*k*, 157*d*, *n*, 158*d*, 162*s*, 167*n*, 168*m*, 171*d*, 173*o*, *u*, 177*m*, *n*, 194*i*, 197*u*, *v*, 224*l*, 226*k*, 238*h*, 239*g*, 243*d*, *n*, 244*i*, 263*r*, 264*o*, *s*, 272*d*, 280*a*, *h*, 281*e*, 282*n*, 287*d*, 288*f*, 291*a*, 292*k*, 293*o*, 298*m*, 303*r*, 331*k*, 333*c*, 334*o*, 336*m*, 342*c*, *n*, 356*f*, *p*, 359*z*, 362*n*, 364*b*, *r*, 368*q*, 371*h*, 373*h*, *n*, 381*r*, 382*l*, 390*g*, 397a *r*, 397b *d*, 406*a*, 424*d*, 428*g*, 443*o*, 445*c*, 450*k*, 457*n*, 459*m*, 461*k*, 462*o*, 477*e*, 484*q*, 492*a*, 495*p*, 500*f*, 505*p*, 512b *k*, 513a *e*, 514*a*, 517b *g*, 519*e*, *h*, *k*, 523*s*, 534*r*, 547*m*, *t*, *v*, 555b *a*, 567*x*, 573*g*, 574*c*, 575*e*, 577*i*, *n*, 581*m*, 582b *g*, 583*b*, 588*b*, *i*, 589*c*, 590*k*, 592*i*, 593*a*, 596*k*, *t*, 598*a*, *c*, *e*, 601*d*, 602*c*, 603*b*, 606*u*, 610*b*, *e*, 613*l*, 616*b*, 617*n*, 618*q*, *t*, 619*d*, *s*, 621*r*, 622a *n*, 626*i*, 627b *d*, 629*d*, 635*i*, 636*f*, 672*e*, 675*d*, 676*s*, 677*b*, *c*, 678*o*, 682*s*, 689*t*, 692*c*, *e*, 695*q*, 696*d*, *e*, *r*, 703*p*, 709*s*, 710*e*, 711*n*, 713*h*, 714*i*, 731*c*, 739*n*, 743*a*, 753*b*, 758*l*, 767*n*, *r*, 771*l*, 779*a*.

In constituendo igitur textu huius *Primae Secundi* saepius lectionem unius codicis, etiam correcti, tamquam meliorem admisimus, non ita tamen quod uni familiae codicum vel uni eidemque codici fidem semper adhibuimus, sed attente ipso contextu inspecto saniorem lectionem elegimus, semper prae oculis habita, ut in Libro I, fundamentali illa totius artis criticae norma: ante omnia ipse contextus valet sensusque ab auctore intentus. Praeprimis autem lectiones cod. V et F saepius meliores apparuerunt, immo cod. F frequentius tam recte correctus fuit, utique a viro rei theologicae simul et graphicae non ignaro, ut eum inter meliores codices habendum duxerimus. Insigne exemplum bonitatis huius codicis habes p. 137, nota *k*. Insuper ex ipsis correctionibus, quibus codex F accedit ad cod. V (cui intime haeret codex P), auctoritas cod. V non parum augetur et manifestatur, licet aliunde frequentes errores habeat, tum per homoioteleuta, tum per male intellectam abbreviationem verborum. Isti errores in codice F rarissime occurrunt.

Quod iam editores Operum S. Bonaventurae (cf. *Opp. omnia*, II, p. VIIa) notarunt, hoc ipsum et nos experti sumus, nempe « quod plerumque, quo difficiliores erant quaestiones tractatae ... eo plures et graviores lectiones variantes in codicibus inventae sunt ».

Ut quorumdam voto satisfiat, liceat hic paucis ostendere quantum textus a nobis editus correxerit editionem Coloniensem. Si omnes errores afferre deberemus quos ibi correximus, in immensum protraheretur opus. Brevitatis igitur causa quaedam tantum maioris momenti afferemus exempla, nempe 33 omissiones longiores per homoioteleuta, quae in solis primis 50 paginis editionis Coloniensis occurrunt. Cum vero textus huius Primae Secundi in dicta editione occupet 390 paginas, fas est dicta 33 homoioteleuta ad minus septies augere ut videatur quantum corrupta sit editio Coloniensis per has plus quam 200 longiores omissiones, ne loquamur de aliis innumeris erroribus qui eamdem graviter deturpant.

Quae hic dicimus de Prima Secundi, eadem dicere licet de Libro I iam edito.

In sequenti elencho cursivis litteris imprimuntur quae desunt in Coloniensi.

Col. 2a - Ed. nostra, 4a, litt. *c:* quod *secundum quod* modi
» 4b - Ed. 8b, litt. *b:* et spiritualium *ad principium spiritualium* ordo
» 6a - Ed. 11a, n. 1: principium *activum et principium* passivum
» 7a - Ed. 13a, ad 3: omnia *et ideo repugnant inter se habere possibilitatem ad omnia* et
» 9b - Ed. 19a, litt. *c:* efficiente, *et ita plura essent eadem in essentia cum efficiente,* quorum
» 10b - Ed. 20a, n. 12: vita. *Eorum enim quae sunt in ipso vita est ratio exemplaris; unde, cum non sit ratio exemplaris malorum, non sunt in ipso vita.* Quod
» 11a - Ed. 21b, n. 2: Amplius, *cum dicitur omnia in ipso vita sunt,* ultra
» 14b - Ed. 29a, litt. *a:* esse; *sed causa quae ponit causatum suum in esse,* si
» 15a - Ed. 29b, n. 4: intellectum; *omnis autem causa quae agit per naturam et per intellectum* habet
» 17a - Ed. 34a, n. 1: illius *vel est essentia illius.* Item
» 23a - Ed. 46a, litt. *a:* vestigii. *Quod autem illa conveniant et secundum illa accipiatur ratio vestigii,* Augustinus
» » - Ed. 46a, litt. *b:* creaturae; *ergo ratio vestigii inest omni creaturae.* Contra.
» 23b - Ed. 47a, litt. *b:* minus; *ergo et ratio vestigii dicetur secundum magis et minus.* Unde
» 25b - Ed. 51b, ad *a:* creantis *et in creatione passive dicta respectu essentiae creatae.* Nam
» 28a - Ed. 57a, ad 1: ministerium, *cum et ipsi angeli creati essent, in hac autem praeexigitur ministerium.* Et hunc
» 28b - Ed. 57a, litt. *c:* in *tempore. Item, tempus non est in* sui
» 29a - Ed. 59a, ad 3: nihilo, *sumitur negative, non causaliter. Item fieri ex nihilo* potest
» 29b - Ed. 61a, n. 4: creati. *Item plus convenit cum ipsa forma exemplari; ergo plus habet de ratione exempli; quare per consequens plus habet de ratione creati.* Ad hoc
» 32b - Ed. 65b, lin. 8: differat, *sicut nec forma dat materiae quod differat* a forma
» 33a - Ed. 67b, ad 3: illius, *propter hoc una est essentia huius ideati et illius* et ita
» 34a - Ed. 69a, lin. 19: forma *et e converso, et forma unius se ipsa differt a forma* alterius
» 37a - Ed. 75a, n. 1: ex *materia et forma: a quo vero est potentia recipiendi est materia, a quo habet potentiam agendi est forma; ergo omne creatum est materia vel forma vel compositum* ex iis
» 38b - Ed. 79a, lin. 6: rei *enim finitae non est potentia infinita*
» 40a - Ed. 81a, litt. *e:* sunt *et vertibilia; sed quae omnino sunt vertibilia, omnino sunt* corruptibilia
» » - Ed 81b, ad 1: res: *voluntas enim divina sicut est ad salvandum huiusmodi res*
» » - Ed. 81b, ad 2: corporalia *nec incorporalia* in
» 41a - Ed. 83b ad 1: incommutabilitas, *nisi accipiantur aeternitas et incommutabilitas* prout
» 42b - Ed. 86b, ad 3: esse, *sed divina voluntas ab aeterno voluit rem* quae
» 47a - Ed. 95a, n. 1: mundi; *ergo non est ante mundum;* non
» 47b - Ed. 96b, ad 1: creatura *ex conditione purae creaturae* localis
» 50b - Ed. 102a, n. 3: diminui; *ergo pari ratione et augeri; ergo contingit pulcritudinem universi augeri et minui.* Contra
» » - Ed. 102a, litt. *a:* minuitur; *ergo pulcritudo mundi nec augetur nec minuitur.* Unde
» » - Ed. 102b, Solutio: esse *et secundum hoc diversificatur perfectio in partibus vel quoad esse vel quoad bene esse.* Ad primo

§ 7. — DE UNITATE COMPOSITIONIS.

Pulcherrima ordinatio totius materiae tractandae, quam etiam in Libro I invenimus, hic iterum manifeste elucet. Iam in ipso Prologo huius Libri II non solum concatenatur haec pars cum Libro I, sed etiam sequentes partes indicantur.

Materia tractata in Libro I et ea, quae nunc evolvenda est, clare designantur verbis quibus incipit Prologus Libri II, scilicet: « Completis tractatibus de iis quae pertinent ad speculationem Dei qui est factor omnis creaturae, sequitur tractatus de iis quae pertinent ad considerationem creaturae ». Deinde Prima Secundi indicatur his verbis: « Et primo, de iis quae pertinent ad creaturam, in quantum est creatura »; postea Secunda Secundi sic: « deinde, de iis quae pertinent ad lapsum sive deteriorationem eiusdem »; tandem tractanda in sequentibus libris: « tertio, sequitur tractatus de reparatione ».

Postea Primae Secundi materia iam pressius delineatur, nempe de creatura in communi et in particulari. Haec duo summa capita totius materiae evolvuntur in quatuor Inquisitionibus quae Primam Secundi constituunt, nempe in Inquisitione I agitur de creatura in communi, in Inquisitionibus II-IV de creatura in speciali, scilicet de angelis (Inq. II), de creatura corporali (Inq. III), de homine (Inq. IV).

Maxima iterum colligantia et mutuus nexus inter has quatuor Inquisitiones clare elucet ex singularum initio.

Incipit Inquisitio II: « Expedita parte quae pertinet ad considerationem creaturae in communi, adiuvante Domino, procedendum est ad considerationem creaturae in speciali quantum ad naturae institutionem ». Inquisitio III incipit: « Completo tractatu de spirituali natura angelica, cum adiutorio Dei sequitur tractatus de substantia corporali ». Inquisitio IV incipit: « Adiuvante gratia Iesu Christi, post considerationem spiritualis substantiae, scilicet angeli, et corporalis, quae per caelum et terram designatur ... procedendum est ad considerationem hominis, qui est substantia composita ex spirituali sive intellectuali substantia, scilicet anima, et corpore ».

Si singulas nunc Inquisitiones inspiciamus, eadem coordinatio atque concatenatio inter earum divisiones continue servatur.

Prima Inquisitio proponit agendum de creatura secundum fieri (Tract. I), de creatura secundum esse (Tract. II). Determinato de primo, progreditur ad declarationem secundi, praemisso quo modo Tract. II coniungatur primo, his verbis: « Transeundum est deinceps ad esse creaturae secundum se ».

Secunda Inquisitio proponit determinanda de angelis secundum fieri (Tract. I), secundum esse (Tract. II), secundum potentiam et operationem (Tract. III). Mutuus nexus horum elucet ex initio ipsorum Tractatuum. Incipit Tract. II: « Consequenter considerandum de iis quae pertinent ad substantiam angeli »; Tract. III incipit: « Transitum faciamus, adiuvante Domino, post considerationem conditionis angelicae ad considerationem potentiarum et actuum ».

Tertia Inquisitio agit de creaturae corporalis creatione (Tract. I), distinctione et ornatu (Tract. II), gubernatione, multiplicatione et collocatione (Tract. III). Incipit Tract. II: « Habita consideratione de rebus corporalibus quantum ad creationem, consequenter dicendum est de rebus corporalibus, quantum ad distinctionem vel ornatum sive factionem, quod generale est ad utrumque ». Incipit Tract. III: « Completa consideratione de opere creationis et de opere distinctionis in tribus diebus et ornatus in tribus aliis sequentibus, sequitur consideratio de opere gubernationis, multiplicationis et collocationis ».

Quarta Inquisitio tractat de homine secundum animam, secundum corpus et secundum coniunctum. Incipit Tract. II: « Quoniam dictum est de substantia spirituali unibili, cuiusmodi est anima rationalis, dicendum est de substantia corporali unibili, cuiusmodi est corpus humanum ». Incipit Tract. III: « Determinato de corpore primi hominis, sequitur de coniuncto ».

Iis breviter in unum collectis illico manifeste elucet quam optime totum opus Primae Secundi in omnibus partibus suis colligetur et perfectam unitatem exhibeat, quae adhuc magis apparet si singularum denique Quaestionum, Titulorum et aliarum subdivisionum colligationem observare velit studiosus lector.

Eadem unitas et intima connexio totius operis Primae Secundi maxime tandem et evidentissime elucet ex citationibus quibus saepissime ipse auctor expressis verbis remittit ad proprium opus. Et hae quidem citationes, uti etiam in Libro I, tum in initio, tum in medio, tum in fine phrasium inveniuntur. At, dicet quis, nonne has citationes posterior manus adiungere potuisset? Hoc omnino negandum censemus. In quaestionibus enim quae ad criticam spectant ponderato et praeiudiciorum experte criterio, seriis insuper argumentis vel documentis fulcito, procedendum est, non autem animo levi inanibus hypothesibus indulgendum, quae nihil ad veram scientiam conferunt, sed exuberantis ingenii inventa pro certis scientiae argumentis obtrudere nituntur.

His praemissis dictas citationes afferimus, adiuncto quaestionis numero a quo et ad quem remittitur.

p. 8, n(ota) 5: *infra ostendetur, ubi agetur de causa exemplari.* 4 ad 9-10.
p. 10, n 3: *ex praecedenti Quaestione est conclusum, ubi agebatur de principio boni et mali.* 4 ad 3.
p. 10, n. 4: *sicut praeostensum est.* 4 ad 3.
p. 13, n. 3: *sicut infra dicetur.* 5 ad 6.
p. 15, n. 7: *infra habebitur.* 6 ad 9.
p. 19, n. 1: *sicut supra habitum est.* 10 ad 7.
p. 19, n. 4: *secundum iam dictum.* 11 ad 10.
p. 23, n. 2: *sicut iam dictum est.* 13 ad 10.
p. 25, n. 3: *sicut ostensum est.* 15 ad 12.
p. 26, n. 2: *datur intelligi ex praemissa Quaestione de pluralitate principiorum.* 17 ad 3-5.
p. 40, n. 9: *sicut dictum est.* 28 ad 27.
p. 44, n. 2: *in Tractatu de angelis.* 33 ad 116.
p. 45, n. 4: *supra dictum est.* 36 ad 28.
p. 51, n. 5: *sicut infra patebit.* 42 ad 43 et 51.

p. 56, n. 7: *sicut supra habitum est.* 48 ad 43.
p. 60, n. 1: *sicut dictum est.* 51 ad 47.
p. 64, n. 2: *sicut supra habitum est.* 54 ad 7.
p. 67, n. 5: *sicut infra patebit.* 54 ad 80.
p. 69, n. 4: *sicut dictum est.* 55 ad 54.
p. » n. 6: *sicut supra habitum est.* 55 ad 54.
p. 71, n. 1: *de quo plenius habebitur infra.* 56 ad 59-61.
p. 74, n. 5: *dictum est.* 59 ad 56.
p. 75, n. 5: *sicut iam dictum est.* 60 ad 58.
p. 86, n. 3: *in proximo dicetur.* 67 ad 68.
p. 113, n. 1: *supra in ratione ordinis dictum est.* 89 ad 86.
p. 127, n. 7: *infra dicetur in Tractatu de assumptione corporum.* 101 ad 183-193.
p. 129, n. 1: *De affectu autem eius sive appetitu infra dicetur in proprio Tractatu.* 102 ad 163-176.
p. 131, n. 4: *ostensum est superius.* 104 ad 88.
p. 131, n. 5: *sicut ostensum est.* 104 ad 102.
p. 132, n. 1: *ut dictum est.* 104 ad 88.
p. 136, n. 3: *infra ostendetur in Tractatu de operibus sex dierum.* 106 ad 249.
p. » n. 7: *ut probatum est.* 107 ad 106.
p. 138, n. 1: *magis alibi explanabitur.* 107 ad 181.
p. 152, n. 5: *de hoc diffusius agetur in Tractatu de cognitione angelorum.* 112 ad 121.
p. 169, n. 2: *Hoc plenius infra videbitur.* 124 ad 125.
p. 174, n. 3: *ut dictum est.* 128 ad 123.
p. 175, n. 3: *sicut de angelo est obiectum.* 129 ad 126.
p. 183, n. 1: *supra dixit.* 135 ad 134.
p. 198, n. 3: *in auctoritate supra posita.* 149 ad 147.
p. 199, n. 1: *de quibus infra dicetur.* 151 ad 153-159.
p. 201, n. 6: *De hoc plenius infra requiretur, ubi agetur de dilectione naturali in angelis.* 152 ad 163 sqq.
p. 204, n. 1: *de quo infra dicetur.* 154 ad 161.
p. 205, n. 10: *infra patebit.* 155 ad 156-157.
p. 210, n. 6: *responsum est supra.* 159 ad 100.
p. 225, n. 1: *sicut supra habitum est.* 173 ad 153.
p. 228, n. 1: *supra dictum est.* 176 ad 174.
p. » n. 3: *ut tactum est supra.* 176 ad 169.
p. 239, n. 10: *Contrarium plane habetur a Bernardo ... sicut dictum est in praecedenti disputatione.* 184 ad 182.
p. 254, n. 5: *sicut dictum est.* 201 ad 199-200.
p. 261, n. 9: *ut dictum est.* 212 ad 211.
p. 262, n. 1: *sicut supra dictum est.* 212 ad 211.
p. 265, n. 6: *patebit in sequenti Problemate.* 213 ad 214.
p. » n. 7: *ut iam patebit.* 213 ad 214.
p. 267, n. 7: *ut supra habitum est.* 215 ad 214.
p. 269, n. 1: *supra proximo explanatum est.* 216 ad 215.
p. 270, n. 5: *ut supra habitum est.* 217 ad 215.
p. 271, n. 8: *ut dictum est.* 217 ad 216.
p. 272, n. 2: *per auctoritatem supra positam.* 218 ad 217.
p. 273, n. 3: *sicut dictum est.* 219 ad 217.
p. 275, n. 2: *sicut habitum est supra, in solutione praecedentis Problematis.* 220 ad 219 et 213.
p. 284, n. 9: *ratio miraculi superius posita.* 228 ad 224.
p. 288, n. 6: *sicut infra patebit ex distinctione modorum faciendi miracula.* 232 ad 243.
p. 293, n. 8: *dictum est supra.* 240 ad 224.
p. 325, n. 4: *patebit infra.* 264 ad 265.
p. 326, n. 10: *dictum est iam.* 266 ad 262.
p. 331, n. 5: *restat aliquid de luce coadunata quod non fuit supra determinatum.* 271 ad 262.
p. 332, n. 4: *de hoc infra magis patebit.* 272 ad 287.
p. 334, n. 7: *dictum est supra.* 274 ad 252.
p. 335, n. 6: *sicut dicit Augustinus supra.* 275 ad 273.
p. 362, n. 8: *De hoc inferius dicetur diffusius in proprio Tractatu.* 300 ad 336-343.
p. 380, n. 7: *supra dictum est.* 317 ad 292-293.
p. 386, n. 12: *de quo infra dicetur.* 321 ad 322.
p. 389, n. 2: *supra habitum est.* 322 ad 321.
p. 393, n. 3: *per supra dictam rationem.* 324 ad 323.
p. 395, n. 1: *infra ostendetur.* 325 ad 327.
p. 400, n. 2: *propter errorem quorumdam qui deinceps recitabitur et in parte supra tangebatur.* 329 ad 321, 322-326.
p. » n. 8: *supra habitum est.* 329 ad 327.
p. » n. 9: » » » 329 41-50.
p. 410, n. 10: *supra dictum est.* 338 ad 300.
p. 411, n. 1: *Dicitur autem ad imaginem Trinitatis propter rationem supra dictam.* 338 ad 336-337.
p. 415, n. 4: *sicut dictum est.* 342 ad 341.
p. 421, n. 1: *in supra dictis auctoritatibus in libro De anima et spiritu.* 346 ad 344.
p. 447, n. 5: *haec suo loco dicentur.* 368 ad 380.
p. 449, n. 7: *quae infra dicentur.* 369 ad 376-379.
p. 454, n. 2: *prout supra dictum est.* 374 ad 368.
p. 463, n. 5: *sicut dictum est.* 385 ad 383-384.
p. 469, n. 12: *sicut iam melius explanabitur.* 391 ad 392.
p. 494, n. 1: *utrum autem conscientia sit idem quod synderesis, tractabitur postea in Quaestione de conscientia.* 419 ad 426.
p. 494, n. 2: *sicut dictum est.* 419 ad 418.
p. 500, n. 3: *sicut dictum est.* 426 ad 423.
p. 503, n. 9: *cuius ratio infra patebit.* 427 ad 434-443.
p. 506, n. 4: *ut infra patebit.* 428 ad 431-432.
p. » n. 10: *patet in Quaestione de miraculo.* 428 ad 227.
p. 507, n. 7: *patet ex rationibus quibus ostensum est supra quod nec angelus bonus hoc potuit.* 429 ad 428.
p. 508, n. 8: *tactum est in opponendo.* 429 ad 428.
p. 510, n. 1: *infra determinabitur.* 429 ad 430.
p. » n. 2: *patet ex praedictis.* 429 ad 428.
p. 520, n. 3: *supra tactum est.* 432 ad 431.
p. 521, n. 4: *sicut in sexta die determinatur.* 433 ad 298.
p. 525, n. 2: *tactum est supra.* 434 ad 331.
p. 526, n. 5: *infra dicetur.* 434 ad 435.
p. 527, n. 13: *quanta autem sit aequalitas elementorum et harmonia in commixtione corporis humani, patet ex auctoritate Algazelis supra dicta.* 435 ad 430.
p. 528, n. 5: *supra dictum est.* 436 ad 435.
p. 529, n. 7: *infra patebit.* 436 ad 440.
p. 532, n. 4: *De hoc infra plenius dicetur.* 437 ad 492.
p. » n. 7: *De iis dicetur infra, ubi agetur de corruptione corporis Adae.* 437 ad 473.
p. 533, n. 4: *supra ostensum est.* 438 ad 436.
p. 550, n. 6: *supra tactum est.* 445 ad 443.
p. 551, n. 1: *tactum est supra.* 445 ad 443.

p. 551, n. 3: *sicut determinatum est a Dionysio, ubi quinque membra assignantur.* 445 ad 443.
p. 558, n. 4: *ex rationibus praetactis.* 448 ad 447.
p. » n. 5: *ex supra tactis auctoritatibus.* 448 ad 447.
p. 559, n. 7: *quae supra tacta sunt.* 448 ad 447.
p. 562, n. 6: *dictum est supra.* 449 ad 437.
p. 568, n. 4: *supra tactum est.* 451 ad 431.
p. 569, n. 4: *ut supra.* 451 ad 450.
p. 570, n. 4: *supra tactum est.* 451 ad 450.
p. 580, n. 4: *De hoc supra tactum est, ubi determinatum est si corpus primi hominis erat ex quatuor elementis.* 453 ad 434.
p. 595, n. 1: *Hoc alias explanabitur.* 458 ad 491-494.
p. 617, n. 1: *in praecedentibus habitum est.* 464 ad 463.
p. 620, n. 11: *ut patet ex dictis.* 465 ad 463-464.
p. 621, n. 3: *patet responsio ex praedictis.* 465 ad 463.
p. 623, n. 4: *De hoc determinatum est in Quaestione de miraculo.* 465 ad 247.
p. 630, n. 2: *ex dictis patet.* 468 ad 467.
p. » n. 3: *ex dictis patet.* 468 ad 464 et 467.
p. » n. 8: *ut ibidem tactum est.* 468 ad 461.
p. 633, n. 11: *supra tactum est.* 470 ad 455.
p. 634, n. 3: *ut dictum est.* 470 ad 469.
p. » n. 4: *modo quo dictum est supra.* 470 ad 469.
p. » n. 7: *sicut tactum est.* 470 ad 462.
p. 635, n. 6: *modo quo dictum est.* 470 ad 469.
p. 637, n. 13: *Ad hanc quaestionem ... respondendum est sicut supra.* 471 ad 469 et 470.
p. 640, n. 4: *supra tactum est.* 471 ad 437-440.
p. 641, n. 6: *supra dictum est.* 472 ad 470.
p. 643, n. 16: *supposita distinctione superius habita, dicendum quod.* 473 ad 470.
p. 647, n. 7: *infra plenius videbitur.* 475 ad 479.
p. 648, n. 3: *infra dicetur.* 475 ad 479.
p. 650, n. 2: *supra tactum est.* 477 ad 476.
p. 651, n. 2: *infra dicetur.* 477 ad 478 et 486.
p. 653, n. 9: *vita est potentia, ut ex auctoritatibus patet supra dictis.* 478 ad 477.
p. 655, n. 5: *habetur ex supra dictis.* 479 ad 477.
p. » n. 6: *supra tactum est.* 479 ad 478.
p. 658, n. 5: *eo modo quo dictum est.* 480 ad 479.
p. 659, n. 7: *supra tactum est, ubi quaerebatur si vita est actus animae.* 480 ad 478.
p. 665, n. 1: *alibi plenius tactum est.* 481 ad 243 sq. 428 sq.
p. » n. 6: *sicut tactum est.* 482 ad 476.
p. 666, n. 4: *ut ex dictis patet.* 482 ad 474.
p. 667, n. 3: *supra tactum est.* 482 ad 476.
p. 670, n. 1: *supra tactum est.* 483 ad 434.
p. 671, n. 1: *ex dictis patet.* 484 ad 483.
p. 673, n. 8: *ex verbo Dionysii supra tacto.* 485 ad 484.
p. 678, n. 5: *supra dictum est.* 487 ad 482.
p. 679, n. 5: *supra dictum est.* 487 ad 235, 239, 297.
p. 684, n. 3: *ex dictis patet.* 490 ad 488.
p. » n. 6: *sicut in praecedentibus dictum est de embrione.* 490 ad 489.
p. 686, n. 8: *De hoc supra, ubi quaesitum est de passibilitate primi hominis.* 491 ad 469.
p. 688, n. 3: *ex dictis patet.* 492 ad 437-440.
p. 696, n. 5: *cum aliis supra tactis.* 494 ad 492.
p. 701, n. 1: *supra tactum est.* 495 ad 457.
p. » n. 4: *dictum est supra, ubi actum est de integritate primae mulieris.* 495 ad 466.
p. 707, n. 1: *supra dictum est.* 497 ad 496.
p. 710, n. 3: *propter multa superius tacta.* 498 ad 446-449.
p. 722, n. 3: *supra determinatum est.* 503 ad 469.
p. 733, n. 2: *infra patebit.* 505 ad 516.
p. 734, n. 6: *supra dictum est.* 506 ad 505.
p. 738, n. 5: *infra patebit.* 507 ad 508.
p. 743, n. 5: *supra tactum est.* 509 ad 505.
p. 744, n. 4: *dictum est supra.* 509 ad 508.
p. » n. 5: *haberi potest ex praedictis.* 509 ad 507.
p. 752, n. 2: *Hoc etiam videtur per verbum Bernardi ... supra dictum.* 512 ad 511.
p. 756, n. 3: *ex dictis patet.* 514 ad 509.
p. 763, n. 3: *supra tactum est de cognitione Creatoris quantum ad illam quae fidei est.* 517 ad 512.
p. 765, n. 15: *infra dicetur.* 517 ad 518.
p. 769, n. 2: *patet ex supra dictis in Quaestione de fide illius.* 518 ad 512.
p. 770, n. 2: *supra determinatum est.* 519 ad 516.
p. 774 n. 3: *causam superius tactam.* 520 ad 470.
p. 779, n. 2: *supra dictum est.* 521 ad 503.
p. 784, n. 1: *tactum est superius.* 523 ad 522.

Insuper in Prima Secundi occurrunt expressae citationes aliarum partium totius *Summae*.

Ad Librum I quater remittitur, nempe p. 99, nota 1: *dictum est superius in Tractatu de essentialibus dictis de Deo,* scilicet Libro I, num. 87-130; item, p. 156, nota 2: *ut ostensum est,* nempe Libro I, num. 77; deinde, p. 172, nota 5: *magis explanatum est in Quaestione de visione sive cognitione Dei, ubi ostensum est quomodo Deus, licet sit infinitae virtutis, tamen se contemperat intelligenti,* hoc est Libro I, num. 8-9; tandem, p. 175, nota 5; *hoc explanatum est supra in Primo Libro,* nempe num. 21.

Ad Secundam Secundi quater remittitur, scilicet p. 44, nota 1: *diffusius dicetur ubi agetur de peccato secundum quod est corruptio modi, speciei et ordinis, in Tractatu de peccato;* item, p. 113, nota 6: *dicetur infra in Tractatu de malo et peccato;* deinde, p. 163, nota 4: *Explanatio huius rei ostendetur infra, ubi agetur de cognitione daemonum et eorumdem tentatione;* tandem, p. 373, nota 12: *de quibus infra agetur, cum de rationali creatura erit tractatus.*

Ad materiam Libri IV remittitur tribus vicibus, nempe p. 97, nota 9: *hoc excepto quod de Corpore Dominico dicitur quod est sub Sacramento, quod propriam habet inquisitionem;* deinde p., 417, nota 4: *de separabilitate autem erit sermo in ultima parte quae spectat ad retributionem,* de hac quaestione in Libro IV non agitur; tandem, p. 507, nota 1: *De hoc habebitur plenius infra, cum agetur de resurrectione,* de qua tamen non tractat auctor.

In Libro I (p. XXVII b) notavimus auctorem ter expresse remittere ad Librum II. Et revera quae ibi tractanda promisit, evolvuntur in hac Prima Secundi, ordine sequenti:

Libro I, p. 116, nota 2: *Consequenter quaerendum esset unde causetur unitas et multitudo in rebus, sed istud reservabimus inquirendum cum quaeretur de conditione rerum.* De utroque agitur in Prima Secundi, num. 54 et 55.

Item, Libro I, p. 238, nota 4: *quarto, incidenter quaeritur de potentia praesidendi quae est angeli ad angelum; quinto, de potentia praesidendi quae est hominis ad animalia; sexto, de potentia quae est creaturae corporeae super incorpoream. Et haec amplius discutientur in suis locis.* De quarto agitur in Prima Secundi, num. 199-204; de quinto num. 522; de sexto num. 289 et 329.

Tandem Libro I, p. 241, nota 8, ubi agit de ministerio quod angeli « habent exercere in creaturis », addit: *hoc plenius explicabitur in Tractatu de angelis.* Hoc fuse evolvitur in Prima Secundi, num. 205-223.

§ 8. — DE INTEGRITATE TEXTUS.

Integrum textum Primae Secundi, prout hic edimus, habent codices 33. Sex autem alii, qui desinunt in verba « reducitur ad synderesim » (ed. p. 500), omittunt duos ultimos Tractatus in quibus agitur *De corpore humano* et *De coniuncto humano,* scilicet a pag. 501 nostrae editionis usque ad finem. Isti codices sunt sequentes: Chisianus B. VII. 110 (n. 1), Assisiensis 107 (n. 11), Patavinus 263 (n. 15), Cantabrigiensis, Coll. S. Trinit. 377 (n. 19), Monacensis 13426 (n. 28) et Vat. lat. 703 (n. 33). In solo codice Vindobonensi 1384 (n. 16) ad initium quaestionum *De corpore humano* a manu saec. XIV, differenti ab illa primi amanuensis et huic posteriori, annotatur in margine superiori fol. 63r (rec. 152r): *Hic incipit additio fris. Gil. de Militona.*

Licet nota cod. Vindobonensis momento non careat, sedulo tamen animadvertendum non solum quod ibi inscripta sit a manu posteriori, sed maxime quod in hoc solo codice inveniatur nec simile quidquam occurrat in reliquis 32 codicibus, quos examini subiecimus, inter quos adsunt tales qui facilius hanc vel similem notitiam habere potuissent, nempe codices Parisienses, qui eo loco scripti sunt ubi opus primum prodiit.

Notandum etiam in omnibus codicibus, etiam in sex supra dictis, in initio Inquisitionis *De homine* (p. 383), tria promitti tractanda, nempe de anima, de corpore humano et de coniuncto humano, his verbis: « Primo ergo dicendum est de anima, quia plus pertinet ad considerationem theologicam; deinde, de corpore aliqua sunt dicenda, quantum ad hoc quod subiacet eidem speculationi; tertio, de coniuncto ».

Insuper notandum nullum inveniri codicem Parisiensem vel gallicum (et non sunt minus quam 10) qui duos ultimos Tractatus omittat. Quanti momenti sit hoc argumentum, cuique antiquae rei librariae non ignaro illico apparet.

Quod autem hi Tractatus ad integritatem Primae Secundi pertineant eruitur cum certitudine, non solum ex supra citatis verbis, verum etiam ex initio secundi et tertii Tractatus. Finito namque Tractatu *De anima* nexus sequentis Tractatus *De corpore humano* cum praecedenti expressis verbis indicatur, p. 501: « Quoniam dictum est de substantia spirituali unibili, cuiusmodi est anima rationalis, dicendum est de substantia corporali unibili, cuiusmodi est corpus humanum ». Item, in principio Tractatus *De coniuncto humano* vinculum huius cum praecedenti Tractatu exprimitur, p. 631: « Determinato de corpore primi hominis, sequitur de coniuncto ».

Idem elucet ex citationibus quibus hi duo ultimi Tractatus cum praecedentibus cohaerent, quas videat benevolus lector in elencho citationum quem supra (§ 7) posuimus, ubi citationes in duobus ultimis Tractatibus occurrentes inveniet a p. 503 usque ad finem.

Tandem ad idem demonstrandum desumi posset argumentum, supposita authenticitate scriptorum quae eis attribuuntur, ex auctoribus coaevis qui ad hos Tractatus remittunt, v. g. ex Vincentio Belvacensi, O. P., qui in suo *Speculo Naturali,* lib. XXIV, cc. 12-51, ubi agit *De vita,* longissimos textus affert ex Alexandro, eius nomen expresse citando, immo eius sententiam ut probabiliorem proponendo[1]. Iam vero Halensis agit de vita in hac Prima Secundi sub num. 474-490, in Tractatu III. Hic sistere liceat, cum haec profundiorem et fusiorem requirant tractationem, quae alibi melius praestari poterit.

Iis omnibus abunde probatur duos ultimos Tractatus integralem partem esse totius operis.

Quid autem Guillelmus de Melitona in Alexandri *Summa* edenda revera praestiterit non hic speciatim examinabimus, cum illud alias plenius tractandum sit. Observet interim lector attente quod nullatenus ex Bulla Alexandri Papae IV erui possit ipsi Guillelmo a Summo Pontifice quidquam impositum fuisse. Bulla siquidem tantum Ministro Franciae praecipit ut « dilecto filio fratri Guillelmo de Milletona, huic sollicitudini deputato », adiungat fratres « necessarios pro numero et idoneos pro merito », quatenus « sine dilationis dispendio praedictae *Summae* opus finaliter exequantur ». Quae verba manifeste ostendunt fr. Guillelmum prae manibus habere *Summam* perficiendam et ad hoc opus iam esse deputatum. Haec in praesenti breviter praelibanda videbantur.

[1] Cf. Parthen. Minges, *Exzerpte aus Alexander von Hales bei Vincenz von Beauvais,* in *Franzisk. Studien,* I, 1914, pp. 52-65.

SECTIO II. — De doctrina philosophica Halensis historice considerata.

Cum doctrinam Halensis in libro primo *Summae* examinaremus, limites huius partis excedere noluimus et multa, quae tunc plene exponi non potuissent, hic tractanda reservavimus. Nunc enim nostrae investigationi amplior iam patet campus, ideoque libet examen nostrum latius extendere et doctrinam Alexandri exponere prout eam in duobus tomis editis invenimus.

Ratione obiecti principalis de quo tractat liber secundus *Sententiarum*, doctrinam philosophicam abunde exhibet haec prima pars secundi libri *Summae theologicae*. Praetermissis ideo multis quae ad theologiam, praesertim ad gratiam, cognitionem mysticam scientiamque moralem spectant, opportunum visum est de philosophia Doctoris Irrefragabilis disserere, prout ipsam ex libro I et hac prima parte libri II colligere potuimus.

Ad clariorem dicendorum intelligentiam praemittuntur duo capitula, quorum unum de caractere speculativo Alexandri, alterum vero de eius mente circa relationes mutuas philosophiae ac theologiae tractat. His expositis, legitimum erit per summa capita metaphysicam, aestheticam atque psychologiam ipsius analytice delineare. Istas inquisitiones, quo melius pateat quanti momenti sit eius metaphysica doctrina, sequetur alia tractatio, indolem historicam magis prae se ferens, in qua animadversiones *Summae* contra opiniones quorumdam Scholasticorum plus minusve falsas erroresque multos philosophorum graecorum et arabum fusius exhibentur.

§ 1. — DE SPECULATIVO CARACTERE ALEX. HALENSIS.

1. — A temporibus S. Anselmi in theologicis scholis Medii Aevi invaluerat methodus speculativa, qua ratio applicatur ad intellectum fidei acquirendum et problemata philosophica in ordine ad theologiam considerantur. Exemplo tanti Doctoris magistrorumque scholae S. Victoris ductus, per modum speculativae et metaphysicae inquisitionis procedit Alexander, ex quo momentum philosophicum *Summae* statim percipere licet. Huic viae pure speculativae constanter adhaeret Doctor noster, cum illam e contra S. Bonaventura mystico temperet elemento, metaphysicis rationibus motiva cordis delectabiliter adnectens[1]. Speculativam igitur indolem Alex. Halensis latius illustrare peropportunum videtur, cum hucusque nonnisi obiter et incomplete F. Morin[2], H. Luguet[3], P. Marcell. a Civetia[4] et P. Rimaud[5] rem tetigerint.

Hac imprimis ratione, iuxta amplam simul et distinctissimam totius obiecti comprehensionem, organice partes materiasque *Summae* disponit. Ideo, ordinem *Symboli Lateranensis* ac libri *Sententiarum* harmonice componendo, tractatum de Deo uno eiusque essentialibus attributis, praemittit inquisitioni de SS. Trinitate[6]. Hanc dispositionem, iam a Richardo de S. Victore in scripto *De Trinitate* delineatam, ea quae sunt potius rationis a veritatibus mere creditis recte secernentem, usque nunc apud theologos vigere conspicimus[7]. Deinde, discursum a causa exemplari incipiens, inquisitiones de lege, de virtutibus et praesertim de gratia post tractatum de Verbo Incarnato instituit[8], in hoc etiam iam praeludens Scholae Franciscanae, quae cum S. Bonaventura et B. Duns Scoto omnia considerat in ordine ad Christum[9].

2. — Logicae rerum coordinationi sedulo intendens[10], non minus processum dialecticum, praesertim ab Abaelardo in scholasticis disputationibus introductum, diligenter in *Summa* adhibet. In unaquaque enim quaestione auctoritates ac argumenta pro et contra allegantur, deinde solutio systematica, plerumque per viam philosophicae investigationis inventa, proponitur ac rationes adversae solvuntur. Huic methodo auctoritatem perfectionemque talem contulit Doctor Irrefragabilis, ut praecise secundum istam didacticam formam aliae posteriores *Summae* saec. XIII exaratae inveniantur[11].

---

[1] A. de Margerie, *Essai sur la philosophie de S. Bonaventure*, Paris 1855, 24-26.

[2] *Dictionnaire de philosophie et de théologie scolastiques au Moyen-Age*, I, Paris 1856, 1303.

[3] *Essai d'analyse et de critique sur le texte inédit du traité de l'âme de Jean de la Rochelle*, Paris 1875, 188-193.

[4] *Il Breviloquium super libros sententiarum di Frate Gherardo da Prato*, Prato 1882, 215, 268, 272, 284, 317 sq.

[5] *Thomisme et méthode*, Paris 1925, 93: « L'organisation rationnelle du dogme a été le grand dessein de la pensée chrétienne d'Occident à l'époque où s'organisait, politiquement et socialement, la chrétienté. De Scot Erigène à S. Anselme dont la théodicée, la première, demeure, même après S. Thomas, un chef-d'œuvre, il y eut progrès. L'aventure d'Abélard détermina la réaction des Victorins. Alexandre de Halès, puis S. Thomas reprirent la marche en avant ». Cf. E. Gilson, *La philosophie de S. Bonaventure*, Paris 1924, 467-468.

[6] *Summa theol.*, I, Quaracchi 1924, num. 25-294, p. 39-412; num. 295-333, p. 413-488.

[7] Cf. De Régnon, *Etudes sur la Sainte Trinité*, II, Paris 1892, 343: « Alexandre conserve le plan suivi par Richard dans son traité *De la Trinité;* c'est-à-dire que, distinguant nettement entre la théodicée rationnelle et la théologie dogmatique, il commence par établir tout ce qui a rapport aux attributs essentiels de la divinité, avant d'aborder la question de la Trinité. Chose remarquable! C'est aussi l'ordre adopté plus tard par Saint Thomas dans sa *Somme théologique* ». P. Rimaud, op. cit., 79: « C'est l'ordre de la profession de foi du Latran. Le moderne *De Deo Uno et Trino* était inauguré ».

[8] P. Rimaud, op. cit., 79-80.

[9] De hoc praeclarissime tractat E. Gilson, *S. François et la pensée médiévale*, in libro: *Influence de S. François sur la civilisation italienne*, Paris 1926, 83-98, sic concludendo: « Toutes les philosophies franciscaines lui doivent d'être, dans leur essence la plus profonde, autant de méditations sur le Christ ». Cf. E. Longpré, *La royauté de Notre-Seigneur chez S. Bonaventure et Duns Scot* [2], Montréal 1927.

[10] Cf. De Régnon, op. cit., II, 341.

[11] F. Picavet, *Esquisse d'une histoire générale et comparée des philosophies médiévales*, Paris 1907, 188-192; E. Gilson, *La philosophie au Moyen-Age*, I, Paris 1922, 141: « La méthode d'exposition que suit Alexandre de Halès, est le développement de celle qu'avait inaugurée Abélard dans son *Sic et non;* c'est la méthode du *pour* et du *contre*. On propose une thèse avec l'autorité qui la couvre; on propose ensuite la thèse contraire, également appuyée de ses autorités; le philosophe

3. — Ordinatae divisionis ac dialecticae methodi cultor, Alexander intelligentiam systematicam fidei sive, ut vocant recentiores, philosophiam dogmatis constanter intendit. « Triplici ratione possunt probari credenda per naturales rationes. Prima ratio est propter nos: intelligentia creditae veritatis, quam semper debemus investigare, iuxta illud Psalmi: *Quaerite faciem eius semper* [1] » etc. Ex ipso exordio *Summae* propositum suum manifestat. Etenim non solum ad mentem Boethii asserit quod « in divinis intellectualiter », id est « secundum aspectum quem vis rationalis habet ad id quod est supra se, scilicet Deum [2] », versari oportet, immo, ad mentem S. Anselmi, addit in *Prologo* generali [3]: « Tota christianae fidei disciplina pertinet ad duo: ad fidem et intelligentiam Conditoris et fidem atque intelligentiam Salvatoris ».

4. — Theologia ergo est revera scientia revelationis, et tantum abest ut in hac assertione incertus haereat Halensis, ut potius rem planissime inculcet. Cum quaevis scientia per deductionem reductionemque ad principia fiat, non aliter procedit scientia sacra [4]: « Dicendum quod sunt principia veritatis ut veritatis et sunt principia veritatis ut bonitatis. Dico ergo quod aliae scientiae procedunt ex principiis veritatis ut veritatis per se notis; haec autem scientia procedit ex principiis veritatis ut bonitatis, et per se notis ut bonitatis, quamvis occultis ut veritatis ». Insuper, si iuxta sententiam Aristotelis, quam fere omnes scholastici amplectuntur [5] et cui etiam aliquando favet Irrefragabilis [6], scientia stricte dicta nonnisi circa universale versetur, haec ratio universalitatis in theologia non deest [7]. « In Sacra enim Scriptura ponitur historia non ea intentione seu fine ut significentur singulares actus hominum significatione sermonum, sed ut significentur universales actus et conditiones pertinentes ad informationem hominum et contemplationem divinorum mysteriorum significatione rerum. Hinc introducitur passio Abel, ut significetur passio Christi et iustorum; malitia Cain ut significetur perversitas iniustorum; et sic in ceteris. Introducitur ergo in historia Sacrae Scripturae factum singulare ad significandum universale, et inde est quod eius est intellectus et scientia [8] ».

5. — Universale quidem, quod est conditio scientiae, non diminute in theologia introducitur, sed secundum quatuor causas doctrinae, nempe in praedicando, in exemplando, in significando et in causando: « Secundum hoc ergo dicendum quod est universale in Scriptura Sacra. Habet enim Scriptura Sacra sententias generales, ut: *Initium sapientiae timor Domini,* Prov. I, 7; *Finis praecepti caritas,* I Tim. 1, 5, et huiusmodi; in quibus universalibus sententiis est universale primo modo, secundum ambitum praedicationis. — Habet sententias particulares, ut quae proponuntur historice, prophetice et huiusmodi, in quibus, quantum ad sensum exteriorem, est universale secundo modo dictum, scilicet exemplare... — Quantum vero ad sensum interiorem et spiritualem est universale tertio modo in particularibus sententiis, scilicet universale in significando, quia est signum rei universalis ad multa. — Quantum ad utrumque sensum Scripturae, interiorem et exteriorem, sive in sententiis particularibus sive generalibus, secundum quod fit reductio ad Deum, qui est universalis causa conditionis rerum, vel ad Christum, qui est universalis causa reparationis hominum, est universale quarto modo, scilicet in causando. Secundum ergo hunc modum et distinctionem est dicere doctrinam sacram esse rerum universalium [9] ».

6. — Cum res ita se habeat et « divina disponant ad intellectum et scientiam », praesertim si affectus totaliter purificetur, « non repugnat doctrinam theologiae esse credibilium et esse scientiam [10] ». Iis utique nullo modo excluditur quod proprie et principaliter theologia dicenda sit sapientia [11] seu quod « haec scientia magis est virtutis quam artis et sapientia magis quam scientia [12] », ut antea iam diximus [13]. Etenim de causa prima agit; cum vero « nomen sapientiae approprietur scientiae causae causarum » et « ipse Philosophus dicit quod Philosophia prima, quae est sui gratia et de causa causarum, debet dici sapientia [14] », merito et multo fortius theologia dicenda est sapientia [15]. Insuper voluntatem secundum affectionem perficit et ad praxim movet, ideoque in quantum est « cognitio secundum gustum, debet dici sapientia a sapore affectionis [16] ». Sed hoc non impedit quin secundum Halensem theologia vere ac realiter sit scientia seu cognitio revelationis certa et coordinata. Nulla igitur probabili ratione asseri potest Doctorem nostrum ad hunc conceptum theologiae ut scientiae non attigisse.

7. — Haec sine dubio speculativam indolem Halensis innuunt; sed non desunt argumenta alia, ex corpore *Summae* desumpta, quae rem abundantius declarent. Etenim integros tractatus mere philosophicos, videlicet de creatura [17],

---

intervient enfin et tranche la question dans un sens ou dans l'autre en apportant la démonstration de sa solution. C'est déjà la méthode qu'emploiera avec tant de bonheur S. Thomas d'Aquin ». M. De Wulf, *Histoire de la philosophie médiévale* [5], I, Louvain 1924, 330: « Dans la Somme d'Alexandre de Halès, la méthode d'exposition apparaît sous sa forme didactique définitive ».

[1] Cf. *Summa theol.*, I, num. 23, sub *Respondeo*, p. 34. Ceterum ut momentum Scholae Franciscanae in hac materia complete pateat, alia documenta inedita investiganda sunt omnino, praesertim permagnum MS 124 Bibliothecae Tolosanae, in quo habentur multae *Quaestiones disputatae* ipsius Halensis, Guillelmi de Melitona, O. Rigaldi ac Ioannis de Rupella, necnon *Comment. in IV libros Sententiarum* O. Rigaldi, ante an. 1247 scriptus, qui in pluribus codicibus legitur, v. g. Parisiis Bibl. Nat., cod. lat. 14910, Trecis, Bibl. Mun., codd. 824, 825, 2032 etc.

[2] I, num. 17, sub *Respondeo*, p. 28.

[3] I, p. XLV.

[4] I, num. 5, ad 2, p. 9.

[5] J. Chevalier, art. *La science et le réel* (*Cahiers de la Nouvelle Journée*, 9: *Où chercher le réel*), Paris 1927, 11.

[6] I, num. 1, ad 2, p. 3.

[7] Apud Alex. Halensem et S. Bonaventuram theologia in sensu latiori et Sacra Scriptura identificantur. Cf. H. Felder, *Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden*, Freib. i. B. 1904, 490-497.

[8] I, num. 1, ad 1, p. 2.

[9] I, num. 1, ad 2, p. 3.

[10] I, num. 1, ad 3, p. 3.

[11] I, num. 1, *Solutio*, p. 2b.

[12] I, num. 5, ad 2, p. 9.

[13] Alex. Hal., *Summa theol.*, I, Prolegomena, p. XXX.

[14] I, num. 1, *Solutio*, p. 2.

[15] Ibid.; cf. I, num. 455, sub *Respondeo*, p. 651; num. 456, ad 2, p. 652; num. 459, *Solutio*, p. 654.

[16] I num. 1, *Solutio*, p. 2b; num. 283, ad 7, p. 402.

[17] II, num. 51-98.

de homine[1], de anima[2] et de corpore humano[3], introduxit, probabiliter ut Symbolum Concilii Lateranensis plenius exponeret[4]. Non raro etiam, ut Philippus Cancellarius aliquoties in summa *De bono* exemplum dederat, in corpore quaestionum theologicarum quaesita pure metaphysica tractat, videlicet de unitate transcendentali[5], de bonitate[6], de aevo et tempore[7], de notione personae[8] etc. Tandem quaestiones ad cognitionis problema pertinentes saepius evolvit, ut videre est in quaestionibus de cognitione Dei[9], de veritate[10], de ideis divinis[11] ac de nominibus Dei propriis et symbolicis[12], de facultate cognoscitiva hominis[13] et de cognitione ac illuminatione activa angelorum[14], ita ut tractatus de cognitione humana eiusque valore, prout Scholastici illum excogitaverunt, maxima ex parte in *Summa* iam instituatur. Cum insuper philosophi negotium sit in causis inquirendis, saepissime Doctor Irrefragabilis ad causam superiorem[15] dispositionesque divinae voluntatis, praesertim ad bonitatem increatam, respicit. Proinde philosophos improbat qui rationem materiae vel physicas inferioresque causas non transcendentes, aeternitatem mundi et motus docuerunt[16] et creationem ignoraverunt[17]. Insuper ad profundiorem problematum solutionem non raro quatuor rerum causas investigat. Sic tractatus de creatura secundum fieri[18], ipsa causa prima secundum substantiam, unitatem rationesque diversas eius efficientiae imprimis considerata[19], tam apte ordinatur ut omnium rerum causam exemplarem[20], finalem[21] et efficientem complete perscrutetur[22]. Non aliter procedit in tractatu de anima, cum, visa quidditate animae[23], successive de eius causalitate materiali quoad fieri et quoad esse[24] et deinde de eius ratione formali, efficiente et finali disserit[25]. Idem processus in tractatu de pulcro[26], de corpore humano[27] et de miraculis[28] habetur: quod utique veri metaphysici est.

8. — Quod maioris momenti est, altiora problemata christianae philosophiae enucleare constanter satagit Alexander. Etenim, cum tractatum scholasticum de Deo uno quasi definitive ipse constituat[29] multasque quaestiones ampliori studio ac inquisitione metaphysica profundiori quam apud coaevos evolvat, specialius quid Deo sit proprium quoad eius essentiam attributaque determinat[30]. Hac ratione intelligitur cur ipse contra ponentes aeternitatem mundi praeclare disserit in quaestione *De incommunicabilitate aeternitatis*[31], ideoque absolutam eminentiam Dei respectu universi distinctissime statuit. Eadem intentione de immensitate Dei diffuse tractat[32], quod iure notandum est, cum subsequentes doctores ex schola Minorum, praesertim Duns Scotus, conceptum infinitatis magni faciant[33]. In tractatu de creatione aliud propositum prosequitur, dum in triplici causarum ordine relationes transcendentales creaturarum ad principium primum « de necessitate esse » insigniter demonstrat[34]; quae investigatio momento non caret, cum ex una parte notio creationis totaliter aliena sit a philosophia Aristotelis et Arabum[35], et ex altera parte hic viam aperiat altioribus inquisitionibus S. Bonaventurae, Matthaei ab Aquasparta et Olivi. Non minori diligentia naturam intimam cuiuscumque creati in pulcherrima dissertatione de creatura[36] perscrutatur, praesertim absolutam rerum contingentiam, compositionem intrinsecam necessariamque temporalitatem demonstrando necnon, inspectis relationibus creaturarum inter se earumque qualitatibus, ordinem summum, pulcritudinem ac perfectionem universi sensu aesthetico illustrando.

9. — Si vero ad tractatum de Trinitate respiciatur, Alexander totus in eo est ut, quantum fieri potest, philosophicam explicationem distinctissime tradat, quod iam cl. P. de Régnon[37] notavit, et praecipue ex duplici capite illustrari potest. Primo enim metaphysicam rationem pluralitatis personarum in Deo diligenter investigat[38]. Ut iam diximus[39], in diffusione intrinseca bonitatis illam reponit secundum principia Pseudo-Dionysii ac Richardi de S. Victore[40], quia bonitas est ratio omnis productionis sive efficientiae[41] et logice anterior sive « communior quam

---

[1] II, num. 320-426, p. 381 sqq.
[2] II, num. 320 sq., p. 384 sqq.
[3] II, num. 427 sqq., p. 501 sqq.
[4] Rimaud, op. cit., 85.
[5] I, num. 72-75, p. 112 sqq.
[6] I, num. 102-107, 111-120 etc., p. 160 sqq.
[7] I, num. 56-71, p. 84 sqq.
[8] I, num. 385-394, p. 565 sqq.
[9] I, num. 8-24, p. 15 sqq.
[10] I, num. 87-101, p. 138 sqq.
[11] I, num. 175, p. 258 sqq.; II, num. 9-13, p. 17 sqq.
[12] I, num. 333-495, p. 492 sqq.
[13] II, num. 368-386, p. 446 sqq.
[14] II, num. 119-141, p. 162 sqq.; 209-212, p. 259 sqq.
[15] I, num. 151, ad 2 et ad 6, p. 232; num. 233, ad 1, p. 328; num. 171, ad 4, p. 254 sq.
[16] I, num. 64, ad 12, p. 98.
[17] II, num. 26, p. 37.
[18] II, num. 1-26, p. 2 sqq.
[19] II, num. 1-8, p. 2 sqq.
[20] II, num. 9-13, p. 9 sqq.
[21] II, num. 14-16, p. 23 sqq.
[22] II, num. 17-19, p. 26 sqq. Cf. I, num. 34, ad 5, p. 57.
[23] II, num. 320 sq., p. 384 sqq.
[24] II, num. 322-327, p. 389 sqq.
[25] II, num. 328-330, p. 398 sqq. Cf. J. H. Endres, *Die Seelenlehre des Alex. von Hales*, in *Philosophisches Jahrbuch*, I, Fulda 1888, 48.
[26] I, num. 103, sub *Respondeo*, p. 162.
[27] II, num. 427-445, p. 501 sqq.
[28] II, num. 231-234, p. 287 sqq. Cf. I, num. 288, sub *Respondeo*, p. 408; num. 295, ad 7, p. 418; num. 301, ad 3, p. 435; II, num. 472, ad 4, p. 642b.
[29] Res abunde illustratur ex influxu Halensis in S. Bonaventuram, de quo egregie tractat A. Stohr, *Die Trinitätslehre des heiligen Bonaventura*, I Teil, Münster i. W. 1923, p. 26, 59, 63, 76, 85, 145, 156, 167, 189.
[30] I, num. 27, p. 44; num. 30, p. 48; num. 33, p. 52; num. 35, p. 57; num. 39, p. 63; num. 44, p. 69; num. 60, p. 88; num. 64, p. 92; num. 139, p. 215; II, num. 24, p. 35; num. 56, p. 70; num. 66, p. 82.
[31] II, num. 64, p. 92.
[32] Circa Deum cognoscendum tres quaestiones imprimis movet Halensis, videlicet de eius existentia et immensitate ac de Trinitate personarum (I, num. 8-10, p. 15 sqq.). Iam essentialitate Dei eiusque immutabilitate et simplicitate probatis, de infinitate Dei in se tractat ante alia attributa (I, num. 34 et 35, p. 54 sqq.) necnon de eius immensitate quantum ad intellectum, locum et durationem (I, num. 36-71, p. 58 sqq.). Cf. I, num. 140, p. 218; C. Harris, *Duns Scotus*, II, Oxford 1927, 170 sq.
[33] Cf. F. Morin, op. cit., I, col. 970, 973, 986; P. Zach. Van de Woestyne, O. F. M., *Cursus philosophicus*, II, Mechliniae 1925, 738-742.
[34] II, num. 9, p. 17 sq.
[35] J. Chevalier, *La notion du nécessaire chez Aristote et chez ses prédécesseurs, particulièrement chez Platon*, Paris 1915, p. 186.
[36] II, num. 51-98, p. 60-120.
[37] Op. cit., II, 408.
[38] De Régnon, op. cit., II, 408-421.
[39] Alex. Hal., *Summa theol.*, I, Prolegomena, p. XXV sq.
[40] I, num. 317, *Solutio*, p. 465 sq.
[41] I, num. 103, sub *Respondeo*, p. 162; num. 104, sub *Respondeo* et ad 1, p. 163. Cf. De Régnon, op. cit., II, 408-410.

natura et voluntas », quibus duobus modis Verbum et Spiritus Sanctus immediate procedunt. Secundo, hac quaestione soluta, Halensis explicat quo modo pluralitas personarum unitati substantiae divinae non contradicit, immo illam perficit [1]. Hanc veritatem diffuse declarat ex conceptu perfectae processionis, quia summa communicatio fit in unitate et identitate substantiae [2]: « Item alia est ratio. Nam, cum eadem sit essentia et omnino simplex in istis personis, non multiplicata secundum multiplicationem earum, patet quod in ipsa est magna et summa perfectio unitatis. Nam in hoc deficit unitas essentiae universalis ab unitate essentiae primae, quia licet utraque sit in pluribus, tamen essentia universalis ita est in pluribus quod multiplicatur et numeratur per illa, essentia autem divina non multiplicatur per illa, immo eadem est, non multiplicata in personis ». Illam iterum declarat ex ratione qua unitas et pluralitas sunt in diverso ordine, substantiae scilicet et hypostaseos [3], et relatio ex se « non addit ad unitatem nec mutat », quia tantum dicit modum se habendi [4] sive « existentiae modum [5] ». Cum etiam omnis processio personarum reducatur ad personam Patris [6] et insuper per pluralitatem manifestetur foecunditas unitatis sicut potentiam divinam declarat multitudo effectuum [7], res non parum confirmatur. Specialissime tamen conclusio infertur ex subtili analysi unitatis formalis [8]. Hoc in negotio meritum non secundum sibi acquisivit Alex. Halensis; unde satis intelligitur cur ipse S. Bonaventura illum presse hic imitetur, secundum cl. Stohr [9].

His omnibus consideratis, plane habetur intentio philosophica totius *Summae* eminensque indoles speculativa Alex. Halensis.

§ 2. — DE PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE RELATIONIBUS.

10. — Cum res ita se habeat ideoque metaphysicam speculationem Medii Aevi multum promoverit Alex. Halensis, nil mirum si, sicut alii cultores augustinismi, videlicet S. Bonaventura [10], Thomas ab Eboraco [11] et Odo Rigaldus [12], optime distinguat ordinem rationis et fidei, obiectaque earum propria, necnon methodum philosophiae ac theologiae propriam statuat, etsi completam philosophiae independentiam respectu scientiae sacrae non profiteatur.

Theologia enim est « scientia de substantia divina cognoscenda per Christum in opere reparationis [13] » vel, ut alibi signanter dicit, « est de substantia Dei efficiente per Christum opus reparationis [14] »; est igitur scientia de Deo quatenus per Christum revelatur [15]. Haec definitio, ab Odone Rigaldo etiam tradita [16], non immerito laudatur, utpote integram theologiam ad mysterium Christi secundum mentem S. Pauli Graecorumque Patrum ordinans [17]. Si vero secundum etymologiam nominis definiatur, dicitur scientia « a Deo, de Deo et ductiva ad Deum [18] ». Quibus non excluditur quod theologia res omnes operaque conditionis consideret, sed hoc fit potius sub generali relatione rerum ad causam primam, ex qua modus, species et ordo profluunt ut vestigia Trinitatis. Ratio est quia « relatio ad causam universalem, quae est Deus, facit cognoscere rem secundum illud quod est deiforme », et « theologi est cognoscere res, non secundum proprias rationes, sed magis secundum illud quod habent de deiformi [19] ». Obiectum e contra philosophiae diversum est. « Materia enim, de qua intentio est, est ens actu unum, quod est substantia prima, a qua omnia dependent [20] », sive « causa causarum [21] ».

---

[1] I, num. 31-33, p. 50sqq.; num. 76-77, p. 120sqq.; num. 80-83, p. 130sqq.; De Régnon, op. cit., II, p. 421-431.

[2] I, num. 83, *Ad obiecta*, p. 134b.

[3] I, num. 31, ad 3 et 5, p. 51.

[4] I, num. 31, *Ad obiecta*, p. 50.

[5] I, num. 31, ad 1, p. 51; num. 76, ad 5, p. 123.

[6] I, num. 32, ad 3, p. 52; num. 76, ad 4, p. 123.

[7] I, num. 83, *Ad obiecta*, p. 134b.

[8] I, num. 76, ad 2, p. 123. Cf. A. Stohr, op. cit., 28-29.

[9] Op. cit., 167: « Von Alexander ist Bonaventura hier in einem Masse abhängig wie sonst nur selten. Selbst die schönen Darlegungen in den qq. disp. über den Zusammenklang von Einheit und Dreifaltigkeit in Gott finden wir fast bis aufs Wort in den qq. 6 de simplicitate und 14 de unitate Dei in speciali wieder ».

[10] E. Gilson, op. cit., 91-3.

[11] E. Longpré, *Thomas d'York O. F. M., La première Somme métaphysique du XIII^e siècle*, in *Arch. Franc. Hist.*, XIX, 1926, p. 900sqq.

[12] Paris., Bibl. Nat., cod. lat. 14910, *In I Sent.*, Prol., q. 2, f. 3r: « Quod obicitur quod [theologia] videtur esse de omnibus, dicendum quod, sicut iam tactum est, est materia circa quam versatur intentio, et haec est una, et est materia circa quam versatur tractatus, et haec potest esse multiplex; et sic aliquo modo posset dici de omnibus, sicut metaphysica, differenter tamen, quia metaphysica est de operibus, reducendo ea ad opificem, et hoc ut ad causam efficientem; theologia vero est de operibus reducendo ea ad opificem ut ad finem per opera recreationis ». Eodem sensu loquitur S. Bonaventura, *I Sent.*, Prooemium, q. 1, ad 3 (I, 8): « Quemadmodum de omnibus entibus, in quantum reducuntur ad unum primum ens, est una scientia et unus liber [plures codd. hic addunt: scilicet metaphysica], sic de omnibus rebus et signis, in quantum reducuntur ad unum, quod est Alpha et Omega, est una scientia ».

[13] I, num. 3, sub *Respondeo*, p. 6.

[14] I, num. 7, p. 13b.

[15] I, num. 3, ad 2, 3 et 6, p. 6b, 7b.

[16] Cod. cit., f. 2v: « Dicendum ad hoc quod, sicut dicit Dionysius, hierarchia supermundana ponit tria: substantiam et virtutem et operationem, sic et nos tria considerare possumus in subiecto theologiae. Si quaeritur substantia eius de quo agitur in theologia, dicimus quod haec est divina substantia; si operatio, dicimus quod haec est opus restaurationis, et si alia opera in ea determinantur, hoc fit ratione et occasione restaurationis operis. Si quaeratur virtus per quam exit operatio a substantia, haec est Christus, *Dei virtus et sapientia*, I Cor. 1, per quem *omnia facta sunt*, Ioan. 1. Secundum ergo haec, tria complectendo simul, solet dici quod subiectum totius theologiae est divina substantia manifestanda per Christum in opere restaurationis ».

[17] Rimaud, op. cit., 81-82: « Par doctrine chrétienne, ils [les Pères Grecs] entendaient la théologie au sens d'Alexandre et de son disciple [S. Bonaventure]. L'usage a prévalu contre l'étymologie. En pratique, tous sont d'accord sur l'objet réel. Remarquons cependant que la définition d'Alexandre a plus d'attaches dans la littérature patristique, qu'elle est plus conforme à l'histoire du christianisme et à l'ordre de la foi vécue, puisque c'est par le Christ et en lui que nous a été donnée la Révélation de la Trinité, et que tout le dogme et toute la morale s'éclairent. Elle a l'avantage de pouvoir s'entendre de la théologie positive comme de la théologie scolastique ».

[18] I, num. 2, ad 1, p. 5.

[19] I, num. 113, p. 178a. De his tractat etiam quibus clarius fiat illud de quo agitur primario in theologia, I, num. 3, ad 1, p. 6.

[20] I, num. 3, ad 3, p. 7.

[21] I, num. 1, *Solutio*, p. 2: Scientiae a philosophia distinctae « sunt de causis consequentibus et causatis », ibid.; sive de causis particularibus, I, num. 113, p. 178a.

Propterea Philosophia prima recte describitur ut « cognitio primarum causarum, quae sunt bonitas, sapientia et potentia [1] ». Latius est eius obiectum circa quod versatur, « quia est circa ens secundum omnem sui differentiam, secundum differentes divisiones entis, scilicet ens potentia, ens actu, ens unum et multa, ens substantia et accidens et huiusmodi [2] ».

11. — Aliis rationibus non minus differunt philosophia et theologia. Illa enim principiis ac articulis fidei innititur, seu « ipsum credere introducit ipsum intelligere [3] ». Philosophia e contra unice per viam ratiocinationis et artis procedit [4] et veritatis apprehensionem prosequitur « per divisiones, definitiones et ratiocinationes [5] »; aliter fieri non potest, cum formaliter rationi innitatur [6]. Ex experientia procedens [7] per ea quae sunt notiora quoad nos investigat, verbi gratia naturam animae, concludendo ab actibus ad potentiam et de potentia ad essentiam [8]. Iterum, philosophia et theologia differunt ex hoc quod haec est speculativa scientia, illa vero practica [9]. Duplex enim est ratio, scilicet speculativa et practica [10], quia consideratio rei fit vel in se et absolute vel cum sua perfectione et bonitate; aliis verbis, duplex est acceptio veri, vel quatenus perficit cognitionem vel in quantum ordinatur ad voluntatem [11]. His suppositis, theologica cognitio est affectiva, tum quia movet affectum ad bonitatem [12], tum quia argumentatur ex principiis veritatis ut bonitatis [13]. Ultimo, istae duae disciplinae differunt, quia certitudo philosophiae aliarumque scientiarum est alterius ordinis quam certitudo theologiae, cum haec sit certitudo experientiae, gustus ac voluntatis potius quam certitudo intellectus mere speculativi [14].

12. — Ulterius progrediens Halensis, data opportunitate, distinguit ea quae fidem antecedunt et ea quae illam sequuntur [15]. Sic cognitionem existentiae Dei, naturaliter homini insertam, etiam per viam causalitatis demonstrat ratio [16], ad hoc omni creatura utendo [17], ideoque « accipit quasi a posteriori veritatem aliquam de eo secundum intellectum [18] ». Aliis verbis « cum sit cognitio de re multiplex: quia est, quid non est, quid est, qualis est, quanta est, propter quid est, de divina substantia per naturalem rationem potest haberi cognitio in praesenti 'quia est' et 'quid non est' [19] ». Omnino certa est haec cognitio. Etenim « secundum quod consideratur creatura ut vestigium suae causae, sic est invenire convenientes rationes et necessarias a creatura ad Creatorem: unde ex potentia creaturae necessario est arguere omnipotentiam Creatoris et ex sapientia summam sapientiam et ex bonitate summam bonitatem [20] ». Signanter in principio tractatus *De divinis nominibus* [21] addit: « Nota ad solutionem praesentis quaestionis ex hac sententia Damasceni, quod quaedam sunt quae de Deo accipiuntur per naturalem rationem, ut quoniam aeternus, sine principio, sine fine, quoniam omnium creator et huiusmodi; et quantum ad hoc est nominabilis Deus *per ea quae facta sunt*, quemadmodum et cognoscibilis. Quaedam vero sunt quae accepimus de Deo per solam fidem, non per rationem, nisi lumine fidei adiutam, ut scilicet quid Dei substantia, qualiter Deus ex Deo genitus, qualiter humanatus; et quantum ad hoc non est a nobis nominabilis, sed se ipso nominatur in Eloquiis divinitus traditis ».

13. — Hac ultima sententia patet quod, si ratio multa apprehendit, tamen plura per solam fidem cognoscuntur [22]. Ita Deum secundum substantiam [23] non apprehendit intellectus, cum ille sit tantum 'obiectum voluntarium', videlicet visibile tantum quantum ipse sese libere manifestat [24]; in via, praeter notitiam Dei naturae inditam [25], nonnisi « per cognitionem causatorum » attingitur [26]. Item, ratio non habet ex se cognitionem comprehensivam de eius attributis, specialiter de eius immensitate [27]. « Cognitio vero 'quid est' et 'qualis est' — 'quid est' secundum substantiam, 'qualis', et liceat ita loqui, secundum personalem proprietatem — non potest haberi per naturalem rationem; sed imperfecte et in aenigmate habetur per gratiam, perfecte vero et secundum speciem per gloriam [28] ». A fortiori mysterium Trinitatis aeternaeque processionis omnem intellectum transcendit [29], prout clare loquitur Alexander dicens [30]: « Per naturalem rationem de se non potest haberi cognitio Trinitatis secundum propria ».

---

[1] I, num. 1, *Solutio*, p. 2b.

[2] I, num. 3, ad 3, p 7; II, num. 505, ad 6, p. 732: « Cognitio naturalis cognoscit Deum summe bonum propter diffusionem suae bonitatis in effectibus creatis, sed fides dictat Deum summe bonum propter communicationem bonitatis in divinis personis »; II, num. 175, ad 2, p. 227. Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 3, q. 1, ad 3 (II, 227).

[3] I, num. 1, ad 4, p. 3; num. 23, ad 2, p. 35.

[4] I, num. 1, *Solutio*, p. 2b.

[5] I, num. 4, ad 2, p. 8.

[6] I, num. 23, ad 1, p. 34.

[7] II, num. 369, p. 449: « Quod dicitur intellectus possibilis tabula nuda et anima rationalis ratione illius, hoc intelligitur ratione illius cognitionis intelligibilium quam accipit inferior sensus: ex illa enim parte fit investigatio philosophica ».

[8] II, num. 112, ad *a*, p. 152.

[9] I, num. 1, *Solutio*, p. 2b.

[10] I, num. 176, ad 3, p. 261; num. 221, *Solutio*, p. 317b; num. 458, ad 2, p. 654.

[11] I, num. 2, ad 1-4, p. 5; num. 458, sub *Respondeo*, p. 653.

[12] I, num. 1, *Solutio*, p. 2b.

[13] I, num. 5, ad 2, p. 9.

[14] I, num. 5, p. 9; num. 23, ad 3, p. 35. Haec cohaerent cum psychologia Alex. Halensis de actu fidei, secundum quam in affectu est substantia fidei, in cognitione vero solum materia. Cf. II, num. 512, sub *Respondeo*, p. 752.

[15] Cf. B. Rosenmöller, *Religiöse Erkenntnis nach Bonaventura (Beitr. Baeumker*, XXV, fasc. 3-4, 1925, 108): « Freilich hebt schon Alexander die Bedeutung der praeambula fidei, der Gewissheit von der Existenz Gottes und der Tatsache seiner Offenbarung hervor. Sie disponieren zum Glauben; sofern sie den Glauben begründen sollten, kann von einem übernatürlichen Glauben nicht gesprochen werden ».

[16] I, num. 25, p. 41a; num. 17, ad 2-3, p. 28; num. 113, p. 178a.

[17] II, num. 213, ad 9-11, p. 265b.

[18] I, num. 11, sub *Respondeo*, p. 20.

[19] I, num. 14, sub *Respondeo*, p. 24; num. 169, ad *f*, p. 252.

[20] I, num. 295, ad 6, p. 418.

[21] I, num. 333, sub *Respondeo*, p. 493a. Cf. II, num. 175, *Solutio*, p. 227.

[22] I, num. 10, p. 18; II, num. 379, ad 5, p. 458 etc.

[23] II, num. 2, ad 2, p. 3.

[24] I, num. 8, ad 1, p. 16.

[25] I, num. 345, p. 513.

[26] I, num. 113, p. 178a. Cf. supra, nota 16.

[27] I, num. 9, ad 1, p. 17; num. 36, p. 58.

[28] I, num. 14, sub *Respondeo*, p. 24b. Cf. I, num. 459, sub *Respondeo*, p. 654.

[29] I, num. 10, p. 18; num. 296, II, *Solutio*, p. 419b.

[30] I, num. 10, sub *Respondeo*, p. 19; num. 21, ad 4, p. 32.

Ad hanc veritatem magni philosophi non pervenerunt « per naturalem rationem [1] », et, si aliqualem cognitionem per nomina propria personarum divinarum Patris et Verbi forsitan habuerunt, hoc fuit « per doctrinam vel inspirationem [2] ».

14. — Patet ergo quod Halensis ordinem rationis ac fidei perspicue distinguat [3]. Attamen disciplinam theologicam a philosophica non complete separat, sed eas coordinat, uti postea discipulus eius S. Bonaventura. Secundum enim Halensem theologia primatum tenet, quia « transcendit omnes scientias [4] », « nec connumerabitur inter alias ut alicui parti Philosophiae supponatur [5] ». Cum versetur circa causam causarum, est « gratia sui » ; ad illam proinde referuntur aliae cognitiones [6]. Utiliter etiam adhibetur philosophia ad dogmata confirmanda, propter intelligentiam fidei, promotionem simplicium ad maiorem fidem atque revocationem infidelium [7]. In hoc negotio gratia rationem illuminat, quia « fides est lumen animarum, quo quanto quis magis illustratur, tanto magis est perspicax ad inveniendas rationes quibus probentur credenda [8] ». Tandem fides et scientia de eodem obiecto haberi possunt, quia ex diverso obiecto formali procedunt: « Nam in cognitione quam habemus de credendis per naturalem rationem, acquiescimus ipsi veritati propter testimonium proprium quod in nobis habemus, scilicet ipsam rationem qua cogitur intellectus; in cognitione vero per fidem acquiescimus ipsi veritati non propter testimonium proprium, sed alienum, scilicet divinum seu primae veritatis [9] ».

Plura de hac materia tradit Halensis. His tamen compendiose dictis plane habetur quod, omni confusione exclusa, ordinem limitesque fidei ac rationis speculativae statuit et, earum mutuas relationes describendo, non aliter docet quam S. Bonaventura et Rogerius Baco.

§ 3. — DE METAPHYSICA ALEXANDRI HALENSIS.

De metaphysica generali tractatum quidem specialem non habet Alex. Halensis [10], sed, quia ipse cum aliis scholasticis intelligentiam fidei imprimis prosequitur per sermonem theologicum proprium ac certum [11] et diffuse de attributis divinis ac de creatione disserit, decursu tractatuum, philosophiae principia necessaria [12] tam frequenter exponit ut maxima ex parte metaphysicam generalem, apud Scholasticos communius usitatam, exhibeat.

15. — Secundum Halensem metaphysica sive Philosophia prima, ut ait Aristoteles, est sui gratia, videlicet primaria scientia ad quam scientiae particulares referuntur [13]. Obiectum eius primum sive materia ' de qua ' est causa causarum, scilicet « ens actu unum, quod est substantia prima, a qua omnia dependent [14] », dum materia eius ' circa quam ' est « ens secundum omnem sui differentiam, secundum differentes divisiones entis, scilicet ens potentia, ens actu, ens unum et multa, ens substantia et accidens et huiusmodi [15] ». Ex hoc eruitur quod, secundum Alexandrum, Metaphysica considerat ens reale, non vero intentiones logicas, quae solum rationem intelligentiae dicunt, et est scientia stricte dicta.

16. — Inter Metaphysicae problemata eminet praecipue quaestio de ente et eius proprietatibus transcendentalibus, videlicet unitate, veritate, bonitate ac pulcritudine. Hanc egregie et diffuse tractat Halensis [16]. Ens est « primum intelligibile [17] ». « Dicendum », ait ille, « quod, cum sit ens primum intelligibile, eius intentio apud intellectum est nota [18] ». Aliae notiones fundamentales, veri nempe ac boni, naturaliter impressae sunt intellectui, sicut et ipsa idea Dei, attamen « notio entis prima est, quia ens est primum intelligibile [19] ». Ens communissime sumptum determinatur per primas impressiones quae sunt apud intellectum et quae sunt unitas, veritas et bonitas [20]. « Primae entis determinationes », ait, « sunt unum et verum et bonum: determinant enim ens secundum quod consideratur esse rerum in proprio genere, et etiam secundum relationem esse earum ad divinam causam, et secundum relationem rerum ad animam, quae est imago divinae essentiae [21] ». Cum sint conceptus primi et notiores quam alii, per priora non possunt simpliciter declarari. « Si ergo notificatio fiat eorum, hoc non erit nisi per posteriora, ut per abnegationem vel effectum consequentem... Ad illud quod obicitur quod ' definitio debet esse per priora et notiora ': respondendum quod sunt priora et notiora simpliciter et sunt priora et notiora quoad nos; primae autem impressiones intellectus, cum non habeant prius et notius simpliciter, non possunt notificari per priora simpliciter, sed notificantur per priora et notiora quoad nos. Notius autem quoad nos est quod primo occurrit secundum sensum: sensui autem primo occurrit partitio et distinctio; multitudo autem sive divisio opposita est unitati, distinctio consequens effectus [22] ». Ceterum, ut rectissime declarat Alexander, lex intelligentiae est sic negative determinare quidquid est maxime intelligibile vel primum in quocumque genere entis. « Nota ergo primo: in quocumque genere per negationem determinari oportet ' quid ', non eo quod habeant imperfectionem vel

---

[1] I, num. 10, ad 2, p. 19. [2] Ibid.
[3] A. Stohr, op. cit., 17-18; videas iudicium P. de Régnon, op. cit., II, 343, supra cit., p. 2, nota 2.
[4] I, num. 1, sub *Respondeo*, p. 2b.
[5] I, num. 2, *Solutio*, p. 5. [6] I, num. 1, sub *Respondeo*, p. 2.
[7] I, num. 23, sub *Respondeo*, p. 34.
[8] I, num. 23, ad 2, p. 35b. Cf. Dionys. Cartus., *In libr. Sent.*, quaest. praeviae, q. 1 (*Opera omnia*, XIX, 65b).
[9] I, num. 23, ad 1, p. 34.
[10] Tale opus praestat fr. Thomas ab Eboraco, O. F. M., in egregio scripto quod vocatur *Sapientiale*. Cf. E. Longpré, *Fr. Thomas d'York*, loc. cit., pp. 875-930.
[11] I, num. 348, ad 2-5, p. 517; num. 357, ad 2, p. 534.
[12] I, num. 209, *Solutio*, p. 302b.
[13] I, num. 1, *Solutio*, p. 2.
[14] I, num. 3, ad 3, p. 7.
[15] Ibid.
[16] Marc. a Civetia, op. cit., 268-272.
[17] I, num. 72, sub *Respondeo*, p. 113; num. 73, sub *Respondeo*, p. 114.
[18] I, num. 72, sub *Respondeo*, p. 113.
[19] I, num. 345, *Solutio*, p. 513. Cf. I, num. 108, p. 169.
[20] I, num. 72, sub *Respondeo*, p. 113.
[21] I, num. 73, sub *Respondeo*, p. 114; cf. I, num. 481, p. 684.
[22] I, num. 72, sub *Respondeo* et ad 1, p. 113.

defectum, sed quia non habent alia priora ante se quibus notificentur, sive quia noster intellectus non est potens hoc intelligere vel manifestare prout sunt in sua natura. Unde dicit Philosophus quod sicut oculus noctuae ad lucem diei se habet, ita intellectus ad naturae manifestissima. Ideo, dicit Damascenus quod de Deo possibile est scire quid non est, quid est autem est impossibile. Secundum hoc dicit Boethius, in libro *De duabus naturis*, quod Deum cognoscimus privatione. Similiter Philòsophus definiens substantiam dixit ipsam esse ens non in alio, quoniam si diceretur quod est 'ens per se' et quaereretur 'quid ens per se?', oporteret hoc per negationem determinare. Ideo entia prima et perfectissima oportet negatione determinare, non quod illae negationes ostendant defectum in eis, sed quia nos non possumus intelligere quod subest negationibus, quod est ens perfectissimum [1]».

17. — Ens eiusque primae determinationes «non separantur ab essentia rei velut vestigia primae causae, quae est Trinitas unius essentiae» nec re absolute differunt [2]; quapropter ens et aliae proprietates transcendentales convertuntur; attamen, «quamvis secundum rem coincidant in idem verum, unum et bonum, tamen differunt intentiones eorum [3]» aliqua differentia rationis [4]. Intentio enim entis est absoluta [5] et importat illud quo aliquid constat sine intentione causali; hac ratione enti non opponuntur 'multa' [6]. Ad hanc primariam et absolutam intentionem aliquid addunt unitas, veritas et bonitas, et ens determinant et contrahunt sub triplici aspectu, videlicet in quantum consideratur in se vel relative ad causam primam et tandem respectu intellectus creati. Liceat hic longiorem textum Halensis reproducere, cum ontologiam generalem Doctoris maxima ex parte clare et pulcre exhibeat [7]: «Secundum quod ens aliquod consideratur absolutum, ut divisum ab aliis et in se indivisum, determinatur per 'unum'. Secundum vero quod consideratur aliquod ens comparatum ad aliud secundum distinctionem, determinatur per 'verum': 'verum' enim est quo res habet discerni [8]. Secundum vero quod consideratur comparatum ad aliud secundum convenientiam sive ordinem, determinatur per 'bonum': 'bonum' enim est ex quo res habet ordinari. — Item, secundum quod esse rerum comparatur in relatione ad causam divinam, simili modo triplicatur determinatio. Causa enim divina est causa in triplici genere causae: efficiens, formalis ut exemplar, finalis. Quae quidem causalitas, cum sit communis toti Trinitati, appropriatur ut causa efficiens Patri, exemplaris Filio, finalis Spiritui Sancto. Secundum hoc, esse in creatura, quod fluit a causa, triplicem sortitur impressionem, ut in conformatione ad causam. Impressio ergo dispositionis in esse creaturae, secundum quam fit in conformitate ad efficientem causam, est unitas: ut sicut efficiens causa est una, indivisa, multiplicata in qualibet creatura, sic fit, ut sibi possibile est, esse indivisum. Item, impressio dispositionis, secundum quam fit in conformitate ad causam formalem exemplarem, est veritas: ut sicut causa exemplaris est ars prima veritatis, sic creatura, secundum quod sibi possibile est, fit in imitatione artis: et hoc est habere veritatem. Praeterea, impressio secundum quam fit in conformitate ad causam finalem est bonum: ut sicut causa finalis est summa bonitas, sic cuilibet creaturae sit inclinatio et conformitas ad summam bonitatem: et haec est creaturae bonitas [9]. — Item, per comparationem ad animam triplicatur eadem determinatio. Nam esse rerum tripliciter comparatur ad animam: videlicet ut res ordinentur in memoria, percipiantur intelligentia, diligantur voluntate. Est igitur in ente quolibet a causa efficiente unitas, per quam ordinetur in memoria et servetur: memoria enim ea quae retinet secundum aliquam coordinationem relationis ad 'unum' et discretionem componit. Item, a causa exemplari est veritas in quolibet ente, per quam percipiatur ab intelligentia. Item, a causa finali est bonitas, per quam diligatur vel approbetur voluntate [10]».

His igitur tribus modis differunt intentiones unitatis, veritatis et bonitatis ab ente. Alia via adhuc distingui

---

[1] I, num. 481, *Solutio*, p. 684. Cf. I, num. 10, sub *Respondeo*, p. 19; num. 21 ad 4, p. 32.

[2] I, num. 88, sub *Respondeo*, p. 140b.

[3] Ibid., p. 140a.

[4] II, num. 75, p. 99. Haec distinctio non est pure logica, quia, secundum Halensem, «ratio medium est inter rem et intellectum; et ratio, quae vana non est, non causatur totaliter ab intellectu, sed a re» (I, num. 404, ad 2, p. 595). Distinctio intentionis non est mere logica, sed obiectiva. Etenim apud Halensem triplex habetur distinctio: secundum rem, secundum intellectum et secundum rationem vel intentionem (Cf. I, num. 392, ad 9, p. 578; num. 393, sub *Respondeo*, p. 579; num. 378, sub *Respondeo*, p. 557b; num. 386, ad 2, p. 568). Etsi differentia rationis aliquando dicatur illa quae est tantum positio nostri intellectus (I, num. 316, *Solutio*, p. 463), tamen communiter dicit distinctionem mediam et obiectivam, cum Halensis «sumat intentionem, rationem, notionem, obiective pro ipsa intelligibilitate» (M. Hauzeur, op. cit., I, col. 236 sq.). Ait enim Alexander: «Ratio medium est inter rem et intellectum; et ratio, quae vana non est, non causatur totaliter ab intellectu, sed a re. Cum ergo dicit Damascenus quod in creaturis differentia consideratur re, communitas ratione, non dicitur communitas considerari ratione eo quod non sit aliqua communitas secundum rem, sed quia communitas secundum rem est ibi diminuta, sed differentia perfecta» (I, num. 404, ad 2, p. 595. Cf. I, num. 316, ad 2, p. 464). Alibi notat Halensis quod ratio tripliciter sumitur et ad distinctionem attributionis alludit (I num. 386, ad 2, p. 568); quod apud S. Bonaventuram etiam habetur. Cf. Zach. Van de Woestyne, op. cit., II, 756, nota 4; S. Bonav., I *Sent.*, d. 26, a. 1, q. 1, (I, 453). His rationibus M. Hauzeur, distinctionem formalem D. Scoti sententiae Halensis comparando, recte scribit: «Illa differentia connotationis, notionis, impressionis intellectualis seu intelligentiae apud Halensem et rationis apud S. Bonaventuram non est quasi ab extrinsecis nec ab actu intellectus, sed ab ipso obiecto ut noscibili seu intelligibili et imprimente aliquem sui conceptum absolutum ab extrinseco, quamvis a nobis vix concipiatur sine aliqua connotatione aut comparatione ad extra» etc. Ibid., col. 236. Sententiam ergo Alexandri non recte tradit Dion. Cartus., I *Sent.*, d. 2, q. 2, *Opera omnia*, XIX, 155b, 172, asserendo quod ille nonnisi distinctionem logicam in divinis admittit, non secus ac Durandus.

[5] I, num. 105, ad 5, p. 166; num. 109, ad 1, p. 171. «Ens enim vel essentia non dicit comparationem ad causam, sicut bonum; immo, cum loquimur de re secundum suam essentiam, loquimur de ea absolute».

[6] I, num. 73, ad 1, p. 115; num. 78, ad 2, p. 126; num. 175, ad 4, p. 260.

[7] I, num. 73, sub *Respondeo*, p. 115b sq.

[8] Haec declarantur per ea quae addit infra Halensis, ad 1, p. 116: «Discernitur res a re in quantum est et in quantum cognoscibilis est. Primam discretionem efficit per se unitas, secundam vero veritas».

[9] Cf. I, num. 88, sub *Respondeo*, p. 140.

[10] Cf. I, num. 87, ad 1, p. 139.

possunt: formaliter enim entis proprietates dicunt quamdam indivisionem sub diverso respectu et entitati illam superaddunt. « Est enim indivisio principiorum ut constituunt rem in esse simpliciter: et ab illa est unitas in rebus; et est indivisio secundum quod constituunt illam in esse cognoscibili: et ab hac est veritas; et est indivisio principiorum secundum quod constituunt rem in ordine ad suum finem: et ab illa est bonitas [1] ». Saepe hunc modum distinguendi proprietates entis commemorat Alexander, praesertim dum agit de veritate [2] et de bonitate [3].

18. — Ens consequuntur transcendentales eius proprietates, sed cum ordine, videlicet secundum quod intentio una absolutior est quam alia [4]. Unde « intentio 'entis' naturaliter praecedit intentionem 'unius' et intentio 'unius' intentionem 'veri' et 'boni'; absolutior enim est intentio 'entis' intentione 'unius' ». Tam arcte unitas enti cohaeret, ut sine ista determinatione ens non intelligatur, etsi concipi possit non considerata intentione veritatis vel bonitatis [5], absolute loquendo quantum est ex parte rei. Quod praecipuum est, omnes entis determinationes sese circumincedunt, id est induunt rationem boni, in quantum affectu appetuntur, vel rationem veri, quatenus intellectu apprehenduntur, et rationem unius, prout ordinantur in memoria [6]. Cum ens sic determinent, non illud tamen limitant secundum eius extensionem. Etenim 'unum' « quantum ad ambitum suppositorum non coarctat, quia non existit aliquod ens quod non participet unitatem [7] ». E contra vero secundum rationem intelligibilem, entitatem repraesentant sub aspectu determinato et non aliter, quapropter illam coarctant. « Dicendum ergo quod addita determinatio unitatis ad ens coarctat ipsum quantum ad rationem intelligendi; cum enim dico 'unum', non intelligitur ens sub quacumque ratione, sed sub determinata tali, quae est ratio indivisionis [8] ». — Tandem ens eiusque transcendentales proprietates nonnisi analogice et proportionaliter de Deo et de creatura dicuntur [9]; non tamen illis applicantur aequivoce, ut numerus, mensura et pondus [10].

19. — Cum istis generalibus considerationibus multa tradit *Summa* de proprietatibus entis transcendentalibus in specie.

Primo quidem agit de unitate metaphysice et in Deo considerata [11]. Ut praenotavimus, 'unum' importat quid positivum [12], sed in notificatione 'unius' est una notio per negationem, alia vero per effectum consequentem: « per abnegationem oppositae intentionis quae est divisio vel multitudo, cum dicitur 'ens indivisum'; per effectum consequentem, qui est distinguere ab aliis: unitas enim distinguit 'unum' ab alio et ideo dicitur divisum ab aliis [13] ». Unitas est « prima entis determinatio [14] »; quapropter « faciendo comparationem ad idem, semper entitas praecedit unitatem; sed faciendo comparationem ad diversa, contingit quod unitas praecedit entitatem: ut unitas in principiis, ex quibus est res, praecedit entitatem compositi [15] ». Sicut ens, « omnis unitas naturalis, ratione qua est unitas, ab unitate prima est [16] » et cum illa similitudinem habet [17].

Unitas multas species sub se comprehendit [18], cum ratio eius in rebus diversimode inveniatur [19]; immo differentiae eius non eodem modo traduntur a Dionysio, S. Bernardo, Avicenna aliisque philosophis [20]. Ratio est quod « consideratio unitatis diversificatur tribus modis: uno modo, secundum quod consideratur unitas in rebus secundum fluxum rerum a causa Deo; alio modo, secundum reductionem unitatis in rebus ad unitatem in Deo; tertio modo, discernendo unitates rerum, secundum quod habent esse res in natura sive in esse proprio. Secundum primum modum assignat differentias B. Dionysius, secundum secundum modum B. Bernardus, secundum tertium philosophi [21] ». Prima via est unitas in causa, scilicet in Deo, et in

---

[1] I, num. 73, II, ad 2, p. 116.

[2] I, num. 88, sub *Respondeo*, p. 140: « Ens enim et entitas absolutam habent intelligentiam; 'unum' vero addit ad ens indivisionem: unde unitas est indivisio entis; 'verum' vero addit ad indivisionem entis indivisionem esse: unde veritas est indivisio esse et eius quod est; 'bonum' vero addit ad indivisionem entis et esse indivisionem secundum bene esse: unde bonum dicitur indivisio actus a potentia, et actus dicitur complementum sive perfectio possibilitatis, ad quam res nata est ». Has definitiones tradit etiam S. Bonaventura, IV *Sent.*, d. 14, p. 2, a. 1, q. 1 (IV, 332).

[3] I, num. 106, sub *Respondeo*, p. 167.

[4] I, num. 73, IV, p. 116.

[5] I, num. 73, ad 2, p. 115.

[6] I, num. 73, III, p. 116. Cf. I, num. 88, ad 3 et 4, p. 140.

[7] I, num. 73, ad 1, p. 115.

[8] Ibid.

[9] I, num. 366, ad *a-c*, p. 544; II, num. 18, ad 5, p. 29; num. 35, sub *Respondeo*, p. 45. Cf. I, num. 107, p. 168 sq.

[10] II, num. 30, ad 1, p. 42.

[11] I, num. 72-86, p. 112 sqq. Unitas, quatenus est formaliter principium numeri, non convertitur cum ente, sed est in praedicamento quantitatis et dicitur accidentalis (I, num. 314, *Solutio*, p. 460). « In divinis personis non est numerus simpliciter » (I, num. 313, *Solutio*, p. 459; num. 315, *Solutio*, p. 462); unitas tamen Patri appropriatur (I, num. 449, sub *Respondeo*, p. 643).

[12] I, num. 434, *Solutio*, p. 627b: « Unitas dicitur secundum proportionem in divinis unitati quae est in creaturis; sed unitas, quae est in creaturis, dicitur secundum positionem et non solum secundum exclusionem; quare similiter erit in divinis, cum verius sit unitas in divinis quam in creaturis ». Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 36, a. 1, q. 2, Scholion (I, 422); M. Hauzeur, op. cit., quaest. XI, I, 347: « Discretio rei a re in 'esse', in 'cognosci', adde et in 'ordinari', non est contra indivisionem eiusdem in seipso in 'esse, cognosci et ordinari', sed illa sequitur ex hac, id est, ex hac indivisione rei in se sequitur divisio cuiusvis rei ab alia. Haec autem indivisio non est negatio, sed id quo ens, unum, verum, bonum est sic vel sic indivisibile sicut et aliae proprietates entis; ad rationem enim entis addit indivisionem in se et ab alio discretionem ». Cf. I, num. 72, II, p. 113; num. 73, ad 1 et 2, p. 115; num. 449, ad 1, p. 644.

[13] I, num. 72, sub *Respondeo*, p. 113b.

[14] Ibid., ad 1, p. 113.

[15] I, num. 73, IV, ad 1-3, p. 116.

[16] I, num. 86, *Solutio*, p. 137.

[17] Ibid., ad 2, p. 137; num. 89, ad 7, p. 144. Doctrinam Alex. Halensis de unitate optime interpretatur M. Hauzeur, op. cit., q. IX, I, 213 sq.

[18] I, num. 74, p. 116 sqq.; II, num. 347, p. 421.

[19] Cf. I, num. 314, *Solutio*, p. 460: « Est ergo in quibusdam invenire unitatem secundum hanc totam rationem unitatis, ut scilicet ibi inveniatur utrumque, scilicet quod sit indivisum in se et ab aliis divisum; item in quibusdam est unitas secundum partem istius rationis, scilicet quod est ens indivisum in se solum, sed non ab aliis divisum. Unitates, in quibus utrumque invenitur, sunt unitates substantiarum, ut Sortes, Plato; unitates autem, in quibus alterum solum, sunt unitates plurium accidentium in subiecto uno ».

[20] I, num. 74, I-VI, p. 116 sqq.

[21] Ibid., sub *Respondeo*, p. 118 sq.

creatura; in creato haec est vel « secundum unitatem causae, et secundum hoc creaturae, quae habent diversos progressus essendi, dicuntur ' unum principio ' et ab hac unitate dicitur universitas una [2] », vel secundum unitatem formae, et sic habentur unitas generica et specifica et numeralis vel singularis [1]. Si vero unitatum coordinatio sumitur secundum approximationem ad unitatem primam, ut vult S. Bernardus, oportet distinguere successive unitatem in corpore, in homine et in Deo [3]. Ad primum gradum pertinent unitas multitudinis collectiva et unitas individui constitutiva, quae proprie unitas est. Sub gradu secundo comprehenduntur unitas iuridica, moralis respectu Dei et proximi, et naturalis sive nativa, « qua scilicet caro et anima nascitur unus homo [4] »: ad hanc speciem alludit semper Halensis in tractatu de unione substantiali animae et corporis [5]. In supremo gradu fulget unitas in Deo, quae est hypostatica vel personalis in Christo, vel substantialis, quatenus tres personae divinae sunt « ab aeterno in una natura et substantia [6] ». Si tandem unitatum differentia assignetur secundum philosophos, prima divisio est in unitatem per se et in unitatem per accidens et ad istas aliae omnes species reducuntur: quod acute evolvit Halensis [7].

Prae ceteris unitas divina est summa [8], « distincta ab hac unitate et ab illa et huiusmodi [9] », quamvis « ipsa prima unitas est in hac unitate et in illa et in alia, secundum quod nos ponimus quod prima essentia est essentialiter in unoquoque, non tamen essentialiter ita quod per praedicationem, sed causaliter [10] ». Quatenus essentia divina est simplex, melius repraesentatur unitate componentium, quia simpliciora sunt, quam ipsius compositi; in quantum vero est perfecta, potius repraesentatur per unitatem compositi, quia unitas compositi est perfecta [11]. Si vero considerentur unitas universalis et unitas particularis relate ad unitatem Dei, haec dici possunt: in quantum unitas Dei virtualis est, videlicet omnem unitatem causat, vel quatenus est simplex, magis ei assimilatur unitas universalis; secus vero unitas singularis plus ei assimilatur secundum quod essentia et unitas divina est in se fixa et omnino distincta ab aliis [12]. Unde « in Deo non est ponere esse universale nec esse singulare vel particulare, habet tamen esse divinum de utroque quod est perfectionis et deest ei ex utroque quod est imperfectionis [13] ».

20. — In omni re est v e r i t a s, ideoque « veritas communiter dicta est in omnibus contingentibus et necessariis [14] », in causa prima et in causatis. In sua generalissima acceptione, dici potest rectitudo « sola mente perceptibilis [15] », ut illam definit S. Anselmus. Si agatur praecise de veritate prima, veritas personaliter dicta est Verbum, quod est expressa et summa similitudo Patris, ut optime declarat Halensis post S. Augustinum [16]. Essentialiter vero accepta est ipsa divina essentia, in quantum est lux intelligibilis manifestans se et omnia alia [17]. Sicut nec Deus, ita nec veritas potest cogitari non esse [18]; absolute immutabilis [19] est necnon ab aeterno [20]; tandem « sicut a prima essentia est omne quod est in quantum est, et a prima bonitate omne quod bonum est in quantum bonum est, ita a summa veritate est omne verum in quantum verum est [21] ». — Veritas [22] creata etiam dupliciter considerari potest: est enim « veritas rei » seu ontologica et veritas cognitionis et comprehensionis sive logica [23]. Veritas cognitionis est in adaequatione rei ad intellectum [24] et iudicium supponit, ut Halensis observat [25]; unde « ablato cognitore, non est haec veritas secundum actum, quamvis sit secundum habitum, in hoc scilicet quod res nata est cognosci vel videri ut est [26] ». Veritas rei est entis determinatio [27]; infert dispositionem qua « res nata est cognosci vel videri ut est [28] » et intelligibiliter distingui ab alia [29]. Ita enti haeret ut « impossibile est veritatem non intelligi intellecta rei essentia [30] »; unde variatur « secundum multiplicationem essentiae verorum [31] ». Causati veritas non est aeterna, cum Deus causalitate et duratione prior sit ipsis rebus veris [32]; tamen « dicitur esse in veritate aeterna, sicut aliquid dicitur esse in exemplari vel arte secundum quam est [33] ». Hoc valet etiam de veritate enuntiabilium, si referatur ad subiecta de quibus

---

[1] Ibid., p. 119a. Etiam ex unitate finis ultimi unitas universi sumitur (II, num. 15, ad 2, p. 24).

[2] Ibid., p. 119. Cf. I, num. 76, ad 2, p. 123.

[3] Ibid., II, p. 119.

[4] Ibid., p. 119a.

[5] I, num. 449, ad 1, p. 644; II, num. 347, ad 1, p. 422.

[6] I, num, 74, II, 119b.

[7] Ibid., III, p. 119b.

[8] I, num. 83, p. 134.

[9] I, num. 85, *Solutio*, p. 136.

[10] Ibid.

[11] I, num. 84, *Solutio*, p. 135: ratio huius est quia « unitas formae non est perfecta sine unitate materiae nec e converso ».

[12] I, num. 85, *Solutio*, p. 136.

[13] I, num. 337, sub *Respondeo*, p. 499. Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 19, p. 2, a. 1, q. 2, Scholion (I, 359). De unitate et multitudine tractat *Summa*, I, num. 75, p. 120; num. 76, ad 3 et 5, p. 123; num. 78, ad 2, p. 126.

[14] I, num. 90, sub *Respondeo*, p. 146.

[15] I, num. 89, sub *Respondeo*, et ad 11, p. 143a, 145.

[16] I, num. 89, ad 7-8 et ad 11, p. 144sq.; num. 99, sub *Respondeo*, p. 157; num. 415, sub *Respondeo*, p. 606.

[17] I, num. 89, ad 6, p. 144; num. 91, sub *Respondeo*, p. 147; num. 90, ad 2, p. 146.

[18] I, num. 87, ad 1, p. 139.

[19] I, num. 94, *Solutio*, p. 151.

[20] I, num. 92, p. 148.

[21] I, num. 95, sub *Respondeo*, p. 152.

[22] Veritas definitur respectu subiecti ' indivisio actus et potentiae ', (I, num. 89, V, p. 142); ratione sui principii, quod est exemplar divinum, ' similitudo principii ' (Ibid., VII, p. 142); respectu effectus consequentis, scilicet in quantum est ratio cognoscendi rem, ' illud quod est declarativum esse '. Ibid.; cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 1, q. 1, Scholion, (I, 152).

[23] I, num. 79, sub *Respondeo*, p. 143a; num. 95, ad 1, p. 153.

[24] I, num. 89, ad 4, p. 143.

[25] I, num. 98, ad 2, p. 156.

[26] I, num. 89, ad 1, p. 143.

[27] I, num. 91, sub *Respondeo*, p. 147: « Veritas rei dicitur... ' indivisio esse et quod est ', prout dicitur ab Augustino: ' Veritas est id quod est ' ; et haec veritas fundatur super debita principia essentiae rerum et debitam eorum unionem in creaturis, et haec veritas multiplicatur secundum multiplicationem essentiae verorum ». Cf. II, num. 11, ad 1, p. 20.

[28] I, num. 89, ad 1, p. 143; num. 87, ad 1, p. 139.

[29] I, num. 73, ad 1, p. 115. Cf. I, num. 89, sub *Respondeo*, et ad 5, p. 143sq.

[30] I, num. 87, ad 1, p. 139b.

[31] I, num. 91, sub *Respondeo*, p. 147.

[32] I, num. 92, *Solutio*, p. 148.

[33] II, num. 449, ad 4, p. 562.

dicuntur, cum non sint aeterna, sed temporalia; si vero retorqueatur « dictarum propositionum veritas ad primam veritatem: et sic est quaelibet illarum aeterna nec est aliud quam ipse Deus [1] ». Tandem veritas causati est in se mutabilis, non tamen quoad omnia, ut optime exponit Halensis [2].

21. — Veritati opponitur falsitas. In ordine ontologico error vel falsitas non habetur, cum res omnis vera sit [3], secundum quod « fit in conformitate ad causam formalem exemplarem [4] » quae est Deus, et nata est intelligi. Tamen falsum incidit rebus ex defectu esse vel similitudinis cum prima causa [5], sicut malum ex defectu boni [6], et in aliquo vero substantificatur [7]. Logice vero consideratus error non habetur in sensu, cum suo sensibili perfecte aptatur [8]. Idem dicendum est de intellectu, quando operatur circa illud quod est natus cognoscere atque iudicare [9]. Error vero accidit saepe in sensu interiori [10], et praesertim in intellectu, cum iudicat secundum apparentias [11]. Solum in intellectum divinum error non cadit, cum Deus sit ipsa veritas summa [12]; immo veritati aeternae falsum semper opponitur [13], si non in se, saltem in eius effectu, videlicet in creatura, in quantum veritatem primam participat et in eius similitudine creata est. Ratio huius est quia omne falsum a summo vero semper deficit.

22. — Determinatio ultima entis est bonitas [14]: unumquodque enim, in quantum est, bonum est [15], vel « secundum rem multiplicatur bonum sicut ens [16] ». Si de bonitate creata specialiter agatur, dici potest quod bonum naturae « inseparabile est ab esse », dum e contra bonum ordinis, quod est bonum secundum bene esse, separatur [17]; « ratione tamen differt, quia ens dicit primum intelligibile absolutum et sine consideratione actus, id est complementi, vel utilitatis vel ordinis; bonum vero dicit ens cum actu, id est cum complemento, sive utilitate et ordine: et ideo addit enti rationem appetibilis sive desiderabilis, nec est desiderabile nisi in quantum complementum, sive utile sive delectabile [18] ». Ratione sua dicit relationem ad causam primam, dum e contra ens nullum respectum connotat [19]: quapropter bonum non-summum dat intelligi bonum summum. Sicut res ipsa, bonum quod fluit a Deo [20], diversificatur multipliciter in quantum consideratur respective, scilicet secundum usum et utilitatem, vel absolute. Prima via habetur bonum honestum, delectabile et utile [21], et illa bona maxima et minima quibus contingit male vel bene uti, secundum Augustinum. Alio respectu omnia entia distribuuntur secundum quod magis vel minus divisionem actus a potentia excludunt et ideo in linea entis habetur primo Summum Bonum « in quo est idem actus, id est perfectio et complementum, et potentia [22] », et sub ipso bonum naturae sive entium omnium, bonum moris sive actionis et bonum gratiae. Hae bonitatis differentiae etiam accipi possunt secundum intentionem finis [23].

23. — Bonitati opponitur malum quod deficientiam importat [24] et dissimilitudinem a primo bono [25]. Hac ratione subsistentiam in se non habet, sed in bono cui contrariatur [26]. Ipsi bono increato opponitur malum, non tamen in se, sed in eius effectu [27]. Bonitati vero creaturae contrariatur per se et primo malum poenae - et mediate malum culpae - non tamen illam totaliter destruit [28]: nec corruptio eius infinita dici posset, cum bonum creatum, cui contrariatur, est finitum et remanet semper in ente aliquid bonitatis [29]. Bono gratiae proprie adversatur peccatum, quia formaliter privatio gratiae est et dispositionem adversam in agente relinquit, ratione cuius influxui supernaturali minus obedibile redditur [30]. In hoc sensu dicitur corrumpere habilitates voluntatis, in quantum electiva potentia ordinatur ad habitus gratuitos [31].

24. — Praeter ea quae habet de proprietatibus entium transcendentalibus, Halensis passim de categoriis entis plura tradit, praesertim quando exponit modum quo praedicamenta dici possunt de Deo [32], et, praeter relationem, ad substantiam reducuntur [33]. Hic Boethium prae aliis sequitur. Ut pluries asserit, « prima divisio entis est: omne quod est aut est ab alio aut non ab alio, et haec est prima ratio distinguendi essentiam ab essentia [34] ». De

---

[1] I, num. 93, I, ad 1, p. 150a.

[2] I, num. 94, *Solutio*, p. 151.

[3] I, num. 100, sub *Respondeo*, p. 158.

[4] I, num. 73, sub *Respondeo*, p. 115a.

[5] I, num. 89, ad 7, p. 144b: « Falsitas enim est in creatura ex hoc quod imitatur unitatem principii et illud implere non potest ». Cf. I, num. 99, p. 156sqq.

[6] I, num. 96, ad 1 et 3, p. 154; num. 99, sub *Respondeo*, p. 157; num. 101, ad 2, p. 159; II, num. 448, ad 5, p. 560.

[7] I, num. 95, ad 2, p. 153; num. 100, sub *Respondeo*, p. 158.

[8] I, num. 97, sub *Respondeo*, p. 155: « Est sensus exterior sive particularis, in quo non accidit falsitas ». Cf. I, num. 90, ad 3, p. 146.

[9] I, num. 98, ad 2, p. 156.

[10] I, num. 97, sub *Respondeo*, p. 155.

[11] I, num. 98, ad 2, p. 156.

[12] I, num. 99, sub *Respondeo*, p. 157.

[13] I, num. 101, p. 158sq.

[14] I, num. 102, p. 160sqq.

[15] I, num. 116, p. 182sq.

[16] I, num. 102, sub *Respondeo*, p. 161.

[17] Ibid. Cf. I, num. 104, ad 2, p. 164.

[18] Ibid. Cf. M. Hauzeur, op. cit., q. XI, I, 347. Hac ratione bonum est id quod ab omnibus appetitur (I, num. 104, ad 2, p. 164), et quo etiam esse sive existentia desideratur (I, num. 102, sub *Respondeo*, et ad 2, p. 161; II, num. 20, ad 5, p. 32). Eodem modo patet quod proprie et principaliter, etsi non exclusive, secundum intentionem causae finalis dicitur (I, num. 104, p. 163sq.; num. 115, ad 1, p. 181).

[19] I, num. 105, ad 5, p. 166; num. 109, ad 1, p. 171.

[20] I, num. 110, p. 171.

[21] I, num. 106, sub *Respondeo*, p. 167bsq.

[22] Ibid., p. 167b. Cf. I, num. 117, ad 1, p. 184.

[23] Ibid., ad *c*, p. 168.

[24] I, num. 116, ad 3, p. 183. Cf. II, num. 3, ad 3, p. 6.

[25] I, num. 117, ad 3, p. 185.

[26] I, num. 125, p. 194.

[27] I, num. 123, *Solutio*, p. 193: « Si loquamur de summo bono in se: sic nullum est ei malum contrarium. Si autem velimus dicere contrarium in eius effectu, sic aliquid est contrarium Deo; aliquid enim est impeditivum vel destructivum facti et conservati ab ipso ».

[28] I, num. 124, p. 194.

[29] I, num. 126, ad 1, p. 196.

[30] I, num. 124, *Solutio*, p. 194.

[31] I, num. 127, *Solutio*, p. 198.

[32] I, num. 337-344, p. 498sqq.

[33] II, num. 2, ad *c*, p. 4.

[34] I, num. 467, sub *Respondeo*, p. 668b; num. 77, ad 1, p. 125.

ente causato proprie dicuntur praedicamenta, de Deo autem non sic, sed latiori sensu [1]. Categoriae entis in decem genera distributae [2] ad accidens vel ad substantiam pertinent: etenim in rebus creatis ac mutabilibus « omne quod est aut est substantia aut accidens [3] », quia « ens creatum subdividitur in ens in alio et ens non in alio [4] ».

25. — Substantia [5] in intentione sua generalissima dicit « ens non in alio ». Uno modo accepta est « ens per se, non indigens alio ut sit [6] ». Quatenus sic definitur, de essentia Dei dicitur [7], sed secundum analogiam attributionis [8]. Alio modo sumpta dicitur « a proprietate substandi formae vel accidenti [9] »: unde habet rationem et subiecti et compositionis respectu principiorum quae essentiam determinant [10]. Secundum hanc definitionem substantia de creaturis praedicatur, non autem de Deo, « quia nec est in eo accidens cui subsistat, vel forma quae differat a substantia [11] ». Iuxta haec notandum est quod « nomine extenso dicuntur substantiae, immo potius substantialia, quae aliquo modo reducuntur ad illa quae per se ordinantur in genere illo [12] ». In quaestione de distinctione potentiarum animae, haec definitio momento non caret apud Alex. Halensem ac S. Bonaventuram [13].

26. — Substantia creata constituitur intrinsecis principiis, quae sunt materia et forma [14]. Etiam in substantia spirituali [15], videlicet anima [16] et angelo [17], invenitur ille sic dictus « binarius materiae et formae [18] ». Haec elementa ex se sunt componibilia [19], quia materia ordinatur secundum reflexionem ad formam [20] et viceversa et quia tum materia tum forma sese invicem appetunt [21]. Ita substantialiter haerent ut, excepta anima spirituali, omnis « forma praeter hoc quod est materiae forma, non habet aliquam actualitatem [22] »; aliis verbis in materia subsistit [23]. In composito elementum praecipuum est forma, quia illa « aut consideratur in esse absoluto: et sic dicitur mensura dans esse rei et limitans ipsam; aut consideratur in comparatione et hoc dupliciter: per differentiam, et sic dicitur numerus dans esse distinctum ipsi rei; vel secundum convenientiam, et sic dicitur pondus sive ordo [24] ». Forma ergo, ut principium intus perfectivum, dat esse formaliter [25] necnon materiam nobilitat « per eius informationem et completionem [26] »; in ordine vero ad cognitionem est illud quod rem notam vel cognoscibilem reddit [27].

27. — Materia generaliter considerata est principium determinabile, « quia caret perfectione [28] ». Ut notio eius pressius declaretur, observari debet quod alia est materia corporea, alia spiritualis [29].

Materiae enim corporalis terminus est magnitudo [30] et in infinitum est divisibilis [31]. Ad formam ordinatur et in hoc stat eius nobilitas [32]. Per se, non per aliud est formarum receptibilis; haec tamen potentia receptiva, quae duo importat, videlicet « capabilitatem et indigentiam [33] », non absolute identificatur cum ipsius essentia, sed « in esse materiae coaccipitur intentio potentiae [34] ». Communis et una est in omnibus corporibus supercaelestibus et terrestribus, excepto probabiliter caelo empyreo [35]; non tamen eadem est secundum quod materia dicitur subiectum transmutationis formarum [36], quia in caelestibus corporibus materia motui subiecta est, non vero contrarietati sive successioni formarum [37].

Materia vero spiritualis omnino alia est et non continetur sub eodem genere cum materia corporali:

---

[1] I, num. 338, sub *Respondeo*, p. 502: « Praedicamentum dicitur dupliciter: communiter et proprie... Communiter vero dicitur praedicamentum quidquid potest dici per modum praedicamenti; sic potest dici praedicamentum in divinis ».

[2] I, num. 340, ad 3, p. 504.

[3] I, num. 340, ad 2, p. 504; num. 377, ad 3, p. 556; num. 480, ad 1, p. 682.

[4] I, num. 340, ad 2, p. 504.

[5] Optime conceptum naturae declarat *Summa*, I, num. 321, ad 1, p. 473b: « Essentia dicit absolute, natura vero dicit essentiam cum additione, quia dicit essentiam cum virtute productionis similis; unde in intellectu naturae habetur ratio ordinis, quoniam ubi intelligitur haec virtus, intelligitur ratio ordinis et principii ». Cf. I, num. 494, sub *Respondeo*, p. 696.

[6] I, num. 339, sub *Respondeo*, p. 503; num. 340, ad 3, p. 504; num. 341, ad 3, p. 506; num. 395, sub *Respondeo*, p. 583; num. 396, ad 4, p. 586; num. 397, sub *Respondeo*, p. 587.

[7] I, num. 339, *ad obiecta*, p. 503.

[8] II, num. 2, ad *c*, p. 4; I, num. 341, ad 3, p. 506.

[9] I, num. 339, sub *Respondeo*, p. 503.

[10] I, num. 340, ad 3, p. 504; num. 341, ad 3, p. 506.

[11] I, num. 339, sub *Respondeo*, p. 503. Cf. I, num. 395, sub *Respondeo*, et ad *a*, p. 583.

[12] II, num. 475, sub *Respondeo*, p. 647.

[13] Gilson, op. cit., 330sq.

[14] I, num. 341, *Solutio*, p. 505; num. 342, ad 1, p. 507; II, num. 106, p. 134sq.; num. 482, sub *Respondeo*, p. 666.

[15] II, num. 56, *Solutio*, p. 70.

[16] II, num. 328, p. 398sq.

[17] II, num. 106, p. 134sqq.

[18] II, num. 328, litt. *b*, p. 398.

[19] I, num. 33, sub *Respondeo*, p. 53.

[20] I, num. 122, II, p. 192.

[21] II, num. 482, sub *Respondeo*, p. 666b: « In omni motu, sive ad formam sive ad situm, primum principium motus intrinsecum est appetitus... Nec solum sic est in creaturis, sed etiam in creaturarum essentialibus principiis, quae sunt materia et forma, actus et potentia: neque enim materia se ipsa movetur ad formam, quia, cum nullam determinet, non magis moveretur ad hanc quam ad illam; neque forma se ipsam facit in materia, sed per appetitum insitum utrique ad invicem ordinantur et per appetitum huiusmodi inseparabiliter coniunguntur ».

[22] II, num. 328, ad 5, p. 399.

[23] Ibid., sub 6, p. 399a.

[24] I, num. 194, ad 1, p. 280.

[25] II, num. 480, ad *c* et *d*, p. 660. Cf. I, num. 46, I, ad 1, p. 73a.

[26] II, num. 453, ad 2, p. 580.

[27] II, num. 453, *Solutio*, p. 579. Quoad intentionem seu latitudinem formarum favet Halensis sententiae Doctorum franciscalium, secundum quam augmentatio fit per novorum graduum additionem. Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 17, p. 2, a. 1. q. 2, Scholion (I, 313); P. Duhem, *Etudes sur Léonard de Vinci*, III, Paris 1913, 329-346.

[28] I, num. 34, ad 1, p. 56.

[29] II, num. 249, ad 1, p. 310a: « Distinguunt quod quaedam est materia subiecta motui et contrarietati: et haec est in elementis; et est quaedam subiecta motui, non contrarietati: et haec est in supercaelestibus corporibus; est tertia, quae nec est subiecta motui nec contrarietati, sed tantum formae: et haec est in creaturis nobilioribus, ut spiritibus ».

[30] II, num. 328, *Solutio*, p. 399.

[31] Ibid., ad 1, p. 399.

[32] I, num. 34, ad 4, p. 57; II, num. 434, ad 3, p. 526.

[33] I, num. 157, *Solutio*, p. 239. Cf. II, num. 249, ad 5, p. 311.

[34] I, num. 341, *Solutio*, p. 505. Cf. II, num. 349, ad 3, p. 425.

[35] II, num. 249, ad 1, p. 310b et alia *Responsio*, p. 312b.

[36] Ibid., ad 1 et 2, p. 310b; et ad 8, p. 311; ad *a*, p. 312b. Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 12, a. 2, q. 1, Scholion (II, 304).

[37] Ibid., ad 1 et 8, p. 310sq.

quod firmiter docet Halensis [1]. Etenim haec materia motui et mutationi substantiali non subicitur et nihil aliud dicit quam potentialitatem sive passivum principium. Anima enim « habet quod patitur, sicut cum punitur, et quod agit, sicut cum convertit se super cognoscibilia; ergo, cum actio et passio dicant multiplicitatem oppositorum accidentium, necesse est oppositionem principiorum praecedere [2] ». Quoad haec omnia plane concordat Halensis cum Doctore Seraphico [3].

28. — Halensis, sicut et S. Bonaventura, praeter compositionem realem materiae et formae, in omnibus substantiis ac ipsius entis principiis aliam compositionem ex 'quo est' et 'quod est' introducit [4]. Utique in Deo, talis compositio non datur propter summam simplicitatem divini esse [5]. E contra in ente causato haec duo principia ad esse primo eiusque compositionem necessario pertinent [6]; non habent proprie esse, « sed sunt entis [7] ». 'Quod est' dicit ens concrete; 'quo est' vero abstracte, ut « forma universalis 'homo' vel 'humanitas', quae advenit constituto ex anima rationali et corpore [8] ». Haec compositio communior et prior est naturaliter quam illa quae est ex materia et forma [9], quia ad haec etiam se extendit et maioris unitionis est [10]. In compositionibus enim, « quae vere dicuntur compositiones, est ordo secundum prius et posterius simpliciter. Unde ante compositum ex partibus numeralibus est compositum ex partibus integralibus; ante vero compositum ex partibus integralibus est compositum ex partibus unius formae, id est homogeneorum; ante vero compositum illud est compositum ex materia et forma; ante vero illud est compositum ex partibus secundum definitionem; ante vero illud est compositum ex 'quo est' et 'quod est'; sed ista duo ultima genera compositionum inveniuntur in formis secundum se ipsas acceptis, ubi non invenitur compositio materiae et formae [11] ». Cum res ita se habeat, inter 'quo est' et 'quod est' distinctio realis non datur nec secundum Halensem nec secundum S. Bonaventuram [12]; immo quoad hoc a Guillelmo Parisiensi discrepat Halensis, ut recte opinatur A. Masnovo [13]. Expresse enim scribit, enumeratis iam realibus compositionibus: « Praeter has sunt duae compositiones secundum rationem, ubi scilicet duo conveniunt ad constructionem unius formae, sicut sunt partes definitivae, aut unum est forma alterius, sicut 'quo est' forma est eius 'quod est' [14] ». Ratio metaphysica talis compositionis in eo est quod omne ens creatum nec est nec intelligi potest nisi dependenter a Causa prima [15]. Hac ratione, licet forma creata, secundum se ipsam accepta, « nec indigens materia partes non habeat nec pars alterius sit, nihilominus tamen compositum dicitur propter sui dependentiam in esse et intellectu [16] ».

29. — Si nunc quaestio instituatur de fieri substantiarum mutationumque substantialium, processus iste sic explicatur secundum Halensem. De ratione sua materia est plurium formarum susceptiva [17] et actum appetit, qui complete potentialitatem eius satiat [18]. Haec tamen potentia, etiam suppositis concursu generali Dei et actione extrinseci agentis [19], non sufficit nisi adesset in materia principium concreatum sive ratio seminalis ex qua agens naturale formam educit [20]. Ratio seminalis distinguitur a ratione causali increata, quae est Deus, vel creata quae proprie est potentia passiva materiae sine ulla dispositione [21]. Ad potentiam superaddit dispositionem, etsi remotam, ratio seminalis, dum ratio naturalis dicit eamdem potentiam, sed cum dispositione proxima [22]. Compendiose definitur in *Summa* [23] « quaedam natura simplex et incorporea, alia a natura elementari, quae cooperans virtuti operativae in plantis et animalibus, concurrente virtute corporum caelestium, modo convenienti prodeunt in esse animae vegetabilium et animalium », aliaeque formae. Hae « rationes seminales vel naturales creatae sunt, sed secundum illas postea fit naturalium conditio [24] ». « Offerente se temporis opportunitate, in rerum consimilium species naturaliter prorumpunt [25] ». His dictis patet quod sententiam S. Augustini clare proponat Alexander [26].

---

[1] Ibid., ad 1, p. 310: « Licet sit unum genus omnium in Rationali Philosophia, non tamen eadem est materia: non enim semper respondet materiae genus, licet dicamus genus esse ad modum materiae, differentias ad modum formae; oporteret enim secundum hoc dicere quod eadem essentia esset materia spirituum et corporum: quod non admittimus ». Cf. II, num. 106, ad *c*, p. 136.

[2] II, num. 328, litt. *f* et ad 4 et 5, p. 398 sq.

[3] Cf. S. Bonav, II *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1, Scholion (II, 93b).

[4] II, num. 56, p. 70 sq. Cf. Zach. Van de Woestyne, op. cit., I, 413; P. Duhem, *Le système du monde*, V, Paris 1917, 328 sq.

[5] I, num. 338, ad 1, p. 502; num. 345, *Solutio*, p. 513; II, num. 61, ad 1, p. 76. Nec huic obstat quod Alex. Halensis aliquando distinguit inter Deum, deitatem, hypostases et personas per 'quod est', 'quo est', 'quae' vel 'qui' et 'quis' (I, num. 396, *Solutio*, et ad 1, p. 585). Etenim, ut bene observat Hauzeur, op. cit., q. 4, I, 252: « Negat 'quod', 'quo' etc. differre in Deo, ne quidem ut in creaturis saltem metaphysice compositis ex suo 'quod' ut subiecto potentiali et suo 'quo' ut formali et participato. Distinguit tamen in Deo ratione seu modo nostro concipiendi 'quod' ut totum constitutum actuale a suo 'quo' ut totali constitutivo formali. Concipimus enim idem perfectum ut 'quod' ad exprimendam eius subsistentiam, ut 'quo' ad exprimendam maiorem eius actualitatem, formalitatem, totalitatem et simplicitatem ».

[6] II, num. 59, p. 74 sq. Cf. I, num. 59, sub *Respondeo*, p. 87.

[7] I, num. 33, ad 3, p. 53.

[8] I, num. 33, sub *Respondeo*, p. 53; num. 402, *Solutio*, p. 591b; II, num. 61, ad 1, p. 76: « Licet 'quo est', secundum quemdam modum dictum, praedicetur de eo 'quod est', et ita sit idem illi 'quod est', tamen si secundum se ipsum accipiatur, non est idem cum eo 'quo est', ut homo non est sua humanitas. In divinis autem quocumque modo accipiatur, hoc est illud, ut Deus est deitas et Pater est paternitas et ita de aliis ». Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 23, a. 1, q. 3, (I, 409a).

[9] II, num. 60, p. 75. [10] Ibid., ad 1, p. 75.

[11] II, num. 58, *Solutio*, p. 73a.

[12] Cf. G. Palhoriès, *Saint Bonaventure* [2], Paris 1913, 110.

[13] *Guglielmo d'Auvergne*, in *Rivista di filosofia neo-scolastica*. Milano 1927, XIX, 137-139.

[14] II, num. 58, ad 1, p. 73: « Sunt enim quaedam compositiones secundum rationem, quaedam vero in esse simpliciter ».

[15] II, num. 56, II, ad 1, p. 70 et I, ad 1 et 2, p. 71. Cf. I, num. 347, ad 3, p. 515. [16] II, num. 59, ad 2, p. 75.

[17] I, num. 157, *Solutio*, p. 239.

[18] Cf. II, num. 428, sub *Respondeo*, p. 666.

[19] II, num. 430, ad 4, p. 513. [20] Cf. II, num. 481, *Solutio*, p. 661 sqq.

[21] I, num. 153, sub *Respondeo*, p. 235.

[22] Ibid. Aliae explicationes dantur, II, num. 235-237, p. 290 sq.

[23] II, num. 481, ad 5, p. 664. Cf. ibid., *Solutio*, p. 662b sq.

[24] II, num. 45, *Solutio*, p. 54; num. 96, *Solutio*, p. 119.

[25] I, num. 154, *Solutio*, p. 235. Cf. II, num. 244, *Solutio*, p. 299; num. 459, *Solutio*, p. 596. Deus « eductionem quorumdam sibi reservavit, de quorum numero erat corpus primi hominis » (II, num. 430, ad 1, p. 512).

[26] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 18, a. 1, q. 3, Scholion (II, 443); Gilson, op. cit., p. 281 sqq.

30. — Omnis substantia virtute suae unitatis proprie est individua: unde exurgit problema de ratione singularitatis sive individuationis cuiuslibet entis. Secundum Halensem ex materia et forma in concreto acceptis oritur individuatio corporum [1]; attamen, obiectiones contra sententiam aristotelicam proponendo, addit quod « non tantum ratione materiae est multitudo, sed etiam ratione formae [2] ». In homine vero, in angelis et in divinis individualitatis rationem sic exponit: « Nam, ut dicit Richardus, in libro *De Trinitate,* numeratur vel discernitur persona a persona aut secundum qualitatem tantum aut secundum originem tantum aut secundum utriusque concursionem. Secundum qualitatem discernitur persona a persona, ubi est indifferentia in origine, tamen in substantia est differentia sive qualitate substantiali, quia de illa loquitur, sicut in angelis non est differentia originis, immo omnes eodem modo exeunt, scilicet per creationem a Deo, et non unus ex alio, tamen differunt in substantia. Utroque modo numeratur et discernitur persona a persona in homine, scilicet substantia et origine, quia non omnes eodem modo exeunt, immo ibi est propagatio et est unus ex alio; sed in divino esse est solum numerus personarum secundum originem et non secundum qualitatem. Secunda maior, prima minor, tertia minima [3] ».

31. — Saepe idem docet Halensis [4]. Consequenter in divinis personarum numerus sive distinctio est per solam originem [5]; « et sic illa proprietas differens, de qua loquitur Richardus, non est accidentalis neque substantialis, sed est proprietas originis sive habitudinis, quae simplicitati divinae substantiae non derogat [6] »; nec aliunde sumi potest: nec a materia et accidentibus, cum in Deo non est eis locus [7], nec a forma particulari et signata, quia deitas non plurificatur in personis divinis [8]; nec tandem a qualitate quadam, verbi gratia, bonitate, quia « in divinis omnis qualitas naturalis communis est tribus personis [9] ». — Respectu hominis, accidentia non sunt proprie individuantia principia, sed tantum signa quo individua apprehenduntur [10]. Item, in angelis « differentia accidentalium formarum, ut eius quod est ministrare vel cognitionem huius rei vel illius habere et similiter bonitatem vel malitiam, non est prima ratio distinguendi personas in angelis, sed illarum formarum quae adhaerent hypostasi angelicae naturaliter [11] ». Restat ergo quod in homine — addita tamen originis differentia [12] — et in angelo ratio individuationis ex qualitate eorum substantiali ac absoluta sive quidditate sumitur [13], quod de angelo praesertim expresse docet Halensis [14]. Hac ratione nihil prohibet quominus angeli, inter se specie distincti, ut officia eorum diversa attestantur [15], in eadem specie multiplicentur [16]: multiplex congruentia, praesertim manifestatio divinae bonitatis, hanc illimitatam multitudinem postulat [17]. Eamdem conclusionem schola franciscana, iam a tempore S. Bonaventurae universaliter tenet [18].

32. — Individuum rationale sui iuris est persona. Ut notum est, saeculo XIII duae definitiones personae in scholis vigebant [19]. Secundum Boethium persona est rationalis naturae individua substantia [20]. Ad mentem vero Richardi de S. Victore melius definitur ' intellectualis naturae incommunicabilis existentia ' [21]: hoc modo corrigenda est Boethii definitio [22]. Hanc Richardi definitionem praefert Halensis [23]. Etenim iudicio suo definitio Boethii non est stricte propria personis divinis [24], sed « de persona quid est secundum esse in creatura dicit [25] ». Rationes huius late exponit Halensis [26].

---

[1] II, num. 109, ad 2, p. 144. Cf. I, num. 337, sub *Respondeo,* p. 500a: « Est loqui de particulari sive individuo tribus modis: uno modo secundum quod dicitur individuum esse a materia, alio modo secundum quod ab accidentibus, tertio modo secundum quod a forma signata et singulari. Primo modo dicit Philosophus quod qui dicit ' solem ' dicit formam tantum, qui dicit ' hunc solem ' dicit formam cum materia; et ita diversitas universalis et particularis est secundum diversitatem formae et materiae ». Cf. II, num. 114, ad 1, p. 156b.

[2] II, num. 54, p. 65a; num. 55, *Solutio,* p. 69; cf. I, num. 337, sub *Respondeo,* p. 500a; II, num. 226, ad 3, p. 282.

[3] I, num. 315, *Solutio,* p. 462.

[4] I, num. 312, p. 457b sqq.; II, num. 110, *Solutio,* p. 146. Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 3, p. 1, a. 2, q. 1, ad 4 et q. 2, ad 2 (II, 104, 107).

[5] I, num. 312, ad 1, p. 456: Haec differentia secundum rationem originis « necessario facit alium et alium »; II, num. 110, *Solutio,* p. 146: « In divina natura secundum originem solam oportet quaerere tam personarum quam hypostasum differentiam ». Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 25, a. 1, q. 2 (I, 440a).

[6] I, num. 81, ad 1-2, p. 133b.

[7] Ibid., p. 133a.

[8] I, num. 337, sub *Respondeo,* p. 500a.

[9] II, num. 110, ad 1, p. 146.

[10] I, num. 337, sub *Respondeo,* p. 500: « Socrates et Cicero suis singularibus proprietatibus et accidentibus singulares et numero plures cognoscuntur ».

[11] II, num. 110, ad 7, p. 147.

[12] II, num. 110, ad 4, p. 147; num. 448, ad 1 et 4, p. 559sq.

[13] I, num. 349, sub *Respondeo,* p. 518; num. 312, p. 457b sq. Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 3, p. 1, a. 2, q. 2 (II, 106).

[14] II, num. 110, *Solutio,* p. 146b: « In angelis est distinctio personalis secundum absolutam et naturalem qualitatem hypostaseos angelicae naturae; hae autem qualitates sunt perspicacitas intelligentiae et facultas voluntatis, quae sequuntur simplicitatem essentiae ». Ibid., ad 4, 6 et 7, p. 147; num. 111, ad 5 et 6, p. 149. Hisce textibus necnon verbis parallelis ' facultas voluntatis ', eruitur quod per ' perspicacitatem intelligentiae ' non intendit primo Halensis maiorem vel minorem capacitatem intelligendi accidentalem, ut aliqui opinati sunt, sed lumen naturae, scilicet ipsum intellectum.

[15] II, num. 113, II, p. 154sq.

[16] II, num. 114, p. 155sq.

[17] II, num. 114, ad 1, p. 156; num. 115, I, p. 156.

[18] Gilson, op. cit., 236.

[19] I, num. 312, ad 5, p. 456.

[20] Ibid., sub 4, p. 455.

[21] Ibid., ad 5, p. 456; num. 349, sub *Respondeo,* et ad 1, p. 518.

[22] I, num. 312, ad 5, p. 456. Cf. I, num. 387, *Solutio,* p. 570; S. Bonav., I *Sent.,* d. 23, a. 1, q. 2, Scholion (I, 408).

[23] I, num. 312, p. 454sqq. Cf. De Régnon, op. cit., II, 345: « C'est surtout dans la *Question 44,* consacrée à démontrer la réalité des trois personnes distinctes qu'Alexandre résume toute la théorie de Richard sur la personnalité, en lui prêtant la netteté didactique qui est un des caractères de son propre génie. Il explique la célèbre définition que Richard donne de la personne et montre sa supériorité sur celle de Boèce. Il analyse le mot *existentia* pour y trouver les deux éléments qui constituent la personne divine: savoir une réalité substantielle qui se tient par elle-même, et une propriété d'origine ». Halensem fideliter sequitur Duns Scotus, fere propter eadem motiva definitionem Richardi praeferendo, *Ox.* I, d. 23, q. 1, n. 4 (*Opera omnia,* X, 261). Cf. Zach. Van de Woestyne, op. cit., I, 533.

[24] I, num. 312, ad 5, p. 456.

[25] I, num. 387, ad 9, p. 571. Proprie hominis est et sensu latiori de angelo valet, II, num. 109, ad 1, p. 144.

[26] I, num. 387, ad 9, p. 571. Quo sensu teneri possit in divinis, tractat I, num. 312, ad 5, p. 456.

Si res pressius declaretur, secundum Alexandrum, aliud est persona, aliud est hypostasis secundum rationem intelligentiae, etsi idem sint in re[1]. Etenim « persona est hypostasis distincta proprietate; hypostasis vero est res substans vel subsistens proprietati[2] ». Haec diffuse explicat Halensis, comparando essentiam, substantiam, hypostasim et personam. Ait enim[3]: « Verum est quod haec duo [substantia et hypostasis] sunt media inter illa duo [essentiam et personam] secundum rationem intelligentiae, licet non secundum rem; verumtamen ita se habent quod unum magis se tenet cum uno extremorum et reliquum cum reliquo, quia substantia apud nos tenet se magis cum essentia, hypostasis vero tenet se magis cum persona; unde non sunt media propter hoc quod differenter participent naturam extremorum, immo substantia tenet se cum ipsa essentia et dicitur esse una sicut et essentia. Similiter sicut dicimus tres personas, ita dicimus tres hypostases, differenter tamen in hoc quod hypostasis dicit distinctum, sed non habet in suo nomine unde distinguitur, sed dicit respectum ad distinguentem: hypostasis enim dicit rem subsistentem respectu proprietatis; non habet ergo in suo nomine proprietatem distinguentem, sed dicit respectum ad illam. Persona autem est hypostasis proprietate distincta; unde in hoc addit quantum ad rationem intelligentiae nomen personae respectu nominis hypostasis, quia persona dicit distinctum et iterum habet in suo intellectu et de suo nomine proprietatem distinguentem; nihilominus tamen distinctum est hypostasis actu sicut persona, sed non habet de suo intellectu proprietatem distinguentem ». Secundum Halensem haec distinctio inter hypostasim et personam nullo modo superflua est[4]; attamen indubitabiliter illam reiecit S. Bonaventura, auctoritate Damasceni ductus, « quia Graeci utuntur vocabulo hypostaseos, ubi nos utimur persona[5] ».

33. — Cum persona sit existentia incommunicabilis, virtute proprietatis distinguentis, eruitur quod ratio formalis personalitatis sumenda est ex negatione dependentiae ab altero sive ex non-communicabilitate actuali vel possibili. Hoc expresse et pluries statuit Halensis. Ex eo quod in divinis proprietates sunt incommunicabiles, deducit veritatem personarum[6]. Insuper praefert definitionem personae a Richardo de S. Victore propositam, quia independentiam ut elementum formale personae expressius statuit[7]. In tractatu de angelis, reiecta Aristotelis sententia, docet quod « accipitur ratio individui pro incommunicabilitate[8] ». « Praeterea, aliqua est natura per se incommunicabilis, scilicet intellectualis natura, quae convenit angelo, propter quod in hypostasi contingit esse personalitatem[9] ». Unde anima non habet rationem personae nec humana natura in Christo[10]. Hoc summi momenti est, cum iam Halensis planissime sententiam Duns Scoti de constitutivo formali personae doceat[11].

34. — Ea quae tradit Alexander de substantia et de personalitate tractatum notabilem constituunt. E contra incomplete de accidentibus disserit, nonnisi Boethium referendo[12]. In suo conceptu accidens importat esse in subiecto[13] et « dicit defectum a substantia, unde defectionem entis[14] ». Mutabile est tripliciter, ut ex Augustino erui potest[15]. Essentiam contingunt accidentia[16]; quaedam tamen magis immediate, quaedam vero minus[17].

35. — Inter haec eminet relatio, de qua prae aliis agit *Summa* ob mysterium SS. Trinitatis[18] et nomina Dei respectiva[19]. Relatio dicit 'esse ad'[20]. Simpliciter considerata nullam imperfectionem dicit, cum solum existentiae modum importet[21], et « ideo divino esse non repugnat, immo convenit[22] ». E contra vero « secundum quod intentio relationis consideratur in creatura, notat dependentiam vel in utroque vel in altero extremorum relationis et ita ponit indigentiam[23] ». In Deo « est substantia propter summam simplicitatem[24] », « sed in creaturis, ubi est compositio et mutabilitas, nec secundum rem nec secundum rationem 'ad aliquid' et substantia idem esse possunt[25] ». Relatio multipliciter dividitur et quidem primo secundum nomen vel secundum rem[26]; sub hac ultima comprehenduntur relatio connaturalis et relatio accidentalis[27]. Ultimo habetur relatio mutua vel non mutua, in quantum relatio realis est secundum extrema eius vel secundum unum tantum. Haec ultima viget inter Deum et creaturam[28]. His sufficienter indicatur quod etiam

---

[1] Stohr, op. cit., 102-103; De Régnon, op. cit., II, 475-6.

[2] I, num. 401, ad 3, p. 591; num. 397, sub *Respondeo*, p. 587b: « Nihil enim aliud dicit hypostasis quam res substans proprietati ». Cf. I, num. 396, *Solutio*, p. 585b; num. 399, *Solutio*, p. 589b; num. 398, ad 2, p. 588.

[3] I, num. 404, ad 1, p. 593b et ad 3, p. 594sq.

[4] I, num. 396, ad 2, p. 586.

[5] I *Sent.*, d. 23, a. 1, q. 3 (I, 409sq.).

[6] I, num. 312, *Solutio*, p. 456a: « Quia est ibi habere esse divinum ex tribus proprietatibus incommunicabilibus, necessario oportet ibi esse tres personas ».

[7] I, num. 387, *Solutio*, p. 571.

[8] II, num. 109, ad 2, p. 145.

[9] Ibid., ad 3, p. 145.

[10] Ibid., ad 4 et 5, p. 145.

[11] Cf. Zach. Van de Woestyne, op. cit., I, 537.

[12] Cf. I, num. 342-344, p. 506sqq. Quaedam leguntur de quantitate et qualitate, I, num. 332, sub *Respondeo*, et ad 1, p. 488; num. 342, ad 1, p. 507, et de actione ac passione, I, num. 377, sub *Respondeo*, p. 555.

[13] I, num. 340, ad 2, p. 504; II, num. 46, ad 1 et 2, p. 55.

[14] I, num. 342, ad 5, p. 508.

[15] I, num. 340, ad 1, p. 504b.

[16] II, num. 2, litt. *c*, p. 3.

[17] I, num. 343, ad 1, p. 508sq. Cf. I, num. 342, ad 1, p. 507; num. 194, ad 1, p. 280.

[18] I, num. 341 et 342, p. 505sqq.

[19] I, num. 373-384, p. 550sqq. Cf. I, num. 328, p. 482.

[20] I, num. 79, ad 3, p. 128; num. 341, ad 4, p. 506.

[21] I, num. 31, ad 1, p. 51.

[22] I, num. 344, ad 2, p. 510. Cf. I, num. 340, ad 3, p. 504; num. 341, p. 505. Ipsa facit numerum in personis per comparationem ad illud ad quod refertur. I, num. 315, ad 1, p. 462.

[23] I, num. 344, ad 2, p. 510.

[24] I, num. 341, ad 2, p. 506; II, num. 489, sub *Respondeo*, p. 682.

[25] I, num. 341, ad 2, p. 506.

[26] I, num. 377, sub *Respondeo*, p. 555.

[27] I, num. 341, *Solutio*, p. 505; num. 342, ad 1, p. 507. Cf. I, num. 316, I, ad 1, p. 464; num. 377, ad 3, p. 556.

[28] I, num. 28, sub *Respondeo*, et ad 1 et 2, p. 46sq.; num. 378, sub *Respondeo*, p. 557; II, num. 23, ad 2, p. 35.

quoad metaphysicam accidentis momento philosophico non caret *Summa* [1].

36. — Cum praecipuum fundamentum mediaevalis ac christianae philosophiae sit distinctio entis in actu et entis in potentia [2], liceat ultimo notare quod hanc doctrinam non raro evolvit vel supponit Halensis. Prima divisio entis est « ens potentia, ens actu [3] ». Cum ens in actu sit optimum, et in intellectu eius quod est ' optimum ' intelligitur esse, secundum S. Anselmum, ens actu primum necessario existit [4]. Solus Deus est actus purus sine ulla possibilitate [5]; unde potentia eius, undequaque perfecta [6], est « potentia cuius est actus per se [7] », quia « excludit indigentiam motoris vel agentis, sicut est in potentia passiva, et indigentiam materiae et perfectionis ulterioris, sicut est in potentia activa creaturae [8] ». Virtute actus infiniti ens creatum de non-esse ad esse transit, ideo respectu universitatis rerum actus prior est potentia [9]. — Creatura vero est ens potentiale, cum non sit aliqua « quae non habeat possibilitatem ad aliquam perfectionem [10] ». Ad actum eius seu perfectionem potentia generaliter loquendo se habet passive et active [11]. Si pressius consideretur, constat quod « potentia cadit sub differentia multiplici. Quaedam est potentia obedientiae, quae scilicet solum perducitur in actum potentia prima [12]... Est et alia, quae est solum materialis, ut illa quae passiva est tantum, nullam habens inclinationem sive appetitum ad actum illius potentiae, potest tamen perduci in actum actione creaturae, multiplici medio subiectum sive susceptibile disponente... Est et alia quae est possibilis, ut illa quae habet aliquam inclinationem sive appetitum ad actum. Est et alia quae est propinquius disposita, ut est illa quae non solum est in inclinatione qualicumque ad actum, sed habet aliquam dispositionem superadditam. Est et alia, quae est necessitatis, ut illa quae est in coniunctione cum actu [13]. Quaelibet autem istarum trium potentiarum ultimo dictarum est potentia disposita, sed prima dispositione remota, secunda propinqua, tertia coniuncta [14] ». Cum ens in potentia ita importet capabilitatem [15] complendam per actum [16], iam patet quod mutatio omnis sive motus [17] necnon unio substantialis animae et corporis [18] nihil aliud est quam actuatio potentiae per eius perfectionem. Cum haec doctrina merito commendetur [19], non abs re erat notare quod illam expresse proponit Alexander in *Summa*.

His constat quod Halensis metaphysicam apud scholasticos usitatam maxima ex parte proponit et dilucidat [20]. Si vero in speciali consideretur quod de ente eiusque proprietatibus transcendentalibus optime disserit [21] — dum ante ipsum apud antiquos et scholasticos vix sermo de eo instituatur [22], — et quod S. Bonaventura notiones metaphysicas, in *Summa* vulgatas, ubique adhibet vel supponit, recte dici potest Alexandrum Halensem de metaphysica scholastica, circa medium XIII saeculi, optime meruisse.

§ 4. — DE AESTHETICA ALEXANDRI HALENSIS.

Cum de pulcro breviter ac rarissime tractent scholastici saec. XIII [23], ideo non abs re erit paulo fusius exponere quid de pulcro sentiat Alex. Halensis, in hoc vestigia sequens S. Francisci Assisiensis, qui mundo « utebatur ad Deum ut clarissimo speculo bonitatis » et « cognoscebat in pulchris Pulcherrimum [24] ».

37. — Pulcrum determinat ens transcendentale sicut unitas, veritas ac bonitas [26]. In re « bonum, secundum quod dicitur honestum, idem est pulcro, quamvis bonum, quod dicitur utile, non idem [26] ». Attamen intentione sive ratione differunt tripliciter bonum et pulcrum [27]. Primo

---

[1] Notatu dignissima tradit Halensis de tempore, I, num. 56-71, p. 84sqq., II, num. 67-71, p. 84sqq.; cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 1, a. 2, q. 1, Scholion (II, 65); necnon de loco, I, num. 40-44, p. 64sqq.; II, num. 72-74, p. 96sqq.; num. 101-103, p. 126sqq. Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 1, a. 1, q. 2, Scholion (I, 641).

[2] Cf. De Wulf, op. cit., I, 262-3.

[3] I, num. 3, ad 3, p. 7; II, num. 481, ad 6, p. 665.

[4] I, num. 25, IV, p. 42: « Melius est ens actu quam ens in potentia, et utrumque melius quam non ens, liceat sic loqui. Si ergo ens ' quo nihil melius ' ponit ens actu necessario, ergo et optimum ponit ens actu; si ergo nullus intellectus potest negare optimum esse optimum, ergo necessario habet concedere optimum esse actu ». Cf. A. Ruibal, *Los problemas fundamentales de la filosofia y del dogma*, Madrid, s. d., VI, 434.

[5] I, num. 337, sub *Respondeo*, p. 500.

[6] I, num. 131, sub *Respondeo*, p. 202.

[7] I, num. 132, *Solutio*, p. 203. [8] Ibid.

[9] II, num. 1, litt. *c*, p. 2: « Non est aliqua creatura, quae non habeat possibilitatem ad aliquam perfectionem naturaliter; nihil autem se ipsum perficit: distant enim natura perficiens et perfectibile; ergo necesse est aliquod esse perfectivum; erit ergo aliquod principium quo alia perficientur, quod non aliunde perficietur ». Cf. Rosenmöller, op. cit., 79. [10] Ibid.

[11] I, num. 131, sub 2 et ad 2, p. 202; II, num. 432, *Solutio*, p. 159.

[12] Cf. I, num. 152, sub *Respondeo*, p. 234b: Uno modo « natura dicitur naturalis obedientia creaturae respectu potentiae Creatoris; si hoc modo faceret contra naturam, faceret quod creatura potentiae suae non obediret: quod est impossibile, cum hoc sit ei a conditione »; I, num. 156, ad 3, p. 238; II, num. 62, ad 1, p. 77; num. 239, *Solutio*, p. 292.

[13] Cf. I, num. 153, sub *Respondeo*, p. 235.

[14] II, num. 469, sub *Respondeo*, p. 632. Cf. II, num. 491, sub *Respondeo*, p. 686b; num. 494, sub *Respondeo*, p. 696.

[15] I, num. 157, *Solutio*, p. 239; num. 132, *Solutio*, p. 203b.

[16] I, num. 131, sub *Respondeo*, p. 202.

[17] II, num. 41, sub *Respondeo*, p. 50.

[18] II, num. 477, ad 4, p. 652; num. 486, ad 2, p. 676; num. 483, ad 1 p. 669.

[19] D. Mercier, *Métaphysique générale* [4], Louvain 1905, 386.

[20] Ut diximus, causas entis secundum divisionem aristotelicam Alexander considerat. Notabilia etiam tradit de causa efficiente, I, num. 183, ad 1, p. 268; num. 209, ad 3, p. 303; num. 234, ad 1, p. 328; II, num. 3, sub *Respondeo*, p. 6; item, de relatione causarum inter se, I, num. 104, sub *Respondeo*, p. 163; II, num. 460, ad 1, p. 600b, et praesertim de causa finali tum intrinseca tum collectiva entium, II, num. 14-16, p. 23sqq. num. 444, p. 546sq.; num. 445, sub *Respondeo*, et ad 1, p. 550; intentiones earum in Deo optime declarat, II, num. 6-21, p. 14-32. Cf. I, num. 231, p. 325sq.

[21] Cf. P. Marc. a Civetia, op. cit., p. 268.

[22] Cf. De Wulf, op. cit., I, 262.

[23] M. De Wulf, *Introduction à la philosophie néo-scolastique*, Louvain 1904, 303. Cf. Minjon, *Der Schönheitsbegriff der Hochscholastik*, in *Philosophisches Jahrbuch*, Fulda 1912, XXV, 173; M. Grabmann, *Des Ulrich Engelberti von Strassburg, O. Pr. († 1277), Abhandlung De pulchro*, München 1926 *(Sitzungsberichte der Bay. Akad. der Wissenschaften*, Jahrg. 1925, Abhandl. 5, 42sq.); C. Prezzolini, *Cursus philosophicus*, Romae 1904, I, 333; Marc. a Civetia, op. cit., 272-276.

[24] T. de Celano, *Vita II*, c. 124, in *Analecta Franciscana*, X, 226.

[25] I, num. 103, p. 162sq.

[26] Ibid., p. 162b. Cf. I, num. 106, sub *Respondeo*, p. 168a.

[27] II, num. 75, p. 99.

ratione causae finalis, videlicet psychologice, ex relatione diversa boni et pulcri ad potentias animae [1]. « Nam pulcrum dicit dispositionem boni secundum quod est placitum apprehensioni, bonum vero respicit dispositionem secundum quam delectat affectionem »; nec idem sunt in intentione causae efficientis, quia « bonum respicit quod fluit a causa secundum indistinctionem; pulcrum vero quod fluit a causa secundum distinctionem [2] ». Ultimo differunt in ratione causae exemplaris, quia « bonum dicit exemplar ad convenientiam, in quantum finis est velut ars et regula operanti ad unum terminum », « pulcrum vero dicit ipsum exemplar, in quantum ars ad distinctionem et harmoniam differentium [3] ». Sicut proprietates transcendentales entis sese mutuo includunt, ita « pulcrum induit rationem boni et bonum pulcri, quamvis prima intentio pulcri magis videatur sumi ex parte exemplaris, sicut prima intentio boni ex parte finis [4] ». Hac ratione etiam, sicut finis et bonum, mentem affectat [5], et « secundum hunc modum decorum sive pulcrum cadit in naturali appetitu omnium rerum [6] ». Obiective pulcrum accipitur ex parte formae [7]. Nullam utilitatem in se connotat; qua ratione differt a re apta vel commoda [8]. Ut vult S. Augustinus, importat in obiecto convenientiam ad aspectum et proportionem intrinsecam, quae in diversis diversae sunt [9]; perficitur pulcrum a claritate sive luce [10], quae a Deo causaliter emanat. Etenim « claritas esse creaturae non potest esse sine claritate lucis aeternae quin semper irradiet et influat in ipsam [11] ».

38. — In se Deus est pulcher, quia est « pulcritudo in divinis ex ordine sacro divinarum personarum, qua una persona non ab alia, a qua alia per generationem, a quibus tertia per processionem [12] »; immo ipse est fons pulcritudinis rerum, quam inaequaliter communicat entibus ad placitum suae voluntatis [13]. Pulcritudine etiam splendet angelus « propter resultationem cuiusdam lucis creatae a luce increata [14] », gratia supernaturalis [15], homo [16] et tandem anima ratione convenientiae suarum virium et iustitiae actualis [17].

39. — Sicut entia particularia, ita mundus, si consideretur in sua universitate, pulcritudine fulget. Splendor eius determinatur per modum, speciem et ordinem, quae insunt omnibus rebus [18] tamquam vestigia Trinitatis, et « surgit ex gradibus rerum naturalibus » et « ex gradibus dispositionum advenientium [19] ». Universi pulcritudinem declarant specialiter entia intellectualia; etenim « penes quae principaliter consistit pulcritudo universi, sunt creaturae rationales [20] ». Ad idem tendunt dispositio rerum hierarchica secundum earum potentiam [21], varietas entium secundum speciositatem maiorem vel minorem [22] et finalis ordinatio omnium rerum inferiorum ad hominem [23]. Incarnatio etiam, quoad statum praesentem, confert ad pulcritudinem universi, ut quid optimum, congruens multipliciter et decentissimum, non vero ut quid necessarium absolute, sine quo non potuit natura reparari [24]. Idem censendum est de miraculis quoad statum praesentem, « quia perficiunt naturam et supplent defectum eius [25] ».

40. — Insuper, ipsum etiam malum ad pulcritudinem universi aliquid confert, ut saepe asserit Halensis post S. Augustinum [26]. « In hoc enim est magna pulcritudo universi et magna laus bonitatis divinae, quod malos facit servire bonis [27] ». « Et maiori etiam sapientiae attestatur, sic res ordinare, ut ex superveniente deordinatione non deturpentur, sed earum ordinatio decoretur [28] ». Revera malum culpae, et « in eo quod est malum » et « in eo quod est culpae [29] », absolute contrariatur pulcro, in quo substantificatur [30]; attamen in quantum ordinatur ad bonum maius, quod Deus ex illo elicit, vel in quantum est malum poenae [31], ad pulcritudinem aliquid confert [32]. « Non ergo dicitur pulcrum absolute, sed pulcrum in ordine, immo potius dicendum est: ipse ordo est pulcher [33] ». Ex hoc habetur « quod, cum dicitur ' pulcritudo saeculi componitur ex oppositione contrariorum ', facienda est vis in nomine ' pulcritudinis ', eo quod bona pulcriora apparent ex adiunctione malorum, non quod mala, in eo quod mala, unam partem dicant pulcritudinis; malum enim, in se consideratum, turpe est et deforme [34] ». Non aliter sentiendum est de defectibus naturae [35] et monstris [36]. Cum res ita se habeat, « duae possunt reddi rationes quare Deus permittit mala fieri: bonorum scilicet pulcritudo maior et utilitas [37] »; eodem modo intelligitur cur creaverit

---

[1] Grabmann, op. cit., 43.
[2] I, num. 103, sub *Respondeo*, p. 162.
[3] Ibid.
[4] I, num. 103, ad 1, p. 163.
[5] Cf. II, num. 509, ad 5, p. 743.
[6] II, num. 75, sub *Respondeo*, p. 99.
[7] Ibid.: « Veritas est dispositio ex parte formae relata ad interius, pulcritudo vero est dispositio ex parte formae relata ad exterius: solebamus enim pulcrum dicere quod in se habebat unde conveniens esset in aspectu ».
[8] II, num. 76, p. 100.
[9] I, num. 103, sub 2, p. 162 et ad 2, p. 163: « Dicendum quod illud Augustini [omnis pulcritudo est partium congruentia] definit pulcritudinem visibilem sive corporalem; tamen dicitur de pulcritudine corporali sensibili, in quantum ducit ad intelligibilem sive spiritualem. Sicut enim pulcritudo corporum est ex congruentia compositionis partium, ita pulcritudo animarum ex convenientia virium et ordinatione potentiarum » etc. Cf. I, num. 86, ad 1, p. 137b.
[10] Alex. Hal., *Summa theol.*, I, prolegomena, p. XXXIII.
[11] I, num. 46, I, ad 2, p. 73a. Cf. I, num. 111, ad 3, p. 174; II, num. 40, ad 2, p. 49.
[12] I, num. 103, ad 2, p. 163; num. 318, ad 3, p. 467.
[13] II, num. 37, ad 1, p. 47; num. 40, *Solutio*, p. 49.
[14] II, num. 105, ad 2, p. 134.
[15] II, num. 108, ad 2, p. 142b; num. 509, ad 6, p. 744.
[16] Cf. II, num. 454, sub *Respondeo*, p. 582b.
[17] I, num. 103, ad 2, p. 163b; II, num. 80, ad 3, p. 103.
[18] II, num. 81, *Solutio*, p. 103. Cf. I, num. 111-116, p. 173sqq.
[19] II, num. 83, II, *Solutio*, p. 106. Cf. Rimaud, op. cit., 141sq.
[20] II, num. 452, ad 5, p. 576b; num. 80, ad 3, p. 102.
[21] II, num. 521, ad 3, p. 779sq.
[22] II, num. 37, ad 1, p. 47.
[23] II, num. 95, *Solutio*, p. 117.
[24] II, num. 85, *Solutio*, p. 108.
[25] II, num. 84, ad 1, p. 107b.
[26] I, num. 120 et 121, p. 188sqq.; II, num. 452, ad 5, p. 576.
[27] I, num. 206, ad 1, p. 298a.
[28] II, num. 507, ad 6, p. 738.
[29] II, num. 82, *Solutio*, p. 104.
[30] II, num. 77, ad 1-2, p. 100.
[31] II, num. 78, p. 101.
[32] II, num. 77, *Solutio*, p. 100.
[33] Ibid. Cf. I, num. 121, ad 3, p. 190; II, num. 433, ad 2, p. 523.
[34] II, num. 92, ad 1, p. 116.
[35] II, num. 78, ad 2, p. 101.
[36] II, num. 79, p. 101; num. 452, ad 5, p. 576.
[37] I, num. 120, sub *Respondeo*, p. 189; III, n. 12, p. 20sq.

liberum arbitrium vertibile ad malum [1]. Tandem adest « pulcherrima ordinatio » in mundo inferiori [2], immo nec abest splendor aliquis in ipsa materia, in quantum est capax formae [3], nec in rebus mutabilibus, cum sint res, ideoque in se bonae et pulcrae [4].

41. — Pulcritudo essentialis, quae in mundo est, non augetur [5]. Semper enim perfectio mundi quoad formam totius necnon species et genera permanent. « Reliqua vero [pulcritudo] quae est ex accidenti proveniens », videlicet ex formis partium, augeri potest vel secundum esse vel secundum bene esse [6]. Eodem modo essentialiter non minuitur universi splendor. Etenim modus, species et ordo, ex quibus exsurgit omnis pulcritudo, semper perdurant secundum quod sunt in generibus et speciebus vel etiam in rebus transeuntibus prout comparantur aliis nobilioribus quae illis succedunt. Solum destruitur « pulcritudo in re transeunte secundum se ipsam accepta; sicut ipsa res transit, ita et transeunt modus, species et ordo, et per consequens ipsa pulcritudo [7] ».

42. — Si recte consideretur, haec universi pulcritudo ducit ad altissimam Dei contemplationem. « Contingit enim eas [creaturas] considerare ratione pulcritudinis sive delectabilitatis quae est in eis, non referendo illam ad Deum a quo habent: et secundum hunc modum est occasio erroris. Alio vero modo in quantum habent pulcritudinem a summe pulcro et delectabilitatem a summe delectabili: et secundum hunc modum vestigia manuducunt ad illum cuius sunt vestigia [8] ». Praesertim, cum potentia Dei ostenditur in hoc quod res simul producuntur ex nihilo, declaratur eius « sapientia in hoc quod pulcherrime fiunt et decentissime [9] ».

Ita praeeuntibus S. Augustino, Boethio atque Pseudo-Dionysio perspicue et diffuse de pulcro disserit Alexander [10]. Nil ergo mirum si in tractatu Dionysii Cartusiani *De venustate mundi et pulcritudine Dei* [11], qui apud plerosque artis historicos celebratur [12] Halensis saepe allegetur, immo laudetur ut « doctor magnus et solidus ».

§ 5. — DE PSYCHOLOGIA ALEXANDRI HALENSIS.

Optima tradit Halensis de psychologia, et ideo doctrina eius iam saeculo XIV auctoritate gaudebat, ut patet ex tractatu anonymo *De anima*, qui asservatur in Bibl. Nationali Parisiis, in cod. *Nouv. Acq. Lat.* 16585 [13]. Illam etiam magni faciunt plures recentiores, videlicet J. Endres [14], O. Keicher [15], P. Minges [16], E. Gilson [17] et J. Rohmer [18]. Non erit igitur abs re aliqua de hac materia coordinate proponere.

43. — Anima est substantia spiritualis, immo, « principatum tenet inter formas et plus elongatur a natura materiae sive materialitate » quam aliae formae [19]. Haec nobilitas ei competit non solum in quantum immaterialis est, sed etiam quia actu vivens et cognoscens est [20]. Existentia eius probatur diversimode [21]: ex actibus eius [22] et ex scientia innata quam de ipsa habemus, ut vult Augustinus [23]. Idem innuunt dignitas corporis humani [24], facultas locutionis homini propria, necnon diversitas quae, secundum Aristotelem, apprehenditur inter motum vitalem et motum physicum [25].

44. — Varie notificatur natura animae. Septem enim definitiones citat et explanat Halensis, quarum quinque desumuntur ex libro *De spiritu et anima*, qui fuit breviarium psychologiae saec. XIII ineunte [26]. Iuxta illas anima describitur ut substantia incorporea et rationalis, quid ens in se, naturaliter ad corpus ordinata et indissolubilis [27]. Anima enim per se substat, non vero per modum accidentis [28]. Incorporea dicitur, si absolute consideretur, attamen vocari posset corporea substantia,

---

[1] II, num. 507, ad 1, p. 738.

[2] II, num. 4, ad 3, p. 10. Cf. I, n. 195, ad 1, p. 282.

[3] II, num. 28, ad 2, p. 41.

[4] II, num. 83, *Solutio*, p. 105: « Licet ergo mutatio sive corruptio ad nihilum pertineat, res tamen, quae habent huiusmodi potentiam sive possibilitatem, pertinent ad bonum et pulcrum; cum etiam mutantur, aliae iis succedunt secundum quod unius corruptio est alterius generatio, et sic etiam est quaedam pulcritudo ».

[5] II, num. 80, ad 2, p. 102.

[6] Ibid.

[7] II, num. 81, *Solutio*, p. 103.

[8] II, num. 40, *Solutio*, p. 49.

[9] II, num. 47, ad 1, p. 55.

[10] De arte in Deo, in Christo et in homine aliquoties agit *Summa*: I, num. 139, ad 4, p. 217; num. 175, I et II, p. 258; num. 177, ad 2, p. 262; num. 179, ad 2, p. 264; num. 199, *Solutio*, p. 290b; II, num. 12, sub *Respondeo*, et ad 1, p. 21; num. 91, *Solutio*, p. 115; num. 248, ad 1, p. 307b.

[11] *Opera omnia*, XXXIV, Tornaci 1907, 227, 229, 232, 237-239.

[12] Grabmann, op. cit., 19sq.

[13] Legitur fol. 2r: « Ut ergo me agnoscam et promissum adimpleam quod promisi, confisus de adiutorio Dei, sacratissimae Virginis et beati Francisci auxilio ad aliqualem animae humanae notitiam iuxta vires modicas, non ex me, quia scientia pauperculus devenio inter Minores minimus, tres Minores velut stellas praefulgidas imitatus, fratrem Alexandrum de Halis, qui doctor irrefragabilis nuncupatur Parisius, fratrem Ioannem Bonaventuram, qui extat doctor devotus seu seraphicus, et fratrem Ioannem de Rupella provinciae Turoniae iuxta morem Ordinis. Hic doctorum ternarius triplex flos censetur Parisius et, si aliquando de aliis loquor, ii tamen sunt praecipui ».

[14] *Des Alex. von Hales Leben und psychologische Lehre*, II Theil, in *Philosophisches Jahrbuch*, I, Fulda 1888, 43-55, 203-225, 257-296

[15] *Zur Lehre der ältesten Franziskanertheologen vom Intellectus Agens*, in *Festgabe zum 70 Geburtstag G. Fr. von Hertling gewidmet*, Freiburg i. Breisg. 1913, 173-182.

[16] *Zur Psychologie des Alex. von Hales*, in *Philosophisches Jahrbuch*, XXVIII, Fulda 1915, 143sqq.; *Le teorie della conoscenza in Alessandro di Hales*, in *Rivista di filosofia neo-scolastica*, VII, Milano 1915, 347sqq.

[17] *Pourquoi S. Thomas a critiqué S. Augustin*, in *Archives d'histoire doctrinale et littéraire du Moyen-Age*, I, Paris 1926, 84-89.

[18] *La théorie de l'abstraction dans l'Ecole franciscaine de Alexandre de Halès à Jean Peckam*, ibid., III, Paris 1928, 105-184.

[19] II, num. 453, *Solutio*, p. 579b; num. 347, *Solutio*, p. 422.

[20] II, num. 478, sub *Respondeo*, p. 653.

[21] II, num. 320, p. 384.

[22] Ibid., litt. *a*, p. 384.

[23] Ibid., litt. *e*, p. 384. Cf. II, num. 370, *Solutio*, p. 450.

[24] Ibid., sub litt. *b*, p. 384. Cf. II, num. 454, p. 581sqq.

[25] Ibid., sub litt. *d*, p. 384; II, num. 321, III, ad 2, p. 386b. Cf. Endres, art. cit., 43-45.

[26] II, num. 321, p. 384sqq. Cf. II, num. 112, ad *a*, p. 152. Cf. Schneider, *Die Psychologie Alberts des Grossen*, Münster in W. 1903, *Beiträge Baeumker*, IV, Heft 5, 371.

[27] II, num. 321, II, sub *Respondeo*, p. 385; ibid., V, *Solutio*, p. 387; ibid., VI, ad 2, et VII, ad 4, p. 388.

[28] II, n. 321, II, sub *Respondeo*, p. 385.

quatenus loco quodam circumscriptive detineatur ratione corporis [1] vel « respectu ad simplicitatem » absolutam causae primae [2]. Spiritualitas eius probatur ex eo quod est inextensa et ideales repraesentationes rerum acquirit et modo simplici in se continet [3]. Quod maioris momenti est [4], anima « habet aliquam individuationem praeter materiam [5] » sive est « substantia non tantum ut forma substantialis, sed ut quid ens in se, praeter hoc quod est actus corporis [6] ». Hanc thesim, ex Platone ac S. Augustino desumptam, multipliciter probat Halensis contra Aristotelem eiusque sequaces. Anima enim per se movet corpus; cum autem omne « movens aliquem habet actum praeter id quod movetur [7] », sequitur quod anima « erit aliquid praeter hoc quod est forma sive actus corporis: ergo erit substantia simpliciter [8] ». Praeterea, anima modo particulari corpus informat [9]. Etenim « forma, quae solum est esse materiae, in perficiendo totum perficit omnes partes materiae et consimili ratione, ut est dicere ' quaelibet pars ignis est ignis '; sed anima perficit totum cuius est anima, non consimili ratione [10]; ergo non est tantum actus vel esse materiae ». Eadem conclusio rectius probatur si ad mentem S. Augustini anima dicatur composita ex materia et forma [11]: cum nihil amplius requiratur ad substantiae constitutionem, patet quod anima in se est actus et quid positivum [12]. Ex hac sententia logice deducit Halensis quod anima super se reflectitur [13], ordinatur in se et in corpore ad beatitudinem [14] et tandem est forma intellectiva totius compositi humani, non excludens formas vel dispositiones inferiores materiae ac partium [15]. Ex hoc tamen nullo modo dici potest quod anima sit persona; etenim, « secundum Richardum, individuum accipitur pro incommunicabili, et per hoc excluditur anima, quia non est individua, sed communicabilis ut pars [16] ».

45. — Supposita hac generali descriptione animae, iam patet quo modo vicissim se habeant angeli et rationales animae. Inter se conveniunt eo quod spiritualitate gaudent et ad imaginem Dei creantur [17]. Attamen differunt multipliciter [18]: primo, quoad esse naturale, quia anima est substantia unibilis corpori, angelus vero nullo modo; secundo, quoad esse rationale vel intellectualitatem, quia angelus intuitu res intelligit, anima e contra per viam ratiocinationis [19]; tertio, quoad esse metaphysicum, quia cognitionem accipit anima « per intellectum possibilem ad species in phantasmatibus », dum e converso angelus scientiam inferiorum acquirit independenter ab hac abstractione [20]; quarto tandem quoad esse eorum theologicum, cum intelligentia angelica sit substantia libera, vertibilis immutabiliter [21], anima vero vertibilis sit mutabiliter [22]. Hae differentiae ad essentiam pertinent; fundamentalis tamen videtur illa quae ex esse naturali desumitur [23]. Accidentaliter etiam differunt, in quantum angelus est similitudo Dei perfectior quam anima ratione eius naturae subtilioris [24] et non est compossibilis corpori [25]. Differentiam inter angelum et animam ita urget Halensis ut illam dicat esse specificam [26] si eorum esse vel perfectio prima consideretur, etsi non sic differant quoad perfectionem eorum secundam, quae est in visione Dei. Attamen animae inter se non differunt specie [27]. Rationem huius clare enuntiat: « Animae enim rationales ordinantur ad corpus et corpus ordinatur ad animam tamquam proprium perfectibile propriae perfectioni. Unde sicut corpora non diversificantur in specie, ita nec perfectiones diversificantur in specie [28] ».

46. — Plures sunt proprietates animae. Ut entia omnia praeter Deum, composita est ex materia et forma [29]. Haec materia non est extensa prout se habet in corporibus etiam caelestibus [30]. Istius compositionis causa, anima non dicitur simplex absolute ut Deus, sed relative tantum et « in comparatione, scilicet ad corpora quae habent compositionem ex partibus quantitativis [31] », virtute tamen huius imperfectae simplicitatis « habet quantitatem virtualem, sed non habet dimensivam; similiter habet virtualem extensionem in corpore et non habet extensionem dimensivam sicut albedo vel forma materialis, quae

---

[1] Ibid. Cf. I, num. 39, ad 1, p. 63.
[2] I, num. 42, ad 1, p. 68.
[3] II, num. 321, II, sub litt. *a*, *b*, *c*, p. 386.
[4] Cf. Gilson, op. cit., 306; Endres, art. cit., 45-48.
[5] II, num. 347, *Solutio*, p. 422.
[6] II, num. 321, II, p. 385b.
[7] Ibid., p. 386.
[8] Ibid., sub litt. *a*, p. 386.
[9] Ibid., sub litt. *b*, p. 386.
[10] Haec saepe explanat Alexander, II, num. 347, *Solutio*, p. 422: « Totum enim est homo, nulla autem pars hominis est homo nec etiam intelligit; totum ergo intellectivum est ita quod nulla pars: unde nullius partis dicitur actus ». Cf. II, num. 453, *Solutio*, p. 579.
[11] II, num. 328, p. 398sq.
[12] Ibid., ad 5, p. 399: « Forma enim, praeter hoc quod est materiae forma, non habet aliquam actualitatem; sed anima praeter hoc quod est anima, habet virtutem quamdam secundum quam dicitur habere compositionem propriam, cui respondet agere et pati, etiam cum est separata ».
[13] II, num. 373, ad 2, p. 453: « In hoc autem est dissimilitudo quod materia prima nullam habet formam de se praeter ipsam capacitatem; intellectus autem possibilis habet aliquam, quia ipsam formam essentialem ipsius animae, quae est aliquid in se: unde materia prima non reflectitur super se ».
[14] II, num. 321, IV, ad 2 et 3, p. 387.
[15] II, num. 347, ad 1-7, p. 422.
[16] I, num. 387, *Solutio*, p. 571.
[17] II, num. 108, ad 1-4, p. 140; num. 155, ad 5, p. 206.
[18] II, num. 321, VI, ad 2, et VII, sub *Respondeo*, p. 388.
[19] II, num. 120, *Solutio*, p. 164.
[20] II, num. 112, *Solutio*, et ad *a*, p. 151sq.
[21] II, num. 156, p. 206a.
[22] II, num. 156, ad 5, p. 206b.
[23] Ibid., ad 2, p. 151.
[24] Ibid., ad 5, p. 152.
[25] Ibid., ad 7, p. 152.
[26] Ibid., ad 8, p. 152; num. 516, ad 2, p. 762.
[27] Secundum Alexandrum « angeli differunt inter se specie » ratione eorum esse naturalis et gratiae » (II, num. 113, p. 153sqq.).
[28] Ibid., ad 3, p. 154.
[29] II, num. 328, *Solutio*, p. 399. De hac quaestione tractatus anonymus *De anima*, supra allegatus, haec tradit, f. 13v: « Ulterius et dico descendendo magis limitate quod loquendo de huiusmodi compositione ex partibus essentialibus, anima rationalis composita est ex materia et forma et hoc modo non est simplex, sed composita, non dico de materia corporali nec secundo de intellectuali, sed dico de indifferenti ad ambas; et haec est mens trium doctorum almae universitatis Parisiensis: doctoris Irrefragabilis, doctoris Seraphici et fratris Nicolai Boneti in sua *Naturali philosophia*. Sunt alii plures, sed ii tres sufficiunt: *in ore* enim *duorum aut trium stat omne verbum*, ut in lege Dei scriptum est ».
[30] II, num. 328, *Solutio*, p. 399.
[31] Ibid., ad 1 et 3, p. 399.

distenditur secundum corporis distensionem [1] ». — Ad haec addi debet quod anima est substantia viva [2]. Vita est eius actus primus et continuus [3] et ideo « vivit se ipsa, id est aliquo sibi intrinseco utpote formali principio, quod non est alterius naturae quam ipsa anima [4] ».

47. — Tandem anima est imago vel rectius ad imaginem Dei [5]. Non dicitur propriissime imago Dei, cum soli Verbo hoc conveniat ratione identitatis essentiae [6]; tamen largiori sensu sic vocari potest, quia « dicitur expressissima similitudo in creatura [7] ». Inter Deum et animam non extat utique proportio sive convenientia in forma ipsa et natura, sed non deest « aliqua convenientia secundum proportionem in effectu [8] ». Deum enim imitatur in quantum est una in essentia et virtute, triplex vero in viribus, quae sunt memoria, intellectus et voluntas, quibus Trinitatem cognoscit et diligit [9]. Animae convenit proprie ratio imaginis, quia est sola « expressa similitudo », aliae vero creaturae tantum vestigia Dei vel « similitudo obscura »: essentialiter enim ratio imaginis expressivae facultatem cognoscendi Deum importat [10]. Praeter animam, angelus etiam dicitur imago Dei, immo expressior imago est [11] ratione simplicitatis essentiae; « abundat autem anima rationalis in hoc quod est imago Dei secundum hoc quod sicut Deus movet et gubernat universum, sic et anima rationalis movet et gubernat suum universum. Praeterea, similitudo virtutis est in homine in hoc quod potest producere simile in natura; ex alia vero parte evidentius distinguitur in anima ratio memoriae, intelligentiae et voluntatis, in quantum ex memoria procedit intelligentia, ex memoria et intelligentia voluntas [12] ». Iis dictis patet quod imago attenditur in homine secundum rationem, non vero secundum corpus vel partem sensibilem [13]. Concedit tamen Alexander [14] quod Adam secundum corpus posset dici imago, « quia sicut Deus est principium simpliciter omnium, sic homo, secundum corpus, corporum omnium sui generis fuit principium ». In ratione vero non uniformiter fulget imago Trinitatis, sed proprie habetur in parte superiori quae meminit, intelligit et diligit Deum [15]. Nec attenditur in potentiis nude consideratis, sed « secundum quod ex illis habent elici actus [16] »; hoc modo, cum ordo naturalis habeatur inter facultatum actus, anima est repraesentativa Trinitatis [17].

48. — Anima ad corpus ordinatur naturaliter [18] ut eius forma substantialis et motor [19], et finis propinquus corporis nihil aliud est quam unio cum anima [20]. Saepissime hoc inculcat Halensis, forsan ob errorem Manichaeorum qui, secundum S. Bonaventuram, « negant animam uniri corpori ut perfectibile, sed ut carceri [21] ». Ait enim Alexander: « Licet sit considerare substantiam animae in se per modum spiritus, nihilominus tamen in esse naturali est perfectio corporis organici etc., et ita rationem habet unibilis, licet sit separata actu [22] ». Essentialiter « respicit corpus [23] » et etiam post separationem per mortem « intentionem quamdam habet ad corpus [24] ». Praecise in hoc differunt anima et angelus, si philosophice secundum naturam eorum propriam considerentur [25]: « Anima de sua conditione nata est ut sit corporis talis actus sive perfectio et motor [26] ». Nihil obstat quin anima et corpus uniantur substantialiter « ut fiat una natura [27] » vel « unum per compositionem [28] ». Etsi in genere eorum utrumque sit completum, tamen ex una parte « unum illorum est possibile respectu alterius, non tantum ut mobile respectu motoris, sed ut materiale respectu suae perfectionis [29] »; insuper corpus respicit ulteriorem perfectionem, quae mediante vita illi advenit [30]. Ex alia parte anima corpore indiget ut per organa propria convenienter eliciat illos actus qui ad vitam sensitivam et vegetabilem pertinent [31]. Aliis verbis ratio istius substantialis unionis vel colligationis in illo appetitu fundatur qui non solum creaturis, sed etiam essentialibus principiis substantiarum inest [32]. Res de facili intelligitur, cum appetitus iste non sit in actu perfecto, et sic indiget exteriori adiumento ut perficiatur; si esset completus, deficeret principale fundamentum unionis [33]. Consequenter « appetitus corporis est

---

[1] II, num. 331, *Solutio*, p. 403.

[2] II, num. 321, V, p. 387; num. 476-479, p. 648 sqq.

[3] II, num. 478, p. 653.

[4] II, num. 476, ad 5, p. 649.

[5] II, num. 336-342, p. 408 sqq.

[6] II, num. 108, sub *Respondeo*, A, 1-2, p. 140.

[7] II, num. 336, *Solutio*, p. 409.

[8] Ibid., ad 3, p. 409; ad 4: « Non potest esse similitudo creati ad primam causam quantum ad expressionem eiusdem naturae vel essentiae; potest tamen habere quamdam similitudinem expressam, sicut possibile est in creatura ».

[9] Ibid., ad 2, p. 409.

[10] II, num. 337, sub *Respondeo*, p. 410: « Non convenit ratio imaginis omni creaturae, quia non est expressa similitudo sicut contingit esse in creatura. In aliis enim creaturis remanet ratio vestigii secundum unitatem, veritatem et bonitatem; in sensibili autem creatura, licet sit potentia cognoscendi, non tamen est potentia cognoscendi ipsum et diligendi, et ideo non est in hoc convenientia cum Deo: Deus enim se ipsum cognoscit et diligit ».

[11] II, num. 176, ad 2, p. 228.

[12] II, num. 337, ad 2, p. 410.

[13] II, num. 340, sub *Respondeo*, p. 413.

[14] II, num. 427, *Solutio*, p. 503.

[15] II, num. 340, II et III, p. 413. Ratio imaginis non excluditur complete in parte inferiori animae quae circa mundana versatur (II, num. 340, II, ad 1, p. 413); ibid., III, ad 1, p. 414: « Licet in hoc sit quaedam similitudo, tamen, quia fit reditio super creaturam et ita super defectibile, non est imago summae Trinitatis; ideo oportet ut vires et anima secundum ipsas in Deum convertantur ».

[16] II, num. 341, *Solutio*, p. 414.

[17] Ibid., ad 2, p. 415; num. 342, sub *Respondeo*, p. 415.

[18] II, num. 344, p. 417 sqq.

[19] Ibid., ad 1 et 3, p. 419.

[20] II, num. 444, sub *Respondeo* et ad 4, p. 547 sq.

[21] II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 1, q. 2, ad 4 (II, 43).

[22] II, num. 112, ad 1, p. 151.

[23] Ibid., ad 2, p. 151.

[24] Ibid., ad 4, p. 151.

[25] Ibid., ad 7, p. 152.

[26] II, num. 453, ad 4, p. 580.

[27] Cf. II, num. 179, ad 1-2, p. 233.

[28] II, num. 344, ad 1, p. 419. Cf. num. 455, ad 2, p. 585.

[29] Ibid., ad 1, p. 419.

[30] Ibid.

[31] II, num. 482, sub *Respondeo*, p. 666.

[32] II, num. 483, sub *Respondeo*, p. 668. Cf. II, num. 387, ad 2, p. 465.

[33] II, num. 483, sub *Respondeo*, p. 669: « Et haec est ratio quare substantia simplex corpori unitur, ut videlicet appetitus suo desiderabili coniungatur et sic in actu vigeat et vita in ea perficiatur. Si enim completus esset in se eius appetitus, nunquam corpori essentialiter uniretur. Per appetitum ergo corpori unitur et inseparabiliter se tenet, nisi sit defectus ex parte corporis, et ut per hoc suo actui coniungatur et vita perficiatur; per appetitum etiam variis motibus movet corpus, ut etiam ipsum perficiat et ipsa perficiatur ».

ut anima perficiatur, similiter et appetitus animae est ut corpus perficiat et illud perficiendo pleniorem sortiatur perfectionem. Iste autem appetitus mutuus est causa colligationis illorum ad invicem et communicationis vitae[1]».

49. — Ex iis sequitur quod immediate et per se anima corpus informat sive se ipsa unibilis est[2]. Ait enim Alexander[3]: «Dicendum quod ratione sui ipsius, nec est ad aliud principium in ipsa reducere, et ideo haec differentia recte dicitur essentialis in illa consideratione; et licet uniatur cum suis potentiis, per se tamen est unio substantiae ad substantiam corporis». Attamen in aptatione corporis ac animae praevia ad unionem, media quaedam intercidunt «in quadam congruitate rei utriusque generis ad invicem distantis, non quoad rationem unionis[4]». Rem plane declarat Alexander ad sensum Augustinismi mediaevalis: «Dicendum quod anima rationalis coniungitur suo corpori ut motor mobili et ut perfectio formalis suo perfectibili. Prout autem est motor, habet potentias medias quibus movetur corpus prout est organum animae, et illa via dicitur habere potentias pro medio; praeterea, spiritus, qui dicuntur vitalis et animalis, deferunt tamquam ministrantes actum virium per corpus. Eo autem modo quo est perfectio et corpus perfectibile, licet habeat dispositiones praeambulas, quae dicuntur quodam modo media, non tamen exigitur medium in unione, immo se ipsa unitur anima corpori[5]». Ista media sunt numero quatuor: duo ex parte animae, videlicet sensibilitas et vegetabilitas, ex parte corporis duo, scilicet humor et spiritus vitalis[6].

50. — Etsi anima immediate et per se corpus perficiat «ad modum formae cum materia[7]», tamen ipsa non est corporeitatis forma, sed actus corporis iam organizati[8]. Hoc docet expresse Halensis et post illum omnes doctores scholae franciscanae, praesertim S. Bonaventura et B. Duns Scotus[9]. Generaliter enim forma non unitur materiae nisi adsint dispositiones praeviae quae subiectum praeparent[10]: quod etiam S. Bonaventura tenet[11]; immo in corpore humano mixtio perfecta elementorum, suam formam habens sicut et aliae mixtiones[12], appetit formam ultimam, quae est anima[13]. Hac ratione «anima est principium essentiale corpori; non enim est ei principium totius esse, sed partis: non est principium corporis quia corpus, sed corporis quia vivens in actu; et sic est ei principium partis esse[14]». Praeterea, anima est in se hoc aliquid seu «habet aliquam individuationem praeter materiam[15]»; non est ergo primo et proprie perfectio sive actus materiae. Dicit equidem Alexander[16]: «Licet enim quaedam sit similitudo animae et corporis et formae ad materiam, tamen est dissimilitudo secundum modum iam dictum. Est enim anima hoc aliquid praeter suam materiam: quod non est dicere in forma simpliciter naturali. Unde non est ibi proprie actus materiae, sed actus naturalis corporis completi in forma naturali, quae forma dicitur forma corporalis. Sic ergo habet proprium modum unionis, et ideo vocat B. Bernardus istam unionem proprio nomine unitatem nativam». Aliis verbis anima est forma ultima inter perfectiones completivas corporis humani[17].

51. — Cum anima sit ex natura sua substantia spiritualis, vitae intellectivae capax, et corpori immediate uniatur[18] ut perfectio substantialis ac motor[19] sine sui diminutione[20], statim patet qualis est modus eius existendi in corpore[21]. In quantum enim est actus corporis, ita est perfectio totius quod nullius partis. Ratione etiam eius essentiae est ubique, nec maior in maiori parte vel minor in minori. Si vero consideretur ut agens, distinguere oportet secundum diversas operationes. Quoad actum intelligendi simpliciter sumptum, omnino independens est a corpore vel organo, quocumque extat: quapropter non dicitur esse in parte determinata corporis. Idem dicendum est de actu amoris simpliciter, cum sit praeter corpus. Si e contra agatur de actu intellectionis «cum phantasmate», determinat sibi anima partem corporis, cum istud intelligere sit compositi, et «secundum hoc dicitur media cellula capitis logistica sive rationalis[22]». Eodem modo anima in quantum est motor, dicitur primo esse in corde ratione motus vitalis[23], et ubique in corpore ratione motus localis.

52. — Simplex et una in se, «tamen anima habet pluralitatem virium[24]» necnon operationes multiplices[25]. Ratio huius est quia est immaterialis ac simplex[26] et quia

---

[1] Ibid., ad 4, p. 670.

[2] II, num. 112, ad 3, p. 151; num. 477, ad 4 et ad *b*, p. 652.

[3] II, num. 112, ad 3, p. 151.

[4] II, num. 345, ad *a*, p. 420.

[5] Ibid., *Solutio*, p. 420.

[6] II, num. 346, p. 420 sq. Si anima consideretur ut motor, sex media assignantur, II, num. 345, ad 2, p. 420. Notandum est quod *Summa* (II, num. 489, ad 4, p. 683) non admittit informationem successivam per animam vegetabilem et sensitivam ante infusionem animae.

[7] II, num. 347, *Solutio*, p. 422. Cf. II, num. 435, ad 4, p. 528.

[8] II, num. 343, ad 2, p. 417.

[9] Cf. P. Z. Van de Woestyne, op. cit., II, 608-613; Schneider, op. cit., 20 sqq.

[10] I, num. 55, *Solutio*, p. 83.

[11] *Collationes in Hexaëmeron*, IV, n. 10 (V, 351).

[12] II, num. 436, ad 1, p. 530: «Miscibilia in mixto non sunt distincta secundum locum et situm, quia habent unam formam et unam corporeitatem».

[13] II, num. 437, ad 1, p. 532. Loquitur hic directe Halensis de primo homine.

[14] I, num. 46, I, ad 1, p. 73a. Cf. R. Harris, *Duns Scotus*, I, 161-163.

[15] II, num. 347, *Solutio*, p. 422.

[16] Ibid., ad 1-7, p. 422.

[17] II, num. 444, ad 4, p. 548: «Praeterea, philosophi posuerunt materiales dispositiones et corpora ordinari ad animam, non quia anima sit finis eorum sive causa finalis, sed quia inter formas completivas et perfectiones corporum ultimum gradum et terminum tenet nobilitatis et dignitatis». Cf. ibid., ad *c*, p. 548.

[18] II, num. 477, ad 4, p. 652; num. 478, ad 6, p. 654.

[19] II, num. 453, ad 4, p. 580.

[20] II, num. 483, ad 2, p. 669.

[21] II, num. 348, p. 422. Cf. II, num. 331, ad 2, p. 403: «Tota autem dicitur esse in qualibet parte corporis uno modo, ut totalitas ad perfectionem essentiae referatur, non autem tota dicitur in qualibet parte corporis secundum totalitatem virium».

[22] II, num. 348, *Solutio*, p. 423; II, num. 453, *Solutio*, p. 578.

[23] II, num. 477, ad 4, p. 652; num. 480, ad 1 et 2, p. 657 sq.

[24] II, num. 350, *Solutio*, p. 426; II, num. 453, *Solutio*, p. 578-580.

[25] II, num. 434, ad 1, p. 525. Hac ratione corpus est maxime compositum, II, num. 434, p. 524 sqq.; II, num. 453, *Solutio*, et ad 4, p. 580; num. 483, ad 4, p. 670.

[26] II, num. 453, *Solutio*, p. 579 sq.

natura diversitatem virium facit ubi forma multiplicari nequit[1]; insuper « illa summa perfectio, qua omnia uno aguntur, non convenit nisi soli Deo[2] ». Tres numero extant vires istae, videlicet vegetativa, sensitiva et intellectiva, quae sub se potentias multiplices comprehendunt[3]. Hae facultates in ratione potentiae non omnino identificantur cum anima ipsa. Hac in re Halensis, viam pandens S. Bonaventurae[4], sententiam Guillelmi, episcopi Parisiensis, Thomae Galli, aliorumque sine dubio reiecit. Cum enim in Deo essentia, potentia ac operatio idem sint, necessario in creaturis differunt[5]. Eadem ratione nullus actus creaturae est omnino coaevus suae potentiae; unde « nihil est sua potentia penitus praeterquam Deus[6] ». Nec facultates animae ad modum accidentis concipi possunt, ut Aristotelis sequaces opinantur[7], quia accidentia ad quidditatem rei non pertinent et anima nec existit nec intelligitur sine potentiis suis et vice versa[8]. Iis suppositis sequitur quod potentiae sunt ipsi animae consubstantiales, quod clare proponit Halensis[9]: « Dicendum quod 'anima est quaedam sua', ut fiat distinctio inter potentias substantiales sive vires ex una parte et accidentia ex alia, quantum ad hoc quod potentiae et vires substantialiter adhaerent et unum sunt cum anima quantum ad substantiam, non dico quantum ad essentiam: potentiis enim substantialibus subsistit anima; accidentia vero, ut prudentia, fortitudo et huiusmodi, non adhaerent substantialiter, quia haec accidentaliter adsunt. Unde potentiae et vires substantiales dicuntur idem quod anima ratione indivisionis et adhaerentiae substantialis, accidentia vero non, quia substantialiter non adhaerent[10] ». Ita ad genus substantiae reductae, potentiae non se habent relate ad animam ut partes proprie constitutivae vel « eo modo quo continuum habere partes dicitur vel discretum[11] »; attamen « proprie dicuntur partes quae particulant substantiam animae vel multiplicatam ostendunt[12] », videlicet potentia vegetativa, sensitiva ac rationalis, et partes virtuales facultatis intellectualis sunt memoria, intelligentia et voluntas[13]. Vires animae in se ipsis primo distinguuntur, « consequenter autem quaedam differunt per actus differentes in specie, quaedam differunt per organa, quaedam per obiecta, quaedam secundum materias[14] ». Sic dignoscuntur per organa vis naturalis, vitalis et animalis[15], per materias super quas operantur potentiae diversae vegetativae, per actus specifice differentes potentia rationalis, sensibilis ac vegetabilis, et penes obiecta vis animae cognitiva et motiva.

53. — Tractatum de potentiis speciatim evolvendo, plura notabilia tradit Halensis, praesertim de cognitione sensitiva, de intellectu agente ac possibili et de libero arbitrio. Ipse enim primus inter scholasticos parisienses doctrinas psychologicas Augustini necnon Aristotelis, Avicennae et Damasceni satagit in concordiam reducere ampliori magisque discussa synthesi.

54. — Sensus est vel exterior vel interior[16]. Exteriores sensus numero quinque extant[17] et inter se distincti ex eorum propria natura, necnon secundum numerum quinque medietatum sensibilitatis in organis[18], secundum obiecta propria, modum diversum sentiendi et tandem per differentiam effectuum productorum a vi cognitiva sensibili mediante luce, ut tenet S. Augustinus[19]. Quasi praeambula intellectivae cognitionis humanae sunt perceptiones sensibiles[20], non tamen quoad omnia intelligibilia, sed tantum respectu eorum quae mediante experientia sensibili cognoscuntur, quia formae secundum se separatae a materia, videlicet Deus, spiritus creati ac virtutes habitusque in anima, non apprehenduntur per abstractionem[21]. Praeterea, respectu sensibilium tantum anima dicitur tabula rasa[22], ut cum Halensi tenent S. Bonaventura, Matthaeus ab Aquasparta necnon traditio philosophica Patrum a Thomassino enucleata[23]. Obiecti contactu « sensus convertit se ad formas in materia » dum e contra

---

[1] II, num. 350, ad 1, p. 426.

[2] II, num. 118, ad 2, p. 160.

[3] II, num. 352, p. 427; num. 354, p. 430; num. 362, p. 439; num. 368, p. 446. Cf. Schneider, op. cit., 544, nota 2.

[4] Cf. Gilson, op. cit., 327-333.

[5] II, num. 116, *Solutio*, p. 158: « Dicendum quod potentia non est eadem penitus quod essentia. Dici tamen potest idem, sicut in anima rationali, quia se ipsa omnino potest ». Cf. II, num. 349, *Solutio*, p. 425; num. 350, ad 2, p. 426.

[6] II, num. 117, *Solutio*, et ad 1, p. 159.

[7] II, num. 116, ad 2, p. 159.

[8] Cf. II, num. 349, *Solutio*, p. 425.

[9] II, num. 116, ad 2, p. 159.

[10] Cf. II, num. 475, *Solutio*, p. 647b; Schneider, op. cit., 37: « Einen Mittelweg suchte Alexander von Hales einzuschlagen... Diese Bestimmung, der auch Bonaventura zuneigt, fand ihre schärfere logische Formulierung durch Duns Scotus, der seine distinctio formalis auf sie anwandte ».

[11] II, num. 351, *Solutio*, p. 426b.

[12] Ibid.: « Non sic autem est de quinque viribus sensuum vel aliis differentiis potentiarum ».

[13] II, num. 58, *Solutio*, p. 73b; num. 331, ad 2, p. 403; num. 351, *Solutio*, p. 426.

[14] II, num. 352, *Solutio*, p. 427.

[15] Ibid. Cf. II, num. 353, *Solutio*, p. 429.

[16] II, num. 354, p. 430.

[17] II, num. 355, p. 431. « Dicuntur tamen unus sensus propter hoc quod sentienti non apparet differentia virium intra... Praeterea, unus dicitur sensus propter unitatem substantiae in qua radicatur » (II, num. 354, *Solutio*, p. 431).

[18] II, num. 355, ad 1, p. 432; num. 356, *Solutio*, p. 432b sq.

[19] Ibid., p. 433a. Cf. Endres, art. cit., 257-259. A natura ipsa perfectio sensitivae est (II, num. 502, ad 8, p. 720); unde circa proprium sensibile non fallitur sensus, dummodo sit bene dispositus, etsi in communi sensibili vel in sensibili per accidens bene possit falli (II, num. 246, *Solutio*, p. 302a; num. 354, ad 2, p. 431).

[20] II, n. 121, *Solutio*, p. 165: « Intellectus enim possibilis humanus indiget ministerio sensus praeambulo et ministerio virtutum sensibilium, quod non est in angelo ». Cf. II, num. 112, *Solutio*, p. 151a.

[21] II, num. 368, II, ad 1-2, p. 448: « Abstractio non currit secundum formas secundum se abstractas, sicut est forma intelligentiae angelicae, vel circa formas scientiarum aut virtutum quae sunt in anima, sed circa formas intelligibiles abstractibiles ». Cf. II, num. 369, p. 449; num. 370, III, *Solutio*, p. 450: « Ea vero quae sunt intra [animam], sicut sunt scientiae et virtutes et quod ipsa anima se ipsam cognoscit, quia non est necesse similitudines alias ab intelligibilibus pervenire ad intellectum, ideo non computantur in vi separata, sed cognoscuntur a vi in qua nata sunt esse ». Cf. II, num. 486, sub *Respondeo*, p. 675b.

[22] II, num. 369, p. 449b: « Unde quod dicitur intellectus possibilis tabula nuda et anima rationalis ratione illius, hoc intelligitur ratione illius cognitionis intelligibilium quam accipit inferior sensus ».

[23] Lescœur, *La théodicée chrétienne d'après les Pères de l'Eglise*, Paris 1852, p. 67, 241. Cf. Gerdil, *Défense du sentiment du P. Malebranche*, *Opp. omnia*, IV, Romae 1806, 16sqq.

« intellectus convertit se ad formas abstractas a materia [1] ». Hac conversione, mediante specie [2], cuius necessitatem tum in perceptione sensitiva tum in intellectuali cognitione valde urget Halensis [3], formas concretas seu in materia apprehendit [4]. Hanc collaborationem sensus ad cognitionem intellectualem frequenter inculcat Alexander [5], praesertim in tractatu *De corpore humano* [6], ubi inter alia expresse scribit [7]: « Quando enim est defectus aliquis ex parte organi, propter quem non est expeditum ad cooperandum illis quae requiruntur ad habendum scientiam sive perfectionem scientiae, oportet ipsam animam deficere ab illa perfectione ».

55. — Supra sensum exteriorem extat facultas sensibilis interior, tum cognitiva, tum motiva, quae vires plures, ab Augustino, Damasceno et Avicenna diversimode descriptas, comprehendit [8]. Circa formas sensibiles est vis apprehensiva, videlicet sensus communis, vis retentiva, quae est phantasia, et ultimo loco vis componens vel conferens, scilicet imaginatio [9]. Phantasia imaginationem praecedit, quia « formae sensibiles, quas oportet componere vel supra quas negotiatur imaginativa, veniunt ab extra per sensus, et nisi essent fixae intra, non esset compositio imaginativae super illas abeunte sensu [10] ». Circa vero intentiones formarum sensibilium versantur aestimativa, quae est facultas cognoscitiva, et vis custodiens, videlicet memoria sensibilis, quae proprio organo utitur [11]. Inter has facultates praeeminent imaginatio, aestimativa ac sensus communis. Imaginatio est potentia componendi et dividendi intentiones sensibilium formarum [12]. Sic proprie designatur, cum illam compositionem vel divisionem exequatur sub imperio naturalis aestimativae; excogitativa vero dicitur « si virtus rationalis imperaverit ei et reduxerit eam ad id quod ei prodest [13] ». Si accipiatur latiori sensu « pro omni vi attingente formas absente materia [14] », omnes facultates cognitivae interioris sub ipsa comprehenduntur; secus vero, si proprie dicatur, cum specialiter sit facultas compositiva et divisiva imaginum; aestimativa vero ultra imaginationem et sensum procedit. Percipit enim, ut vult Avicenna et cum illo Halensis, non singulare ipsum, sed quasdam eius conditiones, « ut bonitatem et malitiam, sive nocumentum et iuvamentum [15] ». Has impressiones boni et mali non sibi efformat aestimativa « ex sensibus particularibus [16] », sed habet illas iam apud se, cum sint « ab intra innatae [17] »; hac ratione illas apprehendere potest extra se in obiecto, non independenter tamen a materia [18], cum sit proprium aestimativae rationalis sic abstracte illas percipere [19]. — Immediatius sensus communis, qui etiam sensus interior sensibilis vocatur [20], ad cognitionem concurrit. Etenim ad ipsum omnia organa sensuum particularium conveniunt ut ad unam radicem [21]. Unde, cum in obiecto a sensibus particularibus non differat, « omnia sensu percepta recipit et propter eorum formas patitur, quae in ipso copulantur [22] », secus « nunquam esset collatio sive discretio sensibilium sensuum diversorum [23] ». Ibi sensatio perficitur [24] et de obiecto « completur iudicium [25] », et sic in sensu communi falsitas accidit. Iis verbis constat quod tum sensui communi [26], tum perceptioni sensibili [27] iudicium quoddam attribuit Halensis post S. Anselmum et Avicennam. Non aliter sentit S. Bonaventura, ut E. Gilson optime notavit [28], eo quod facultates omnes animae consubstantiales sint et sic in rationalitate radicentur. Hoc modo activitas facultatis sensibilis optime declaratur [29].

56. — Praeter has apprehensivas facultates, vis sensibilis etiam motivas potentias sub se comprehendit. Inter has connumerari potest phantasia et aestimativa in quantum disponunt ad motum, appetitum inclinando [30]. Proprie tamen sic vocantur vis concupiscibilis ac irascibilis [31] et sensualitas [32], de qua philosophi non sunt locuti, sed

---

[1] II, num. 354, ad 2, p. 431. Cf. I, num. 16, ad 1, p. 27; num. 90, ad 3, p. 146. Ratione huius scribit B. Hauréau, *De la philosophie scolastique*, I, Paris 1850, p. 431: « Remarquons que la distinction si nettement établie par Aristote entre le domaine de l'intelligence et le domaine de la sensibilité est acceptée et bien exposée par Alex. de Halès ».

[2] II, num. 212, *Solutio*, p. 262: « Sensibilia, gignendo similitudines suas de se et immittentes eas per sensus, imprimunt eas in organo sensus communis sive in phantasmate; ex qua impressione efficitur quod anima intelligat illud cuius impressio relinquitur in phantasmate sive in organo sensus communis, eo quod virtutes inferiores cognitivae deserviunt intellectivae ut a quibus accipit intellectiva per maiorem abstractionem ». Cf. II, num. 190, *Solutio*, p. 245.

[3] II, num. 212 *Solutio*, p. 262; I, num. 133, ad 4, p. 204: « Est potentia quae non indiget materia subiecta, indiget tamen specie obiecta, ut patet in potentia animae »; I, num. 178, sub *Respondeo*, p. 263: « Oportet enim praesentiam rei apud sensum esse, et similitudinis eius vel alicuius ipsum contingentis, cum videtur apud intellectum »; I, num. 448, sub *Respondeo*, p. 641: « Species est ratio et principium cognoscendi; unumquodque enim cognoscitur per speciem suam ». Cf. I, num. 172, ad 2, p. 255; num. 173, ad 1, p. 256; num. 464, sub *Respondeo*, p. 665.

[4] II, num. 119, ad 1 et 3, p. 162sq. Sensus ob suam materialitatem (I, num. 8, ad 5, p. 16) formam intelligibilem abstractam non percipit (II, num. 381, ad 1, p. 460).

[5] II, num. 119, ad 1, 3 et 5, p. 162sq.; num. 212, *Solutio*, p. 262.

[6] II, num. 502, ad 2 et 8, p. 719sq.; cf. II, num. 453, *Solutio*, p. 578b; num. 516, ad 2, p. 762.

[7] II, num. 502, ad 6, p. 720.

[8] II, num. 357-361, p. 434sq.

[9] II, num. 361, I, p. 438.

[10] II, num. 361, III, p. 438.

[11] Ibid.; Cf. II, num. 488, ad 4, p. 681.

[12] II, num. 357, ad 1, p. 435.

[13] Ibid., *Solutio*, p. 435. Cf. II, num. 363, *Solutio*, p. 440.

[14] II, num. 358, ad 1-2, p. 435.

[15] II, num. 361, I, p. 438.

[16] II, num. 361, II, *Solutio*, p. 438.

[17] Ibid., III, *Solutio*, p. 438. Modo analogo intellectus habet apud se impressiones entis et boni (I, num. 345, *Solutio* et ad 2, p. 513).

[18] II, num. 359, ad 1, p. 436.

[19] Ibid., ad 2, p. 436.

[20] II, num. 383, *Solutio*, p. 462.

[21] II, num. 360, litt. *d*, p. 437.

[22] Ibid., litt. *f*, p. 438.

[23] Ibid., litt. *e*, p. 437.

[24] Ibid.

[25] Ibid., litt. *d*, p. 437.

[26] I, num. 97, sub *Respondeo*, p. 155: « Est sensus exterior sive particularis, in quo non accidit falsitas; et est sensus interior sive communis, ad quem pertinet iudicare differentias et communia sensuum et componere et dividere de sensibilibus: et in ipso accidit falsitas, sicut dicit Anselmus ».

[27] I, num. 90, ad 3, p. 146.

[28] Op. cit., 340-345.

[29] E. Gilson, op. cit., 340, 349.

[30] II, num. 362, p. 439.

[31] II, num. 367, p. 444sq.

[32] II, num. 363-366, p. 440sqq. Cf. Schneider, op. cit., 445, 544, nota 2; Endres, art. cit., 264-266.

quam egregie exponit S. Augustinus [1]. Iuxta Halensem et S. Bonaventuram [2] facultas haec est complexa, comprehendens cognitivas sensibiles ac motivas [3], sed in ordine ad rationem [4], contra quam ex poena peccati originalis sese erigit [5]. Si tamen sensualitas determinatur in quantum est communis brutis et hominibus, « forte... est idem quod appetitiva irrationalis mota a phantasia [6] ». Nec proprie dicitur rationis inferior pars, quia sensualitas est vis sensibilis, ratio autem ad facultatem intellectualem pertinet [7].

57. — Diffusius, ut convenit, de vi rationali disserit Halensis [8]. Imprimis intendit definitiones divisionesque rationalis potentiae, a Pseudo-Augustino, Damasceno et Aristotele propositas, harmonice componere [9]. Huius causa notat quod illae divisiones ad duas classes reducuntur [10]. Ad primam pertinent, etsi differenter, divisiones Augustini ac Aristotelis, de quibus hic unice agendum est. Augustinus enim distinguit vim cognoscibilem in rationem, intellectum et intelligentiam, quia ratio percipit corporum quidditates, intellectus spiritum creatum et intelligentia spiritum increatum [11], et quidem si agatur de obiectis a materia separatis, independenter ab abstractione [12]. Aristoteles e contra unice secundum formas per abstractionem cognoscibiles modumque illas apprehendendi distinguit rationalem cognoscitivam in intellectum materialem, agentem et possibilem [13]. Aliis verbis « cum intellectus in divisione Augustini accipitur circa formas secundum se abstractas, in divisione vero Philosophi circa formas abstractibiles, patet quod non similiter accipitur intellectus utrobique [14] ». Unde Aristoteles « principaliter sistit circa ea quae sunt rationis, nihilominus tamen per ea pervenit ad cognitionem quamdam eorum quae sunt in intellectu et intelligentia [15] ». Dato consequenter quod ratio apud Augustinum versetur circa formas intelligibiles a corporibus abstractas, ei correspondent intellectus materialis et possibilis, prout illas facultates definit Aristoteles [16].

58. — Intellectus materialis apud Halensem accipitur aliquando pro ipso intellectu possibili [17]; communiter tamen dicitur pro facultate quae « cognoscit species in phantasmatibus [18] », et qua anima metaphysice ab angelis distinguitur [19]. Ut explicat Halensis, est ipsius animae ut est actus hominis in corpore [20]: unde operatio eius desinit organo eius destructo [21]. Cum species ibi recipiantur et sub quadam ratione universalitatis apprehendantur, iam proxime ordinantur ad abstractionem ulteriorem intellectus agentis [22]. De intellectu materiali non plus tradit Halensis, ita quod theoria eius parum discussa videatur et nullum influxum in S. Bonaventuram habuerit.

59. — Amplius e contra et maturius de intellectu agente et possibili disserit [23]. Saeculo XIII plures, inter quos Guillelmus Parisiensis, docebant quod « intellectus agens non est pars animae [24] ». E contra Alexander et cum ipso S. Bonaventura [25] tenet quod intellectus agens et possibilis sunt ipsius animae [26]. Hae tamen facultates non se habent ut potentiae realiter distinctae, sed ut duae differentiae eiusdem potentiae intellectivae [27]. Secundum Halensem « intellectus agens et intellectus possibilis sunt duae differentiae in anima rationali, quarum una, scilicet intellectus agens, est ex parte formae ipsius animae, secundum quod est spiritus, altera vero, scilicet possibilis, est ex parte suae materiae, qua est potentia ens respectu cognoscibilium quae fiunt in ea [28] ». Quoad haec non videtur S. Bonaventura aliter sentire, etsi aliqui contrarium opinentur [29], cum iuxta Alexandrum intellectus possibilis non sit pure materialis sive passivus ut materia prima, quia de se habet formam: unde reflectitur

---

[1] II, num. 366, II, p. 444.

[2] II *Sent.*, d. 24, p. 2, a. 2, q. 2, Scholion (II, 579).

[3] II, num. 364, ad 1 et 2, p. 441.

[4] II, num. 363, *Solutio*, p. 440.

[5] II, num. 366, II, p. 444.

[6] Ibid.

[7] II, num. 365, I, ad 1, p. 442b.

[8] II, num. 368, p. 446 sqq.

[9] II, num. 368-370, p. 446 sqq.; Endres, art. cit., 267-270.

[10] II, num. 368, *Solutio*, p. 447: « Attenditur divisio rationalis cognitivae secundum respectum ad veritatem in formis intelligibilibus sine complexione entibus et secundum respectum ad veritatem in complexionibus vel compositionibus formarum intelligibilium ».

[11] Ibid. Secundum hoc quaedam intelligibilia dicuntur iuxta rationem et infra, quaedam vero intra et supra (II, num. 370, III, *Solutio*, p. 450).

[12] II, num. 368, II, ad 1-2, p. 448.

[13] I, num. 17, sub *Contra*, p. 27; II, num. 368, IV, *Solutio*, p. 448; num. 369, p. 449.

[14] II, num. 368, II, ad 1-2, p. 448.

[15] Ibid., *Solutio*, p. 448a.

[16] Ibid., II, ad 1-2, p. 448. Cf. Rohmer, art. cit., 110.

[17] II, num. 328, ad 4, p. 399.

[18] II, num. 368, p. 446. Cf. Rohmer, art. cit., 111-113; Endres, art. cit., 273-275.

[19] II, num. 112, *Solutio*, p. 151a.

[20] II, num. 374, ad 3, p. 454.

[21] Ibid. Cf. II, num. 371, *Solutio*, p. 451.

[22] Ibid., p. 451: « Unde, sicut sensus brutalis non dicitur universalis neque per se neque per accidens, sed solum singularis, sensus vero humanus est utriusque, scilicet universalis et singularis, ita contingit in vi interiori ut sit phantastica habens phantasmata secundum quod huiusmodi, non ut possibilia ad species abstrahendas ab intellectu; intellectus vero materialis habet species in phantasmatibus, quas possibile est abstrahi per intellectum agentem, ut uniantur cum possibili ». Cf. Rohmer, art. cit., 111: « On pourrait objecter, nous dit-il [Alexandre], que, selon le texte d'Aristote, la puissance sensible de l'imagination suffit à mettre les représentations sensibles en présence de l'intellect agent et de l'intellect possible, et qu'Aristote, d'ailleurs, ne semble connaître que ces deux parties de l'intellect. Mais ce serait mettre l'intellect humain en présence de la connaissance sensible telle qu'elle existe chez les animaux. Alexandre de Halès maintient au contraire l'existence d'un propre de l'homme et la présence dans la sensibilité humaine d'une différence spécifique ».

[23] II, num. 372-375, p. 451 sqq. Cf. II, num. 104, litt. *b*, p. 132; num. 121, p. 165.

[24] Cf. R. Baco, *Opus maius*, II, c. 5, ed. Bridges, III, Edimburgh 1900, 45 sqq.; *Opus tertium*, c. 23, ed. J. S. Brewer, London 1859, 74 sqq.; R. Marston, *Quaestio disputata*, in *De humanae cognitionis ratione*, Ad Claras Aquas 1883, 207 sqq.; Gilson, art. cit., p. 46-111.

[25] II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 4, Scholion (II, 571); Gilson, op. cit., 347.

[26] Etiam in angelis est intellectus possibilis, in quantum recipit illuminationes a Deo, et intellectus agens, prout « intellectus agentis proprie sumpti est educere potentiam intelligendi in actum, et hoc per acceptionem specierum a phantasmatibus » (II, num. 121, ad 2-3, p. 165). Ibi tamen nonnisi ratione sive logice differunt (II, num. 372, III, sub 2, p. 452. Cf. II, num. 130, ad 1, p. 178).

[27] II, num. 372, III, *Solutio*, p. 452.

[28] Ibid.

[29] Rohmer, art. cit., 115 nota 1.

super se in cognitione[1]; nec cognitio fit, secundum ipsum, sine conversione ad similitudines rerum abstractas[2]. Ratio, quare intellectus agens ponendus est ut facultas differens, sumitur ex hoc principio aristotelico quod facultas non reducitur de potentia in actum nisi per illud quod iam est in actu; cum ergo intellectus sit in potentia ad omnia cognoscibilia, sequitur quod ad actum intellectionis perducitur per aliquid in actu[3]. Illud quod talem actuationem efficit est ipsius animae, nec potest esse aliqua substantia separata[4]. Secus enim anima, quae est imago Dei, nimis potentiae sensitivae inferior evaderet[5]. Insuper exemplum in opposito allegatum, videlicet quod sensus indiget luce exteriori ut obiectum apprehendat, non valet; quod optime declarat Halensis[6]: « Nec oportet ponere intellectum agentem separatum in substantia ab ipsa anima, sicut lux in sensu separata est in substantia ab ipso sensitivo. Est enim ipse spiritus in se habens lumen quoddam naturale, ratione cuius habet actum intelligibilium, a principio scilicet creationis, ex parte scilicet illa qua est substantia immaterialis secundum se separata, licet ex alia parte corpori sit coniungibilis: non enim videtur quod ita condiderit animam rationalem ad imaginem suam quin ei dederit perfectionem aliquam respectu cognoscibilium. Ex illa vero parte qua habet hanc perfectionem cognoscibilium ad quamdam similitudinem Primi, ex illa est intellectus agens ». Hoc confirmatur, quia in angelo intellectus agens est ipsius angelicae substantiae[7], non vero quid extrinsecum[8]. Consequenter anima est se ipsa perficiens. Non tamen hoc valet quoad omnia intelligibilia, sed respectu eorum quae per abstractionem cognoscuntur et infra ipsam sunt, ut expresse declarat Halensis[9]. Ut autem cognitionem eorum, quae sunt supra se ipsam, perficiat, ex se non est sufficiens, ut logice deducit Halensis; unde oportet quod respectu aliquarum intellectualium formarum cognitio fiat per agentem qui est supra intellectum, sed « non est necesse ponere agentem separatum quoad omnia intelligibilia cognoscenda[10] ». « Dicendum est ergo quod agens non dicitur esse actu, quia omnes formas a principio intelligit, sed ab agente primo illuminatur, et iam non respectu omnium, sed respectu quarumdam formarum, et cum est illuminatus, perficit etiam possibilem illo modo[11] ». Secundum cl. E. Gilson[12], formae intelligibiles, ad quas posse animae non se extendit, sunt cognitiones stricte supernaturales et propheticae; attamen rectius dici potest cum P. O. Keicher, O. F. M., quod illuminatio illa, qua Deus est agens separatum respectu animae, non restringitur ad veritates propheticas, sed extenditur ad ipsam cognitionem Dei, immo quasi certo ad cognitionem omnium quae facultatibus superioribus animae, videlicet intellectu et intelligentia, attinguntur[13]. Cum enim Alexander formam intelligibilem designat quae est supra intellectum, constanter Ens primum nominat[14]: « Aliqua forma est intelligibilis quae est nobilior intellectu rationali, sicut sunt ea quae sunt in divinis[15] ». Haec conclusio optime concordat cum iis quae obiter[16] Halensis docet in aliis locis de illuminatione intellectus per Deum[17] et de duplici modo cognitionis in via[18]. Secundum ipsum, Deus, qui est lux summa[19], praesens omni intellectui[20], respectu animae est quasi magister interior supremus[21]. Omnibus se praebet ut lux intelligibilis quae manifestat se et alia, ut Hilarius et Augustinus saepius proclamant[22]. Ita fit ut Deus, non secundum cognitionem discursivam, sed « quantum ad cognitionem naturae, se ipso est primum principium in intellectu et cognoscitur[23] ».

60. — Sua actione intellectus agens abstrahit species[24], illas diiudicat[25] et intellectui possibili unit, sic illum

---

[1] II, num. 373, ad 2, p. 453.

[2] I, num. 172, ad 2, p. 255. Iuxta haec B. Hauréau, op. cit., I, 431, addit: « Quelquefois même l'activité, qui lui est propre, n'attend pour se manifester aucune impression extérieure. C'est ainsi qu'elle s'élève par elle-même à la contemplation, à la conception des choses surnaturelles et qu'elle recueille les purs intelligibles ». Cf. II, num. 369, p. 449.

[3] II, num. 372, I, p. 451. Cf. II, num. 375, sub *Contra*, p. 455.

[4] II, num. 372, III, p. 451 sq.

[5] Ibid., III, sub litt. *a*, p. 451: « Inconveniens est ponere partem intellectivam non sibi sufficientem ad intelligendum, cum intellectiva pars sit perfectior sensitiva et vegetativa; videmus autem vegetativam sibi sufficientem, et sensitivam; multo fortius intellectiva secundum se habebit sufficientiam ad intelligendum ».

[6] Ibid., *Solutio*, p. 452.

[7] II, num. 121, ad 2, p. 165.

[8] II, num. 372, III, sub 2, p. 452.

[9] II, num. 372, ad 2, p. 452: « Pars ergo intellectiva in anima quae coniuncta est parti sensibili, ex illa parte est possibilis et sufficientiam habet ex agente et viribus praeambulis sensibilibus, ut educatur de potentia ad actum ».

[10] Ibid., ad 1, p. 452. Cf. II, num. 104, litt. *b*, p. 132.

[11] Ibid., p. 452.

[12] Art. cit., 86-87.

[13] Hoc deducitur dupliciter. Primo, Halensis dicit intellectum agentem creatum sufficientem esse respectu cognitionis quae per viam sensus acquiritur (II, num. 272, IV, ad 2, p. 452), nullibi aliquid amplius ei attribuit. Secundo, divisio Aristotelis in intellectum materialem, agentem et possibilem nonnisi facultati cognoscitivae inferiori, videlicet rationi, correspondet, non vero intellectui et intelligentiae, ut Augustinismi sequaces has facultates concipiunt. Cum ratio versetur tantum circa cognitionem per abstractionem acquisitam, locus est illuminationi divinae quoad scientias altiores.

[14] I, num. 17, sub *Respondeo*, p. 28; II, num. 370, III, *Solutio*, p. 450: « Cum autem dicitur quod intelligentia immediate supponitur Deo, loquitur de eo quod est supra animam rationalem ».

[15] II, num. 372, III, sub *Contra*, p. 451.

[16] Rosenmöller, op. cit., 32.

[17] I, num. 20, ad 1, p. 31; cf. II, num. 127, ad 2, p. 173.

[18] II, num. 369, p. 449: « Est enim duplex modus: a parte inferiori mediante sensu et a parte superiori per illuminationem sive a principio datam, quae dicitur cognitio innata, alia dicitur acquisita sive ens subsequenter ».

[19] II, num. 108, ad 3, p. 143; num. 127, ad 4, p. 172.

[20] I, num. 90, ad 2, p. 146.

[21] II, num. 202, ad 1, p. 255; num. 519, ad 3, p. 771.

[22] I, num. 89, sub *Respondeo*, et ad 6, p. 143 sq.; num. 91, sub *Respondeo*, p. 147.

[23] II, num. 2, sub *Respondeo*, p. 3.

[24] Abstractionis processum non declarat ex professo Halensis. Aliquando dicit quod intellectus efformat sibi universale collatione sive comparatione singularium, ut dicit Boethius (I, num. 17, ad 2, p. 28). Attamen saepe aliud innuit, videlicet processum geneticum, dum ait quod abstractio fit ut species denudetur ac spiritualior sit (II, num. 130, *Solutio*, p. 178), et quod post abstractionem species « sunt sicut separatae » (II, num. 374, litt. *b*, p. 454). Insuper nitide declarat, sicut Ioannes de Rupella, quod universale continetur in obiecto singulari et nonnisi logice ab ipso distinguitur (I, num. 44, ad 1, p. 69; II, num. 370, *Solutio*, p. 450) quod sine dubio veram abstractionis notionem supponit.

[25] I, num. 16, ad 2, p. 27: « Visio corporalis sive imaginativa non erit visio prophetica vel divina, nisi adsit visio intellectualis quae formam corporalem et imaginariam abstrahendo diiudicet ».

perficiendo [1]. Secundum Halensem nullum dubium quin intellectus possibilis sit ipsius animae tamquam potentia essentialis [2], quae determinat primum esse facultatis intellectivae [3]. Anima enim, licet sit ultimus actus respectu corporis possibilis ac perfectibilis, remanet in ordine cognitionis [4]. Cum primo sit ens in se et non solum actus et forma corporis, intellectus possibilis ad animam pertinet in quantum primo aspectu consideratur [5]. Eius est intelligere mediante specie iam abstracta a phantasmate [6].

61. — In potentia intellectiva considerandi sunt etiam, praeter partem inferiorem et superiorem rationis [7], sensus interior et memoria. Spiritualis sensus vel interior fundatur in anima in quantum est spiritus, non vero prout mens dicitur [8]. Per analogiam ad res corporales, sic vocatur intellectus [9]: unde etiam plures dicuntur sensus spirituales propter modum diversum apprehendendi, non tamen ratione potentiae vel obiecti [10]. Omnes non sunt eiusdem facultatis: « dicitur enim aliquando sensus interior pertinens ad intellectum, aliquando pertinens ad affectum ». Ut tenent S. Augustinus et schola S. Victoris, invisibilia ac divinitatem sensus interior contemplatur [11]; impeditur tamen cum anima intendit operationi sensus exterioris, quia tunc attentio eius nimis divisa est [12]. Haec breviter dicta et a S. Bonaventura profundius proposita [13], ex S. Bernardo pro maxima parte desumuntur.

62. — Ad mentem S. Augustini de memoria disserit Halensis. Praeter enim sensitivam memoriam datur intellectiva [14]. « Eadem est in substantia cognitiva intelligibilium et memoria intelligibilium [15] »; unde ratione potentiae minus distinguitur ab intelligentia quam memoria sensibilis quae utitur organo et ad vitam sensitivam pertinet [16]. Duplex est, videlicet acquisita et innata. Memoria acquisita sequitur notitiam seu quoad fieri procedit ex intelligentia ac voluntate; memoria innata vero dicitur « vis conservativa similitudinis primae veritatis impressae a creatione [17] ».

63. — Ex iis quae iam diximus satis constat quid sit obiectum intellectus humani secundum eius tres aspectus, videlicet rationem, intellectum et intelligentiam [18]. Ulterius notandum quod anima, in quantum est immaterialis et imago Dei [19], est in potentia ad infinita cognoscenda [20] et ita Deum apprehendit ut illum ignorare non possit [21]. In hoc praecise consistit eius nobilitas quod ad hoc nobilissimum obiectum ordinatur [22]. Praeterea, se ipsam et ea quae sunt intra ipsam, utpote virtutes et scientias, directe apprehendit, nulla specie ab extrinseco mediante [23]. Quoad singularia mens Halensis non est omnino explicita, tamen non sine gravi fundamento dici potest, M. Hauzeur consentiente [24], quod secundum ipsum noster intellectus intelligit singularia directe [25]. Tandem sibi efformat anima conceptus universales: unde post rem seu formaliter universalia sunt conceptus in intellectu existentes [26], dum vero ante rem sunt ideae in mente divina [27] et « secundum actum existendi dependet a singularibus universale [28] ». Ex iis constat Halensem inter realistas moderatos adnumerandum esse [29]. — Non minus scholasticis XIII saeculi consentit dum asserit quod « quidquid cognoscitur, per modum cognoscentis cognoscitur, non vero per modum rei apprehensae [30] », et quod omnis cognitio fit per intellectus assimilationem ab obiectum [31].

64. — Cum ita de intellectu et scientia diffuse tractaverit Halensis, plura etiam tradit de voluntate vel de vi motiva rationali quae secundum ipsum comprehendit liberum arbitrium et synderesim [32]. Voluntas est affectiva facultas, aliis potentiis praeeminens [33]. Considerari potest ut naturalis et electiva [34], sicut et ipsa dilectio [35], absoluta et conditionalis [36], et ut voluntas finis simpliciter et ut

---

[1] II, num. 372, *Solutio*, p. 452; num. 375, *Solutio*, p. 455: « Et ideo necesse fuit habere intellectum agentem, non tantum propter abstractionem intelligibilium, sed propter perfectionem ipsius possibilis a parte intellectus ».

[2] II, num. 375, *Solutio*, p. 455.

[3] II, num. 374, *Solutio*, p. 454.

[4] II, num. 373, p. 453.

[5] II, num. 374, *Solutio*, p. 454. Aliquem respectum ad corpus habet (Ibid., ad 2, p. 454), ut a quo fit abstractio specierum intelligibilium et quod movet boni apprehensione (Ibid., ad 4, p. 454).

[6] II, num. 374, ad 1, p. 454: « Suum intelligere proportionale medium est inter intelligere speciem in phantasmate et speciem omnino separatam, et hoc est intelligere speciem abstractam a phantasmate ». Cf. ibid., ad 3.

[7] II, num. 160, p. 210.

[8] II, num. 381, sub *Respondeo*, p. 460; num. 382, ad 3, p. 461.

[9] II, num. 381, ad 2, p. 460. Cf. Endres, art. cit., 283 sq.

[10] II, num. 382, sub *Respondeo*, p. 461. Cf. I, num. 16, p. 25-27.

[11] II, num. 385, p. 463.

[12] II, num. 386, *Solutio*, p. 464.

[13] Rosenmöller, op. cit., 156-167.

[14] Cf. II, num. 104, ad 1-2, p. 132; num. 377, p. 456; num. 464, ad 3, p. 617.

[15] II, num. 104, ad 1-2, p. 132; num. 370, I, *Solutio*, p. 450.

[16] Ibid.

[17] II, num. 342, I, sub *Respondeo*, p. 415; I, num. 256, ad 5, p. 348.

[18] II, num. 368, *Solutio*, p. 448.

[19] I, num. 8, ad 5, p. 16.

[20] I, num. 139, ad 2 et 5, p. 216 sq.

[21] II, num. 2, sub *Respondeo*, et ad 2, p. 3.

[22] II, num. 510, ad 16, p. 748.

[23] II, num. 370, III, p. 450.

[24] Op. cit., I, 26.

[25] Cf. I, num. 173, ad 1 p. 256; II, num. 119, ad 1 et 3, p. 162 sq.

[26] I, num. 337 sq., p. 498 sqq.; II, num. 370, III, *Solutio*, p. 450.

[27] II, num. 9, p. 17 sqq.

[28] I, num. 44, ad 1, p. 69. Veritas in habitu vel potentia est in re, (I, num. 89, ad 1, 2 et 4, p. 143). Circa hanc materiam notanda sunt quae Halensis alibi addit (I, num. 404, II, ad 2, p. 595): « Cum ergo dicit Damascenus quod in creaturis differentia consideratur re, communitas ratione, non dicitur communitas considerari ratione eo quod non sit aliqua communitas secundum rem, sed quia communitas secundum rem est ibi diminuta ». His verbis ipsam sententiam D. Scoti de universali metaphysico clare proponit Halensis.

[29] B. Hauréau, op. cit., I, 425; Z. Van de Woestyne, op. cit., I, 256, nota 2.

[30] I, num. 8, ad 4, p. 16.

[31] I, num. 139, ad 2, p. 216; num. 163, IV, sub *Respondeo*, p. 245; num. 455, sub *Respondeo*, p. 651; II, num. 129, *Solutio*, p. 175.

[32] II, num. 387-426, p. 464 sqq.; num. 151-159, p. 199 sqq.; Endres, art. cit., 284-296.

[33] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 6, Scholion (II, 606).

[34] I, num. 326, *Solutio*, p. 479 sq.: « Voluntas vero ut natura est appetitus generalis et indeterminatus; voluntas vero ut voluntas specialis est et definita... Voluntas, ut voluntas, quae quidem est determinata, inserta est solum virtuti motivae rationali, quae movetur ex arbitrio et iudicio libere ». Cf. II, num. 387, p. 464.

[35] II, num. 163-176, p. 214 sqq.

[36] I, num. 301, ad 2, p. 434.

voluntas eorum quae sunt ad finem [1]. Respectu finis, non potest esse ad oppositum, sed bonum supremum necessario vult [2] necnon suam beatitudinem; e contra vero est respectu mediorum ad finem et « sic compatiuntur se voluntas et necessitas [3] ». Cuiuscumque actionis extat praecipuum principium [4], tamen suadetur bono apprehenso aliisque modis, ut consilio [5]. Cognitio enim excitat affectivam ad actum suum [6]; non requiritur tamen ad hoc ut actus intellectus actualiter praecedat; sufficit enim cognitio habitualis praeexistens in memoria, et isto modo intellectus ordinatur ad potentiam motivam ut « principium eius, quia ad hoc quod ipsa egrediatur in actum necesse est praeexistere habitum cognitivae [7] ». Hoc autem intelligendum est de voluntate electiva; etenim voluntas ut natura est appetitus et sic intelligentiam praecedit et illam investigationi applicat [8]. Tandem voluntas non fertur necessario circa obiecta quae intellectus apprehendit; in aliquibus casibus tamen actus memoriae, intellectus et voluntatis necessario sese concomitantur: quod optime declarat Halensis [9].

65. — Hisce doctrinis ad Augustinismi partes potius declinat Alexander. Iuxta idem systema accipit etiam ea quae de libero arbitrio docet, dum in ista materia tractatum S. Bernardi, *De gratia et libero arbitrio*, constanter allegat [10]. Inter sententias quas tenet, plures magni momenti censendae sunt. Quod sit revera liberum arbitrium ad bonum et ad malum declinabile, non directe demonstrat Halensis; attamen optime probat quod liberum arbitrium unice est substantiae rationalis, a materia omnino separatae [11]. Praeterea, rationes assignat quare Deus ita condiderit hominem [12], addendo etiam quod haec facultas enti ad imaginem Dei creato pertineat, licet sit ens de nihilo productum [13] et hac ratione per naturam vertibile et mutabile [14]. Considerando liberum arbitrium secundum rem tenet Halensis illud esse facultatem animae complexam sive « esse plurium potentiarum [15] », et praesertim ex concursu rationis et voluntatis resultare [16]. Ratio se habet per modum materialis elementi [17]; voluntas vero ut elementum formale, et sic penes illam principaliter attenditur libertas [18]. Hac ratione liberum arbitrium, si consideretur indistincte, non est aliud secundum rem quam potentia rationis ac voluntatis [19], tamen aliquid praeter haec dicit, cum non sit pure nomen, si distincte consideretur; hoc modo « eius actus est facere pro libito: et hic est communis libero arbitrio creaturae rationalis et Creatoris [20] ». Hoc modo acceptum, addit Halensis, liberum arbitrium « est potentia distincta a ratione et voluntate: unde tenet imaginem Patris ex parte motiva, ratio Filii, voluntas Spiritus Sancti [21] ». Iis verbis inducti, plures auctores asserunt [22] quod secundum Alexandrum est facultas specialis, distincta realiter a ratione ac voluntate. Revera rectius sentire videtur S. Bonaventura, dum scribit, alludendo ad auctores qui modum loquendi Halensis tenent: « Non concludunt distinctionem liberi arbitrii a ratione et voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem et appropriationem [23] ». Haec conclusio certo deduci potest ex verbis quibus directe probat liberum arbitrium revera esse unam facultatem diversarum potentiarum [24]: « Est enim aliquando ratio cognitio veri, et haec non pertinet ad liberum arbitrium secundum quod huiusmodi. Dicitur etiam ratio cognitio boni, et hoc dupliciter, quia potest esse cognitio boni quod est faciendum simpliciter vel non faciendum, et haec iterum non habet unitatem cum voluntate, secundum quod liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis; ratio etiam potest esse cognitio boni, non solum quod faciendum sit vel non faciendum, sed cognitio boni faciendi ad hoc ut fiat, et haec est proxima dispositio ad voluntatem. Sicut ergo proxima dispositio et forma habent quodam modo unitatem, ita secundum hanc viam ratio et voluntas, ut sint quasi una potentia, et secundum hoc potest esse una facultas voluntatis et rationis ». Cum res ita se habeat, statim intelligitur quod liberum arbitrium nihil aliud est quam habitualis potentia qua pro libito anima eligit [25] de facili [26] et omnes facultates movet [27]; unde etiam patet quod ab anima inseparabilis

---

[1] Ibid., ad 5, p. 435.

[2] I, num. 108, p. 169 sq.

[3] I, num. 301, ad 5, p. 435.

[4] I, num. 110, *Solutio*, p. 172a: « Voluntas est quae principaliter ponit necessitatem in opere, ipsa tamen non agit nisi moveatur a bono ». Cf. I, num. 136, ad 3, p. 210.

[5] II, num. 388, p. 465; Endres, art. cit., 285.

[6] II, num. 479, ad 2, p. 656.

[7] I, num. 310, ad 12, p. 451.

[8] I, num. 326, *Solutio*, p. 480a. Cf. I, num. 301, ad 4, p. 435.

[9] II, num. 342, II, sub *Respondeo*, p. 415.

[10] II, num. 389-416, p. 466 sqq. Cf. II, num. 153-157, p. 202 sqq.

[11] II, num. 403, p. 480.

[12] II, num. 507, p. 736 sqq.

[13] II, num. 389, ad 1, p. 467.

[14] II, num. 508, p. 739 sqq. Cf. II, num. 155, ad 5, p. 206b: « Libertas est dignitas existens in intellectuali creatura per convenientiam ad Primum; vertibilitas autem sequitur ipsam naturam creaturae rationalis secundum se ».

[15] II, num. 391, *Solutio*, p. 469: « Dicimus quod liberum arbitrium continet in se omnes vires, secundum quas est meritum vel demeritum; non tamen ideo est plures potentiae essentialiter, sed plurium potentiarum ». Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 2, Scholion (II, 597).

[16] Ibid., ad 2, p. 469: « Dicendum quod liberum arbitrium dicitur facultas voluntatis et rationis, quia in istis duabus potentiis est primo et principaliter libertas, quia est rationis ut consiliantis et voluntatis sicut moventis, et per istas duas descendit libertas ad alias, quarum sunt actus remotiores ». Est rationis « ratione arbitrii sive iudicii » (II, num. 392, ad 6, p. 471) sive « secundum actum discernendi » (Ibid., ad 8, p. 471); est voluntatis in quantum est « ad opposita » (II, num. 394, ad 3, p. 473). Cf. II, num. 394, p. 472 sq.; num. 400, I, *Solutio*, p. 478.

[17] II, num. 414, *Solutio*, p. 489.

[18] II, num. 392, ad 1-5, p. 471; num. 398, p. 476 sq.

[19] II, num. 392, sub *Respondeo*, p. 471.

[20] Ibid.

[21] Ibid.

[22] Cf. Dionys. Cartus., II *Sent.*, d. 24, q. 3 (*Opera omnia*, XXII, 275b); Schneider, op. cit., 460; Rosenmöller, op. cit., 100.

[23] II, *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 2 (II, 596b).

[24] II, num. 394, ad 2, p. 473.

[25] II, num. 390, *Solutio*, p. 468; num. 399, sub *Respondeo*, p. 477.

[26] II, num. 391, ad 3, p. 470.

[27] II, num. 392, sub *Respondeo*, p. 471: « Concedo quod liberum arbitrium est universaliter imperans, et sicut praesidet motor toti orbi, ita istud motor est universaliter imperans ».

evadit, sicut ipsa ratio et voluntas [1], nec minui nec augeri potest [2].

Iis constat evidenter quod Halensis tenet sententias S. Bonaventurae adscriptas [3] et secundum cl. Endres [4] voluntarismum scholae franciscalis iam proponit: quod summi momenti est respectu generalis philosophiae Medii Aevi.

§ 6. — DE ERRORIBUS AB HALENSI IMPUGNATIS.

66. — Quemadmodum philosophicam speculationem intense promovit Alex. Halensis ac methodum scholasticam perfecit necnon synthesin generalem Augustinismi traditionalis primus descripsit « in tanto verborum agmine quod immensa videtur divinae profunditatis eloquia continere [5] », ita opinionibus erroneis, quas tum magistri anteriores, tum praesertim philosophi graeco-arabes professi erant, sese insigniter opposuit, eo modo in schola Minorum viam sternens S. Bonaventurae, qui, in *Collationibus in Hexaëmeron* [6], Averroïstarum falsas positiones, ut alter Augustinus, egregie impugnavit.

Inter opinionum novarum fautores [7] ante Halensis tempora, tres praesertim nominantur: Petrus Abaelardus († 1142), Gilbertus Porretanus († 1154), et Ioachim de Flore († c. 1202).

67. — Antiquior illorum, Abaelardus, nonnisi indirecte designatur in *Summa* [8]; attamen, post Hugonem de S. Victore et Petrum Lombardum [9], errores eius proprios circa omnipotentiam divinam et optimismum excessivum directe evertit Doctor Irrefragabilis. Etenim contra illum docet omnipotentiam non solum Patri, sed tribus personis divinis aequaliter convenire [10]. Longius demonstrat infinitam Dei potentiam non esse limitatam illis sex modis quos « quidam sophismatibus decepti [11] » excogitaverunt, scilicet « actu et voluntate, bonitate et iustitia, praescientia et ratione [12] ». Tandem, specialiter agens de perfectione divinae potentiae [13], ostendit quod Deus potest facere res meliores quam fecit, spectata eius potentia in se, « et sic non potest facere meliori modo quam facit, hoc est meliori sapientia, meliori bonitate, meliori potentia, quia sua sapientia, bonitate, potentia, quae ipse est, facit omnia [14] ». Nec ex hoc quod Deus sic egerit, arguendus est; etenim, ut acute observat Halensis [15], « nunquam potest esse invidia in voluntate alicuius minus faciendo quam facit nisi concurrant ex parte illius cui invidet possibilis aequalitas et quod sit exigentia ut aliter vel melius fiat ». Haec praecipue contra Abaelardum tenet Doctor Irrefragabilis [16].

68. — De Gilberto Porretano mitius sentit Alexander quam plerique scholastici, praesertim S. Bonaventura [17]. Auctoritate enim non secunda in scholis gaudebat Porretanus, tum propter sua scripta logicalia, tum ratione suorum commentariorum in Boethii opuscula [18]. Hac ratione primi Doctores scholae franciscanae nomen eius magni faciebant [19]. Non raro expositiones Gilberti in libros Boethii et in S. Scripturam allegantur in *Summa*. Attamen in multis diversimode procedunt Halensis et Porretanus [20]. Contradicentibus enim Gilberti discipulis [21], Alexander primo de Deo uno et deinde de Trinitatis mysterio tractat, simplicitatem Dei vi naturalis rationis demonstrat [22] et saepe arguit ex vestigio in rebus impresso ad mysterium Trinitatis illustrandum [23], quod Porretani admittere nolebant [24]. — Quod maioris momenti est, sententias famosiores Gilberti non raro discutit [25]. Imprimis vindicat quod legitime dici potest ' Deus est Trinitas ' [26], cum iste terminus ' Deus ' supponat ex se essentiam et ex adiuncto personam, non vero tantum essentiam « et in hoc fallebatur Porretanus [27] ». — Latius, et quidem duce S. Bernardo [28], scrutatur agitatam sententiam Gilberti, secundum quam « proprietates divinae non sunt personae nec essentia

---

[1] II, num. 390, ad 2, p. 468; num. 395, ad 2, p. 474.

[2] II, num. 409, p. 486. Haec omnia dicuntur de libertate naturali, non vero de gratiae vel gloriae libertate, vel de libertate a miseria et a peccato.

[3] Gilson, op. cit., 388-396; Z. Van de Woestyne, op. cit., II, 470.

[4] Art. cit., 291.

[5] Cf. Bulla Alexandri IV, *De fontibus paradisi* (I, p. VII).

[6] *Opera omnia*, 1891, V, 322 sqq.

[7] De Scoto Eriugena, c. 891, mentio explicita habetur in *Summa*, II, num. 43, p. 52, cum Alex. Halensis probat non dari medium inter Creatorem et creaturam; ex hoc reicitur theoria, Eriugenae a nonnullis tributa, secundum quam ideae sive primordialia exempla, quae in Verbo creantur, sunt viae ad rerum factionem. Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 3, q. 2, *Scholion*, (II, 36).

[8] I, num. 140, p. 218.

[9] Chossat, S. J., *La Somme des Sentences, œuvre de Hugues de Mortagne*, Louvain 1923, 143.

[10] I, num. 138, p. 213.

[11] I, num. 140, p. 218.

[12] I, num. 140-142, p. 218 sqq.; II, num. 18, p. 27; num. 427, ad 3, p. 503; num. 507, ad 4, p. 738. Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 43, a. 1, p. 1 (I, 774-5). Rationalismum Abaelardi egregie refutat Matthaeus ab Aquasparta, O. F. M., *Quaestiones de fide et de cognitione*, in *Bibl. Franc. Schol.*, I, Quaracchi 1903, 63.

[13] I, num. 143-150, p. 222-229.

[14] I, num. 144, sub *Respondeo*, p. 224.

[15] I, num. 143, ad 1, p. 223.

[16] Non abs re erit notare quod Halensis ad illustrandum ordinem divinarum personarum (I, num. 320, p. 471 sq.) non adhibet in exemplum ordinem metaphysicum differentiarum ad genus, quia iste ordo dicit imperfectionem — qua in re plene concordat cum S. Bernardo, *De erroribus Abaelardi*, c. 3, n. 7 (PL 182, 1060) — sed « ordinem rationis » seu praedicamentalem, « secundum quem dicimus ordinari primum, medium et postremum » etc. (I, num. 324, ad 1, p. 477. Cf. De Régnon, op. cit., II, 356-358).

[17] I *Sent.*, d. 33, a. 1, q. 1 (I, 573).

[18] Grabmann, *Die Geschichte der scholastischen Methode*, II, Freiburg i. B. 1911, 417 sqq.; De Régnon, op. cit., II, 112-113.

[19] Inter codices ad usum fr. Ioannis de Rupella, Ord. Min., pertinentes, invenitur illud manuscriptum quod hodie in Bibl. Mazarinaea sub num. 202 asservatur, et in quo legitur Gilberti *Commentarius in Psalterium*.

[20] In quaestione ' Utrum Deo sit possibile quod est impossibile per accidens ' (I, num. 156, p. 237-238) Alex. Halensis primo refert sententiam Gilberti hisce verbis: « Ad hoc pie dixerunt quidam quod Deus potest facere absolute de corrupta incorruptam et de praeterito quod non fuit praeteritum; et huius opinionis fuit Gilbertus ». Hanc inter solutionem et eius oppositum anceps manet.

[21] Chossat, op. cit., p. 93-95.

[22] I, num. 31-33, p. 50 sqq.

[23] I, num. 295, ad 6, p. 418.

[24] Chossat, op. cit., 101-103.

[25] I, num. 375, p. 552; num. 463, p. 663; num. 471, p. 674; num. 476, p. 677 sq.

[26] I, num. 365, p. 541.

[27] I, num. 365, ad 1, p. 541.

[28] I, num. 469, litt. *b*, p. 671; num. 470, litt. *d*, p. 673a.

divina nec in personis nec in essentia », sed quasi exterius essentiae assistunt[1]. Hac occasione probat quod proprietas est vere persona « et hoc propter naturam simplicitatis, quia sicut non differt 'quod est' et 'quo est', sic non differt 'quis est' et 'quo quis est'. Unde sicut Deus est deitas et e converso, sic Pater est paternitas et e converso[2] ». Eadem ratione notiones sunt essentia[3]; nec proprie notiones possunt dici in essentia[4], cum revera non adveniant essentiae[5].

69. — Ad quaestionem autem an opinio, quae G. Porretano attribuitur, reapse dicenda sit haeretica, benigne sentit Halensis[6]: « Respondeo quod non est probabile tam peritos viros haeresim sensisse, licet verba eorum viderentur aliquibus haeresim sonare. Nec fuit inter eos contradictio secundum rem vel ad intellectum, quia, sicut dicit Lombardus, in *Sententiis*, 32 dist., cap. 3, alia est ratio intelligentiae, cum dicitur 'essentia' et cum dicitur 'hypostasis' vel 'persona'; similiter alia est ratio intelligentiae multo fortius, cum dicitur 'essentia' et cum dicitur 'proprietas'. Secundum hoc processerunt ponentes assistentiam formarum » etc. Infra addit, quod etiam notandum est: « Est iterum identitas rei, et secundum hoc est dicere quod persona, proprietas et essentia sunt unum in re, et sic dicebant contrarie opinantes ». His verbis patet quod, secundum Halensem, Gilbertus Porretanus non introduxit distinctionem realem absolutam inter proprietates et personam et essentiam, sed solum secundum rationem intelligentiae. Si tamen aliter sensisset, quod Alexander non asserit, « haeresim saperet, et secundum hoc sermo ponentium formarum assistentiam potuit damnari[7] ». Ita Gilbertum Porretanum benigne iudicat Halensis.

70. — Utrum vero in aliquo consentiat cum Gilberto in difficillima quaestione de constitutivo personarum[8], olim quidam opinati sunt. Hoc erui potest ex *Comm. in Sententias* quod asservatur in cod. 3, Plut. 31, dext., Bibl. Laurentianae, Florentiae, cuius auctor ignotus, ex Ordine Minorum, paulo post Duns Scoti tempora scribebat. Etenim in dist. 26 primi libri (fol. 145d) haec leguntur: « Ad tertium istum articulum, utrum scilicet relatio sit formale distinctivum et intrinsecum suppositi divini vel extrinsecum, sunt diversae opiniones solemnium doctorum. Pro quo sciendum quod duo magni doctores, scilicet Alexander et Porretanus, videbantur dicere quod proprietates constitutivae sunt in genere substantiae secundum rem et ideo constituunt personas simpliciter, habent tamen modos relativos. Ad cuius intellectum sciendum quod videtur quod ipsi imaginantur duplex formale constitutivum: unum scilicet quod est de intellectu constituti et aliud quod est extra. Sicut enim aliqui imaginantur de materia quod ipsa constituitur actu divisibilis et extensa per quantitatem, sed quia aliae sunt partes materiae sub quantitate, aliae vero sunt partes quantitatis, patet quod in materia est una intentio, quae non est in genere materiae, scilicet quantitas, alia vero est quae est de genere materiae, scilicet participatio quantitatis quasi quidam effectus ipsius; et prima non est de intellectu materiae ut extensae, sed secunda, quia secundum ipsos materia extensa non est aliud quam materia sola: consimiliter videntur praedicti doctores imaginari quod in essentia non sint tantum relationes, quae sunt extra genus substantiae, sed sunt in ea modi et participationes vel effectus formales ipsarum quae sunt in genere substantiae, licet habeant modum relativum; et isti modi et participationes immediate constituunt hypostases realiter in genere [substantiae] se habentes, tamen modum relativum [habent] in comparatione ad relationes constituentes et distinguentes, et sunt de intellectu hypostaseos, sed relationes non. Unde Alexander, in *Summa* sua[9], dicit quod hypostasis dicit quid distinctum, sed non significat distinguens, nec includit, sed solum distinguitur ex ordine ad distinguens. Quod autem Alexander dixit de hypostasi, hoc dixit Porretanus de persona, scilicet quod persona constituitur et distinguitur per relationem non inclusam formaliter, sed assistentem et intrinsecus affixam ». Cum haec ad mentem Alexandri recte dici videantur, opportunum erat ea integre proferre.

71. — In primo et secundo libro *Summae*, de quibus hic unice agendum est, Halensis a Lombardo discrepat in iis sententiis in quibus Magister *Sententiarum* communiter non tenetur a doctoribus scholasticis[10]. Iam S. Bonaventura illud notavit, cum, enumeratis octo opinionibus P. Lombardi fere ab omnibus reiectis, addit[11]: « In his positionibus Magister a communi via recessit et... ad minus probabilem partem declinavit, et ideo non sustinetur communiter a magistris. Et licet fortassis aliquis eum in aliquibus harum opinionum sustineat, verumtamen pater et magister noster bonae memoriae frater Alexander in nulla harum ipsum sustinuit, sed potius contrarium sensit, cuius vestigiis praecipue inhaerere propono ». Revera res se habet ut testatur Doctor Seraphicus. Etenim Halensis distinctissime docet quod caritas, qua Deum et proximum diligimus, ponit quid creatum in anima nec est ipse Spiritus Sanctus[12]; attamen in omni missione non solum dona Spiritus Sancti dantur, sed etiam ipsa divina persona[13]. — Item, contra P. Lombardum tenet quod nomina numeralia in divinis non dicuntur solum negative vel privative, sed potius secundum positionem praedicantur et significant[14]. — Adversus eumdem etiam vult, sicut

---

[1] I, num. 469, p. 671.
[2] I, num. 469, *Solutio*, p. 672.
[3] I, num. 470, p. 672.
[4] I, num. 471, p. 674.
[5] I, num. 471, ad 1, p. 674.
[6] I, num. 476, p. 677-678.
[7] I, num. 476, sub *Respondeo*, p. 678. Cf. Hauzeur, op. cit., q. 4, I, 252.
[8] Cf. Stohr, op. cit., 104-105.
[9] I, num. 404, ad 1, p. 593: « Hypostasis dicit distinctum, sed non habet in suo nomine unde distinguitur, sed dicit respectum ad distinguentem ».
[10] P. Lombardi, I *Sent.*, Quaracchi 1916, p. LXXVIII-LXXX.
[11] II *Sent.*, Prooemium, II, 2.
[12] I, num. 50, p. 77.
[13] I, num. 511, p. 728b sqq.
[14] I, num. 434, *Solutio*, p. 628; num. 445, p. 637 sq.

et S. Bonaventura, quod nomina relative dicta de Deo, ut 'aequalis', 'similis', non tantum remotive et negative accipiantur, sed positive, quia « haec nomina principaliter significant divinam essentiam, sed connotant distinctionem personarum [1] ». — Fusius contra Magistrum disputat in quaestione de divinae potentiae ac scientiae invariabilitate [2], praesertim cum exponit huius propositionis sensum: 'Quidquid potuit facere Deus, potest facere' [3]. — In secundo etiam libro Alexander aliquoties P. Lombardo contradicit. Inter alia docet quod in angelis, saltem ordine naturae, gratia meritum praecessit, ideoque angeli beatitudinem meruerunt [4]; post vero confirmationem obtentam, nonnisi gloriam accidentalem obtinere potuerunt [5]. — Tandem omnino favet opinioni communiori quae ponit, adversante P. Lombardo, in veritatem humanae naturae aliquid extrinsecum, v. g. cibum, transire, ideoque humanae naturae veritatem non fuisse totam in Adam [6]. — Ad haec addi potest quod Halensis non admittit sententiam Magistri secundum quam Deus posset creaturae communicare potentiam creandi [7], quod etiam reiciunt alii Doctores ex Ordine Minorum [8].

Haec momento doctrinali et historico non carent, cum praecise S. Bonaventura propter auctoritatem Magistri sui sententias P. Lombardi non profiteatur.

72. — Cum post decreta Concilii Lateranensis scripserit Alexander, ipse cum Petro Lombardo docet, adversus Ioachim de Flore, quod in divinis essentia sive substantia est res non generans nec genita nec procedens [9], et de hac re, sicut testatur Dionysius Cartusianus [10], « scribit diffuse, ponens abbatis Ioachim argumenta ». Ad veritatem stabiliendam primo explicat quo modo concipiatur ordo naturae in Deo et consequenter cur varientur locutiones et modus dicendi in divinis [11]. Quibus expositis, pro regula generali statuit quod « de omnibus nominibus significantibus divinam essentiam ut 'quis est', hoc est substantiam incommunicabilem sub discreta proprietate et incommunicabili, possunt dici verba significantia habitudines notionales, sicut generare et generari, spirare et spirari; et hoc est quia nomina illa proprie supponunt personam, hae autem habitudines personales sunt et proprie ad personam referuntur [12] ». Hoc idem tenendum censet de nominibus divinis significantibus divinam essentiam ut 'quod est', quia significant eam ut in persona habente illam, non vero de illis quae illam significant ut 'quo est', videlicet in se et absolute, sine habitudine originis [13]. Praecise « fuit deceptus Ioachim credens omnia vocabula circa istam materiam esse eiusdem ponderis; sed quia verbum notionale semper est alicuius ordinis, ideo nunquam dicitur de essentia, quae significat quid absolutum ab omni ordine in ratione dicendi, sed de aliis [14] ». Haec omnia vi dialectica optime evolvit Halensis et quidem, ut recte notavit P. de Régnon [15], et post ipsum cl. Stohr [16] et Rosenmöller [17], ad mentem Patrum Graecorum, qui primo personas in divinis contemplantur et essentiam divinam concrete et ut in persona eam habente potius considerant [18]. — In decursu *Summae* iterum contra Ioachim de Flore sese opponit Alexander, pressius determinans quo modo hypostasis comparetur ad essentiam quantum ad suppositionem. « Supposita hypostasi », ait ille, « non supponitur essentia, licet quidam antiquorum ita dicerent. Haec enim fuit haeresis reprobata in Concilio Lateranensi propter Ioachim: concessit enim quod essentia generatur [19] ». Ex his aliisque textibus [20] constat *Summam* Doctoris Irrefragabilis ad mentem Concilii Lateranensis exaratam fuisse et dogmatismo Abbatis de Flore nullo modo favere.

73. — Systematica Albigensium confutatio, ut ineunte saec. XIII legitur in opere inedito fr. Ioannis de Capellis, Ord. Min., quod sub titulo *Adversus Catharos* in cod. J. 5. Inf. Bibl. Ambrosianae, Mediolani asservatur, apud Halensem non invenitur; immo haereticos istos, Albigenses scilicet et Catharos, nullibi proprio nomine designat. Attamen dualismum Manichaeorum, a Concilio Lateranensi damnatum, ubique et acriter insectatur Alexander. Plene intelligetur cur saepius huic errori adversetur *Summa* et unam alteramve quaestionem antiquatam circa formationem corporis Adae moveat [21], si recte pensetur quanti periculi error Albigensium visus fuerit Ecclesiae necnon scholasticis Medii Aevi doctoribus [22]. Secundum S. Bonaventuram [23] « est error pessimus », « omnibus abominabilior [24] »; immo addit ipse [25]: « Nunquam in tantam tenebrositatem detrusus esset impius Manichaeus, nisi longe ante fuisset servus dei tenebrarum, qui excaecavit

---

[1] I, num. 379, *Solutio*, p. 559b; cf. num. 328, ad 4, p. 483; num. 332, p. 487 sq.

[2] I, num. 150, p. 227 sqq.; num. 187, p. 272 sqq.

[3] I, num. 150, sub *Respondeo*, p. 228b.

[4] II, num. 159, p. 208 sqq.; cf. num. 133, p. 180.

[5] II, num. 221, ad 2, p. 276.

[6] II, num. 451, p. 567 sqq. Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 30, a. 3, q. 1, Scholion, (II, 733).

[7] II, num. 24, p. 35 sq.; cf. I, num. 139, ad 5, p. 217.

[8] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 2, q. 2, Scholion (II, 130); P. I. Olivi, *Quaest. in secundum librum Sententiarum*, ed. B. Jansen, S. J., Quaracchi 1922, I, 1-22.

[9] I, num. 297, p. 421 sqq.; num. 402, p. 591; cf. num. 348, p. 515 sqq.; De Régnon, op. cit., II, 352-354.

[10] In I *Sent.*, d. 5, q. 1 (*Opp. omnia*, Tornaci 1902, XIX, 315).

[11] I, num. 297, *Solutio*, p. 424.

[12] Ibid., p. 424b.

[13] Ibid., p. 424b-425b.

[14] Ibid., p. 425b.

[15] Op. cit., II, 355.

[16] Op. cit., p. 33.

[17] Op. cit., 131-132: « Es ist De Régnons und Stohrs Verdienst, auf diese für Bonaventura, den getreuen Schüler Augustins, so überraschende Tatsache hingewiesen zu haben: Während nämlich Augustin und mit ihm Anselm, der Lombarde und Thomas von Aquin den Blick beim Betrachten der Trinität vorwiegend auf der einen Natur und Wesenheit ruhen lassen und ihren dreifach verschiedenen Besitz bei Vater, Sohn und Geist gleichsam statisch feststellen, wodurch Vater, Sohn und Geist in eine relative Gegenüberstellung kommen, sehen Richard von St. Viktor, Wilhelm von Auxerre, Alexander von Hales und Bonaventura in erster Linie die drei Personen und erst von da aus die dreifach verschieden in Besitz gehaltene Natur ».

[18] I, num. 402, *Solutio*, p. 591.

[19] I, num. 402, p. 591b; num. 490, p. 692.

[20] Quod hucusque non fuit observatum, hic ordo intelligentiae est « secundum apprehensionem fidei », non vero « secundum apprehensionem naturalis rationis ». I, num. 486, III, p. 689b.

[21] II, num. 429, p. 507.

[22] Cf. Rimaud, op. cit., 74, nota 2.

[23] II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 26).

[24] II *Sent.*, d. 1, p. 1, dub. 2 (II, 37).

[25] II *Sent.*, d. 34, a. 2, q. 1 (II, 811).

mentem eius ut non fulgeret in eo illuminatio veritatis, quae super omnem irradiat intellectum. Et usque hodie viget hic error pessimus, quamvis sit irrationabilissimus. Et huius ratio est potissima ipsa mater caecitatis superbia, quae regnat in quibusdam laicis, quantum ad ea quae sunt fidei et morum. Cum enim sint idiotae, praesumunt Sacram Scripturam exponere, quae est profundissima omnium scripturarum; cum iterum habeant quamdam honestatem exteriorem, contemnunt vitam omnium aliorum; et merito huius duplicis superbiae excaecantur, ut incidant in errorem istum pessimum, per quem excaecantur adeo, ut nesciant discernere quid bonum et quid malum, dum multa genera bonorum ponunt esse a deo malo... Et propter nimiam excaecationem in qua sunt, amisso quasi rationis usu, nullam habent in eis efficaciam argumenta ad persuadendum, nec tormenta ad retrahendum, nec orationum suffragia ad relevandum, nisi hoc fiat de gratia specialissima ».

74. — Ad mentem Doctoris Irrefragabilis nullo modo potest dici quod duo sunt principia summe bona [1]. Etenim, si praeter causam primam aliud principium habeatur, illud erit creatum vel increatum. Si creatum, non esset summum, sed solummodo bonum secundum quid, quia illi deest perfectio principii increati, a quo dependeret in suo esse. « Si autem poneretur summum bonum increatum, non esset ipsum nec ab ipso; et propter hoc non possunt stare simul [2] », cum duo infinita sese mutuo excludant. Nec duo sunt principia summa, aliud scilicet boni, aliud mali [3]. Malum enim, in se generaliter consideratum, causam efficientem proprie sumptam non habet, et, ut recte animadvertit Halensis [4], « deceptio Manichaeorum fuit quia aestimaverunt privationes causari sicut positiones; quod non est verum: privationes enim non habent causam efficientem, quemadmodum positiones, sed deficientem ». Insuper summum malum concipi nequit. Tale enim dicitur esse per summam elongationem a bono; consequenter secundum recessum maximum ab esse sive actualitate extaret, cum ens et bonum convertantur; et propter hoc pure nihil est nec « potest aliquo modo esse nec etiam intelligi summum malum simpliciter [5] ». Aliquid tamen sensu improprio potest dici summum malum vel id quo nihil est peius, et hoc est ipsa deordinatio creaturae a Deo per peccatum; sed haec aversio principium quoddam summo bono oppositum non ponit, sed unice deficientiam liberi arbitrii arguit. Iis explanatis, sequitur quod malum generaliter acceptum sive in ordine entis ex eo provenit quod ens est ex nihilo [6], « deficiens a complemento [7] » et tendit ad non-esse; ex se ipso deficit omne imperfectum. Malum vero morale seu actio mala, in quantum mala, ad liberum arbitrium vertibile reducitur [8], etsi actio, in quantum actio, sit a Deo [9]. Haec omnia diffuse exponit Alexander [10], non sine acumine obiecta solvendo textusque S. Scripturae, ab aliis in contrarium allegatos, exponendo [11].

75. — Quod etiam magni momenti est, directe contra Manichaeos qui mundum et materialia corpora prorsus mala esse autumabant, Doctor Irrefragabilis eadem mente ductus ac S. Franciscus, saepissime duplicem bonitatem, quam res habent in se sive in proprio genere necnon in universitatis ordinatione, contemplatur [12]. Non immerito potest dici quod vix ullus doctor saec. XIII tam diffuse de bonitate cuiuscumque entis [13] necnon de universi pulcritudine [14], ordine [15] perfectioneque [16] disserit sicut Halensis. Haec tractando, materiam propria bonitate, etsi diminuta, gaudere non raro asserit [17], nec aliter, secundum ipsum, cogitari potest, cum materia propriam speciem seu « aliquid formae », ut dicit S. Augustinus, revera habeat [18]. Insuper cuique legenti *Summam* patebit, quanto studio explicet notionem philosophicam mali [19] eiusque oppositionem bono increato, supernaturali et naturali [20], finalemque eius ordinationem ad bonum [21] per providentiam omnia dirigentem [22], necnon rationes multiplices cur voluntas divina illud permittat [23], liberum arbitrium vertibile ad peccatum creando [24]. Licet has quaestiones ex S. Augustino magna ex parte moveat *Summa,* prolixae tamen istius tractationis historica ratio neminem latebit, spectato Albigensium errore, cui occasionem dedit problema perquam arduum de malo.

76. — Iis accedit quod saepe contra Manichaeos Halensis docet angelos malos nullo modo creatos fuisse in sua malitia [25], sed in naturali iustitia [26], quamvis probabilius gratiam sanctificantem statim a principio non habuerint [27]; nunc Deo adversantur « voluntate electiva corrupta [28] ». Amplius, dualismum Manichaeorum in suis consequentiis confutans, tenet quod corpus Christi veritatem humanae naturae habuit [29]; eodem modo docet quod corpus Adami vere corpus humanum erat [30] et non potuit formari ab angelo malo [31].

---

[1] I, num. 78 sq., p. 125 sqq.; II, num. 3-5, p. 4-13; cf. I, num. 210, p. 303.
[2] I, num. 78, ad 1 et 3, p. 126.
[3] I, num. 79, p. 126 sqq.; II, num. 3, p. 4.
[4] I, num. 79, sub *Respondeo,* p. 127b.
[5] Ibid., ad 2, p. 128.
[6] II, num. 3, ad 1, p. 6.
[7] Ibid., ad 3, p. 7a.
[8] I, num. 79, ad 1 et 7, p. 128 sq.; num. 119, II, p. 187b; II, num. 3, ad 1-2, p. 6.
[9] I, num. 158, III, p. 239b sq.; III, num. 10, *Solutio,* p. 18.
[10] III, num. 1-23, p. 1 sqq.
[11] II, num. 4, ad 4-6, p. 10.
[12] I, num. 79, ad 10, p. 129; II, num. 305, II, p. 366.
[13] I, num. 111-122, p. 173 sqq.
[14] II, num. 75-85, p. 99 sqq.
[15] II, num. 86-90, p. 109 sqq.
[16] II, num. 91-98, p. 115 sqq.
[17] I, num. 109, *Solutio,* p. 170; num. 112, ad 4, p. 176; num. 116, ad 2, p. 183; cf. II, num. 4, ad 1, p. 9.
[18] I, num. 116, ad 2, p. 183b.
[19] Cf. III, num. 1-3, p. 1 sqq.
[20] I, num. 123-130, p. 193 sqq.; cf. III, num. 19-22, p. 29 sqq.
[21] I, num. 120-121, p. 188 sqq.; num. 285, p. 404 sq.; cf. III, num. 18, p. 27.
[22] I, num. 200 et 206, p. 291, 297.
[23] I, num. 277-279, p. 384 sqq.; cf. III, num. 11-12, p. 19 sqq.
[24] II, num. 507, p. 736 sqq.
[25] I, num. 79, ad 8, p. 129; cf. III, num. 70.
[26] II, num. 113, ad *d,* p. 154b; cf. II, num. 132, p. 179.
[27] II, num. 100, ad *k,* p. 126; num. 105, ad 1, p. 134; num. 511, ad 5, p. 751.
[28] II, num. 152, ad 1, p. 201.
[29] II, num. 449, ad 1 et ad 7, p. 562 sq.
[30] II, num. 449, p. 561 sqq.
[31] II, num. 429, p. 507 sqq.

77. — Haec omnia momentum apologeticum *Summae* non parum declarant. Maxima enim est antithesis inter metaphysicam Albigensium, cuius fundamentum in summo malo, altero rerum principio, reponitur, et synthesin Halensis ex conceptu boni diffusivi deductam, ratione cuius omnia bonitate splendent.

Versus finem saec. XII et initio saec. XIII, plures haeretici pantheismum docebant[1], inter quos Almaricus de Benes[2], David de Dinanto eorumque discipuli. Isti fautores errorum damnati sunt anno 1210 in synodo Parisiensi, et quinto abhinc anno a Legato pontificio, Roberto de Courçon[3], decretum fuit ne legerentur opera D. de Dinanto in facultatibus theologiae ac artium.

78. — Almarici errores indirecte et directe prosequitur Halensis[4]. Deus enim, secundum ipsum, transcendit omnia in sua immensitate; est enim in se ipso « quia est per se ens, non indigens alio[5] »; « per hoc quod est in se, qui est super universitatem rerum, sequitur quod sit extra omnia[6] ». Utique Deus inest omnibus rebus secundum triplicem modum existendi, videlicet per eius essentiam, praesentiam et potentiam[7], sed ex hoc non sequitur quod « Deus ita essentialiter sit in rebus quod sit de esse earum[8] » vel sit formaliter esse ipsarum[9]. Deus enim inest rebus ut principium essentiale seu efficiens totius esse; solummodo principium essentiale partis esse, verbi gratia anima respectu corporis, est de re secundum causam formalem[10]. Ideo « dicendum quod divina essentia est abstracta a rebus per impermixtionem, quia omnino non est ipsae res nec dependet ab eis; sed non est abstracta per causalitatem quin res dependeant et teneantur ab ipsa nec esse possent sine ipsa; unde creatura ab ipso non potest abstrahi[11] ». Nec Deus est forma proprie dicta, scilicet rem perficiens cui coniuncta est; attamen « si dicatur forma perfectio separata secundum esse, tenens et complens omnia in esse: sic ipse Deus est vere forma[12] ». Tandem, cum res dicantur participare de bonitate et esse Dei, hoc est quia a Deo dependent et efficiuntur secundum diversos gradus « in conformitate divini esse » sive causae exemplaris[13]. Res insuper non sunt in Deo essentialiter, « quia secundum hoc intelligeretur divina essentia dependere ab essentia creaturae: quod non est verum[14] »; sunt tamen in Deo praesentialiter, quia in eius cognitione, et potentialiter quia in eo ut in causa[15]. Haec omnia doctrinam Almarici de Benes directe evertunt.

79. — Nec minus erravit David de Dinanto, qui Deum et materiam primam identificando, docebat quod Deus sit materia animarum[16]. In Deo enim materia non invenitur, quia est purus actus[17]. Insuper falsum est fundamentum David de Dinanto « qui ponebat communem materiam spirituum », tum quia ad materiam communem non reducuntur substantiae incorporeae et corporeae, ex eo quod unitatem specificam non habent materia spiritualis et materia corporalis[18], tum quia distinguuntur in materiebus propriis, cum, ubi deest corporeitas, eo ipso removeatur continuitas sive communitas materiae et per consequens insit distinctio vel discretio[19]. Sic sententias ad pantheismum ducentes confutat Halensis[20].

80. — Errores fr. Stephani de Varnesia, O. P., die 13 ianuarii 1241 iam damnatos a Guillelmo episcopo Parisiensi, denuo 5 ianuarii 1244 de mandato eiusdem episcopi fuisse examinatos et reprobatos per Cancellarium Odonem et fratrem Alexandrum[21] non solum plures codices attestantur[22], sed ipse S. Bonaventura confirmat in tractatu de cognitione primi hominis, sic inquiens[23]: « Nunc pro firmo tenendum est, quod etsi Adam Deum in sua substantia non videbat in statu innocentiae, videbitur tamen in gloria in sua substantia. Nec licet huius contrarium sentire et dicere. Nam hic est unus de decem articulis reprobatis ab universitate magistrorum Parisiensium, tempore episcopi Gulielmi et Odonis Cancellarii et fratris Alexandri de Hales, patris et magistri nostri ». Omnes huius Stephani errores, excepto solo secundo articulo, de quo in *Summa* non tractatur[24], Alexander, data occasione, manifeste oppugnat.

81. — Contra primum errorem, qui negat visionem beatificam in animabus sanctis, explicite procedit *Summa*[25]: « Ista positio haeretica est, nec immerito, quia est plane contra Sacram Scripturam ». Constanter eadem doctrina expresse traditur[26], praesertim cum de differentia comprehensionis in gloria agitur[27]. Cognitioni Dei in se nil obstat, cum deiformitas gloriae sit sufficiens dispositio ad illam[28], nec ibi requiritur proportio quantitativa, sed unice conformitas similitudinis expressae[29]. — Contra tertium articulum non minus perspicue docetur quod Spiritus Sanctus procedit a Patre Filioque per modum amoris et nexus[30].

---

[1] De Wulf, op. cit., I, 180-184.
[2] Cf. Denifle-Chatelain, *Chartular. Univ. Paris.*, I, 71.
[3] Denifle-Chatelain, op. cit., 78.
[4] I, num. 175, V, sub 2 et ad 3, p. 259.
[5] I, num. 40, III, ad 1, p. 65.
[6] I, num. 45, ad 2, p. 71.
[7] I, num. 46, *Solutio*, p. 72 sq.
[8] I, num. 46, II, p. 72; num. 116, sub *Respondeo*, p. 183.
[9] I, num. 46, III, p. 73b.
[10] Ibid., ad 1, p. 73a, et num. 46, II, p. 73b.
[11] Ibid., ad 2, p. 73a.
[12] Ibid., III, ad 1, p. 73b.
[13] Ibid., ad 3, p. 73b. Cf. I, num. 117, p. 183 sqq.; num. 175, ad 2, p. 259.
[14] I, num. 48, II, sub *Respondeo*, p. 75; num. 175, ad 3, p. 259.
[15] I, num. 175, ad 1, ad 5, p. 259 sq.
[16] II, num. 322, p. 389 sqq.
[17] I, num. 295, ad 7, p. 418; num. 336, ad 2, p. 498; num. 299, sub *Respondeo*, p. 432; num. 337, sub *Respondeo*, p. 500: « In divinis non est materia, quia nihil imperfectionis: unde nihil est ibi in potentia, sed quidquid ibi est, in actu est ». Cf. I, num. 255, ad 3, p. 347; num. 343, ad 2, p. 509; num. 295, ad 7, p. 418; II, num. 61, ad 2, p. 76.
[18] II, num. 249, ad 1, p. 310. Cf. II, num. 106, ad *c*, p. 136.
[19] II, num. 322, ad 5, p. 391; cf. I, num. 502, ad 3, p. 712; II, num. 248, sub 3, p. 306.
[20] Endres, loc. cit., 49-53.
[21] A. Callebaut, O. F. M., *Alexandre de Halès et ses confrères en face des condamnations parisiennes de 1241 et 1244*, in *La France Franciscaine*, Paris 1927, X, 257 sqq.
[22] A. Callebaut, art. cit., 258.
[23] II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 3 (II, 546 sq).
[24] I, num. 348, II, p. 516b; cf. II, num. 110, ad 1, p. 146.
[25] II, num. 517, sub *Respondeo*, p. 764b.
[26] I, num. 11, sub *Respondeo*, p. 21; num. 36, ad 3, p. 60.
[27] I, num. 37, p. 61.
[28] II, num. 518, sub *Respondeo*, et ad 2, p. 768b, 769b.
[29] II, num. 517, ad *g*, p. 767.
[30] I, num. 308, p. 446 sq.

Cum Alexander in hac materia scholam S. Victoris presse sequatur[1], praefatam doctrinam optime illustrat[2]. — Non aliter censet ac alii scholastici saec. XIII de caelo empyreo, circa quod versatur quartus articulus. Non solum angeli ibi collocantur[3], sed etiam animae sanctae[4]. Contra philosophos qui caelum sidereum admittunt, et « non ascenderunt usque ad caelum empyreum[5] », existentia istius supremi caeli probatur ex eo quod extra ipsum locus conveniens angelis et beatis nullibi assignari potest[6]. — Item, ad oppositum quinti articuli tenet quod angelus malus non fuit perversus in primo instanti creationis sive existentiae suae[7]. Hoc concipi nequit; etenim « in nulla creatura simul est actus in eodem instanti cum potentia nec cum essentia, simul dico nec natura nec duratione. Unde nec in cognitiva nec in motiva angeli simul est actus cum potentia, simul dico in eodem instanti: exitus enim de potentia in actum vel etiam qui est ab otio in actum, sicut est ibi, quia potentia angeli non habebat impedimentum, est postquam res est, et hoc est ex ratione creaturae, quae non patitur quod simul sit omnino, id est in eodem instanti[8] ». — Ratione analoga, videlicet quia ubiquitas est proprium Dei nec ulli creaturae convenit, sextum articulum Stephani de Varnesia reicit[9]. Per essentiam angelus non potest esse nisi in uno loco, quia est « determinatae virtutis ad differentiam Dei, cuius est infinita virtus[10] ». — Non minus explicite refutat errorem septimi articuli, excludendo quod plures veritates sunt ab aeterno, quae non sunt Deus. Etenim « una sola est veritas, cuius proprium est esse sine initio; et haec est veritas prima, quae est principium omnium aliarum veritatum et prior illis causalitate et duratione, quae omnes alias veritates tenet in esse et conservat[11] ». — Ad oppositum octavi articuli ostendit quod creatio-passio revera est esse creaturae[12]. « Nam id quod est primo, est quod primo fit; fieri tamen non est quod fit, sed tamen est simul cum eo, nec prius ens quam ipsum nec duo entia proprie[13] ». Proprie dicit quid concreatum[14]. Idem censendum est de primo 'nunc' temporis, quod « concreatur cum motu[15] ». — Item, errorem articuli noni directe reicit *Summa*, etsi ex professo quaestionem non instituat de hac materia[16]: « Ad illud quod obicitur... quod 'nobiliori perfectibili debetur nobilior perfectio': dicendum quod hoc verum est de perfectibili et perfectione quantum ad esse primum, quia sibi invicem respondent secundum quamdam praecisionem et adaequationem; gratia autem et virtutes perficiunt quantum ad esse secundum. Praeterea, haec, scilicet gratia et virtutes, sunt pure gratuita et secundum libitum et electionem Dei collata, qui quandoque personae viliori, quantum est de naturalibus, gratiam confert maiorem et nobiliori minorem, secundum iudicium profunditatis sapientiae illius, humanae scientiae incomprehensibile ». Eamdem doctrinam sub aliis verbis tradit aliquando Halensis[17]; non negat tamen quod optima naturalia quamdam congruentiam ex parte recipientis gratiam inferant[18]. — Tandem adversus ultimum errorem docet *Summa* quod primus homo habuit gratiam habitualem et actualem per quam in bono proficere et malo resistere potuit[19]; angelis vero malis, saltem gratia actualis sive gratis data ad eumdem finem concessa fuit[20].

Ita Halensis errores istos plene reicit. Non immerito dici posset quod Guillelmus episcopus Parisiensis et Odo Cancellarius in hoc negotio processerunt auctoritate Doctoris Irrefragabilis principaliter innixi.

82. — Ad errores philosophorum plenius attendit Alexander. Ut iam diximus[21], in primo libro *Summae* saepe commemorat sententias falsas quas antiqui docuerunt circa liberum arbitrium, naturam hominis et peccatum, ex eo quod lumen fidei non habuerunt. Non aliter procedit in hoc secundo libro[22]. Diffusius, ut decebat, opiniones illorum circa Deum, animam ac mundum, quae summe metaphysicae christianae adversabantur, confutat.

83. — Aeternitatem mundi et temporis omni via excludit imprimis Halensis. Nec mirum; teste enim Rogerio Bacone[23], « *Naturalis philosophia* eius [Aristotelis] et *Metaphysica* et commentaria Averrois et aliorum... Parisius excommunicabantur ante annum Domini 1237, propter aeternitatem mundi et temporis ». In hoc negotio totus est Alexander ut fidem catholicam tueatur[24] ac sententiam S. Augustini et Richardi de S. Victore circa impossibilitatem metaphysicam creationis ab aeterno proponat

---

[1] De Régnon, op. cit., II, 359-361.

[2] Loc. cit.: « Quatuor modis dicitur communio sive unio vel nexus Patris et Filii: effective, quia ei attribuitur effectus unionis sive communionis Dei ad nos; relative, quia ipse refertur ad Patrem et Filium ratione unius habitudinis vel relationis, quae est communis spiratio, secundum quam est ab illis; ostensive, quia ipse ostendit unam et eamdem substantiam esse Patris et Filii; quasi formaliter, quia ipse est amor Patris et Filii ».

[3] II, num. 102, p. 128.

[4] II, num. 103, ad 2, ad 4 et ad 5, p. 130.

[5] II, num. 269, ad 2, p. 330.

[6] II, num. 266, *Solutio*, p. 328b.

[7] II, num. 159, p. 208 sqq.

[8] II, num. 159, II, ad 1, p. 210; cf. ibid., *i*, ad 2, p. 209.

[9] I, num. 44, p. 69 sq.

[10] II, num. 178 et 179, p. 231 sqq.

[11] I, num. 92, in *Solutione*, p. 148; cf. num. 80, ad 1, p. 131.

[12] II, num. 42, p. 51 sq.

[13] Ibid., ad 1, p. 51, et ad 6, p. 52. Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, q. 1, ad 6 (II, 18).

[14] II, num. 43, ad *a* et *b*, p. 52. Cf. I, num. 111, ad 2, p. 174.

[15] I, num. 68, ad 1, p. 106. Cf. II, num. 67, ad 6, p. 87; II, num. 49, ad 1 et ad 2, p. 58; num. 69, ad 4, p. 92. Si vero loquatur de 'nunc' unico in quo ipse Deus omnia creavit, non est aeternitatis vel temporis, sed aevi (II, num. 19, ad 1, p. 30; num. 250, II, p. 314).

[16] II, num. 515, ad 1, p. 759.

[17] II, num. 504, ad *g*, p. 727b; num. 505, ad 2, p. 731.

[18] II, num. 108, ad 4, p. 142; num. 511, ad 5, p. 751.

[19] II, num. 506, p. 733 sqq.; num. 511, ad 1 et ad 3, p. 750 sq.

[20] II, num. 153, ad 1, p. 202. Cf. II, num. 100, ad 2 et 3, et ad *i*, p. 125.

[21] Alex. Hal., *Summa theol.*, I, Prolegomena, p. XXXVI.

[22] II, num. 269, p. 330; num. 366, II, p. 444; num. 401, *Solutio*, p. 478. Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, dub. 1 (II, 607b).

[23] H. Rashdall, *Rogerii Baconis compendium studii theologiae*, Aberdoniae 1911, 33.

[24] Contra philosophos, praesertim peripateticos, tenet etiam Halensis quod angeli ex se et natura sua sese movent, non vero solum per accidens, etsi hoc modo etiam fiat ratione corporis assumpti. II, num. 182, *Solutio*, p. 237. Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 2, a. 2, q. 2, Scholion, (I, 659).

et contra philosophos probet[1]. Secundum ipsum repugnat aeternitas mundi ex parte initii[2], ex parte finis[3] et ex parte motus[4].

84. — Hoc primum assertum ex duplici ratione metaphysica praesertim probatur. Primo, aeternitas est proprium Dei; impossibile est creaturam aliquam aequari Creatori sub quocumque respectu, qua ratione quaestionem agitat in primo libro *Summae*, tractando de incommunicabilitate aeternitatis[5]. In secundo libro non aliter sentit[6]: « Quoad multiplicationem in effectibus », ait ille, « manifestatur divina bonitas, sed non in effectibus ab aeterno: non enim creatura potuit esse aequalis Creatori, sicut habetur super illud Psalmi: *Confortata est et non potero ad eam* ». Repugnat metaphysice aeternitas mundi ex hoc quod omne creatum est post non-esse[7]. Etenim « quod primo facit, de non-esse in esse producit; quod autem est aeternum non est post non-esse[8] ». Ut saepius repetit Halensis, aliquis procedit ab aeterno qui est consubstantialis illi a quo procedit, videlicet Filius, qui procedit a Patre; et est aliquid quod procedit a substantia aeterna, quod est distinctum in essentia ab illa et non est aeternum, sicut corruptibilia omnia. Inter haec duo extrema medium non datur[9]: « Medium enim illud impossibile est in se, scilicet quod sit differens a substantia divina et aeternum; ex hoc enim quod est differens a substantia divina, cum non sint duo principia, ponitur esse creatum, et ita ponitur de non-esse in esse procedere, et ita est habens principium durationis, non ergo aeternum ». Etsi Deus in tempore creaverit, non tamen fuit otiosus in sua aeternitate, ut obiciunt philosophi, sed vitam ac activitatem nobiliorem creatione habuit semper in se, videlicet generationem Verbi et spirationem Spiritus Sancti[10]; insuper non defuit ei cognitio et dilectio essentialis sui ipsius[11]. Praeterea, creatio mutationem in Deo non involvit, quod vi metaphysica nulli secundus probat Halensis[12], sed « quidquid innovationis ibi est, accidit circa creaturas[13] ». Consequenter omne creatum necessario includit temporalitatem in suo conceptu et ex hoc omne quod incipit esse, videlicet motus et tempus[14], non est ab aeterno, sed « sicut habet principium esse ab illa potentia infinita, ita et principium durationis[15] ». Si vero consideretur aeternitas ex parte finis sive a parte post, mundus etiam, scilicet universitas rerum caelestium ac terrestrium, variationes eius ex motu caeli ac rerum vanitas finem habebunt. Tantum principia prima quae sunt in mundo et ordinantur « ad immortalitatem hominis in statu futuro » permanebunt in renovatione mundi ex dono Conditoris[16]. Etiam tempus, quod incipit cum motu caeli, cessabit sicut et ipse motus, sed ipso cessante alia mensura durationis habebitur[17]. Ratio metaphysica est quod illud solum quod non habet principium, non habet ex se finem[18]. Praeterea, etsi secundum causas inferiores non habeant in se rationem deficiendi, nisi ex illa ratione qua dicuntur esse de nihilo, tamen secundum causas superiores, scilicet potentiam, sapientiam et bonitatem Dei, durationem limitatam habere debent[19]; secus non esset retributio finalis nec resurrectio; ergo « tempus et motus primi mobilis rationem habent deficiendi ex alio, scilicet ex voluntate Creatoris velut causae agentis, et ex parte hominis, ad cuius multiplicationem ordinatur motus et tempus. Unde multiplicato numero electorum hominum praeordinato a Deo, cessare debet motus et tempus[20] ».

85. — Cum res ita se habeat et mundus non sit aeternus, materia ipsa incipit nec est quid praeexistens ex quo rerum universitatem Deus efformavit, ut Platonici aliique excogitaverunt[21]. Materia enim sive principium passivum est a primo activo, eo quod hoc sit omnipotens[22] et quod agere et pati reducuntur ad idem primum principium in efficiendo, non in subiciendo[23]. Praeterea, principium activum et passivum sibi mutuo non correspondent sive supponunt nisi « ubi activum appropriat sibi passivum » sicut forma materiam[24], quod hic locum non habet. Iterum, materia non est vere principium eo quod sit possibilis ad omnia, quia haec possibilitas non est potentia activa ad omnia, sed possibilitas tantum respectu formarum in materia fiendarum; non ergo repugnat quod ipsa sit a causa prima[25], cuius omnipotentia etiam se extendit ad hoc quod fiat materia haec in potentia ad formas[26].

---

[1] II, num. 67, *Solutio*, p. 86; num. 71, p. 95.

[2] II, num. 67, p. 84 sqq.

[3] II, num. 68, p. 88 sqq.

[4] II, num. 69, p. 91 sqq.

[5] I, num. 64, p. 92 sqq.

[6] II, num. 67, ad 12, p. 88a.

[7] I, num. 150, ad 6, p. 229: « Illud quod dicitur ' ab aeterno creare ' vel ' ab aeterno creatum ' habet repugnantiam implicitam. Si enim ab aeterno creatum est, ab aeterno est; et si ab aeterno est, non habet esse post non-esse; ergo increatum est ». Cf. I, num. 270, ad 3, p. 365b.

[8] II, num. 67, ad 7, p. 87; I, num. 64, ad 11, p. 97 sq.: « Creaturam esse sempiternam necessario prohibet natura causabilitatis ».

[9] II, num. 67, ad 11, p. 87. Cf. I, num. 60, ad 1 et 2, p. 89; num. 64, litt. *c*, et sub *Respondeo*, p. 93, 95.

[10] II, num. 22, ad 1, p. 34; num. 67, ad 1, p. 86.

[11] II, num. 67, ad 12, p. 87; num. 99, ad 1, p. 123a. Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, q. 2, ad 6 (II, 24).

[12] I, num. 28, ad 1, p. 47: « Dicendum quod, cum dicitur ' Deus est modo creator et prius non fuit ', quod non se habet aliter quam prius, sed creatura se habet aliter ad ipsum. Quaedam enim relativa dicunt mutuam dependentiam, ut pater et filius in naturali generatione: et tunc relatio fundatur super utrumque extremum. Quaedam autem sunt quorum unum dependet ab altero et non e converso, ut quandoque in causa et effectu, quia effectus dependet a causa et non e converso: et tunc totus respectus fundatur super unum extremum, tamen in comparatione ad alterum. Et tunc, si designatur habitudo, non ponitur mutatio ex parte utriusque, sed ex parte alterius tantum, scilicet in quo respectus fundatur. Deus ergo, cum sit causa, non dependet a creatura, sed e converso. Et propter hoc, cum dicitur ' creator nunc et non prius ', non ponitur in ipso innovatio ad creaturam, sed ponitur illa innovatio in creatura, secundum quam nunc se habet aliter ad ipsum quam prius ». Cf. I, num. 377 et 378, p. 554-557 etc.

[13] II, num. 459, II, ad 1, p. 597b; cf. II, num. 23, ad 2, p. 35; num. 67, ad 2 et 6, p. 86 sq., et ad 13, p. 88.

[14] II, num. 69, p. 91 sq.

[15] II, num. 69, ad 5, p. 92.

[16] II, num. 68, *Solutio*, et ad 4, ad *a*, p. 89 sq.

[17] I, num. 69, ad 5, p. 108.

[18] I, num. 60, ad 1 et 2, p. 89.

[19] I, num. 57, *Solutio*, p. 85; num. 64, ad 12 et 14, p. 98.

[20] I, num. 57, *Solutio*, p. 86a. Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 2, a. 1, q. 1, ad 4 (II, 72).

[21] II, num. 5, p. 11 sqq.; num. 6, ad 2, p. 15.

[22] II, num. 4, ad 2, p. 10.

[23] II, num. 5, ad 1, p. 13.

[24] II, num. 4, ad 2, p. 10.

[25] II, num. 44, p. 52.

[26] II, num. 5, ad 3, p. 13. Cf. ibid., ad 4, p. 13; I, num. 133, ad 1, p. 204; num. 140, ad 1, p. 218; num. 151, ad 3, p. 232.

86. — Cum mundus originem et finem habeat, circulatio aeterna sive perpetua renovatio reicienda est. Hoc expresse statuit Halensis post S. Augustinum: «Non enim superiora corpora omnino sunt causae eorum quae fiunt in inferioribus, et ideo, licet redirent ad primam conformitatem, non propter hoc omnia essent in consimili statu [1] ». Insuper haec sententia notioni verae beatitudinis contradicit, cum secundum hoc possibile esset regredi ad miseriam post beatitudinem [2].

87. — Reiecta aeternitate mundi, motus ac temporis, non minus fortiter probat Alexander quod a primo efficiente est rerum multitudo [3]. In hac quaestione plura statuit, scilicet causam diversitatis in re seu principium intrinsecum multiplicationis [4], causam exemplarem ac efficientem. Sed, cum de primo quaesito iam sermo fuerit et plene constet quod non propter multitudinem idearum exemplarium in Deo multa in universo existant, cum ideae unum exemplar essentialiter constituant [5], hic solum notandum est quid Halensis circa principium efficiens primae diversitatis in rebus opponat philosophis [6]. Primo reicit opinionem ipsorum, Aristotelis scilicet, Avicennae et Averrois, secundum quam ab uno non procedit immediate nisi unum [7]. Revera, omne quod procedit a Deo habet rationem unius in se [8] et ad unum finaliter ordinatur [9], attamen ipse Deus immediate multa producit, non propter multitudinem mediorum, videlicet intelligentiarum: secus enim maioris potentiae esset Primum mediante creatura quam secundum se ipsum et « potentior videretur ipsa intelligentia angelica quam divina », quod absolute repugnat [10]. Nec multitudo venit a sola materia, ut vult Avencebrol [11], sive sit aeterna sive non, quia materia sola non est ratio multiplicationis rerum sub prima diversitate [12]; nec a sola forma, cum formae, sicut materia, « a se non habeant esse nec per consequens unitatem multiplicatam [13] »; nec a materia et forma simul, quia « unde erit differentia formae et materiae? Non enim materia dabit formae quod differat sicut nec forma dat materiae quod differat a forma; multitudo ergo, quae est materiae et formae, nec a materia nec a forma erit; et non est aliud nisi Opifex; ergo est ab Opifice [14] ».

88. — Ultimo excludit Alexander et post ipsum S. Bonaventura [15] quod multitudo est a primo principio « propter multitudinem et infinitatem reflexionum quibus divinus intellectus supra se reflectitur et intelligit se et intelligit se intelligere et sic in infinitum [16] ». Hic pulcre argumentatur Halensis [17]. Ratio ergo primae diversitatis nonnisi in causa prima invenitur et a voluntate Dei effective pendet, etsi non formaliter [18]. Recte hanc conclusionem statuit metaphysica christiana, cum tam eminens causa non possit aliter declarari quam per multitudinem effectuum [19], et creatura in se, utpote limitata et deficiens, solum per participationem esse habeat [20].

89. — Quia ergo « nunquam est processus creaturarum a Deo mediate tantum ... quia nunquam aliqua causa tantum operatur in suo effectu quin prima causa magis operetur in eodem [21] », sequitur in particulari quod anima nec creatur nec informatur ab ultima intelligentia, ut voluerunt quamplures philosophi [22]. Secundum viam causalitatis — necnon in supernaturali formatione per gratiam [23] — nulla est interposita natura inter mentem et Deum; contrarium asserere est simpliciter haeresis [24]. Ratio philosophica est quia solus Deus potest super substantiam spiritualem effective, cum intelligentia vel angelus illam movere vel afficere possit solum per modum consilii [25]. Cum res ita se habeat, melius declaratur quod homo dominio solius Dei per cultum subditur [26]. Haec immediatio non impedit tamen quin anima vel angelus ab aliquo superiori creato informari possit dispositive, non vero complete et ultimate [27] quantum ad cognitionem et amorem [28], aut quin in ipsa sit dispositio quaedam, videlicet imago Dei impressa naturaliter, qua mediante ad causam primam assurgat [29].

90. — Confutationem philosophorum prosequendo, Halensis post S. Augustinum reicit etiam sententiam plurium Platonicorum [30], secundum quam perfectio universi est anima quaedam, immo ipse Deus [31]. Nullo enim modo Deus potest esse anima mundi: etenim « anima est perfectio, quae facit unum cum suo perfectibili, non tantum sicut motor cum mobili, sed sicut forma substantialis cum subiecto quod perficit. Cum ergo divina essentia cum mundo non faciat unum, eo quod nihil sit ad quod divina natura et mundus sint possibilia, cum nec divina natura sit possibilis ad aliquam perfectionem nec universum sit possibile ad aliquid aliud, ergo nihil unum fiet ex divina essentia et universo; non ergo Deus est anima mundi [32] ». Insuper nec est perfectio mundi, quae nihil aliud est quam continuatio « in motu vel in operatione [33] »,

---

[1] II, num. 68, ad *b-c*, p. 90.
[2] Ibid.
[3] II, num. 54 et 55, p. 63 sqq.; cf. II, num. 329, *Solutio*, p. 400.
[4] II, num. 55, *Solutio*, p. 68 sq.
[5] II, num. 54, ad 1, 2, 3, p. 67; num. 55, *Solutio*, p. 68.
[6] Duhem, *Le système du monde*, V, Paris 1917, 323 sqq.
[7] II, num. 54, p. 64b. Cf. I, num. 270, II, p. 364 sq.
[8] II, num. 54, *Solutio* et ad 1, p. 67.
[9] Ibid., et ad 8, p. 68.
[10] II, num. 54, p. 64b.
[11] Duhem, op. cit., 324 sq..
[12] II, num. 54, p. 64b-65b.
[13] Ibid., p. 65b.
[14] Ibid.
[15] II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 1, q. 1 (II, 40).
[16] S. Bonav., loc. cit.
[17] II, num. 54, p. 65a-66b; num. 55, *Solutio*, p. 69b.
[18] II, num. 54, ad 5, p. 68.
[19] II, num. 55, p. 69b; num. 67, ad 12, p. 88.
[20] II, num. 54, ad 6, p. 68.
[21] I, num. 41, ad 2, p. 66.
[22] I, num. 20, ad 3, p. 31.
[23] I, num. 502, ad 3, p. 712; II, num. 202, ad 1, p. 254.
[24] II, num. 456, ad 1, p. 587. Cf. II, num. 43, p. 52; num. 427, ad 6, p. 504.
[25] II, num. 104 ad 1-2, p. 132; num. 329, I, p. 400.
[26] II, num. 521, ad 3, p. 779b.
[27] II, num. 213, ad 4, p. 264.
[28] II, num. 202, ad 1, p. 254.
[29] I, num. 20, ad 3, p. 31; II, num. 213, ad 9-11, p. 265; num. 518, ad 1, p. 769.
[30] A. Dès, *Autour de Platon*, II, Paris 1927, 538-542.
[31] II, num. 88, ad 3, p. 112; num. 96, p. 118 sq; num. 98, *Solutio*, p. 120.
[32] II, num. 96, p. 118b, et *Solutio*, p. 119.
[33] II, num. 98, *Solutio*, p. 120.

sed tantum principium extrinsecum quod tenet rationem motoris separati et ad finem dirigentis [1].

91. — Nexu logico reicit *Summa* theoriam philosophis antiquis communem, quae docet corpora caelestia animata esse [2]. Huic opinioni contradicunt Scriptura et Patres [3]. Insuper primus et unicus motor, scilicet Deus, inclinationes et impulsiones omnibus motibus caelorum imprimere potest ab extra quin astra informet [4]. Concedi tamen potest quod corpora caelestia dici possint viva ratione intelligentiarum vel angelorum, qui ista corpora dirigunt ab extra per intellectum et voluntatem [5], vel quatenus effective conservant viventes in vita [6]. « Si autem videatur alicui Commentatorem sensisse, ut videtur ex verbis eius, corpora caelestia habere vitam, non est in hoc vis facienda, cum ille et alii commentatores in multis male senserunt et in opinionibus suis erraverunt [7] ». — Tandem Alexander fatalismum astrologicum diffuse ac solide impugnat [8], praesertim dum tractat de fato ad mentem Boethii [9]. Hic solum iuvat notare quod, secundum ipsum, astra vel « lex astrorum », quae vocatur etiam fatum [10], non sunt verae causae eorum quae sunt in potestate nostra, videlicet passionum animae, etsi ad illas dispositive inclinare possint, mediantibus corporis dispositionibus [11].

92. — Sicut anima determinismo non subicitur, ita, secundum Halensem, causae inferiores generaliter sumptae activitatem propriam habent et retinent. Licet occasionalistas Arabes et Avicennam in hac re non commemoret explicite, non abs re tamen erit breviter notare quantum ab illis philosophis distet [12]. Non solum non considerat intellectum agentem ut substantiam creatam separatam [13], ut diximus, sed sedulo efficientiam causarum secundarum servat [14]. Ait enim [15]: « Causa particularis non est una omnium, sed diversorum differentes », et « illae causae particulares sunt multae »; nec causa particularis identificatur cum universali, videlicet Deo, nisi « in illis quae Deus nullo alio agente operatur »; de his causis naturalibus tractant scientiae. Haec efficacia declarat manifestius potentiam infinitam. « Potentia enim divinae bonitatis non solum ostenditur in numero et multitudine creaturarum, sed faciendo illas potentes ad operandum et ad producendum alias ex se; si autem fecisset omnes creaturas simul, esset manifestatio potentiae quoad numerum factorum, sed non quoad potentiam factorum, qua potest una creatura in aliam producendam [16] ». Revera primaria causa dicitur maxime influere, sed hoc est tantum « quia aliae causae habent potestatem influendi ab ipsa et cum hoc in omni actione ipsa est intime agens [17] ». Pluries idem repetit Halensis [18]. Haec notare libuit, cum magni faciat Avicennam in metaphysica [19] et in psychologia [20].

93. — Cum plerosque errores circa mundum impugnet Alexander, falsas sententias philosophorum et haereticorum circa originem naturamque animae confutare non omittit. Imprimis praeexistentiam animarum reicit, quia anima « creando infunditur et infundendo creatur [21] ». Ratio praecipua est, quia « est perfectio corporis organici, potentia vitam habentis [22] ». Sicut anima non praeexistit corpori, ita de substantia Dei ut de materia non venit [23], secus esset pantheismus Davidis de Dinanto [24]: « De Dei substantia non potest esse nisi quod Deus est [25] ». Non minus erroneum est dicere quod anima sit ex traduce [26] vel de materia corporali praeexistente [27] vel ab anima parentum tamquam ab efficiente [28] vel tandem ab ultima intelligentia caeli [29], quia « nullatenus causam efficientem est ponere animae rationalis nisi Deum [30] ». — Unitatem animae rationalis non minus attente probat contra illos qui docent in homine vim sensitivam, vegetativam et rationalem substantialiter differre [31]. Hic error « est simpliciter contra Augustinum [32] », immo rationi multipliciter repugnat [33] et dogma resurrectionis quasi evertit [34]. Insuper, ut addit Halensis [35], « ista sensibilis, licet in genere conveniat cum sensibili in brutis, in brutis autem sit corruptibilis, non propter hoc est in homine corruptibilis, quia in brutis non ordinatur nisi ad necessitatem corporis corruptibilis secundum tempus determinatum conservandi et ideo cum corpore corrumpitur; non sic autem est de homine: sua enim ordinatio non tantum est ad perfectionem necessitatis corporalis, sed ad

---

[1] II, num. 96, *Solutio*, p. 119; num. 178, ad 1, p. 231; num. 179, ad 1, p. 232 etc.

[2] II, num. 487, p. 676 sqq.; cf. num. 88, ad 2, p. 112; num. 291, III, p. 353.

[3] II, num. 291, *Solutio*, p. 353.

[4] Ibid.

[5] II, num. 96, ad 1, p. 119.

[6] II, num. 487, ad 1, p. 678.

[7] Ibid., ad 7, p. 680.

[8] II, num. 289, p. 350 sq. Cf. I, num. 196, V, p. 287 sq.

[9] I, num. 214, ad 4 et ad 5, p. 308 sq.; num. 215-219, p. 309 sqq.

[10] I, num. 212, *Solutio*, p. 305.

[11] II, num. 289, II, p. 351; cf. I, num. 214, ad 4, p. 308; II, num. 452, ad 7, p. 577; num. 523, ad 1, p, 784.

[12] Cf. Carra de Vaux, *Avicenne*, Paris, 1900, 253; J. de la Vaissière, *Cursus philosophiae naturalis* [2], I, Paris 1912, 86.

[13] II, num. 372, p. 451 sq.

[14] Illud axioma 'quidquid movetur, ab alio movetur' ita explanat ut spontaneitas causae secundae omnino salvetur (II, num. 480, ad 5, p. 659).

[15] I, num. 113, II, p. 178.

[16] I, num. 64, ad 5, p. 96b sq.. Cf. II, num. 505, sub *Respondeo*, p. 730.

[17] II, num. 427, ad 3, p. 503; cf. I, num. 209, ad 3, p. 303.

[18] II, num. 19, *Solutio*, p. 30; num. 46, ad 2 et 3, p. 54; I, num. 329, ad 3 et 4, p. 484.

[19] I, num. 74, III, p. 117 sq.

[20] II, num. 356 et 357, p. 432 sqq.

[21] II, num. 103, ad 5, p. 130; num. 333, p. 405 sq.; num. 343, p. 416 sq.

[22] II, num. 343, ad 2, p. 417; num. 333, ad 2, p. 406.

[23] II, num. 321, ad 1, p. 386; num. 322, p. 389 sqq.

[24] II, num. 322, litt. *a*, pag. 389. Cf. Endres, art. cit., 50 sq.

[25] II, num. 322, ad 4, p. 391.

[26] II, num. 327, p. 396 sq.

[27] II, num. 327, II, p. 397.

[28] II, num. 329, *Solutio*, p. 401.

[29] Ibid.

[30] Ibid., p. 400b. Non recte asserunt Endres, art. cit., 55, et, post ipsum, Schneider, op. cit., 434, quod Alex. Halensis traducianismum spiritualem non plene reiciat. Etenim in textu allegato (II, num. 323, ad 2, in fine, p. 392), de hac materia non agitur. Quaerit ibi Halensis quare Scriptura faciat mentionem de creatione animae post opera sex dierum et super hoc duas explicationes affert. In his unice censet « nihil temere asserendum ».

[31] II, num. 453, *Solutio*, p. 580a. Cf. II, num. 332, p. 403 sqq.; num. 489, p. 681-684.

[32] II, num. 489, sub *Respondeo*, p. 682b.

[33] II, num. 332, litt. *a-d*, p. 403 sq.

[34] Ibid. litt. *e*, p. 404.

[35] Ibid., ad 2, p. 404.

ministerium virtutis intellectualis et ulterius ad hoc quod sicut meretur cum virtute intellectuali vel demeretur, ita praemietur vel puniatur [1] ». Nec huic obstat quod dicit Philosophus de concepto vel embryone ante animationem per substantiam rationalem, cum proprie non vivat, ut censet Alexander, sed tantum ex virtute derelicta in semine sese imperfecte moveat [2].

94. — Iis addi potest quod Doctor noster praecipuos errores circa Deum etiam egregie impugnat. Anthropomorphismum excludit omni via, praesertim in tractatu *De divinis nominibus* [3], ubi praeclarissime tractat de cognitione analogica et symbolica Dei. — Adversus philosophos, praesertim Epicurum, qui tenet omnia a casu fortuito esse [4], de providentia etiam egregie disputat [5]. — Multa deinde tradit contra Ontologismum, secundum quem visio Dei possibilis est intellectui humano tum in statu innocentiae, tum in via [6]: « In solo statu gloriae videbitur Deus immediate in sui substantia [7] ». Hac ratione cognitio Dei per gratiam et dona Spiritus Sancti et visio beatifica per speciem gloriae non solum gradibus differunt, sed essentialiter, cum hic, in via, non videatur Deus in se — nisi forsan in raptibus mentis extaticae et sub influxu gratiae perfectae contemplationis [8] — sed in effectu interiori [9]. Rem saepe et clare inculcat, praesertim cum agit de cognitione primi hominis [10]. — Tandem contra Graecos, qui negant processionem Spiritus Sancti a Patre Filioque, solide ac diffuse disputat [11]. In primis Scriptura et Patribus allegatis, ut decet [12], veritatem illam fidei deducit ex theoria psychologica S. Augustini, secundum quam ex mente et cognitione spiratur affectus amoris [13], immo, secundum cl. De Régnon, hanc traditionalem considerationem non parum roborat, eo quod Alexandri psychologia generalis modusque concipiendi processionem Spiritus Sancti clarius exhibent quo modo intellectus non est tantum conditio sine qua non amoris, sed revera concurrat active et efficaciter ad actum amoris [14]. Insuper eamdem veritatem probat, ad mentem Richardi de S. Victore, ex ipsa notione amoris perfecti [15]. Nullum dubium est quin S. Bonaventura et Matthaeus ab Aquasparta in hac materia ex Doctore Irrefragabili multa mutuati sint.

95. — Ex praedictis eruitur [16] quam profunde erroribus nonnullis philosophorum necnon sententiis plus minusve falsis et dubiis plurium aliorum Alex. Halensis adversetur [17]. Si dictis eius adnectantur ea quae fere eodem tempore contra philosophos fr. Thomas Eboracensis in sua Summa metaphysica, quae vocatur *Sapientiale*, doctissime tradit [18], necnon illa capitula quae leguntur in fr. Gilberti Tornacensis tractatu, cui nomen est *Erudimentum doctrinae* [19], et prae omnibus illae S. Bonaventurae *Collationes in Hexaëmeron*, quae sunt apex totius speculationis rationalis ac mysticae Medii Aevi necnon christianae metaphysicae apologia desuper illuminata, iure dici potest Scholam Franciscanam optime de scholastica philosophia atque theologia meruisse, ab omnibus erroribus easdem liberando. Cum igitur ex una parte hoc munus praeservationis defensionisque egregie Alexander Halensis absolvat et ex altera parte ipse, aetate magnorum doctorum saec. XIII albescente, metaphysicam ac theologiam in amplissima ac organica synthesi coordinet diffuseque evolvat, non immerito quondam in eius sepulcro fuit ille versus inscriptus:

Gloria doctorum, decus et flos philosophorum.

---

[1] II, num. 332, ad 2, p. 404.

[2] II, num. 332, ad 1, p. 404; num. 489, ad 4, p. 683.

[3] I, num. 333, ad 2, p. 493; num. 343, ad 2 et 3, p. 509; num. 344, sub *Respondeo*, p. 510.

[4] I, num. 210 et 211, p. 303 sq.

[5] I, num. 195-211, p. 281 sqq.

[6] II, num. 517, sub *Respondeo*, p. 764.

[7] Ibid., p. 765 b.

[8] Ibid., p. 765 b. Cf. I, num. 12, *Solutio*, p. 22.

[9] II, num. 517, p. 765 b.

[10] II, num. 517, ad 4, 6 et 8, p. 766; num. 518, sub *Respondeo*, p. 768 b: « Per manifestationem in effectu fit praesens in visione contemplativa sive speculativa » etc. Cf. I, num. 18, ad 2, p. 29; II, num. 2, ad *c*, p. 4.

[11] I, num. 310, p. 447-452; num. 324, p. 475 sqq. Cf. De Régnon, op. cit., II, 402-406.

[12] I, num. 310, sub *Contra*, p. 449 sq.

[13] I, num. 310, ad 12, p. 451; num. 324, ad 2, p. 477.

[14] De Régnon, op. cit., 403.

[15] I, num. 324, ad 3, p. 477.

[16] Notandum quod *Summa* gratuitatem ordinis supernaturalis et necessitatem gratiae contra Pelagianos vindicat (II, num. 510, p. 744 sqq.) et — quod vitae christianae non minus interest — epicurismum confutat, docendo quod Deus ipse (II, num. 445, p. 548 sqq.), non vero voluptas sensibilis, sit finis vitae humanae (II, num. 443, p. 544 sqq.).

[17] Indirecte etiam *Summa* erroribus viam praeclusit ex eo quod methodice ac philosophica praecisione problemata tractabat, ut Ch. Jourdain optime notat, *La philosophie de S. Thomas d'Aquin*, I, Paris 1858, 54: « Le dogme catholique se trouve pour la première fois exposé dans tous ses détails, selon les formes du syllogisme et avec la rigueur que cette méthode sévère communique à la pensée. La *Somme théologique* délimitait le terrain de la controverse religieuse et fermait les issues que l'absence de définitions laissait à l'erreur ».

[18] E. Longpré, *Thomas d'York*, loc. cit., 905.

[19] Bibl. Laurentiana, S. Crucis, Plut. 36, dext., cod. 6; tract. 1, c. 5, f. 20r-21r: Specificatio erroris philosophorum in quatuor scientiis, et primo in physicis; c. 6, f. 21r-22v: Error philosophorum in mathematicis et maxime in astronomia; c. 7, f. 22v-24v: Error philosophorum in metaphysicis; c. 8, f. 24v-26r: Error philosophorum in ethicis; c. 9, f. 26r-28r: Quod sine sapientia increata nulli ad sapientiam pertingere potuerunt. — Contra errorem averroisticum de unitate intellectus procedit fr. Gilbertus Tornacensis in c. 7, f. 24r.

OPERA MANUSCRIPTA A NOBIS ALLEGATA.

ANONYMI, *Quaestiones theologicae,* Assisii, Bibl. Commun., cod. 138: p. 136, n. 4; 195, n. 1.

» *Quaestiones theologicae,* Tolosae, Bibl. Munic., cod. 124: p. XXVII, n. 1.

» *Commentarius in Sententias,* Florentiae, Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 31, Dext., cod. 3: p. LIIIa.

» *De anima,* Parisiis, Bibl. Nation., Nouv. Acq. Lat., cod. 16585: p. XLII, n. 13; XLIII, n. 29.

BURGUNDIO, *Damasceni De orthodoxa fide,* Florentiae, Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 13, Dext., cod. 8: p. 329, n. 1.

GERARDUS CREMONENSIS, *De caelo et mundo* (Aristotelis) Florentiae, Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 13, Sin., cod. 4: p. 663, n. 2.

GILBERTUS PORRETANUS, *Commentarius in Psalterium:* p. LII, n. 19.

GILBERTUS TORNACENSIS, *Erudimentum doctrinae:* Florentiae, Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 36, Dext., cod. 6: p. LXI, n. 19.

IOAN. DE CAPELLIS, *Adversus Catharos,* Mediolani, Bibl. Ambros., cod. J. 5. Inf.: p. LIVb.

ODO RIGALDUS, *In IV Sententiarum,* Parisiis, Bibl. Nation., cod. lat. 14910; Trecis, Bibl. Mun., codd. 824, 825, 2032: p. XXVII, n. 1; XXIX, n. 12 et 16.

» *In II Sententiarum,* Brugis, Bibl. Commun., cod. 208: p. 696, n. 2.

PHILIPPUS GREVIUS, *Summa de bono,* Florentiae, Bibl. Laurent., S. Crucis, Plut. 36, Dext., cod. 4: p. 3, n. 11; 123, n. 10; 126, n. 1; 276, n. 5; 277, n. 3 et 6; 279, n. 3; 280, n. 3; 281, n. 2 et 8; 282, n. 1; 284, n. 5; 285, n. 1 et 5; 286, n. 6; 287, n. 2; 289, n. 3; 292, n. 1; 293, n. 7; 294, n. 7; 295, n. 4; 296, n. 1; 385, n. 3; 404, n. 1; 405, n. 1; 415, n. 11; 468, n. 14; 480, n. 2; 491, n. 1.

PRAEPOSITINUS, *Summa,* Tuderti, Bibl. Commun., cod. 71: p. 123, n. 10; 124, n. 6 et 13; 125, n. 2; 181, n. 7; 182, n. 1, 183, n. 4 et 9; 470, n. 1 et 6.

OPERA IMPRESSA A NOBIS ALLEGATA.

ALBERTUS MAGNUS, *Opera omnia,* ed. A. Borgnet, Parisiis 1890 sqq.

» *De animalibus,* ed. H. Stadler, in *Beiträge Baeumker,* XV-XVI, 1916-1921.

ALBUMASAR, *Liber introductorius ad artem astronomiae,* Augustae Vindelicorum 1489.

ALEXANDER HALENSIS, *Summa Theologica,* I, Ad Claras Aquas 1924.

ALEXANDER NECKAM, *De naturis rerum,* ed. Th. Wright, London 1863, in *Rerum Brittannicarum Medii Aevi Scriptores,* XXXIV.

ALFREDUS ANGLICUS, *De motu cordis,* ed. C. Baeumker, in *Beiträge Baeumker,* XXIII, Heft 1-2, 1923.

ALGAZEL, *Logyca et Philosophia,* Coloniae 1506.

ALPHRAGANUS, *Introductio in astronomiam,* Ferrariae 1493.

ARISTOTELES, *Opera omnia,* Parisiis 1848.

» *Opera omnia,* Venetiis 1503.

AVENCEBROL, *Fons vitae,* ed. C. Baeumker, in *Beiträge Baeumker,* I, Heft 2-4, 1892-95.

AVERROES, *De generatione,* Venetiis 1503.

AVICENNA, *Liber Canonis,* Venetiis 1564.

» *Logyca, Sufficientia* etc., Venetiis 1508.

BACO ROGERIUS, *Opus maius,* ed. J. Bridges, London 1900.

BACO ROGERIUS, *Opus tertium,* ed. J. S. Brewer, London 1859.

» *Opus tertium* (fragmentum), ed. P. Duhem, Ad Claras Aquas 1909.

» *Compendium studii theologiae,* ed. H. Rashdall, Aberdoniae 1911.

Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters herausgegeben von Cl. Baeumker (Beiträge Baeumker), Münster i. W. 1891 sqq.

BONAVENTURA S., *Opera omnia,* Ad Claras Aquas 1882-1902.

CALLEBAUT A., *Alexandre de Halès et ses confrères en face des condamnations parisiennes de 1241 et 1244,* in *La France Franciscaine,* X, Paris 1927.

CARRA DE VAUX, *Avicenne,* Paris 1900.

CHEVALIER J., *La notion du nécessaire chez Aristote et chez ses prédécesseurs, particulièrement chez Platon,* Paris 1915.

» *La science et le réel,* in *Cahiers de la Nouvelle Journée* n. 9, Paris 1927.

CHOSSAT M., *La Somme des Sentences, œuvre de Hugues de Mortagne,* Louvain 1923.

CORNELIUS A LAPIDE, *Commentaria in S. Scripturam,* IV, Melitae 1845.

COSTA-BEN-LUCA, *De differentia spiritus et animae,* ed. S. Barach, Innsbruck 1878.
DENIFLE-CHATELAIN, *Chartularium Universitatis Parisiensis,* I, Paris 1889.
DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum,* ed. 12, Friburgi Brisgoviae 1913.
DIÈS A., *Autour de Platon,* II, Paris 1927.
DIONYSIUS CARTUSIANUS, *Opera omnia,* Tornaci 1902 sqq.
DUHEM P., *Etudes sur Léonard de Vinci,* III, Paris 1913.
» *Le système du monde,* Paris 1913-1917.
DUNS SCOTUS I., *Opera omnia,* Parisiis 1891 sqq.
ENDRES J. H., *Des Alexander von Hales Leben und psychologische Lehre,* in *Philophisches Jahrbuch,* I, Fulda 1888.
FELDER H., *Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden,* Freiburg i. B., 1904.
» *Histoire des études dans l'Ordre de S. François,* Paris 1908.
GALENUS, *Ascriptae finitiones medicae,* in *Isagogici libri,* Venetiis 1586.
GERDIL H., *Défense du sentiment du P. Malebranche,* in *Opera omnia,* IV, Romae 1806.
GILBERTUS PORRETANUS, *De sex principiis,* in *Aristotelis opera omnia,* Venetiis 1503.
E. GILSON, *La philosophie de S. Bonaventure,* Paris 1924.
» *La philosophie au Moyen Age de Scot Erigène à G. d'Occam,* Paris 1925.
» *Influence de S. François sur la civilisation italienne,* Paris 1926.
» *Pourquoi S. Thomas a critiqué S. Augustin,* in *Archives d'histoire doctrinale et littéraire du Moyen-Age,* I, Paris 1926.
GRABMANN, M., *Die Geschichte der scholastischen Methode,* II, Freiburg i. Br. 1911.
» *Des Ulrich Engelberti von Strassburg, O. Pr. († 1277), Abhandlung De pulchro,* München 1926.
GUILIELMUS ALVERNUS, episc. Parisiensis, *De universo,* Venetiis 1591.
GUILLELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa aurea,* Paris, apud Fr. Regnault, s. a.
GUNDISSALINUS, D., *De processione mundi,* ed. G. Bülow, in *Beiträge Baeumker,* XXIV, Heft 3, 1925.
» *De unitate (Die dem Boethius fälschlich zugeschriebene Abhandlung des Dominicus Gundisalvi De unitate)* ed. P. Correns, in *Beiträge Baeumker,* I, Heft 1, 1891.
HARRIS R., *Duns Scotus,* Oxford 1927.
HAURÉAU B., *De la philosophie scolastique,* I, Paris 1850.
HAUZEUR M., *Collatio totius theologiae inter Maiores nostros ad mentem S. Augustini sub magisterio Christi et Ecclesiae,* I-II, Augustae Eburonum, 1652 sqq.
HAYE J. DE LA, *Biblia Maxima versionum,* VIII, Paris 1660.
ISAAC, *Liber dietarum universalium,* Lugduni 1515.
JOURDAIN CH., *La philosophie de S. Thomas d'Aquin,* Paris 1858.
KEICHER O., *Zur Lehre der ältesten Franziskanertheologen vom Intellectus Agens,* in *Festgabe zum 70. Geburtstag Georg Freiherrn von Hertling gewidmet,* Freiburg i. Br. 1913, 173-182.
LAURENTII I., *Amalthea onomastica,* Lugduni 1664.
LESCŒUR L., *La théodicée chrétienne d'après les Pères de l'Eglise,* Paris 1852.
Liber de causis. Die pseudo-aristotelische Schrift ueber das reine Gute bekannt unter dem Namen —, ed. O. Bardenhewer, Freiburg i. Br. 1882.
LOMBARDUS PETRUS, *Libri IV Sententiarum,* Ad Claras Aquas 1916.
LONGPRÉ E., *Thomas d'York, O. F. M.: La première Somme métaphysique du XIII^e siècle,* in *Archivum Franciscanum Historicum,* XX, 1926.
» *La royauté de Notre Seigneur chez S. Bonaventure et Duns Scot,* Montréal 1927.
LUGUET H., *Essai d'analyse et de critique sur le texte inédit du traité de l'âme de Jean de la Rochelle,* Paris 1875.
LYRANUS NICOLAUS, *Biblia sacra,* Venetiis 1588.
MACROBIUS, *In somnium Scipionis,* ed. Societas Bipontina, Biponti 1788.
MANSI I., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio,* Florentiae 1759 sqq.
MARCELLINUS A CIVETIA, *Il Breviloquium super libros sententiarum di Frate Gherardo da Prato,* Prato 1882.
MARGERIE A. DE —, *Essai sur la philosophie de S. Bonaventure,* Paris 1855.
MARSTON R., *Quaestio disputata,* in *De humanae cognitionis ratione,* Ad Claras Aquas 1883.
MASNOVO A., *Guglielmo d'Auvergne,* in *Rivista di filosofia neo-scolastica,* XIX, Milano 1927.
MATTHAEUS AB AQUASPARTA, *Quaestiones de fide et de cognitione,* in *Bibl. Franciscana Scholastica,* I, Ad Claras Aquas, 1903.
MEISTERMANN B., *Guide de Terre-Sainte,* Paris 1923.

MERCIER D., *Métaphysique générale,* Louvain 1905.

MINGES P., *Exzerpte aus Alexander von Hales bei Vincenz von Beauvais,* in *Franziskanische Studien,* I, Münster i. W. 1914.

» *Zur Psychologie des Alexander von Hales,* in *Philosophisches Jahrbuch,* XXVIII, Fulda 1915.

» *Le teorie della conoscenza in Alessandro di Hales,* in *Rivista di filosofia neo-scolastica,* VII, Milano 1915.

MINJON, *Der Schönheitsbegriff der Hochscholastik,* in *Philosophisches Jahrbuch,* XXV, Fulda 1912.

MORIN F., *Dictionnaire de philosophie et de théologie scolastiques au Moyen-âge,* Paris 1856.

OLIVI PETRUS IOANNIS, *Quaestiones in II librum Sententiarum,* ed. B. Jansen, in *Bibl. Franc. Schol.,* IV, Ad Claras Aquas 1922-1926.

PALHORIÈS G., *Saint Bonaventure* [2], Paris 1913.

PATRES SOC. IESU, *Theologia dogmatica, polemica, scholastica et moralis praelectionibus publicis in alma Universitate Wirceburgensi accommodata* [3], VII, Parisiis 1880.

Patrologia latina et graeco-latina, ed. Migne.

PICAVET F., *Esquisse d'une histoire générale et comparée des philosophies médiévales,* Paris 1907.

PITRA, *Analecta novissima Spicilegii Solesmensis,* II, 1888.

PLATO, *Timaeus, interprete Chalcidio cum eiusdem Commentario,* ed. I. Wrobel, Lipsiae 1876.

» *Opera omnia,* Basileae 1539.

POTTHAST A., *Bibliotheca historica medii aevi,* I, Berolini 1896.

PREZZOLINI C., *Cursus philosophicus,* Romae 1904.

RÉGNON TH. DE, *Etudes sur la S. Trinité,* Paris 1892.

RIMAUD FR., *Thomisme et méthode,* Paris 1925.

ROBERTUS LINCOLNIENSIS, *De luce* ed. L. Baur in *Beiträge Baeumker,* IX, 1912, 51 sqq.

» *De motu corporali et luce,* ed. L. Baur, loc. cit., 90 sqq.

» (Pseudo), *Summa philosophiae,* ed. L. Baur, loc. cit., 275 sqq.

ROHMER J., *La théorie de l'abstraction dans l'Ecole franciscaine de Alexandre de Halès à Jean Peckam,* in *Archives d'histoire doctrinale et littéraire du Moyen Age,* III, Paris 1928.

ROLANDUS BANDINELLUS (Alexander III), *Sententiae,* ed. A. M. Gietl, Freiburg i. Br. 1891.

SAINT-RENÉ TAILLANDIER, *Scot Erigène et la Philosophie scolastique,* Strasbourg 1843.

ROSENMÖLLER B., *Religiöse Erkenntnis nach Bonaventura,* in *Beiträge Baeumker,* XXV, Heft 3-4, 1925.

RUIBAL A., *Los problemas fundamentales de la filosofia y del dogma,* Madrid, s. a.

STOHR A., *Die Trinitätslehre des hl. Bonaventura,* I, Münster i. W. 1923.

SCHNEIDER A., *Die Psychologie Alberts des Grossen,* II, in *Beiträge Baeumker,* IV, Heft 5-6, 1903-1906.

THOMAS DE CELANO, *Vita Secunda S. Francisci Assisiensis,* in *Analecta Franciscana,* X, Ad Claras Aquas 1927.

TIXERONT J., *Histoire des dogmes dans l'antiquité chrétienne* [7], I, Paris 1915.

VAISSIÈRE J. DE LA, *Cursus philosophiae naturalis* [2], Paris 1912.

VINCENTIUS BELVACENSIS, *Speculum naturale,* Duaci 1624.

WITELO, *Liber de intelligentiis,* ed. C. Baeumker, in *Beiträge Baeumker,* III, Heft 2, 1908, 1-126.

WOESTYNE Z. VAN DE, *Cursus philosophicus,* Mechliniae 1921-1925.

WULF M. DE, *Introduction à la philosophie néo-scolastique,* Louvain 1904.

» *Histoire de la philosophie médiévale* [5], Louvain 1924.

TABULA SIGLORUM

QUIBUS CODICES NOSTRI SIGNANTUR.

C ..... Vaticanus Chigian. B. VII. 110.
F ..... Florentinus Laurent., S. Crucis, Plut. 24, Dext., cod. 4.
L ..... Avenionensis Municip., cod. 280.
P ..... Parisiensis National., cod. lat. 15330.
R ..... » » » » 15327.
S ..... » » » » 3035.
T ..... » » » » 15334.
V ..... Vaticanus lat. 701.
Z ..... » » 702.

ALEXANDRI DE HALES

O. F. M.

SUMMA THEOLOGICA

PRIMA PARS SECUNDI LIBRI.

INQUISITIO PRIMA

DE CREATURA IN COMMUNI

TRACTATUS PRIMUS

DE CREATURA SECUNDUM FIERI

SECTIO I. — De creatura secundum causam.

Completis tractatibus de iis quae pertinent ad speculationem Dei, qui est factor omnis creaturae, sequitur tractatus de iis quae pertinent ad considerationem creaturae:

Et primo, de iis quae pertinent [a] ad ipsam creaturam, in quantum est creatura;

deinde, de iis quae pertinent ad lapsum sive deteriorationem [b] eiusdem;

tertio, sequitur tractatus de reparatione.

Consideratio vero creaturae, in quantum est creatura, attenditur secundum ipsam primitus bene institutam; quae bipartita est: secundum fieri et [c] esse. Consideratio vero eius secundum fieri et esse potest attendi in communi vel in particulari.

Primo ergo dicendum est de iis quae pertinent ad considerationem eius in communi:

Et primo, secundum fieri;

deinde, secundum esse.

Consideratio vero secundum fieri primo est secundum causas eius quod fit;

secundo, quantum ad proprietates consequentes sive per se accidentia.

De causa vero agitur dupliciter: secundum substantiam et secundum rationem.

---

[a] L om. *ad considerationem... pertinent.* [b] T *deteriorationes.* [c] RZ *vel secundum.*

QUAESTIO I.

DE CAUSA PRIMA SECUNDUM SUBSTANTIAM.

Consideratio vero de substantia causae:
Si est causa seu principium primum [a];
si sit, quid sit;
utrum [b] unum vel plura.

1 CAPUT I.

SI EST PRINCIPIUM PRIMUM [1].

Supponendum autem est quod principium sit, ex comparatione [c] eorum quae fluunt a [d] principio: in omnibus enim invenitur aliqua mutabilitas quae non convenit primo principio.

a. Unde Isidorus [2]: « Materia mutabilis est, quia de informi transit ad formatum »; angeli et animae mutabiles sunt [3], dum in bonum et malum sunt vertibiles; in creaturis vero corporalibus patet quod mutabiles sunt. Ex quo concluditur, cum immutabile omnino sit prius mutabili et hoc ab illo [e] dependet, aliquod esse principium quod est immutabile.

b. Praeterea, Ioannes Damascenus [4]: « Intellectualia, angelos scilicet et animas, secundum electionem et eam quae est in bono profectionem [f] et eam quae est [g] ex bono abcessionem intensam et remissam dicimus transmutari, reliqua vero secundum generationem et corruptionem et augmentationem et diminutionem et secundum qualitatem [h] transmutationem et localem motum ». Omnia autem haec cum sint vertibilia, necesse est esse ab [i] aliquo quod est [k] invertibile omnino; ei ergo convenit esse principium, cum omnis transmutatio ultimo dependeat ab omnino intransmutabili [5].

c. Praeterea, non est aliqua creatura, quae non habeat possibilitatem ad aliquam perfectionem naturaliter; nihil autem se ipsum perficit: distant enim natura [l] perficiens et perfectibile; ergo necesse est aliquod esse perfectivum; erit ergo aliquod principium quo alia perficientur, quod non aliunde perficietur.

d. Hoc idem potest elici ex aliis conditionibus quae sunt causae vel principii et eius quod est ex principio sive causatio [m].

2 CAPUT II.

QUID SIT PRINCIPIUM PRIMUM [6].

Quod cum sit, ostenditur consequenter quod non est scire quid sit secundum modum viae secundum quod scientia est per priora [7].

a. Unde Ioannes Damascenus [8]: « Quid vero est secundum substantiam et naturam, incomprehensibile est [n] secundum se et ignotum, familiarius autem est magis ex omnium ablatione facere rationem: nihil est enim eorum quae sunt, non ut non-ens, sed ut super omnia ens et super ipsum esse ens. Si enim eorum, quae sunt, cogitationes sunt, quod super cogitationes est, et super essentiam erit ».

b. Praeterea, sic ratiocinatur Dionysius, in libro [o] *De divinis nominibus* [9]: « Si incomprehensibilia et incontemplabilia sunt sensibilibus invisibilia et iis quae sunt in figmento et [p] similitudine simpla et non simulata, iuxta eamdem veritatis

---

[a] RL om., alii *primo*. [b] S om. [c] P *operatione*. [d] Z *ex*. [e] PVST *alio*. [f] PV *perfectionem*. [g] PVSTL om., in C est add. interl. et exp. *ex* corr. *in*. [h] L et CZ (corr.) *qualitatis*. [i] Ita LC (corr.), alii *ex*. [k] V *in*. [l] C (corr.) *naturaliter*. [m] P *causate*, R *creatio*, quod T corr. in *creato*, alii *causato*. [n] R om., in Z est add. interl. [o] V om. *i. l.* [p] T add. *in*.

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 25.
2 *Sentent.*, I, c. 1, n. 3 (PL 83, 539). Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, VIII, c. 20 (PL 34, 388).
3 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 49, *Solutio*.
4 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 795).
5 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 5 (II, 350).
6 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 8, 14.
7 Cf. Aristot., *Poster.*, I, c. 2 (I, 122).
8 Loc. cit., c. 4 (PG 94, 799).
9 Cap. 1, § 1 (PG 3, 588, PL 122, 1113).

rationem, superat[a] essentias superessentialis magnitudo, et omnibus virtutibus impossibile est quod super sensum est arcanumque[b] rationi omni super rationale bonum ». Et iterum[1]: « Quem neque cogitare possibile est[c] neque dicere neque totaliter aliquo modo contemplari propter hoc quod ab omnibus ipse est[d] segregatus et superignotus ».

c. Praeterea, ratione potest argui: Omnis enim attributio est aliquo quinque modorum[2], quorum nullo recipit principium et causa omnium notificationem[e] seu definitionem. Prima attributio est per substantialia coaequata: haec autem non convenit huic principio, cum substantialia coaequata impossibile sit haberi, eo quod primum[f] est omnium. Secunda attributio est per substantialia non coaequata, ut cum dicitur 'homo est animal' vel 'homo est sensibile': et secundum eamdem rationem haec attributio removetur a Primo. Tertia attributio est per proprietates quae egrediuntur a substantia, ut risibile ab homine, et haec attributio removetur: principium enim primum nihil habet coaequale quod sit praeter eius essentiam; praeter autem essentiam sunt proprietates. Quarta autem attributio est secundum accidentia quae intrinsecus contingunt, ut sunt[g] quantitas et qualitas, et haec attributio removetur: nihil enim quod mutari potest secundum naturam, ei aeternaliter attribuitur, cum sit immutabile. Hoc etiam plane dicit Augustinus, in libro *De Trinitate*[3], et Magister recitat in libro *Sententiarum*[4], nullum accidens Deo convenire[5]. Quinta vero[h] attributio est secundum ea quae extrinsecus contingunt, quae si varientur[i], non dicuntur variare substantiam, ut esse a dextris vel a sinistris et agere vel non agere: haec attributio removetur etiam[k] a dicto principio, quia talia[l] addunt aliquid praeter substantiam ad complementum vel suum oppositum, ut agere ad complementum, pati ad suum oppositum; nihil autem addere potest ad perfectionem substantiae principii nec auferre perfectionem; ergo haec attributio removetur; sed notio eius quod quid est, est per attributionem aliquam; ergo non est cognoscere primum[m] principium 'quid est' secundum substantiam.

In contrarium videtur 1. quod dicit Apostolus, ad[n] Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt a creatura mundi intellecta, conspiciuntur;* et quod dicit Dionysius[6]: « Omnium est causa et principium et essentia et vita et decidentium ab eo revocatio[o] et resurrectio ».

2. Praeterea, cum sit lux prima, lux autem sui manifestativa est, prima ergo maxime[p] sui manifestativa[7]; ergo primum principium se ipsum maxime manifestat. — Quod autem sit lux, patet per hoc quod dicit Augustinus, *Super Genesim ad litteram*[8]: « Non autem ita dicitur lux quemadmodum petra et leo, sed lux proprie, illa figurate ».

3. Praeterea, dicit Philosophus[9] quod ens est prima impressio intelligentiae; sed quo ordine se habet ens in communitate, eo ordine se habet primum[q] ens in causalitate; ergo et primum ens in ordine causalitatis est prima impressio; se ipso ergo cognoscitur secundum substantiam ab intelligentia.

Respondendum est[r] ad hoc quod duplex est cognitio: patriae et viae[10]. Cognitione[s] patriae cognoscetur secundum substantiam, sicut dicitur I Ioan. 3, 2: *Videbimus eum*[t] *sicuti est.* Cognitio vero viae multiplex est[u]. Est enim cognitio naturae, scilicet rationis ut est natura quaedam; et est cognitio rationis ut est ratio[11], cogitando et pertractando; et est cognitio gratiae quae est per fidem et per donum sapientiae et intellectus. Quantum ad cognitionem naturae, se ipso est primum principium in intellectu et cognoscitur.

[Ad obiecta]: 3. Et sic intelligitur quod habetur a Philosopho.

2. Et[v] quod obicitur de luce, intelligitur quantum ad hoc quod est ex parte naturae. Quantum[x] ad cognitionem rationis ut est ratio in cogitando et pertractando, licet sit lux quae se manifestat, propter infirmitatem tamen rationisnon cognoscitur quid est[y] secundum substantiam, sed per opera cognoscitur unum principium operum.

1. Et sic intelligitur quod dicit Apostolus ad Rom. 1, 20: *Invisibilia Dei* etc., et sic introducitur illud Sap. 13, 5: *A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit*[z] *horum Creator videri.* Et quod se non manifestat intellectui nostro secundum substantiam, hoc non est ex parte sui,

---

[a] Codd. *super has.* [b] Ita V (corr.), L *arcanimque*, alii *arcanique*; ST om. *omni.* [c] RZ om. [d] V om. [e] VSLC *notificationum*; PV *diffinitionum* pro *definitionem.* [f] C *principium.* [g] P om., S *vel* pro *ut.* [h] PV om. [i] P add. *et.* [k] Z om. [l] Ita PV, alii om. [m] S om., in C est add. interl. [n] V om. [o] T *renovatio.* [p] S *maxima.* [q] PV om. [r] PV *respondeo* pro *R. e.*, R om. *ad hoc.* [s] S *cognitio*; Z *cognoscitur* pro *cognoscetur.* [t] P om. [u] STL om., in C est add. interl. [v] L *sed.* [x] RZ add. *autem.* [y] S om. *q. e.* [z] PVTLC *poterat.*

1 Loc. cit., c. 1, § 4 (PG 3, 592, PL 122, 1116).
2 Cf. Aristot., *Topic.*, VI, c. 10 sqq. (I, 249 sqq.); *Metaph.*, VI, c. 12 (II, 551 sq.).
3 Lib. V, c. 5, n. 6 (PL 42, 913).
4 Lib. I, d. 26, c. 3 (p. 165).
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 340.
6 Cf. *De divin. nomin.*, c. 1, § 3 (PG 3, 590, PL 122, 1114).
7 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 141a, *ad 5.*
8 Lib. IV, c. 28 (PL 34, 315); cf. *In Ioan.*, tr. 80, n. 1 (PL 35, 1839); Alex. Hal., loc. cit., p. 31, n. 1.
9 Avicenna, *Metaph.*, tr. 1, c. 5 (f. 72b); cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 113, *Solutio* et *ad 1* ac p. 513, *Solutio.*
10 Cf. Alex. Hal., loc. cit., pp. 21, 23, 31.
11 Cf. Phil. Grevius, *Summa*, III (f. 195c); Alex. Hal., loc. cit., I, p. 43a, litt. *d.*

sed propter nostrum defectum; et sic dicit Philosophus[1] quod « intellectus noster se habet ad manifesta naturae sicut [a] visus noctuae ad lumen diei ».

a-b. Quod autem dicunt Dionysius et Damascenus duplici ratione potest ostendi [b]: tum quia priora non habet nec aliquam similitudinem [c] secundum substantiam, secundum quam cognoscatur [d] quid est definitive; tum quia via ratiocinationis vel cogitationis [e] humanae, propter defectum ex parte nostra et excellentiam ex parte sua, non pervenitur ad cognoscendum 'quid est', sed 'quid non est' et quoniam est causa seu principium.

c. Ad rationem vero de modis attributionum respondendum est[2] quod secundum quod modi attributionum attenduntur in creaturis, non secundum illum modum attribuuntur principio primo, sed [f] sicut dicit Boethius, in libro *De Trinitate*[3]: « Omnia praedicamenta praeter 'ad aliquid', cum ad Deum referuntur, ad praedicationem secundum substantiam convertuntur ». Et ideo licet attributiones illae secundum modum, quo conveniunt creaturis, non conveniant primo [g] principio, conveniunt tamen aliquo modo: dicunt enim divinam substantiam aliquid cointelligendo, nullam autem rei compositionem circa [h] ipsum principium designando. Cognitione vero quae est per gratiam, licet non cognoscatur in praesenti *facie ad faciem,* cognoscitur tamen *per speculum* et [i] *in aenigmate,* et quodam etiam modo communi viae et patriae [k] [4]. Hoc dicitur propter donum sapientiae, quod est commune viae et patriae. Sed etiam haec [l] cognitio non pervenit ad ipsam essentiam secundum se ipsam, sed per vestigia in creaturis, per imaginem in [m] intellectuali creatura, per similitudinem in ipsis gratiis sive donis gratiarum.

CAPUT III.

UTRUM SINT PLURA PRINCIPIA.

Sequitur consideratio utrum sint plura principia secundum substantiam.

Primo, utrum sint duo principia, unum boni et alterum [n] mali;

secundo, utrum boni spiritualis et corporalis;

tertio, utrum boni corporalis sint duo, opifex et materia, quorum neutrum sit ab aliquo.

ARTICULUS I.

Utrum sint duo principia, unum boni et alterum mali[5].

Circa primum sic obicit *a.* Ioannes Damascenus[6], *Quod non sint duo principia:* « Contraria sunt ad invicem bonum et pernitiosum et sui invicem corruptiva. Si ergo sunt in se invicem, non erunt subsistentia; si vero non sunt in se invicem, sed divisa, quis est qui regionem [o] singulo distribuit? Et si alius est [p] qui distribuit, illud magis erit principium ». Item, « necesse est alterum horum vel [q] tangere et corrumpere se invicem vel esse medium, in quo neque bonum neque malum est: et non tunc duo tantum principia, sed tria ». Item, « necesse est alterum horum vel pacificare, quod id, quod malum est, non potest: quod enim pacificat, non est malum — vel praeliari, quod id, quod bonum est, non potest: quod praeliatur enim, non est finaliter bonum — item, quod malum est quidem, praeliari; quod autem bonum est [r], non ex adverso praeliari, sed a malo corrumpi vel semper contristari [s] vel malum pati: quod non est boni. Unum igitur est ab omni malitia exutum ».

b. Item, Augustinus, in libro *De moribus Manichaeorum*[7]: « Principium primum boni est summum bonum [t]; sed summum bonum non potest esse summum bonum nisi sit incommutabile, impenetrabile et [u] inviolabile » etc. Si enim deesset aliqua boni conditio, non esset summum, quia intelligeretur melius [v]. « Tali autem naturae noceri

---

[a] V *sic.* [b] RLCZ *attendi.* [c] Codd. *multitudinem.* [d] SR *cognoscitur.* [e] RLC *cognitionis.* [f] PV om. [g] Ita PV, alii om. [h] Z *contra.* [i] RZ om. [k] Ita PV, alii om. *v. e. p.* [l] PV om. [m] S om. [n] T *altera.* [o] T *religionem.* [p] S corr. mg. *in communi,* exp. *et.* [q] Z om. [r] VT add. *et,* quod LC exp. [s] C *tristari,* V *per* pro *vel.* [t] T om. [u] RLCZ om. [v] V *malitia.*

[1] *Metaph.*, I, lect. brev., c. 1 (II, 486); cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 19, *Respondeo.*

[2] Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 340-44.

[3] Cap. 4 (PL 64, 1253); cf. *De praedicat. trium personarum* (PL 64, 1302).

[4] I Cor. 13, 12; cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 11-12.

[5] Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 78 et 79; S. Bonav., II *Sent.*, d. 34, a. 1, q. 1 et a. 2, q. 1 (II, 802sqq. et 809sqq.); Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 7, c. 1 (f. 56b sqq.).

[6] *De fide orthod.*, IV, c. 20 (PG 94, 1194sq.), ubi et sequentes duo loci. Verba *Quod non sint duo principia* sunt titulus capituli in versione Burgundionis.

[7] Cap. 3, n. 5 (PL 32, 1347).

nullatenus potest; malum autem dicitur eo quod nocet seu nocere potest ».

c. Praeterea, cum sit summum bonum, est summe potens; ergo conservare potest omne quod pertinet ad regnum suum, et hoc est regnum lucis, sicut dicunt Manichaei[1]; ergo potest conservare omne illud quod est in regno lucis a nocivo; et quia [a] summe bonum vult conservare et novit, ergo in effectu erit conservatio; non ergo malum sive principium mali nocebit regno boni. Nec nocebit regno tenebrarum: corruptio enim non est in se ipsa, sed in aliquo quod corrumpit; malum autem est corruptio; ergo non se corrumpit, cum corruptio non corrumpat corruptionem[2]; regnum ergo [b] tenebrarum, si omni bono caret, ut dicunt Manichaei, corrumpi non potest; ergo nec ei noceri; non ergo malum est, cum nulli noceat [c]; ergo non sunt duo principia, scilicet boni et mali.

d. Item, si [d] esset primum principium mali, e diverso dividens contra principium boni, esset [e] summe malum, sicut est summe bonum; sed summe [f] bonum est quod nihil potest habere de suo opposito; ergo e contrario summe malum diceretur quod nihil haberet vel habere posset de suo opposito: nam si haberet, quoad hoc dependeret ab ipso, et ita non esset aequaliter principium; sed impossibile est sic esse summe malum: nihil enim haberet de esse; ergo omnino esset non-ens; ergo non haberet rationem principii.

e. Item, malum non est secundum essentiam, sed secundum privationem dictum[3]; privatio vero non est nec intelligitur sine eo cuius est privatio; quod autem privatur, bonum est; ergo malum dependet a bono; et summe malum non potest esse, cum sit privatio, quin habeat aliquid boni; ergo dependet a bono; ergo non est aequaliter principium cum summe bono.

f. Praeterea, Augustinus, in *Enchiridion*[4]: « Ex bonis mala orta sunt et nisi in bonis non subsistunt ». Ergo malum dependet a bono; ergo, ut prius, summe malum non est [g] aequaliter principium cum summe bono.

g. Forte dicetur supra dictae rationi quod summe malum non nocet vel corrumpit vel adversatur summe bono, sed alicui bono inferiori. — Propter quod sic obici potest: quantumcumque [h] sit malum, hoc quod dicitur summe malum, potest tolli a summe [i] bono — summe enim bonum est summe potens: potentia enim bonum est; ergo summa [k] potentia ad summe bonum pertinet — sed magis aestimabitur potens quod plus mali potest tollere quam quod minus; ergo summe bonum [l] summe malum potest tollere: nam aliter magis potens intelligeretur, et ita magis bonum; cum ergo summe malum non possit tollere nisi de inferiori bono [m], et summe bonum possit tollere quodcumque malum, non erunt summe bonum et summe malum aequaliter principia.

h. Item, quod non sit principium secundum modos principii in *Prima Philosophia*[5] dicti, sic argui potest: Dicitur enim uno modo initium, ex quo primo movetur aliquid, ut principium longitudinis; sed hoc modo non dicetur principium mali: principium enim longitudinis [n] determinat aliquam partem entis, et ita non est omnino sine bono, utpote si dicatur punctus principium longitudinis [o] vel ex quo fit motus. Item, dicitur principium [p] de quo facilior est disciplina: nec hoc modo malum est principium, cum per bonum cognoscatur. Dicitur etiam principium pars materialis [q], ut fundamentum domus: nec sic est principium, quia ex entibus componitur ens [r]. Dicitur etiam principium, ex quo fit initium motus, utpote causa efficiens, verbi gratia filius a parentibus et lis ab odio: nec sic dicitur principium, quia mali non est causa efficiens, sed deficiens [s]. Dicitur etiam principium, propter cuius voluntatem movetur, et [t] haec est causa finalis in quantum movet efficientem; haec autem [u] removetur a malo: finis enim et bonum idem [v] in substantia; ergo malum non est principium in ratione finis seu causae finalis. Dicitur etiam principium, ex quo scitur res primo, utpote rei causa: nec sic malum est vel principium habet; malum enim est incausale, sicut dicit Dionysius, in libro *De divinis nominibus*[6].

Concluditur ergo ex iam dictis quod malum non est principium secundum modos iam dictos.

In contrarium sic obicitur [x]: 1. Bonum et malum sunt genera aliorum; hoc autem non videtur dici nisi diversorum sint principiorum: non enim sic dicuntur genera sicut substantia et qualitas.

2. Item, dicitur Matth. 12, 33: *Non potest arbor mala* etc. [y]; ibi dicit Glossa[7]: « Non potest ex bono nasci malum vel ex malo nasci [z] bonum »; et

---

[a] T *quod.* [b] Z *enim,* V *sed* pro *si.* [c] Z *nocebit.* [d] P om. [e] PZ *esse,* quod V corr. [f] RCZ *summum.* [g] PVSTL om., Z exp. [h] L *quantum;* RLZ om. *hoc,* in C est add. interl. [i] T *summo;* P *autem* pro *a* et om. *malum.* [k] RL (corr.) CZ *summe;* LCZ *summum* pro *summe.* [l] Ita PV, alii *potens.* [m] Z *donum.* [n] T om. *sed... longitudinis.* [o] V om. [p] PV om. *longitudinis vel... principium.* [q] L (corr.) C *integralis;* R *enim* pro *etiam.* [r] RZ *esse.* [s] L om. *s. d.* [t] PS *ut.* [u] Z *etiam.* [v] C add. *sunt.* [x] Ita PV, alii *obiciunt.* [y] Ita PV, alii om. [z] T om. *m. v. e. m. n.*

1 Cf. Augustin., loc. cit., etiam pro sequentibus.
2 Cf. Aristot., *Phys.*, V, c. 2 (II, 309).
3 Cf. Augustin., loc. cit., c. 4 (PL 32, 1347); cf. *Enchir.*, c. 11, n. 3 (PL 40, 236).
4 Cap. 14, n. 4 (PL 40, 238).
5 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 1 (II, 514).
6 Cap. 4, § 30 (PG 3, 732, PL 122, 1144).
7 Rabani, in h. l. (PL 107, 931).

alia Glossa[1]: « Nihil medium quin boni auctoris tantum sint[a] bona et mali mala ».

3. Item, si bonum et malum sunt opposita, opposita habebunt principia; quod si ultimo est stare in identitate principii, boni autem sit summum bonum[b] principium, ergo erit et mali: quod non est verum. Unde Rom. 3, 5: *Qui infert iram;* Glossa[2]: « Illius rei Deus ultor est, cuius auctor non est, id est iniquitatis[c], quam Deus potest punire, non facere ».

4. Item, Augustinus, in libro *83 Quaestionum*[3]: « Omne quod deficit ab eo quod est[d] esse, deficit et tendit in non-esse; deficere autem malum est, esse autem et in nullo deficere, bonum est; at ille, ad quem non-esse non pertinet, non est causa deficiendi; boni ergo tantum causa est »; malum autem factum est[e]; ergo habet aliquod principium; et non idem cum bono; ergo boni et mali sunt duo principia.

5. Item, cum dicitur 'liberum arbitrium deficiens est[f] causa mali', defectus ille ab alio habet quod[g] est quam a se [aut non]. Si non ab alio: ergo principium est ante quod nullum in illo genere. Si habet[h], alicubi est stare in genere defectuum aut bonum erit per se causa mali. Quod[i] si bonum per se non est causa mali — tunc enim oporteret summum bonum esse per se causam mali — erit aliquis defectus primus in genere defectuum; ergo est principium aliquod malorum.

6. Item, dicitur in Gen. 1, 2: *Tenebrae erant super faciem abyssi;* et post sequitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* sive *incubabat* secundum aliam litteram[4]; ergo tenebrae, cum sint privationes, non semper ortum habent a luce; sequitur enim[5]: *Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux.* Alia est ergo causa illarum tenebrarum et illius lucis; sed haec est prima lux creata et illae sunt primae tenebrae; ergo tenebrarum et lucis differentia sunt principia.

7. Item, Ioan. 8, 44: *Diabolus est mendax et pater eius,* « id est mendacii[6] »; mendacium autem dicitur peccatum; ergo fuit principium peccati[k]; sed non idem principium boni; ergo differentia sunt principia.

Respondendum est quod boni et mali non sunt duo principia ut ex aequo[l] se dividant, sicut plures rationes concludunt, sumendo bonum generaliter. Licet enim malum aliquo modo habeat principium, eo quod factum[m], non tamen ex aequo se habet contra principium boni. — Ad id[n] autem quod obicitur[7] quod 'malum non habet principium secundum aliquam rationem supra dictam principii': dicendum est quod habet secundum illam[o] rationem principii secundum quam dicitur efficiens, large sumptum principium. Est enim efficiens proprie sumptum, quod esse facit a forma completum; et est[p] efficiens large, sub quo continetur illud quod facit sub privatione determinatum[q], et hoc proprie dictum vocatur causa deficiens. Unde Augustinus, in libro *De civitate Dei*[8]: « Si quaeritur[r] causa mali, non est invenire nisi causam deficientem ». Et propter hoc posuit Philosophus duo exempla in illa ratione principii: pater est causa filii et lis est ab odio; lis enim est ab odio ut defectus a causa deficiente.

[Ad obiecta]: Ad id vero quod obicitur multipliciter quod 'boni et mali sunt diversa principia', respondendum est secundum ordinem.

1. Primo, ad[s] hoc quod dicitur 'bonum et malum sunt genera aliorum': aut enim accipiuntur bonum et malum communiter aut proprie in genere moris. Si proprie in genere moris: dicuntur propter hoc genera, quia omnia, quae sunt in moribus, ad ista duo reducuntur; nihilominus bonum et malum[t] reducuntur ad unum principium, scilicet voluntatem aut[u] liberum arbitrium, secundum quod bonum et malum dicuntur recta et non recta, liberum arbitrium efficiens vel deficiens. Si vero accipiuntur bonum et malum generaliter, dicuntur esse genera, quia generaliter omnia comprehendunt, non quia illis respondeant duo principia, sed bono respondet primum principium, quod est summum bonum, malo vero respondet esse ex nihilo, sicut[v] dicitur in fine libri *Contra Epistolam fundamenti*[9].

2. Ad id[x] vero quod secundo obicitur: dicendum est[y] quod malum et bonum contrahuntur ad ea quae procedunt ex voluntate vertibili; unde voluntas bona dicitur *arbor bona,* voluntas mala *arbor mala,* et secundum hoc fructus respondent arboribus[10]. Unde bona voluntas boni actus causa dicitur et mala mali, sed non propter hoc boni et mali generaliter, prout hic intendimus, duo erunt principia.

3. Ad tertio[z] obiectum respondendum est quod bonum et malum accipiuntur dupliciter, ut

---

[a] L *stt.* [b] V om. [c] SRLCZ *iniquitas,* quod T corr. [d] P om. [e] RL om., in CZ est add. interl. [f] PVST *et.* [g] P om. [h] R *si. militer* pro *s. h.,* quod Z exp., L corr.; P om. *stare.* [i] S om. [k] V *paccati.* [l] T *quo,* quod LZ corr. [m] Z *perfectum.* [n] RZ *illud.* [o] L *filiam* pro *s. i.* [p] PV om. [q] L *determinatam.* [r] S *sequitur* pro *s. q.* [s] Ita PV, alii *de.* [t] P om. *e. m.* [u] T *et.* [v] S *sic.* [x] RCZ *illud.* [y] PV om. [z] TZ *tertium;* PV om. *est.*

[1] *Ordin., In Matth.* 12, 33 (PL 114, 127), ex Hieronymo, in h. l. (PL 26, 81). [2] Lombardi, in h. l. (PL 191, 13 54).
[3] Quaest. 21 (PL 40, 16).
[4] Secundum Syriacam. Cf. *Glossa ordin.,* in h. l. (PL 113, 70), ex Hieron., *Lib. hebr. quaest. in Gen.* (PL 23, 939).
[5] Gen. 1, 3.
[6] *Glossa ordin.,* in h. l. (PL 114, 393). [7] Sub litt. *h.*
[8] Lib. XII, c. 7 (PL 41, 355).
[9] Cap. 40 (PL 42, 205).
[10] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 129a.

sunt contrarie opposita, sicut dicuntur[a] bonum et malum in actibus et habitibus, et sic stant in contrarietate principiorum[b], large sumendo principium. Sumuntur autem[c] bonum et malum, prout generaliter dicuntur, non in oppositione contrarietatis, sed vel in oppositione privationis et habitus, sicut se habent visus et caecitas, vel in oppositione contradictionis aliquo modo in genere entis, prout bonum dicitur ens completum, malum vero deficiens a complemento et in[d] hoc non-ens: et secundum hanc rationem oppositionum non oportet reducere ad duo principia, sed bonum dicitur in quantum tendit in ens, quod est finis, malum vero secundum quod tendit in non-esse; boni[e] ergo erit principium bonum summum, mali vero non erit principium: res enim defectibilis in se ipsa deficit, sed non a se ipsa est.

4. Ad quarto obiectum dicendum[f] quod Deus est causa rei, non secundum quod deficit defectu culpabili. Augustinus, III *De libero arbitrio* [1]: « Omnino non invenio nec inveniri posse[g] et prorsus non esse affirmo quomodo tribuantur peccata nostra Creatori Deo, quando et in ipsis laudabilem eum invenio, non solum quod ea punit, sed etiam quod tunc fiunt cum ab eius veritate receditur ». Sed est duplex malum: culpae et poenae; mali culpae non est Deus auctor, mali vero poenae est auctor, sicut habetur in principio libri *De*[h] *libero arbitrio* [2] et in libro *Retractationum*[i] [3], ubi explanat illam quaestionem libri *83 Quaestionum* [4]: « Non putetur ex hoc non ab illo esse[k] poenam malorum, quae utique malum est iis qui puniuntur, sed hoc ita dixi quemadmodum dictum est [5]: *Deus mortem non fecit,* cum alibi scriptum[l] sit [6]: *Mors et vita a Domino Deo est.* Malorum ergo poena malum est quidem malis, sed in bonis operibus Dei est, quia[m] iustum est ». Defectum ergo culpabilem est reducere, sicut[n] dictum est [7], ad causam deficientem, defectum vero poenalem, in quantum iuste infligitur, ad causam efficientem, ex parte vero susceptibilis ad causam deficientem.

5. Ad quinto obiectum dicendum est[o] quod defectus primus voluntarius est a libero arbitrio, non secundum id quod[p] assimilatur Primo, sed ex se ipso[q] in quantum vertibile est secundum voluntatem in nihilum, et ita mali[r], in quantum malum est, non ponemus bonum, in quantum bonum, principium; nec tamen sine bono subsistit, et ideo eius principium, sicut contingit dicere, non est primum ut, e diverso dividens contra principium boni, duo faciat principia cum illo.

6. Ad sextum dicendum est[s] quod, licet prius loquatur de tenebris quam de luce in principio Geneseos, non tamen tenebrae habent subsistens principium: tenebrae enim nihil aliud dicuntur nisi quod nondum erat adventus lucis; unde per negationem se habent respectu lucis [et] ex hoc causabantur quod nondum erat lux.

7. Ad septimum dicendum quod, cum dicitur '*ab initio in veritate non stetit*', non dicitur initium secundum rationem causalitatis, sed *ab initio,* id est post initium durationis. Sed cum dicitur '*diabolus est mendax*[t] *et pater eius*', dicitur causa peccati deficiens, ante quam nulla erat [8]. Nec propter hoc erit diversum principium mali e diverso dividens contra primum principium boni: defectus enim primae causae deficientis non subsistit nisi in bono, cuius boni est primum principium bonorum.

ARTICULUS II. 4

Utrum sint duo principia, unum boni spiritualis et alterum boni corporalis.

Sequitur consideratio utrum sint duo[u] principia, unum spiritualium et aliud corporalium [9].

Quod videtur rationibus et auctoritatibus: 1. Ratio una est ex hoc quod principiatum[v] aliquam similitudinem habet cum suo principio[x]; principium vero rerum spiritualium summus spiritus est, simplex, incircumscriptus[y], immutabilis. Res vero corporales in omnibus iis habent dissimilitudinem: neque enim spiritus sunt vel res spirituales, et sunt multae compositionis, habent etiam circumscriptionem dimensivam et sunt multiplicis mutationis; ergo maximam habent dissimilitudinem; non ergo sunt principiata[z] a principio rerum

---

[a] RL *dicitur,* quod Z corr. [b] R add. *et,* quod C exp.; C exp. *stant.* [c] R add. *principium.* [d] L om. [e] S om. [f] C *respondendum.* [g] Z (corr.) *possem.* [h] V om. *l. D.* [i] V om. *e. l. l. R.* [k] T *est;* P om. *utique.* [l] L om. [m] RL *quod,* quod Z corr. [n] Z *ut.* [o] TC om. [p] P om. [q] P om. [r] Z *malum,* quod RL corr. [s] PVC om. [t] RZ om., in L est add. mg., in C add. interl. [u] V om. [v] STZ (corr.) *principiatus,* L *principiatur.* [x] R *principiato;* P *principio* pro *principium.* [y] S *circumscriptus,* quod T corr. [z] C *principiati est.*

1 Cap. 16, n. 46 (PL 32, 1294).
2 Cf. lib. I, c. 1 (PL 32, 1221sq.).
3 Lib. I, c. 26 (PL 32, 625).
4 Quaest. 21 (PL 40, 16).
5 Sap. 1, 13.
6 Eccli. 11, 14.
7 Cf. supra, p. 6b, *ad 1.*
8 Cf. Augustin., *In Ioan.,* tr. 42, n. 13 (PL 35, 1704sq.).
9 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 25sqq.); *Breviloq.,* p. 2, c. 1 (V, 219).

spiritualium; et sunt principiata, quia non a [a] se ipsis subsistunt; ergo habent aliud principium.

2. Item, non est eadem materia rerum spiritualium et corporalium — proportionalis enim est materia formae — neque enim ad invicem est transmutatio istarum formarum et illarum nec est continuatio; ergo principium primum ex parte susceptibilium sive passivorum est differens in rebus spiritualibus et corporalibus; sed correspondentia sunt principium activum et principium [b] susceptivum; ergo pari ratione erunt principia activa [c]: unum corporalium, alterum spiritualium.

3. Item, corporalia in maxima parte videntur esse confusa, spiritualia vero ordinata. Confusio enim videtur, cum [d] vapor terrestris superfertur in aëre vapori aquoso vel vapori igneo vel vapor etiam igneus includitur in vapore aquoso; similiter cum animalia rapacia dominantur mansuetis, cum mali praesunt bonis. In spiritualibus vero non sic est; non ergo videntur esse ab eodem principio: si enim essent ab eodem [e], essent ordinata inter se et ad unum; sunt ergo duo principia, spiritualium et corporalium.

4. Item, dicitur in libro Sap.[1]: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* Ergo inclinat deorsum, ad peccatum scilicet; sed ipse spiritus, quantum est de se, tendit naturaliter sursum; hoc autem videtur provenire ex differentibus principiis; ergo differentia sunt principia. — Item, dicitur in Eccle. ultimo, 7: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat* [f], *et spiritus redeat ad eum qui dedit illum.* Ergo spirituum videtur esse aliud principium quam corporum: nam si idem esset principium, diceretur utrobique quod corpus reverteretur ad eum qui dedit illud, sicut et dicitur de spiritu. — Item, dicitur Rom. 7, 22: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in legem peccati, quae est in membris meis;* et post [g] sequitur[2]: *Igitur ego ipse carne servio legi peccati, mente autem legi Dei.* Ergo lex Dei et lex membrorum sive carnis contrariae sunt, et una convenit menti et altera carni; ergo mens et caro inter se contrariantur. — Quod etiam videtur ex [h] Gal. 5, 17: *Caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem;* contrariorum autem contraria sunt principia[3]; ergo, cum Deus sit principium ex parte mentis [i], erit aliud principium ex parte carnis.

5. Quod etiam videtur ex eo quod dicit Apostolus, I Cor. 2, 6-8: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non huius saeculi neque principum huius saeculi* [k] *qui destruuntur, sed Dei sapientiam, quae est in mysterio* [l] *abscondita, quam nemo principum huius saeculi cognovit.* Ergo alius [m] est princeps huius mundi quam Deus. — Similiter habetur Ioan. 14, 30: *Venit princeps mundi huius, et in me non habet quidquam;* et in 18, 36: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ergo regnum Dei et regnum mundi diversos habent principatus [n].

6. Item, ad Ephes. 2, 2: *Aliquando* [o] *ambulastis secundum saeculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris huius, qui nunc operatur in filiis* [p] *diffidentiae.* Ergo alius est princeps mundi quam ille de quo post [q] dicitur[4]: *Convivificavit vos* [r], *cum essetis prius mortui delictis.* Sed qui *convivificavit,* Deus erat; ergo alius est princeps mundi a Deo; sed mundus, pro quo supponit nisi pro rebus [s] corporalibus? ergo aliud est principium spiritualium et corporalium.

In contrarium sic obicitur rationibus et auctoritatibus: *a.* Mundus sensibilis respondet archetypo, sicut exemplatum exemplari; sed idem est mundus archetypus quod ipse Deus, sicut infra ostendetur, ubi agetur de causa exemplari[5]; ergo Deus est causa efficiens mundi sensibilis; ergo idem principium spiritualium et corporalium: mundus enim sensibilis utraque comprehendit dividendo contra archetypum.

b. Item, spiritualia movent corporalia; primum autem principium spiritualium movet spirituales substantias; ergo et corporales ipsis mediantibus, sicut habetur ab Augustino, VIII *Super* [t] *Genesim*[6]: « Movet Deus spiritualem creaturam per tempus, corporalem vero per tempus [u] et locum »; « corporalem vero subdidit spirituali, irrationalem rationali, terrestrem caelesti, minus valentem valentiori[7] ». Ergo ordo est inter creaturas corporales et spirituales ad principium spiritualium; ordo autem iste non est nisi sicut ad principium; ergo idem est principium utrarumque [v].

c. Item, si diversa essent principia, oporteret ponere tertium principium: est enim quaedam creatura composita ex corporali [x] et spirituali; sed posse principii spiritualis finiretur [y] in re spirituali, sicut posse principii corporalis in re corporali [z]; nam si extenderetur ultra, iam haberet

---

[a] L om. [b] P om. *a. e. p.* [c] P add. *duo.* [d] T *ut.* [e] C add. mg. *principio.* [f] R om. *u. e.,* in Z est add. mg.; V om. *pulvis.* [g] PV om. *e. p.*; ST *ex* pro *in.* [h] Ita PV, alii om. [i] RL (corr.) C *spiritus,* quod Z corr.; L *illud* pro *aliud.* [k] L om. *n. p. h. s.*; VTZ *que* pro *qui*; VSRT *principium* pro *principum,* quod C corr. [l] V *ministerio.* [m] PV om., L *aliud.* [n] C *principiatus.* [o] PV om. [p] C *filios.* [q] Codd. *prius.* [r] PTRL *nos.* [s] T *tribus.* [t] VS om. [u] R *corpus,* quod LZ corr.; S om. *vero.* [v] SRLCZ *utrorumque.* [x] PV *temporali.* [y] PV om. [z] SRZ *rem corporalem* pro *r. c.*

1 Cap. 9, 15. 2 Cap. 7, 25.
3 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.,* II, c. 10 (II, 464).
4 Eph. 2, 5.
5 Cf. infra, num. 9-10.
6 Cap. 26, n. 48 (PL 34, 391).
7 Ibid., c. 23, n. 44 (PL 34, 390).

posse [a] super corpora, et ita magis esset principium.

d. Praeterea, sicut dictum est [1], caro et spiritus ad invicem contrariantur; ergo eorum unio non erit [b] ab altero principiorum: non enim vult principium spiritualium quod spiritus succumbat carni, vel principium carnalium quod caro succumbat spiritui; non ergo tantum duo erunt principia nec affectaret naturaliter spiritus uniri carni. Quod cum videamus, accipitur ex hoc quod non sunt diversa principia et contraria carnis et spiritus.

c. Item, Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [2]: « Omne bonum a Deo est [c]: omne speciosum bonum, in quantum huiusmodi, et omne [d] quod specie continetur, speciosum est; omne autem corpus, ut sit corpus, specie aliqua continetur; omne igitur corpus a Deo est ».

f. Ex auctoritatibus etiam idem elicitur. Dicitur enim in Actibus Apost. 17, 24: *Deus, qui fecit mundum et omnia quae in eo [e] sunt, hic caeli et terrae cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat.* Et Rom. 3, 19: *Ut omne os obstruatur et fiat omnis mundus subditus Deo.* Et ad Hebr. 1, 2: *Locutus est [f] nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula.* Et ad Col. 1, 16: *In ipso condita sunt universa in caelo et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni sive Dominationes sive Principatus sive Potestates: omnia enim per ipsum et in ipso creata [g] sunt.* Ergo idem est principium utrorumque.

g. Item, dicitur in Matth., in fine [3]: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Si ergo alius erat princeps mundi, aut ille expulsus est a Christo aut [h] expulit Christum aut adhuc ad invicem pugnant [i]. Si eum expulit Christus, cum ipse [k] esset prius princeps mundi de iure, Christus [l] erat iniuriosus; quod non concedit haereticus. Si vero expulit Christum, ergo erat potentior Christo: quod est contra id quod dicitur in Luc. 11, 21: *Cum fortis armatus custodit atrium suum [m], in pace sunt omnia quae possidet; cum vero [n] fortior eo supervenerit, diripit [o] omnia vasa eius* [4]; in quo datur intelligi quod Christus, veniens [p] in mundum, fortior erat principe mundi, scilicet diabolo. Si vero adhuc invicem pugnant et neuter ab altero victus est, quid est quod dicitur in Ioan. 12, 31: *Nunc [q] princeps huius mundi eicietur foras?*

h. Item, si diabolus fuit principium mundi, scilicet [a] istorum corporalium, et Deus spiritualium, cum dicatur in Apoc. 12, 7: *Michael et angeli eius praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli eius [b] et non valuerunt neque locus eorum inventus est amplius in caelo,* aut 'caelum' dicitur ibi corpus caeleste aut aliqua spiritualis creatura. Si corpus caeleste, iniuria facta est ei, cum proiectus est de caelo cui principabatur; si vero [c] aliqua substantia spiritualis, non in ea habitabat, cum illa pertineret ad principium spiritualium.

Respondendum est ad obiecta quod mundus accipitur dupliciter: vel pro [d] ipsa mundana machina vel pro [e] mundi amatoribus sive [f] pro ipsa mundana conversatione, quae culpabilis est [5], sicut dicitur I Ioan. 2, 15: *Nolite diligere mundum* etc.; et Ioan. 1, 10: *Mundus eum non cognovit.* Pro ipsa vero mundana machina sumitur, cum dicitur [6]: *In mundo erat,* et in [g] Act. 17, 24. Si ergo [h] fiat sermo de ipsa mundana machina prout continet in se res corporales, idem est principium rerum spiritualium et [i] corporalium; si vero pro ipsa mundana conversatione [k], quae culpabilis est, vel pro [l] amatoribus mundi, in quantum huiusmodi, quia Deus peccati auctor non est, dicitur diabolus in mundo principari, non quia potestas Dei non se extendat ad illa ut bene ordinet de eis quorum malorum auctor [m] vel suggestor est diabolus sive possessor [n] [7].

1. Ad primo ergo obiectum dicendum [o] quod, licet corporalia magnam habeant dissimilitudinem respectu summi spiritus, quomodo habent similitudinem [p] spiritualia, nihilominus tamen aliquam habent similitudinem secundum quam conveniunt facta cum ipso faciente [q]: habent enim convenientiam in iis generalibus conditionibus quae sunt [r] unitas, veritas, bonitas, et consimilibus, cum sint vestigia Creatoris. Unde Augustinus, in libro II *De libero arbitrio* [8]: « Ea potentia, qua [s] *fortiter a fine usque ad finem attingit* [9], numerus fortasse dicitur; ea vero, qua *disponit omnia* [t] *suaviter,* sapientia proprie vocatur, cum sit utrumque unius eiusdemque sapientiae. Sed quia [u] dedit numeros omnibus infimis, corpora omnia, quamvis in [v] rebus omnibus extrema sint, habent numeros suos; sapere autem non dedit corporibus, sed animis [x] rationalibus, tamquam in eis sibi sedem locaverit ». Perfudit [y] ergo rationales substantias luce sapientiae, sed

---

[a] C *potestatem.* [b] V *erat;* PV *de* pro *ab.* [c] PV om. [d] S *esse,* T om. *et.* [e] S *ea.* [f] S add. *in.* [g] S *facta;* PV om. *sunt.* [h] Z add. *ille.* [i] L *pugnat,* T om. *ad;* LC *si enim* pro *si.* [k] Z om. [l] SRZ *Christo.* [m] P om. *a. s.* [n] T *eo.* [o] ST *diripiet,* PV om. *omnia.* [p] P *inveniens.* [q] PVTL *sicut,* R om.

[a] PV *id est,* Z *illorum* pro *istorum.* [b] S om. [c] T om. [d] T om. [e] C add. *ipsis.* [f] P add. *vel.* [g] PVT om. [h] S *vero.* [i] PV om. *s. e.* [k] R *conversione.* [l] C add. *ipsis.* [m] R om. [n] T *precessor.* [o] Ita PV, alii *respondendum est;* RLCZ *primum* pro *primo.* [p] SC *dissimilitudinem.* [q] S *facilitate;* P om. *facta.* [r] PVST om. *q. s.,* in L est add. mg. [s] RZ *que.* [t] T om. [u] PV om. [v] P om. [x] LC *animabus;* P *corporalibus sed omnis* pro *c. s. a.* [y] L *profudit.*

1 Cf. supra, p. 8b, n. 4.
2 Quaest. 10 (PL 40, 14).
3 Cap. 28, 18.
4 Cf. Matth. 12, 29.
5 Cf. Augustin., *Enarr. in Psalm. 54,* n. 4 (PL 36, 630).
6 Ioan. 1, 10.
7 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 120-121.
8 Cap. 11, nn. 30-31 (PL 32, 1258). Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 457.
9 Sap. 8, 1, ubi et sequens.

corporales ratione numerorum. Licet ergo sit minor similitudo, non tamen omnino nulla.

2. Ad secundo [a] obiectum dicendum est quod non est simile de principio passivo et activo. Principium enim activum non tantum extendit se ad plura susceptiva ut plura fiant in ipsis vel ex ipsis, sed etiam primum principium activum extendit se ad hoc quod [b] ipsa fiant de nihilo; propositio autem praedicta locum habet ubi activum appropriat sibi passivum.

3. Ad tertio obiectum dicendum quod, licet videatur confusio esse in mundo inferiori, nihilominus tamen est verissima ordinatio. Quod enim videtur esse confusio in ipsis elementis sive elementorum impressionibus, hoc non est nisi exterius consideranti. Si enim fiat consideratio ad virtutem [c] superiorum corporum, quorum virtute fit vaporum elevatio et elementorum commixtio, invenietur ibi [d] pulcherrima ordinatio [1]. Eodem modo est in ipsa ordinatione animalium rationalium vel irrationalium. Unde dicit [e] Augustinus, in libro *De vera religione* [2]: « Ita ordinantur omnia officiis et finibus suis in pulcritudinem [f] universitatis, ut quod horremus in parte, si cum toto consideremus [g], plurimum placeat, quia nec in aedificio [h] iudicando unum tantum angulum considerare debemus nec in homine pulcro solos capillos [i] nec in bene pronuntiante solum digitorum motum nec in lunae cursu aliquas tridui tantum figuras. Ista enim quae propterea sunt infima quia [k] partibus imperfectis tota perfecta sunt, sive in statu sive in motu pulcra sentiantur, tota consideranda sunt, si recte volumus [l] iudicare ».

4. Ad quarto obiectum dicendum est [m] quod est loqui de corpore secundum naturam corporis et secundum quod corrumpitur corruptione poenali, quae procedit ex fomite. Si [n] fiat sermo de corpore [o] in natura eius, non ad aliud ordinata sunt finaliter anima et corpus, sed in idem tendunt. Si vero fiat sermo de ipso [p] ratione corruptionis [q] vitiosae et de anima [r] ratione suae naturae, in diversa tendunt per inclinationem: *corpus* enim *quod corrumpitur* inclinat *animam* deorsum, id est ad peccatum, spiritus vero naturaliter tendit sursum, id est ad Deum. Nec propter hoc ponenda sunt duo principia, sicut ex praecedenti Quaestione est conclusum, ubi agebatur de principio boni et mali [3]. — Consimiliter [s] respondendum est ad id quod obicitur per auctoritatem, Rom. 7, 22. Lex enim carnis sive membrorum ex ipso fomite procedit vel est fomes qui ex peccato procedit: et ideo licet ex parte carnis inclinet animam ad peccatum et captivet, non propter hoc ponenda sunt duo principia, sicut praeostensum est [4]. — Similiter quod dicitur Gal. 5, 17: *Caro concupiscit adversus spiritum* et e converso [a], *caro* accipitur ibi pro parte sensuali, non tantum pro ipso corpore, quae inclinat deorsum sicut spiritus inclinat sursum. Ex iis ergo patet quod sicut boni et mali non sunt ponenda duo principia ex aequo [b] condividentia, ita nec carnis et spiritus in quantum sic dicuntur.

5. Ad quinto obiectum de principe mundi huius respondendum quod princeps mundi huius dicitur [c] dupliciter: vel ipse diabolus vel homo qui in hoc mundo male principatur [5], secundum quod [d] huiusmodi, nec iste nec ille novit sapientiam, de qua dicit Apostolus, notitia per approbationem. Sed est alia sapientia, id est aliter dicta, quae dicitur *terrena, animalis* et *diabolica,* Iac. 3, 15, non propter ipsam cognitionem in se, sed propter inclinationem voluntatis adiunctam [e]: et haec dicitur *sapientia huius saeculi* vel *principum* [f] *huius* mundi. Sed non propter haec ponenda sunt duo principia: potestatem enim, quam habet diabolus vel princeps terrenus, habet a Deo, sed a se abusum [g] illius potestatis; unde Ioan. 19, 11: *Non haberes potestatem adversum me, nisi tibi esset datum desuper.* — Quod autem dicitur Ioan. 18, 36: *Regnum meum non est de* [h] *hoc mundo,* accipitur secundum illum modum secundum quem mundus dicitur pro mundi amatoribus [6], non quia non haberet potestatem super illos, sed quia non diligebant dominationem eius. Praeterea, regnum eius non erat secundum leges mundanorum: lex enim mundanorum est ut pro commodo et utilitate temporali [i] domini sui laborent; quod non apparuit in Christo, qui dicit de se [7]: *Singulariter sum ego, donec transeam;* et Isai. 63, 3: *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.*

6. Ad id vero quod obicitur per auctoritatem Eph. 2, 2, dicendum quod ambulare *secundum saeculum* [k] *mundi* vel *secundum principem* huius mundi est sequi suggestionem diaboli vel conversationem mundi [l] [8], in quibus, secundum quod huiusmodi, dominatur diabolus. Unde II Cor. 4, 4: *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis* [m] *illuminatio evangelii gloriae*

---

[a] T *secundum;* S om. *est.* [b] C *ut.* [c] PV *veritatem.* [d] PVSLTC om. [e] PV om. [f] C *pulcritudine.* [g] P *consideratur.* [h] S *officio.* [i] S om. *s. c.* [k] C exp. [l] RCZ *velimus.* [m] PV om. [n] P *Et si,* L *cum.* [o] T *corruptione.* [p] T *ipsa.* [q] ST *corporis.* [r] S corr. mg. *divina.* [s] Z *similiter.*

[a] PV *etc.* pro *e. e. c.;* L *accipit* pro *accipitur.* [b] P *quo* [c] V *erit;* P om. *mundi.* [d] T om. [e] L *adiuncta,* Z om. *haec.* [f] Z *principium.* [g] P vacat. [h] T *ex.* [i] PV om. [k] V *secundum;* P exp., V om. *quod.* [l] L om. [m] Ita T, alii om.

1 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* III, c. 10 (PL 34, 285); Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 282b, *ad 1.*
2 Cap. 40, n. 76 (PL 34, 156). 3 Cf. supra, num. 3.
4 Cf. supra, p. 6a, *Solutio.*
5 Cf. Augustin., *In Ioan.,* tr. 79, c. 14, n. 2 (PL 35, 1838).
6 Cf. Augustin., *Enarr. in Psalm. 54,* n. 4 (PL 36, 630).
7 Psalm. 140, 11.
8 Cf. Lombard., in h. l. (PL 192, 179).

Christi. Et secundum hoc licet dicatur *deus huius saeculi,* non tamen ponetur principium ex aequo dividens contra Deum, qui est Creator caeli et terrae, sed dicetur principium aliquo modo defectuum culpabilium, non quod homo non possit ex libero arbitrio [a] suo vertibili in malum esse principium suorum defectuum, sed hoc dicitur eo quod diabolus quasi [b] inventor fuit mali et primo homini peccati suggestor.

g. Ad illud autem [c] quod infra dicitur de principatu Christi et diaboli in mundo, secundum quod mundus supponitur pro mundi amatoribus: dicendum quod diabolus ex parte sui [d] non iure principatur, licet illi iuste [e] subditi sint sive detenti, sicut dicit Augustinus, in libro [f] *De Trinitate,* XIII[1]; Christus vero iuste principatur de malis ordinando in bonum, ut non cum eis fiat quod volunt, sed de eis fiat quod iustum est[2].

Articulus III.

Utrum boni corporalis sint duo principia[3].

Consequenter quaeritur utrum boni corporalis sint duo principia, scilicet opifex et materia, quorum utrumque non sit ab aliquo, sicut videbatur Plato[4] dicere, qui posuit opificem et materiam esse ab aeterno et esse duo principia.

Quod sic, adstruitur: 1. Nam est principium activum et [g] principium passivum, et sicut agere et pati habent inter se oppositionem, ita necesse est habere [h] activum principium et passivum; sed agere et pati distant secundum substantiam; ergo et activum et passivum — et loquimur de primo activo et de [i] primo passivo — non enim secundum idem est agere et pati; ergo secundum diversa; et tandem erit reducere ad prima, quorum neutrum est alterum. — Ad hoc autem est argumentum quod pati non convenit Primo secundum quod huiusmodi: oporteret enim tunc esse aliquid [k] nobilius eo quod in eo ageret, non enim in se ipsum agit; sed pati non est sine principio secundum quod Primo est passio; erit ergo aliud principium agendi in corporalibus et aliud principium patiendi primum; ergo duo [l] erunt principia.

2. Forte dicetur quod unum est [m] ab altero, scilicet materia ab opifice, secundum quod quidam posuerunt, sicut narrat Augustinus, X *De civitate Dei*[5], ut sicut vestigium pedis in pulvere est a pede, et si semper esset pes in pulvere, semper esset vestigium, ita materia sit ab opifice, et semper existente opifice semper sit materia. — Contra hoc sic obici potest: materia, si est ab opifice, non est de substantia opificis[6]: nam si hoc esset, opifex esset de substantia eorum quae sunt ex materia; ergo si causatur sive principiatur, est in diversitate substantiae; sed est prius, scilicet in [n] causalitate, et est prius duratione, sicut dicitur aeternitas praecedere tempus. Sed si hoc, necesse est quod haec duo simul sint in eo a quo est alterum in [o] diversitate substantiae secundum iam dicta[7]: nam aut est de Primo aut [p] de nihilo [q]. De Primo non potest esse, cum diversum [r] sit in substantia; ergo de nihilo [s]; ergo non est aeternum; sed sicut aeternitas praecedit 'nunc' temporis, ita essentia opificis praecedet materiam [t]; non ergo erit materia ab opifice et aeternaliter ens.

3. Forte dicetur quod est principium rerum corporalium et nihilominus ab opifice, et ita non [u] duo principia nec aeternaliter est principium quod est materia. — Contra hoc sic [v] obicitur: possibilitatem habere ad omnia non repugnat ei quod est 'non [x] esse ex aliquo' nec ei quod est 'esse per se'; ergo possunt simul coincidere; sed nonnisi in prima materia; ergo prima materia potest esse, non tamen ab aliquo principio.

4. Hoc etiam adstruitur per hoc quod prima materia est ens in potentia secundum genus suum, sicut [y] opifex in potentia secundum genus suum [z];

---

[a] PV *arbitrium.* [b] V om., Z om. *fuit.* [c] Ita PV, alii *Quod autem* pro *A. i. a.*; V *obicitur* pro *dicitur.* [d] PV *servi.* [e] PV *iure.* [f] Ita PV, alii om. *i. l.* [g] STRL add. *est.* [h] Ita PV, alii om. [i] SRLCZ om. [k] P om., S *ad.* [l] P *primo ergo* pro *p. e. d.* [m] S om. [n] PVTC (corr.) *et.* [o] RZ om. [p] PVT add. *est,* SLCZ *ex* pro *de.* [q] Z add. *si.* [r] Z *diversa,* R *diversi.* [s] LC add. *est,* quod Z exp.; S om. *ergo.* [t] PVR *materia.* [u] R *nunc.* [v] PV *si.* [x] T *quod;* PV *ab* pro *ex.* [y] R *sic,* PV *sic ergo,* T add. *ergo.* [z] C om.

1 Cf. cap. 15, n. 19 (PL 42, 1029).

2 Cf. Augustin., *De agone christ.*, c. 7 (PL 40, 294).

3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, q. 1 et dub. 2 (II, 16, 37).

4 Cf. *Timaeus* (p. 24sq.); Strabus, *Prothem. in Glossam ordin.* (PL 113, 64); Lombard., II *Sent.*, d. 1, c. 1 (p. 307); Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 7, c. 1 (f. 56a): «Locutus est enim [Plato] de Deo carnaliter ad similitudinem carnalis artificis qui ad hoc quod faciat aliquid oportet quod habeat materiam ex qua faciat et exemplar ad imaginem cuius faciat: et sic derogavit potentie divine loquens de Deo tamquam non possit aliquid facere sine materia exteriori et indigeret re extrinseca ad hoc quod operaretur: quod falsum est».

5 Cap. 31 (PL 41, 311); cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 93b, n. 2.

6 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 93a, litt. *c.*

7 Cf. hic, parum supra.

si ergo haberet principium, aliquis daret ei esse in potentia; ergo posset esse in potentia, cum nondum esset in potentia; ergo potentiam illam praecederet alia potentia, et illa non esset nisi materialis, quia potentia respectu actus, quae nondum est in actu, quoad hoc materialis est; ergo materiam praecederet materia; sed hoc est impossibile; ergo prima potentia in [a] recipiendo semper est in aliquo suo actu, sicut prima potentia in agendo; ergo sunt duo principia.

5. Item, potentia materialis sive materia est principium omnis transmutationis [1]: quod enim transmutatur, de uno in aliud potest transmutari; ergo potentia iam est; et propter hoc dixerunt philosophi [2] materiam esse ingenerabilem et incorruptibilem. Si autem materia de non-esse in esse procederet, praecederet eam transmutatio, et sic abiretur in infinitum. Necesse est ergo stare, ut materia prima sit intransmutabilis [b] de non-esse in esse; sed quod sic est immutabile, aeternum est; et cum sit in diversitate substantiae, sine principio erit: hoc enim dicitur propter hoc quod Filius est a Patre aeternaliter, sed non in diversitate substantiae [3].

6. Item, cum sint quatuor genera causarum, efficiens, formalis, finalis et materialis [4], tres autem causae ab aeterno sunt, quarum nulla est ab altera, pari ratione erit causa materialis aeternaliter, quae non erit ab efficiente. Aut si non est, quae ratio differentiae?

In contrarium vero sic obicitur: *a.* 'Unum' naturaliter est ante multa [5]; ergo 'unum' in genere principii ante multa in illo genere; cum ergo nobilissima conditio attribuenda sit principio primo, erit principium primum unum solum, non multa.

b. Item, est potentia quae semper est in actu, et est potentia quae non est semper in actu; sed quod exit de potentia in actum, exit per id quod est in actu [c] [6]; materia ergo, cum exeat de potentia in actum, exit per id quod est in actu; in primis ergo materia dependet a principio, cuius potentia est semper in actu; ergo unum solum erit principium, videlicet illud quod semper est in actu.

c. Item, Philosophus [7]: « Actus naturaliter praecedit potentiam », et loquitur de potentia quae perficitur per actum; sed actus qui perficit materiam, scilicet forma, non ponitur unum principium aeternaliter; ergo nec materia quae ab ea perficitur: dignius enim est perficiens perfecto [8].

d. Item, materia est susceptibilis privationis [9]; sed quod est principium primum, est sine privatione; ergo materia non condividit in ratione principii contra primum principium.

e. Item, materia est susceptibilis transmutationis ab uno in aliud [10]; sed quod est huiusmodi, est defectibile; sed primum principium non est deficiens; ergo materia prima non [d] est condividens contra primum principium in agendo.

f. Item, materia habet potentiam determinatam [11]: licet enim habeat potentiam ad hanc formam vel illam, non tamen habet potentiam ad omne esse quod fit; ergo, cum potentia primi principii activi sit infinita, non habent se ex aequo in ratione principii.

Ex quibus concluditur quod non sunt duo principia prima opifex et [e] materia.

g. Auctoritatibus etiam hoc idem adstruitur: Cum enim dicitur in libro Geneseos [12]: *In principio creavit Deus caelum et terram,* per *caelum et terram* [f] intelligitur materia [g] corporalis et spiritualis; ergo materia, cum sit creata, principium habet. Unde Augustinus, in libro *Confessionum* [13]: « *In principio* fecit *Deus caelum et terram,* id est in Verbo sibi coaeterno fecit materiam creaturae spiritualis et corporalis ».

h. Item, in eodem libro [14] dicit: « Duo reperio quae fecisti carentia temporibus: unum, quod ita formatum est [h] ut sine ullo defectu, sine ullo [i] intervallo mutationis, quamvis mutabile, tamen non mutatum [k], tua aeternitate atque immutabilitate [l] perfruatur; alterum, quod ita informe erat, ut ex qua forma in quam formam vel motionis [m] vel stationis mutaretur, quo tempori [n] subderetur, non haberet ». Sed hoc fuit materia; ergo materia habuit principium; non ergo duo principia.

Solutio [o]: Respondendum est ad iam dicta quod opifex et materia duo dicuntur principia rerum corporalium quae fiunt ex materia, sed differenter: opifex ut a quo, materia vero ut de quo vel ex quo; sed non sunt [p] duo principia, quorum neutrum sit [q] ab altero: nam ipsa materia est ab opifice. Unde Augustinus, in libro *De Symbolo* [15]: « Ideo omnipotens est, quia ex nihilo fecit [r]

---

[a] V *etiam.* [b] L *transmutabilis.* [c] T om. *et est potentia... actu.* [d] L om. [e] T *vel.* [f] C add. *etc.* [g] V add. *et.* [h] Ita C add. interl., alii om.; PVST *formant* pro *formatum.* [i] T om. *d. s. u.* [k] PVST *mutant.* [l] PV *immutabile.* [m] PV *mutationis.* [n] L *ipsi,* C exp. *tempore,* corr. mg. *ipsi subderetur,* in textu non delev. *sederetur.* [o] Ita PV, alii om.; RCZ om. *est.* [p] P om. [q] C *fit.* [r] Z add. *omnia.*

1 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 9 et *Metaph.*, I, c. 3 (II, 297, 472).
2 Cf. Aristot., *Metaph.*, VII, c. 1 (II, 558).
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 300.
4 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3 et *Metaph.*, I, c. 3 (II, 264, 471).
5 Aristot., *Metaph.*, IX, c. 1 (II, 574).
6 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 570).
7 Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 569).
8 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 202, *ad 1* et *2.*
9 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 1 (II, 558).
10 Cf. Aristot., loc. cit.
11 Cf. Aristot., *Metaph.*, VII, c. 4 (II, 561).
12 Cap. 1, 1. 13 Lib. XII, c. 20, n. 29 (PL 32, 836).
14 Lib. XII, c. 12, n. 15 (PL 32, 831).
15 Quodvultdeus, *Sermo* 2, c. 3, n. 6 (PL 40, 640).

quaecumque fecit. Non enim eum aliqua materies adiuvit, ex qua demonstraret artis suae potentiam, sed ex nihilo creavit cuncta. Hoc enim est [a] esse omnipotentem, ut non solum fabrica, sed et [b] materies ab illo esse inveniatur qui non habuit initium ».

[Ad obiecta]: 1. Dicendum est [c] ergo ad primum quod, licet agere et pati sint opposita et reducantur ad activum et passivum primum in iis quae fiunt vel [d] sunt ex materia, nihilominus tamen primum passivum est a primo activo, qui non quaerit sibi subiectam materiam, eo quo facit de [e] nihilo. Et licet Primum in se ipso non patiatur, est [f] tamen principium eius quod patitur et [g] ipsius pati mediate. Unde agere et pati reducuntur ad idem principium primum in efficiendo, non in subiciendo.

2. Ad illud [h] vero quod obicitur quod 'materia sit coaeterna opifici, existens tamen ab illo, per exemplum pedis in pulvere et vestigii': dicendum est quod non est simile, quia pes in pulvere non dicit solam causam effectivam, sed efficientem coniunctam materiali; opifex vero, de quo loquimur, efficientem tantum determinat, efficientem autem dico [i] omnipotentem, et ita de non-esse in esse producentem omnia, non de sua substantia, sed in diversitate substantiae.

3. Ad id vero quod obicitur quod 'materia possit esse primum principium, eo quod habet possibilitatem ad omnia': respondendum est [k] quod aliud est habere potestatem ad omnia et aliud est habere possibilitatem. 'Habere [l] enim possibilitatem' coarctatur ad formas quae fiunt in materia; 'habere vero potestatem' extendit se etiam ad hoc quod fiat materia, quae est possibilis ad omnia [1], et ideo repugnant inter se 'habere possibilitatem ad omnia' et 'non esse ab aliquo', sed non repugnat 'non esse ex aliquo'.

4. Ad id vero quod obicitur consequenter quod 'in materia est prima potentia secundum suum genus, sicut in opifice est secundum suum, eo quod si potentiam materiae praecederet alia potentia, ante materiam esset alia materia, et ita in infinitum': dicendum quod est potentia materialis ad [m] esse formae quae fit [n] in ea, et si talem praecederet alia potentia [o] consimilis, in infinitum oporteret abire. Sed est potentia opificis qua materia potuit esse antequam esset, et ex hac non est abire in infinitum, sed est stare, et [p] ideo unum solum est principium nec est prima materia in suo actu, sicut est primus opifex in suo actu semper.

5. Ad id vero quod obicitur consequenter quod 'materia est incorruptibilis [q], ingenerabilis, et ita [r] intransmutabilis': dicendum est quod intransmutabilis dicitur secundum viam generationis et corruptionis, in quantum haec sunt a natura, secundum quod generatio est mutatio de non-esse in esse, subiecta existente materia, et corruptio de esse in non-esse [s 2]; nihilominus tamen transmutabilis est [t], eo quod de nihilo processit in esse et, quantum est de se, possibilitatem habet ad non-esse.

6. Ad id [u] vero quod obicitur consequenter de hoc genere causae, quod 'ipsa sit ab aeterno sicut et aliae causae, verbi gratia exemplaris et finalis': respondendum est quod [v] hanc oportuit esse in diversitate substantiae respectu opificis, eo quod est de substantia creaturarum materialium, et ideo simul fieri cum primis illarum, sicut et formas quae sunt de substantia earumdem; non sic autem est de exemplari et finali. Et ideo rationes illae causarum poterant simul esse cum [x] ratione opificis, eo quod eiusdem substantiae sive essentiae sunt hae tres rationes, sicut infra dicetur [3].

---

[a] PV om., in Z est add. interl. [b] PV om. [c] Ita SL, alii om. [d] Z add. *que.* [e] C (corr.) *ex.* [f] S *et.* [g] P *esse.* [h] S *aliud.* [i] Z *dicimus;* C om. *autem.* [k] PVST om. [l] P om. *p. h.* [m] P om. [n] PVC *sit.* [o] PV *forma,* quod RLCZ corr. [p] R om. [q] PSTC add. *et,* V add. *etiam.* [r] T om. [s] S *non esse in esse* pro *e. i. n. e.* [t] T *in.* [u] R *idem.* [v] S add. *est.* [x] Z *in.*

[1] Cf. Aristot., *Metaph.*, VII, c. 6 (II, 563); *De anima*, III, c. 6 (III, 468).

[2] Cf. Aristot., *Phys.*, V, c. 1 (II, 309).

[3] Cf. infra, num. 6.

QUAESTIO II.

DE CAUSA PRIMA SECUNDUM RATIONEM CAUSAE.

TITULUS I.

DE CAUSA PRIMA UT CAUSA HABITUALITER DICTA.

Sequitur consideratio circa rationem causae, quae est duplex [a]: tum secundum rationem causae habitualiter dictae, tum secundum rationem causae existentis in actu causandi [b].

Primo ergo dicendum est de ratione causae habitualiter;

deinde, de [c] ratione eius in actu causandi [d].

Ratio vero causae habitualiter dictae, quae ponitur ab aeterno, aut [e] est efficientis aut exemplaris aut finalis.

Dicetur ergo de comparatione istarum inter se communiter;

deinde, sigillatim de unaquaque.

MEMBRUM I.

De ratione causae habitualiter dictae in communi.

Primo fit quaestio utrum rationes [f] efficientis, exemplaris et finalis sint [g] ab aeterno;

secundo, utrum sint in eadem substantia vel [h] essentia, an differentes secundum substantiam vel [i] essentiam;

tertio, de ordine istarum rationum inter se.

6

CAPUT I.

UTRUM RATIONES EFFICIENTIS, EXEMPLARIS ET FINALIS SINT AB AETERNO [1].

Quod non sint ab aeterno, videtur: 1. Prima enim essentia omnino simplex est nec est in divinis ponere pluralitatem relationum praeter quam illarum quae ad personas pertinent [2]. Hae ergo tres rationes [k] non inerunt primae essentiae: videretur enim additio fieri ad essentiam, cum diceretur 'prima essentia est causa efficiens', 'prima iterum essentia est causa exemplaris', et similiter de finali; essentia autem divina non recipit additionem ut sit [l] perfecta in aliquo genere perfectionis.

2. Praeterea, Primum se [m] ipso intelligit et se ipso est principium faciendi; ergo non quaerit causam exemplarem, secundum quam cognoscat vel secundum quam faciat [3]. Propriorum etiam causatorum sunt proprii fines, et ita propriae causae finales; non ergo necesse est esse rationem exemplaris causae [n] vel finalis ab aeterno. — Praeterea, ratio causae est cuius [o] esse sequitur aliud per se et non secundum accidens [4]; sed hoc dicitur ad causatum; ergo non existente causato, non erit ratio causae; sed causata non sunt ab aeterno; ergo nec rationes causarum.

3. Similiter, si accipiantur rationes illarum causarum, prout describuntur a Philosopho [5], non videntur [p] esse ab aeterno. Dicitur enim causa

---

[a] SL *dupliciter.* [b] RLC *creandi,* quod Z corr. [c] T om. [d] SC *creandi.* [e] P add. *que.* [f] Codd. *ratio;* ST *sit* pro *fit.* [g] S *sit.* [h] Z add. *in.* [i] Ita PV, alii *seu.* [k] C *rationales.* [l] L *sic.* [m] V *est.* [n] P om., T *vie.* [o] S *eius.* [p] Ita PV, alii *videbuntur.*

[1] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 163 et 167; S. Bonav., I *Sent.,* d. 36, a. 1, q. 1 (I, 620 sqq.), *Hexaëm.,* coll. 6, n. 1 (V, 360 sq.).

[2] Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 149, *ad 3.*

[3] Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 167.

[4] Aristot., *Phys.,* II, c. 3 et *Metaph.,* IV, c. 2 (II, 264, 515).

[5] *Phys.,* II, c. 3 (II, 264), ubi sequentes modi describuntur.

uno modo, quod est principium transmutationis et quietis primae, ut ambulatio est causa sanitatis et pater filii et universaliter agens acti. Alio vero modo dicitur forma et exemplar, et hoc est quod significat alicuius esse et genera eius. Dicitur etiam alio modo quo fit [a] aliquid et est in eo ex quo. Et dicitur alio modo tamquam complementum, et hoc est propter quod fit aliquid, ut sanitas est causa ambulationis. Sed illis [b] rationibus dicendo causam causa non est ab aeterno; ergo rationes causae efficientis, exemplaris et finalis non sunt ab aeterno.

Ad contrarium sic arguitur: *a.* In creatura reperiuntur hae tres [c] conditiones: unitas, veritas, bonitas, et quoad hoc sunt vestigium primae essentiae, quae est causa omnium; ergo in Primo est reperire tres rationes quibus haec respondent; sed nihil novum fit in Primo; ergo rationes illae sunt aeternae; sed hae sunt summa veritas, summa unitas, summa bonitas [1]; sed summa bonitas est idem quod causa finalis [2]; ergo et aliae duae rationes conveniunt aliis duabus rationibus causae, scilicet summa veritas causae exemplari, summa unitas causae efficienti; ergo tres rationes causae sunt ab aeterno.

b. Praeterea, si non essent eae rationes ab aeterno, inciperet aliquando esse causa exemplaris; sed causa exemplaris [d] est illud in substantia [e] quo intelligit, non tantum ad cuius similitudinem fit [f] res: idem enim est idea et exemplar [3]; ergo non ab aeterno intelligeret, si exemplar non esset; sed ab aeterno intelligit, non tantum se, sed alia [4]; ergo ab aeterno fuit ratio causae exemplaris; pari ratione efficientis et finalis: nam quod possit efficere, habuit ab aeterno aut non. Si non, ergo quod aliquando habuit et prius non [g] habuit, ab alio accepit; ergo aliud erat nobilius; sed hoc est impossibile; ergo ab aeterno potuit [h], quia a se potuit; erunt ergo rationes istae ab aeterno.

[Solutio]: Ad hoc respondendum est [i] quod prima essentia se ipsa habet has rationes causae. — Ad hoc autem quod quaeritur utrum sint [k] aeternae vel non: dicendum est [l] quod ratio causae aut accipitur habitualiter aut actualiter. Si ergo accipiatur actualiter, non ab aeterno erant [m] istae rationes: neque enim aeternaliter efficiebat sua effecta nec exemplabat sua exemplata — secundum quod exemplar dicitur ad cuius similitudinem fit aliquid [5] — nec ab aeterno finiebat, sed sicut 'Dominus' dicitur cum tempore sive cum 'nunc' temporis, quod magis proprie dicitur, non tamen ex tempore [6], ita et causa dicitur secundum hoc. Secus tamen est in exemplari, secundum quod habet rationem ideae, prout est illud quo fit cognitio: sic enim dicitur aeternaliter, sicut infra habebitur [7]. Si vero accipiatur [n] habitualiter, ut causa dicatur quod sibi sufficiens est ad causandum, secundum hoc rationes istae erunt ab aeterno: non enim sufficientiam cum tempore vel [o] ex tempore acceperunt.

2. Ad id vero quod secundo obicitur dicendum est [p] quod prima essentia non indiget exemplari nec habet exemplar alterum a [q] se [8], similiter nec causam finalem, et secundum hoc procedit [r] praedicta ratio; sed quia se ipso est causa exemplaris, se ipso est causa finalis, nulla additio fit ei ut in hoc perficiatur; et licet distinguantur hae rationes causae, exemplaris scilicet et efficiens, non tamen sunt duo principia ab aeterno, sicut posuit Plato [9]. Dualitas enim principiorum dualitatem ponit in essentia; non autem hae duae rationes sunt in duabus essentiis, sicut videtur Plato ponere, ut quemadmodum opifex et materia dicuntur duo principia, ita opifex et forma dicantur [s] duo: quod longissimum est a veritate [10], nisi accipiatur forma quae cum materia est principium constituendi compositum [t].

3. Ad tertio obiectum dicendum est [u] quod Philosophus loquitur de causa secundum quod est in actu causae; causa vero in actu causae est [v] cum tempore vel ex tempore, sicut in causis naturalibus, et ideo non habet locum in rationibus aeternis ipsius causae, de quibus iam dictum est [11]. Hoc enim etiam apparet per exempla quae ipse ponit, cum dicitur pater [x] causa filii et exercitium sanitatis, eodem modo sanitas causa ambulationis, et forma hoc quod significat alicuius esse: haec enim omnia ad causam cum tempore vel ex tempore retorquentur.

---

[a] PVT *sit.* [b] Ita PV, alii *istis.* [c] V add. *rationes.* [d] P om. *s. c. e.* [e] T add. *in.* [f] PS *sit.* [g] S *homo.* [h] P *ponit.* [i] RLCZ om. [k] L *sicut.* [l] SLCZ om., P om. *quod.* [m] RLCZ *erunt.* [n] PV *dicatur.* [o] P add. *secundo.* [p] Ita SL, alii om.; PVT om. *secundo.* [q] T om. [r] T *precedit*; P om. *secundum.* [s] TLC *dicuntur*, quod Z corr. [t] C *positum.* [u] PVT om. [v] T om. *in actu... est.* [x] PV *dicit pater est* pro *d. p.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 112-200.
2 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 104.
3 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 167.
4 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 168.
5 Cf. Seneca, *Epist.* 65, *Ad Lucillum:* «Exemplar ad quod respiciens artifex, id quod destinabat, effecit».
6 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 374.
7 Cf. infra, num. 9.
8 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 167.
9 Cf. supra, p. 11, nota 4.
10 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 250a, *ad 1.*
11 Hic, in *Solutione.*

7 CAPUT II.

UTRUM HAE RATIONES SINT IN EADEM ESSENTIA AN DIFFERENTES.

Sequitur consideratio utrum hae rationes sint unius essentiae aut differant [1].

Quod differant, videtur: 1. Per similitudinem sumptam in artificialibus et naturalibus. Alterius enim essentiae est anima quae agit et ars secundum quam agit et finis propter quem agit, ut patet in domificatione. Similiter in naturalibus [a] quod movetur et secundum quod movetur et propter quod movetur, ut lapis et ponderositas et locus deorsum. Ergo videtur similiter in iis quae fiunt a voluntate prima, cum hoc etiam fiat in aliis voluntariis; ergo hae tres rationes differunt secundum essentiam.

2. Item, in causa exemplari dicuntur plures ideae, in causa finali plures rationes, secundum quod dicit Augustinus, in *83 Quaestion.* [b] [2]: « Singula sunt propriis creata rationibus »; efficiens vero omnino sine pluralitate; non ergo videntur unum in essentia exemplaris et finalis cum efficiente.

In contrarium vero sic: *a.* Maior est indivisio in causa prima quam in aliqua [c] sequenti causa [3]; sed in natura, cum est principium generationis, univoce coincidunt in unum efficiens, formalis et finalis [4]; ergo multo fortius erit in causa prima, ut eadem sint [d] in essentia exemplaris, efficiens [e] et finalis.

b. Item, Prov. [f] 16, 4: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* [g]; et Augustinus, *De Trinitate* [5], dicit quod ipse est « ars summa plena omnium rationum viventium et incommutabilium ». Ergo exemplar non differt in essentia ab efficiente nec finis similiter. Si enim ab alio haberet exemplar quam a [h] se, haberet [i] aliud prius se; similiter si propter aliud ageret quam propter se, et finis movet efficientem [6], esset alius motor sui ipsius; cum ergo non habeat alium motorem nec alium directorem, erit idem exemplar et finis. — Quod est concedendum.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem primo in contrarium dicendum est quod non est simile in causa perfecta et [k] imperfecta; causae vero artificiales vel naturales imperfectae sunt in ipsis creaturis, et propter hoc, licet in eis distinguantur secundum essentiam tres praedictae rationes, non tamen sic [l] est in causa prima et perfecta, quae hoc agit in unitate quod aliae agunt in multiplicitate.

2. Ad secundo vero [m] obiectum dicendum est quod, licet causa exemplaris secundum rationem [n] ideae dicatur pluraliter et finalis sub hoc nomine ' ratio ' vel propter ipsas rationes, non tamen differunt [o] in essentia ab efficienti — non enim illa pluralitas dicitur nisi in respectu eorum quae fiunt — et non dicunt pluralitatem essentiae ex parte causae.

8 CAPUT III.

DE ORDINE ISTARUM RATIONUM INTER SE [7].

Sequitur consideratio de ordine istarum rationum. Cum enim prima essentia, scilicet Deus, sit causa efficiens, exemplaris et finalis, aut est ibi ordo istarum rationum aut non est.

Quod sit [p], **videtur:** 1. Finis enim movet efficientem [8]; exemplar vero, cum sit principium cognitionis sive secundum quod est cognitio, praecedit rationem finis sicut ratio veri rationem boni; ergo rationes istae ordinem habent.

2. Praeterea, cum enumerat Philosophus [9] haec tria genera causarum, primo ponit formalem exemplarem, secundo efficientem, tertio finalem [q], quia efficiens agit secundum exemplar aliquid propter finem qui consequitur ex eo quod fit.

Ad contrarium *a.* videtur facere quod, cum Augustinus, in libro *Confessionum* [10], enumerat modos prioris, illum modum intendit esse primum, quo aliquid dicitur prius aeternitate. Ex quo videtur quod quae sunt in aeternitate, simul sunt, et ita neque prius neque posterius.

---

[a] P add. *quia.* [b] TLZ om., in C est add. interl. [c] R *alia.* [d] Ita C; alii om. [e] PVST add. *formalis.* [f] P vacat. [g] P om. [h] PT *ex*, V *extra.* [i] S om. *exemplar... haberet*, V *habet.* [k] C add. *in.* [l] P om. [m] PV om. et infra om. *est.* [n] T add. *et*, V *predicte* pro *ideae.* [o] Ita C, alii *differt.* [p] STC *sic.* [q] Ita RC, alii *finem.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 80.
2 Quaest. 46, n. 2 (PL 40, 30).
3 Cf. *Liber de causis*, § 16 (p. 179).
4 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 7 (II, 269).
5 Lib. VI, c. 10 (PL 42, 931).
6 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3 (II, 264).
7 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 35, a. 1, q. 6 (I, 613 sqq.).
8 Cf. supra, nota 6.
9 Aristot., *Phys.*, II, c. 3 et *Metaph.*, IV, c. 2 (II, 264, 515).
10 Lib. XII, c. 29, n. 40 (PL 32, 842).

b. Praeterea, in Trinitate, ubi est personarum distinctio, sicut dicitur in *Symbolo* Athanasii [a], nihil dicitur « prius aut posterius »; multo fortius ergo, cum [b] illae rationes non sint aliud quam ipsa divina essentia, non erit in illis prius aut posterius.

c. Si [c] etiam diceretur ordo, aliquis esset ordo in aeternitate; sed non est ordo nisi ubi est pluralitas; sed nulla est pluralitas quae praeintelligatur pluralitati personarum; ergo nullus est ordo secundum illum modum secundum quem dicitur quod in divinis personis non est « inaequalitas substantiae, sed ordo naturae, non quo alter prior [d] esset altero, sed quo alter esset ex altero [1] ». Restat: cum haec referantur ad unitatem divinae essentiae, non attendetur ordo vel naturae vel temporis.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod hae rationes, cum sint una essentia, sunt unum ab aeterno; nec propter hoc dicendum est plures res esse ab aeterno, licet plures rationes. Nam quod sint plures, hoc est ex quodam respectu creatorum [e] ad Primum, secundum quod creata [f] in differentibus dispositionibus respiciunt Primum, non quod ipsum Primum sit in se multiplex, sicut dicitur de pluralitate idearum vel rationum. Unde sicut dicitur de [g] tribus personis quod [h] « sunt tres res quibus est fruendum », sicut habetur in libro *De doctrina christiana* [2], ita non est dicendum quod hae rationes tres sint tres res quibus est fruendum vel tres res ab aeterno, sed sunt una res; quae tamen rationes, licet communes sint tribus personis, nihilominus tamen appropriantur ipsis [i] personis [3]. Unde, in libro *De civitate Dei* XI [4]: « Cum dicitur: *Dixit Deus, fiat lux et facta est lux*, et: *Vidit Deus lucem, quod esset bona,* intelligitur quis fecerit et [k] per quid fecerit et [l] propter quid fecerit: Pater intelligitur qui dixit ut *fiat;* quod autem illo dicente factum est, proculdubio per Verbum factum est; in eo vero quod dicitur '*vidit Deus quod bonum esset* [m]', satis significatur Deum nulla necessitate, nulla utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est, id est quia [n] bonum est ut res, quae facta est, congruere bonitati, propter quam facta est, indicetur [o]: quae bonitas si [p] Spiritus Sanctus recte intelligitur, universa in suis operibus nobis Trinitas intimatur ». Sed constat quod qui dixit ut [q] *fiat,* efficientis nomine designatur, cum dicere Dei sit facere [5]; per quid vero fecit, ad causam pertinet exemplarem; propter quid vero, ad finalem.

[Ad obiecta]: 1. Dicendum est [r] ergo ad obiecta quod licet ordo naturae vel temporis attendatur in iis rationibus secundum quod inveniuntur in creaturis, non tamen ita secundum quod inveniuntur in Creatore. Unde simul sunt istae rationes unius essentiae, scilicet divinae, non secundum prius et posterius aliquo illorum modorum, quos enumerat Augustinus, in libro *Confessionum* [6]: « Neque enim illo modo, quo prius dicitur aeternitate, ut ante omnia Deus [s], [vel] quo prius dicitur tempore, ut flos ante fructum, vel electione, ut fructus ante florem, vel origine, ut sonus ante cantum ».

2. Ad secundo vero [t] obiectum dicendum est quod non est simile in creatis et [u] divinis: nam [v] secundum quod sunt in creatis, accipiuntur secundum prius et posterius, in divinis simul attenduntur. Quod ergo ponit Philosophus ordinem in iis, hoc est secundum quod attribuuntur creaturis [x].

MEMBRUM II.

De causa exemplari.

CAPUT I. 9

UTRUM CAUSA EXEMPLARIS SIT DE NECESSITATE.

Consequenter quaeritur [y] de singulis rationibus causae sigillatim acceptis. Et primo de [z] ratione causae exemplaris, utrum causa illa exemplaris de necessitate sit [7].

Quod arguitur ex hoc quod nihil ignorans fecit [8]; ergo prius erant in sua scientia quam essent in sua natura; et ideo dicitur Hebr. 11, 3: *Fide intelligimus aptata esse saecula Verbo Dei, ut ex*

---

[a] PVS *Anastasii.* [b] V om. [c] T *sed.* [d] R *prius.* [e] Ita R, alii *causatorum.* [f] SLCZ *causata.* [g] S *in.* [h] T *que,* quod C corr. [i] T *tribus.* [k] P om. *q. f. e.* [l] T om. [m] RLCZ *est.* [n] PVT *quod.* [o] RLCZ *iudicetur.* [p] PV *scilicet.* [q] T *et,* S om. *quod.* [r] R om., in V est add. interl. [s] T add. interl. *non.* [t] PV om. [u] C add. *in;* R *causatis* pro *creatis.* [v] TZ add. *que,* quod C exp. [x] L *creatis.* [y] RLC *agitur,* quod Z corr. [z] T om.

1 Augustin., *Contra Maximin.*, II, c. 14, n. 8 (PL 42, 775); cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 320.
2 Lib. I, c. 3 (PL 34, 20).
3 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 461.
4 Conflatur ex cc. 21 et 24 (PL 41, 334, 338).
5 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 296.
6 Lib. XII, c. 29, n. 40 (PL 32, 842).
7 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 420; S. Bonav., I *Sent.*, d. 31, p. 2, a. 1. q. 1 (I, 539sqq.); *Hexaëm.*, coll. 12 (V, 384sqq.).
8 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 296.

invisibilibus [a] *visibilia fierent;* ubi dicit Glossa [1]: « Dicens [b] *ex invisibilibus,* significatur invisibilis mundus, qui erat in Dei sapientia, ad cuius similitudinem factus est hic visibilis mundus »; et postea sequitur [2]: « Haec est dispositio, qua disposuit omnia ista visibilia, ut fierent iuxta invisibile exemplar, quod erat in mente Dei ». Quod autem reprobant philosophi ideas [c], sicut habetur in fine *Primae Philosophiae* [3] et similiter ab [d] Avicenna, in sua *Philosophia* [4], hoc est quia loquuntur de formis mathematicis, quas ponunt ideales; sed hic non est intentio illarum formarum exemplarium sive idealium, de quibus nos hic intendimus: intentio enim hic est loqui de idea secundum quod distinguit Seneca [5]. Dicit enim praeter quatuor genera causarum esse ideam, distinguens inter ideam et εἶδον, ut idea sit species divina, εἶδος [e] vero forma in materia [6].

Supponamus ergo exemplarem causam esse ex iam dictis. Et ex hoc [f] dicit Augustinus, in libro *Retractationum* [7], loquens de mundo intelligibili: « Mundum intelligibilem nuncupavit Plato [8] ipsam rationem sempiternam, qua fecit Deus mundum; quam qui esse [g] negat, sequitur ut dicat Deum irrationabiliter fecisse quod fecit, aut cum faceret vel antequam faceret, nescisse [h] quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat; si vero erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum ». Nec est hoc contrarium quod [i] dicit Dionysius [9], volens excludere causam exemplarem, ut videtur, dicens: « *Ex ipso* et *in ipso* [10] secundum causam omnium notitiam et scientiam et substantiam praehabet [k] et praeconcipit, non secundum ideam singulis immittens, sed secundum unam causae excellentiam omnia noscens et continens ». Loquitur enim de idea ad similitudinem formae intelligibilis quae est in anima, quae non est idem quod essentia ipsius animae, secundum quem modum non cognoscit Deus secundum ideam [11]: hoc enim esset per ignobilius se cognoscere; nobilius enim habere non potest nec par, quod non sit eiusdem essentiae: hoc enim dicitur, quia [l] Filius est aequalis Patri, sed est eiusdem essentiae.

10 . . . . . .

CAPUT II.

SI EST UNA CAUSA EXEMPLARIS AUT PLURES.

Deinde quaeritur si est una causa exemplaris aut plures [12].

Quod enim plures sint, videtur: 1. Per hoc quod proprio exemplari respondet proprium exemplatum [m]; unde si exemplata differentia sunt in genere vel in specie, videntur exemplaria genere vel specie differre; sed ita est in exemplatis quod differunt genere vel specie; ergo et exemplaria differunt.

2. Item, ideae sunt causae exemplares; sed de illis dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [13], quod « ideae sunt principales quaedam formae vel [n] rationes rerum stabiles atque [o] incommutabiles, quae et ipsae formatae non sunt, quae divina intelligentia continentur, et cum ipsae neque oriantur neque intereant, secundum eas [p] tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest et omne quod oritur et interit ». Hoc etiam vult probare tali ratione: « Constat quod Deus omnia rationabiliter condidit nec ea ratione conditus est homo qua equus », et ita de aliis rebus. « Ergo singula creata sunt propriis rationibus; sed hae rationes non sunt nisi in mente Creatoris: sacrilegium enim est opinari ut extra se quidquam positum intueretur, secundum quod constitueret quod constituebat ». Ergo plures sunt rationes exemplares.

3. Praeterea, ex similitudine arguitur: non enim secundum eamdem speciem anima efficit domum

---

[a] PV *visibilibus.* [b] R *Dominus,* quod CZ corr. [c] PVST om. [d] PVST om. [e] Codd. *idon.* [f] Ita PV, alii add. *quod.* [g] T om. [h] P *necesse.* [i] V *cum.* [k] PV *preit* [l] P *quod.* [m] T *exemplar,* alii *exemplum,* item subinde. [n] P om. [o] Z *aut.* [p] T *ea hoc.*

1 *Ordin.*, ap. Lyran., et Lombardi, in h. l. (PL 192, 489), ex Augustino, *De Gen. ad litt.*, I, c. 5 (PL 34, 250).

2 Lombard., loc. cit. (PL 192, 490).

3 Aristot., *Metaph.*, XII, cc. 4 et 5 (II, 615sqq.).

4 *Metaph.*, tr. 7, c. 3 (f. 96csqq.).

5 *Epist. 58* et *65*, ubi refert sententiam Platonis: « Quinque ergo causae sunt, ut Plato dicit: id ex quo, id a quo, id in quo, id ad quod, id propter quod ».

6 Cf. Seneca, *Epist. 58:* « Quid sit idea, id est quid Platoni esse videatur, audi: "Idea est eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum"... Quid sit hoc εἶδος, attendas oportet et Platoni imputes, non mihi, hanc rerum difficultatem... Quid intersit quaeris? Alterum exemplar est, alterum forma ab exemplari sumpta et operi imposita ».

7 Lib. I, c. 3 (PL 32, 589).

8 Cf. *Timaeus* (p. 65).

9 *De divin. nomin.*, c. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).

10 Rom. 11, 36.

11 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 80 et 167.

12 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 175.

13 Quaest. 46, n. 2 (PL 40, 30), ubi et sequentia.

et efficit navim, et ita de aliis artificiatis [a] in specie. Similiter ergo erit in operibus divinis, ut diversa opera divina secundum diversa fiant exemplaria.

Ad contrarium sic: *a.* Unus est mundus sensibilis, et mundus sensibilis [b] est exemplatum; multo ergo fortius est unum exemplar, scilicet mundus archetypus: nam maior est unitas exemplaris quam exemplati [c].

b. Item, sicut supra habitum est [1], causa exemplaris eadem est in essentia cum causa efficiente; si ergo essent multa exemplaria, oporteret unumquodque esse idem in essentia cum causa efficiente, et ita plura essent eadem in essentia cum efficiente, quorum nullum esset alterum; sed hoc non posset esse propter sui simplicitatem; ergo non sunt plures causae exemplares.

c. Item, perfectius est uno cognoscere multa et similiter uno fieri multa quam multis multa [2]; ergo, cum exemplar sit quo cognoscitur et secundum quod fit, erit ergo perfectissimum omnino per unum cognoscere multa et secundum illud facere; sed perfectissimum convenit Primo; ergo una est causa exemplaris, indivisa secundum essentiam. — Quod est concedendum.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud vero quod obicitur in contrarium: dicendum est quod pluralitas in essentia in exemplari non accipitur ex pluralitate essentiae in exemplatis: non enim est ibi [d] pluralitas in essentia. Quod tamen dicuntur plures ideae, hoc est propter quamdam similitudinem exemplatorum ad ipsum exemplar et quamdam appropriationem ad modum quo loquimur in exemplaribus et exemplatis rerum artificialium, sed non est omnino simile. Unde pluraliter dicuntur ex parte [e] qua respiciunt ipsa ideata, et [f] propter hoc dicitur pluraliter, ad Hebr. 11, 3: *Ut ex invisibilibus visibilia fierent;* invisibilia enim vocat illa exemplaria sive rationes.

2. Quod autem dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum,* 'non [g] eadem ratione equum conditum qua hominem', non retorquet ad diversitatem essentiae, sed ad differentiam rationis: una enim essentia est ratio huius et illius. Habet ergo ratio exemplaris quamdam conditionem ex parte divinae essentiae, ut cum dicitur incommutabilis, per se subsistens et huiusmodi. Habet etiam aliam conditionem ex parte exemplatorum, ut cum pluraliter dicitur: ascendimus enim a pluralitate exemplatorum ad pluralitatem sic dictam.

3. Ad illud vero quod ultimo obicitur dicendum est quod non est simile in [h] exemplaribus rerum artificiatarum quae fiunt ab anima: exemplaria enim sunt adventitia et non eiusdem essentiae [i] cum causa efficiente: quod in perfectissimo [k] agente non invenitur.

CAPUT III. 11

UTRUM CAUSA EXEMPLARIS DICATUR RESPECTU POSSIBILIUM.

Deinde quaeritur, supposita pluralitate aliquo modo exemplarium, utrum dicatur causa exemplaris tantum [l] respectu eorum quae fiunt vel [m] facta sunt, an dicatur causa exemplaris respectu eorum quae possunt fieri, licet nunquam fiant.

Quod non ultimo modo, videtur: 1. Dictum est enim quod pluralitas ex parte exemplaris est in respectu exemplatorum ad ipsum; cum ergo illud quod non est [n] in esse sub ratione praeteriti vel praesentis vel futuri, non habeat unitatem, ergo respectu illius non poterit accipi unitas, consequenter nec pluralitas; ergo id, quod tantum potest esse, non habet rationem exemplarem [o].

2. Praeterea, multa sunt impossibilia, quae sunt Deo possibilia, quae nunquam contingent: horum in se nec est unitas nec pluralitas; consequenter ergo nec respectu eorum sunt rationes exemplares [p].

Contra: *a.* Si sunt possibilia, possunt duci in actum; ducantur ergo in actum; si ergo non haberent rationem exemplarem, cum nihil novum fiat in Deo, fierent absque ratione exemplari; ergo aliqua facta essent a Deo sine ratione: quod absurdum est, sicut habetur in Quaestione supra dicta libri *83 Quaestionum* [3].

b. Item, cum infinita possint fieri a Deo, finitae autem [q] essent, secundum iam dictum [r] [4], rationes exemplares, essent finitae infinitorum rationes; cuius contrarium videtur, eo quod potentia Dei extendit se ad infinita et nihil potest fieri a Deo sine ratione [5]; ergo ratio exemplaris potentiam

---

[a] PVT *artificiis.* [b] P om. *e. m. s.*, PV *exemplaris* pro *exemplatum.* [c] T *exemplari.* [d] PV om., T exp. [e] RLCZ add. *sua*, T om. *ipsa.* [f] P om. [g] T add. *in.* [h] P om. [i] P *existentie.* [k] L *perfectissime.* [l] T om. [m] PT add. *que*, V *respectu que.* [n] P om. [o] PV *exemplaris.* [p] T om. *Praeterea... exemplares.* [q] PVTR om. [r] C *dicta.*

[1] Cf. supra, num. 7.
[2] Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 6 (II, 255).
[3] Cf. supra, p. 18, nota 13.
[4] Cf. supra, num. 10.
[5] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 140-142.

habet ad infinita; sed finitum non habet potentiam super infinitum; ergo ratio exemplaris est infinitae virtutis [1].

Respondendum est [a] quod ratio sive causa exemplaris non est tantum respectu eorum quae producuntur in esse, sed quae possunt produci, licet non producantur; intentio tamen exemplaris in effectu est ut ad similitudinem eius fiat aliquid; et hoc patet per illud quod dicitur in libro *83 Quaestionum* [2]: « Cum ipsae ideae sive rationes neque oriantur neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur quidquid oriri vel interire potest ».

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur in contrarium, dicendum est quod, licet ea quae possunt esse et non erunt, non habeant unitatem simpliciter, nihilominus tamen [b] habent unitatem, respectu cuius potest ratio exemplaris dici pluraliter; non enim actus rationis exemplaris dependet a re exemplata, sive sit actu sive [c] in potentia et non in actu. — Si vero dicatur quod scientia divina est rerum existentium, ut eorum quae sunt vel fuerunt vel erunt, et ita non possibilium tantum [d], et per consequens ratio exemplaris non sit illorum: respondendum quod sicut [e] res se habent ad esse, ita ad veritatem et sic ad scientiam: unde omnium, sive actualium sive possibilium, est divina scientia [3]; unde et ratio exemplaris similiter, bonorum scilicet [f] [4].

2. Ad id vero [g] quod obicitur secundo de impossibilibus quae tamen sunt Deo possibilia: dicendum similiter quod ratio exemplaris non respicit [h] possibilitatem vel impossibilitatem naturae inferioris, sed ratio exemplaris est eorum quae sunt possibilia Deo; non autem est [i] exemplaris quod fieri debeant nisi sint huiusmodi quae [k] congruat fieri; impossibilium autem Deo non est ratio exemplaris.

12

CAPUT IV.

UTRUM CAUSA EXEMPLARIS DICATUR RESPECTU MALORUM.

Cum iam dictum sit de ratione exemplari respectu possibilium et impossibilium, sequitur de ratione [l] exemplari respectu bonorum et non [m] malorum, corruptibilium et incorruptibilium. Ratione cuius introducitur quaestio de hoc quod dicitur Ioan. 1, 4, 3: *Quod factum est, in ipso vita erat,* et *sine ipso factum est nihil* [5]. Ex iis enim verbis peccatum, quod *nihil* est, si factum est ab alio quam ab ipso, non est *in ipso vita.* Eorum enim quae sunt in ipso vita est ratio exemplaris; unde, cum non [n] sit ratio exemplaris malorum, non sunt in ipso vita.

Quod autem ratio exemplaris non sit malorum [6], patet per rationem exemplaris: *a.* Exemplar enim est ad cuius similitudinem fit vel fieri potest ab ipso qui habet exemplar [7]; sed mala culpae nec fiunt nec fieri possunt a Deo, cuius est ratio exemplaris; ergo malorum non est ratio exemplaris [o]. Unde super illud in Psalmo [8]: *Quae ignorabam, interrogabant me:* « Quomodo ars nescit vitium, sic ego qui sum ars omnipotentis Dei [9] », et loquitur Christus. Ergo malum non est in arte summa; ergo nec in ratione exemplari.

b. Item, in libro *De libero arbitrio,* II libro [10]: « Quidquid formae cuiuspiam rei deficientis remanet, ex illa forma est quae nescit deficere motusque ipsos [p] rerum deficientium vel perficientium excedere numerorum suorum leges non sinit [q] ». Cum ergo malum, in quantum huiusmodi, formam non habeat, licet aliquid formae subsit, non habet [r] formam exemplarem in Deo nec est ex ipsa [s], licet forma, quae subest malitiae quoad hoc quod est [t], habeat formam exemplarem et sit [u] ab ea.

c. Item [v], in III *De libero arbitrio* [11]: « Naturae [x], in quantum sunt, a Deo sunt; in quantum autem vitiosae, ab eius, qua factae sunt, arte recedunt. In tantum autem recte vituperantur, in quantum earum [y] vituperator artem, qua factae sunt naturae [z], videt: et hoc in eis vituperet quod ibi non videt ». Ergo malorum sive vitiorum, in quantum huiusmodi, non est ars summa sive ratio exemplaris.

---

[a] PV *respondeo.* [b] Ita PV, alii om. [c] R add. *sit.* [d] PSTC add. *respondendum,* quod VRLZ exp., VRZ exp. etiam *et;* Z *impossibilium* pro *possibilium.* [e] P om. [f] T *suorum.* [g] PV om. [h] Z *recipit.* [i] P *enim* pro *a. e.* [k] ST *quo.* [l] S *re.* [m] R exp. [n] T om. [o] P om. *ergo... exemplaris.* [p] PV *ipso.* [q] PVT *sunt.* [r] P om. *f. s. n. h.* [s] T *ipso;* VZ corr. *ex* in *ab.* [t] T om. [u] C add. *quod.* [v] V om. [x] V exp. [y] T *eorum,* P *autem* pro *artem.* [z] PVR *nec;* S *utrum* pro *et.*

[1] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 169.
[2] Quaest. 46, n. 2 (PL 40, 30).
[3] Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 168-174.
[4] Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 170.
[5] Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 259a, V.
[6] Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 176.
[7] Cf. supra. p. 18, nota 6.
[8] Psalm. 34, 11.
[9] *Glossa interl.*, ap. Lyran.; cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 351).
[10] Cap. 17, n. 46 (PL 32, 1265 sq.).
[11] Cap. 15, n. 42 (PL 32, 1291 sq.).

Contra: 1. Omnia sciuntur a Deo, sive bona sive mala: quod enim incognitum est, iuste punire non potest; punit autem iuste peccata; ergo praecognita sunt; ergo sunt in [a] scientia eius; sed scientia eius [b] idem est quod ars summa sive ratio exemplaris; ergo sunt in ipsa ratione exemplari.

2. Item, Anselmus, in *Monologion*[1]: « Summo Spiritui 'dicere' nihil aliud est quam cogitando intueri »; sed cogitando intuentur mala ab ipso; ergo ab ipso dicuntur; sed quae dicuntur ab ipso, sunt in ratione exemplari sive in arte; ergo mala sunt in ratione exemplari.

Respondendum est [c] quod secundum quod ea [d] dicuntur esse in arte vel in ratione exemplari quae fiunt [e] ab ea vel secundum eam, mala non sunt in arte vel in ratione exemplari [f], in quantum huiusmodi, nihilominus tamen sunt in ipsa scientia. Scientia enim secundum modum scientiae ad plura se extendit quam ars: ars enim est, secundum quod huiusmodi, principium faciendi et cogitandi quae sunt facienda, scientia vero est principium cogitandi et [g] ipsas species rerum et privationes, privationes autem in hoc quod non inveniuntur species. Unde Dionysius, in libro *De divinis nominibus*, cap. 7, *De sapientia, intellectu et veritate*[2]: « Secundum unam causae continentiam omnia sciens et continens, sicut lumen per semetipsum praeaccipit tenebrarum visionem, non aliunde videns tenebras quam a lumine ».

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem respondendum [h] quod licet idem sit scientia et ars divina in essentia, communius tamen dicitur scientia quam ars. Unde licet scientia divina extendat se ad bona et [i] mala, ars tamen vel ratio exemplaris, quae est ratio faciendi, determinat bona, non quod ars vel habens artem non cognoscat mala ut vitet vel puniat, sed non ut faciat; quoad rationem autem cognitionis convenit cum scientia.

2. Ad secundo obiectum dicendum[3] est quod 'dicere' — prout pertinet ad creaturas, cum dicitur[4]: *Dixit, et facta sunt* — non habet in ratione sua tantum hoc, scilicet « cogitando intueri », sed manifestare id quod est in arte vel ratione exemplari: et ideo licet mala intelligantur vel cogitando inspiciantur a Summo Spiritu, non tamen dicuntur, quia non sunt ad manifestandum sive non manifestant id quod est in summa arte sive in ratione exemplari.

CAPUT V. 13

QUID SIT ESSE VITAM IN IPSO.

Ratione huius quaeritur quid sit esse vitam in ipso[5]. Haec enim videntur converti 'habere rationem exemplarem' et 'esse vitam in ipso'.

1. Cum enim 'vivere' dicatur multipliciter, secundum vegetationem [k], secundum sensum, secundum intellectum, secundum motum, secundum quam similitudinem dicantur res vivere vel habere vitam in ipso? Non enim ad similitudinem eius vitae quae est secundum vegetationem, cum haec vita sit tantum rei [l] materialis et corporalis; nec secundum similitudinem illius vitae quae dicitur secundum sensum, cum illa vita non vivant nisi corpora et formae quae a corporibus non separantur; nec vita [m] videtur dici secundum eam similitudinem quae est secundum intellectum: si enim hoc esset, cum mala etiam intelligantur et habeant esse in [n] intellectu et vitam in mente peccantis, diceretur malum in ipso vita; quod cum non sit, non dicetur [o] vivere secundum illam similitudinem.

2. Item, triplex est [p] actus: esse, intelligere et vivere[6]; vivere vero addit super intelligere et super [q] esse; quid ergo dicitur [r] amplius, cum dicitur 'omnia in ipso vita sunt', ultra hoc quod dicitur: 'omnia sunt in ipso' vel 'in [s] intellectu' ipsius, sive quae differentia designatur?

3. Item, cum dicitur quod res habent vitam in Primo et quaedam res habeant vitam in suo genere, numquid magis dicuntur vivere, cum habent [t] vitam in suo genere, quam cum habent vitam in Primo? — Quod [u] habeant plus de vita in suo genere, videtur: Eo quod in suo genere [v] proprio habent esse simpliciter, in

---

[a] S om.; V *insunt*, pro *s. i.*. [b] L om. *s. s. e.* [c] RT om., S om. *est* et exp. *quod*. [d] P *ea quod*, Z *ea que* pro *q. e.*; V om. *quod*. [e] T *sunt*. [f] RLZ *exemplati*. [g] R om. [h] Z add. interl. *est*; VC om. *autem*; P *scit in* pro *sit*. [i] Z add. *ad*. [k] P *negationem*. [l] PVST *res*. [m] Z om. [n] LZ om., in T est add. interl. [o] RLCZ *diceretur*. [p] T om. [q] PV om., V *quod* pro *quid*. [r] P om. [s] S om., in V est add. interl.; P *scientie* pro *sive*. [t] P om. [u] V *quasi*, Z add. *autem*. [v] R om. *videtur... genere*.

1 Cap. 63 (PL 158, 208).
2 *De divin. nomin.*, c. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154). Apud Scotum Eriugenam superscriptio capituli haec est: « *De sapientia, intellectu, ratione, veritate, fide* » (PL 122, 1152).
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 421.
4 Psalm. 32, 9.
5 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 259a, V; S. Bonav., I *Sent.*, d. 36, a. 2, q. 1 (I, 623 sqq.)
6 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 4, § 34 (PG 3, 734, PL 122, 1146).

Deo esse secundum quid; esse enim in causa est esse secundum quid; ergo res, prout sunt in suo genere, plus habent vitae quam cum sunt [a] [in] ipso. — Contra: Dicit Augustinus, *Super Ioannem* [1]: « Omnia, antequam fierent et cum facta sunt et cum variantur, sunt in ipso, non in eo quod sunt in se ipsis, sed secundum immutabilem rationem; cum autem sint in ipso secundum immutabilem rationem, magis sunt vita in ipso quam in se ipsis ». Item, Anselmus [2]: « Quidquid factum est, sive vivat sive non vivat aut quocumque modo in se sit, in ipso est vita et veritas ». Sicut ergo ad scientiam divinam nihil facit, sive res sint sive non sint [b], ita nihil ad hoc quod sint vita in ipso, sive sint sive [c] non sint.

4. Item, omnia dicuntur esse [d] in ipso vita; sed quidquid est in Deo non est nisi Deus [3]; et quod dicitur [e] quod sunt vita, hoc non tollit illud quod sint Deus; ergo omnia, quae sunt in ipso vita, sunt ipse; sed omnia sunt in ipso vita; ergo omnia sunt quod ipse; sed ex hoc sequeretur quod omnia sunt unum.

5. Item, omnia sunt in ipso vita; aut ergo hoc [f] dicitur, quia sunt in eius essentia aut hoc dicitur ratione potentiae vel sapientiae vel bonitatis. Ratione essentiae non videtur: esse enim in essentia hoc est esse ipsam essentiam, hoc autem est esse idem quod ipse. — Si vero ratione potentiae: sed ratione potentiae dicuntur subesse omnia, tam bona quam mala; ergo non dicuntur esse in ipso vita ratione potentiae. — Praeterea, in Verbo dicuntur esse vita; ergo ratione sapientiae, cum sapientia approprietur Verbo. Quod autem non ratione sapientiae, videtur: nam sapientia Dei non respicit facta tantum ab ipso, sed quaecumque fieri possunt ab aliquo; ergo non dicitur ratione sapientiae. — Nec ratione voluntatis: voluntas enim respicit ea quae fiunt; quae autem possunt fieri, etsi nunquam fiant, in ipso vita sunt; ergo non dicuntur esse in ipso vita ratione voluntatis.

6. Item, si omnia sunt in ipso vita, secundum quod sunt [g] in ipso vita aut sunt unum aut [h] multa. Si sunt unum, non aliud unum quam [i] ipse; ergo omnia sunt idem quod ipse. Si omnia sunt multa secundum quod sunt vita in ipso, non alia multa quam in suo genere; ergo prout multa sunt in genere suo, sunt in ipso vita. — Contra: In se ipsis sunt corruptibiliter entia; sed prout sunt in ipso vita, sunt incommutabiliter entia; ergo non prout multa sunt in suo genere, sunt in ipso vita.

Solutio: 1. Ad iam dicta respondendum est quod, cum dicitur 'omnia sunt vita in ipso', reduplicatio facienda est huius determinationis 'in ipso', ut [a] sic dicatur 'omnia in ipso sunt vita in ipso'. Si vero quaeratur secundum quam similitudinem vitae: dicendum est [b] quod vel secundum excellentiorem modum quam sint modi iam supradicti vel aptabitur ille modus, qui est 'vivere secundum intellectum [c] et motum', ut dicantur illa esse vita quae sunt ad modum intelligentiae practicae recte se habentis, antequam producantur in actum: bona enim sunt [d] in intellectu practico et habent quamdam vitam ibi antequam exeant in actum, excellentius autem longe in ipsa intelligentia divina. — Nec est simile quod obicitur de malis quae vivunt in [e] intellectu practico ipsius peccatoris: hoc enim 'vivere' non proprie dicitur, sed sicut dicitur [4] de [f] peccatoribus quod vivunt in morte, quibus scilicet mors non deficit [g]; sed hoc 'vivere' importat esse incorruptibile [h] in ipsa mente agentis, ut a quo secundum [i] similitudinem possit aliud procedere [k]. Quia ergo intelligentia practica recte [l] disposita habet de utroque, scilicet de intellectu et motu, ideo [m] per quamdam similitudinem dici potest respectu eorum quae vivunt in [n] intellectu practico.

2. Ad secundum dicendum [o] quod 'vivere', prout dicitur 'omnia in ipso sunt vita', differt secundum rationem ab eo quod est 'esse [p] in ipso' et 'esse in [q] intellectu ipsius'. Nam 'esse in ipso', hoc respicit ad potentiam; 'esse in intellectu', ad scientiam sive sapientiam; 'esse vero in ipso [r] vita' sive 'vivere', ad scientiam beneplaciti, quae superaddit bonitatem respectu cognitionis: unde dicit esse [s] in intellectu practico.

3. Ad tertium dicendum [t] quod non dicuntur magis vita ea quae habent vitam in Primo et in suo genere quam ea quae habent solum vitam in Primo, si dicantur [u] pluribus de causis vivere. Cum enim dicitur Act. 17, 28: *In ipso vivimus, movemur et sumus*, vita dicitur secundum aliam rationem quam cum dicitur 'omnia sunt in ipso vita'. Cum enim dicitur '*In ipso vivimus*', ponitur conservatio vitae iam existentis; cum autem dicitur '*In ipso erant* [v] *vita*', notatur immutabilitas scientiae beneplaciti: et haec praecedit res, illa sequitur. Pluribus ergo rationibus possunt dici vivere, sed non magis, quia non est ponere excellentiorem vitam illa quae [x] Deus est vel secundum quod sunt in illo [y] vita. — Nec est contrarium

---

[a] L om. [b] S om. *s. n. s.* [c] V om. [d] Ita ST, alii om. [e] ST *adicitur.* [f] PVT add. *quod;* P om. *eius.* [g] T om. [h] Z add. *sunt.* [i] P om.

[a] P *et.* [b] RZ om. [c] P om. [d] V om. *producantur... sunt.* [e] S om. [f] Z *a.* [g] PV *defuit.* [h] PV *incorporale.* [i] T *per.* [k] L *precedere.* [l] P om. [m] ST *adeo.* [n] SZ om. [o] PSLT add. *est;* V *quod est* pro *quod.* [p] C om. [q] Z om., in C est add. interl. [r] PVT *ipsa.* [s] PVST om. [t] PVSLT add. *est.* [u] PV add. *sed;* ST *sed* pro *si.* [v] Z *erat.* [x] P *quia,* V *qua.* [y] PVST *illa,* quod C corr.

1 Cf. tract. 1, nn. 16 et 17 (PL 35, 1337).
2 *Monol.*, c. 35 (PL 158, 189).
3 Cf. Alan., *Theol. reg.*, reg. 9 (PL 210, 628).
4 Cf. Apoc. 3, 1.

quod in se ipsis habent esse simpliciter: hoc enim esse simpliciter non est nisi quantum ad ipsas res in se ipsis, non quod sit nobilius esse in proprio genere quam esse causae quo sunt causata [a] in ipsa causa.

4. Ad quartum dicendum quod 'esse in Deo' dicitur [b] dupliciter. Uno modo dicuntur esse in Deo quae sunt idem secundum essentiam, ut potentia, sapientia, bonitas, quae sunt idem quod essentia Dei: et hoc modo quidquid est in Deo est Deus. Alio modo dicuntur [c] esse in Deo, sicut in causa: et secundum hoc dicuntur creata esse in ipso, et sic dicuntur esse [d] vita in ipso. Per hunc modum non omnia quae sunt in ipso, secundum se ipsa accepta, sunt [e] quod ipse, sed in quantum sunt in ipso [f], hoc est rationes exemplares ipsorum sunt idem quod ipse; unde homo, cum sit in Deo vita, secundum quod homo non est Deus, et ita de aliis causatis. Cum ergo dicitur quod omnia in ipso sunt vita in ipso [g], non aliud est quam si dicatur 'rationes exemplares sunt in ipso', secundum quas est sic [h] dicta vita creatorum.

5. Ad quintum dicendum [i] quod, cum omnia dicuntur in ipso vita, hoc est ratione sapientiae sive scientiae beneplaciti, quae est in intellectu practico, in qua vivunt aeternaliter creata [k] tum ratione scientiae, tum ratione beneplaciti. — Ad illud vero quod videtur in [l] contrarium esse de ipsa sapientia vel scientia per se, qua cognoscuntur bona et mala: dicendum quod scientia beneplaciti respicit tantum bona; ex alia parte, licet beneplacitum sit sufficiens causa existentiae rerum, et ita respiciat tantum res existentes, nihilominus ea quae possunt esse, dicuntur vita in ipso: beneplacitum enim aeternum est et respicit non tantum ea quae sunt, sed ea quae possunt esse et erunt; unde quoad hoc vitam habent [m] in scientia beneplaciti.

6. Ad sextum dicendum quod, cum dicitur 'omnia in ipso sunt vita', nec dicendum est simpliciter quod omnia sunt unum [n] in ipso vel quod omnia sunt multa in ipso, sed si fieret reduplicatio, ut diceretur 'omnia in ipso sunt unum in ipso', vera esset. Unde Anselmus, in *Monologion* [1]: « In se ipsis sunt essentia mutabilis secundum immutabilem [o] rationem creata, in ipso vero sunt ipsa prima essentia et prima [p] existendi veritas ». Non tamen concedendum est [q] quod omnia sint unum vel descendendo, ut dicatur 'asinus vel leo est asinus vel leo in Deo vel idem etiam cum homine in Deo'. Aliter enim fit sermo sub [r] generali ratione et sub speciali. Pluralitas ergo [s] ex parte creaturarum prohibet dicere unitatem, unitas vero omnimoda, quae est in Deo, prohibet dicere [t] pluralitatem, sed media via incedendum est, sicut iam dictum est [2].

MEMBRUM III.

De causa finali.

Consequenter est quaestio de causa finali; circa quam quaerendum est:

Primo, utrum sit una causa finalis prima [u];

secundo, utrum sit idem quod essentia [v] prima, scilicet Deus;

tertio, utrum omnia appetant hanc rationem causae finalis.

CAPUT I. 14

UTRUM SIT UNA CAUSA FINALIS PRIMA [3].

Ad primum sic: *a.* Finis et bonum idem [4]: quod enim [x] quaeritur, propter bonum quaeritur; si ergo esset infinitum in causis finalibus, non perveniretur ad bonum quod ultimo quaeritur; ergo frustra esset intentio quaerentis; non ergo est infinitum in causis finalibus, sed est aliqua, cuius gratia aliae quaeruntur.

b. Praeterea, cum finis et [y] bonum sint idem, ultimus finis erit summum bonum; sed impossibile est esse duo summe bona: nam unum aut haberet omne quod aliud, et tunc non differrent; aut si non haberet [z], aliquid boni haberet unum quod non alterum, et ita non esset summum; impossibile est ergo duo esse summe bona [5], ergo

---

[a] PTCZ *creata*, ST *eum* pro *in*. [b] P om. [c] P *dicunt*. [d] RLCZ om. [e] R add. *idem*. [f] V add. *ipsorum*, quod P exp. [g] P *Christo*; P *nam* pro *non*, quod VLZ corr. [h] PVT *sicut*. [i] STRLZ add. *est*. [k] Ita TZ, alii *causata*. [l] Ita PV, alii om. [m] V om. [n] P *tantum*. [o] P *immutabile*. [p] P om. *e. p.* [q] T om. [r] L *in*. [s] Z *enim*. [t] S add. *que est*. [u] P om. [v] T *scientia*. [x] PV *ens*. [y] T om. [z] SRLCZ *haberent*.

1 Cap. 34 (PL 158, 189). 2 Cf. supra, num. 10.
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 2, q. 1 (II, 43 sqq.).
4 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicomach.*, I, c. 2 (II, 1).
5 Cf. supra, num. 4.

et duos esse omnino [a] ultimos fines, quorum unum est praeter alterum.

c. Praeterea, quidquid sit [b] in aliis causis, intentio finis et infiniti opponuntur; si ergo est causa finalis, tollitur infinitum; ergo necesse est unam solam esse ultimam ad quam est pervenire.

d. Item, quicumque discrete agit, non facit id quod facit per intellectum nisi quia intendit [c] aliquem finem: si enim praeter finem ageret, stultus diceretur.

e. Item, nullus ponit sibi duos fines ex aequo: si enim poneret, inordinata esset actio eius; necesse est ergo agentem per intellectum ponere sibi unum finem actionis. Si autem ille finis propter aliud quaeritur et illud propter aliud, nunquam quiescet [d] intentio; sed quiescit intentio eius qui bene disponitur; ergo necesse est esse ultimum finem; erit ergo una sola finalis causa ultima.

In contrarium sic obicitur: 1. Finis est [e] ratio eius quod est ad finem [1]; sed « non eadem ratione », sicut dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [2], « conditus est homo et equus », et loquitur de ultimis rationibus, et ita de ultimis finibus; ergo diversorum causatorum [f] diversi sunt fines.

2. Item, finis determinat formam rei et ea quae ordinata sunt ad illam [3]. Si ergo esset unus finis ultimus duorum differentium, unde veniret differentia? cum forma responderet fini, et ita cum [g] indifferens esset finis, indifferens esset [h] forma; posita ergo indifferentia finis, ponitur [i] indifferentia formarum; ergo et eorum quae sunt propter formas; ergo res erunt indifferentes; sed necesse est esse rerum differentiam; ergo necesse est esse differentiam finium.

[Solutio]: Ad quod respondendum quod una est causa finalis ultima omnium, de qua dicit Dionysius, in libro [k], *De divinis nominibus* [4]: « Omnia quaecumque sunt et fiunt, propter pulcrum et bonum sunt et fiunt et [l] ad ipsum omnia inspiciunt et ab ipso moventur et continentur et ipsius gratia ». Et alibi [5]: « Pulcrum et bonum secundum omnem causam cuncta desiderant et non est aliquid [m] existentium quod non participet pulcro et bono; etiam non-existens participat pulcro et bono: tunc enim et [n] ipsum bonum et pulcrum est, quando in Deum secundum omnium ablationem substantialiter laudatur ».

[Ad obiecta]: 1. Ad id autem quod, obicitur in contrarium primo: dicendum est quod licet diversae rationes proximae sint equi et hominis [o], nihilominus tamen una est ultima ratio, quae a fine omnium accipitur, et secundum hanc accipitur unitas in universo. Erunt ergo rationes primae secundum illum modum secundum quem loquitur in illo libro — loquitur enim de rationibus formalibus — nihilominus tamen rationes, quae sunt in rebus, ordinabuntur ad ultimum finem.

2. Ad aliud dicendum est [p] quod, licet finis ultimus sit unus, non propter hoc erit indifferentia rerum, sed ex differentibus rebus unitas universi colligetur [q]. Sicut enim ad unum punctum, qui est centrum [r], omnes lineae rectae ductae ad circumferentiam ex omni parte terminantur [6], sic et [s] per quamdam similitudinem omnia, quae sunt in universo, tendunt ad unum finem, et ille dicitur finis finium. Secundum autem hunc finem non accipitur differentia rerum, sed secundum fines proprios, penes quos differentia formarum determinatur.

15

CAPUT II.

UTRUM ISTA CAUSA FINALIS SIT IDEM QUOD ESSENTIA DIVINA.

Sequitur dicere utrum ista causa finalis sit idem quod essentia divina [7].

Quod non, videtur: 1. Actio enim [t] et motus dicuntur esse propter id quod non habetur; sed sunt propter finem; ergo finis non habetur ab agente et movente [u]; sed divina essentia agit; ergo agit propter finem non habitum; sed sive sit non habitus a se sive ab alia re, erit differens ab ipso agente; ergo non erit causa finalis eadem cum essentia agentis.

2. Item, in aliis agentibus sic est quod illud propter quod agit, non est idem cum essentia agentis, ut domificator agit propter protectionem ab imbribus et caumatibus; ergo in primo [v] agente sic erit: nihil enim quaerit se ipsum; sed finis quaeritur; ergo non est idem cum essentia agentis primi.

---

[a] S (corr.) *in.* [b] TR *fit.* [c] PV *tendit ad.* [d] VRZ *quiescit.* [e] Z add. *ultima.* [f] T *creatorum.* [g] Z *causa.* [h] P om. *f. i. e.* [i] Ita PV, alii *ponetur.* [k] Ita PV, alii om. *i. l.* [l] T om. *propter... et.* [m] ST *aliud.* [n] Z om. [o] PV *homines.* [p] PV om. [q] PV *colligitur.* [r] P om. [s] T om., P om. *per.* [t] Ita PV, alii om. [u] P om. *non... movente.* [v] C *ipso.*

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, I (lectio brev.), c. 2 (II, 487).
2 Quaest. 46, n. 2 (PL 40, 30).
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 163b, *Respondeo.*
4 Cap. 4, § 10 (PG 3, 706, PL 122, 1134).
5 Loc. cit., c. 4, § 7 (PG 3, 703, PL 122, 1132).
6 Cfr. Pseudo-Dionys., loc. cit., c. 5, § 6 (PG 3, 822, PL 122, 1149).
7 Cf. supra, num. 6-7.

Contra [a]: *a.* Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [1]: « Omnia ad se ipsam bonitas convertit, et [b] princeps congregatrix est dispersorum ut principalis et unifica [c] deitas, et omnia ipsam ut principium, ut continentiam, ut finem appetunt ». Ergo unifica [d] deitas est illa bonitas quae est omnium finis.

b. Item, Primum est [e] perfectissimum agens; ergo non agit propter aliquid extra se: si enim ageret sic, deesset ei aliquid; ergo non esset perfectissimum; agit ergo propter se ipsum, et hoc est quod dicitur Prov. 16, 4: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum;* et de homine, qui est principalis creatura, dicitur Isai. 43, 7: *Omnem* [f]*, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum et* [g] *feci eum.*

c. Item, Marc. 10, 18: *Nemo bonus nisi* [h] *Deus;* et bonum et finis idem [2]; ergo ipse est principalis finis.

[Solutio]: Ad quod [i] respondendum quod ipse est causa finalis, sicut ostensum est [3].

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum vero in contrarium dicendum est [k] quod agere propter finem dicitur dupliciter: vel qui est perfectio agentis, sicut dictum est de domificatore [4], et sic non agit propter aliud a se; vel qui est perfectio eius quod agitur vel in quo agitur, et secundum hoc agit Deus propter non habitum ab [l] eo quod agitur vel in quo agitur. — Si vero obiciatur quod si Deus ageret propter se, ageret semper, et ita aeternaliter: dicendum est quod [m] nisi generare vel spirare vel intelligere dicantur agere, et consimilia quae ab aeterno sunt, non semper egit, dicendo [n] ' semper aeternitatis ', semper tamen [o] egit, dicendo ' semper temporis ': et cum agit, non agit ut sibi aliquid acquirat, licet in hoc sua bonitas manifestetur, sed propter finem qui acquiritur creaturae; ille tamen finis est propter summum finem. Unde Dionysius [5]: « Ipse omnium causa, per bonitatis excellentiam omnia amat, omnia facit, omnia continet, omnia convertit ». Et iterum: « Est omnium principium et finis, superprincipale et superfinale, quia *ex ipso et per ipsum et in ipso omnia* [p], ut ait sacer sermo [6] ».

2. Ad id vero quod obicitur secundo, dicendum quod non est simile in creaturis agentibus et in ipso Creatore: creatura enim agens agit propter aliquam imperfectionem sui vel alterius creaturae, Creatoris vero nulla est imperfectio.

CAPUT III. 16

UTRUM OMNIA APPETANT HANC RATIONEM CAUSAE FINALIS.

Sequitur dicere utrum omnia appetant in sua actione hunc [q] finem [7].

Quod non, videtur: 1. Finis enim iste constituitur perfectio rationalis creaturae: beatitudo enim et finis iste idem [8]. Si ergo beatitudo non est finis cuiuslibet creaturae et beatitudo et bonum summum sunt [r] idem, non ergo omnia appetunt hunc finem.

2. Praeterea, appetitus naturalis plantae est ut salvetur esse plantae, et ita de aliis rebus naturalibus; ergo non tendit ad obtinendum hunc finem.

3. Item, sicut dicit Boethius, *De consolatione* [9]: « Bonum et unum idem in substantia, lapis vero partium suarum appetit unitatem, et ita de aliis compositis, et hoc sibi sufficit ». Ergo non [s] appetunt hunc finem, cum iste finis sit ulterior.

4. Praeterea, completo numero electorum, cum erit resurrectio, desinent haec esse, et ita non perficeretur [t] eorum appetitus si hunc finem appeterent; perficitur autem vel perficietur; non ergo iste est [u] finis quem omnia appetunt.

Contra: *a.* Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [10]: « Bonum est quod desideratur ab omnibus », et Philosophus [11]: « Bonum est quod omnia optant »; sed non est bonum nisi participatione summi boni, sicut dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei* [12] et *De Trinitate* [13]; ergo appetitus creaturae non terminatur nisi in summo bono; sed iste est finis iam dictus; ergo finis iam dictus est [v] quem omnia appetunt.

[Solutio]: 1. Ad quod respondendum quod duplex est appetitus: unus ex cognitione praehabita naturaliter vel ex [x] acquisitione sive dono,

---

[a] Z add. *dicit.* [b] PVT om. [c] Ita R, alii *vivifica;* T *divinitas* pro *deitas.* [d] Ita RLZ, alii *vivifica.* [e] T om. [f] R *omnis.* [g] Z om. [h] P add. *solus.* [i] PV *Et ad hoc,* ST *ad hoc* pro *A. q.* [k] PVZ om. [l] P *vel.* [m] R add. interl. *non;* PV om. *est.* [n] V *a Deo,* item subinde, P add. *non.* [o] PV (corr.) *et non.* [p] PV add. *sunt;* STRL *ipsum* pro *ipso.* [q] S *habet.* [r] PVST om. [s] PV om., in T est add. interl. [t] Ita PV, alii *perficietur.* [u] RLZ om. [v] Z *iste est finis* pro *f. i. d. e.;* S om. *e. f. i.* [x] R om., in T est add. interl.

1 Cap. 4, § 4 (PG 3, 699, PL 122, 1131).
2 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicomach.*, I, c. 2 (II, 1).
3 Cf. supra, num. 12.
4 Cf. supra, n. 2.
5 *De divin. nomin.*, c. 5, § 10 (PG 3, 707, PL 122, 1134), ubi et sequens.
6 Rom. 11, 36.
7 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 108.
8 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicomach.*, I, c. 7 et X, c. 6 (II, 6 et 123).
9 Lib. III, pr. 11 (PL 63, 772 et 774).
10 Cap. 4, § 4 (PG 3, 699, PL 122, 1131).
11 Aristot., *Ethica ad Nicomach.*, I, c. 1 (II, 1).
12 Cf. lib. XI, cc. 22-23 (PL 41, 335 sqq.).
13 Libro VIII, c. 3, nn. 4 et 5 (PL 42, 949sq.).

et secundum hunc modum non omnia appetunt summum bonum vel finem istum: non enim omnia habent appetitum intellectualem, et secundum hoc quae habent appetitum huiusmodi, appetunt naturaliter beatitudinem, secundum quod bonum et beatitudo sunt idem. Alio vero modo sumendo [a] appetitum naturalem omnia appetunt bonum, non in [b] determinata ratione beatitudinis, sed in generali ratione quae est secundum quod bonum summum [c] omnia conservat et terminat.

2. Ad id vero quod secundo obicitur dicendum est [d] quod plantae et aliae creaturae corruptibiles, cum [e] appetunt continuationem sui esse — quia continuatio sui esse est a summo bono, quod est in eis essentialiter et potentialiter et praesentialiter [1] — quoad hoc appetunt naturaliter summum bonum.

3. Ad tertio obiectum dicendum est [f] similiter de unitate quam appetunt res compositae: in hac enim unitate est summa unitas, et ita summa bonitas, sine qua nec est nec esse posset, et ideo eam naturaliter desiderat.

4. Ad ultimo obiectum dicendum est [g] quod est finis quidam corruptibilium creaturarum secundum quod sunt propter hominem, et illo fine evacuato congruit non ulterius permanere, et hic est supplementum necessitatis humanae: et iste est [h] alius finis ab illo quem naturaliter intendit unaquaeque res secundum suam speciem. Non ergo mirum est si non perveniant secundum finem istum vel illum ad [i] beatitudinem, quae determinata est finis homini et [k] intellectuali creaturae, cum non habeant [l] immortalitatem cognitivae et motivae potentiae, secundum quam possint ea frui.

MEMBRUM IV.

De causa efficiente.

Ordine consequenti dicendum est de causa efficiente.

Omissa vero Quaestione utrum sint plures causae efficientes rerum, eo quod ipsa satis datur intelligi ex praemissa Quaestione de pluralitate principiorum [2] — et dicit etiam Philosophus [3]: « Qui faciunt causas multas, destruunt naturam boni et non percipiunt », — transeundum est ad illam Quaestionem de causa efficiente:

Utrum tantum sit causa efficiens esse et non ipsius non-esse, utpote ipsius esse destructiva;

deinde, utrum sit voluntate an [m] necessitate causa efficiens;

tertio, utrum per se sit causa an [n] aliquo adiuncto.

17 CAPUT I.

UTRUM TANTUM SIT CAUSA EFFICIENS ESSE ET NON IPSIUS NON-ESSE.

Ad primum sic: 1. « Natura est boni producere et [o] salvare, mali autem corrumpere et destruere [4] » — unde Dionysius, in libro [p] *De divinis nominibus*: « Non est ignis infrigidare [q] neque boni non-bonum producere » — sed prima causa efficiens est summum bonum; ergo non est eius corrumpere et destruere bonum; sed « esse, in quantum esse [r], bonum est [5] »; ergo eius non est destruere esse.

2. Item, Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [6]: « Ad quem non-esse non [s] pertinet non est causa deficiendi »; sed prima causa efficiens est [t] summe ens; ergo non est causa deficiendi; ergo nec causa [u] destruendi.

3. Item, idem similiter se habens semper natum est facere idem [7]; sed primum efficiens est semper similiter se habens; ergo facit idem; non ergo facit esse et non-esse: si enim dissimiliter se haberet, sicut sol in accedendo et recedendo, accedendo produceret res, recedendo corrumperet vel destrueret; sed nec accedit nec recedit, quantum est de se; ergo non est causa destructiva rerum.

4. Item, solis materialis [v] est inducere lumen, tenebrae vero inducuntur per oppositionem terrae

---

[a] SRLC *sumendi*. [b] T *ut*, P om. [c] R om. [d] PV om. [e] R exp. [f] PVR om. [g] RZ om. [h] PVT om. [i] P om., ST om. *v. i.* [k] SZ om. [l] PV *habeat*. [m] PV *aut*. [n] P *vel*. [o] Ita V, alii om. [p] PVT om. *i. l.* [q] PVT *infrigerare*. [r] T *est*. [s] PVT om. [t] P om. [u] Ita PV, alii om. [v] S *naturalis*.

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 46-49.
2 Cf. supra, num. 3-5.
3 Aristot., *Phys.*, I, c. 6 (II, 255).
4 Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 4, § 19 (PG 3, 715, PL 122, 1138), ubi et sequens.
5 Cf. Pseudo-Dionys., loc. cit., § 20 (PG 3, 719, PL 122, 1139).
6 Quaest. 21 (PL 40, 16).
7 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 464), ubi etiam infra sequens exemplum de sole accedente et recedente occurrit.

vel alicuius tenebrosi. Similiter erit [a] de sole spirituali quod eius sit inducere lumen, tenebra vero, id est defectus esse, non erit ab ipso, sed ab aliquo alio.

Contra: *a.* Prima efficiens causa est perfectae potentiae; perfecta autem potentia est cui nihil deest vel addi potest; sed plus est posse posse [b] facere quod sit et quod non sit quam quod sit tantum; ergo primae causae efficientis non est tantum facere, sed posse destruere quod est.

b. Item, dicitur [c] Isai. 45,6-7: *Ego Dominus, et non alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum;* sed creare tenebras est [d] facere malum et destruere esse.

c. Item, Ierem. 31,28: *Sicut vigilavi super eos, ut evellerem et demolirer et [e] dissiparem et dispergerem, sic vigilabo super eos, ut aedificem et plantem.* Ergo eius est evellere et demoliri etc.; primae ergo causae efficientis est destruere id quod est.

d. Item, Eccli. 11,14: *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt.* Ergo a Domino est non solum esse, sed et non-esse [f].

[Solutio]: Ad quod respondendum [1] quod duplex est [g] defectus, sicut habetur in III libro *De libero arbitrio* [2], et uterque defectus proprie est in natura intellectuali, scilicet defectus voluntarius, qui est culpabilis, et defectus involuntarius, qui est poena. Praeter hoc est tertius defectus naturae corruptibilis in se, ut quod ignis in se deficit et plantae in se deficiunt. De primo defectu dicendum est quod prima causa efficiens non est causa illius. De secundo vero dicendum [h] quod in parte est ab ipso [i], in parte vero a creatura rationali, et ideo dicitur Sap. 1, 13-14: *Deus mortem non fecit nec laetatur in perditione vivorum; creavit enim ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum;* et postea sequitur [3]: *Iniustitia est mortis acquisitio.* E contra vero dicitur Eccli. 11,14: *Mors et vita a Domino Deo;* quod exponit Augustinus, in *Quaestionibus Veteris Testamenti,* 36 quaest. [4], dicens: « Non est Deus auctor mortis, sed vindex, quia mortis auctor peccatum est; quomodo ergo Deus poterat facere mortem, qui nescit peccare? sed dum peccatis retribuit, ab ipso dicta est mors, cum non ex ipso sit, sed ex hoc qui peccavit ». De tertio vero defectu, qui est naturae corruptibilis in se, dicendum quod non est in rebus a Deo, sed ex [k] eo quod res sunt ex nihilo; nihilominus tamen in Deo est potentia destruendi, sicut et construendi.

[Ad obiecta]: 2. Ad secundo obiectum dicendum quod defectus ille, de quo loquitur Augustinus, in libro [l] *83 Quaestionum,* non est defectus poenalis in quantum huiusmodi, sed magis culpabilis vel ille defectus qui est ex hoc quod res est corruptibilis, ex hoc quod de nihilo et ex se hoc quod [m] deficit.

3. Ad tertio obiectum dicendum quod propositio illa Philosophi 'idem similiter se habens' etc. intelligitur de creaturis mutabilibus, quae secundum diversam sui mutationem aptae natae sunt agere vel pati, non autem intelligitur de ipso Creatore, qui semper eodem modo se habet et tamen causa est oppositorum [n] secundum tempora diversa [5].

4. Ad quarto obiectum dicendum est quod non est simile omnino de sole spirituali, scilicet Deo, et de sole materiali: a sole enim materiali [o] per absentiam sunt tenebrae materiales, sed a sole spirituali malitia, quae est tenebra sive discessio luminis, non est per sui absentiam, sed sui absentia, sicut contingit dicere [p], est ex ipsa malitia. Quoad hoc tamen est similitudo quod sicut tenebra materialis habet aliam causam, utpote corpus opacum, ita tenebra intelligibilis, scilicet peccatum, habet liberum arbitrium quod se avertit a Deo.

1. Cum autem dicit Dionysius quod « boni est salvare et mali corrumpere », primo et principaliter intendit de corruptione culpabili.

CAPUT II. 18

UTRUM SIT VOLUNTATE AN NECESSITATE CAUSA EFFICIENS [6].

Ad secundum vero membrum quaestionis qua quaeritur utrum Deus voluntate vel necessitate condiderit res — et dicimus necessitatem naturae, non coactionem — sic [q] obicitur:

[a] ST *est.* [b] C om., R exp. [c] Ita PV, alii add. *in.* [d] L *et.* [e] T om. [f] P om. *s. e. n. e.* [g] Z om. [h] ST add. *est.* [i] T add. *et.* [k] ST om. [l] P om. *i. l.* [m] Ita PV, alii om. *h. q.* [n] V *oppositio et.* [o] L add. *et.* [p] P *di* et sequitur vacuum. Cessat lectio cod. P, quia insufficienter correctus est. [q] Z *sicut.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 34, a. 1, q. 2 (II, 805sqq.).
2 Cf. cap. 9, n. 26 (PL 32, 1284).
3 Haec verba desunt in Graeco et in Vulgata, sed occurrunt ap. Raban. et Lyran. inter versum 15: *Iustitia enim perpetua est et immortalis* et vers. 16: *Impii autem* etc. Teste La Haye, *Biblia Maxima,* VIII, 10, Bibl. gothica haec addunt cum pluribus codicis manuscriptis; etiam in Complutensi hic textus occurrit. Cf. Corn. a Lapide, *Comm. in S. Script.,* Melitae 1845, IV, 760b; S. Bonav., *Comm. in Sap.,* c. 1 (VI, 117b).
4 Quaest. 24 (inter opp. Augustini PL 35, 2234).
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 155.
6 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 110; S. Bonav., I *Sent.,* p. 45, qq. 1 et 2 (I, 803sqq.).

1. Boni est ratione bonitatis suae bona adducere [1]; unde Augustinus, in *Quaestionibus Veteris Testamenti* [2]: « Bonus est, quia [a] fecit existere quae non erant »; et Dionysius, *De divinis nominibus* [3]: « Optimi est optima adducere ». Ergo natura [b] bonitatis summi boni induxit optima ad manifestationem sui in creaturis. Unde Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [4]: « Sicut omnium summitatis [c] divina bonitas a sublimissimis et maximis essentiis usque ad novissima [d] pervenit, et adhuc super omnes est, neque iis, quae sursum sunt [e], anticipantibus eius excellentiam, neque [f] iis, quae deorsum sunt, ambitum transgredientibus, sed illuminat potentia omnia etc. [g], sic divinae bonitatis significativa imago sol, secundum multam consonantiam et omnia, quaecumque eum participare possunt, illuminat ». Sed bonitas eius idem est quod natura eius; ergo ex necessitate naturae suae condidit creaturas.

2. Item, « si potuit creaturas facere et noluit, invidus fuit [5] » vel ad minus non summe bonus — ita obicit haereticus — « si autem voluit et non potuit, impotens fuit »; sed a Deo removetur impotentia et ponitur in eo summa bonitas; ergo bonitas eius induxit necessario voluntatem.

3. Item, Augustinus, in libro *De civitate Dei*, 22 [6]: « Hanc causam, id est ad bona creanda bonitatem Dei, hanc [h] tam iustam atque idoneam, quae diligenter considerata et pie cogitata omnes controversias quaerentium mundi originem terminat, quidam haeretici [i] non viderunt ». Cum ergo Dei bonitas sit causa iusta, et causa iusta sit necessaria, ex necessitate suae bonitatis bona creavit.

4. Item, Boethius [7]: « Quia bonus est Deus, sumus ». Ergo bonitas est ratio necessaria esse rerum.

5. Praeterea, per simile potest argui quod inducit Dionysius [8] de igne et [k] summo bono: ignis enim est calefacere, summi autem boni producere et salvare; sed ignis necessitate naturae suae calefacit; ergo summum bonum ex necessitate naturae suae bona producit et salvat.

Quod autem voluntate fiant creaturae, habetur *a.* ex hoc quod dicit Augustinus, III *De Trinitate* [9]: « Voluntas Dei est prima et summa causa omnium specierum et motionum; nihil enim fit quod de intelligibili atque interiori [l] aula summi Imperatoris non egrediatur ». Et iterum, in libro *83 Quaestionum* [10]: « Qui quaerit quare Deus mundum voluit facere, quaerit causam voluntatis divinae; nihil autem est maius voluntate eius; non ergo causae mundi, id est [m] voluntatis, alia causa quaerenda est ».

b. Item, in 24 cap. XI *De civitate Dei* [11]: « Satis significatur Deum nulla necessitate, nulla suae cuiusquam utilitatis indigentia, sed sola bonitate, id est bona voluntate, fecisse quod factum est ».

c. Item, quae differentia esset inter processionem Filii a Patre et processionem creaturae, si de necessitate naturae sive de natura produxisset creaturas?

Solutio: Ad obiecta ergo respondendum est [n] quod sua voluntate gratuita condidit creaturas, sicut habetur ex auctoritatibus praecedentibus.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod primo obicitur in contrarium de necessitate bonitatis, dicendum est quod nomen necessitatis non congrue hic [o] dicitur de Deo; unde Anselmus [12]: « In Deo nulla cadit necessitas ». Necessitas enim videtur dicere coactionem. Sed nec necessitas utilitatis ex parte sua, sicut habitum est [p] in praecedenti auctoritate [13]. Si vero dicatur necessitas congruitatis sive idoneitatis, sicut tangitur in quadam auctoritate [14], tunc dici potest quod ex necessitate bonitatis condidit res. Non tamen videtur congruere quod dicatur ex necessitate naturae. Licet enim idem sit bonitas quod natura eius, tamen si diceretur ex necessitate naturae, videretur poni talis necessitas qualis est in rebus naturalibus: in rebus enim naturalibus ignis ex necessitate naturae generat ignem et homo hominem; non sic autem est, cum creaturae fiunt a Deo.

2. Ad secundum dicendum est [q] quod, cum dicitur 'Deus secundum rationem bonitatis creat res in ratione bonitatis ut a bono necessario sit bonum', notatur ibi necessitas ex congruentia causae finalis et eius quod ordinatur ad eam; nec ex hoc sequitur quod ex necessitate naturae condiderit creaturas [15].

3. Ad id vero quod tertio obicitur quod 'bonitas Dei est iusta causa conditionis rerum, et ita [r] necessaria': respondendum est [s] [16] quod

---

[a] R *qui.* [b] V *naturam.* [c] Codd. *si omnium summitas* pro *S. o. s.* [d] VTLZ *novissimam.* [e] V om. [f] V add. *ex,* Z *qui* pro *quae.* [g] V add. *et.* [h] T *ac.* [i] Ita C in mg., alii om. *t. q. h.* [k] L om. [l] VZ *superiori.* [m] ST *et* pro *i. e.* [n] Z om. [o] V om. [p] V add. *supra.* [q] Z om. [r] T om. [s] V om.

1 Cf. supra, num. 17, n. 1.
2 Quaest. 1 (inter opp. Augustini PL 35, 2215).
3 Cap 4, § 19 (PG 3, 715, PL 122, 1138).
4 Cap. 4, § 4 (PG 3, 698, PL 122, 1130).
5 Augustin., *De Gen. ad litt.*, IV, c. 16, n. 27 (PL 34, 307), ubi et sequens.
6 Lib. XI, c. 22 (PL 41, 335).
7 Rectius Augustin., *De doctr. christ.*, I, c. 32 (PL 34, 32); cf. Boeth., *De consol. philos.*, III, pr. 11 (PL 63, 779).
8 Cf. *De divin. nomin.*, c. 4, § 19 (PG 3, 715, PL 122, 1138).
9 Cap. 4, n. 9 (PL 42, 873).
10 Quaest. 28 (PL 40, 18).
11 PL 41, 338.
12 *Cur Deus homo*, II, c. 5 (PL 158, 403). Cf. ibid., c. 17 (PL 158, 421).
13 Cf. supra, sub litt. *b.*
14 Cf. sub n. 3.
15 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 374, *ad 6.*
16 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 389, *Solutio;* p. 393, VII, *Solutio.*

iustitia uno modo importat debitum, sicut dicit Anselmus [1], et secundum hunc modum non dicitur bonitas Dei causa [a] iusta, scilicet ex debito. Alio vero modo dicitur iustitia secundum congruentiam, quia decet bonitatem eius, et secundum hunc modum dicitur bonitas Dei iusta causa. Unde in auctoritate additur 'idonea' ad determinationem.

4. Ad quartum vero [b] dicendum est quod, cum dicitur « quia bonus est Deus, sumus » vel [c] 'bona sunt quae sunt [d] ab ipso', notatur ex iam dictis necessitas congruentiae, quae est causati ad causam, non autem necessitas inferendi: nam ab aeterno Deus fuit bonus, nec tamen ab aeterno fuit bonitas creaturae. Similiter natura Dei [e] ab aeterno fuit bona, nec tamen creatura ab aeterno fuit bona.

5. Ad ultimum dicendum est quod non est similitudo in agentibus secundum naturam et in primo agente secundum voluntatem: nam agens secundum naturam producit sibi simile in specie vel in genere [2], agens [f] vero secundum voluntatem rectam producit simile, id est proportionale in dispositione [g], ut a bono bonum, ab uno unum, et ita de aliis dispositionibus quae conveniunt causae et causato. Praeterea, licet sit summe bonus, tamen, quia in ipso idem est natura quod voluntas, quae est summe libera, non creat res nisi secundum libertatem suae voluntatis.

CAPUT III. 19

UTRUM PER SE SIT CAUSA AN ALIQUO ADIUNCTO [3].

Deinde dicendum est de tertio membro quaestionis, scilicet utrum agat per [h] se an aliquo addito.

Quod agat aliquo addito, hoc videtur: *a.* Prima enim causa ponit causatum suum in esse; sed causa quae ponit causatum suum in esse, si sit universalis [i], additur ei aliquid per quod est propria causa illius; sed causa prima est causa universalis; ergo additur ei aliquid [k] ad hoc quod sit causa propria huius vel illius; ergo est causa [l] aliquo addito.

b. Item, sol non est causa propria huius dispositionis vel istius nisi cum additur aliqua conditio super esse solis, maxime in oppositis dispositionibus; cum ergo hoc [m] sit in sole materiali respectu suorum effectuum, pari ratione erit in sole spirituali respectu suorum effectuum.

c. Item, causa universalis, cum fit [n] propria, aut se ipsa fit [o] propria huius causati vel illius aut per aliud. Si se ipsa fit [p] propria, hoc non videtur, quia aliunde est communitas et aliunde est proprietas; ergo ex alia re videtur esse proprietas; sed ipsa est universalis; ergo alia re quam se ipsa erit propria huius causati vel illius. Quod etiam videtur in universali et particulari in creaturis: universale enim et particulare ex diversis rationibus accipiuntur et particulare addit super universale. Sic ergo erit in supernis, ut [q] universale et proprium ex diversis rationibus accipiantur et proprium huius causati vel illius addat super causam universalem.

Ad contrarium sic obicitur: 1. Si ageret aliquo addito ut esset causa, non esset prima causa: nam illud additum aut esset prima causa aut causatum, cum una sola sit prima causa, illud autem causatum exit in esse nonnisi per causam primam; sed est causa universalis; ergo aliquid additur ei ad hoc quod sit propria causa illius; et iterum quaeritur de illo et ita erit abire in infinitum aut oportebit stare in primis, ut non sit causa huius causati vel istius aliquo addito; ergo erit per se causa.

2. Item, in aliquibus causatis agentibus apparet quod per se agunt, ut sol per se illuminat et ignis per se generat ignem; ergo, cum nobilior sit actio primae causae quam actio alicuius ab ipsa descendentis, erit ergo actio primae causae per se ipsam.

3. Item, cum sit causa quae dat esse et iterum causa quae dat motum, nobilior est causa quae dat esse quam illa quae facit motum tantum; sed in causis facientibus motum est aliqua quae per se facit motum, ut in motore spherae supercaelestis; ergo aliqua erit earum [r], quae dant esse, quae per se dat esse; sed quae dat per se esse, nobilior est ea quae aliquo addito dat esse; cum ergo nobilior dispositio attribuenda sit primae essentiae, erit illa conditio causae quae per se dat esse.

4. Item, est causa per se et causa per accidens: causa vero per se, quae agit per naturam et per intellectum; omnis autem causa, quae agit per naturam et per intellectum [s], habet a causa prima,

---

[a] ST add. *rei.* [b] V add. *obiectum.* [c] V *per.* [d] ST *fiunt;* S *vocatur* pro *notatur.* [e] ST om. [f] V add. interl. *non,* L om. *vero.* [g] V om. *i. d.* [h] Codd. *propter.* [i] V add. *est;* T om. *sit.* [k] SR om. *per quod... aliquid.* [l] V add. *cum.* [m] Z om. [n] Ita VR, alii *sit.* [o] T *sit.* [p] T *sit.* [q] Z *aut.* [r] R *eorum.* [s] T om. *omnis... intellectum.*

[1] *Cur Deus homo,* I, cc. 11sq. (PL 158, 376sq.); *De veritate,* c. 12 (PL 158, 480sq.).

[2] Cf. Aristot., *Metaph.,* VI, c. 8 (II, 546); *De anima,* II, c. 4 (III, 450); Damasc. *De fide orthod.,* I, c. 8 (PG 94, 811).

[3] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, a. 2, q. 2 (II, 28sqq.).

quae Deus est, quod agit; ergo causa prima per se multo fortius agit quam causa secunda.

Ex iis ergo concluditur quod causa prima per se agit, non aliquo addito, in iis quae fiunt per creationem: haec enim sunt prima causata [a].

[Solutio]: Ad iam dicta respondendum est [b] quod 'per se agere' dicitur secundum plures modos. Dicitur enim 'per se agere', hoc est per suam naturam agere; dicitur etiam 'per se agere' per suum intellectum et voluntatem agere. Primo ergo modo non dicitur per se agere producendo creata [c]: non enim de sua natura producit. Secundo [d] modo dicitur per se agere, quia per suum intellectum et voluntatem agit: et secundum hunc modum Deus dicitur per se agere, excludendo 'per accidens agere', item excludendo 'agere per aliud' in primis causatis; in sequentibus vero causatis [e] non sic est, sed agit aliquo medio, non propter sui insufficientiam, sed propter causatorum rectam ordinationem, quorum quaedam sunt nobiliora, quaedam vero minus nobilia.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur quod 'in infinitum esset abire, si prima causa esset aliquo addito causa': respondendum est quod aliter est in primis causatis et consequentibus. In consequentibus enim non est inconveniens ponere additionem causae, in primis vero est inconveniens ponere additionem causae. Unde in illis attendendum est quod causa prima universalis se ipsa est propria horum causatorum; haec autem [f] additio super universale non est per aliquid [g] extrinsecum, sed per voluntatem eius, quae est idem quod essentia eius, qua [h] vult facere rem nunc, et hoc 'nunc' non est 'nunc aeternitatis', sed temporis sive aevi [i].

c. Ad id vero [k] quod obicitur ex alia parte, quod [l] 'aliunde est causa universalis et aliunde [m] propria': dicendum est quod non sic est in causa prima universali, quae se appropriat, et causis consequentibus, quae inveniuntur in causatis [n], in quibus aliunde est communitas, aliunde est proprietas. Primum enim, sicut dicit Boethius [1], est forma sine materia et conditionibus particulantibus [o] quae sunt in materia vel subiecto: et ideo non habet proprietatem ex illo modo quo dicitur in creaturis, sed sua voluntate est actio, quae causam universalem appropriat; et licet ipsa actio sit ipsa voluntas, et voluntas sit aeterna, actio tamen est cum ipso 'nunc temporis'.

b. Ad aliud dicendum quod non est simile de sole materiali et causa prima: sol enim materialis secundum diversum sui situm vel rerum recipientium sui effectum vel communicantium [p] diversos producit effectus; sol vero spiritualis ab omni diversitate situs abstrahitur [q], et propter hoc non est actio eius, procedens in causata, actio naturalis, sed, cum indifferens sit secundum essentiam, secundum actionem voluntariam ea producit.

TITULUS II.

DE CAUSA PRIMA UT CAUSA ACTUALITER DICTA.

Dictum est supra de causa prima secundum substantiam et secundum rationem, sequitur de ipsa causa in actu. Ad causam vero in actu duo pertinent quaerenda:

Primo, de ratione causae in actu, prout dicitur Rom. 11,36: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* etc.;

secundo, de ipsa actione qua causa est in actu suo primo: actio ad ipsam essentiam videtur referri, actiones vero appropriari personis divinis, quae sunt unius essentiae.

MEMBRUM I.

20 **De ratione causae in actu prout dicitur: Ex ipso etc.**

Primo ergo fiat sermo de illis rationibus quae per illas praepositiones designantur. Et potest quaeri quae differentia sit illarum rationum inter se et quare illae ponantur, non aliae quae per alias praepositiones designantur [2], aut si sunt aliae, quae sunt illae et [r] quare non plures quam tres.

---

[a] STRZ *creata*. [b] V om. [c] SL *causata*. [d] Z add. *vero*. [e] T *creatis*. [f] Z *etiam*. [g] VST *aliud*, T *intrinsecum* pro *extrinsecum*. [h] L *que*. [i] VT *ens*. [k] V om. [l] V om. [m] Z add. *est*, S om. *e. c. u. e. a.* [n] T *creatis*. [o] T *particularibus*. [p] T *creantium*. [q] R *abstractus*, quod L corr. [r] Z *vel*.

1 Cf. *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).

2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 461.

Ad primum sic potest obici: 1. Haec praepositio '*ex*' designat conditionem causae materialis; sed conditio causae materialis non convenit primae causae; ergo non est dicendum quod *ex* ipsa sint omnia. — Item, cum dicuntur omnia esse *in ipso,* continentia formae intelligitur, sicut cum dicitur Act. 17, 28: *In ipso vivimus, movemur et sumus.* Quod autem ipse sit forma omnium, habetur in fine libri *De vera religione*[1]: « Forma est omnium quae ab uno facta sunt et ad unum nituntur », et loquitur ibi de summa veritate. — Item, haec praepositio '*per*' dicit rationem efficientis. Ergo videntur designari hae tres rationes causae: efficiens, formalis et materialis; sed hae tres non coincidunt in unam essentiam; ergo non sunt rationes primae causae causantis [a] in actu.

2. Praeterea, ordo verborum non permittit has rationes causae; ratio enim causae materialis non est ante efficientem nec ratio efficientis in actu ante formalem: formalis enim [b] est secundum quam est efficiens.

3. Item, ad Eph. 4, 6 dicitur: *Qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis,* ubi alia praepositio primo [c] ponitur, aliae vero duae manent.

4. Similiter, ad Col. 1, 16: *Omnia* [d] *per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant,* ubi ponitur haec praepositio '*ante*', sed praemittitur haec praepositio '*per*'. Quid ergo dicendum est de ordine istarum rationum et differentia praepositionum et quod ad Col. geminatur haec praepositio '*in*', aliae vero non geminantur?

5. Item, in libro [e] *De divinis nominibus*[2], dicitur quod « omnis status et motus est *ex ipso et per ipsum* et in ipsum et propter ipsum », et alia translatio[3] dicit: « Omnis statio et motus est ex quo [f] et in quo et [g] ad quod et cuius gratia », ubi ponit 'in quo' in [h] loco eius quod est 'per ipsum'. Item, alibi dicitur[4]: « *Ex ipso et per ipsum et in ipso* et in ipsum sunt omnia », ubi quatuor videntur designari rationes.

6. Praeterea, dicitur Rom. 11, 36, in Glossa[5]: « *Ex ipso* dicimus propter Patrem, *per ipsum* propter Filium, *in ipso* propter Spiritum Sanctum ». Quae ratio est [i] appropriandi ista tria iis tribus personis? Quare enim dicitur quod ex Patre sunt omnia potius quam de Patre, et quare potius ex Patre quam ex Filio vel [k] ex Spiritu Sancto? cum illud, quod convenit uni personae per effectum in creaturis, conveniat et [l] aliis.

[Solutio]: 1. Respondendum est quod, cum dicitur '*Ex ipso*', non notatur conditio causae materialis, sed notatur origo. Unde Augustinus[6] super illud: *Ex ipso* etc.: « In illa Trinitate summa origo est omnium et perfectissima pulcritudo et beatissima delectatio », ubi nomine originis vult appropriare 'quod est' Patri [m] ratione potentiae. Hoc autem quod dicitur '*in ipso*', non sumitur ratione continentiae quae refertur ad causam formalem exemplarem, sed ratione continentiae quae convenit bonitati, quae [n] appropriatur Spiritui Sancto, secundum quod dicitur Sap. 1, 7: *Hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Hoc autem quod dicitur '*per ipsum*' [o] appropriatur Filio, licet dicat [p] causam efficientem: est enim causa efficiens, quae habet ab alia persona quod sit efficiens, et [q] secundum hanc rationem dicitur de Filio: Filius enim habet a Patre quod sit efficiens; et quia per Verbum facta sunt quae facta sunt [r 7], ideo convenienter appropriatur personae Filii. Non tamen sic haec appropriantur [s] ut non sint communia omnibus[8]; unde Ambrosius, in libro *De Trinitate*[9]: « Illud vigilanter attende ne [t] sic intelligas omnia esse ex Patre, ut neges esse ex Filio vel Spiritu Sancto, cum ex Patre et per Patrem et in Patre omnia sane dici possint; similiter et de Filio et de Spiritu Sancto dici potest ».

2. Ad id vero quod obicitur secundo, dicendum est quod haec praepositio '*per*', licet dicat causam efficientem ut frequenter, non tamen semper, sed designatur ratio exemplaris, per quam et secundum quam res fiunt. Aliter tamen exponit Origenes, *Super* [u] *Epistolam ad Rom.*[10]: « Quod dicit '*ex ipso*', hoc ipsum quod sumus indicat; quod '*per ipsum*', per eius providentiam dispensamur in vita; quod autem dicitur [v] '*in ipso*', perfectio omnium et finis designatur ».

3. Ad id [x] vero quod obicitur de hoc quod aliae differentiae notantur Eph. 4, 6: dicendum est [y] quod hoc est secundum aliam appropriationem factam Patri, sicut ibi tangit Glossa[11]: « *Super* enim [z] dicitur Pater, quia non habet aliunde

---

[a] TC *creantis.* [b] V *causa.* [c] LC *post.* [d] T *opera.* [e] T om. *i. l.* [f] RZ add. *est.* [g] T om. [h] T om. [i] V om. [k] T *et.* [l] L *in.* [m] Codd. *Patris.* [n] T *et.* [o] T *spiritum.* [p] C add. *secundum.* [q] S om. [r] VSLC om.; T om. *facta sunt;* VRLC om. [s] T *appropriatur.* [t] VS *nec,* T *non;* Z *attendas* pro *attende.* [u] Ita Z, C add. *Augustinus,* alii add. *in parte,* [v] T om. [x] R *hoc.* [y] VZ om. [z] V *numeros,* LC *ti;* VST om. *Pater;* VT *quod* pro *quia.*

1 Cap. 55, n. 113 (PL 34, 172).
2 Cap. 4, § 10 (PG 3, 706, PL 122, 1134).
3 Scil. Ioannis Sarraceni; cfr. loc. cit. (Dionys. Carthus., *Opera omnia,* Tornaci 1902, XVI, 365).
4 Loc. cit. Cfr. Rom. 11, 36.
5 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1493), ex Augustino, *De Trinit.,* I, c. 6, n. 12 (PL 42, 827).
6 *De Trinit.,* VI, c. 10 (PL 42, 932).
7 Cf. Ioan. 1, 3.
8 Cf Alex. Hal., *Summa theol.,* I, n. 461.
9 Potius Lombard., I *Sent.,* d. 36, c. 4 (p. 228), ubi ante haec verba citatur Augustinus, non Ambrosius.
10 Lib. VIII, ad finem (PG 14, 1202).
11 Cf. Lombardi, in h. l. (PL 192, 198).

quod omnes creaturas excellit ». Unde ratione excellentiae, quae convenit ratione originis, dicitur Pater esse *super omnes;* « Filius vero, *per quem,* quia per ipsum fit [a] reparatio; Spiritus vero Sanctus est cui attribuitur esse *in omnibus nobis* per gratiam, in aliis vero creaturis per essentiam ».

4. Ad id vero quod dicitur ' de [b] differentia posita ad Col. 1, 16, ubi primo dicitur: *Omnia per ipsum creata sunt et in ipso* ' etc.: dicendum quod ' *per* ' ibi notat efficientiam quae est aliunde, quae appropriatur Filio. ' *In ipso* ' vero notat immensitatem ipsius; unde dicit Glossa [1]: « Eum non excedunt, quia immensus est », ut non notetur [c] Filius ex tempore, sed ante omnem creaturam. Per immensitatem dicitur etiam [d] esse *ante omnes,* ut ostendatur excellentia eius in dignitate super creaturas. Haec omnia ergo [e] attribuuntur Filio, sed diversis rationibus, ut notetur causalitas secundum substantiam, immensitas secundum continentiam virtutis, excellentia vero ratione dignitatis. Quod autem sequitur ' *et* [f] *omnia in ipso constant* ' refertur ad conservationem bonitatis.

5. Ad id vero quod dicit Dionysius, in libro *De divinis nominibus,* ubi ponuntur quatuor, *ex ipso et per ipsum* etc.: dicendum est quod prima ratio, designata per hanc praepositionem ' *ex* ', attribuitur Patri ratione originis, quae est potentiae; ' *per ipsum* ', ipsi Filio ratione sapientiae; ' in ipsum ' vero et ' propter [g] ipsum ', Spiritui Sancto ratione bonitatis, quae duplicem habet proprietatem, scilicet quod terminat et finit. Et hoc patet per hoc quod in alia translatione dicitur ' ex quo ', quod pertinet ad originem, ' in quo ', quod pertinet ad formam exemplarem sapientiae, ' ad quod ', quod ad rationem termini, ' cuius gratia ', quod ad rationem finis: et haec duo complectitur bonitas. Et similiter potest exponi illud quod ibidem dicitur: « *ex ipso et per ipsum et in ipso* et in ipsum », ut ' in ipso et in ipsum ' ad bonitatem terminantem et finientem referantur, reliqua vero approprientur, sicut dictum est [2].

6. Ad illud vero quod ultimo obicitur de appropriatione facta, ad Rom. 11, 36: dicendum est quod aliud in Scriptura sonat ' esse *ex ipso* ' et aliud ' esse de ipso ': nam ' ex ipso ' dicuntur esse creaturae, non autem ' de ipso '; hoc tamen quod dicitur ' *ex ipso* ' commune est; unde Glossa [3]: « Quod de ipso est, potest dici esse [h] ex ipso; non autem omne, quod est ex ipso, est de ipso, quia non est de substantia sua: ex ipso enim sunt caelum et terra, quia fecit ea, non autem de ipso, quia non [i] de substantia sua ».

MEMBRUM II.

De ipsa actione qua causa est in actu suo primo.

Consequenter dicendum est de ipsa actione secundum quod [k] dicitur causa esse in suo actu primo. Est autem illa actio creatio. Circa vero creationem quaeruntur haec:

Primo, utrum creare sit facere;

secundo, utrum sit primus actus actuum divinorum;

tertio, utrum sit idem quod essentia divina;

quarto, utrum creare sit proprium Dei;

quinto, utrum sit in tempore vel cum tempore vel ante tempus;

sexto, an philosophi pervenerint ad notitiam creationis.

21

CAPUT I.

UTRUM CREARE SIT FACERE [4].

Ad primum sic obicitur: *a.* Ea quae dicuntur de Deo, secundum modum alicuius praedicamenti dicuntur; cum ergo creare dicatur de eo [l], secundum modum alicuius praedicamenti dicetur; nonnisi secundum rationem actionis; ergo creatio est actio et creare est agere.

b. Item, Augustinus, in libro *De civitate Dei* [5], exponens illud quod dicitur [6]: *In principio* [m]

---

[a] LT *sit.* [b] T om. [c] C *notatur.* [d] RZ om. [e] R om. [f] Z *etenim,* VT add. *non,* S add. *quod.* [g] LC *per.* [h] R om. T add. *est.* [i] TR *quam.* [l] VR (corr.) *Deo.* [m] C *principiis.*

1 Lombardi, in h. l. (PL 192, 263).
2 Cf. supra, p. 31b, *ad 3.*
3 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1493).
4 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 1, cc. 2 et 3 (p. 307sq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, a. 3, q. 1 (II, 30sqq.).
5 Lib. XI, c. 32 (PL 41, 345).
6 Gen. 1, 1.

creavit Deus caelum et terram, « hoc est vel quia primo fecit vel quia in Verbo unigenito fecit ». Ergo creare est facere.

c. Praeterea, dicitur in Psalmo [1]: *Qui fecit caelum et terram, mare et omnia* etc. Ibi Glossa [2]: « *Omnia* dicit ne quem alium putes Creatorem ». Ergo creare est facere.

Contra: 1. In Isai. 45,7, dicitur: *Ego Dominus formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum.* Quod exponens Augustinus, in libro *De moribus Manichaeorum* [3], propter hoc quod in quadam translatione [4] ita invenitur: '*Ego facio bona et condo mala*': « Facere est omnino quod non erat, condere autem sive creare est ordinare quod illud, quod utcumque [a] iam erat, melius sit ».

2. Item, in libro *Contra adversarium Legis et* [b] *Prophetarum* [5]: « Facere est quod omnino non erat, creare vero ex eo quod iam erat ordinando aliquid constituere. Ideoque hoc loco dictus est Deus *creans* [c] *mala,* quoniam peccantibus ea convertit in malum quae bonitatis eius largitate facta sunt bona [d] ».

3. Ɛ contrario videtur designari per hoc quod dicitur in principio Geneseos, ubi primo dicitur [6]: *In principio creavit Deus caelum et terram;* et post sequitur [7]: *Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux,* et ita [e] de aliis. Ergo creare ante facere: ex quo designatur quod creare ex nihilo, facere ex aliquo. Similiter super illud in [f] Cantico Deuter. [8]: *Qui possedit et fecit et creavit,* Glossa [9]: « Praeposterus ordo: primo enim creavit Deus disponendo ut esset, secundo fecit informando, tertio possedit dominando ». Item, alia Glossa [10]: « *Creavit,* dum materiam, unde formari posset, condidit; *fecit,* cum ad imaginem formavit; *possedit,* cum per fidem sibi vindicavit ». Ergo prius est naturaliter creare quam facere. Sed quid est quod dicitur in Psalmo [11]: *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt?* ubi [g] dicit quaedam Glossa [12]: « *Dixit, et facta sunt,* praemittendo 'esse factum' ei quod est 'esse creatum' ».

[Solutio]: Ad quod respondendum est quod creare dicitur multipliciter. Proprie enim dicitur ex nihilo facere; sed sicut 'esse ex nihilo' dicitur differenter, ita et 'creare' dicitur differenter. Uno enim modo dicitur 'creare' omnino de nihilo facere, et secundum hoc dicitur: *In principio creavit Deus caelum et terram* [h]. Alio vero modo dicitur de nihilo facere, cum recreat: hoc enim est de non-esse culpae reducere ad esse gratiae, et secundum hoc potest illud dici quod dicitur in illo Psalmo [13]: *Exultate, iusti, in Domino,* in illo versu: *Dixit, et facta sunt;* dicuntur enim ibi creata quae per gratiam sunt recreata [14]. Tertio vero modo dicitur creare, cum illud quod deficit in bonum convertitur, et hoc est malum ad bonum ordinare, et sic accipitur, cum dicitur: *Ego Dominus faciens bonum et creans malum;* mala enim in bonum convertit. 'Nihilum' ergo dicitur tripliciter: vel quod omnino nihil est vel quod nihil est ratione culpae vel quod nihil est ratione poenae.

[Ad obiecta]: 1-3. Et per hoc solvi possunt ea quae obiecta sunt secundum diversas acceptiones eius quod est 'creare'.

CAPUT II. 22

UTRUM CREARE SIT PRIMUS ACTUUM DIVINORUM [15].

Deinde procedendum est et primo obicitur quod non est creatio prima actio: 1. Nobilior enim est actio quae habet bonum in principio et bonum in termino quam quae habet tantum bonum in termino [i]; sed creatio habet bonum in termino, non in eo ex quo, aliae vero actiones habent bonum utrobique; ergo aliae actiones sunt nobiliores.

2. Item, creatio, secundum quod dicitur [16]: *In principio creavit Deus* etc. [k], terminatur ad informe. Unde Augustinus, in XII *Confessionum* [17]: « Informis illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est caelum et terra, cum dictum est: *In principio creavit Deus caelum et* [l] *terram,* non quia hoc [m] iam erat, sed quia esse poterat [n]; nam

---

[a] T *utique.* [b] T om. [c] V *credens.* [d] R *facta.* [e] Z *sic.* [f] V om. [g] Z *unde.* [h] C *etc.* pro *D. c. e. t.* [i] L om. *quam... termino.* [k] Z *celum et terram.* [l] C om. [m] R *hec.* [n] Ita LC (corr.), alii *poterant.*

1 Psalm. 145, 6.
2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1271).
3 Lib. II, c. 7, n. 9 (PL 32, 1349).
4 Augustin., loc. cit.: « in plerisque exemplaribus ».
5 Lib. I, c. 23, n. 48 (PL 42, 633).
6 Gen. 1, 1.
7 Gen. 1, 3.
8 Deuter. 32, 6.
9 *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 488).
10 *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 488).
11 Psalm. 32, 9.
12 Lombardi, in h. l. (PL 191, 331).
13 Psalm. 32, 1 et 9.
14 Cf. *Glossa ordin.,* in h. l. (PL 113, 889).
15 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, a. 3, q. 2 (II, 33 sqq.); et d. 1, p. 1, a. 1, q. 1, *ad 6* (II, 18).
16 Gen. 1, 1.
17 Rectius *De Gen. c. Manich.,* I, c. 7, n. 11 (PL 34, 178); cf. *Confess.,* XII, cc. 6-8 (PL 32, 827sqq.).

postea[1] scribitur caelum factum ». Sed 'facere' terminatur ad id quod habet speciem; ergo dignior est actio quae nomine eius quod est 'fieri' designatur.

Contra: *a.* Nobilior est actio qua datur esse in quantum huiusmodi quam qua proximo datur aliqua additio super esse: omnis enim prima causa et universalis plus influit super causatum [a] quam causa secunda[2]; sed a causa prima influit esse eis; ergo nobilior est actio; sed illa est creatio; ergo creatio est nobilior [b] aliis actionibus.

b. Item, actio, quae procedit ex [c] uno sibi sufficienti, est dignior actione quae quaerit necessario multa; sed aliae actiones exigunt necessario [d] multa, creatio vero ex uno [e] est; ergo creatio dignior est.

Respondendum est quod [f] creatio dignior est aliis actionibus propter simplicitatem ex parte actionis et principii.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum in contrarium dicendum [g] quod creatio, licet non habeat in utroque suo termino ens sive bonum, non propter hoc est minus nobilis, sed eo nobilior, quia non quaerit sibi subiectam materiam [h]: non enim ex parte sui principii habet imperfectionem, sed principium ex supereffluentia alia producit ex nihilo. Est tamen distinguendum quod sumpta actione quodam generali modo, si licet dicere, nobilior est aliqua actio quae est de existenti quam illa [i] quae est de nihilo; sed illud existens est ante nihil sive non-aliquid; unde dicendo [k] quod spirare vel generare est [l] agere — ut non otiosa dicatur Dei bonitas ab aeterno, sicut philosophi vel haeretici obiciunt[3] — erit actio sic dicta nobilior creatione. Si vero [m] accipiatur actio de praeexistenti quod fit [n] ex nihilo, erit creatio nobilior actio illis actionibus consequentibus; generatio ergo [o] aeterna nobilior est, agens vero de praeexistenti materia minus nobile.

2. Ad id vero quod obicitur quod 'actio dignior est cuius [p] terminus est dignior, et ita facere dignius quam creare': dicendum est quod licet 'creare' respiciat materiam informem, nihilominus tamen et ea quae formata sunt et formae eorum creatae sunt. Unde Augustinus, in libro *De Symbolo*[4]: « Rectissime creditur Deum omnia de nihilo fecisse, ut ordinatissimo Dei munere prima capacitas formarum fieret, ac deinde [q] omnia quae formantur ». Item, *Super Genesim ad litteram*[5]: « Non temporali, sed causali ordine prius facta est informis formabilisque materies et spiritualis et corporalis, nec instituta est nisi ab illo summo Deo, ex quo sunt », secundum illud Eccli. 18, 1: *Qui vivit in* [r] *aeternum, creavit omnia simul.*

23 CAPUT III.

UTRUM CREARE SIT IDEM QUOD ESSENTIA DIVINA.

Ad tertiam vero quaestionem qua quaeritur utrum creatio sit ipse Deus sive divina essentia, sic est procedendum:

Quod non sit, videtur: 1. Creatio enim non fuit ab aeterno sive aeterna: creatio enim est, cum creatum est; sed divina essentia est aeterna; ergo non sunt eiusdem essentiae; non ergo hoc praedicabitur de essentia illius vel est essentia illius.

2. Item, creatio multiplicitatem quamdam in effectibus recipit, cum dicitur huius vel illius, divina vero essentia nullatenus recipit [s] multiplicitatem; ergo non est essentia huius essentia illius.

Contra: *a.* Omnimoda simplicitas est in Deo[6]; ergo sua actio est sua potentia et sua essentia[7]: haec enim omnia [t] secundum substantiam dicuntur; ergo creatio, cum sit actio divina, erit ipsa divina essentia.

b. Item, in simplici non differt 'quod est' [u] et 'quo est'[8]; sed quod creat, creatione creat; ergo non differt in Deo quod creat et quo creat; sed divina substantia sive essentia est quae creat; ergo est ipsa creatio. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum vero in contrarium respondendum quod, licet creatio dicat non-aeternum ratione eius quod est ex nihilo vel ratione acti, nihilominus tamen 'aeternum' potest dici de ea ratione ipsius essentiae creantis, et ipsa

---

[a] R *creatum.* [b] T add. *in;* S om. *creatio est,* quod in L est add. mg. [c] T *ab.* [d] L om. *aliae* et *necessario.* [e] Z *una.* [f] L om. [g] Ita V, alii *Ad obiectum vero in contrarium dicendum est* pro *Ad ... dicendum.* [h] L *naturam.* [i] T om. [k] Z *dicendum,* V *addendo.* [l] T *et.* [m] L *ergo.* [n] VST *fuit,* L add. interl. *enim;* VST *est* pro *erit.* [o] Z *vero.* [p] S *eius.* [q] L (corr.) *demum.* [r] L om. [s] L *recipiet.* [t] L (corr.) *omnino.* [u] STLC om.

[1] Gen. 1, 6-8.
[2] Cf. *Liber de causis,* § 1 (p. 163).
[3] Cf. Gennad., *De eccles. dogmat.,* c. 10 (PL 58, 983); Augustin., *De civit. Dei,* XII, c. 17, n. 1 (PL 41, 366); *Confess.,* VII, c. 9 (PL 32, 740).
[4] *De fide et Symbolo,* c. 2 (PL 40, 183).
[5] Lib. V, c. 5, n. 13 (PL 34, 326).
[6] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I. num. 31.
[7] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, a. 3, q. 2 (II, 34a).
[8] Cf. Boeth., *De Trinit.,* c. 2 (PL 64, 1250).

potest dici de aeterno: connotatur enim effectus temporalis, sed supponitur actio quae in Deo idem est[a] quod Deus.

2. Ad secundo obiectum dicendum est[b] quod, licet creatio multiplicitatem quamdam habeat ex[c] parte effectuum, non tamen dicitur divina essentia multiplex, quae eadem est secundum rem: non enim dicit respectum aliquem ad creaturam. Et ne crederetur multiplicitas aliquo modo esse in essentia divina, non dicitur creatio-actio multiplex. Et licet 'non-aeternum' dicatur de aeterno, cum dicitur 'divina essentia creat', non tamen dicitur divina essentia variabilis eo quod nunc creat, nunc non creat: 'creare' enim[d] non dicitur aeternum ex parte qua respicit[e] creatum, sed ex parte qua respicit[f] divinam essentiam. Et ita, licet creatum dicatur mutabile, quod est unum extremum in ratione dicendi, non propter hoc[g] divina essentia est mutabilis, quae est alterum extremum, ex qua parte non est mutabilitas.

CAPUT IV. 24

UTRUM CREARE SIT PROPRIUM DEI.

Deinde sequitur quartum membrum an sit proprium solius Dei [1].

Ad quod sic obicitur: 1. Triplex est potentia: volendi omne bonum, sciendi omne verum[h], faciendi de nihilo; sed duplicem potentiam contulit et conferre potuit alicui creaturae; ergo et tertiam potentiam similiter potuit conferre alicui creaturae.

2. Item, maius vel aequale est dimittere peccata et[i] creare caelum et terram; sed potentiam dimittendi potest conferre ministris Ecclesiae et contulit Christo homini [2]; ergo et[k] potentiam creandi potuit conferre.

3. Item, divina essentia est tam foecundae bonitatis, ut omne bonum in genere vel in specie, quod non repugnat creaturae, contulit alicui creaturae. Aut ergo potentia creandi repugnat[l] aut non repugnat. Si non repugnat, contulit; si vero[m] repugnat, in quo est illa repugnantia? nullum enim genus oppositionis videtur importare.

Contra: *a.* Super illud in Psalmo [3]: *Ipse mandavit, et creata sunt,* Glossa [4]: « Facere nos possumus, sed non creare, quod[n] proprie est de nihilo aliquid[o] facere; ipse ergo solus creat, quod proprium est deitatis[p] ».

b. Item, actio procedens a substantia non est nobilior ipsa substantia; sed res, procedens ex nihilo, minus nobilis est quam actio secundum quam procedit res ex nihilo; sed creatio est huiusmodi actio [5]; ergo, cum sit nobilior, non procedit ab aliqua re creata tamquam a principio; ergo et[q] potentia creandi, cum sit prior ipsa actione, disconvenit a substantia creata[r]; non ergo erit aliqua creatura habens potentiam creandi ex natura creaturae: quod enim Christus habuit potentiam creandi, hoc fuit ratione divinae naturae.

[Solutio]: Quod concedendum est[s]. Unde Augustinus, in libro *De Trinitate* [6]: « Sicut nec parentes dicimus[t] creatores hominum nec agricolas creatores frugum, quamvis eorum extrinsecus adhibitis motibus Dei virtus ista creanda interius operetur, ita non solum malos, sed nec[u] bonos angelos fas est putare creatores ». Eadem sententia habetur *Super Genesim ad litteram* [7].

[Ad obiecta]: 1. Ad primo[v] obiectum in contrarium dicendum est quod non est simile de potentia creandi et de potentia sciendi vel volendi: hae enim potentiae non repugnant creaturae intellectuali, sed sunt ad perfectionem eius, potentia vero creandi repugnat, cum sit nobilior substantia creata. — Et si obiciatur de potentia Dei utrum possit dare: dicendum est quod sicut posse Dei non est ad faciendum meliorem se, ita nec ad faciendum creaturam[x] parem sibi nec ad dandum proprietatem suam, utpote quod creatura sit ubique, quod est proprium Dei [8]: sic nec quod potentia creandi res sit creaturae. Si[y] etiam potentia creandi omnia, quae est Dei, attribueretur creaturae, haberet potentiam creandi se, et ita esset[z] causa sui ipsius. Habet tamen aliqua creatura potentiam sciendi omnia, ut anima Christi; non ergo simile est de potentia et scientia. —

---

[a] L om. [b] Z om. [c] V *in*, Z *a*. [d] V *cum*. [e] T *recipit*. [f] T *rescipit*, S om. *creatum... respicit*. [g] T om. [h] L *unum*. [i] T *quam*. [k] RLCZ om. [l] R add. mg. *creature*. [m] VT *contulit sive* pro *r. c. s. v.* [n] R add. *quidem*, L *quippe* pro *proprie*. [o] VST *quid*. [p] T *divinitatis*. [q] Ita ST, alii *ex*. [r] RL *creatura*. [s] V om. [t] S *eius*. [u] Codd. *etiam*. [v] Ita V, alii om. [x] L om. [y] V *sed*. [z] SL *esse*, T *est*, quod R corr.

[1] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 139; S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 2, q. 2 (II, 28 sqq.).
[2] Cf. Matth. 9, 6. [3] Psalm. 32, 9.
[4] *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 1076), et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1285).
[5] Cf. supra, num. 22.
[6] Lib. III, c. 8, n. 13 (PL 42, 876).
[7] Cf. lib. V, c. 4, n. 11 et IX, c. 15 nn. 26-28 (PL 34, 325 et 403 sq.).
[8] Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 44.

Et si dicatur: numquid est Deus impotens? – respondendum est quod non [a]: posse enim quod non decet non est posse [1].

2. Ad id vero quod obicitur de potentia dimittendi peccata, quae est aequalis vel maior quam creare: respondendum est [b] quod est duplex potentia dimittendi. Est enim potentia delendi ipsam culpam: et haec est propria Dei; unde Isai. 43, 25: *Ego, ego* [c] *sum qui deleo* [d] *iniquitates propter me.* Est potentia dimittendi peccatum ratione poenae: et hanc potuit concedere creaturae et [e] concessit Christo homini. Iudaei ergo, quia non crediderunt ipsum esse Christum, dicebant ipsum blasphemare, cum dicebat, Matth. 9, 2: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua;* respondit autem Christus [2]: *Ut* [f] *sciatis autem, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge* etc.; et post sequitur [3]: *Et glorificaverunt Deum, qui dedit talem potestatem hominibus.* Ubi dicit Hieronymus [4]: « Nescientes verum dicebant quia nullus *potest dimittere* [g] *peccata nisi Deus* [5], quia per eos dimittit quibus dimittendi tribuit potestatem ».

3. Ad tertio obiectum dicendum est [h] quod ex foecunditate bonitatis divinae est dare alicui creaturae secundum suam virtutem scilicet creaturae. Sed potentia creandi, sicut dictum est [6], non convenit virtuti creaturae, immo repugnat; unde non decuit divinam bonitatem eam creaturae conferre [i] ut esset ex virtute creaturae. Quod enim dicitur de Christo [7]: « Puer ille creavit stellas », ratione personae divinae attribuitur, quae communis erat divinae naturae et humanae.

25 CAPUT V.

UTRUM CREARE SIT IN TEMPORE VEL CUM TEMPORE VEL ANTE TEMPUS.

Consequenter procedendum est ad quinto quaesitum, quod [k] est de creatione-actione, utrum sit ex tempore vel cum tempore vel ante tempus [8].

Ad quod sic: 1. Creatio-actio, in quantum creatio, non est aeterna; sed quod non est aeternum non commetitur se aeternitati; sed [l] commetitur se; ergo tempori, et sumamus tempus large ad aevum [9]; ergo creatio fuit cum tempore.

2. Item, cum Deus creat [m] hanc animam, creatio est in hoc 'nunc'; sed ante hoc 'nunc' [n] fuit aliud 'nunc temporis'; sed omne quod est in 'nunc' temporis, quod habet aliud 'nunc temporis' ante se, est in tempore.

3. Item, quod exit in esse, cum prius non fuerit, est cum tempore; sed creatio exit in esse, cum prius non fuerit [o]; ergo est in tempore vel [p] cum tempore.

Contra: *a.* Quod est principium temporis non est in tempore nec [q] cum tempore proprie; sed creatio est principium temporis; ergo non est in tempore vel cum tempore proprie: principium enim non parificatur ei cuius est principium; sed quod est cum alio, in quantum huiusmodi, associatur ei; ergo creatio non erit cum tempore, sed ante tempus [r].

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum per hoc quod dicit Augustinus, in XII *De civitate Dei* [9]: « Ego, sicut Dominum Deum aliquando Dominum non fuisse dicere non audeo, sed semper fuit Dominus: erat quippe ante illam, scilicet creaturam, quamvis nullo tempore sine illa », sic creatio-actio non est sine tempore — et comprehendo sub tempore 'nunc' [s], quod est principium temporis — non tamen est in tempore, cum sit actio Dei prima in creaturam; nec cum tempore proprie dicitur, quia [t] non ei associatur vel parificatur; sed non sine tempore, id est sine 'nunc temporis'; ante vero dicitur esse ratione causalitatis.

2. Ad id autem quod obicitur de creatione huius animae: respondendum est quod [u] creatio-actio, quae Dei est et Deus est, nec est in 'nunc temporis' nec [v] post 'nunc' quoad hoc, sed quoad terminum temporalem, quem respicit, est post [x] 'nunc temporis', non quod causam habeat tempus, sicut est de rebus, quae creantur mediante primo motu.

---

[a] Z add. poster. *est.* [b] V om. [c] VTZ om. [d] C *doleo,* quod Z corr. [e] L *ut.* [f] V *utrum.* [g] Z *remittere.* [h] V om. [i] S om. *c. c.* [k] T *dicendum,* V add. *igitur.* [l] Ita VT, alii *et.* [m] T *dat.* [n] Z add. *non.* [o] VST om. *est... fuerit,* quod in C est add. mg. [p] S *et.* [q] V *vero.* [r] V om. *s. a. t.,* R add. *est.* [s] S *non.* [t] L *quod.* [u] VR (interl.) T *est.* [v] T *nisi.* [x] V *tempus* pro *e. p.;* T *qui* pro *quem.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 151.
2 Matth. 9, 6.
3 Matth. 9, 8.
4 Verbotenus ap. Raban., in h. l. (PL 107, 871), qui ante haec quaedam affert ex Hieronymo, in h. l. (PL 26, 55), ubi tamen noster textus non occurrit.
5 Cf. Marc. 2, 7.
6 Cf. supra, p. 35b, *ad 1.*
7 *Glossa ordin., In Matth.* 2, 2 (PL 114, 73).
8 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 105, sub *Respondeo;* S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, a. 1, q. 2, *ad 3* et *4,* atque ibid., dub. 4 (II, 23, 38).
9 Cap. 15, nn. 1 et 3 (PL 41, 363 et 365).

CAPUT VI. 26

UTRUM PHILOSOPHI PERVENERINT AD NOTITIAM CREATIONIS.

Sexto quaeritur utrum philosophi habuerunt posse ex ductu rationis ad cognitionem creationis [1].

Quod videtur: *a.* Per hoc quod dicitur Rom. 1,20: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius et divinitas.* Cum ergo divinitas et virtus divina cognosci poterant ductu rationis, multo fortius ipsa creatio, quae non est aeterna. Et dicit Glossa [2] quod per naturalem rationem et creaturae revelationem cognoverunt: revelationem autem dicit per opera creationis.

b. Quod etiam videtur per hoc quod philosophi posuerunt Creatorem esse, sicut dicit Avicenna, in sua *Prima Philosophia* [3]: « Si fuerit eius esse post non-esse absolute, tunc adventus eius a causa erit creatio, et hic est dignior omnibus modis dandi esse, quia privatio remota est omnino et inducitur esse. Sed si ponatur privatio taliter quod esse praecedat eam, tunc generatio erit [a] impossibilis nisi ex materia, et inductio esse, scilicet esse rei [b] ex re, quod est debile et futurum ». Item, dicitur in libro *De caelo et mundo* [4]: « Per hunc numerum adhibuimus nos ipsos magnificare Deum unum Creatorem eminentem proprietatibus eorum quae sunt creata », et loquitur ibi de ternario significante Trinitatem. Ex quo accipitur quod philosophi pervenerunt ad cognitionem Creatoris, in quantum est Creator.

Sed videtur [c] **contrarium** 1. per hoc quod in *Symbolo* [5] ponitur articulus: « Creatorem caeli et terrae »; sed ea quae fidei sunt, super [d] rationem sunt; non ergo ex ductu rationis est pervenire ad illud.

2. Item, ratio decurrit ab ente ad ens; qualiter ergo perveniret ad cognitionem creationis, secundum quod creatio est ex nihilo? ratio enim non potest quiescere in nihilo, quiesceret autem si [e] ultimo veniret ad creationem, quae est exitus in esse de [f] nihilo.

Respondendum [g] est quod est triplex cognitio: per inspirationem, per [h] Scripturarum declarationem, per [i] operum revelationem. Omnibus istis modis contingit venire in cognitionem creationis [k]. Per inspirationem fidei, cum fides ponat creationem; item per Scripturarum divinarum inspectionem, quae est ex Lege, Prophetis et [l] Evangelio; per operum revelationem: nam revelatio operum indicat omnipotentiam esse in Deo, omnipotentia vero ponit creationem, scilicet productionem de nihilo. Nam si non posset producere nisi ex aliquo, non esset omnipotentia, cum maior potentia [m] possit intelligi secundum veritatem, et ita [n] alia non esset omnipotentia. Praeterea, potentia alligata materiae non esset omnipotentia; creatio ergo est actus omnipotentiae. Quod autem quidam philosophi non pervenerunt ad cognitionem creationis, hoc est quia non ascenderunt ultra rationem materiae. Quod etiam pervenerunt tum ex Scripturis, tum ex operum considerationibus, patet per hoc quod dicitur in VII libro *Confessionum* [6], ubi dicitur: « Procurasti mihi per quemdam hominem [o] quosdam Platonicorum libros, ex graeca lingua in latinam versos, et ibi legi, non quidem iisdem verbis, sed haec omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod [7] *in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum,* usque ad illud [8]: *Et mundus eum non cognovit;* quod autem sequitur [9]: *In propria venit et sui eum non receperunt* etc., et iterum [10]: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,* non ibi legi ». Ex quo patet, quod [p] tum ex Scripturis, tum ex rationibus cognoverunt quod omnia per Verbum facta sunt, quod solo Verbo fecit omnia, et ita materiam; et non de se ipso; quare de nihilo.

---

[a] VT *est.* [b] Ita TR, V *res et,* alii *res.* [c] T add. *in.* [d] Z *supra.* [e] VT *etsi.* [f] V *esse in* pro *i. e. d.* [g] T *responsio,* Z om. *est.* [h] SCZ om. [i] Ita R, alii om. [k] VST add. *sed.* [l] SL *in.* [m] Z om. [n] LC *illa.* [o] T add. *per.* [p] Ita C, T om., alii *cum;* S *tamen* pro *tum.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, a. 1, q. 1, et ibid., dub. 2 (II, 16b, 17a, 37).
2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1326). Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 19b, *ad 2.*
3 *Metaph.,* tr. 6, c. 2 (f. 92a).
4 Lib. I, c. 1 (II, 367).
5 Symbol. Apostolorum.
6 Cap. 9, nn. 13 et 14 (PL 32, 740sq.).
7 Ioan. 1, 1.
8 Ioan. 1, 10.
9 Ioan. 1, 11.
10 Ioan. 1, 14.

SECTIO II. — De creatura secundum proprietates.

QUAESTIO I.

DE PROPRIETATIBUS CREATURAE RELICTIS EX RATIONIBUS CAUSARUM.

Transeundum est consequenter ad considerationem creaturae in fieri ratione proprietatum sive per se accidentium.

Quaeritur ergo de illis proprietatibus sive per se accidentibus quae relinquuntur ex rationibus causarum sive causae sub diversis rationibus, quae sunt: mensura, numerus et pondus, et cum hoc de vestigio;

deinde, de per se accidenti quod concomitatur ipsum fieri;

tertio, de per se accidenti sive proprietate quae est creati in quantum est ex nihilo.

MEMBRUM I.

De mensura, numero et pondere.

Primo ergo dicendum de iis tribus conditionibus quae sunt in comparatione ad causam.

Et primo quaerendum est quid iis rationibus designetur;

secundo, utrum conveniant creaturae universaliter;

tertio, utrum solum conveniant creaturae;

quarto, ex qua parte accipiantur;

quinto, quare tot sunt et non plures;

sexto, utrum creatura sine iis possit intelligi vel esse secundum quod est in fieri;

septimo, de differentia istarum dispositionum ad alias quae videntur convenire.

27

CAPUT I.

QUID IIS RATIONIBUS DESIGNETUR [1].

Circa primum sic est procedendum [a]: Dicit Augustinus, *Super Genesim* [2]: « Mensura est illud quo aliquid metimur, numerus vero quo numeramus, pondus [b] quo appendimus ». Super illud autem Sap. 11,21: *Omnia mensura* etc., Glossa [3]: « In mensura qualitas, in numero quantitas, in pondere ratio consideratur ».

Sed hae distinctiones non videntur inter se convenire: 1. Nam mensura in quantitatibus determinatur quemadmodum et numerus: mensura enim ad quantitatem continuam refertur sicut numerus ad discretam. — Item, sicut dicit Augustinus, *Super Genesim* [4]: « Numerus omni rei speciem praebet ». Ergo ex parte qualitatis videtur accipi; non ergo recte dicitur « in numero quantitas ».

2. Item, si mensura et numerus accipiuntur secundum quantitatem et qualitatem, penes quid accipietur pondus? cum non sint nisi tria, scilicet quantitas, qualitas, relatio; penes autem relationem non videtur accipi: pondus enim est quantitatis vel [c] qualitatis, ut secundum maiorem vel minorem quantitatem feratur deorsum, in quantum plus habet de materia, vel secundum qualitatem [d] gravitatis, quae est conditio materialis: et ita videntur secundum proprietatem omnia ad quantitatem referri, ut numerus ad discretam quantitatem, mensura ad continuam, pondus

---

[a] C *proceditur* pro *e. p.*, R om. *est.* [b] TZ *pondere*, quod LC corr. [c] L *et.* [d] VRLCZ *quantitatem.*

[1] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 111-114 et num. 192-194 cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, dub. 3 (I, 78 sq.).

[2] Lib. IV, c. 3, n. 7 (PL 34, 299).

[3] Rabani, in h. l. (PL 109, 723).

[4] Loc. cit.

vero ad motum, qui secundum Philosophum[1] inter continuas quantitates numeratur.

Sed obviat *a.* hoc quod dicit Augustinus, *Super Genesim*[2]: « Numerus omni rei speciem praebet, mensura modum praefigit, pondus vero in suo loco ordinat et quiescere facit »; sed ista tria, scilicet modus, species et ordo, non accipiuntur ex parte quantitatis, sed magis ex parte qualitatis.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod haec accipiuntur per quamdam similitudinem respectu eorum in quibus proprie haec dicuntur; haec autem proprie dicuntur in rebus corporalibus, per quamdam vero similitudinem transferuntur ad res spirituales. Unde Claudianus, in tractatu *De anima*[3]: « Mensura inest animae secundum suam capacitatem, numerus autem secundum virtutum numerositatem, pondus secundum appetitum in id in quod tendit: et anima rationalis tribus individuis, memoria, intellectu, voluntate, subsistit, quibus capax est numeri, mensurae, et ponderis ». Augustinus vero, *Super Genesim*[4], sic distinguit: « In animabus mensura est aliquid agendi ne sit irrevocabilis et immoderata progressio; numerus autem est affectionum et virtutum, quo a stultitiae deformitate ad sapientiae formam colligitur; pondus voluntatis et amoris, ubi appetit quid cui praeponatur ». Cum haec ergo non accipiantur hic[a] secundum proprietatem, sed secundum similitudinem, attendenda est ratio similitudinis, ut mensura dicatur dispositio secundum quam res est in se finita quoad esse et virtutem, numerus in quantum habet speciem et formam qua discernitur ab alia, pondus vero dispositio secundum quam ordinatur in finem.

[Ad obiecta]: 1. Ad id autem quod obicitur quod 'mensura attenditur in quantitate continua, quemadmodum numerus in discreta, et ita non « in mensura qualitas »; item[b] numerus praebet speciem rei, ergo ad qualitatem potius referri debet quam ad quantitatem': respondendum est quod mensura, ubi proprie accipitur, materialiter supponit quantitatem, sed formaliter supponit illud quod terminat quantitatem; hic autem accipitur formaliter, et ideo dicitur « in mensura qualitas »; sed non attendimus hic qualitatem secundum quod est unum genus eorum quae sunt, sed sicut qualitas dicitur finire sive terminare quantitatem, ita haec dispositio terminat vel finit rei essentiam aut virtutem, ut dicatur esse eius non[c] ulterius se extendens; et similiter virtus sive potentia rei. Numerus etiam[d] accipitur multipliciter; proprie enim[e] dicitur numerus quantitas discreta; item, dicitur numerus non illa quantitas quae habet partes in se divisas, sed ratio divisionis ab alio; unde unum numero dicitur quod est in se indivisum et ab alio divisum[5]: et hoc modo utuntur numeratores, qui volunt res ab invicem discernere. Ad similitudinem[f] primi modi accipit Rabanus, in Glossa, cum dicitur[g]: « In numero quantitas »; res enim, quae in specie constituitur habet plura ex quibus componitur: et iste est numerus essentialis, non accidentalis, sicut de una linea per divisionem fiunt duae. Secundum Augustinum vero accipitur secundo modo, in quantum numerus est[h] dispositio secundum quam res discernitur ab alia re. Unde numerus secundum etymologiam dicitur a 'nutus memeris'[i 6], quasi divisio sive discretio secundum significationem, et ideo dicit numerum omni[k] rei speciem praebere.

2. Ad id vero quod obicitur de pondere quod 'debeat accipi secundum quantitatem vel secundum qualitatem quae est gravitas': dicendum est[l] quod non accipitur hic proprie, sed communiter secundum quamdam similitudinem, ut sicut pondere fertur corpus ad suum locum, scilicet deorsum, ita dispositione illa, quae hic per pondus significatur, refertur sive ordinatur unaquaeque res ad suum finem.

Quod autem dicit Claudianus quod mensura in anima attenditur « secundum suam capacitatem », refertur ad hoc quod unaquaeque res creata habet quamdam extensionem virtutis terminatam, et ad hunc modum dicit ipse de anima. Quod autem dicit numerum « secundum virtutum numerositatem[m] » hoc refertur ad hoc quod dicit Augustinus quod numerus dicitur esse « affectionum et virtutum quo a stultitiae deformitate ad formam sapientiae colligitur »; unde attendit mensuram et numerum, non quantum ad esse ipsius animae in se, sed quantum ad esse eius virtuale. Unde numerum attendit ipse penes ea quae ordinantur[n] ad sapientiam, ut numerositas huiusmodi virtutum numerus dicatur, pondus vero ex parte motivae quae ordinatur ad bonitatem. Et hoc patet per hoc quod subiungit: quod « anima tribus subsistit, [memoria], intellectu sive consilio

---

[a] T om. [b] RSL *iterum.* [c] T *vel.* [d] VR *autem.* [e] R om. [f] V *a similitudine,* T *assimilitudine* pro *a. s.* [g] V *dicit.* [h] S om. [i] Ita R, V *a nutus et momeris,* S *annuis et emens,* T *a virtus et emens,* LCZ *amicus memeris* pro *a. n. m.* [k] ST *omnis.* [l] VZ om. [m] C *vilositatem.* [n] T *ordinatur.*

1 Aristot., *Phys.*, V, c. 4; *Metaph.*, XI, c. 6 (II, 313, 604).
2 Loc. cit.
3 *De statu animae*, II, cc. 5 et 6 (PL 53, 743-745).
4 Lib. IV, c. 4, n. 8 (PL 34, 299).
5 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 7; *Metaph.*, IX, c. 3 (II, 283, 576); Avicenna, *Metaph.*, tr. 3, cc. 2 et 3 (f. 78d sqq.).
6 De trita illa apud Scholasticos etymologia numeri, quae apud alios dicitur « virtus memeris, id est divisionis », cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 24, a. 2, q. 1 (I, 425, nota 3); Ios. Laurentii, *Amalthea onomastica*, Lugduni 1664, 410: « Memeris, meris, divisio, unde penthimemeris quinaria caesura est ».

et voluntate ». Nam secundum memoriam attenditur prima capacitas, secundum quod est vis contentiva specierum: de memoria enim antecedente intellectum et voluntatem loquitur; intellectus vero sive consilium ad rationem pertinet, quae suas virtutes colligit ad sapientiam; voluntas vero suo pondere spirituali inclinatur ad bonitatem. Nos autem [a] hic loquimur de iis tribus dispositionibus prout primo attenduntur [b] circa esse ipsius rei [c], deinde circa dispositiones consequentes esse.

28 CAPUT II.

UTRUM HAE RATIONES CONVENIANT OMNI CREATURAE UNIVERSALITER.

Quod autem consequenter quaesitum est utrum haec conveniant omni creaturae [1], sic terminatur:

1. Numerus non inest nisi rei numerabili; res autem numerabilis, quae numerum habet, habet et multitudinem; sed unaquaeque creatura in se considerata non ponit multitudinem; ergo nec ponit numerum. Quod si numerus extendatur ad hoc ut res, quae habet unitatem, dicatur habere numerum, omnis vero res creata habet unitatem per se ipsam — et hoc patet per hoc quod dicit Augustinus, in libro *De vera religione* [2]: « Omnis res, vel substantia vel si quo alio modo melius enuntiatur, simul habet haec tria, ut unum aliquid sit et specie propria discernatur ab aliis et rerum ordinem non excedat »; et ita unitas convenit omni rei creatae — si ergo propter hoc dicatur numerus esse dispositio in qua fit [d] res creata, hoc non videtur, quia prima conditio quae attribuitur, in libro *De vera religione,* omni rei, est unitas; secunda vero conditio, quae attribuitur ab Augustino, *Super Genesim* [3], est numerus; ergo numerus non respondet unitati. Quod etiam intelligitur ex hoc quod « numerus omni rei speciem praebet [4] »; ergo respondet speciei; sed species est secunda conditio, in libro *De vera religione,* qua scilicet res ab alia discernitur; ergo ei non respondet unitas. Cui ergo respondet unitas? Nam numero respondet species, ponderi vero ordo; ergo mensura unitati; sed ex qua ratione? cum unitas non videatur terminationem dicere.

2. Praeterea, cum magnitudo sit [e] infinitum divisione et multitudo infinitum appositione et [f] materia infinitum susceptione sive possibilitate, mensura autem non est ubi est infinitum; ergo non in omni re est mensura.

3. Item, pondus dicitur secundum similitudinem eius [g] quod habet gravitatem; ergo secundum similitudinem eius quod fertur deorsum; sed quaedam res naturaliter feruntur sursum vel [h] secundum similitudinem, ut leve fertur ad locum sursum, anima vero secundum voluntatem naturaliter fertur ad summum bonum; non ergo pondus est communis dispositio omnis creaturae.

4. Item, si sunt dispositiones omnis creaturae, cum ipsae sint creaturae, habebunt mensuram, numerum et pondus, cum haec non sint sine dispositione et sint de numero eorum quae fiunt.

5. Item, quare ponit Augustinus has dispositiones creaturae, ubi loquitur de fieri creaturae, cum scilicet loquitur de operibus sex dierum? Unde dicit [5]: « Nonne erant alicubi antequam crearetur universa creatura, an [i] etiam creata sunt? et si erant, antea ubi erant? Neque enim ante creaturam erat aliquis nisi Creator ». — Item, Augustinus, *De libero arbitrio* [6]: « Omnem rem, ubi numerum et mensuram et ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cuncteris [k] ». Ergo de re artificiata a summo Artifice loquitur, et ita de creatura.

6. Item, non videntur ista convenire omni creaturae. Dicit enim Ambrosius, in *Hexaëmeron* [7]: « Lucis natura est ut non in mensura, non in numero, non in pondere se habeat, ut alia creatura, sed omnis in conspectu eius gratia sit ». Cum ergo lux creatura sit, videtur quod non in omni creatura reperiantur illa tria.

Sed contra: *a.* Dicit Augustinus, in libro *De natura boni* [8]: « Ubi haec magna bona sunt, magnum bonum est et e converso, et ubi parva bona sunt, et illud parvum bonum est [l] et e converso »; sed lux est de magnis bonis; ergo multo magis debet habere ista bona.

[Solutio]: 1. Ad primum respondendum est quod numerus, sicut dictum est [9], convenit omni rei creatae, et accipitur numerus pro dispositione qua discernitur res a re alia; quae tamen dispositio, ubi simpliciter est, sicut in rebus compositis ex materia et forma vel 'quo est' et [m] 'quod est', habet intrinsecus numerum. Sed non accipitur hic

---

[a] S om. [b] VST *attenditur.* [c] V om. *t. r.* [d] VT *fuit,* quod S corr. [e] VT add. *in.* [f] T *ut.* [g] R *huius.* [h] S om. [i] T *ante;* S (corr. mg.) *increata* pro *etiam creata.* [k] S om. *et ordinem... cuncteris.* [l] T om. [m] L *vel.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 111 et 114.
2 Cap. 7, n. 13 (PL 34, 129).
3 Lib. IV, c. 4, n. 8 (PL 34, 299).
4 Augustin., *De Gen. ad litt.,* IV, c. 3, n. 7 (PL 34, 299).
5 *De Gen. ad litt.,* loc. cit.
6 Lib. II, c. 20, n. 54 (PL 32, 1270).
7 Lib. I, c. 9, n. 34 (PL 14, 143).
8 Cap. 3 (PL 42, 553).
9 Cf. supra, num. 27.

numerus pro multitudine aggregata [a] in unum, quemadmodum obiectum est. Nec haec dispositio 'numerus' idem dicit quod illa dispositio quae est unitas, in libro *De vera religione*, sed respondet illi dispositioni quae ibi species dicitur; unitas vero respondet illi dispositioni quae dicitur mensura. — Ad [b] obiectum autem in contrarium dicendum est [c] quod mensura, eo quod dicit esse in se finitum, respondet unitati, secundum quod 'unum' dicitur ens indistinctum et unitas indistinctio [d 1] esse in se ipso, ad ponendum differentiam respectu numeri aut speciei, ratione cuius fit [e] discretio ab alio.

3. Ad tertio obiectum de pondere quod 'non convenit omni creaturae': dicendum est [f] quod pondus, si accipiatur proprie vel secundum similitudinem respectu ponderis in gravibus, non extendit se ad omnem creaturam; sed si accipiatur secundum illam similitudinem, secundum quam est inclinatio [g] in finem, quemadmodum pondus est inclinatio [h] in terminum, secundum hoc omni convenit creaturae: omnis enim [i] creatura inclinationem habet aliquam ad finem [k] naturaliter.

2. Ad id vero quod obicitur de magnitudine, quae est infinitum [l] divisione, et ita de aliis: respondendum est quod sic dicendo infinitum, non tollitur [m] quin magnitudo vel multitudo sit finitum in esse et virtute, eo modo quo Primum dicitur [n] infinitum virtute et essentia, id est non habens finem: est enim sibi finis; nunquam enim est vere dicere quod in tantum extenditur et non plus potest extendi. — Ad id autem quod [o] obicitur de materia, similiter dicendum est quod non tollitur [p] per hoc quin materia habeat aliquo [q] modo mensuram [r], numerum et pondus. Unde Augustinus, *De libero arbitrio* [2]: « Si formae perfectio nonnullum bonum est, nonnullum bonum est formae inchoatio ». Et in libro *De vera religione* [3]: « Quod in comparatione perfectorum informe dicitur, si habet aliquid formae, quamvis exiguum, quamvis inchoatum, nondum est nihil, et ita ex Deo est »; quod autem ex Deo est, mensuram et [s] numerum et pondus habet.

4. Ad id vero quod obicitur quod 'mensura, numerus et pondus sunt creaturae, et ita habent mensuram, numerum et pondus', dupliciter potest responderi: quod de aliis creaturis intelligitur, vel istae res dispositae sunt in mensura et [t] numero et [u] pondere secundum quod Deo haec attribuuntur. Unde Augustinus, *Ad Orosium* [4]: « Numerus, pondus et mensura ipse Deus est; ipse est numerus sine numero, a quo est omnis numerus; ipse est mensura sine mensura, a quo est omnis mensura; ipse est pondus sine pondere, a quo est omne pondus; *omnia* ergo *in numero, pondere et mensura disposuit* [5], tamquam si diceret 'omnia in se disposuit' [v] ». Intelligitur et aliter '*omnia numero, pondere et mensura disposuit*', id est omnia, quae fecit, numerum, pondus et mensuram habent.

5. Ad aliud dicendum quod istae sunt dispositiones creaturae secundum quod est in fieri; nihilominus tamen extenduntur ad creaturam secundum quod est in esse. Unde super illud Sap. 11,21: *Omnia in numero, pondere et mensura disposuisti*, dicit Glossa [6] quod « in iis constituit Deus mundum et gubernat et iudicaturus est »; constitutio enim mundi pertinet ad fieri, gubernatio ad conservationem ipsius in esse.

6. Ad illud vero Ambrosii de luce, licet quidam velint exponere de luce spirituali, videtur secundum intentionem Ambrosii quod velit exponere de luce [x] corporali [7], quae est in mensura et [y] numero et pondere. Dicitur tamen esse sine iis respectu corporum quae recipiunt a luce: ipsa enim multiplicat se dando effectum aliis corporibus inferioribus, et ideo dicitur esse sine mensura et sine numero et pondere respectu effectuum qui procedunt ab [z] illa. Si enim maior esset capacitas mundi quam sit, ad maius se extenderet effectus eius et ad plura.

CAPUT III. 29

UTRUM HAE RATIONES CONVENIANT SOLUM CREATURAE.

Consequenter procedendum est ad tertio quaesitum utrum conveniant solum creaturae [8].

Quod videtur: 1. Quia quidquid est, aut est Creator aut creatura; Creator autem nec terminatur

---

[a] T *congregata*. [b] V add. *primo*. [c-c] V om. [d] Codd. *distinctum et unitas distinctio* pro *i. e. u. i.* [e] R *sit*. [f] V om. [g] S *in Deo*. [h] V om., S *a termino*, T *in termino*. [i] SRLC om., in Z est add. interlin. [k] C om. *a. f.* [l] S add. *de*. [m] V *intelligitur*, LCZ *tollit*. [n] R add. *esse*; V *qui* pro *quo*. [o] Ita V, alii *quod autem* pro *A. i. a. q.* [p] VRL *intelligitur*, quod Z corr. [q] ST *alio*. [r] Z add. *et*. [s] R om. [t] Z om. [u] Z om. [v] V om. *tamquam ... disposuit*. [x] L om. *spirituali... luce*. [y] RZ om. [z] S *ad*.

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 72.
2 Lib. II, c. 20 (PL 32, 1270).
3 Cap. 18, n. 35 (PL 34, 137).
4 *Dial. 65 quaest.*, q. 39 (inter opp. Augustini PL 40, 746).
5 Sap. 11, 21.
6 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
7 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 174, *ad 3*.
8 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 115.

nec formatur nec ordinatur ad aliud, sed alia ordinantur ad ipsum; ergo non ei ista conveniunt; ergo conveniunt [a] tantum creaturae.

Contra: *a.* Augustinus, *Ad Orosium* [1]: « Numerus et pondus et mensura Deus est ».

[Solutio]: Ad quod respondendum est, sicut ibidem dicitur et *Super Genesim* [2]: « Ipse est numerus sine numero, a quo est omnis numerus; ipse est mensura sine mensura, a quo est omnis mensura; ipse est pondus sine pondere, a quo est omne pondus ». Unde possunt haec sumi [b] vel formaliter vel effective. Si formaliter, prout mensuram dicitur habere quod mensuratur, et ita de aliis, conveniunt soli creaturae; si autem sumantur [c] effective, sic possunt convenire Creatori.

30

CAPUT IV.

EX QUA PARTE ACCIPIANTUR HAE RATIONES.

Ad illud quaesitum quo [d] quaerebatur ex qua parte acciperentur [e], sic obicitur:

1. Cum [f] accipiantur ut consequentia creaturam, in quantum est creatura — esse enim finitum est consequens creaturam in quantum huiusmodi, similiter esse speciosum et esse ordinatum: dico autem speciosum a specie, quae non est id cuius est species — ergo mensura, numerus et [g] pondus erunt per se accidentia creaturae in quantum huiusmodi [h] nec ad aliud praecedens referentur [i].

Contra: *a.* Istis respondent modus, species et ordo; sed ista tria [k] secundum rationes tres causae accipiuntur: modus enim ad causam efficientem, species ad formalem exemplarem, ordo ad finalem; ergo hae tres dispositiones ex parte rationum in causa accipiuntur. Unde Augustinus, in libro [l] *83 Quaestionum* [3]: « Universa creatura habet quo constat, quo discernitur, quo congruit. Causam ergo eius trinam esse oportet: qua sit, qua hoc sit [m], qua sibi amica sit [n]. Creaturae autem causam dicimus Deum. Oportet ergo esse Trinitatem qua nihil praestantius sive intelligentius sive beatius invenire perfecta ratio potest ». — Quod concedendum est [o].

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum vero in contrarium respondendum quod licet hae conditiones proprie conveniant creaturae, nihilominus tamen conveniunt ex quadam relatione ad rationes causae quae sunt in Creatore. Et est attendendum quod duplex est differentia conditionum in creatura. Est enim quaedam secundum conditiones aliquo modo similes in Creatore et creatura, utpote sunt unitas, veritas, bonitas. Sunt et aliae, quae sunt in creatura in relatione ad rationes quae sunt in Creatore, et istae non procedunt secundum [p] similitudinem quemadmodum et praedictae, et de talibus sunt mensura, numerus et pondus: licet enim aliquo modo conveniant Creatori prout est « mensura sine mensura » etc., hoc tamen est aequivoce.

31

CAPUT V.

QUARE SINT TOT PROPRIETATES ET NON PLURES.

Consequenter procedendum est ad quinto quaesitum, quo quaeritur quare sint tot proprietates et non plures.

Cum enim sit relatio ad essentiam divinam in quantum est causa, et sit [q] relatio ad ipsam rationem [r] causae, secundum autem relationem ad tres rationes accipiuntur hae tres proprietates: erit ergo quarta in relatione ad essentiam causae; sicut enim relucet vestigium Trinitatis in [s] creatura, ita relucet vestigium ipsius unitatis essentiae.

[Solutio]: Ad quod respondendum est quod sicut hae tres proprietates respondent tribus rationibus causae, ita esse causati [t] respondet esse causae; esse vero causati non connumeratur cum suis proprietatibus, propter quod non erit maior numerus proprietatum. Cum enim hae tres rationes causae [u] conveniant ipsi essentiae causae, materialis autem non conveniat, non erunt nisi tres proprietates respondentes tribus rationibus causae supra dictis.

---

[a] T om. *e. c.*, S *contrariunt*, item supra. [b] T *suum*. [c] T *sumatur*. [d] RLCZ *quod*. [e] Z *sumerentur*. [f] ST *quod*. [g] Z om. [h] Ita LC in mg., R *est creatura in se*, alii om. [i] VT *referuntur*. [k] T add. *et*. [l] T om. *i. l.* [m] C *fit*. [n] T add. *est*. [o] R om. [p] T *per*. [q] R *fit*. [r] Z *ratione*. [s] S om. [t] T *creati*, item infra. [u] R exp.

1 Cf. supra, p. 41, nota 4. 2 Cf. loc. cit. | 3 Quaest. 18 (PL 40, 15).

CAPUT VI. 32

UTRUM CREATURA SINE IIS INTELLIGI VEL ESSE POSSIT.

Deinde procedendum est ad sexto quaesitum, utrum creatura sine iis intelligatur aut esse possit.

Quod videtur: 1. Essentia enim rei intelligitur sine per se accidentibus; sed haec sunt per se accidentia; ergo sine eis essentia rei creatae intelligitur.

2. Quod etiam videtur, si nos consideremus ubi haec proprie accipiuntur. Essentia enim lapidis potest intelligi sine suo pondere et sine sua mensura et [a] sine specie accidentali: non enim hic accipitur species ipsa rei essentia; ergo sine iis potest essentia rei intelligi [b]; pari ratione ubi haec accipiuntur per similitudinem.

Contra: *a.* Non potest intelligi esse nisi finitum: infinitum enim per remotionem finis intelligitur; sed conditio mensurae ponit finitum; ergo sine mensura non potest intelligi.

b. Praeterea, res non intelligitur perfecte sine suis causis; sed hae proprietates dicunt rationem causati ad causam sub differenti ratione; ergo sine eis non potest perfecte intelligi, multo fortius nec esse.

Respondendum est quod est [c] duplex intelligere [d]: intelligere ipsam essentiam absolute, ut hominem quia homo est, et ita de aliis, et sic contingit intelligi sine iis conditionibus; est autem intelligere in comparatione ad causas extrinsecas, et secundum hoc relatione ad primam causam, quae est sub triplici ratione, non est intelligere esse causati sine iis. Unde Augustinus [e], XI libro *De civitate Dei* [1]: « A Deo est omnis modus [f], omnis species, omnis ordo, sine quibus nihil rerum inveniri vel cogitari potest ».

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur in contrarium quod 'sunt per se accidentia': respondendum est quod sunt quaedam proprietates consequentes esse omnino, quae non respiciunt causam ut dicant habitudinem causati ad causam, et sine talibus contingit intelligi utroque modo esse rei; huiusmodi [g] autem non sunt numerus, mensura et pondus; et licet non sint de esse rei, nihilominus tamen dicunt habitudinem ad causam, sine qua nec fit nec est res.

2. Ad secundo obiectum dicendum est quod non est simile de iis proprietatibus in rebus ubi proprie accipiuntur, et in rebus [h] in quibus accipiuntur secundum extensionem. In rebus enim ubi proprie accipiuntur, sunt per se accidentia consequentia esse et fieri rei totaliter; ubi vero [i] accipiuntur secundum extensionem, non sic, sed dicunt habitudinem ad rationes causae [k] secundum quas est fluxus in esse.

CAPUT VII. 33

DE DIFFERENTIA ISTARUM DISPOSITIONUM AD ALIAS [2].

Deinde procedendum est ad septimo quaesitum, scilicet de differentia istarum conditionum et aliarum quae attribuuntur rebus communiter, ut sunt modus, species et ordo, sicut dicit Augustinus, in libro *De natura boni* [3].

a. Cum enim sint diversae dispositiones, quae in ternario accipiuntur et non secundum eamdem rationem conveniunt — non enim [l] secundum eamdem rationem conveniunt [m] rei creatae mensura, numerus et pondus, et modus [n], species et ordo, et « quo constat, quo congruit, quo discernitur [4] », et iterum essentia, virtus et operatio — cum ergo haec insint creaturae et non secundum eamdem rationem, sed differentem, rationes autem in re sint ordinatae: erunt ergo istae rationes secundum prius et posterius in creatura.

[Solutio]: Quod concedendum est. Hae enim rationes, mensura, numerus et [o] pondus, accipiuntur primo in re creata secundum quod fit; hae autem rationes, modus, species et [p] ordo, accipiuntur in re [q] secundum quod est a Primo; hae autem, « quo constat [r] » etc., accipiuntur secundum quod regitur a Primo in esse; hae autem,

---

[a] T om. [b] V *intelligitur*, quod T corr. [c] T om. [d] S add. interl. *est enim*. [e] Z add. *in*. [f] Ita ST, alii *numerus*. [g] R repet. [h] S om. *ubi... rebus*. [i] Z *autem*. [k] S *in se*. [l] S *causa*. [m] V om. *non... conveniunt*. [n] Z add. *et*. [o] Ita VZ, alii om. [p] VST om. [q] T om. *i. r*. [r] S *constant*.

1 Cap. 15 (PL 41, 331).
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 128-131.
3 Cap. 3 (PL 42, 553).
4 Cf. supra, p. 42, nota 3.

essentia, virtus, et operatio, secundum quod habent rationem efficiendi a Primo, in quantum in eis operatur. Sic ergo possunt distingui secundum prius et posterius; nihilominus tamen in Scripturis accipiuntur quaedam pro quibusdam. Quantum autem [a] ad praesens primae sunt mensura, numerus et pondus. De modo autem [b], specie et [c] ordine diffusius dicetur, ubi agetur de peccato secundum quod est corruptio modi, speciei et ordinis, in Tractatu de peccato [1]; de essentia et virtute et operatione, propter hoc quod mentionem facit Dionysius [2], in Tractatu de angelis. Ordo autem istarum conditionum attenditur secundum hoc quod mensura refertur ad ipsum esse, quod terminatum est ex potentia, quae appropriatur Patri; numerus vero attenditur quantum ad discretionem sive distinctionem, quae appropriatur Filio propter notitiam; pondus vero attenditur quantum ad ordinem sive bonitatem, quae appropriatur Spiritui Sancto [3].

MEMBRUM II.

De vestigio.

Consequenter dicendum est de vestigio, quod similiter refertur ad rationem causae: dicitur enim creatura vestigium ipsius Creatoris. Circa quod quaerendum est primo, utrum dicatur multipliciter aut univoce de omnibus, de quibus dicitur. Dicuntur enim creaturae vestigia, sicut dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [4]: « Oportet ut [d] Creatorem *per ea, quae facta sunt,* intellectu conspicientes [5], Trinitatem intelligamus, cuius in creatura apparet vestigium ». Dicuntur etiam opera redemptionis; unde Gregorius [6], super illud Iob 11,7: *Forsitan Dei vestigia comprehendes* [e]*:* « Vestigia Dei sunt benignitas visitationis, qua viam nobis ostendit ». Dicuntur etiam vestigia opera Christi, Iob 23,11*: Vestigia eius secutus est pes meus.* Dicuntur etiam vestigia effectus divinorum iudiciorum, Eccli. 42,19: *Revelans vestigia occultorum,* vel dicuntur ibi '*occulta*' quae sunt in cogitatione humana [7]. Quaeritur ergo:

Primo [f], utrum vestigium dicatur uno modo de omnibus iis vel differenter;

secundo, quid dicatur vestigium secundum quod convenit creaturis;

tertio, utrum conveniat omnibus creaturis;

quarto, utrum conveniat secundum magis et minus;

quinto, utrum dicatur vestigium Trinitatis proprie aut unitatis essentiae utriusque;

sexto, utrum possit tolli ratio vestigii a creatura;

septimo, utrum per vestigium sit manuductio ad causam, cuius est vestigium, aut abductio [g].

34

CAPUT I.

UTRUM VESTIGIUM DICATUR UNO MODO VEL DIFFERENTER [8].

Ad primum sic obicitur quod multipliciter dicatur: 1. Opus enim dicitur multipliciter de ipso opere operante et de re operata; ergo, cum opus dicatur vestigium, vestigium [h] dicetur multipliciter de ipsis actionibus et de rebus quae aguntur, cum de utrisque dicatur, sicut patet ex praemissis.

2. Praeterea, secundum quod vestigia dicuntur opera Christi, non faciunt oberrare [i], secundum quod vestigia dicuntur creaturae, dant occasionem oberrandi. Unde Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [9]: « Vae qui derelinquunt [k] te ducem et lucem [l] et oberrant in vestigiis tuis qui nutus tuos pro te amant et obliviscuntur quid innuas! »

Contra: *a.* In omnibus iis notatur impressio effectus a causa, qui quodammodo assimilatur ei, sicut vestigium in pulvere assimilatur figurae pedis.

---

[a] S om. [b] VST add. *et.* [c] Z om. [d] T om. [e] C *comprehendentis.* [f] Ita V, alii om. [g] V *adductio.* [h] V om. [i] L *aberrare.* [k] R *delinquunt.* [l] ST om. *e. l.*

[1] Cf. Libri II Pars 2; Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 128. [2] Cf. infra, num. 115.
[3] Cf. Alex. Hal., loc. cit., I, num. 450-460.
[4] Lib. V, c. 10 (PL 42, 932). [5] Cf. Rom. 1, 20.
[6] *Moral.*, X, c. 8 (PL 75, 927); cf. *Glossa ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
[7] Cf. *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 113, 1224).
[8] Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 113; S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1 (I, 71 sqq.); *In Hexaëm.*, coll. 12, nn. 14-17 (V, 386 sq.); *Itinerar.*, c. 1, nn. 9-15 et cc. 2 et 3 (V, 298 sqq.); *De reductione artium ad theol.*, n. 12 (V, 322).
[9] Lib. II, c. 16, n. 43 (PL 32, 1264).

[Solutio]: Ad quod dicendum quod sunt vestigia per appropriationem ipsius[a] potentiae divinae, ut opera creationis; et sunt vestigia divinae sapientiae per appropriationem, ut ea in quibus relucet sapientia, et de iis[b] dicitur in libro *De libero arbitrio*[1]: « Quocumque te verteris, quibusdam vestigiis operibus suis impressis Sapientia loquitur tibi »; sunt etiam vestigia bonitatis divinae, et secundum hoc accipitur Iob 11,7 et 23,11. In omnibus autem iis quaedam est ratio communis, licet secundum prius et posterius dicta. Nec ita dicuntur vestigia potentiae quin illa eadem dicantur vestigia sapientiae et bonitatis, et ita de aliis: indivisa enim sunt opera potentiae et sapientiae et bonitatis divinae, licet sic approprientur.

[Ad obiecta]: 1. Ad id autem quod obicitur in contrarium dicendum est quod non est simile de hoc nomine 'opus' et de[c] hoc nomine 'vestigium'. Hoc enim nomen 'opus' non habet unam rationem secundum quam dicitur de opere operante et re operata, et ad diversa genera refertur; vestigium autem sub ratione nominis utrobique dicit effectum aliquo modo similem suae causae ratione dispositionis, etsi non sit similis in genere vel specie vel natura.

2. Ad secundo[d] vero obiectum dicendum est quod licet vestigia, quae sunt actiones, non dent[e] occasionem errandi, vestigia vero, quae sunt res operatae, occasio sint erroris, hoc non est secundum se, sed ratione perversae considerationis et affectionis[f], nec quoad hoc dicuntur vestigia.

CAPUT II. 35

QUID DICATUR VESTIGIUM SECUNDUM QUOD CONVENIT CREATURIS.

Deinde ad secundo quaesitum sic proceditur: Vestigium dicitur secundum similitudinem; proprie enim dicitur vestigium pedis, transferentes[g] autem secundum aliquam similitudinem transferunt[h] [2]. Quaeritur ergo quae sit similitudo vestigii translative[i] dicti ad vestigium proprie dictum.

1. Vestigium autem proprie dictum dicit impressionem figurae in pulvere vel in re huiusmodi a figura pedis; sed divina essentia infigurabilis est, et similiter ipsa Trinitas summa; ergo non relinquit figuram per similitudinem in re creata; ergo non dicetur vestigium secundum aliquem dictorum modorum. Nec alia videtur similitudo esse: non enim sicut vestigium est semper simul[k] cum pede in pulvere, ita creatura necessario fuit simul cum essentia Creatoris: tunc enim essentia creaturae esset aeterna; ergo propter illam rationem non dicitur esse vestigium; qua ergo ratione dicetur vestigium?

Respondendum est quod licet divina essentia sit infigurabilis et similiter summa Trinitas, nihilominus habet in se rationes, ut quod summe est et quod summe verum est et quod summe bonum est, quae licet idem sint in Deo, nihilominus tamen distinguuntur in re creata, et sic quamdam habent similitudinem respectu suae causae quasi essent quaedam impressiones, et propter hoc dicuntur nomine vestigii, non propter figurationem, sed propter[l] ipsam rationem, ut sicut ibi erat similitudo in figura, sic hic sit[m] similitudo in ratione, quae licet indistincta sint in Deo propter simplicitatem divinae essentiae, distinguuntur tamen in creatura propter compositionem essentiae.

CAPUT III. 36

UTRUM VESTIGIUM CONVENIAT OMNIBUS CREATURIS.

Quantum ad tertium, an scilicet vestigium conveniat omnibus creaturis, proceditur in hunc modum[3]:

Quod sic, videtur: *a.* Quia[n] ea, secundum quae attenditur vestigium, ut modus sive unitas, species et ordo, vel sicut supra dictum est[4], numerus,

---

[a] S om. [b] T *quibus*. [c] L om. [d] VSRLC *secundum*. [e] R *dant*. [f] Z *effectionis*. [g] T *transferentis*. [h] LC *transferuntur*. [i] V *translatione*. [k] V om., L om. *est*. [l] RL *per*. [m] RZ *fit*. [n] Z add. *in*.

1 Lib. II, c. 16, n. 41 (PL 42, 1263).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 2 (II, 262).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 5, dub. 3 (II, 143).
4 Cf. supra, num. 28.

pondus et [a] mensura, omni creaturae conveniunt; ergo et ratio [b] vestigii. Quod autem illa conveniant et secundum illa accipiatur ratio vestigii, Augustinus, in libro VI *De Trinitate* [1]: « Haec omnia, quae [c]; arte divina facta sunt, et unitatem quamdam in se ostendunt et [d] speciem et ordinem »; quod ostendit tam in corporibus quam in spiritibus [e]; et subdit: « Oportet igitur ut Creatorem *per ea, quae facta sunt,* intellectu conspicientes, Trinitatem intelligamus. In illa enim Trinitate est summa origo rerum [f], perfectissima pulcritudo, beatissima [g] delectatio ». Ex quibus colligitur quod in omni creatura est vestigium Creatoris.

b. Item, Isidorus, *De summo bono,* libro I [2]: « Ex pulcritudine circumscriptae creaturae pulcritudinem suam, quae circumscribi nequit, facit Deus intelligi ut ipsis vestigiis revertatur homo ad Deum »; sed haec pulcritudo inest omni creaturae; ergo ratio vestigii inest omni creaturae [h].

Contra: 1. Non est idem imago et vestigium. Quod sic probatur: Imago est « expressa similitudo [3] », vestigium vero est inexpressa similitudo; ergo id quod est imago non est vestigium; sed aliqua creatura est imago, ut rationalis; ergo non est vestigium.

2. Item, vestigium et perfecta similitudo opponuntur; sed aliqua est creatura quae est perfecta similitudo, sicut contingit in creaturis, utpote beatitudo creata vel gratia perfecta vel virtus perfecta; ergo nulla huiusmodi creatura dicetur vestigium.

Respondendum est secundum hoc quod dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [4]: « Capabilis et participabilis est Deus omnibus, quia naturali suo munere et usu ex munere ab omnibus participatur per [i] essentiam qua sunt, et secundum illam ad [k] idoneam speciem qua ab aliis differunt, et secundum utrumque ad congruum usum quo proficiunt. Tria haec omni existenti insunt quasi quaedam vestigia summae essentiae, imaginis et muneris: aeternitas est in Patre, species in Imagine, usus in Munere ».

[Ad obiecta]: 1. Ad id ergo quod in contrarium primo [l] obicitur, dicendum est [m] quod licet vestigium et imago [n] differant secundum rationem, nihilominus tamen uni et eidem rei contingit inesse rationem rei et imaginis, sed non secundum eadem. Vestigium enim attenditur secundum dispositiones communiores et minus conformantes rei, cuius est vestigium; imago vero secundum conditiones magis exprimentes, utpote essentia sive unitas, species et ordo ad vestigium pertinent, aeternitas, veritas sive sapientia et caritas ad imaginem. Unde Augustinus, in XI *De civitate Dei* [5]: « Quoniam homines sumus, ad Conditoris nostri [o] imaginem creati sumus, cuius est vera aeternitas, aeterna veritas, aeterna et vera caritas [p]. In iis vero rebus, quae infra nos sunt, quoniam et ipsa nec aliquo modo essent nec aliqua specie continerentur nec aliquem ordinem vel appeterent vel tenerent nisi ab illo facta essent qui summe est, summe speciosus est, summe bonus est, quasi quaedam vestigia colligamus ». In homine ergo quia utraque ratio dispositionum invenitur, et vestigium dicitur et imago.

2. Ad id vero [q] quod secundo obicitur, dicendum est quod etiam illae creaturae, quae dicunt similitudinem Dei sive summae bonitatis, utpote beatitudo creata vel gratia perfecta sive virtus, dicunt illam secundum illud quod abundant ultra alias creaturas. Nam creatura intellectualis naturaliter vertibilis est in bonum et in malum; hae autem creaturae non sunt vertibiles in utrumque: non enim beatitudo potest esse mala nec virtus vel gratia mala, et propter hoc habent rationem similitudinis; deficiunt tamen a summa similitudine, quia possunt non esse [r] quantum est de sua natura sicut et aliae creaturae de se. Habent ergo aliquid commune cum aliis, et ratione illius communis, scilicet essentiae, speciei et ordinis [s], possunt dici vestigia. Habent etiam aliquid in quo abundant, sicut dictum est [6], et ratione illius possunt dici perfecta similitudo, sicut contingit in creatura. Communius est ergo vestigium, quantum ad res subiectas in quibus est, quam sit imago aut huiusmodi similitudo.

37

CAPUT IV.

UTRUM VESTIGIUM CONVENIAT SECUNDUM MAGIS ET MINUS.

Ad quartum, scilicet an conveniat secundum magis et minus, sic proceditur:

Quod aeque dicatur, ostenditur per similitudinem: 1. Si magnus pes ponatur in pulvere [7]

[a] Ita S, alii om. [b] T add. *et.* [c] T om. [d] S *in.* [e] V *corporalibus quam in spiritualibus* pro *c. q. i. s.* [f] LC *et.* [g] C *verissima.* [h] R *etc.* pro *r. v. i. o. c.* [i] Codd. *ad.* [k] Z exp. [l] Ita V, alii om. [m] V om. [n] L om. *e. i.* [o] VT *tantum.* [p] T om. *a. e. v. c.*; RLCZ *ergo* pro *vero.* [q] V om. [r] S add. *in.* [s] Codd. add. *et.*

1 Cap. 10, n. 12 (PL 42, 932), ubi et sequens.
2 Cap. 4, n. 2. (PL 83, 543).
3 Cf. Augustin., *83 Quaest.*, q. 74 (PL 40, 86).
4 Cap. 6 (inter opp. Augustini, PL 40, 783).
5 Cap. 28 (PL 41, 342).
6 Cf. supra, *ad 1.*
7 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 96a, *ad 2.*

differenti, tantum derelinqueret [a] similitudinis in uno pulvere sicut et in alio nisi esset aliqua repugnantia ex parte recipientis: idem enim similiter se habens natum est facere idem [1]; ergo, cum voluntas summa sit causa imprimendi in creaturis quamdam obscuram similitudinem, tantum imprimet uni creaturae de unitate, specie et ordine quantum et alii; ergo aeque dicetur vestigium de hac creatura sicut de illa: sicut enim in rebus non dicitur una species magis species quam alia et una unitas magis unitas quam alia et unus ordo magis ordo quam alius, cum sint in suo summo, ita nec dicetur vestigium, cum secundum ista attendatur.

Contra: *a.* Augustinus, *De civitate Dei* [2]: « Creatoris, tamquam per omnia quae fecit mirabili stabilitate currentis, quasi quaedam eius alibi magis [b], alibi minus impressa vestigia colligamus ». Ex quo arguitur quod vestigium dicitur secundum magis et minus.

b. Praeterea, pulcrum dicitur secundum magis et minus, et bonum secundum magis et minus, et ens secundum magis et minus: nam incorruptibile [c] magis dicitur ens quam corruptibile; ergo ens, pulcrum, bonum, quae sunt causa vestigii, dicuntur secundum magis et minus; ergo et ratio vestigii dicetur secundum magis et minus. Unde Dionysius, *De divinis nominibus* [3]: « Omnibus est bonum et optimum concupiscibile, et propter ipsum minora amant meliora conversibiliter [d], et sociative [e] aequiformia aeque honorabilia, et meliora [f] minora ». Vult ergo dicere quod est minus bonum et maius et medium. Et Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [4]: « Non essent omnia, si essent aequalia »; per quod datur intelligi quod in universo quaedam sunt magis bona, quaedam minus bona, et similiter pulcra. Similiter, in libro *De natura boni* [5]: « Omnia, quanto magis moderata, speciosa, ordinata sunt, tanto magis bona sunt ».

Ex quibus colligitur quod dicitur vestigium secundum magis et minus. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [g] obiectum vero in contrarium, respondendum [h] quod non est simile de pede, qui naturaliter imprimit vestigium, et de auctore summo qui suum imprimit vestigium per rationabilem voluntatem. Eo enim quod per rationabilem voluntatem agit, alii communicat plus de pulcro et bono, alii minus, et similiter de esse. Nec hoc est contrarium quod similiter se habet ex parte sui: ab ipso enim uno modo se habente exeunt dissimiliter entia, ut manifestetur eius bonitas et sapientia. — Ad id vero quod obicitur quod ' unitas non dicitur secundum magis et minus vel species ': distinguendum est [i] quod est speciem accipere respectu eorum quorum est species, et secundum hoc, logice dicendo [k], non dicitur secundum magis et minus de illis. Est iterum accipere speciem comparando cum alia specie respectu generis, et ita [l] non dicuntur secundum magis et minus habere illud genus. Tertio vero modo est loqui de illis secundum quod in universo ordinantur habentia maiorem dignitatem vel minorem, et sic dicuntur secundum magis et minus species propter speciositatem maiorem vel minorem [m]. Similiter est dupliciter loqui de unitate: est enim loqui de unitate comparando ad aliam unitatem eiusdem speciei, et sic non dicitur magis unum vel [n] minus unum; similiter in numero, qui ex iis componitur. Est autem referre ad summam unitatem, a qua habent per participationem unitatem [o], et secundum hoc dicitur magis vere unum et minus vere unum [p].

Per iam dicta apparet qualiter respondendum est ad supra obiecta.

CAPUT V. 38

UTRUM VESTIGIUM PROPRIE DICATUR TRINITATIS AUT UNITATIS AUT UTRIUSQUE.

Quinto quaeritur utrum vestigium proprie dicatur Trinitatis vel essentiae vel utriusque.

Quod ipsius Trinitatis [q], **videtur** *a.* per hoc quod [r] vestigium distinctionem ponit sive discretionem; ergo videtur referri ad ipsam Trinitatem.

b. Quod etiam videtur ex hoc quod dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [6]: « Intelligamus Trinitatem, cuius in creatura, quomodo dignum est, apparet vestigium; in illa enim Trinitate » etc. sicut supra dictum est [7].

Contra: 1. Videtur quod dicatur vestigium Dei [s] respectu essentiae. Unde Isidorus, *De summo*

---

[a] V *derelinquunt*, S *delinqueret*. [b] V om. *a. m.* [c] S *in corpore*. [d] VSTR *convertibiliter*. [e] L *societatem*. [f] L (mg.) C add. *et*. [g] Ita V, alii om. [h] RZ add. *est*. [i] S om. [k] C *loquendo*. [l] Ita V, alii *iterum*. [m] Ita RZ, alii om. *m. e. m.* [n] R *et*. [o] T om. *a qua... unitatem*. [p] R om. *e. m. v. u.* [q] VT add. *est*. [r] LCZ *quia*. [s] T corr. mg. *dividitur*.

1 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.* II, c. 10 (II, 464).
2 Cap. 28 (PL 41, 342).
3 Cap. 4, § 10 (PG 3, 707, PL 122, 1134).
4 Quaest. 41 (PL 40, 27).
5 Cap. 3 (PL 42, 554).
6 Lib. VI, c. 10, n. 12 (PL 42, 932).
7 Cf. supra, p. 46a, sub litt. *a*.

bono, I libro [1]: « Vestigia Dei sunt, quia nunc Deus *per speculum* agnoscitur; ad perfectum vero Omnipotens reperietur, dum in futuro *facie ad faciem* electis praesentabitur, ut ipsam speciem contemplentur, cuius nunc [a] vestigia comprehendere conantur ». Sed constat quod ipsa species est ipsa essentia; ergo vestigia dicuntur essentiae [b] divinae.

2. Similiter dicit Gregorius [2]: « Vestigia Dei sunt benignitas visitationis, qua [c] viam nobis ostendit, ut nondum visum sequamur, donec ad contemplandum veniamus ».

Respondendum est [d] quod vestigium, licet dicatur ipsius essentiae ratione eius quod subest [e], conditiones tamen in quibus attenditur vestigium referuntur [f] ad Trinitatem proprie. Unde nihil prohibet et [g] ipsius Dei sive divinae essentiae et ipsius Trinitatis dici vestigium, ut trinitas in creatura Trinitati increatae respondeat, unitas vero, quae subest, ipsi summae unitati.

39

CAPUT VI.

UTRUM POSSIT TOLLI RATIO VESTIGII A CREATURA.

Sexto quaeritur utrum tolli possit ratio vestigii a creatura.

Quod videtur: 1. Si enim modus, species et ordo minui possunt et corrumpi, quae autem possunt corrumpi, possunt desinere esse et omnino tolli, ergo vestigium, cum attendatur in iis vel consimilibus, poterit omnino tolli.

2. Praeterea, si est accidens creaturae, accidens autem est quod abesse potest, ergo intentio vestigii abesse potest.

Contra: *a.* Sicut se habet ratio imaginis ad id cuius est imago, ita ratio vestigii ad id cuius est vestigium; sed ratio imaginis non potest tolli ab eo cuius est imago; ergo nec [h] ratio vestigii ab eo cuius est vestigium.

b. Item, hoc videtur per auctoritatem Augustini, XI *De civitate Dei* [3], dicentis quod sine istis « nihil inveniri vel cogitari potest »; et loquitur de modo, specie et ordine, in quibus attenditur vestigium.

[Solutio]: Ad quod dicendum est [i] per id quod dicit Augustinus, *De civitate Dei* [k], libro XIX [4]: « Nullum vitium ita contra naturam est, ut naturae extrema deleat vestigia ». Unde manente natura creata, remanet ratio vestigii nec omnino tollitur. Aliud est autem quaerere utrum vestigium possit tolli manente natura creaturae, et aliud est utrum omnino possit tolli cum ipsa re creata. Primo modo verum est quod non potest tolli, secundo vero [l] modo potest. Cum enim res desinit esse, illud vestigium desinit esse, non tamen desinit esse vestigium, quia non omnino cedit in non-ens. Unde, ratione eius in quod secedit [m], est etiam vestigium.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc potest solvi illud quod primo fuit obiectum. Licet enim modus, species et ordo minuantur vel corrumpantur, non tamen omnino [n] desinunt esse re manente, et ita manet adhuc vestigium Creatoris in re illa; sed si res destruatur secundum quamdam speciem, nihilominus tamen secundum aliam speciem remanet, et ita remanet vestigium, etsi non illud.

2. Ad secundo [o] obiectum dicendum est [5] quod 'esse vestigium' est proprietas rei essentialis secundo modo, et ita non est accidens separabile, et quia dicit comparationem ad suam essentialem causam [p], ideo nec potest illo modo intelligi sine illa comparatione, potest tamen intelligi sicut essentia intelligitur sine sua proprietate. Nec est simile omnino de ratione imaginis respectu illius cuius est imago, sicut de ratione vestigii respectu illius cuius est vestigium, quia id [q] cuius est imago incorruptibile est, id vero cuius est ratio vestigii potest esse corruptibile.

40

CAPUT VII.

UTRUM PER VESTIGIUM SIT MANUDUCTIO AD CAUSAM CUIUS EST VESTIGIUM.

Ultimo quaeritur utrum per vestigium sit [r] manuductio ad causam cuius est vestigium [6].

Ad quod sic: *a.* Augustinus, *De libero arbitrio* [7], exponens illud Sap. 6, 17: *In viis suis*

---

[a] V *non*. [b] L *essentia*. [c] V *quam*; T *visionis*, pro *visitationis*, quod R corr. [d] V *et respondendum* pro *R. e.* [e] Ita R (corr.), alii *est*. [f] L *referunt*. [g] T om. [h] Ita V, alii *et*. [i] RZ om. [k] S add. *in*. [l] RLC om., in Z est add. interl. [m] V *fecerit*, C om. *etiam*. [n] R om. [o] VSTR *secundum*. [p] V add. *et*. [q] RZ *illud*. [r] Z *fit*.

1 Cap. 5, n. 10 (PL 83, 547); alluditur ad I Cor. 13, 12.
2 *Moral.*, X, c. 8, n. 13 (PL 75, 927).
3 Cap. 15 (PL 41, 331). 4 Cap. 12, n. 2 (PL 41, 639).
5 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, dub. 2 (II, 51b sq.).
6 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1 (I, 71 sqq.).
7 Lib. II, c. 16, n. 41 (PL 32, 1263).

ostendit se hilariter, et in omni providentia sua occurrit illis: « Quocumque te verteris, quibusdam vestigiis operibus suis impressis loquitur tibi et te, in exterioribus labentem, ipsis exteriorum [a] formis intro revocat ».

b. Item, in eodem [1]: « Artifex quodam modo innuit spectatori operis sui de ipsa operis pulcritudine, ne ibi totus haereat, sed speciem operis fabricati sic percurrat oculis, ut in eum, qui fabricaverit, recurrat affectus ».

c. Item, Rom. 1,20: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, a creatura mundi* etc. Ex quo habetur quod per ista visibilia sit manuductio ad invisibilia.

d. Hoc etiam per totum habetur a B. Dionysio, in libro *De symbolica theologia* [2].

Contra: 1. Sap. 14,11: *Creaturae factae sunt in odium et in muscipulam pedibus insipientium.*

2. Item, Augustinus, *De libero arbitrio* [3]: « Tamquam dorsum ad te ponentes, in carnali opere velut in umbra sua defiguntur [b]; est tamen etiam ibi quod eos delectet: habent enim adhuc aliquid de circumfulgentia lucis tuae ». Ex quibus colligitur quod haec visibilia abducunt a contemplatione [c] invisibilium.

[Solutio]: Ad quod dicendum est [d] quod est dupliciter considerare has creaturas visibiles et etiam invisibiles [e]. Contingit enim eas considerare ratione pulcritudinis sive delectabilitatis quae est in eis, non referendo illam ad Deum a quo habent: et secundum hunc modum est occasio erroris. Alio vero modo in quantum habent pulcritudinem [f] a summe pulcro et delectabilitatem [g] a summe delectabili: et secundum hunc modum vestigia manuducunt ad illum cuius sunt [h] vestigia. Et est exemplum Philosophi [4] simile, quod contingit dupliciter considerare picturam [i]: ut picturam vel [k] ut est imago. Si ut picturam [l], secundum hoc figitur consideratio in ipsa re secundum se; si ut [est] imago, secundum hoc ducit ad aliud [m] cuius est imago. Unde Augustinus, in libro [n] *De vera religione* [5]: « Sicut nonnulli magis [o] amant versum quam artem qua conficitur versus, quia plus se auribus quam intelligentiae crediderunt, ita multi temporalia diligunt, conditricem [p] vero ac moderatricem temporalium divinam providentiam non [q] requirunt atque in ipsa dilectione temporalium nolunt transire quod amant ».

[Ad obiecta]: 1. Ex iam dictis patet qualiter sunt occasio erroris, per se vero causa est in ipsis errantibus. Et hoc patet per hoc quod dicitur in libro Sap., cum dicitur: *In muscipulam pedibus insipientium.* Quod autem dicitur *creaturae factae sunt in odium* [r] etc., non intelligendum est quod Deus ad hoc fecerit creaturas, sed error hominum eas ad hoc convertit ut traherentur homines in odium Dei et adhaererent mutabilibus bonis tamquam idolis.

2. Quod autem dicit Augustinus, in libro *De libero arbitrio,* attendendum est quod ibi tangit causam erroris ex parte hominis et quod habent aliquam rationem delectabilis, hoc est ex quodam effectu relicto in ipsa creatura a [s] summe delectabili, et ideo dicitur quod « habent aliquid de circumfulgentia lucis tuae »; sed quia plus est ibi delectationis quam congrueret, ideo dicitur illicita delectatio, vel quia non refertur ad id ad quod referendum esset, sed ibi inordinate quiescitur [6].

---

[a] Codd. *interiorum.* [b] ST *designantur.* [c] RZ *adducunt in contemplationem,* T *adducunt a contemplatione* pro *a. a. c.* [d] V om. [e] VT *mutabiles,* C om. *etiam.* [f] T *plenitudinem.* [g] Ita V, alii *delectationem.* [h] S exp. [i] C add. *vel.* [k] R *et.* [l] V add. *et.* [m] V *illud.* [n] C om. *i. l.* [o] V *non magis non,* T add. *non.* [p] VS *conditionem;* V *moderatorem* pro *moderatricem.* [q] V om. [r] Ita V, alii om. *i. o.* [s] V om.

1 Cap. 16, n. 43 (PL 32, 1264).
2 Cf. cap. 1, § 1sqq. (PG 3, 998, PL 122, 1173sq.).
3 Lib. II, c. 16, n. 43 (PL 32, 1264).
4 Cf. Aristot., *De partibus animal.,* I, c. 5 (III, 227).
5 Cap. 22, n. 43 (PL 34, 140).
6 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 16, a. 1, q. 2, *ad 3* (I, 281).

QUAESTIO II.

DE IPSO FIERI ET CONCOMITANTIBUS ILLUD.

Consequenter procedendum est ad considerationem ipsius fieri et eorum quae concomitantur secundum se.

MEMBRUM I.

De ipso fieri seu creari.

Et primo de ipso fieri agendum est, quod est creari. Quaeritur ergo:

Primo, si creari est quoddam mutari vel non;

secundo [a], utrum creari sit aliud quam esse eius quod creatur vel idem;

tertio, si est creatum [b] ut medium creaturae et Creatoris;

quarto, si convenit tantum materiae et formae, quae sunt principia rei compositae, an conveniat etiam iis quae fiunt ex materia et forma;

quinto, utrum conveniat rebus quae fiunt a natura et a voluntate creata;

sexto, utrum conveniat solis substantiis an etiam accidentibus;

septimo, utrum secundum ordinem conveniat creari uni rei in genere prius [c] quam alii;

octavo, utrum a Creatore procedat ministerio creaturae; et hoc propter haeresim illorum qui dicebant angelos operi creationis cooperari et per angelos alias fieri creaturas [1].

41 CAPUT I.

UTRUM CREARI SIT QUODDAM MUTARI VEL NON [2].

Ad primum sic: *a*. Si creari est mutari, omne autem mutari vel est secundum substantiam vel secundum accidens [3], ergo creari erit alterum istorum; sed mutari secundum substantiam est generari vel corrumpi, prout dicit Philosophus [4]; ergo creari, si est mutari secundum substantiam, esset generari vel corrumpi; sed utrumque est subiecta existente materia; ergo creari non esset de nihilo. Similiter, si esset mutari secundum accidens, multo magis accideret inconveniens: secundum hoc enim substantia non crearetur, cum tamen sit nobilior substantia quam accidens et creatio nobilior alia processione creaturae; quod cum non sit, non erit creari mutari.

Contra: 1. Quod creatur, de non-esse procedit in esse; sed quod de non-esse procedit in esse, mutatur; ergo quod creatur mutatur.

2. Item, Isidorus [5]: «Creatura bonum est, sed non summum, quia mutabilis est»; omne autem quod mutabile est mutatur; ergo creatura mutatur.

Respondendum [d] est quod 'mutari' dicitur dupliciter [6]: uno modo, quod iam est ens potentia vel actu et mutatur ab uno in aliud, et secundum hunc modum quod creatur non dicitur mutari, quia nec prius fuit potentia nec actu, et loquor de creatione proprie dicta; secundum alium modum, quo dicitur aliquid exire in esse post non-esse, dicitur mutari, sed hoc non est proprie dictum, sed communiter, quia quod mutatur, aliquo modo dicitur esse unum [7], ibi vero non remanet unitas, cum non-esse omnino et esse [e] non habeant commune.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad obiectum ergo dicendum est quod non dicitur creari mutari eo modo quo generari dicitur mutari; nihilominus tamen dicitur

---

[a] C add. *queritur*. [b] V *an creari super aliquod creatum sit* pro *s. e. c.* [c] R *plus*, quod T corr. [d] V *responsio*, R *Respondeo*, Z om. *est*. [e] V add. *omnino*.

1 Ita v. g. Manichaei et Albigenses. Hos damnavit Conc. Later. IV (1215), cap. *Firmiter*. Cf. Denz.-Bannwart., *Enchir.*, n. 428; Tixeront, *Histoire des dogmes*, I[7], Paris 1915, 470; Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 874).

2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 3, q. 1 (II, 30sqq.).

3 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 1 et V, c. 1 (II, 273, 307).

4 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, I, c. 5 et *Metaph.*, X, c. 11 (II, 442, 598).

5 *Sentent.*, I, c. 1, n. 1 (PL 83, 538).

6 Cf. Aristot., *Phys.*, V, c. 1 et *De gener. et corrupt.*, I, c. 3 (II, 309, 437).

7 Cf. Aristot., *Phys.*, VI, c. 5 (II, 323).

esse aliqua mutatio. Sed est quaedam mutatio creaturae secundum quod dicitur in Psalmo [1]: *Mutabis ea, et mutabuntur* etc., et haec est rei existentis in non-esse vel in non bene esse; et secundum hunc modum creatura, cum est, mutabilis est, et sic loquitur Isidorus; alio vero modo loquitur Augustinus, cum dicit [2]: « Mutabilia sunt, quia non de illo, sed de nihilo facta sunt ».

CAPUT II. 42

UTRUM CREARI SIT ALIUD QUAM ESSE CREATURAE VEL IDEM.

Secundo quaeritur utrum creari sit aliud quam esse creaturae vel idem [3].

Quod sit aliud, videtur: 1. Eo [a] quod nulla res est suum fieri, utpote generatum non est suum generari, et corruptum non est suum corrumpi, et ita de aliis; ergo pari ratione creatum non est suum creari.

2. Item, 'quod est' et 'quo est' in compositis differt [4]; sed 'quod est' est creatum, 'quo est' est ipsa creatio: et intelligo de creatione passive dicta; ergo creatum non est sua creatio.

3. Item, ipsum creari transit, ipsum vero creatum manet, cum non est creatio; ergo non est idem creari et esse creati.

4. Item, terminus non est illud cuius est terminus; sed esse creati est terminus creationis; ergo esse creati non est ipsa creatio.

Contra: *a.* Sicut se habent ad invicem esse causae et esse causati [b], sic se habent creatio active dicta et passive; ergo permutatim, sicut se habet creatio active dicta ad esse causae, ita creatio passive dicta ad esse causati; sed creatio active dicta idem est quod esse causae; ergo creatio passive dicta idem est quod esse creati [c].

b. Item, creari [d] nihil aliud est nisi 'nunc primo esse post non-esse omnino': haec enim convertuntur; ergo nihil aliud est creari nisi esse cum huiusmodi conditionibus; sed hoc non variat essentiam eius quod est 'esse', scilicet cum additur 'nunc primo'; ergo creari est idem quod esse eius quod creatur.

c. Item, si creari praecederet esse creati, sicut mutari [e] praecedit esse eius in [f] quod mutatur, tunc aliquid, quod non esset aeternum, praecederet [g] primum esse creati; sed hoc est impossibile, cum ante primum esse creati non est nisi Creator; ergo creari non est [h] aliud quam esse creati.

Respondendum est quod, cum duplex sit fieri — uno enim modo sequitur: 'si fit, est'; alio modo: 'si fit, non est' — quod creatur, fit, et cum fit [i], est; unde creari non est aliud nisi 'nunc esse primo post omnino non-esse' ab eo qui potest dare esse.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur in contrarium quod 'in aliis mutationibus non est factum suum fieri': respondendum est quod aliter loquendum est de fieri et de eo quod fit. Nam id quod est primo, est quod primo fit; fieri tamen non est quod fit, sed tamen est simul cum eo, nec prius ens quam ipsum nec duo entia proprie. Nec est simile de fieri in aliis mutationibus et in creatione, quia in aliis mutationibus fieri antecedit illud quod fit tempore [k] vel natura; hic autem non sic, sed fieri est simul tempore et natura.

2. Ad secundo obiectum dicendum est quod licet id quod fit non sit idem cum eo quod est fieri, tamen non penitus est idem nec penitus diversum, et sic potest esse in aliis compositis.

3. Ad tertio [l] obiectum dicendum est quod licet fieri transeat, esse vero maneat, nihilominus tamen hoc est quodammodo illud. Quod autem dicitur transire, hoc est ratione conditionis additae, scilicet 'nunc primo post non-esse', et ratione eius transit: licet enim 'nunc' [m] sit, tamen non 'nunc primo est post non-esse', et hoc dicit fieri creationis, quod est creari.

4. Ad quartum vero dicendum est [n] quod non est simile in hoc fieri et in aliis: hoc enim fieri est non prius quam res est, in aliis vero [o] contingit, et ideo ibi proprie dicitur terminus, hic autem non dicitur nisi secundum quamdam rationem, sicut infra patebit [5].

a. Ad id vero quod obicitur ex permutata proportione, dicendum est quod non est simile in creatione active dicta respectu essentiae creantis et in creatione passive dicta respectu essentiae creatae. Nam creatio active dicta est ab essentia creantis et est idem cum essentia creantis [p] secundum rem; essentia vero creati non est a qua [q] sit ipsum creari, sed simul sunt et quodammodo

---

[a] T om. [b] T *creati*, item infra. [c] Ita RT, alii *causati*. [d] S add. *et*. [e] L *mutati*. [f] V om., in C est add. interl. [g] V add. *nec*. [h] Ita V, alii *esset*. [i] S *sit*, item subinde. [k] S *tempori*. [l] ST *tertium*. [m] R om. [n] V *dicendum* pro *v. d. e.* [o] L *non*. [p] T om. *et... creantis*. [q] S *aliqua* pro *a. q.*; V om. *non*.

[1] Psalm. 101, 27.
[2] Cf. *De nat. boni*, c. 1 (PL 42, 551); *De civit. Dei*, XII, c. 1, n. 3 (PL 41, 349).
[3] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, *ad 6* (II, 18).
[4] Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).
[5] Cf. infra, num. **43** et **51**.

idem, quodammodo non idem. In hoc autem est convenientia, quod creari transit et creare transit, sed unum secundum se et [a] alterum secundum accidens: nam creare ratione essentiae creantis non transit, sed ratione habitudinis ad creatum, ex qua ratione transit creari.

6. Ad ultimo obiectum dicendum est [b] quod 'creari' cum esse creati [c] nec penitus est idem nec penitus differens: additio enim facta ponit transitum, ratione cuius dicitur 'creari' transire [d], 'esse' vero nihilominus permanere, sed non sub hac ratione 'primo post non-esse'.

43

CAPUT III.

AN CREARI SIT ALIQUOD CREATUM UT MEDIUM INTER CREATOREM ET CREATURAM.

Tertio quaeritur an creari sit aliquod creatum ut [e] medium inter Creatorem et creaturam [1].

Ad quod sic: 1. Creari non est Creator; ergo vel est creatum vel est via in creaturam, si [f] est dicere secundum aliquam similitudinem quod sit ibi via; sed si ibi est via, videtur esse medium; ergo 'creari' vel est creatum vel [g] est medium Creatoris et creati; sed nonnisi medium quod teneat se cum altero extremorum; sed non ex parte Creatoris; ergo ex parte creati. — Quod videtur per simile in aliis mutationibus: mutatio enim medium est inter transmutantem et id in quod fit transmutatio.

Contra: *a.* Omne quod est, aut est Creator aut creatura [h]; ergo supervacuum est ponere medium inter haec, immo pro damnata haeresi habetur in concilio Senonensi [2] quod dicitur in libro *Periphysion* [3], in quo dicebatur quod ideae erant medium inter Creatorem et creaturam; ergo 'creari' non debet poni medium.

b. Nec est creatum: quia si esset creatum, exiret in esse de nihilo; ergo crearetur; ergo per creationem: et sic esset in infinitum abire; quod cum non sit, nec erit creatum neque medium.

Respondendum est quod non ponitur medium inter Creatorem et creaturam: non enim est medium inter ens ab alio [i] et ens non ab alio.

[Ad obiecta]: 1. Nec est simile in mutationibus, quia mutationes proprie dictae possunt esse media inter transmutantem et id in quod transmutatur, eo quod non sunt prima opposita secundum affirmationem et negationem.

a. Si tamen intentio 'creati' coarctaretur ad creatum simpliciter et non includeret in se concreata, secundum hoc non esset sufficiens divisio in [k] Creatorem et creatum [l]. Et per talem modum loquendi dicit Philosophus [4]: « Quaedam dicuntur entia, quia [m] sunt substantiae; quaedam, quia sunt passiones; et quaedam, quia sunt via ad substantiam aut ad relationem aut quia sunt non-ens aut agentes aut patientes a substantia aut aliquid aliorum [n] quae dicuntur esse in substantia [o] ». Consuevimus tamen creatum et concreatum sub uno generali nomine, scilicet creaturae, comprehendere, et sic creari est concreatum.

b. Ad id vero quod obicitur quod 'fit [p] processus in infinitum': respondendum est quod non. Cum enim dicitur quod creatum per creationem creatum est, intelligitur proprie de creatione active dicta; quod si intelligatur de creatione passive dicta, ibi stabitur: non enim illa creatio per aliam creationem passive dictam est, sed per creationem active dictam, et sic devenitur ad essentiam ipsius causae [q]. Unde licet creatum proprie dicatur creari, ipsa tamen creatio passive dicta non dicitur creari nisi large sumendo vocabulum.

44

CAPUT IV.

AN CREARI CONVENIAT TANTUM MATERIAE ET FORMAE.

Quarto [r] loco quaeritur an creari conveniat tantum [s] materiae et formae, quae sunt principia rei compositae, an [t] conveniat etiam eis quae fiunt ex materia et forma [5].

---

[a] RZ om. [b] VT om. [c] T *creari.* [d] V om. [e] Codd. *aut.* [f] VLC *sed.* [g] S *et.* [h] L *creator.* [i] Z *aliquo,* item infra. [k] R *inter.* [l] RZ *creaturam.* [m] Z *que.* [n] ST *aliarum.* [o] C *obiecta.* [p] SLC *sit.* [q] R *esse.* [r] T *quinto.* [s] V om. [t] V *aut;* T *in* pro *etiam.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, a. 3, q. 2 (II, 33 sqq.).

[2] Circa annum 1224. Cf. Mansi, *Sacr. Concil. nova et amplis. collectio,* XXII, 1211.

[3] Est opus Scoti Eriugenae Περὶ φυσέως vel Περὶ φυσέων, in cuius libro III, n. 20 (PL 122, 683), occurrit sequens: « Deinde ex primordialibus causis, quae *medietatem quamdam inter Deum et creaturam obtinent,* hoc est inter illam ineffabilem superessentialitatem super omnem intellectum et manifestam substantialiter naturam ». Saec. XIII Amalricus et David de Dinanto hoc libro abutebantur ad proprios errores defendendos. Cf. Scholion III in S. Bonav., *Opp. omnia,* II, 36; P. Duhem, *Le système du monde,* Paris 1917, V, 38 sq.; Saint-René Taillandier, *Scot Erigène et la Philosophie scholastique,* Strasbourg 1843.

[4] Aristot., *Metaph.,* III, c. 2 (II, 500).

[5] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 14 sqq.).

Quod non conveniat nisi principiis, scilicet materiae et formae vel quod se habet [a] per modum horum, sic ostenditur: 1. Ea quae sunt ex principiis, utpote ex materia et forma, ex aliquo vel [b] aliquibus sunt; quod autem ex aliquo vel [c] aliquibus est non est ex nihilo; ergo quae sunt composita ex materia et forma vel [d] ex huiusmodi principiis, non sunt creata.

2. Item, aliud est exire de non-esse in esse [e] et aliud de potentia in actum; sed quae habent materiam exeunt de potentia in actum, quae vero de non-esse omnino in esse, creantur; ergo non dicuntur illa creari.

3. Item, secundum illam [f] expositionem, quam ponit Augustinus, in libro *Confessionum* [1]: » Caeli et terrae nomine materia utrorumque designatur ». Ex quo videtur, cum infra sequatur de iis quae fiunt in distinctionibus dierum, quod esset [g] materia creata; quae autem sunt ex materia non dicentur [h] creata, sed facta.

Contra: *a.* Cum dicitur [2]: *In principio creavit Deus caelum et terram,* dicit Augustinus, *Contra Manichaeum* [3], quod « caeli et terrae nomine universa creatura significata est, quam fecit et condidit Deus ».

Respondendum est: Fieri de nihilo dicitur dupliciter: vel quod fit non ex materia, et secundum hunc modum materia et forma dicuntur fieri de nihilo, et quae tenent rationem huiusmodi principiorum; alio vero modo dicitur fieri de nihilo [i], quod procedit in esse, cum prius non esset, et secundum hunc modum dicuntur non tantum materia et forma creata, sed et [k] quae primo erant ex illis. Unde Augustinus, *Contra Manichaeum* [4]: « Rectissime creditur omnia de nihilo fecisse; ipsa etiam materia de omnino nihilo facta est, etiamsi formata omnia de ista materia sint facta ». Non enim prius extitit materia secundum sententiam Augustini [5], et postea ex materia factae sunt res, sed simul de non-esse in esse exierunt principia et quae erant ex illis.

[Ad obiecta]: 1. Per iam dicta patet responsio ad primo obiectum. Esse enim ex nihilo et esse ex aliquo opponuntur, si consimiliter accipiuntur; sed [l] nihil prohibet esse ex aliquo, utpote ex materia, et esse ex nihilo, hoc est postquam non fuit; et est talis modus accipiendi sicut cum dicitur ' ex mane fit dies ', id est post mane, non quod mane sit materia diei [6].

2. Ad secundo obiectum dicendum est quod ' exire de potentia in actum ' dicitur proprie de iis quae habent praeexistentem materiam: et secundum hunc modum distinguuntur illi exitus ex opposito. Si vero dicatur exitus de potentia activa in actum, non ex opposito se habent ' exire de potentia in actum ' et ' exire de nihilo in esse ', sed utrumque convenit creatis.

3. Ad tertium patet responsio ex [m] dictis.

CAPUT V. 45

UTRUM CREARI CONVENIAT REBUS QUAE FIUNT A NATURA ET A VOLUNTATE CREATA.

Quinto quaeritur utrum creari conveniat iis quae fiunt [n] a natura vel a voluntate creaturae rationalis [7].

Ad quod sic: 1. Natura et voluntas dicuntur disponere materiam vel subiectum [o] ad productionem formae; cum [p] autem est facta dispositio, tunc datur forma. Est enim ita de iis sicut de agricolis: agricola enim extrinsecus operatur, Creator vero est qui principia [q] ista format; sed formare Dei est creare; ergo ea quae fiunt materialiter a natura vel voluntate, creantur ratione formae a Deo.

2. Item, Augustinus, III *De Trinitate* [8]: « Sicut matres gravidae sunt foetibus, sic mundus causis nascentibus, quae in illo non creantur nisi ab illa summa essentia, ubi non oritur aliquid nec moritur ».

3. Item, Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [9]: « Consummasse ista intelligimus [r] Deum, cum *creavit omnia simul* [10] ita perfecte, ut nihil ei adhuc in ordine temporum creandum esset, quod non hic ab eo in ordine causarum creatum esset ». Ex quo relinquitur quod creatio extendit se ad ea quae fiunt [s] natura vel voluntate.

Contra: *a.* Ea quae fiunt natura vel [t] voluntate, fiunt ex aliquo prius existenti; sed quod fit ex

---

[a] V om. [b] T add. *ex*, V *fiunt* pro *sunt*. [c] TL add. *ex*. [d] T om. [e] V add. *hic*. [f] RLCZ *aliam*. [g] RLCZ *erit*. [h] T *dicerentur*. [i] V om. *d. n.* [k] Ita V, alii om. [l] L *si*. [m] V add. *iam*. [n] T *sunt*. [o] V *substantiam*. [p] T *omnium*. [q] L om., C exp. [r] T *intelligamus*. [s] R add. *a*. [t] C add. *a*.

1 Lib. XII, c. 29, n. 40 (PL 32, 842).
2 Gen. 1, 1.
3 *De Gen. c. Manich.*, I, c. 5, n. 9 (PL 34, 178).
4 Loc. cit., c. 6, n. 10 (PL 34, 178).
5 Cf. *Confess.*, XII, c. 29 (PL 32, 842sq.).
6 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 426, *ad 4*.
7 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 153-154.
8 Cap. 9, n. 16 (PL 42, 878).
9 Lib. VI, c. 11, n. 19 (PL 34, 347).
10 Eccli. 18, 1.

aliquo prius existenti non est creatum; ergo ea quae sunt a voluntate omnino vel natura non sunt creata.

b. Item, natura est principium ex similibus similia procreandi in genere vel in specie [1]; eodem modo voluntas est principium faciendi secundum formam apprehensam. Cum ergo in natura sit sufficientia producendi sibi similem formam, non est necesse in iis ponere extrinsecum principium ad creationem formarum.

c. Item, *requievit* Dominus *septimo die ab omni opere* [2]; quod autem nunc [a] operatur, hoc est quaedam individua creando, virtutem naturae et voluntatis gubernando [b]; ergo sufficiunt in suis operibus praeter creationem novam natura et voluntas.

[Solutio]: 1. Ad hoc dicendum est [c] quod aliter est in iis quae fiunt mirabiliter et in iis quae fiunt naturaliter vel sola voluntate creaturae. In iis quae fiunt mirabiliter, dispositio fit per angelos vel per homines, ipsa vero forma fit a Deo — unde Augustinus, in libro *De Trinitate* [3]: « Qualibuscumque angelis vicinas causas ex elementis contrahere quanto facilius est, tanto mirabiliores in huiusmodi operibus existent eorum celeritates » — sed non est Creator nisi qui principaliter ista format nec quisquam hoc potest nisi ille apud quem primitus sunt omnium quae sunt mensurae [d], numeri et pondera. In iis vero quae fiunt naturaliter, aliter [e] est: nam ipse Creator natura mediante formam inducit, utpote ignis ex igne, lumen ex luce. In iis ergo non est necesse ut ipsa forma de nihilo creetur quae generatur, sed per generationem producitur. Rationes ergo seminales [f] vel naturales creatae sunt, sed secundum illas postea [g] fit naturalium conditio. Sunt etiam quaedam formae, quae a Creatore inducuntur, licet mediante natura inducatur dispositio, sicut est in anima rationali et in iis in quibus non dicimus formam habere virtutem generandi consimilem formam in materia vel subiecto.

2. Ad secundum dicendum est quod loquitur ibi Augustinus de causis originalibus, quae creatae sunt [h] in operibus sex dierum, secundum quas postea tempore opportuno prodeunt res naturaliter in esse vel ex natura superiori vel inferiori. Unde Augustinus [4]: « Aliud est ex intimo ac summo [i] causarum cardine [k] condere creaturam, quod fecit solus Creator; aliud pro distributis ab illo viribus aliquam operationem forinsecus admovere, ut tunc vel tunc, sic vel sic exeat quod creatur ». Distinguit autem sic inter naturalia et mirabilia [5]: « Cum fiunt res continuato [l] quasi quodam fluvio labentium rerum et ex occulto in promptum atque ex promptu in occultum usitato [m] itinere transeuntium, naturalia dicuntur; cum autem admonendis hominibus inusitata [n] mutabilitate ingeruntur, magnalia nuncupantur ».

3. Ad tertio obiectum dicendum est [o] quod licet consummatio esse [p] dicatur in operibus sex dierum quoad genera et species rerum naturalium, nihilominus tamen operatur Deus adhuc multiplicando, gubernando, mirabilia faciendo, mediante natura vel [q] voluntate naturalia vel voluntaria producendo; quae opera non dicentur [r] creatio nisi quia a creatis virtutem accipiunt vel ipse Creator complet, ad quae non sufficit natura vel voluntas.

46 CAPUT VI.

UTRUM CREARI CONVENIAT SOLIS SUBSTANTIIS.

Sexto quaeritur utrum creari conveniat solis substantiis an etiam accidentibus [6].

Ad quod sic: 1. Creatio est primum opus Creatoris [7]; ergo convenit creatum habere similitudinem primam cum ipso Creatore; sed Creator est ens per se; conditum ergo, quod habet similitudinem eius in eo quod est per se, dicetur creatum: non enim convenit Primo non communicare huiusmodi dispositionem, cum possit convenire creaturae; sed ens non per se, hoc est ens in alio, non est huiusmodi; ergo non convenit ei ratio creati.

2. Item, quod est creatum dependet in esse a solo Creatore [8]; sed ens in alio non dependet ab illo solo, sed dependet ab ente per se in creatura; ergo non est numerandum [s] inter creata.

Contra: *a.* Tam accidentia [t] quam substantiae prima operatione producuntur de non-esse in esse a summo Opifice; ergo sunt creaturae.

---

[a] S *non.* [b] L *gubernande.* [c] RZ om. [d] VS *mensura.* [e] S om. [f] T *similes.* [g] V *postmodum.* [h] L om. *q. c. s.* [i] S *summa*, quod C corr., T *summam.* [k] VST *ordine.* [l] V *continuate.* [m] L *visitato*, quod TZ corr. [n] ST *inusitate.* [o] VRCZ om. [p] R om., in Z est add. mg. [q] Z *et.* [r] R *dicerentur.* [s] V *enumerandum.* [t] Ita TL (corr.), alii *accidentis.*

[1] Cf. Aristot., *Magn. Moral.*, I, c. 10; *Metaph.*, IV, c. 4 (II, 140, 517).
[2] Cf. Gen. 2, 2.
[3] Lib. III, c. 9, n. 17 (PL 42, 878).
[4] *De Trinit.*, III,c. 9, n. 16 (PL 42, 877).
[5] Loc. cit., c. 6 (PL 42, 875).
[6] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 3, q. 2, *ad 5* (II, 35).
[7] Cf. supra, num. 22.
[8] Cf. supra, num. 24.

[Solutio]: Quod est concedendum, et distinguendum est [a] in accidentibus sicut in [b] substantiis. Sunt enim quaedam quae opere [c] creationis procedunt; quaedam vero opere generationis simpliciter vel secundum quid sive alterius generis mutationis. In iis ergo accidentibus quae procedunt opere creationis, sicut esse horum est inesse [d], ita concreata dicuntur, ipsae vero substantiae per se et simpliciter creatae: et sicut totum dicitur unum ens, ita et unum creatum.

[Ad obiecta]: 1. Ad id ergo quod obicitur in contrarium dicendum est quod licet ens [e] per se quoad hoc plus conveniat cum ipso summo ente per se, quod creat, nihilominus et illud, quod est ens non per se, dicetur creatum, quia utrumque post omnino non-esse in esse est productum; sed hoc habet ens per se quia alia dependent ab ipso, ut [f] simpliciter dicatur [g] creatum sicut et simpliciter ens in illo genere.

2. Ad secundo obiectum dicendum quod licet ens in subiecto dependeat a subiecto quod est per se, et ideo habeat ens [h] prius ipso, hoc 'prius' non est 'prius duratione', sed natura, nec dicitur etiam prius in opere, sed sunt simul [i] in opere, et ita unum creatum.

CAPUT VII. 47

UTRUM CREARI CONVENIAT UNI REI PRIUS QUAM ALII.

Septimo quaeritur utrum ordo sit in creatione rerum, an nobiliora et [k] ignobiliora simul creentur [1].

Quod sit ordo, videtur: 1. Ordo enim ostendit sapientiam [2]; sicut ergo ordo in esse ostendit sapientiam, ita ordo in fieri videtur ostendere.

2. Praeterea, numerantur dies in quibus diversae sunt factae creaturae [3]; sed dies non est simul cum die; ergo creaturae factae sunt secundum ordinem; erat [l] ergo ordo in creatione.

3. Praeterea, nobilius et minus nobile creata sunt; sed ita est in ordine facturae humanae quod praeponitur in faciendo nobilius minus nobili; multo fortius ergo in sapientia divina praeponitur secundum fieri nobilius minus nobili; ergo in creatione attendebatur ordo.

Contra: *a.* Perfectio potentiae ostenditur amplius in creando simul quae creanda sunt quam in creando secundum ordinem: signum enim imperfectionis est non simul facere diversa. Cum ergo creatio exeat a potentia perfecta, erit creatio rerum simul, maxime in generibus et speciebus, et ita non erit ordo in fieri quoad opera primae creationis.

b. Item, simul sunt rationes rerum in mente divina [4]; sed secundum rationes rerum [m] in mente divina procedunt res in esse per creationem; ad ostendendum ergo assimilationem rerum cum suis rationibus congruit magis simul creari res quam secundum ordinem, et dico ordinem ut una antecedat alteram duratione.

c. Item, quod creatur, de nihilo fit; ergo ex illa parte non sumitur differentia in duratione temporis ut hoc sit prius, illud posterius.

Respondendum est secundum intentionem Augustini, *Super Genesim ad litteram* [5], quod [n] res simul creatae sunt, licet [o] sit ordo inter ipsas res creatas secundum [p] minus nobile et magis nobile, et iste est ordo secundum dignitatem. Quem ordinem tangit Damascenus [6], cum dicit: «Decebat [q] primum intellectualem substantiam fieri, et ita sensibilem, et tunc ex utroque hominem». Potest tamen hoc intelligi ut sit prioritas temporis secundum intentionem beatorum Gregorii [7] et Hieronymi [8] et aliorum expositorum [9].

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero, quod obicitur in contrarium quod 'ordo ostendit sapientiam etc. et ita sit ordo in fieri et non tantum in esse': respondendum est quod, quia [r] concurrunt potentia et sapientia et bonitas ad hoc quod fiant res et ad hoc quod sint, in utrisque ostenditur. Potentia enim ostenditur maxime in hoc quod simul fiunt, sapientia vero in hoc quod pulcherrime fiunt et decentissime, bonitas vero in hoc quod optimo modo fiunt. Inesse [s] vero ostenditur potentia in

---

[a] RZ om. [b] T om., S *causa*. [c] VRZ *operatione*. [d] T *et esse*. [e] T *esse*; L om. *est*. [f] T om., in Z est add. interl. [g] S *creatur*. [h] V om. [i] T *similis*. [k] Z *vel*. [l] R *erit*. [m] VST om. [n] VT *quedam*. [o] S *sed*. [p] S om., T *sed*; R *creaturas* pro *creatas*. [q] VS *dicebat*, quod L corr. [r] R om. [s] T *in eo*.

1 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 12, c. 2 (p. 358); S. Bonav., II *Sent.*, d. 15, a. 2, qq. 2 et 3 (II, 384, 386 sqq.).
2 Cf. Aristot., *Metaph.*, I, c. 2 (II, 470).
3 Cf. Gen. 1, 3-31.
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, num. 178.
5 Lib. IV, c. 33 et 34; V, c. 3 et c. 23; VI, c. 1 (PL 34, 317sqq., 322sq., 337sqq., 339); *De civit. Dei*, XI, c. 6 (PL 41, 321sq.).
6 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 874).
7 *Moral.*, XXXII, c. 12, n. 17 (PL 76, 645sq.).
8 *In Epist. ad Tit.*, 1, 3sq. (PL 26, 559).
9 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 12, c. 2 (p. 359).

hoc quod tot fiunt; in hoc vero quod inter se ordinem habent, ostenditur sapientia; in hoc autem quod in quadam sufficientia fiunt, ostenditur ipsa bonitas.

2. Ad secundum dicendum quod numeratio dierum attenditur dupliciter: vel secundum differentiam temporis vel secundum differentiam cognitionis quoad ordinem cognitorum. Secundum primum modum diceretur ordo esse secundum tempus in ipso fieri, secundum intentionem B. Gregorii et B. Hieronymi[1]; secundum alium vero modum diceretur ordo cognitionis in respectu cognitorum. Nec est dicendum quod angeli essent prius creati tempore ante omnem diem, sicut videtur innuere B. Hieronymus[2] dicens: « Sex millia necdum nostri temporis implentur annorum, et quantas aeternitates et quanta fuisse tempora arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni et Dominationes Deo servierunt? » Similiter Hilarius, in libro *De Trinitate*[3]: « Quid magnum est ut ante terram Deus Dominum nostrum Iesum Christum [a] genuerit, cum angelorum origo terrae creatione reperiatur antiquior? » Sed hoc [b] videtur Hieronymus dicere recitando[4] aliorum opinionem; Hilarius vero videtur innuere quod non fuit dependentia creationis angelorum a creatione terrae, cum non habeant rationem corporeitatis proprie.

3. Ad tertio obiectum [c] dicendum quod non est simile in humana operatione et divina: humana enim operatio propter sui imperfectionem non simul extenditur ad plura, divina vero propter sui perfectionem potest ad plura extendi, non facta variatione aliqua ex parte ipsius operantis.

48 CAPUT VIII.

UTRUM CREARI PROCEDAT A CREATORE MINISTERIO CREATURAE.

Octavo quaeritur utrum creatura cooperetur in creatione[5].

Quod videtur: 1. Quia dispositio materiae cooperatur ad productionem formae; sed creatura operatur [d] [ad] dispositionem materiae; ergo cooperatur ad productionem formae; sed productio formae est creatio; ergo creatura cooperatur ad creationem. Quod videtur ex verbis Augustini dicentis, in libro *De Trinitate*[6]: « [Deus] exteriores operationes, sive bonorum sive malorum angelorum vel hominum sive quorumcumque animalium secundum imperium suum et a se impartitas distributiones potestatum et appetitiones commoditatum, ita rerum naturae adhibet, [in] qua creat omnia, quemadmodum terrae agriculturam ». De agricultura vero similitudinem assumens ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem* [e] *incrementum dedit*, I Cor. 3,6. Vult ergo dicere quod natura sive alia creatura cooperatur ad creationem.

Contra: *a.* Quod creatur, de nihilo fit; ergo non requiritur materiae adaptatio [f]; cum ergo creatura tantum operetur ad dispositionem materiae, non dicetur cooperari in creatione.

b. Item, creatio est nobilior actio quam sit substantia creaturae; ergo nec ipsa potest per se creare, sicut supra habitum est[7], nec esse particeps in opere creationis.

c. Item, si cooperaretur, insufficientia videretur ipsius creantis et aequalitas quaedam creaturae ad Creatorem; quorum utrumque cum sit impossibile, non erit [g] creatura per quam a Creatore procedat creatio. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem in contrarium dicendum quod licet creatura operetur ad dispositionem materiae, non tamen cooperatur in fieri formae, et ita non est concausa [h] qua mediante fit creatio: alia enim penitus est haec operatio et illa. Quid ergo facit creatura? Ministrat scilicet [i] in re minus nobili, excitando Dominum ad productionem rei nobilioris. Et hoc potest ostendi per exemplum Augustini[8]: « Sicut in ipsa vita nostram mentem iustificando formare non potest nisi Deus, praedicare autem extrinsecus Evangelium et homines possunt, non solum boni per veritatem [k], sed mali per occasionem[9], ita creationem rerum visibilium Deus intus operatur, exteriores vero operationes per angelos, bonos vel [l] malos, vel homines fiunt ». Attendendum autem est quod 'creari' non omnino similiter dicitur hic et [m] cum dicitur[10]: *In principio creavit Deus caelum et terram.* Nam ibi nulla coaptatio materiae praeexistentis requiritur;

---

[a] RLCZ om. *I. C.* [b] Z om. [c] V *tertium* pro *t. o.* [d] Z (corr.) *cooperatur;* VLCZ *dispositioni* pro *dispositionem.* [e] T *enim.* [f] V *adoptatio.* [g] VST *est.* [h] Ita V, alii om. [i] V *enim.* [k] R *virtutem.* [l] T *et.* [m] S om.

1 *Epist. 18, Ad Damas.*, n. 7 (PL 22, 365sq.).
2 *In Epist. ad Tit.*, 1, 3sq. (PL 26, 560); cf. Lombard., II *Sent.*, d. 2, c. 3 (p. 315).
3 Lib. XII, n. 37 (PL 10, 456).
4 Cf. Lombard., loc. cit. (p. 315).
5 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 7, c. 9 (p. 338); Conc. Later. IV, cap. *Firmiter*, Denz.-Bannwart., *Enchir.*, n. 428.
6 Lib. III, c. 8, n. 14 (PL 42, 876). 7 Cf. supra, num. 43.
8 Cf. *De Trinit.*, III, c. 8, n. 14 (PL 42, 876).
9 Cf. Philip. 1, 18. 10 Gen. 1, 1.

unde in illa creatione nullum adfuit ministerium, cum et ipsi angeli [a] creati essent, in hac autem praeexigitur ministerium. Et [b] hunc duplicem modum eius quod est 'creari' videtur ponere Augustinus, in libro *De Trinitate* [1], cum [c] dicit: « Invisibilium seminum creator ipse est creator omnium rerum, quoniam quaecumque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex [d] occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia, et incrementa debitae magnitudinis distinctionesque formarum ab originalibus tamquam regulis [e] sumunt ». — Ad auctoritatem Augustini dicendum est [f] quod licet videatur creatura praebere ministerium ut fiat excitatio ad hoc quod Creator creet [g] formam, non tamen dicitur creatura creare vel in illo opere ministrare. Unde Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [2]: « Non possunt artifices de nihilo aliquid fabricare, quia per corpus [h] operantur, cum tamen eos numeros et [i] convenientiam lineamentorum, quam per corpus corpori imprimunt, in animo accipiunt ab illa summa sapientia, quae [k] ipsos numeros et ipsam convenientiam longe artificiosius ipsius [l] mundi corpori impressit, quod de nihilo est fabricatum ».

MEMBRUM II.

De concomitantibus ipsum fieri.

CAPUT I. 49

UTRUM CREARI SIT IN TEMPORE.

Consequenter quaeritur de conditione pertinente ad ipsum creari sive fieri utrum creari sit in tempore vel non sit in tempore [3].

Quod non sit in tempore, sic probatur: *a.* Tempus ipsum coepit esse: nam si nullus esset motus vel spiritualis creaturae vel corporalis, quo per praesens praeteritis futura succederent, nullum esset tempus omnino; moveri autem creatura non posset, si non esset [4]; est autem eo [m] quod creatur; ergo tempus est posterius ipso creari; non ergo est in tempore.

b. Item, si creatio esset in tempore, tempus praecederet; sed nihil est prius creatione nisi Deus, qui est aeternus; ergo tempus esset aeternum; sed hoc non est verum: aeternitas enim est [n] prior tempore; ergo creatio non est in tempore [o].

c. Item, tempus non est in sui initio nec simul cum illo; ergo, cum creatio passive dicta sit cum initio temporis vel ante initium, non erit creatio in tempore.

Contra: 1. Augustinus, *Contra Manichaeum* [5]: « Cum ipsa creatura, quam fecit Deus, tempora esse coeperunt », et loquitur de factura mundi; ergo tempus est coaevum creaturae vel ipsi creationi passive dictae.

2. Item, ad Rom. ultimo, 25 dicitur: *Secundum revelationem mysterii* [p] *temporibus aeternis taciti.* Ergo tempora dicuntur aeterna; sed creatio non; ergo tempus est ante creationem vel cum creatione. Et [q] ipsa etiam Glossa [6] dicit [r]: « Aeterna tempora dicit quae praecesserunt mundi exordium ». — Item, super illud II Tim. 1, 9: *Ante tempora saecularia,* Haymo, in originali [7]: « *Tempora saecularia* intelligimus quae ex eo esse coeperunt quo mundus factus est, ad differentiam temporum aeternorum ». Sive ergo accipiantur tempora aeterna sive saecularia, erit tempus simul cum creatione vel ante.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod tempus accipitur multipliciter [8]: uno modo pro mensura motus rei [s] supercaelestis; alio vero modo accipitur [t] pro mensura cuiuscumque motus sive rei spiritualis sive corporalis [9]: et secundum neutrum istorum modorum est cum creatione. Alio vero modo sumitur tempus pro mensura mutationis quae subito fit vel exitus creaturae de non-esse in esse, et secundum hoc dicitur esse in [u] creatione passive dicta sive cum creatura: secundum hunc modum [v] principium durationis successivae, quae dicitur tempus, large accipitur sub tempore. Unde aliquando invenitur quod *in principio* temporis

---

[a] Ita V add. mg. *nondum.* [b] S om. [c] T *tamen.* [d] RZ *sed.* [e] VT *regales,* S *regalibus.* [f] V om. [g] T *esset.* [h] R add. *aliquid.* [i] Z *vel.* [k] L *per,* T *quod.* [l] Ita V, alii *ipso.* [m] R om. [n] STC om. [o] V om. *ergo... tempore.* [p] VSRZ *ministerii.* [q] Ita V, alii *in.* [r] Z om. [s] Ita V, alii om. [t] V om. [u] VST *enim.* [v] V add. *est.*

1 Lib. III, c. 8, n. 13 (PL 42, 876).
2 Quaest. 78 (PL 40, 90).
3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 7, c. 2 (f. 57c); S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, dub. 3 et d. 1, p. 2, dub. 2 (II, 37, 69 sq.).
4 Augustin., *De Gen. ad litt.,* V, c. 5, n. 12 (PL 34, 325).
5 *De Gen. c. Manich.,* I, c. 2, n. 4 (PL 34, 175).
6 Haymonis, in h. l. (PL 117, 800).
7 Loc. cit.
8 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 68-70.
9 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* V, c. 5, n. 12 (PL 34, 325).

creavit Deus caelum et terram, hoc est in 'nunc', sicut exponit Augustinus[a] secundum unum modum, in libro suo *Contra Manichaeum*[1]. Alio vero modo dicitur etiam[b] esse in tempore, sicut habitum est in praedicta auctoritate[2], cum dicitur: « Cum ipsa creatura, quam fecit Deus, tempora esse coeperunt ». Alio vero modo dicitur tempus pro duratione. Et sic secundum unam expositionem idem est dicere 'tempora aeterna' quod 'durationem aeternam', quemadmodum dicit Haymo; secundum aliam vero rationem dicuntur 'tempora aeterna' quae semper sunt cum mundo: et secundum hoc dicit Augustinus, *Contra Manichaeum*[c][3]: « Ideo dicuntur tempora aeterna, non tamen sic aeterna quomodo[d] Deus est aeternus, quia Deus est ante tempora, qui fabricator est temporum ».

[Ad obiecta]: Per hoc patet solutio ad obiecta. Nam secundum quod tempus dicitur mensura motus rei supercaelestis vel etiam motus rei corporalis vel spiritualis, dicitur creatio ante tempus, non in tempore vel cum tempore.

1. Ad hoc vero quod dicit Augustinus, *Contra Manichaeum*, quod « cum ipsa creatura, quam fecit Deus, tempora esse coeperunt »: dicendum quod tempus accipitur ibi pro mensura mutationis, quae subito fit[e] sive exitus rei de non-esse in esse, et secundum istum modum concedendum est quod tempus est cum creatione passive dicta.

2. Ad hoc quod dicitur ad[f] Rom. ultimo, 25: *Tempora aeterna*, et etiam Haymo: « *Tempora saecularia* ad differentiam aeternorum temporum, quae praecesserunt mundi exordium »: dicendum quod tempus accipitur ibi generaliter pro duratione, et secundum hoc 'tempora aeterna' dicetur[g] **duratio aeternitatis, quae praecessit mundi** exordium, ad differentiam temporum saecularium, vel 'tempora aeterna', quae semper sunt cum mundo, sicut supra dictum est[4].

50 CAPUT II.

QUALITER ACCIPIATUR HOC IPSUM 'NIHIL'.

Consequenter[h] quaeritur de hoc quod creari est fieri ex nihilo, qualiter accipiatur hoc ipsum 'nihil'.

1. « Ex quocumque enim fit aliquid, id est causa eius quod ex illo[i] fit; si ergo factum est aliquid ex nihilo, ipsum 'nihil' est causa eius quod **ex ipso factum est**[5] »; sed id[k] quod nihil est, nullum habet esse[l]; quod nullum habet esse[m], non adiuvat aliud ut perveniat ad esse; ergo, cum dicitur 'ex nihilo', non notatur causa.

2. Praeterea, « vox omnium est: de nihilo nihil fit[6]; ergo quidquid fit, fit ex aliquo[7] »; sed quod creatur, ex nihilo fit; ergo nihil creatur.

3. Item, si creari est procedere non ex aliquo, aut hoc est non[n] ex aliquo quod sit[o] alterius substantiae: et secundum hoc diceretur Filius procedere ex nihilo, quia non est alterius substantiae a Patre; aut dicitur procedere non ex aliquo generaliter, scilicet quod[p] nec est eadem substantia nec differens: et secundum hoc, cum malum nec[q] sit eadem substantia[r] nec differens, quod ex malo procedit dicetur creari, quia procedit ex nihilo.

4. Praeterea, dicitur quod homo loquitur de nihilo, cum[s] loquitur de re inutili vel omnino nonente; sed loqui est agere quoddam; non autem dicitur homo creare; ergo non omne procedere ex nihilo est creari, sicut non omne agere de nihilo est creare.

5. Praeterea, quod informe est, quodammodo dicitur nihil: unde[t] materia, cum est informis, dicitur nihil; ergo fieri ex materia secundum illum modum, est fieri ex nihilo; sed hoc non est creari; ergo non omne fieri de nihilo est creari.

6. Praeterea, cum aliquis de nulla re loquitur, dicitur quod[u] de nihilo loquitur[8]; numquid[v] eodem modo dicetur creari fieri ex nihilo?

[Solutio]: Ad quod dicendum[9] quod fieri ex nihilo sive de nihilo dicitur multipliciter. Nam 'de' vel 'ex' potest dicere ordinem, non[x] causam[10], qui tamen ordo non salvatur nisi in altero extremorum: et secundum hunc modum dicitur 'creari' fieri ex nihilo vel de nihilo, quia post omnino

---

[a] LC om. [b] LZ om. [c] Ita ST, alii om. *C. M.* [d] V *ut*. [e] ST *fuit*. [f] RLCZ om. [g] R *dicentur*. [h] ST *deinde*. [i] L *illa*. [k] T om., R *illud*. [l] V add. *et*, R add. *illud*. [m] SL om. *q. n. h. e.*, in R est add. mg. [n] S om. [o] ST *fit*, V add. *alius*. [p] Ita V, alii *quae*. [q] V add. *cum*. [r] V *substantias*. [s] ST *et*. [t] L add. *de*. [u] T om. [v] V *non quid*, L om. *modo*. [x] T add. *secundum*.

1 Cf. *De Gen. c. Manich.*, I, c. 2, n. 3 (PL 34, 174sq.).
2 Cf. supra, p. 57, nota 5.
3 *De Gen. c. Manich.*, I, c. 2, n. 4 (PL 34, 175).
4 Cf supra, in *Solutione*.
5 Anselm., *Monol.*, c. 8 (PL 158, 155), cetera ad sensum ibidem occurrunt.
6 Cf. Aristot., *Phys.*, I, c. 8 (II, 258).
7 Anselm., loc. cit.
8 Cf. Anselm., loc. cit. (PL 158, 156).
9 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, q. 1, *ad 6* (II, 18).
10 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 426, *ad 4*, et p. 433, *Respondeo*.

non-esse procedit creatura in esse. Et sic dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei*[a1]: « Quae facta sunt, mutabilia sunt, quia non de illo[b], sed de nihilo facta sunt ». Si vero dicat causam, secundum illum modum[c] non est creari fieri ex nihilo.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc solvitur primo obiectum.

2. Similiter potest solvi secundum: quod enim omnino est non-ens non potest esse materia entis, et ita ex eo[d] non producetur materialiter aliquid; hoc tamen non est contrarium ei quod post non-esse producatur aliquid in esse.

3. Ad tertium dicendum quod Filius non dicitur procedere ex nihilo vel de nihilo, sed de Patre[2]. Unde Hilarius, in XII *De Trinitate*[3]: « Cum ex manente natus est, non est natus ex nihilo »; non enim post non esse Filium procedit Filius in esse nec post omnino non-esse. — Item, cum dicitur 'creari' fieri ex nihilo, non intelligitur 'nihil' privative, sicut malum dicitur esse nihil: malum enim nulla[e] substantia est, sicut dicit Augustinus, *In Ioannem*[4] 1,3: *Sine ipso factum est nihil*, « id est peccatum ». Cum ergo aliquid dicitur fieri ex malo[f], id est peccato, privationem habet pro origine; cum autem aliquid dicitur creari ex nihilo, sumitur negative, non causaliter. — Item, fieri ex nihilo potest intelligi quod non fit ex aliqua causa, sicut dicit Anselmus[5]: « Contristatur de nihilo, id est non contristatur ex aliqua causa vel contristatur[g] sine causa ». Licet de Patre possit dici 'Pater non fit ex aliquo', non conceditur tamen[h] quod Pater fit[i] de nihilo: in forma enim dicendi datur intelligi quod Pater fiat; quod nullatenus est concedendum. Si vero dicatur fieri de nihilo, hoc est fieri[k] sine causa, cum nihil sine causa fiat, oppositio esset in hoc verbo 'creari': poneret enim quod fieret et quod non ex aliqua causa fieret. Ista autem duo non sunt opposita: 'fieri ex aliquo', id est ex aliqua causa, et 'fieri ex nihilo', prout continetur in ratione eius quod est creari. Unde Anselmus, in *Monologion*[6]: « Sine omni repugnantia ea, quae sunt a creatrice[l] essentia dici possunt esse facta ex nihilo » eo modo quo dici solet dives fieri[m] ex paupere et sanitatem recepisse quis ex aegritudine, id est qui prius erat pauper, nunc est dives.

4. Ad quartum dicendum est[n] quod, cum dicitur 'homo loquitur de nihilo', dupliciter intelligitur: vel negative, id est non loquitur de aliqua re, et sic non ponitur hoc verbum 'fieri', ut ex hoc sequatur quod aliquid[o] fiat; si vero privative vel[p] negative in genere, secundum hoc ponitur loqui. Et licet loqui sit agere, non tamen sic agere de nihilo est creare: 'nihil' enim dicitur inutile vel omnino non-ens, sicut chimera, quod[q] est materia locutionis. 'Ex nihilo' autem, prout ponitur in ratione eius 'creari', non ponit materiam, et ita differenter accipitur.

5. Ad id vero quod obicitur de materia, quod 'materia[r] nihil est secundum quemdam modum': dicendum quod sic 'fieri ex nihilo' privative dicetur, non pure negative; item materialiter, non tantum ordinaliter.

Et per hoc possunt solvi ea quae primo obiciuntur.

---

[a] L (interl.) C add. *omnia.* [b] R *nullo.* [c] V om. [d] Ita V, alii om. *e. e.* [e] S *in illa.* [f] V add. *nihilo*, C add. *vel malo nihilo.* [g] V om. *e. a. c. v. c.*, quod in L est add. mg. [h] C om. [i] Ita ST, alii *sit.* [k] VS om. [l] Codd. *creatione*; V *fiunt* pro *sunt.* [m] Ita V, alii om. [n] VZ om. [o] VST *aliquis.* [p] L *ex.* [q] Z *que.* [r] L *modo.*

1 Lib. XII, c. 1, n. 3 (PL 41, 349).
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 299.
3 Num. 25 (PL 10, 449).
4 Tract. 1, c. 1, n. 13 (PL 35, 1385).
5 *Monol.*, c. 8 (PL 158, 156), cetera ad sensum.
6 Loc. cit. (PL 158, 157).

TRACTATUS SECUNDUS

DE CREATURA SECUNDUM ESSE

QUAESTIO I.

DE CREATURA SECUNDUM SUBSTANTIAM.

Transeundum est deinceps ad esse creaturae secundum se. Circa quam haec sunt consideranda, scilicet ipsa substantia creati, unitas et multitudo, simplicitas [a] et compositio, mutabilitas vel immutabilitas, coaeternitas vel temporalitas, localitas, dispositiones ex parte qualitatis et [b] ex parte relationis: praedictae enim sunt quasi ex parte quantitatis. Primo ergo considerandum [c] est de substantia rei creatae, ratione cuius quaeritur:

Primo, utrum per se dicatur creatum compositum ex materia et forma, an alterum componentium vel utrumque;

secundo, quare [d] sub ratione caeli et terrae potius quam sub aliis rationibus;

tertio, cum haec contingat accipi et esse sub ratione universalis vel particularis, utrum secundum utramque rationem sit esse creati [e] vel secundum alteram tantum.

51

CAPUT I.

UTRUM PER SE DICATUR CREATUM COMPOSITUM EX MATERIA ET FORMA.

Ad primum sic obicitur: *a.* Compositum ex materia et forma perfectum est [f] in suo genere; a perfecto autem simpliciter secundum rationem potentiae et sapientiae et bonitatis convenit procedere perfectum secundum primam rationem; sed hoc est compositum, sicut dictum est [1], creatio autem est prima ratio procedendi in creaturis [g]; ergo compositum dicetur per se creatum. Nec obviat ratio creati, quae est 'procedens [h] de non-esse omnino in esse': hoc enim convenit ipsi composito.

b. Item, cum 'per se ens' conveniat iis tribus, proprie et primo convenit composito, materiae vero, quia non est in subiecto, sed est alterius subiectum, formae vero ut qua formaliter res est id quod est [2]; sed cui convenit proprie et primo esse substantiam de nihilo factam, hoc est creatum per se et primo; ergo compositum dicetur per se et primo creatum.

c. Item, hoc est in quo stat actus naturae vel voluntatis; multo ergo fortius actus creationis.

Contra: 1. Augustinus, in libro *De Symbolo* [3]: «Materia de nihilo facta est ita ut ordinatissimo Dei munere primo capacitas formarum fieret ac deinde [i] postea formarentur quaecumque formata sunt».

2. Item, quod convenit plus cum principio creante, plus habet similitudinis; sed materies, a qua formatus est mundus, convenit in hoc cum Primo secundum quamdam proportionem ut dicatur origo rerum, quod non est dicere de aliqua forma vel de composito. Unde Augustinus, in libro *Confessionum* [4]: «Materia, a qua formatus

---

[a] L *simplicitatis.* [b] SC om. [c] V *consideranda.* [d] STL *queritur.* [e] T *creari.* [f] LC om. *p. e.* [g] VSRZ *creaturas.* [h] Z *precedens.* [i] Z *demum.*

1 Cf. supra, num. 47.
2 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3 (II, 264).
3 *De fide et Symbolo*, c. 2 (PL 40, 183).
4 Lib. XII, c. 29, n. 40 (PL 32, 843).

est mundus, origine, non tempore, res ex se factas praecessit ». Cum ergo plus habeat similitudinis, magis participabit rationem entis, et ita eius quod creatum est.

3. Quod autem conveniat formae, videtur: Forma enim est quae dat esse materiae et ipsi composito [1]; quod autem dat esse materiae [a] et ipsi composito [b], in hoc habet ampliorem similitudinem cum ipso Creatore et fluit de non-esse; ergo habet plus [c] rationem creati.

4. Item, plus convenit cum ipsa forma exemplari; ergo plus habet de ratione exemplati; quare per consequens plus habet de ratione [d] creati.

[Solutio]: Ad hoc respondendum est [e] quod, cum 'creatum' dicat terminum actus qui est creatio — unde [f] creatum est quod est [g] ex iis, scilicet materia et forma, et ipsa materia et ipsa forma [2] — nihilominus tamen propter aliquam similitudinem dicitur compositum primo creatum sive primo habens rationem entis, propter aliam autem dicitur forma, propter aliam autem materia [h]. Propter rationem enim perfecti et eius quod est per se et in se sufficientis convenit ei primo ratio creati; sed propter rationem actus et formae, secundum quorum utrumque habet aliquam similitudinem cum Primo dicetur forma; secundum vero rationem originis et potentiam primam in suo genere habentis dicetur materia.

[Ad obiecta]: 1-4. Ex iis patet solutio praedictorum.

CAPUT II. 52

QUARE POTIUS SUB RATIONE CAELI ET TERRAE DICATUR CREATIO.

Secundo quaeritur quare sub ratione caeli et terrae [dicatur] creatio potius quam sub aliis rationibus [3].

Ad quod sic: 1. Terra in genere principiorum minus nobilis est, ignis autem et aër et aqua corpora sunt nobiliora; cum ergo [i] creata quoad substantiam suam deberent nominari, magis nominanda essent sub ratione istorum quam sub ratione terrae.

2. Item, caelum corporalem designat naturam; ergo nomine caeli et terrae non designantur nisi corporales creaturae; sed nobilior est spiritualis creatura corporali; ergo aliquo nomine conveniente spiritibus debebat designari.

3. Item, cum utrumque sit intelligibile et utrumque sensibile, quare dictum est in Psalmo [4]: *Qui fecit caelos in intellectu,* de terra vero dicitur [5]: *Qui fundavit terram* [k] *super aquas?*

4. Item, in Isai. 48, 13 dicitur: *Manus mea fundavit terram, et dextera mea mensa est caelos.* Propter quid sine distinctione dicitur quod *manus fundavit terram,* cum distinctione vero dicitur [l]: *Dextera* etc.?

5. Item, Isai. 40, 12 dicitur: [*Quis*] *caelos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terrae?* cum utrumque possit appendi et [m] utrumque ponderari.

[Solutio]: Ad quod respondendum quod nomine caeli et terrae secundum unam expositionem designantur spiritualis creatura et corporalis, ut nomine caeli designetur spiritualis, nomine terrae corporalis [6]. Alio vero modo potest exponi [7], ut nomine caeli designetur caelum [n] empyreum cum suis contentis, nomine vero terrae designetur inferior corporalis creatura usque ad caelum aqueum sive cristallinum, secundum quod divisae sunt aquae superiores ab inferioribus. Tertio modo potest dici caelum tota natura corporalis, quae est sine contrarietate cum contentis suis, terra vero natura corporalis habens contrarietatem cum suis contentis. Secundum primam expositionem dicitur super illud in Psalmo [o] [8]: *Qui firmavit* [p] *terram super aquas,* Glossa [9]: « Universam creaturam per se, non per creaturam fecit, cuius [q] aliquas excellentiores partes posuit, ex quibus omnia cogitentur, id est intelligibiles caelos et visibilem terram [r] ». Secundum secundam expositionem dicit Augustinus, in XII *Confessionum* [10], quod nomine caeli intelligitur

---

[a] ST om. [b] Ita R, alii om. *e. i. c.* [c] VTRZ *prius;* T *hec* pro *ergo.* [d] VRLCZ *creatione.* [e] V om. [f] VTR *unum.* [g] C om. *q. e.* [h] S om. [i] T *autem.* [k] TLC om. [l] Z om.; R om. *etc.* [m] Z *vel.* [n] C *nomen.* [o] V *Psalmi* pro *i. P.* [p] R *formavit.* [q] T om. [r] ST *creaturam;* V om. *secundum.*

[1] Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3, *Metaph.*, IV, c. 2 (II, 264, 515).
[2] Cf. supra, num. 44.
[3] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 1, dub. 1 et d. 12, dub. 1 (II, 69, 306).
[4] Psalm. 135, 5. [5] Psalm. 135, 6.
[6] Cf. Augustin., *Confess.*, XII, c. 20, n. 29 (PL 32, 836); *De Gen. c. Manich.*, I, c. 5 (PL 34, 178); *De Gen. ad litt.* I, c. 1, nn. 2 et 3 (PL 34, 247); Lombard., II *Sent.*, d. 12, c. 3 (p. 359).
[7] Cf. *Glossa ordin.*, *In Gen.* 1, 1 (PL 113, 68 sq.).
[8] Psalm. 135, 6.
[9] *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 1136), ex Augustino, *Enarr.*, in h. l. (PL 37, 1758).
[10] Loc. cit.

spiritualis creatura, nomine terrae corporalis. Utraque vero expositio, scilicet secunda et tertia, habetur in libro *De civitate Dei* XI[1]: « Cum dicitur: *In principio fecit Deus caelum et terram,* iis nominibus universaliter est significata creatura corporalis et spiritualis vel magnae duae mundi partes, quibus omnia, quae creata sunt, continentur ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum [a] quod, licet terra sit minus nobile principium sive elementum, nihilominus tamen nomine caeli et terrae designantur creaturae. Sunt enim sensibilia manuductiones ad intelligibilia[2]; caelum autem et [b] terra sunt extrema corpora, quorum unum habet plus de spiritualitate ratione luminis[3], alterum plus de corpulentia ratione materialitatis et opacitatis, et propter hoc ista duo corpora designavit; terra tamen, quia plus habuit [c] de materialitate, nomine eius voluit designare materiam istorum transmutabilium inferiorum; media ergo, cum habeant communicantiam [d] cum utrisque extremis et habeant communem materiam, maxime cum ipsa terra, per caelum et terram designantur.

2. Ad secundum vero [e] dicendum est quod utentibus sensu oportet intelligibilia per sensibilia declarare. Spiritales vero substantiae, licet separatae sint per essentiam a corporalibus, nihilominus tamen a corporalibus continentur [f], utpote angeli secundum sui primam creationem collocati sunt in caelo, animae vero in corporibus terrenis, hoc est in quibus plus abundat secundum gravitatem terra. Recte ergo per caelum et terram apud utentes sensu exteriori et interiori non tantum declarantur corporales creaturae, sed et spiritales quae ab iis continentur.

3. Ad tertium [g] obiectum dicendum [h] quod licet utrumque sit sensibile, scilicet caelum et terra, caelum tamen dicitur intelligibile propter sui spiritualitatem et simplicitatem, et ideo distinguendo inter caelum et terram, dixit *caelos* fieri *in intellectu,* de terra vero non dixit; nihilominus tamen utrumque est intelligibile et utrumque sensibile secundum alteram et alteram rationem.

4. Ad quartum vero [i] dicendum quod terra dicitur *fundari* a *manu* [k] per quamdam metaphoram, non quod [l] divina essentia manum habeat vel dexteram vel sinistram, sed more fabricatoris loquitur. Manus ergo accipitur ibi in genere vel, quia dividit contra dexteram, accipitur pro sinistra, et sive sic, sive sic, ostendit minus esse complementum in terra quam in caelo; minus enim complementum est in genere quam in specie prout huiusmodi, et sinistra minus nobilis est quam dextera: dextera enim est principium motus, sinistra vero est per quam regirat [m] motus et in hominibus magis est principium sustinendi quam agendi[4]. Et propter hoc nomine 'manus' in genere dicendo vel per [n] appropriationem cointelligendo sinistram fit appropriatio potentiae divinae respectu ipsius terrae, quae minus nobilis est; per dexteram vero significatur appropriatio divinae potentiae respectu caeli, quod est nobilius [o]. Hoc etiam videtur per hoc quod dicitur Cant. 2,6: *Laeva eius sub capite meo et dextera illius amplexabitur me;* per laevam enim designantur ista inferiora, quae nomine terrae significantur in Scriptura, per dexteram vero caelum et caelestia. Similiter Prov. 3,16: *Longitudo dierum in dextera eius* [p], *et in sinistra illius divitiae et gloria;* res enim perpetuae, quae ad caelum pertinent, nomine 'dexterae' intelliguntur: nomine vero 'sinistrae' ea in quibus homines gloriantur et ditantur, scilicet terrena[5].

5. Ad quintum dicendum est [q] quod caeli dicuntur *ponderari palmo* propter sui magnitudinem et capacitatem et quia caelum [r] extenditur ad illum modum, quamdam habens in se continuitatem, ut pars a parte non sit separabilis natura. Terra vero dicitur *appendi tribus digitis* propter sui minoritatem et separabilitatem et quia triplex virtus est in ea: habet enim virtutem opacitatis et qualitatis pertinentis ad mutationem secundum substantiam et qualitatis pertinentis ad motum localem. Secundum rationem opacitatis habet situm centralem tamquam minus nobile corpus inter principia et plus materiale; secundum vero qualitatem [s] generabilem ordinatur ad generationem; secundum vero [t] gravitatem ad motum localem: et hae sunt differentiae impressionum quas ipsa terra recipit. Ad discernendum ergo istam triplicem differentiam dicitur *appendi tribus digitis.* — Praeterea, per tres digitos designantur potentia, quae appropriatur Patri, notitia, quae appropriatur Filio, virtus motiva [u] quae appropriatur Spiritui Sancto[6]. Habet autem etiam [v] potentiam susceptivam, et ratione huius ordinatur ad potentiam. Habet etiam ratione suae opacitatis splendorem: splendor enim fit ex reflexione opaci sive densi, et quoad hoc ordinatur ad ipsam notitiam. Habet etiam virtutem motivam, ratione cuius refertur ad Spiritum Sanctum. Recte ergo *tribus digitis* dicitur *appendi.*

---

[a] ST add. *est.* [b] T om. [c] V add. *terra.* [d] V *convenientiam.* [e] R om. [f] R *continetur.* [g] Ita V, alii *tertio.* [h] V *est.* [i] V om. [k] Z add. *et.* [l] V *quia.* [m] VST *regnat.* [n] Z om. [o] T *nobilis.* [p] Ita V, alii *illius.* [q] V om. Ita V, alii om. [r] V add. *generaliter.* [s] Z *ergo.* [t] S om. [u] Ita V, alii om.

1 Cap. 33 (PL 41, 347).
2 Cf. supra, num. 40.
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 13, a. 2, q. 2 (II, 320).
4 Cf. Aristot., *De animal. incessu,* c. 4 (III, 307).
5 Cf. Raban., in h. l. (PL 111, 692).
6 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 450.

UTRUM ESSE CREATI SIT SUB RATIONE UNIVERSALIS VEL PARTICULARIS.

Tertio quaeritur, cum hoc contingat accipi et esse sub ratione universalis et particularis, utrum secundum utramque rationem sit esse creati vel secundum alteram tantum.

Quod secundum rationem universalis, videtur: 1. Eo quod universale, in quantum huiusmodi, similius est causae propter rationem perpetuitatis [a]; item, similius est ratione virtutis continendi multa; similius est etiam ratione formae: ratione enim formae magis est universalitas.

2. Quod autem ratione singularitatis sive [b] particularitatis, videtur: Eo quod actus sunt circa singularia; creatio autem actus est; ergo est [c] circa singulare. — Item, singulare [d] est omnino completum in esse; quod magis convenit rei creatae, hoc etiam magis rationem [e] substantiae tenet; ex quibus colligitur quod magis convenit ratio creati in esse [singulari].

Contra, sic ostenditur quod utrique: *a.* Utrumque enim exit de non-esse omnino in esse; ergo utrumque habet rationem creati.

b. Item, super illud [1]: *Requievit ab omni opere,* « a generibus scilicet rerum et speciebus [2] »; sed haec non sunt sine suis singularibus; cum ergo requies illa diceretur a creatione, erat [f] creatio tam universalium quam singularium.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod utriusque est creatio, unius scilicet in altero. Universale enim ratione perpetuitatis habet esse divinum, sicut dicit Philosophus [3], quod positum est in singulari, ut si non possit in uno salvari, salvetur in alio; hoc ergo in illo est terminus creationis, particulare scilicet sive singulare, in quo salvatur; universale autem est quod salvatur et quod habet in singulari virtutem salvandi se. Propter ergo dictas rationes utrumque habet rationem creati: hoc secundum unam rationem, illud vero secundum aliam praeeminenter.

QUAESTIO II.

DE CREATURA SECUNDUM QUANTITATEM.

TITULUS I.

DE UNITATE ET MULTITUDINE CREATI.

Transeundum est ad quaestionem de unitate et multitudine in iis quae creata sunt:
Utrum unum [g] tantum sit a Primo immediate an multa;
item, de causa multitudinis, si est.

UTRUM UNUM TANTUM SIT A PRIMO IMMEDIATE AN MULTA [4].

Quod creatum procedere debeat a Primo [h] in unitate, sic arguitur: 1. Exemplatum enim [i] imitatur suum exemplar; sed exemplar est in omnimoda unitate; ergo et exemplatum debet esse in unitate. Hanc enim rationem videtur Augustinus [5] inducere ex [k] verbis Platonis, quod mundus sensibilis sit unus eo quod mundus archetypus sit unus.

2. Et si dicatur per similitudinem exemplaris inferioris a quo plura procedunt exemplata:

[a] ST *proprietatis.* [b] V *vel.* [c] Ita V, alii om. [d] V om. *I. s.* [e] LZ *ratione.* [f] T *erit.* [g] S *vero,* quod T corr., V *vero unum.* [h] Ita V, alii om. *a. P.* [i] V om. [k] T *in.*

1 Gen. 2, 2.
2 *Glossa ordin.,* in h. l. (PL 115, 125), ex Augustino, *De Gen. ad litt.,* IV, c. 12, n. 22 (PL 34, 304).
3 Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 4 (III, 448).
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 2, a. 1, q. 1 (II, 39); *In Hexaëm.,* coll. 3, nn. 4-6 (V, 343 sq.).
5 Cf. *Contra Academ.,* III, c. 17; *Retract.,* I, c. 3, n. 2 (PL 32, 954, 588 sq.).

constat quod ab uno exemplari in specie non procedit nisi unum exemplatum in specie, licet sint plura numero. Si ergo sic est in summo exemplari, non procedet nisi unum exemplatum in specie, et ita unum creatum in specie: ab uno enim [a] libro, qui est unum exemplar in specie, non procedit exemplatum nisi unus liber in specie et [b] ab uno sigillo in specie una impressio in specie.

3. Si vero dicatur quod differentia sint exemplaria propter pluralitatem idearum, ut huic ideae respondeat hoc creatum in specie, illi vero aliud: secundum hoc, cum ideae sint eaedem in essentia, essent ideata eadem [c] in essentia, et ita remanerent [d] unum creatum in essentia; et si omnes ideae sunt una idea, omnia creata essent unum creatum. Quod cum non sit, non ex hoc tantum accipietur [e] unitas.

4. Item, si secundum numerum idearum esset numerus ipsorum creatorum in specie vel in genere, non posset numerus creatorum in specie crescere, cum numerus idearum non possit crescere: nulla enim mutatio menti divinae potest convenire [1]; sed constat quod numerus creatorum posset crescere, cum potentia Dei sit omnipotentia et ita infinita, et ita potest plura creare quam creaverit [f].

5. Item, si proveniret pluralitas ex aliqua [g] ratione, aut hoc esset ex parte causae finalis aut formalis aut efficientis aut materialis. Ex parte vero causae materialis non potest esse, cum [h] non habeat causam materialem: creatum enim est de nihilo; aliae vero rationes causae sunt unum in essentia, sicut supra habitum est [2]; ergo ex parte nullius causae potest accipi ratio multitudinis. — Item [i], voluntas Dei est efficiens causa; sed voluntas eius est una et immutabilis; ergo ex illa parte non potest provenire ratio multitudinis.

6. Item, est multiplex modus procedendi [k] a Deo Patre [3]: per generationem, per spirationem, per creationem, per factionem, prout differt a creatione; sed duobus primis modis non dicitur nisi unum procedens, ut Filius per generationem, Spiritus Sanctus [l] per processionem [4]; ergo pari ratione videtur secundum alios duos modos ut unum procedat ab uno.

7. Item, si diceretur quia [m] ex nihilo procedunt creata, ideo est pluralitas creatorum – contra hoc est quod 'nihilum' [n] illo modo dictum, nullius rei est causa, et ita non est causa multitudinis.

8. Item, procedens a Primo, quocumque modo procedat, procedit secundum aliquam similitudinem; sed multitudo omnino dissimilis est summae unitati sicut et [o] corruptio; non ergo dicetur [p] creatum procedere a Primo in ratione multitudinis.

Forte [q] diceretur, sicut et quidam philosophi [5] dixerunt, quod a Primo, quod est vere unum, non procedit immediate nisi unum, mediate vero, sive secundum prius et posterius, plura: utpote primo creavit intelligentiam angelicam — intelligentia vero angelica [r], quia se intellexit et illum a quo erat, et ita intellexit multitudinem — mediante intelligentia angelica processit multitudo.

Sed haec ratio non congruit: secundum hoc enim maioris potentiae esset Primum mediante creatura quam secundum se ipsum. Nam mediante creatura poterat producere multa, secundum se ipsum vero [s] non poterat producere nisi unum. — Item, si multitudo producta producebatur propter intellectum multitudinis qui erat in [t] intelligentia angelica, eo quod intelligebat se et illud a quo erat, et ita multiplex erat intellectus: cum hanc multiplicitatem non haberet ipsum Primum — non enim intelligebat aliud a quo erat — potentior videretur ipsa intelligentia angelica quam divina: nam intelligentia angelica posset secundum hoc multa facere immediate, divina vero non; quod est inconveniens. Si vero propter intellectum multitudinis in genere erat potentia producendi multa et per consequens multorum productio, cum divina intelligentia intelligat se et illud quod est ab ea, angelica vero intelligat se et illud a quo est, magis convenit divinae intelligentiae producere multa immediate quam ipsi angelicae. Nam ratio intelligendi illud quod est a se est ratio intelligendi se esse causam et aliud esse causatum [u] ab illo; ratio vero intelligendi quod est ab alio, est ratio intelligendi se esse causatum; ergo, cum ratio producendi conveniat causae et non conveniat causato ut huiusmodi, divina intelligentia plus [v] habebit rationem causandi [x] multa quam angelica.

Alii [6] vero dixerunt quod unitas est [y] a forma et multitudo a materia, et propter hoc ratio multitudinis non fuit a Summo eo quod est [z] forma, sed fuit a materia.

---

[a] V om. [b] T om. [c] V *idem.* [d] T *remanent.* [e] T *excipietur.* [f] TR *creavit.* [g] V *alia.* [h] T om. [i] C *iterum.* [k] V *producendi.* [l] Ita V, alii om. [m] V *quod.* [n] V *nihil.* [o] LCZ om. [p] V *diceretur.* [q] V *Et forte.* [r] V om. *i. v. a.* [s] L om., C om. *i. v.* [t] SL om. [u] T *creatum,* item infra. [v] T *prius.* [x] VTRZ *creandi.* [y] T om. [z] C add. *a.*

1 Cf. Augustin., *De div. quaest. 83,* q. 46, n. 2 (PL 40, 30).
2 Cf. supra, num. 7.
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 437a.
4 Cf. Alex. Hal., loc. cit., n. 495.
5 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.,* II, c. 10 (II, 464); *Liber de causis,* § 3 (p. 165); Averroes, *In Metaph.,* XII, c. 4 (ed. Venetiis 1552, f. 153d): « Ab uno autem et simplici non provenit nisi unum ».
6 Dom. Gundisal., *De unitate,* p. 4sq. (ed. P. Correns, in *Beiträge Baeumker,* I, Heft 1, 1891). Cf. Augustin., *De vera relig.,* c. 18, n. 35sq. (PL 34, 137) et *De nat. boni,* c. 3sqq. (PL 42, 553sqq.).

Sed contra hoc sic obicitur, sive ponatur materia coaeterna sive creata et non coaeterna: si enim ponitur coaeterna, forma vero non, aut erit una sola forma creata aut plures in illa materia. Si una sola, materia vero sola et forma sola, non producetur nisi unum. Si vero dicatur quod forma una multiplicatur per materiam, haec multiplicatio non erit secundum [a] speciem vel genus, et ita diversitas rerum secundum [b] genus et speciem non erit a materia.

Si forte dicatur, sicut reperitur in libro *De unitate et uno* [1] [c], quod materia cum habeat distensionem, aliqua pars eius sit remotior et alia propinquior, et secundum hoc attendatur diversitas formarum in materia, in genere et in specie, utpote intelligentia sit simplicioris materiae, anima vero minus simplicis, et ita de aliis – sic obicitur in contrarium: non potest esse propinquitas et elongatio respectu divinae essentiae secundum locum aut situm; a Deo enim non receditur loco, sed dissimilitudine, sicut dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei* [2] et *De natura boni* [3] et in pluribus locis [4], et hoc est quia est ubique; dissimilitudo vero attenditur secundum privationem maiorem vel minorem quae est formae vel secundum compositionem maiorem vel minorem; compositio vero maior vel minor non est sine formis nec privatio maior vel minor nisi respectu formarum; non ergo a materia erit [d] universaliter ratio multitudinis.

Si enim dicatur materia partes habere, partibilitatem ergo habebit; partibilitas autem non est sine forma. Si etiam in una parte sui sit [e] simplicior et altera parte corpulentior, hoc non erit nisi ratione formarum: materia enim ex hoc est materia quod habet possibilitatem ad formas. — Praeterea, materia ratione corporeitatis est divisibilis; sed divisio aliunde venit quam a divisibili; ergo aliud est principium divisionis sive multitudinis quam materia. — Praeterea, si partibilitas est in materia ratione corporeitatis, erit divisio ratione formae, cum corporeitas [f] in materia sit forma. — Item, si tantum ratione materiae esset multitudo, omnia essent unum in forma; cum ergo unitas dicatur ratione formae [5] sicut multitudo ratione materiae, omnia essent unum; quod cum non sit, non tantum ratione materiae est multitudo, sed etiam ratione formae.

Si vero materia ponatur creata et non coaeterna, non erit ab ipsa multitudo creatorum sive conditorum [g]. Nam aut ipsa sola exit in esse tunc de non-esse aut cum ea etiam exit forma. Si sola materia, non erit multitudo; si autem forma cum materia, unde erit differentia formae et materiae? Non enim materia dabit formae quod differat sicut [h] nec forma dat materiae quod differat a forma; multitudo ergo, quae est materiae et formae, nec a materia nec a forma erit; et non est [i] aliud nisi opifex; ergo est [k] ab opifice.

Si vero dicatur, sicut alii dixerunt [l], quod multitudo rerum est a forma – secundum hoc obicitur: aut formae sunt [m] multae aut non sunt multae in se ipsis. Si non sunt multae in se ipsis, ergo una forma, in quantum una, esset principium multitudinis – contra: una forma est principium unitatis in re; ergo secundum hoc non erit principium multitudinis. Si vero sunt multae formae in se ipsis, unde venit illa multitudo? cum formae a se non habeant esse nec per consequens unitatem multiplicatam. — Praeterea, si in sola forma esset principium multitudinis, non esset aliqua diversitas a materia vel subiecto; videmus autem formam secundum materiam vel subiectum diversificari [n]; dicitur enim alius ignis et alius, quia in alia materia, et alia albedo [et alia], quia in alio subiecto.

Fuerunt etiam [o] alii qui dixerunt multitudinem rerum conditarum procedere a Deo secundum hunc modum: divina essentia intelligit se et intelligendo est causa eorum [p] quae sunt ab ea; et quia non tantum intelligit se, sed intelligit intelligere se et ita in infinitum, non tantum est principium Filii, qui est sapientia sive notitia, sed etiam aliorum per Filium, scilicet rerum conditarum: et primae rei conditae, quia intelligit intelligere se, secundae vero, quia intelligit [q] intelligere intelligere [r] se, et ita deinceps [6]: et sic procedit multitudo; et non tantum multitudo, sed etiam ordinata multitudo. Et sic videtur illud intelligi quod dicit Boethius [7]: « Omnia, quae a primaeva rerum natura condita sunt [s], numerorum ratione videntur esse formata ». — Item [t], ad hoc videtur facere quod dicit Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [8], « quod idem est sapientia et numerus ». Unde exponit illud Sap. 8,1: *Attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia*

---

[a] RLCZ *per.* [b] V *vel.* [c] Z *una.* [d] L om. [e] V om. [f] T *corporeitatis.* [g] C om. *s. c.* [h] Z *sic.* [i] R om. [k] RLCZ *erit.* [l] RLCZ om. *s. a. d.* [m] V om. [n] S *diversificati.* [o] L *autem.* [p] ST *earum.* [q] C om. *intelligere... intelligit.* [r] VSR om. [s] T add. *a.* [t] VST om.

1 Dom. Gundisal., *De unitate*, p. 6.
2 Cf. lib. IX, c. 17 (PL 41, 271). 3 Ibi nil tale.
4 Cf. *De Trinit.*, VII, c. 6, n. 12 (PL 42, 946); *De vera relig.*, c. 55, n. 113 (PL 34, 172) et *Enarr. in Psalm. 94*, n. 2 (PL 37, 1217).
5 Cf. Aristot., *Phys.*, I, c. 7 (II, 257).
6 Cf. Augustin., *De Trinit.*, XV, c. 12 (PL 42, 1074), ubi simile quid inducitur.
7 *De arithm.*, I, c. 2 (PL 63, 1083).
8 Lib. II, c. 11, n. 30 (PL 32, 1257sq.), ubi et sequens.

suaviter, ut unum referatur ad rationem sapientiae, alterum vero ad rationem numeri, sic dicens: « Ea potentia, qua *fortiter a fine usque ad finem attingit*, numerus fortasse dicitur; ea vero, qua *disponit omnia suaviter*, sapientia [a] proprie vocatur, cum sit utrumque unius eiusdemque sapientiae ».

Contra: Quod intelligit intelligere se non facit in ipso aliquam pluralitatem; ergo propter hoc non dicetur esse multitudo in rebus. — Item, non magis se habet ad unam rem conditam 'intelligere intelligere [b] se' quam si ter dicatur vel quater reflectendo [c]; ergo non propter hoc erit rerum conditarum differentia. Tantum enim [d] pertinet 'intelligere' reflexum bis vel ter ad angelum quantum ad animam et e converso, cum utrumque sit a Deo immediate. — Praeterea, si haec esset ratio procedendi [e] res in multitudine, unaquaeque res procedens participaret intellectum qua ratione et alia res, et ita non magis diceretur angelus et anima rationalis quam sensibilis, et ita de aliis rebus conditis; quod cum non sit, non est haec ratio procedendi res in multitudine. — Item, si angelus procederet a Deo eo quod intelligit intelligere se, unde esset multitudo angelorum? Non enim esset nisi unus angelus, cum non sit nisi una ratio numeralis; restat ergo aut quod non sit [f] multitudo in eo quod creatur vel conditur a Deo aut non est ex dictis causis.

Si vero diceretur quod multitudo in iis quae condita sunt a Deo, est a multitudine actus divini, qui est creatio: creat enim hoc et creat illud et differentiae creatorum respondet differentia actuum, sicut apparet in aliis actionibus [g] – contrarium videtur: creatio enim actio una est quantum est ex parte creantis [h]. Si ergo alia et alia dicitur [i] creatio, hoc est ratione alterius et alterius creati; attenditur ergo differentia in ipsa [k] creatione ratione creati, non e converso. Si enim creatio haberet differentiam non ex parte creati, tunc oporteret aliquam differentiam assignare ex parte creantis; et quia nulla est, non attenditur differentia creationis aliunde quam a differentia rei creatae.

Ex [l] praemissis ergo videtur colligi quod non est a summe [m] uno multitudo immediate, in quantum huiusmodi, sed quod exit, sub ratione unius exit.

Ad contrarium sic potest obici: *a.* Potentia divina est infinita [1]; declaratio autem potentiae infinitae [n] est amplius per multitudinem quam per singularitatem, et [o] per multitudinem simul procedentem in esse quam non simul procedentem; ergo creatio, cum manifestet potentiam summam, declarabit convenienter [p] magis in multitudine quam in singularitate.

b. Item, bonitatis est communicare [2]; ergo summae bonitatis maxime communicare, et eius quae magis est magis communicare [q 3]; sed magis est communicare, cum communicatur pluribus quam cum communicatur uni soli; ergo divinae bonitatis, quae est [r] maxime bonitas, est pluribus bonitatem communicare.

c. Item, tanta est notitia sive sapientia in Deo qua maior non potest excogitari [4]; sed maior est notitia plurium quae sunt ab ipsa notitia quam unius solius quod sit ab eadem; ergo illa est tribuenda Deo; quod non contingit nisi plura fiant ab ipso; ergo multitudo est in ipsis creaturis sive in iis quae fiunt a Deo. — Nec hoc obstat, quod unum et multa opponuntur [5], unumquodque autem quod a summa unitate est unum est. Licet enim unumquodque sit unum, tamen ex illis elicitur multitudo: 'unum' enim et 'multa' non sic opponuntur quin 'unum'-sit principium multitudinis [6].

d. Item, 'unum' est principium materiale multitudinis, sine quo non est multitudo [7]; sed magis congruit unitas efficienti principio quam materiali; ergo magis convenit quod 'unum' sit effectivum principium multitudinis quam materiale multitudinis.

e. Item, si quaereretur ante omnem differentiam alia differentia et ante omnem multitudinem multitudo, oporteret ire [s] in infinitum; ergo alicubi est standum; sed [t] in primo actu rerum quae fiunt non est possibile invenire multitudinem ex parte facientis, cum sit omnimoda simplicitas, et si est ibi pluralitas personarum, illa [u] non est secundum quam distinguitur pluralitas rerum conditarum: « indivisa enim sunt opera Trinitatis », sicut habetur in libro *De Trinitate* [8]; quorum enim est eadem essentia inseparabilis, et eadem est operatio. Ex quo relinquitur, cum ratio diversitatis non sit ex parte facientis, erit ergo prima diversitas sive multitudo ex parte eius quod fit [v]; et prima ad nullam aliam est reducenda; unde sicut ex parte causae voluntatis divinae nulla est causa alia quaerenda, ita [x] ex parte multitudinis in eo quod fit [y] primo, non est alia multitudo prior quaerenda.

f. Ad idem: Differentia oritur ex iis quorum est differentia; sed ea sunt unum et unum; 'unum'

---

[a] R add. *vero*. [b] S om. [c] T *inflectendo*. [d] V *erit*. [e] S *producendi*. [f] V om. [g] C *conditionibus*. [h] Z *creatoris*. [i] V add. *esse*. [k] R *illa*. [l] R *et ex*. [m] C *summo*. [n] VST *infinita*. [o] R om. [p] V *convenientem*. [q] ST om. *et... communicare*. [r] L exp., C om. [s] C *abire*. [t] ST *si*. [u] S *alia*, quod T corr. [v] L *sit*. [x] R add. *est*. [y] VSL *sit*, C *sit a*.

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 136-143.
2 Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hier.*, c. 4, § 1 et *De divin. nomin.*, c. 4, § 1 (PG 3, 178, 694, PL 122, 1046, 1126sqq.).
3 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 485b, n. 4.
4 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 169.
5 Cf. Aristot., *Metaph.*, III, c. 3; IV, c. 6 (II, 501, 520).
6 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 75.
7 Cf. Avicenna, *Metaph.*, tr. 3, c. 6 (f. 79d).
8 Augustin., I, c. 5, n. 8 (PL 42, 824) et alibi saepius.

autem est in se indivisum et[a] ab alio divisum[1]; hoc autem est unumquodque in eo quod est; ergo, cum posito ente ponatur 'unum' et posito iterum ente ponatur 'unum', multitudo autem surgit ex uno et uno, et ita ex ente et ente, ergo multitudinis ratio non quaeretur aliunde.

g. Item, differentia est in ipsis speciebus et huic respondet unitas generis. Si autem quaeratur de[b] differentia specierum: aut se ipsis differunt aut differentiis; differentiae autem non aliis quam se ipsis differunt. Similiter, quae differunt numero, sunt unum specie; quae autem differunt numero, se ipsis differunt. Similiter, quae sunt multa genere[c] sive multa processibus, sunt unum principio[2]; ergo et haec similiter erunt se ipsis differentia omnino, cum ante[d] istam differentiam non sit aliam differentiam reperire[e]: ante enim multitudinem processionalem non est alia multitudo sicut neque ante[f] 'unum', a quo procedunt, est alia unitas; ergo multitudo in rebus primo creatis non habet ante se aliam multitudinem.

h. Item, in iis quae procedunt a voluntate est invenire primam differentiam quae non ad aliam reducitur[g]; similiter in iis quae fiunt a natura. In iis enim[h] quae fiunt a voluntate prima differentia est voluntas bona et mala; in iis autem[i] quae fiunt a natura differentiae elementorum in[k] inferioribus causis, differentiae vero superiorum corporum in superioribus causis; multo ergo fortius erit[l] prima multitudo sive diversitas in iis quae fiunt a prima causa agente, quae non habet aliam[m] ante se.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod multitudo est a primo efficiente, in aliis etiam multitudo est ab uno principio; unumquodque tamen quod est a primo principio, scilicet Deo, qui summe unus est, procedit secundum rationem unius; ipsa etiam multitudo quodammodo est unum.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur quod 'multitudo non primo procedit per creationem a Deo, sed tantum unum': dicendum est quod aliter dicitur 'unum', cum dicitur 'mundus sensibilis est unus' et cum dicitur unumquodque creatum 'unum'. Mundus enim sensibilis secundum rationem «universi ab unitate nomen accepit», sicut dicit Augustinus, *Contra Manichaeum*[3]; haec autem unitas est multitudinis ordinatae ad summe unum, habentis completionem in partibus. De hac unitate dicit[n] in illo libro Augustinus[4]: «Tanta est vis et potentia integritatis, ut quae multa sunt bona tunc placeant, cum in universum aliquid conveniunt atque concurrunt». Et secundum hoc dicitur illud Gen. 1,40: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona.* Recte ergo dicitur quo mundo archetypo tamquam exemplari respondet mundus sensibilis tamquam exemplatum — et accipiatur large hoc ipsum 'sensibilis', ut contineat in se res spirituales — unde si aliae res crearentur vel fierent, ad mundum sensibilem pertinerent, sicut infra patebit[5]. Non sic autem est de unoquoque creato sigillatim accepto, eo quod non dicit rationem omnino perfecti in conditione. Unde licet mundus sensibilis sit unus solus, non tamen hoc creatum vel illud est unum solum, immo ex hoc sequitur quod non est unum solum ad hoc quod fiat universum.

2. Ad secundum vero dicendum est[o] quod non est simile in exemplaribus inferioribus et exemplari summo. Exemplar enim in inferioribus alligatum est materiae et non habet omnino essentiam efficientis. Unde diversae formae in exemplari in specie respondet diversa forma in specie in exemplato, et eidem in specie eadem in specie. Non sic autem est in exemplari summo: una est enim in[p] essentia species exemplaris, cui respondent diversa exemplata in specie et etiam diversa in genere; ipsa enim omnino est abstracta, «existens omnium forma», sicut habetur in fine libri *De vera religione*[6].

3. Ad tertium dicendum quod, licet dicatur idea huius et dicatur idea[q] illius, et ita ideis respondeant ideata, non tamen si una est essentia huius ideae et illius, propter hoc una est essentia huius ideati et illius[7], et ita non sit[r] nisi unum creatum in essentia, quia aliunde accipitur unitas et multitudo in ipsis rebus creatis vel conditis secundum essentiam quam ab ipso exemplari secundum essentiam. Ipsa enim essentia exemplaris[s] ipse Deus est: unde idea huius et idea illius sunt essentialiter[t] unum; hoc autem creatum propriam[u] essentiam habet, qua ab alio creato distinguitur. Et hoc accidit propter omnimodam unitatem quoad essentiam, quae[v] est ex parte causae agentis, et multitudinem essentialem, quam contingit esse ex parte creatorum: forma enim huius non est forma illius nec materia huius est materia illius[x].

4. Ad quartum, quo videtur concludi quod 'numerus conditorum in specie non est a numero idearum': respondendum quod numerus idearum non proprie dicitur nisi ex quadam relatione ad ipsas res conditas, in se vero est una[y] essentia,

---

[a] Ita V, alii om. [b] C om. [c] ST add. *sunt*, quod Z exp. [d] VS *autem*. [e] V *invenire*. [f] C om. [g] L *reducit*. [h] S om. [i] C *enim*; S *que* pro *in*. [k] L om. [l] VST *est*. [m] R add. *causam*. [n] T om. [o] Z om. [p] Z om. [q] L om. *d. i.*; Z om. *dicatur*. [r] RLCZ *fit*. [s] LC *exemplatis*. [t] T (corr.) *esse*; C om. *illius*. [u] L *propria*. [v] T *quod*. [x] S om. *nec... illius*. [y] S om.

1 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 7; *Metaph.*, IX, c. 3 (II, 283, 576); Avicenna, *Metaph.*, tr. 3, cc. 2 et 3 (f. 78d sqq.).
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 74.
3 *De Gen. c. Manich.*, I, c. 21, n. 32 (PL 34, 189).
4 Loc. cit.
5 Cf. infra, num. 80.
6 Cap. 55, n. 113 (PL 34, 172).
7 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 131, *ad 1-3.*

et ideo nihil prohibet plures res vel pauciores procedere in esse. Ipsa est enim una sapientia, quae nec crescere nec decrescere [a] potest, licet res crescat vel decrescat. Unde Augustinus, XI *De civitate Dei* [1]: « Non sunt multae, sed una est sapientia, in qua sunt infinita quaedam, eique sunt infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles [b] atque incommutabiles rationes rerum visibilium et [c] mutabilium ». Unde licet res mutabiles [d] crescant numero vel decrescant, non propter hoc crescunt illae rationes; non ergo penitus accipitur numerus in iis [e] ab illis.

5. Ad quintum dicendum est [f] quod, licet una sit causa in unoquoque genere causae — utpote una est efficiens prima, una finalis, una exemplaris — nihilominus tamen est multitudo in rebus conditis secundum unamquamque causarum, non quod multitudo sit a multitudine, sed multitudo sit ab uno et in uno et ad unum. — Similiter ei quod obicitur de voluntate divina, quae est efficiens causa una [g] et immutabilis, ab ipsa tamen est multitudo effective, secundum eam tamen non est multitudo formaliter, ut forma dicatur quae est de esse. Nec sic est sicut in factis humanis: in factis enim humanis cum est multitudo, causatur [h] a multitudine voluntatum, quia voluntas humana mutabilis est et numeratur secundum volita, divina vero est immutabilis nec enumeratur secundum illa: eadem enim voluntate qua vult hoc, vult illud nec quod modo vult, postea non vult [i].

6. Ad sextum dicendum quod non est simile in processionibus aeternis et processionibus temporalibus [2]. Processio enim aeterna utraque [k] perfectionem habet in Summo, haec autem est perfectio procedentis ut in [l] ratione unius determinetur quod particulariter habetur a multis: creatura enim [m] per participationem habet, persona vero divina procedens totaliter habet. Unde non congruit duos esse Filios ab aeterno nec duos Spiritus Sanctos; convenit autem esse multitudinem rerum conditarum, eo quod unaquaeque participat esse et virtutem; et omnes etiam insimul [n] sumptae deficiunt etiam ab eius virtute, Filius vero est eiusdem essentiae cum Patre et aequalis in virtute, et similiter Spiritus Sanctus. Procedens ergo [o] aeternaliter demonstrat illum, a quo procedit, totaliter; procedens vero temporaliter demonstrat particulariter et in quadam participatione.

7. Ad septimum dicendum quod [p] ratione eius quod res creatae procedunt ex nihilo nec dicuntur habere unitatem nec multitudinem, licet res una, cum dividatur in multa, per divisionem tendat ad non-esse; sed de tali multitudine non loquimur, sed de multitudine primo in esse procedente de non-esse, ubi virtus factoris demonstratur.

8. Ad ultimum in illo ordine dicendum est quod, licet res procedens in esse a Primo habeat aliquam similitudinem cum ipso Primo, non ex hoc excluditur multitudo quin procedat a Primo, secundum quod multitudo est unum et unum: habet enim similitudinem in ratione unius et [q] in ratione boni, et ita de aliis correspondentibus: sicut nec lapis, in eo quod lapis [r], habet similitudinem, sed in eo quod unum aut bonum. Nec est simile de multitudine et corruptione: « corruptio enim est quo res tendit in non-esse [3] », multitudo autem, de qua iam [s] dictum est [4], est in [t] qua firmatur in [u] esse: firmius enim est res in esse, cuius esse est in multis ita quod in unoquoque illorum, quam ubi [v] est in uno solo de numero illorum.

55

CAPUT II.

QUAE SIT CAUSA MULTITUDINIS.

Deinde, supposito quod multitudo sit, sicut quibusdam rationibus est ostensum, et loquor maxime de prima multitudine, quaerenda est causa multitudinis [5].

[Solutio]: Ad quod dicendum quod causam multitudinis est quaerere multipliciter. Si enim quaeratur causa [x] efficiens multitudinis, dicetur quod una est prima causa efficiens multitudinis: et secundum hoc falsa est propositio philosophorum [6]: 'ab uno non procedit nisi unum solum immediate', nisi sic intelligatur: quod procedit ab uno, habet rationem 'unius'. — Si vero sumatur causa exemplaris, dicetur tunc quod ab uno multa, pluraliter tamen dicto, propter quemdam respectum multitudinis ad ipsam, et secundum hoc dicitur una causa

---

[a] T *decidere.* [b] C *visibiles.* [c] V *atque.* [d] V add. *licet.* [e] T om. *i. i.* [f] V om., T om. *dicendum.* [g] T *bona.* [h] T *creatur.* [i] S om. [k] RCZ *utramque.* [l] L om. [m] Ita V, alii *vero.* [n] V *simul.* [o] VST *vero.* [p] RCZ om. [q] Ita V, alii om. [r] VSTRZ add. *non,* quod C exp. [s] RL om., in C add. interl. [t] VST om. [u] L om., C exp. [v] V *ut.* [x] T om.

1 Cap. 10, n. 3 (PL 41, 327).
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, 417, *ad 3.*
3 Augustin., *De morib. Manich.*, II, c. 6, n. 8 (PL 32, 1348).
4 Scilicet in hoc capite.
5 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 2, qq. 2, et 3 (II, 105-110).
6 Cf. supra, p. 64b; Guil. Altissiod., *Summa, Quaestio addita in fine primi,* q. 3 (f. 37a).

exemplaris in essentia, ideae vero vel rationes [a] dicuntur pluraliter.

Si vero quaeratur unde dicatur diversitas tamquam a causa in re: dicendum est [b] quod quaedam est a forma, quaedam est a materia, quaedam etiam [c] a tempore. Verbi gratia, diversitas a materia vel [d] subiecto est, cum forma ignis diversificatur [e] hac materia et illa [f] et albedo alia est in nive et alia est [g] in calce. Diversitas autem a forma est in generibus et speciebus. Diversitas vero a tempore est, ut albedo in mane et albedo in vespere vel cursus in mane et [h] cursus in vespere et actus in uno tempore et in alio; sed tunc dicimus [i] quod ipso tempore fit distinctio etsi non semper causalitas.

Si vero quaeratur [k] de prima diversitate rerum creatarum sive conditarum: dicendum est quod se ipsis differunt, utpote materia se ipsa differt a forma et e converso, et forma unius se ipsa differt a forma alterius, et materia unius distinguitur a forma alterius.

Item, si quaeratur in eadem re de differentiis formarum quae sunt in ea, utpote de differentia modi, speciei [l] et ordinis et huiusmodi: respondendum est quod per appropriationem ex parte causae sunt rationes appropriatae tribus personis et secundum hoc ratio [m] pluralitatis acciperetur ex illa parte.

Si autem quaeratur de aliis formis quae sunt absolute in re, ut quantitate et huiusmodi: respondendum est quod ad principia essentialia in re reducuntur, ex quibus habent esse; nihilominus tamen quamdam inter se habent differentiam.

Ad illud ergo quod [n] supra dicebatur [1] quod [o] diversitas est a materia: respondendum [p] est quod non prima, sed aliqua posterior potest esse a materia, sicut aliqua etiam potest esse a forma. Nec est contrarium quod forma est principium unitatis, et ita non [q] multitudinis: non enim sic est de oppositione unitatis et multitudinis, sicut albi et [r] nigri et contrariorum, sed ab eodem principio sunt secundum prius et posterius. Nihilominus tamen in aliquibus ab alio principio est unitas, et ab alio [s] multitudo, utpote unitas speciei dicitur esse a forma, multitudo autem individuorum a materia vel a se ipsis; aliquando est e contrario, ut unitas sit quodammodo ab unitate materiae vel subiecti, multitudo vero sive differentia a forma, et sic non semper [t] secundum unum modum est quaerenda ratio multitudinis aut diversitatis.

Responsionem [u] vero illorum, qui dicebant rationem numeri aut diversitatis esse ex replicatione intellectus divini super se ipsum [2], non approbo. Quod enim sapientia prima, prout est « numerus numerans », sicut [v] dicit Augustinus [3], est causa rerum quae numerantur, non est secundum illum modum, sed exemplariter, sicut dictum est [4], et hoc bene apparet per hoc quod dicitur in libro *De libero arbitrio* [5], sicut supra habitum est [6].

Si vero quaeratur quare producta est rerum diversitas prima, respondendum est: ad manifestationem divinae potentiae, sapientiae et [x] bonitatis [7]. Manifestatur enim potentia plus in multitudine quam in unitate [8], sapientia in multorum ordinatione, bonitas vero [y] in multitudinis perfectione; creata ergo sunt multa, ordinata in sufficientia sive perfectione, quae vocatur universitas. Nec fuit creatio multitudinis propter indigentiam ex parte creantis, sicut contingit in conditione eorum quae fiunt a voluntate humana — homo enim facit aliquando res propter sui indigentiam, et natura multiplicat formam in materia propter [z] sui conservationem — non sic autem est in multitudine creatorum, sed est non ex indigentia, sed ex supereffluentia divinae bonitatis, cuius est communicare esse secundum omnem eius differentiam.

Attendendum est etiam quod duplex est divisio sive discretio. Una est ex defectibilitate rei existentis, et de hac non loquimur: haec enim si reducitur ad principium, potest dici ut reducatur ad privationem materiae; materia enim privata est causa deficiendi. Est autem alia discretio, quae est rerum in se vel ratione formarum, et haec est ad ostensionem divinae bonitatis.

---

[a] S *ratione.* [b] RLC om. [c] L *est.* [d] V *et.* [e] L add. interl. *in.* [f] V *ista.* [g] RLCZ om.; L om. *et.* [h] L om. [i] V *dominus.* [k] RCZ *queritur.* [l] V add. *modi.* [m] S *non.* [n] Ita V, alii *Quod ergo* pro *A. i. e. q.* [o] T om. [p] VST *dicendum.* [q] V om. [r] L *vel.* [s] Z *alia,* T add. *est.* [t] RZ add. *non,* quod C exp. [u] VT *rationem.* [v] Z *prout.* [x] T om. [y] V om. [z] S om.

1 Cf. supra, p. 64b.
2 Cf. supra, p. 65b.
3 *De lib. arbit.*, II, c. 11, n. 30 (PL 32, 1258).
4 Cf. supra, p. 67, *ad 1.*
5 Loc. cit.
6 Cf. supra, p. 66 sqq..
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, *ad 1* (II, 104).
8 Cf. supra, p. 66, litt. *a.*

TITULUS II.

DE SIMPLICITATE ET COMPOSITIONE CREATI.

Consequenter transeundum est ad quaestionem de simplicitate et compositione. Primo ergo quaerendum est [a] utrum simplicitas conveniat omni creaturae aut compositio, aut cuidam simplicitas, cuidam compositio;

secundo, de causa compositionis multiplici, an [b] sit una causa compositionis in omnibus.

56

MEMBRUM I.

Utrum simplicitas conveniat omni creaturae [1].

Ad primum sic [c]: **I.** 1. Unitas et simplicitas sunt rationes causae; qua ergo ratione ab uno procedit unum, eadem [d] ratione a simplici debet procedere simplex.

2. Praeterea, simplicitas est quaedam conditio et non repugnat creaturae, ut videtur; et potentia est ex parte creantis in communicando; ergo simplicitas est conditio creaturae.

Contra: *a.* Boethius, in suis *Hebdomadibus* [2]: « In [e] omni composito aliud est 'quod est' et 'quo est' »; et [f] cui aliud est 'quod est' et 'quo est', illud est compositum; sed in omni [g] creatura aliud est 'quod est' [h] et 'quo est'; ergo omnis creatura est composita.

b. Item, si aliqua creatura esset simplex omnino in esse et [i] intellectu, coaequaretur Primo; sed non sunt duo prima, nec aliquid in rebus quod sit [k] ei coaequale; ergo nulla creatura est simplex; ergo quaelibet est composita.

II. Quod autem aliqua sit simplex, aliqua [l] vero composita, sic arguitur: 1. Omne compositum ex aliquibus est compositum [3]; ergo vel [m] ex simplicibus vel ex compositis, cum simplex et compositum sufficienter dividant ens [n]. Si autem ex compositis [o], et hoc semper, esset abire in infinitum; ergo aliquando erit devenire ad simplicia; sed alterum ipsorum simplicium non [p] potest esse ipsum Primum: ex quo enim est aliquid compositum, materiale est respectu illius; divina autem essentia [q] non est materialis respectu alicuius; ergo divina essentia non est [r] alterum componentium; utrumque ergo illorum simplicium est creatura; ergo aliqua est creatura simplex et aliqua composita.

2. Item, simplex et compositum ponuntur in divisione entis possibilis, quod dicitur ens creatum; ergo aliqua creatura est simplex et [s] aliqua composita.

3. Item, Augustinus, *De anima et spiritu* [4]: « Non per partes dividitur, cum sit [t] simplex et individua. Et si aliquando partes habere dicitur, ratione potius similitudinis quam veritate compositionis intelligendum est ». Ex quo [u] relinquitur quod aliqua creatura est simplex.

[Solutio]: II. 2. Ad hoc respondendum quod simplex dicitur pluribus [v] modis. Uno modo dicitur simplex quod caret materia dimensiva: secundum hunc modum substantiae spirituales simplices dicuntur. Alio vero modo dicitur simplex quod omnino caret materia, et sic dicitur prima forma simplex, secundum Boethium, in libro *De Trinitate* [5]: secundum hunc modum non dicitur anima simplex, quia habet materiam et formam spiritualem; et si hoc non esset, adhuc diceretur habere compositionem ratione eorum quae insunt ipsi et tamen nullum illorum est quod ipsa [x].

3. Quod autem dicitur, in libro *De anima et spiritu*, quod 'ratione similitudinis intelligendum est, non ratione compositionis', hoc est secundum quod loquimur de compositione rerum corporalium, quam non habet anima, sed similitudinem dicitur habere propter [y] virium multiplicitatem.

1. Ad aliud autem quod obicitur pro alia [z] parte, respondendum est quod compositum dicitur duobus modis. Uno enim modo dicitur

---

[a] Ita VL, alii om. [b] Ita VR (corr.), alii *aut*. [c] V add. *proceditur*. [d] Ita VT, alii *ea*. [e] Ita V, alii om. [f] T om. [g] L *modi* pro *i. o.* [h] R om.; L *quod* pro *quo*. [i] V add. *in*. [k] Ita V, S *que fuit*, alii *que fiunt* pro *q. s.* [l] RLCZ *alia*. [m] V add. *est compositum*. [n] Ita VT, alii om. [o] V *sit compositum ex positis* pro *e. c.*, S add. *ens*, V *sed* pro *et*. [p] V *nec*; SRLCZ *illorum* pro *ipsorum*; Z om. *ipsum*. [q] T *natura*. [r] L om. [s] R om. [t] C om. [u] RLCZ *hoc*. [v] VT *multis*. [x] R add. *est*; T *est idem* pro *est*. [y] T om. [z] VST om.; ST om. *est*.

[1] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I. num. 33; S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 89 sqq.).
[2] PL 64, 1311; cf. Gilb. Porret., in h. l. (PL 64, 1321).
[3] Cf. Anselm., *Monol.*, c. 17 (PL 158, 166).
[4] Cap. 13 (inter opp. Augustini, PL 40, 789).
[5] Cap. 2 (PL 64, 1250).

compositum quod ex pluribus simul in unum positis consistit [a]. Alio vero modo dicitur compositum quod alii unitum est vel quod habet in se dependentiam ab altero, ratione cuius esse suum est ab illo sive ad illud et intellectus dependet ab illo. Primo modo non dicitur omnis creatura composita, sed quaedam simplex et [b] quaedam composita; secundo modo quaelibet est composita.

I. 1. Ad id ergo [c] quod primo obicitur, dicendum est quod non est simile de hac conditione 'unum' et de hac conditione 'simplex'. Conditio enim 'unius' non repugnat creaturae; conditio [d] vero 'simplicis' uno modo repugnat, ut nulla creatura simplex dicatur secundum illum modum secundum quem dicitur simplex quod non dependet causalitate ab alio: non enim possunt [e] simul stare quod sit creatum et non dependeat causaliter ab alio.

2. Ad secundum vero [f] dicendum quod ratio simplicitatis uno modo potest communicari a creatura, illo scilicet modo quo dicitur 'hoc non est ex alio', sicut materia vel forma non est ex alio, licet sit ab alio, et hoc est non esse ex alio tamquam ex parte componenti: secundum quem modum potest Deus communicare conditionem simplicitatis creaturae; alio vero modo non potest, cum ex ratione creaturae alio [g] modo dependeat secundum rationem et secundum intellectum.

a. Ad illud [h] autem quod dicit Boethius, in suis *Hebdomadibus:* dicendum quod [i] attendendum est proprie in iis quae simpliciter sunt, quae composita sunt [k] ex 'quo est' et 'quod est'. Nam si 'quo est' et 'quod est' composita dicerentur, non sic intelligeretur; de quo plenius habebitur infra [1].

b. Ad sequens dicendum est quod, accipiendo uno modo 'simplex in essentia' si diceretur creatura simplex, omni modo diceretur coaequalis ipsi Creatori; alio vero modo accipiendo, differt a Creatore et erit plurima dissimilitudo [l].

MEMBRUM II.

De causa compositionis.

Deinde quaeritur de causa compositionis. Circa quod diversa quaeruntur:

Primo [m], unde veniat compositio secundum quod huiusmodi;

secundo, de causa compositionis in qua sunt diversa componentia;

tertio, de causa compositionis primae;

quarto, utrum ratio componibilis conveniat omni rei aut a quadam re removeatur.

CAPUT I. 57

UNDE VENIAT COMPOSITIO SECUNDUM QUOD HUIUSMODI.

Ad primum sic: 1. Compositio elongatur a Primo, cum Primum [n] sit omnino simplex. Unde Augustinus, XI *De civitate Dei* [2]: « Est bonum solum simplex [o] et hoc solum est incommutabile, quod est Deus ». Item, Anselmus [3]: « Cuius partes cogitari non [p] possunt, id in partes nullus intellectus dissolvere potest. Si ergo Deus est compositus, aliquid Deo maius potest intelligi. Nam illud quod nec actu nec intellectu dissolvi potest, maius est quam illud quod actu vel intellectu est dissolubile ». Cum ergo Primum sit simplex, compositio non causabitur ab eo, eo [q] quod non habet similitudinem cum ipso. Si autem causatur a creatura, cum omnis creatura habeat aliquod genus compositionis, erit processus [r] in infinitum; ex quo relinquitur quod non erit [s] aliqua causa compositionis.

2. Item, dicit Augustinus, in XI *De civitate Dei* [4]: « Creata [t] ab ipso non sunt simplicia, et ob [u] hoc mutabilia »; quod autem mutabile est, sicut dicit Augustinus, in libro *Contra epistolam fundamenti* [5], aliunde est et aliunde est mutabile: est enim a Deo, sed mutabile ex hoc quod est de nihilo. Et *Contra adversarium Legis et Prophetarum* [6]: « Propterea bona sunt, quoniam a summo bono [v] bona facta sunt; mutabilia vero, quia non de [x] ipso, sed de nihilo facta sunt ». Cum ergo mutabile sequatur compositum et

---

[a] Ita VL, alii *subsistit.* [b] Ita VT, alii om. [c] Z *vero.* [d] L *secundo,* T om. *creaturae.* [e] RZ *potest.* [f] V om. [g] R *aliquo.* [h] C *aliud.* [i] Ita V, alii om. *d. q.* [k] T add. *et.* [l] V *similitudo.* [m] V add. *potest queri.* [n] Ita V, alii om. [o] T om. *s. s.* [p] S om. [q] VL om. [r] C *processio.* [s] T *est.* [t] L *causata.* [u] V *ab,* quod Z corr. [v] T om. [x] L *qua nondum* pro *q. n. d.*

1 Cf. infra, num. 59-61.
2 Cap. 10, n. 1 (PL 41, 325).
3 *De fide Trinit.,* c. 3 (PL 158, 271).
4 Loc. cit.
5 Cf. cap. 38 (PL 42, 203sq.).
6 Lib. I, c. 6, n. 8 (PL 42, 607).

mutabilitas compositionem, erit compositio rei, non quia est ab aliquo, sed quia est ex nihilo.

Contra: *a.* Dicitur in libro *De articulis fidei*[1]: « Cuiuslibet compositionis necesse est esse aliquam causam ». Ex quo relinquitur[a] quod compositio causam habet.

b. Item, omne compositum, in eo quod huiusmodi, partes habet vel pars est, ut aliud fiat ex eo[2]. Si ergo « nihil se ipsum componit[3] », erit aliqua alia causa compositionis; ergo compositio causam habet, cum non se ipsa[b] subsistat.

Respondendum est quod compositionis est aliqua causa[4]. Cum autem quaerimus causam, aut quaerimus efficientem aut materialem. Et[c] dicendum est quod compositio habet causam efficientem similiter et causam materialem, ex quibus fit[d] compositio. Si vero quaeratur causa formalis compositionis, in quantum est compositio, non dicetur habere causam formalem aliam a se, et quia compositio non pertinet ad perfectionem rei, sed ad imperfectionem, ideo[e] dicetur hoc habere, quia ex nihilo processit in esse.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo[f] obiectum dicendum quod licet Primum simplex sit, nihilominus tamen est compositio ab ipso; sed[g] secundum hanc rationem non est per viam similitudinis, sed per viam dissimilitudinis.

2. Ad secundo obiectum dicendum quod alia ratio est quodammodo eius quod est compositum et eius[h] quod est mutabile. Nam mutabile respicit terminum a quo et in quid[5]; quod autem mutabile in ' nihil ' est mutabile, hoc est quia ex nihilo; esse tamen mutabilis[i] est ab eo quod est immutabile[6]. Compositum vero ' quod est compositum ' habet tum[k] ex ratione componibilium, tum ex ratione componentis, et ita semper ad ens reducetur, scilicet ad ens increatum ex parte primo componentis, ad ens creatum ex parte componibilis.

58 CAPUT II.

DE CAUSA COMPOSITIONIS IN QUA SUNT DIVERSA COMPONENTIA.

Secundo quaeritur de causa compositionis in qua diversa sunt componentia.

Est enim compositio materiae et formae; est iterum[l] compositio generis et differentiae; est compositio ex partibus homogeneis, ut corpus ex corporibus et linea ex lineis; est iterum compositio ex substantia et suis potentiis; est[m] compositio ex partibus integralibus, ut corpus humanum compositum est; est[n] iterum compositio ex partibus numeralibus, ut numerus dicitur compositus[7]. Iis ergo existentibus differentiis, quaeritur de causa istius multiplicis[o] compositionis, si secundum prius et posterius se habent aut simul; quia si secundum prius et posterius, ad unam causam primam reducentur[p]; si vero simul procedunt ab una causa, necesse erit ostendere rationem exitus diversarum compositionum ab una causa immediate.

Quod autem secundum prius et posterius, videtur: *a.* Per hoc quod compositio ex partibus numeralibus, cum sint actu entes, sit posterior compositionibus aliis quae non habent partes actu entes, sed potentia discretae sunt partes ad invicem, quod non est in aliis generibus[q] compositionum. Compositio etiam[r] ex partibus integralibus ponit ante se illam quae est ex partibus continuis. Illa vero[s] quae est ex partibus continuis ponit ante se illam quae est ex materia et forma: nam ipsae partes continuae ex materia et forma[t] sunt. Compositio vero eorum quae sunt ex materia et forma ponit ante se illam quae est ex genere et differentia: nam hanc habet forma secundum se ipsam accepta[u]. Haec autem habet ante se illam quae est ex potentiis secundum unum modum accipiendi: nam unum genus multiplicem habet potentiam sive una res generis. Restat ergo quod secundum prius et posterius dicetur compositio, et ita videtur una esse causa prima omnis compositionis.

Contra: 1. Quaedam differentiae compositionum[v] se habent ad invicem ut una excedat alteram et excedatur ab ea; ergo non se habent secundum prius et posterius. Verbi gratia, compositio, quae est substantiae cum potentiis, sequitur compositionem substantiae[x]; sed compositio substantiae ex materia et forma est; ergo compositio ex materia et forma est prior compositione substantiae cum potentiis. Sed, sicut

---

[a] Ita V, alii *derelinquitur*. [b] V *ipso*. [c] Ita V, alii om. [d] SZ *sit*. [e] T *non*. [f] V add. *ergo*. [g] L om. [h] T om. *q. e. c. e. e.* [i] LC *mutabile*. [k] TZ *tamen*, item infra, V om. *ex*. [l] T *et ideo* pro *e. i.* [m] S *ex*. [n] STL *et*. [o] STRZ *multitudinis*. [p] Ita V, alii *reducuntur*. [q] T om. [r] Z *autem*. [s] L *autem*; T om. *est*. [t] T om. *nam... forma*. [u] T *acceptam*. [v] LC (interl.) add. *sic*. [x] V add. *ex materia et forma*.

1 Lib. I, n. 6 (PL 210, 599).
2 Cf. Aristot., *De caelo*, III, c. 5 (II, 417).
3 Nicol. Ambian., *De artic. fidei*, I, n. 3 (PL 210, 599).
4 Cf. supra, num. 55.
5 Cf. Aristot., *Phys.*, VI, c. 10 (II, 332).
6 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 5 (II, 350).
7 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 2, a. 1, q. 2 (I, 168 sq.); II *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1. (II, 91a).

habitum est prius[1], compositio essentiae cum potentiis est prior compositione materiae cum forma: una enim et eadem forma est multiplex in potentiis; ergo hae divisiones se habent secundum excedentia et excessa.

2. Praeterea, cum sit multiplex differentia compositionis, sicut praehabitum est[2], unaquaeque autem compositio causetur mediate vel immediate a prima causa, quae Deus est, quae necessitas est quod tot sint compositiones in genere, et in quo indicatur[a] virtus divinae essentiae? cum in quibusdam videatur aliqua similitudo, in quibusdam vero maxima dissimilitudo. Praeterea, in quibusdam videtur maior appropinquatio ad simplicitatem, in quibusdam maior elongatio a simplicitate.

[Solutio]: Ad quod dicendum est quod differentia compositionum ordinata est secundum prius et posterius. Sed attendendum est quod quaedam dicitur compositio non proprie, ubi totum non trahit esse ab ipsis quae dicuntur partes, sed magis e converso, sicut est ubi est totum potentiale. Partes enim potentiales plus trahunt esse a toto quam e converso, similiter partes generis a genere; et propter hoc illa compositio, qua dicimus partes potentiales componi, in simplicibus accipitur, quae aliquando habent ordinem secundum prius, aliquando[b] secundum posterius respectu aliorum compositorum. In aliis vero, quae vere dicuntur compositiones, est ordo secundum prius et posterius simpliciter[c]. Unde ante compositum ex partibus numeralibus est compositum ex partibus integralibus; ante vero compositum ex partibus integralibus est compositum ex partibus unius formae, id est[d] homogeneorum; ante vero compositum illud est compositum ex materia et forma; ante vero illud est compositum ex partibus secundum definitionem; ante vero illud est compositum ex 'quo est' et 'quod est'[e]; sed ista duo ultima genera compositionum inveniuntur in formis secundum se ipsas acceptis, ubi non invenitur compositio materiae et formae. — Quod autem non vere dicatur compositio, ubi totum non trahit esse a partibus, patet ex ratione compositi[f]. Compositum enim dicitur quod ex aliquibus est; pars autem in plus extenditur, sed proprie in iis dicitur. Dicitur enim pars a Philosopho[3] uno modo, in quo possibile est quantitatem dividi quoquo modo: et secundum hunc modum dicuntur partes integrales et partes quantitativae. Alio vero modo dicitur pars quod numerat totum vel quod cum alio constituit illud numeratum: et sic dicuntur duo pars trium et[g] unitas pars trium: unitas enim[h] aliquotiens sumpta reddit binarium, binarius vero[i] cum unitate constituit ternarium. Dicuntur etiam partes, in quae dividitur aliquid, sicut sunt forma et materia, utpote forma cupri et materia cupri sunt partes spherae cupreae. Dicuntur etiam pars illa quae sunt in definitione, ut genus est pars formae, scilicet speciei. Praeter hos[k] etiam modos dicitur illud pars, in quo possibile est formam dividi absque quantitate, secundum quod species dicuntur partes generis, non quia ex illis componitur. Similiter ad hunc modum possunt reduci partes[l] virtuales: non enim ex illis componitur substantia, cuius sunt partes virtuales, ut substantia animae non componitur ex memoria[m], intelligentia et voluntate.

[Ad obiecta]: *a.* Ad id autem quod obicitur primo per iam dicta[4] respondendum est: sunt enim genera compositionum, quae proprie dicuntur ordinata secundum prius et posterius.

1. Ad id vero[n] quod secundo obicitur[o] dicendum est quod differentiae compositionum simpliciter sic accipi possunt: sunt[p] enim quaedam compositiones secundum rationem, quaedam vero in esse simpliciter. Quae vero sunt in esse simpliciter, aut habent partes actu discretas aut quae non sunt actu discretae. Si sunt partes actu discretae, dicetur compositio numeralis; si vero[q] partes non sunt actu discretae, aut differunt in forma aut non differunt. Si differunt in forma[r], compositio integralis nuncupatur, sicut corpus humanum componitur ex partibus et ea quae sunt huiusmodi; et istud genus compositionis sub se habet plura genera, de quibus non est ad praesens dicendum: sunt enim alterius negotii. Si autem partes non differunt in forma, aut habent consimilem formam aut unum est[s] forma alterius. Si habent consimilem[t] formam, dicuntur partes homogeneae sive[u] quantitativae a quibusdam, sicut corpus ex corporibus componitur. Si autem unum est forma alterius, dicetur compositio ex materia et forma, quae vocatur essentialis. Praeter has sunt duae compositiones secundum rationem, ubi scilicet duo conveniunt ad constructionem unius formae, sicut sunt partes definitivae, aut unum est forma alterius, sicut 'quo est' forma est eius 'quod est'.

---

[a] SZ *iudicatur*; S *divicie* pro *divinae*. [b] L *alioquin*. [c] T *simplex*. [d] V om. *i. e.* [e] Ita VZ (interl.), alii om.; Z om. *sed*. [f] CZ *composita*. [g] V *tribus* pro *t. e.* [h] C om.; V *tertium* pro *trium*. [i] L *autem*. [k] T om. [l] L *parte*. [m] V *moria*, T *materia*. [n] L om. [o] Ita VT, alii *obiciebatur*. [p] S *sed*. [q] R om., in Z est add. interl. [r] L om. *i. f.* [s] T om. [t] L *continuam*. [u] L *fuit*.

1 Cf. supra, sub litt. *a*.
2 Cf. supra, p. 72a.
3 Aristot., *Metaph.*, IV, c. 25 (II, 531).
4 Cf. supra, in *Solutione*.

2. Ad tertio obiectum dicendum quod licet compositum, in quantum huiusmodi, dissimilitudinem habeat respectu Primi, quod est omnino simplex, habet tamen similitudinem [a] secundum quod tenet rationem 'unius', et secundum quod magis vere unum est, magis appropinquat similitudine [b] ad Primum, secundum vero quod minus vere unum est, minus appropinquat vel magis elongatur.

CAPUT III.

DE COMPOSITIONE PRIMA EX 'QUOD EST' ET 'QUO EST'.

Tertio quaeritur de causa compositionis primae. Iam autem [c] dictum est [1] quod prima compositio et universalior est ex 'quo est' [d] et 'quod est': sicut enim «in omnino simplici idem est 'quod est' et 'quo est' [2]», ita in compositis differt 'quod est' et 'quo est'.

Quaerendum est ergo:

Primo [e], utrum conveniat omni creaturae;

deinde, si sit universalior quam illa quae est ex materia et forma vel non;

tertio, secundum quam rationem accipiatur.

59

ARTICULUS I.

Utrum haec compositio conveniat omni creaturae.

Quod conveniat omni creaturae, videtur: *a.* Eo [f] quod nullum creatum est sua essentia nec a se habet esse, sed [g] aliunde dependet; ergo in creatura omni 'quo est' et 'quod est' differunt; ergo haec compositio communis est omni creaturae.

b. Praeterea, ista duo, 'simplex' et 'compositum', dividunt sufficienter ens; in Deo autem solo idem est 'quod est' et 'quo est'; ergo in omni alio non est idem 'quo est' et 'quod est'; sed omne in quo non est idem, est compositum; ergo omnis creatura hoc genere compositionis est composita.

Contra: 1. Si omnis creatura hoc genere compositionis est composita, illud quod dicitur 'quod est' vel 'quo est' aut est creatura vel non. Si [h] non est creatura utrumque illorum, aut alterum est creatura aut non; neutrum autem potest esse Creator, cum Creator non sit materiale respectu alicuius compositionis sive materia. Unde Augustinus, in libro *De Trinitate* [3]: «In summa persona pars non potest esse Deus, quanto magis pars Trinitatis esse non potest»; multo fortius nec pars alicuius creaturae, cum pars sit possibilis ad totum [4], divina vero natura respectu nullius est possibilis; utrumque ergo est creatura. Sed dictum est [5] omnem creaturam esse compositam ex 'quo est' [i] et 'quod est' [k]; ergo 'quo est' habet in se utrumque, et sic erit abire in infinitum; non ergo omnis creatura est composita.

2. Item, unitas creata aut est quo ipsa unitas est unum aut non. Si se [l] ipsa unum est, ergo idem est 'quo est' et 'quod est': si enim se ipsa unum est, se ipsa est, eo quod unum et esse convertuntur [6]. Si vero alia re a se ipsa est unum, aut illa res se ipsa est unum aut non. Si non [m] se ipsa est unum, erit abire in infinitum; si autem se ipsa est unum, cum omnis res una unitate dicatur una, illa res erit unitas, et ita standum erit [n] in primo aut erit reflexio [o]; sed reflexionem impossibile est esse in causis [7]; ergo unitas se ipsa est una; ergo [p] idem est in ea 'quo est' et 'quod est'; et est creatura; ergo in aliqua creatura non est supra dicta compositio.

[Solutio]: Ad quod dicendum est [q] quod omnis creatura dicitur composita isto genere compositionis uno duorum modorum: aut quia habet in se illam compositionem aut quia cum alio venit ad componendum tertium. 'Quo enim est' res unitur cum eo 'quod est' [r] in illo quod compositum est ex utroque, et ita compositum dicetur ex aliis constitutum vel ex quo cum alio aliquid constituitur. Sic ergo accipiendo compositum aliquo duorum modorum, dicetur omnis creatura composita; si vero coarctetur ad intentionem compositi secundum quod compositum [s] dicitur ex aliis constitutum [t], non est omnis creatura composita hoc genere compositionis.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc solvitur primo obiectum.

---

[a] *S dissimilitudinem.* [b] L *similitudinem.* [c] VT *enim.* [d] Ita VZ (interl.), alii om. [e] Ita V, alii om. [f] T om. [g] L *si.* [h] RL add. *vero,* V om. *aut... si.* [i] L om. [k] T om. [l] T om. [m] RL add. *vero.* [n] T *est.* [o] L *inflexio.* [p] T om. *e. u. e.* [q] V om. [r] LC add. *hoc.* [s] L *expositum.* [t] V add. *sic.*

1 Cf. supra, p. 73a, *Solutio.*
2 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).
3 Rectius *Contra Maximin.*, II, c. 10, n. 2 (PL 42, 765).
4 Cf. Aristot., *Phys.*, VII, c. 5 (II, 341).
5 Cf. supra, num. 56.
6 Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 12, § 2 (PG 3, 978, PL 122, 1168); Aristot., *Metaph.*, IX, c. 2 (II, 576).
7 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 41a, II.

2. Ad secundo[a] vero obiectum de unitate dicendum est quod licet unitas se ipsa formaliter sit unum, non tamen se ipsa effective. Primum autem dicitur vere[b] unum, scilicet Deus, quia nec formaliter nec effective habet unitatem ab alio; unitas vero creata[c] effective habet a Deo, sed formaliter non habet ab alio quam a se; homo vero vel lapis ab alio habet effective et formaliter. Cum ergo dicitur: « in simplici idem est 'quo est' et 'quod est' », si attendatur omnino simplex[d], oportet accipere 'quo est' secundum omne genus causae; si vero accipiatur 'simplex' per extensionem, potest dici unitas creata simplex quoad genus causae formalis, sed non simplex quoad genus causae efficientis: dependet enim secundum esse ab efficienti. Item, cum materia vel subiecto[e] unum constituit, et ita uno genere dicetur esse simplex, alio genere dicetur esse compositum.

Sed adhuc posset obici loquendo de unitate aut forma secundum se ipsam accepta. Intelligatur[f] enim forma creata non indigens materia: constat quod huiusmodi forma creata esset; aut ergo esset simplex aut composita[g]. Simplex omnino non potest esse, cum hoc soli Deo conveniat. Unde Augustinus, in libro *De civitate Dei*[1]: « Ideo simplex dicitur, quia quod habet, hoc est quod habet »; unde « natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere quod possit amittere nec aliud sit habens et id quod habetur[2] ». Forma ergo ista, cum non sit simplex, erit composita; ergo altero duorum modorum; sed non est ex aliis constituta nec cum alio posita ad constituendum tertium; ergo non est composita. Propter hoc addendum est ut compositum etiam dicatur non tantum uno duorum modorum supra dictorum[3], sed cuius esse est dependens ab ergo et intellectus dependet ab intellectu. Licet alio partes non habeat nec pars alterius sit, nihilominus tamen compositum dicitur[h] propter sui dependentiam in esse et intellectu. Accipiendo ergo compositum aliquo trium modorum, dicetur omnis creatura composita nec alio modo potest intelligi.

ARTICULUS II. 60

Utrum haec compositio sit universalior quam illa quae est ex materia et forma.

Deinde quaeritur[i] si sit universalior quam illa quae est ex materia et forma vel non.

Quod non, videtur: 1. Omne enim creatum habet in se ut possit recipere ab alio et ut possit agere in aliud vel est illud a quo est potentia recipiendi vel est illud a quo est potentia agendi; sed quod habet in se utrumque, est compositum ex materia et forma: a quo vero[k] est potentia recipiendi est materia, a quo habet potentiam agendi est forma; ergo omne creatum est materia vel[l] forma vel compositum ex iis; ergo compositio ista extenditur in tantum in[m] quantum compositio illa quae est ex 'quo est'[n] et 'quod est'; ergo sunt aequalis ambitus.

2. Item, in libro *De articulis fidei*[4]: « Materia et forma et illarum compago tria prorsus diversa sunt, quae in cuiuslibet substantiae creatione exiguntur ».

Contra: *a.* Non est idem 'quod est' materia et 'quo est' materia, similiter 'quod est' forma et 'quo est' forma; ergo haec compositio universalior est illa.

b. Praeterea, compositio materiae et formae ratione utriusque componentium non videtur habere similitudinem in Primo: in nulla enim re possumus dicere 'idem est materia et forma', sicut dicitur[o] 'idem est quo est et quod est'; cum ergo aliqua convenientia sit in illa ratione cum Primo, in hac vero non sit, prior erit compositio eius[p] 'quod est' et 'quo est' quam materiae et formae.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod communior est et prior naturaliter compositio ex 'quo est' et 'quod est' quam materiae et formae, sicut iam dictum est[q 5].

[Ad obiecta]: 1-2. Ad obiectum autem in contrarium dicendum quod, licet materia et forma et quod est ex iis extendatur[r] ad omnia, nihilominus tamen alia compositio est universalior, quia se extendit secundum quemdam modum ad ea quae sunt formae vel quae sunt materiae, secundum quem modum non[s] dicimus materiae et formae esse in forma vel esse in materia. Praeterea, maioris unitionis sunt 'quo est' et 'quod est' quam materia et forma: unum enim de altero dicitur; quod non est reperire in materia et forma, ut forma dicatur de materia vel e converso.

---

[a] L *secundum.* [b] V *recte.* [c] L *creatura.* [d] T *simpliciter,* item infra. [e] RLC *substantia.* [f] R *intelligitur.* [g] R *compositum.* [h] Ita V, alii *dicetur.* [i] T add. *et,* S *an* pro *si.* [k] LC om. [l] T *et.* [m] Ita V, alii om. [n] S om. [o] T add. *quod.* [p] T delev. *c. e.* [q] T om. [r] T *attendatur.* [s] R om.

1 Lib. XI, c. 10, n. 1 (PL 41, 325).
2 Augustin., loc. cit., n. 2 (PL 41, 326).
3 Cf. supra, p. 74b, *Solutio.*
4 Lib. I, n. 24 (PL 210, 603).
5 Cf. supra, p. 73a, *Solutio.*

61 ARTICULUS III.

Secundum quam rationem accipiatur dignitas istius compositionis.

Deinde quaeritur secundum quam rationem accipiatur dignitas istius compositionis.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod nulla alia compositio habet componentia in aliqua ratione, secundum quam possint convenire divinae essentiae, sicut est in compositione materiae et formae: neque enim materia et forma conveniunt Primo, similiter partes definitionis non conveniunt Primo, et ita de aliis generibus compositionum quae magis elongantur; ergo haec sola compositio nobilior est aliis compositionibus: in Primo enim est reperire 'quod est' et 'quo est', licet non secundum rationem compositionis; descendit ergo ab identitate omnimoda eius 'quod est' cum eo 'quo est' differentia prima huius ab illo.

Sed obicitur: 1. Nonne 'quo est' praedicatur de eo 'quod est', cum dicitur 'homo est homo' aut [a] 'lapis est lapis', et ita [b] de aliis? Est ergo ibi identitas; in quo ergo differt a Primo [c]?

2. Item, sicut habetur in libro *De articulis fidei* [1]: « Materia et forma et horum compositio sunt vestigium Trinitatis ». Unde dicitur ibidem [2]: « In una eademque substantiae creatione trinus effectus uno eodemque [d] auctore », scilicet Trinitate, « producitur »; et post sequitur [3]: « Licet in cuiuslibet [e] substantiae creatione materiam Patri, formam Filio, compositionem Spiritui Sancto posset ordo congruus destinare, tamen in qualibet trium totam Trinitatem necesse est operari [f] ». Ex quo videtur quod illa compositio cum suis componentibus reperiatur in Primo secundum exemplaritatem, sicut 'quo est' et 'quod est' cum sua compositione reperiuntur in Primo secundum exemplaritatem.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum dicendum quod licet 'quo est', secundum quemdam modum dictum, praedicetur de eo 'quod est', et ita sit idem illi 'quod [g] est', tamen si secundum se ipsum accipiatur, non est idem cum eo 'quod est', ut homo non est sua humanitas. In divinis autem, quocumque modo accipiatur, hoc est illud, ut Deus est deitas et Pater est paternitas [4], et ita de aliis.

2. Ad secundum dicendum est [h] quod non est concedendum compositionem esse exemplariter in Deo. Nec proprie repraesentatur ibi Trinitas: non enim dicimus materiam convenire Patri nec forma procedit a materia sicut Filius procedit a Patre. Unde extraneo modo facta est illa adaptatio [i] trinitatis creatae ad increatam [k]. Quod si etiam aliquo modo potest convenire, non sic tamen sicut de 'quo est' et 'quod est' et identitate horum. Nam haec inveniuntur in ipsa substantia Dei secundum se accepta, non cointellectis personis; illa vero nullatenus datur intelligi nisi personis cointellectis, ut materia ratione potentiae sit vestigium summae potentiae, quae approprietur Patri, forma vero ratione actus sit vestigium summae formae, compositio vero ratione ordinis sit vestigium summae bonitatis; sed ab expositoribus Sacrae Scripturae, qui multas numerant trinitates in creaturis, quae sunt vestigia summae Trinitatis, non invenitur haec trinitas pro vestigio.

62 CAPUT IV.

UTRUM RATIO COMPONIBILIS CONVENIAT OMNI REI.

Consequenter quaeritur utrum ratio componibilis [l] conveniat omni rei aut ab aliqua removeatur.

Quod sic, videtur: 1. Nulla enim res est quae non cedat in rationem alicuius 'unius' [5] secundum quod 'unum' dicitur multipliciter; sed quod cedit in rationem 'unius', cedit [m] in rationem componibilis; ergo quaelibet res cedit in rationem componibilis [n].

2. Item, si illud, de quo minus videtur, cedit in rationem componibilis, et illud cedet [o] de quo magis videtur; sed magis conveniunt creatura et creatura quam Creator et creatura; sed Creator et creatura conveniunt ad rationem 'unius' secundum quod Christus dicitur [p] unus in duabus

---

[a] R *vel.* [b] Z *sic.* [c] Z *prima.* [d] V *que.* [e] VT *cuiusdam.* [f] Z *comparari.* [g] Codd. *quo.* [h] V om. [i] R *adoptatio.* [k] V *increationem.* [l] R *comparabilis.* [m] V om. *i. r. u. c.* [n] L *incomponobilis;* ST om. *res.* [o] R *cedit.* [p] R om., in L est add. mg.

1 Cf. lib. I, n. 24 et 25 (PL 210, 603).
2 Loc. cit., n. 24 (PL 210, 603).
3 Num. 25 (PL 210, 603).
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 52b, *ad 2.*
5 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 13, § 2 (PG 3, 978, PL 122, 1168).

naturis; ergo creatura et creatura magis possunt convenire ut ex illis fiat unum.

Contra: *a.* Duo, quae sunt in actu, non erunt aliqua hora unum in actu: actus enim dividit [1]; ergo ex substantiis, quae sunt in actu, non erit una substantia; non ergo est quidlibet cum quolibet componibile.

b. Item, totum et pars componuntur [a] [2]; sed quod est componibile potest habere rationem partis; ergo quod habet rationem totius non est componibile; sed res completa habet rationem totius; ergo non est componibilis.

c. Item, omni a quo removetur ratio possibilis [b] ad aliud, removetur ratio componibilis; sed divina essentia est a qua [c] removetur ratio possibilis [d] ad aliud; ergo divina essentia non est [e] componibilis; non ergo omnis res est componibilis [f].

[Solutio]: Ad quod dicendum quod non convenit omni rei ratio componibilis ut ex ea [g] fiat aliquid, et hoc maxime removetur a divina essentia, quae est completissima.

[Ad obiecta]: 2. Nec est contrarium quod Christus est una persona in duabus naturis: non enim ex illis duabus naturis [h] constituitur persona nec divina natura possibilis est ad illam personam, sed humana natura, quae indigens erat perfectione, possibilis erat; neutra tamen erat pars: persona enim in se simplex est et [i] completa. — Et si obiciatur in contrarium quod conveniunt in illa – respondendum quod hoc non est ad eam constituendam, sed quae prius erat in una natura, deinceps subsisteret in duabus naturis. Unde in Ioanne Damasceno [3] dicitur « composita ».

1. Ad aliud dicendum quod licet 'unum' dicatur multis modis, non tamen ex quibuscumque fit quodcumque; excepto ergo 'uno', quod universum dicitur [k], non est quaelibet creatura ordinata ad compositionem alicuius 'unius': creaturae enim quae sunt in se completae actu, non ordinantur ad ulterius complementum; nihilominus tamen relata ad Creatorem possibilitatem habet, ut de ea fiat quod vult.

TITULUS III.

DE MUTABILITATE CREATI.

Procedendum est ad quaestionem de mutabilitate. In qua

Primo quaerendum est [l] utrum mutatio dicatur aequivoce an [m] univoce de primo exitu in esse de non-esse, qui dicitur [n] creatio, et de exitu consequenti [o], qui dicitur conditio, prout res exit de potentia in actum [p];

secundo, utrum omnis creatura sit mutabilis aut quaedam mutabilis, quaedam immutabilis;

tertio, utrum creatura sit mutabilis in non-esse omnino de esse sicut de non-esse in esse;

quarto, utrum Deus posset conferre creaturae omnimodam immutabilitatem, videlicet ut esset immutabilis secundum naturam.

CAPUT I. 63

UTRUM MUTATIO DICATUR AEQUIVOCE AN UNIVOCE DE CREATIONE ET DE CONDITIONE.

Circa primum sic: *a.* Mutatio, quae est de omnino non-esse in esse, nihil habet commune, mutatio vero, quae est de esse in non-esse, habet [q] aliquid commune secundum quod dicitur [r]: « generatio unius est corruptio alterius [4] », secundum quod dicitur quod non omnino secedit in non-esse; ergo mutatio non dicitur secundum unam rationem de exitu primo et exitu consequenti.

b. Quod autem dicatur ratione primi exitus mutatio, sic arguitur: Oppositio est inter Creatorem et creaturam, in quantum huiusmodi; sed Creator,

---

[a] RLCZ *opponuntur;* VC *secundum* pro *sed.* [b] Z *ponibilis.* [c] SR *quo.* [d] Z *componibilis* pro *r. p.;* L om. *a. a.* [e] S om. [f] L *componibilis;* VLCZ om. *res.* [g] Ita Z, alii *eo.* [h] V om. *non enim... naturis.* [i] V add. *per;* T om. *est.* [k] S om. [l] Ita VT, alii om. [m] V *aut.* [n] L add. *est;* R *que* pro *qui.* [o] T *convenienti.* [p] TZ *actu.* [q] L om. [r] V add. *quod.*

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 13 (II, 553).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 3 (II, 287).
3 *De fide orthod.*, III, c. 3 (PG 94, 987).
4 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, I, c. 3 (II, 439).

in quantum huiusmodi, est immutabilis; ergo creatura [a], in quantum creatura, est mutabilis; sed creatura, in quantum [b] huiusmodi, dicit exitum de non-esse in esse; ergo secundum hoc est mutabilis; utroque ergo modo dicetur mutabilis per oppositionem ad Creatorem, qui nec mutatur de non-esse in esse nec de esse in non-esse.

Contra: 1. Quae est causa rerum ut sint post non-esse, ea est causa rerum ut non sint post esse; sicut ergo eadem est causa, ita et [c] idem effectus; sed ille effectus est mutatio sive variatio; ergo variatio sive mutatio dicetur univoce.

2. Item, licet generatio sit mutatio de non-esse in esse et corruptio sit de esse in non-esse, nihilominus tamen [d] mutatio dicetur univoce de generatione et corruptione; ergo a simili dicetur de primo exitu et consequenti.

[Solutio]: Ad hoc respondendum [e] quod mutatio proprie dicta fundatur super aliquod subiectum [1], quod mutari dicitur; extenditur tamen ut dicatur mutatio « a non-subiecto in subiectum vel a subiecto in non-subiectum vel a subiecto in [f] subiectum [2] » negative sumptum et privative: et secundum hunc modum dicetur mutatio in exitu primo [g]. Sed attendendum est quod mutatio de non-esse in esse respicit in quod [h] mutatur principaliter; mutatio vero de esse in non-esse respicit a quo fit mutatio. Non negatur ergo quin sumpta generali ratione dicatur univoce mutatio de primo exitu et consequenti [i], proprie vero sumpta non dicitur univoce.

64 CAPUT II.

UTRUM OMNIS CREATURA SIT MUTABILIS.

Secundo quaeritur an omnis creatura sit mutabilis aut quaedam immutabilis, quaedam non [3].

Quod omnis sit mutabilis, arguitur: *a.* Ex hoc [k] quod omnis creatura est de nihilo, sicut dicit Augustinus, in XII *De civitate Dei* [4]: « Omnia, quae sunt facta, mutabilia sunt, quia de nihilo facta sunt ».

b. Item, quod recipit magis [l] et minus, mutabile est; sed creatura recipit magis et minus in esse vel bene esse; ergo est mutabilis.

c. Item, in *Quaestionibus Veteris et Novi Testamenti* [5]: « Quod vicibus temporum ministratur ita ut ipsa tempora aliquando non servent sua officia, quomodo appellatur aeternum? » Ex quo vult innuere quod aliquam mutationem [m] recipiunt in tempore, propter quam non debent dici res aeternae.

Quod autem quaedam sit mutabilis, quaedam immutabilis: 1. Accipitur ex hoc quod illud, quod est immortale, est immutabile; aliqua vero res creata est immortalis; ergo est immutabilis [n].

2. Praeterea, universale est conditio creaturae; sed conditio universalis est incorruptibile; ergo et [o] immutabile; per consequens ergo aliqua creatura est immutabilis.

3. Item, Gregorius [6]: « Angelus in statu suo immutabilis permanet ». Ergo aliqua creatura immutabilis.

4. Forte dicetur quod immutabilis est aliqua creatura quoad esse, sed mutabilis quoad bene esse, et ita aliquo modo mutabilis, aliquo modo immutabilis, videlicet quantum ad [p] esse. Quod videtur per hoc quod dicit Damascenus [7]: « Quorum esse a versione incipit, haec versioni subiecta sunt vel corrupta vel secundum electionem alterata. Intellectualia igitur, angelos scilicet et animas, secundum electionem et eam, quae est in [q] bono, profectionem, et eam, quae est ex bono, abscessionem intensam, reliqua vero secundum generationem et corruptionem et eam, quae est secundum qualitatem, transmutationem et secundum quantitatem et secundum localem motum ». Ex quo videtur quod intellectualem creaturam immutabilem dicat secundum esse, mutabilem secundum bene esse et male. — Sed videtur contrarium per hoc quod dicit alibi in eodem libro [8]: « Angelus immortalis est, non natura, sed gratia ». Et Philosophus [9], loquens de superioribus corporibus dicit: « Dii deorum, quorum opifex ego sum, natura quidem dissolubiles, me autem volente [r] indissolubiles ». Ergo huiusmodi

---

[a] RL *autem*. [b] Ita V, alii *secundum quod* pro *i. q.* [c] T om. [d] Ita RL, alii om. [e] T add. *est*. [f] T exp. [g] ST *post*; R om. *est*. [h] T *quo*. [i] S *inconsequenti* pro *e. c.* [k] V om. [l] RL *maius*. [m] Z *motionem*. [n] L *mutabilis*. [o] L om. [p] S om. [q] L om. [r] T (corr.) *mea autem voluntate* pro *m. a. v.*

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, VII, c. 1 (II, 558).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, V, c. 1 (II, 308).
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 30; cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 2, q. 2 (I, 158 sqq.).
4 Cap. 1, n. 3 (PL 41, 349).
5 Quaest. 28 (inter opp. Augustini PL 35, 2232).
6 *Moral.*, V, c. 38, n. 68 (PL 75, 717).
7 *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 795).
8 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867).
9 Plato, *Timaeus* (ed. J. Wrobel, Lipsiae 1876, p. 43).

creaturae mutabiles sunt natura etiam quoad esse.

5. Item, universum creatura est; aut ergo mutabilis aut immutabilis. Si immutabilis quoad esse, ergo non omnis creatura mutabilis; si vero mutabilis, cum potentia non sit infinita, — rei enim finitae non est potentia infinita — aliquando mutabitur quoad esse; ergo universum aliquando desinet esse.

6. Item, beatitudo est quaedam res creata secundum quod supponit formam hominis beati; aut ergo est mutabilis aut immutabilis. Immutabilis non potest esse, cum sit creatura; mutabilis autem [a] esse non potest, cum sit beatitudo: « beatitudo autem est status omnium bonorum congregatione perfectus [1] »; sed iste status non potest esse cum mutabilitate; ergo non est mutabilis; non ergo omnis creatura mutabilis.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod omnis creatura, in quantum huiusmodi, mutabilis est [b] secundum aliquem modum. Nam si obiciatur de [c] ipsa mutabilitate cum sit creatura, utrum mutabilis sit: respondendum est quod aliter dicitur res mutabilis quae mutatur, et aliter ipsa mutabilitas. Nam mutabilitas dicitur mutabilis tamquam causa formalis rei quae mutatur; creatura vero alia, quae simpliciter dicitur creatura, mutabilis dicitur secundum se ipsam. — Et si dicatur mutabilitas non mutabilis secundum quemdam modum eo quod mutationem non participat in generatione formae — tunc enim esset processus in [d] infinitum — non tamen immutabilis dicitur sicut divina essentia dicitur immutabilis: divina enim essentia dicitur immutabilis – contra [e] hoc: quod mutatio mutabilis dicitur et mutabilitas mutabilis et res, quae secundum se ipsam mutatur, mutabilis.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem primo, quo ostenditur quod 'quaedam creatura est immutabilis, quia immortalis': respondendum est [f] quod 'immutabile' non tantum removet mutationem quoad esse, sed quoad esse bene vel male; unde licet aliqua creatura dicatur immortalis, quia mori non potest, non tamen dicitur immutabilis: sunt enim alia genera mutationum.

2. Ad id vero quod obicitur 'de universali in quo notatur conditio creaturae ex hoc quod dicitur incorruptibile': dicendum est quod incorruptibile dicitur eo quod ex ratione universalis non habet causam corruptionis per se, licet secundum accidens; secundum hoc autem licet [g] non dicatur mutabile, nihilominus tamen secundum communem [h] conditionem creaturae ipsa est mutabilis de se nisi contineatur [i] a Creatore in esse. Unde Augustinus, *Super Genesim ad litteram*, libro IV [2]: « Creatoris potentia et omnipotentis virtus causa subsistendi est omni creaturae; quae virtus ab eis, quae creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species omnisque natura [k] concideret ». Ex quo accipitur quod si aliqua creatura dicitur immutabilis, non est de se, sed de voluntate et dono Conditoris.

3. Ad tertium dicendum quod angelus licet sit immutabilis secundum statum gratiae aut gloriae, tamen est mutabilis in eo quod est ex nihilo. Unde Gregorius [3], super illud Iob 4, 18: *Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles* [l] etc.: « Angelus, etsi in statu suo immutabilis permanet, in hoc tamen quod creatura est, vicissitudinem mutabilitatis habet et ita stabilis non est. Si enim natura mutabilis non esset, cum esset bene [m] condita, in nullis cecidisset [n] ». Et hoc est quod dicit Ioannes Damascenus [4] quod « angelus est [o] immortalis, non natura, sed gratia ».

4. Ad quartum [p], scilicet 'utrum angelus mutabilis sit quoad esse, et similiter de caelestibus corporibus' [q]: dicendum quod de se non habent immutabilitatem quoad esse, sed de bonitate Creatoris, qui cuidam creaturae dat similitudinem suae immutabilitatis sicut illi creaturae congruit, scilicet quod non mutatur de esse in [r] non-esse, licet possibilis [s] sit ex eo quod est de [t] nihilo [5].

5. Ad quintum dicendum [u] de eo quod obicitur de universo, quod aliter dicitur universum mutabile et aliter aliqua pars universi. Dicitur enim universum mutabile ratione quarumdam suarum partium; unde Augustinus, in *Quaestionibus Veteris Testamenti* [6]: « Inconveniens est mundum aeternum dicere, quem cum videmus passioni subiectum et per singula senescere, deficere credimus et finiri ». Dicitur etiam universum mutabile, quia de nihilo factum est [v], et ratione huius dicitur consimiliter mutabile sicut et singulae creaturae. Dicitur tamen immutabile eo quod non mutabitur ratione nobilium creaturarum in non-esse ex dispositione Conditoris.

6. Ad sextum dicendum [x], scilicet de beatitudine creata, quod beatitudo creata immutabilis dicitur [y] eo quod non mutabitur; non autem

---

[a] RL om. [b] V om. [c] V *queratur quod* pro *o. d.*, C *illa* pro *ipsa*. [d] Z om. [e] T *circa*. [f] V om. [g] V om., TSZ om. *a. l.* [h] ST om. [i] T *contineat*. [k] RL *creatura*. [l] V *mutabiles*. [m] V *bone*. [n] R *concidisset*. [o] Z om. [p] STZ add. *dicendum est*. [q] STZ om., V add. *quod*. [r] S *et*. [s] V *passibilis*. [t] RL *ex*. [u] V *quod obicitur est*, R add. *est*. [v] ST om. [x] V add. *est*. [y] S om.

1 Boeth., *De consol. philos.*, III, pr. 2 (PL 63, 724).
2 Cap. 12, n. 22 (PL 34, 304).
3 *Moral.*, V, c. 38, n. 68 (PL 75, 717); cf. *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 113, 766).
4 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867). Cf. supra, p. 78, nota 8.
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 49b, *Solutio*.
6 Quaest. 28 (inter opp. Augustini PL 35, 2231sq.).

dicitur immutabilis [a] eo quod non possit, in eo quod creatura, mutari; nec 'mutabile' ex ratione creaturae opponitur beatitudini: licet enim beatitudo sit « status omnium bonorum congregatione perfectus », tamen beatitudo creata non habet omne bonum nisi secundum quod ei congruit; unde non habet immutabilitatem eo modo quo Deus dicitur immutabilis. Dicetur ergo beatitudo creata « status omnium bonorum » sufficientium « congregatione perfectus », et sic non opponetur mutabilitas quae congruit creaturae, sed mutabilitas, quae est defectus bonorum sufficientium [b], habet oppositionem respectu beatitudinis. — Et si obiciatur quod mutabile dicit possibilitatem, possibilitas autem non est infinita, et ita aliquando reducetur ad actum; si vero reducitur ad actum, non fuit beatitudo, cum beatitudo sit vita aeterna: quod autem aeternum est, non deficiet – dicendum est [c] quod possibilitas illa infinita dicitur quoad hoc quod non reducetur in suum actum, eo quod ponit in se aeternitatem boni, quae opponitur defectui boni sive bono deficienti. Nec est mirum si possibilitas sit infinita, cum sit rei infinitae duratione; quod autem non est reducibilis in actum, non est tantum ex ipsa, sed ex voluntate Conditoris.

64 CAPUT III.

UTRUM CREATURA SIT MUTABILIS IN NON-ESSE OMNINO.

Tertio quaeritur utrum creatura sit mutabilis in non-esse omnino de esse sicut de non-esse in esse. Quam quaestionem movet [d] Augustinus, in libro *Contra adversarium Legis et Prophetarum* [1], et relinquit eam indeterminatam.

Quod [e] **non, sic videtur:** 1. Principii dantis esse est conservare esse; ergo quantum est de ipso non cedit in omnino nihil. — Item, natura ipsius rei conditae tendit ad conservationem sui, et si non potest se salvare in uno solo, habet virtutem conservandi se [f] in alio [2]; ergo quantum est de intentione naturae non perit. — Item, res, quae habet contrarium, ex ratione [g] contrarii non omnino cedit in nihil, quia [h] intentio contrarii est convertere in suam formam; ex nulla ergo parte est [i] quod omnino secedat in non-ens.

2. Item, si res aliqua secedit [k] in non-ens, aut illa est spiritualis aut corporalis. Spiritualis non est, cum sit potentior corporali et similior Primo, cuius est res conditas salvare [l]; corporalis vero non est, quia aut est simplex, utpote principium rerum corporalium, aut composita ex illis. Composita vero non omnino cedit in non-ens: compositum enim [m] omne dissolubile est et resolubile in sua principia. Simplex non erit in illo genere, quia simplicia aut sunt corpora caelestia, et haec non secedunt [n] in non-ens, quia non corrumpuntur; si vero sunt elementa, non omnino cedunt in non-ens, quia ab invicem generantur et unius corruptio est alterius generatio; nulla ergo creatura corporalis secedit in non-ens omnino.

3. Forte dicetur quod hoc verum est in substantiis, sed in formis accidentalibus non est [o] sic – contra quod est quod formae accidentales si habent contrarietatem ad invicem [p], fit ad invicem transmutatio, et ita si una desinit esse in subiecto [q], alia fit in subiecto [r]. — Praeterea, formae accidentales causantur [s] a principiis in substantia; sed principia in substantia substantiae sunt; ergo causantur a substantiis. Si ergo principia, quae sunt substantiae, non omnino cedunt in non-ens, nec formae accidentales quae ex illis causantur.

4. Praeterea, si dicatur quod licet non secedant in non-ens omnino, possunt tamen secedere: reducatur haec potentia in actum; si reducitur, non magis reducetur [t] quam cum mundus innovabitur; sed innovatio mundi erit praecedente igne, qui comburet faciem mundi; sed sic est de natura ignis quod convertit ea, quae comburuntur, in se; ergo omnia, quae non permanebunt in sua forma post combustionem, permanebunt in specie ignis vel resolventur ad [u] sua principia; sed [v] sua principia permanebunt in sua essentia: *Praeterit enim figura huius mundi,* sed non substantia, sicut habetur I Cor. 7, 31.

5. Item, si omne quod procedit de non-esse in esse, ex hac ratione postea de esse verteretur in non-esse, qua ratione unum verteretur, et aliud verteretur; sed quaedam sunt quae non vertuntur

---

[a] Ita TRL (correcti), alii *mutabilis.* [b] V add. *non.* [c] VC om. [d] V *movit.* [e] V add. *autem.* [f] R om. [g] RLCZ *intentione;* L *de* pro *ex.* [h] L *quod.* [i] RLCZ om.; LC exp. *quod;* RL *cedat* pro *secedat.* [k] RL *cedit.* [l] RL *servare;* T *eius* pro *cuius.* [m] R om. [n] S *succedunt,* quod T corr. [o] Ita V, alii om. [p] T om. *a. i.* [q] R *substantia.* [r] RL *substantia,* L om. *a. f. i. s.* [s] L *creantur;* item TRL infra. [t] RL *reducitur.* [u] RL *in.* [v] R add. *in;* RL *in* pro *ad.*

[1] Lib. I, c. 6, n. 8 (PL 42, 607): « disputatio subtilissima est ».

[2] Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 4 (III, 448); *De gener. et corrupt.,* c. II, 10 (II, 464).

in non-esse nec vertentur, immo incorruptibilia [a] sunt; ergo consimili ratione et alia non vertentur in non-esse omnino.

Contra: *a.* Dicitur [b] Hebr. 1,11, super illud Psalmi [1]: *Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes* [c] *sicut vestimentum veterascent* etc.: « Veterascere dicitur illud quod [d] more vestis paulatim consumitur [2] ». Si ergo consumuntur [e] hoc modo, tandem omnino deficient.

b. Item, Apoc. 21,1, dicitur: *Vidi caelum novum et terram novam et mare iam* [f] *non est.* Ergo mare desinet esse. — Item, Isai. 51,6: *Caeli sicut fumus liquescent.* Cum ergo caeli evanescent, de quibus minus videtur, alia cedent in non-esse, de quibus magis videtur.

c. Item, Gregorius, in *Moralibus* [3]: « Cuncta ex nihilo facta sunt eorumque essentia ad nihilum tenderet [g] nisi ea Auctor omnium manu regiminis retineret ». Sed Auctor omnium non retinebit manu regiminis semper ea quae propter solam hominis necessitatem sunt; cum ergo [h] creaturae inferiores corporales, ut animalia et plantae et huiusmodi, propter solam hominis necessitatem sint, ablata necessitate secedent in nihilum. — Item, Gregorius [4]: « Omnia, quae a Deo creata sunt, quae modo sic, modo aliter sunt, iuxta non-esse sunt ». — Item, Eccli. 14,20: *Omne opus corruptibile in fine deficiet;* sed multae creaturae sunt opera corruptibilia; ergo in fine deficient.

d. Item, corruptio generationi opponitur et quorum est generatio, eorum est corruptio et quae sunt generabilia, sunt corruptibilia [5]; ergo a simili, cum [i] quod creatur, de non-esse in esse mutatur [k], quod autem perit, de esse in non-esse mutatur [6], erit eorum, quorum est creatio [l], in non-esse mutatio.

e. Item, Damascenus [7]: « Omnia quae sunt creabilia, omnino sunt et [m] vertibilia »; sed quae omnino sunt vertibilia, omnino sunt corruptibilia; ergo creabilia sunt corruptibilia.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod ea quae creabilia sunt, quantum est de se, sunt in non-esse vertibilia, hoc est si non haberent aliam causam continentem et [n] conservantem [8]. Non tamen omnia [o] sunt vertibilia in non-esse de voluntate Conditoris: ea enim permanebunt ex voluntate Conditoris quae sunt ad fruendum ipso vel ordinata ad illud, et si non permanent ad gloriam, permanent ad poenam.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obiectum est [a] in contrarium quod 'omnia debeant permanere': dicendum quod non permanebunt in se ipsis, cum in se ipsis ordinentur ad hominem secundum quod est res corruptibilis; unde amota corruptibilitate [b] non erit indigentia eorum, et sic in se ipsis non permanebunt. Et licet voluntas Creatoris, quantum est de se, sit immutabilis et causa sit sufficiens salvandi res, tamen non semper salvabuntur huiusmodi res: voluntas enim divina sicut [c] est ad salvandum huiusmodi res, dum sunt necessariae usui humano, ita ab aeterno fuit voluntas ad non salvandum, cum [d] non erunt necessariae. Nec tamen hoc est eo quod subtrahit Dominus virtutem contentivam [e] sive conservativam, sed res ipsae in se ipsis deficiunt [f], cum sint ex nihilo, et non apponitur [g] virtus conservativa [h], cum non est necesse.

2. Ad illud vero quod quaeritur 'si aliqua forma secedit in non-esse, utrum sit spiritualis aut corporalis': dicendum [i] quod aliqua est spiritualis, ut sensibilis in brutis vel [k] vegetabilis in plantis; aliqua etiam est [l] corporalis, utpote sunt ea corpora quae ad istam vel illam animam ordinantur. — Et si dicatur quod ad sua principia resolvantur: non est tamen hoc verum de sensibili anima vel vegetabili, quae non habent principia corporalia nec incorporalia in [m] quae resolvantur.

3. Ad id vero quod obicitur de formis accidentalibus: dicendum [n] [9] quod formae accidentales quaedam secedunt in non-esse, quaedam vero permanebunt, sicut est de principiis illarum formarum ex parte substantiae quod quaedam secedent [o] in non-esse, quaedam vero permanebunt. Sicut enim substantia animalium irrationalium et vegetabilium [p] et mineralium et artificialium cum principiis propinquis secedent in non-esse, ita et formae accidentales quae ex iis per se consequuntur [q]. Non sic autem est de iis formis accidentalibus quae insunt corporibus superioribus, in quantum sunt de ordine universi et non ordinantur ad motum vel mutationem per se: illae enim quae ordinantur ad motum vel mutationem, pertinent ad figuram huius mundi quae

---

[a] Ita VL (corr.), alii *incorporalia.* [b] T add. *ad.* [c] T *omnia.* [d] T om. [e] R *consumetur,* C *consumentur.* [f] C om. [g] L *tendent.* [h] R *autem.* [i] RZ *est.* [k] Ita S, alii *mutetur.* [l] V *generatio* pro *e. c.* [m] L om. [n] RL *vel.* [o] C *omnino.* [a] V *obicitur* pro *o. e.* [b] RL *corruptione.* [c] R *simul.* [d] LZ *tamen.* [e] R *continentiam,* quod L corr. [f] R *deficient.* [g] ST *opponitur.* [h] RL *conservantiam.* [i] Ita RL, alii add. *est.* [k] RL *aut.* [l] S om., RL om. *etiam.* [m] T *etiam.* [n] Ita V, alii add. *est.* [o] RLCZ *secedunt.* [p] SRLC *vegetalium;* VZ *numeralium* pro *mineralium,* quod C corr. [q] R *sequentur,* quod L corr.

1 Psalm. 101, 27.
2 *Glossa ordin.,* in h. l. (PL 114, 645) et Lombardi, in h. l. (PL 192, 412).
3 Lib. XVI, c. 27, n. 45 (PL 75, 1143).
4 *Moral.,* XVIII, c. 50, n. 82 (PL 76, 87).
5 Cf. Aristot., *Phys.,* V, c. 2 (II, 310).
6 Cf. Aristot., *Phys.,* V, c. 1 (II, 309).
7 *De fide orthod.,* I, c. 3 (PG 3, 795).
8 Cf. *Glossa ordin., In Hebr.,* 1, 11 (PL 114, 644).
9 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 26, dub. 5 (I, 462).

praeteribit[1]; « substantia vero eas qualitates habebit, quae incorruptibilibus corporibus convenient », sicut dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei*[a 2].

4. Ad id vero quod obicitur de igne conflagrationis, quod 'convertet[b] omnia corpora corruptibilia in se, et ita in ipso salvari debeant': respondendum[c] est quod non. Agit enim ille ignis in huiusmodi res consumendo, non sibi assimilando. Aliae vero[d] res sunt quarum erit innovatio, et in illas aget purgando et sibi quodammodo assimilando, non ratione formae ignis, sed ratione luminositatis.

5. Ad id[e] quod postea obicitur quod 'eadem ratione unum verteretur in non-esse sicut et aliud': respondendum est quod, licet quoad hoc conveniant quod ex nihilo fiunt omnia quae creata sunt, non tamen consimilis est ratio omnium ex alia parte; quorumdam enim est voluntas divina ut naturaliter ordinentur ad participationem beatitudinis, et quia participare non possunt beatitudinem nisi ea quae habent immortalitatem vel habere possunt, ideo ex[f] voluntate Conditoris et munificentia quaedam res creatae participant immortalitatem[g] et quae per se ordinantur ad illarum rerum habitationem perpetuam; aliae vero, quae non sunt huiusmodi, sibi relictae cedunt[h] in non-esse.

a. Ad id vero quod consequenter opponitur per auctoritatem[i] Sacrae Scripturae quod 'caelum et terra peribunt, et ita secedent in non-esse': respondendum[k] per hoc quod dicitur in Glossa super illud[l] Hebr. 1,11: *Omnes ut vestimentum veterascent,* Glossa[3]: « Caeli meliorem formam recipient: et sicut amictus extenditur et plicatur, ita tam facile mutabit Deus caelos, et post mutationem manebunt, quia facta Dei iam[m] sub aeternitate stabunt nec ad corruptionem revertentur »; et iterum: « Caeli aërei peribunt ab eo quod sunt, dum immutabuntur in melius creaturae » De terra etiam dicitur Eccle. 1,4: *Terra in aeternum stat;* licet enim a corruptibili forma transeat, permanebit tamen sub incorruptibili.

b. Ad illud autem quod[n] dicitur de mari in Apocalypsi, quod '*iam non erit*': dicendum[o] quod, licet aqua secundum quod fluxibilis[p] est et mutabilis, transeat, remanebit tamen secundum naturam perspicui et lucidi; hae enim qualitates congruent etiam corporibus iam existentibus incorruptibilibus[q].

c. Ad auctoritatem B. Gregorii dicendum quod non omnia secedunt[r] in non-esse, quia a bonitate Creatoris conservantur et conservabuntur, sicut dictum est[4]. Et licet quaedam dicantur esse prope[s] non-esse propter quamdam dispositionem nihilominus tamen permanent propter Conditoris bonitatem.

d-e. Ad id vero[t] quod obicitur de similitudine generationis et corruptionis ex una parte et creationis et mutationis omnino in[u] non-esse ex altera: dicendum quod non est simile. Generatio enim et corruptio sunt in materia formarum contrariarum sive contrariorum quae agunt et patiuntur ad invicem[5], et propter hoc quorum est generatio, eorum est corruptio et unius generatio est alterius corruptio[6]; non sic autem est de creatione et mutatione in omnino non-esse. Ea enim, quae de nihilo creantur, quaedam in esse a bonitate Conditoris[v] conservantur propter immortalitatis participationem.

66 CAPUT IV.

UTRUM DEUS POSSIT CONFERRE CREATURAE OMNIMODAM IMMUTABILITATEM.

Quarto quaeritur utrum Deus possit conferre creaturae omnimodam immutabilitatem, scilicet quod sit immutabilis secundum naturam[7].

Quod videtur: 1. Sicut enim potentia Dei confert immutabilitatem ex gratia, cum indifferens sit potentia, potest conferre immutabilitatem ex natura.

2. Praeterea, quaedam res in ultimo statu perducentur[x] ad immutabilitatem; sed indifferens est potentiae divinae primus status et ultimus; ergo in primo statu potest conferre immutabilitatem creaturae.

Contra: *a.* Res, quia[y] sunt de nihilo, sunt mutabiles; sed omne quod est a Primo, vel est de[z]

---

[a] R *Trinitate* pro *c. D.* [b] V *convertetur,* Z *convertit;* RL om. *corpora.* [c] RL *responsio.* [d] Ita V, STZ *enim vero,* RLC *enim;* RL *quorum* pro *quarum.* [e] Ita V, alii add. *vero.* [f] C om. [g] ST *mortalitatem,* quod V corr. [h] RLCZ *cedent.* [i] Ita V, alii *auctoritates;* VS *quia* pro *quod.* [k] R add. *est,* V *illud* pro *hoc.* [l] L om. *s. l.* et habet *in* pro *ut.* [m] RL om. [n] Ita V, alii *quod autem* pro *A. i. a. q.* [o] Ita V, alii add. *est.* [p] SRLZ *fluxilis.* [q] L *in corruptionibus;* T *corporalibus* pro *corporibus.* [r] RL *succedunt.* [s] SR *proprie,* quod L corr. [t] V om. [u] V *in omnino* pro *o. i.* [v] Z *creatoris.* [x] T *producentur.* [y] TRL *que.* [z] V *ab.*

1 Cf. I Cor. 7, 31. 2 Lib. XX, c. 16 (PL 41, 682).
3 Lombardi, in h. l. (PL 192, 412).
4 Cf. supra, p. 81a, *Solutio.*
5 Cf. Aristot., *Phys.,* V, c. 1 (II, 309).
6 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.,* I, c. 3 (II, 439).
7 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 80.

ipso, sicut Filius de substantia Patris et Spiritus Sanctus, vel est de nihilo; et si est de nihilo, est creatura, et ita [a] mutabilis; cum ergo impossibile sit de sua substantia creaturam facere, sed de nihilo, ergo impossibile est creaturae ex [b] natura sua conferre immutabilitatem.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod [c] immutabilitas dicitur duobus modis: vel removendo actum vel removendo potentiam. Si [d] removendo actum, non est impossibile creaturam esse immutabilem; et hanc [e] posset contulisse Creator creaturae. Secundum autem quod removet potentiam sive possibilitatem, sicut non potest de sua substantia [f] sibi diversum in substantia producere, sic non potest conferre immutabilitatem [g] ex natura rei existentis [h] ex nihilo, non quia non possit omnipotens dare incommutabilitatem naturae, sed non differenti in substantia a se, sed indifferenti: Filius enim est incommutabilis natura, quemadmodum Pater et similiter Spiritus Sanctus; creatura vero, ex hoc [i] quod creatura, natura est mutabilis, non ergo est capax immutabilitatis secundum naturam: incommutabilitas enim secundum naturam idem est quod substantia secundum quod est Dei, et haec est impossibilis creaturae.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem dicendum quod non est simile de incommutabilitate [k] ex gratia et de illa quae est ex natura. Nam quod dico 'ex natura', ad creatum in quantum creatum refertur [l], ut ex se esset mutabile; quod autem dicitur 'ex gratia', refertur ad donum [m] Conditoris naturae superadditum. Et ideo dicit Damascenus [1] quod « angelus immortalis est, non natura, sed gratia ». — Et si dicatur quod sicut aeternitas, in qua creatur angelus vel anima rationalis, est ei naturalis, ita posset esse de incommutabilitate quod posset esse naturalis: respondendum est quod aeternitas illis [n] attribuitur, non quia non possint [o] habere finem, sed quia non habebunt finem nec aliquid est activum [p] in illas res, per cuius [q] potentiam possint destrui, quod aliud sit a substantia gubernatoris [r]. Incommutabilitas vero non sic se habet: est enim quaedam incommutabilitas liberi arbitrii, quae si esset in istis creaturis, non mererentur bonum aut malum. Unde posita libertate ad merendum, quae [s] convenit creaturae rationali, congruit mutabilitas, et ex alia parte, sicut dictum est [2], aeternitas, et ita non secundum eumdem modum sunt aeternitas et incommutabilitas, nisi accipiantur aeternitas et incommutabilitas [t] prout utrumque est proprium Dei.

2. Ad id vero quod obicitur quod 'primus status et ultimus sunt indifferentes potentiae divinae': respondendum [u] quod, licet ex parte potentiae Dei [v] sit indifferentia, ex parte tamen creaturae ad ipsam est differentia. Quod enim habet ex natura, minus perfectum est quam quod habet ex dono naturae superaddito. Si vero coniungeret haec duo a principio, dicerentur secundum quemdam modum naturalia quae modo dicuntur gratuita, et secundum hunc modum posset incommutabilitas naturalis, sed ex participatione, creaturae convenire.

---

[a] S *est.* [b] V *de.* [c] SRZ om. [d] ST *sed.* [e] R om., in L est add. mg., V add. *immutabilitatem;* RL *potuisset* pro *possset.* [f] R *potentia;* C *nec* pro *non.* [g] SRL *incommutabilitatem.* [h] V *existenti.* [i] R *eo.* [k] L (corr.) *incommutabili.* [l] RL *referetur.* [m] L *domum,* quod T corr. [n] C *illi.* [o] Z *possit.* [p] L *aliud est actum* pro *a. e. a.* [q] T *eius.* [r] CZ *gubernantis.* [s] R *quod.* [t] V *commutabilitas,* Z om. *nisi... incommutabilitas.* [u] R add. *est.* [v] L add. mg. *non.*

[1] *De fide orthod.*, II, c. 3 (PL 94, 867).

[2] Cf. hic, parum supra.

TITULUS IV.

DE TEMPORALITATE CREATI.

Transeundum est ad considerationem de aeternitate [a] vel de temporalitate mundi. Circa quod haec sunt quaerenda:

Primo quaeritur [b] utrum aeternitas conveniat mundo aut temporalitas; secundo [c], de coaevitate [d] ipsius mundi vel eorum quae primo erant creata [e] in mundo; tertio, si mundus incepit esse secundum quod philosophi loquuntur de verbo ‘incipiendi’.

CAPUT I.

UTRUM AETERNITAS CONVENIAT MUNDO [1].

67

ARTICULUS I.

Utrum mundus sit aeternus ex parte initii [2].

Circa primum sic [f]: 1. Bonitas Dei nunquam [g] vacua esse credenda est; sed ab aeterno fuit bonitas; ergo ab aeterno fuit mundus.

2. Item, voluntas Dei aeterna est; sed si noluit ab aeterno facere mundum et voluit facere mundum post [h], ergo aliqua mutatio videtur esse voluntatis divinae [i]: sicut est in voluntate nostra si [k] nos volumus facere aliquid nunc quod [l] nolebamus prius facere, mutabilis videtur voluntas; ergo, cum voluntas eius sit immutabilis, non aliquando voluit facere mundum et aliquando non.

3. Item, essentia Dei fuit aeterna et voluntas eius similiter; aut ergo non statim fecit mundum aut fecit. Si statim, ab aeterno fuit mundus; si vero [m] non statim, ergo prior erat vacatio [n] quam operatio; ergo potentia divina exivit ab otio [o] in actum; sed potentia, quae exit [p] ab otio in actum, mutabilis est; ergo potentia divina est mutabilis; sed hoc est impossibile; ergo mundus fuit [q] ab aeterno.

4. Item, creatio est actio qua Deus fecit mundum, vel alio nomine nuncupetur. Aut ergo semper Deus fuit in illa actione aut non semper. Si semper fuit illa actio in Deo, semper fuit mundus, et ita ab aeterno; si non semper, in aliquo instanti erat dicere quod actio illa infuit et ante non infuerat; cum ergo de non agente tunc fieret agens, tunc mutatio erat [3]; sed Deus est immutabilis; ergo et eius actio immutabilis; ergo semper erat mundus.

5. Item, Augustinus, in libro *De civitate Dei* [4]: « Sicut Dominum Deum aliquando ‘Dominum’ non fuisse dicere non audeo, ita hominem nunquam antea fuisse et in quodam tempore primum hominem creatum fuisse dubitare non debeo ». Ergo Deus ab aeterno fuit Dominus [r]; sed dominus non dicitur nisi alicuius rei dominus; sed non est aliqua res cuius dicatur dominus, nisi aut mundi aut alicuius partis mundi; ergo vel [s] mundus vel aliqua pars mundi [t] erat ab aeterno, respectu cuius dominus diceretur.

6. Item, sit A ‘nunc’ in quo prius erat mundus: aut illud ‘nunc’ [u] praecessit aliud ‘nunc’ aut non. Si aliud praecessit, cum ‘nunc’ et ‘nunc’ non sint sine variatione, aliqua variatio praecessit mundum; sed nulla variatio praecessit mundum; ergo ante illud non erat aliud ‘nunc’; ergo erat ‘nunc aeternitatis’; ergo mundus fuit ab aeterno.

7. Item, aut Deus potuit facere mundum ab aeterno et voluit [v] aut voluit ab aeterno et non potuit aut potuit ab aeterno et non voluit [x]. Si ab aeterno potuit et voluit, habetur propositum; si vero voluit et non potuit, impotens fuit: quod est impossibile; si vero potuit et noluit, non [y] summa

---

[a] V om. *d. e.* [b] Ita V, alii om. [c] Ita V, alii add. *queritur.* [d] S *coeternitate;* R om. *ipsius,* in L est add. mg.; RL *et* pro *vel.* [e] T om., L om. *in.* [f] V add. *proceditur.* [g] C *non;* RL om. *esse.* [h] V *postea,* R *primo.* [i] Ita V, alii om. [k] V *sed,* T *sed si.* [l] Ita V, alii *et.* [m] V om., R *ergo.* [n] V *evacuatio.* [o] V om. *a. o.* [p] L *erit,* T *de* pro *ab.* [q] S *fit.* [r] R add. *Deus,* quod L exp. [s] VST om.; L *mundi* pro *mundus,* quod R corr. [t] RL om. [u] S om. [v] Ita L, alii om. *e. v.* [x] L *et noluit* pro *a. a. e. n. v.,* C om. *non;* V *et noluit aut voluit et non potuit aut potuit et non voluit* pro *aut potuit... voluit.* [y] V add. *ergo.*

[1] Cum, iuxta Richard. de S. Victore, *De Trinit.*, II, c. 4 (PL 196, 903), aeternum sit carens initio, fine et omni mutabilitate, haec tria mundum non habere probat auctor in sequentibus, ut aeternitas penitus a mundo excludatur.

[2] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 64; S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, q. 2 (II, 19sqq.); *In Hexaëm.*, coll. 6, n. 4 (V, 361).

[3] Cf. Augustin., *Confess.*, XI, c. 10, n. 12 et XII, c. 15, n. 18 (PL 32, 814, 832).

[4] Lib. XII, c. 15 (PL 41, 363).

bonitas in eo fuit [1]: quod iterum est inconveniens; restat ergo quod mundus ab aeterno fuit.

8. Item, Deus ab aeterno fuit ratione potentiae, sapientiae et voluntatis [a] omnimoda causa ipsius mundi sive creaturae; ergo, cum causa posita ponatur causatum [2], ab aeterno fuit mundus sive creatura.

9. Item, creatura sive mundus non semper fuit; ergo mutatione aliqua processit in esse; sed illa mutatio non [b] est nisi creatura; ergo ad mundum pertinet; ergo non semper fuit; mutatione ergo processit in esse, et sic in infinitum; sed hoc impossibile est [c]; ergo mundus semper fuit.

10. Item, mundus archetypus est ad cuius similitudinem factus est mundus sensibilis; mundus autem archetypus plenus est rationibus aeternis, quae sufficiunt ad rationem creaturarum [3]; ergo mundus sensibilis, qui est creatus [d], sufficientem habet causam ab aeterno, cum mundus archetypus sit aeternus; ergo mundus sensibilis est aeternus.

11. Item, aliquis [e] procedit ab aeterno qui est consubstantialis illi a quo procedit, sicut Filius procedit a Patre; et est [f] aliquid quod procedit a re aeterna, quod est distinctum in substantia ab illa [g] et non est aeternum, sicut generabilia et corruptibilia. Cum ergo haec duo extrema sint in universo et in ordine universi nihil est incompletum, duo autem contingat assignare media — unum, quod est illi consubstantiale [h] et non aeternum, aliud [i], quod est diversum et aeternum — erunt ergo illa duo media, si [k] non obviet eis impossibilitas rationis; sed unum est quod [l] differat in substantia a Primo, et sic [m] aeternum; si ergo non obviat impossibilitas rationis, erit aliud huiusmodi; sed tale non est nisi [n] mundus aut creatura aliqua mundi; ergo mundus vel aliqua mundi creatura est aeterna; et dico aeternum non sine principio causalitatis, sed sine principio durationis.

12. Item, divina bonitas manifestativa fuit sui in summo ab aeterno: hoc enim est de natura boni ut se manifestet, et summi boni ut se summe manifestet et aeterni summi boni ut se summe ab aeterno manifestet [4]. Si ergo multitudo creaturarum facit ad [o] eius manifestationem, debuit esse [p] multitudo creaturarum ab aeterno, et ita mundus.

13. Item, omnis operator per voluntatem et propter [q] finem, si operatur in una hora et non in alia, hoc est propter prohibentia [r] vel expergefacientia [s]; sed Deus est operator per voluntatem et propter [b] finem nec habet prohibentia [c] vel expergefacientia; ergo non operatur in [d] una hora aliter quam in alia vel in una operatur et [e] in alia non operatur; cum ergo operetur, similiter operabitur; ergo non plus [f] est ratio quare in una hora quam in alia; ergo ab aeterno operatur.

14. Item, « idem similiter se habens semper est natum [g] facere idem [5] »; sed Deus est similiter se habens semper; ergo semper facit idem; ergo etc.

Contra: *a.* Mundus renovatur in [h] partibus suis; renovatio autem partium dat intelligere renovationem totius. Arbor enim una si procedit, procedit ab arbore [i] altera et illa ab alia, et ita aliquando erit status, quia non est in [k] infinitum abire; sed [l] existente statu illa arbor non se producit in esse; ergo habebit factorem. Eodem modo est de aliis quae fiunt; sicut ergo est renovatio in partibus, ita erit renovatio in universo.

b. Item, non est processus causarum in infinitum [6]; ergo necesse est in causa materiali pervenire ad primam causam materialem; sed illa non producit se in esse nec est de substantia agentis; ergo non de aliquo; ergo procedit in esse post privationem perfectam; ergo non est aeternum; mundus ergo non est aeternus.

c. Item, substantiae mundi vel sunt coniunctae tantum vel separatae tantum vel quaedam quandoque coniunctae, quandoque [m] separatae; si tantum essent coniunctae, non dividerentur; si autem tantum divisae, non coniungerentur; ergo aliquando coniunguntur, aliquando dividuntur; ergo necesse est motorem esse a quo ista fiant; sed motor est ante motum secundum substantiam [7]; ergo mundus, qui est ex rebus sic congregatis aut segregatis, non est ab aeterno.

d. Item, mundus [n] aut habet esse contingens aut necessarium. Si vero [o] habet esse necessarium, non indiget alio ut sit, et ita esset creator; habet ergo esse contingens; sed quod habet esse contingens, non est aeternum; ergo mundus non est aeternus.

e. Item, ea quae sunt in mundo, ordinantur ad aliquod genus motus; sed quae ordinantur ad aliquod genus motus, recipiunt innovationem; ergo ea, quae sunt in mundo, recipiunt renovationem; ergo mundus, qui est [p], ex iis componitur; non ergo est ab aeterno.

---

[a] VST add. *et*, C om. *causa*. [b] T om. [c] VSTZ om. [d] Z *causatus*. [e] Codd. *aliquid*. [f] RL om. [g] Ita VZ, alii *illo*. [h] RL *consimile*. [i] RL *aliquid*. [k] R *etsi*. [l] R om. *e. q.* [m] L *sit*. [n] T om. [o] L om., V *ab*. [p] V *esset*. [q] R *per*, quod L corr. [r] RL *prohibitum*.
[s] S *experte facientia*. [b] RL *per*. [c] L *prohibitia*. [d] RL om. [e] V om., L om. *non*. [f] L om. *e. n. p.* [g] T *natus*. [h] RL om. [i] Z add. mg. *et illa ab arbore*, VR *alia* pro *altera*. [k] RL *ad*. [l] RL *pervenire* pro *a. s.* [m] V *coniuncte quedam* pro *q. c. q.* [n] RL om. [o] V om., RL om. *esse*. [p] S om., C exp.

1 Cf. Augustin., *De div. quaest. 83*, q. 50 (PL 40, 31); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 414, nota 2.
2 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3 (II, 265).
3 Cf. Augustin., *De div. quaest. 83*, q. 46 (PL 40, 30).
4 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 94, n. 5.
5 Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 465).
6 Cf. Aristot., *Metaph.*, I (lect. brev.), c. 2 (II, 486).
7 Cf. Aristot., *Metaph.*, III, c. 5 (II, 511).

f. Item, aeternum dicitur quod non habet principium durationis[1]; ergo non erat dicere 'nunc' in quo prius fuit mundus et est sumere aliquid quod primo[a] fuit et non ante; ergo mundus praecessit illud sicut aeternitas praecedit tempus; non ergo Deus tantum praecedit aeternitate res conditas.

g. Item, motus et caelum sunt coaequaeva[b][2]; sed caelum fuit simul cum mundo; ergo motus simul cum mundo[c]; sed motus fuit in 'nunc temporis'; ergo mundus; sed prius est 'nunc aeternitatis' quam 'nunc temporis'; ergo mundus posterior 'nunc aeternitatis'; non ergo aeternus.

h. Item, nullum compositum est nobilius suis componentibus; sed mundus componitur ex rebus conditis; ergo non est nobilior eis. Aut ergo componitur ex rebus mutabilibus tantum aut ex[d] rebus immutabilibus tantum aut ex istis et[e] illis; sed videmus quasdam res in mundo esse mutabiles; non ergo componitur ex immutabilibus tantum; restat ergo altera duarum differentiarum; ergo mundus est mutabilis, qui componitur ex illis; non ergo est[f] aeternus.

i. Item, mundus componitur ex materia et forma; sed cuius alterum principium est mutabile vel utrumque, ipsum est mutabile; sed forma est mutabilis ad minus et materia secundum quid vel[g] simpliciter; ergo mundus, qui[h] ex iis componitur, est mutabilis; non ergo est[i] aeternus.

k. Item, si ea, quae nobiliora sunt in[k] mundo, non sunt aeterna, nec mundus erit[l] aeternus; sed de nobilioribus in mundo videmus esse animas rationales; animae vero rationales similiter se habent ad suum principium; cum ergo una non sit aeterna, sicut nec corpus in quo creatur, nec alia anima erit aeterna; ergo nulla anima rationalis aeterna; mundus ergo, qui componitur ex ipsis animabus tamquam nobilioribus partibus, non erit aeternus.

l. Item, si poneretur aeternus, essent duo aeterna; qua ergo ratione diceretur habere hoc[m] principium a Deo, qui est aeternus, cum haberet a se ipso aeternitatem? secundum hoc etiam[n] videretur aequalis.

Iis omnibus rationibus apparere potest mundum non esse aeternum.

Solutio: Dicendum quod mundus non est aeternus, secundum quod 'aeternum' dicitur quod non habet principium durationis: de aeterno enim secundum quod non habet finem, in proximo[3] dicetur. Unde opinio illorum philosophorum[4], qui posuerunt[o] mundum esse aeternum, reprobanda est tamquam fidei inimica, cum in Lege et Prophetis[5] contraria inveniantur.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod primo obicitur quod 'bonitas Dei nunquam fuisse vacua credenda est', sic[p] intelligi debet: aut 'nunquam' dicit ibi aeternitatem aut tempus. Si aeternitatem, verum est quod nunquam vacua fuit bonitas Dei, id est essentia Dei[q] nunquam vacua fuit quin Deus Deum generaverit[r], quin Pater et Filius spiraverint Spiritum Sanctum. Sed si haec dictio 'nunquam' dicit tempus, bonitas Dei nunquam vacua fuit a fluxu rerum conditarum, quia non fuit tempus, in quo non flueret creatura ab ipso. Haec autem sententia[s] introducitur in libro *De civitate Dei*[6], sub persona philosophorum adstruentium mundi aeternitatem. Unde secundum hoc falsa esset, ut is esset sensus: bonitas Dei nunquam in aeternitate vacua fuit a factura mundi.

2. Ad secundum dicendum quod voluntas Dei non est mutabilis. Non enim voluit[t] ab aeterno facere mundum, ita quod haec determinatio 'ab aeterno' determinet hoc verbum 'voluit'; sed si determinet hoc verbum 'facere', tunc noluit[u] facere ab aeterno. Voluntas autem diceretur mutabilis, si prius nollet et post vellet; si autem nollet facere prius et vellet facere post, non propter hoc diceretur mutabilis, sed mutatio tantum esset ex parte rei factae.

3. Ad tertium dicendum quod non dicitur divina voluntas exire ab otio in actum eo modo quo dicitur humana voluntas. Humana enim voluntas est secundum quam homo modo non vult et postea vult: unde prius cessavit a nolendo[v], et postea voluit[x] esse, sed divina voluntas ab aeterno voluit rem quae[y] temporaliter fuit.

---

[a] V *post.* [b] T *coequalia.* [c] V om. *e. m. s. c. m.* [d] Ita V, alii om. [e] RC add. *ex;* L *aut ex,* quod R corr. expuncto *aut;* SL *si* pro *sed.* [f] L om. [g] RL *et.* [h] STLCZ *quod.* [i] Z om. [k] R om. [l] V *est.* [m] Ita V, alii om. [n] RL om. [o] V *possunt.* [p] R *sicut,* quod L corr. [q] Ita V, alii om. [r] Ita VT, alii *generavit.* [s] T *summa.* [t] Ita R, alii *noluit;* S om. *est.* [u] VL *voluit,* RL om. *tunc.* [v] Ita TR, alii *volendo.* [x] Ita TR, alii *noluit.* [y] T *qui,* R *quod,* quod L corr., S add. *quia.*

1 Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, II, c. 4 (PL 196, 903); cf. supra, p. 84, nota 1.

2 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 1 et *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 467, 571).

3 Cf. infra, num. 68.

4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 64. Notum est a Concilio Parisiensi (1210) statutum fuisse ne «libri Aristotelis de Naturali Philosophia nec commenta legantur Parisius publice vel secreto, et hoc sub pena excommunicationis» (Denifle-Chatelain, *Chartul. Univ. Paris.*, Paris. 1889, I, n. 11). Et anno 1231, 13 aprilis, Gregorius Papa IX iterum iussit «ut magistri Artium ... libris illis naturalibus, qui in Concilio provinciali ex certa causa prohibiti fuere, Parisius non utantur, quousque examinati fuerint et ab omni errorum suspitione purgati» (Denifle-Chatelain, loc. cit., p. 138). Teste Rogero Bacone, «*Naturalis Philosophia* eius [Aristotelis] et *Metaphysica* cum commentariis Averrois ... Parisiis excommunicabantur ante annum Domini 1237 [legas 1231] propter aeternitatem mundi et temporis» etc. (Cf. H. Rashdall, *Fr. Rogeri Bacon Compendium studii theologiae*, Aberdoniae 1911, p. 33).

5 Cf. Gen., 1, 1; 14, 19; Eccli. 1, 4; 18, 1; Isai. 40, 26-28.

6 Cf. lib. XII, c. 17, n. 1 (PL 41, 366).

Unde mutatio non est ex parte voluntatis, sed est ex parte eius respectu cuius est voluntas; non ergo mutatio ab otio [a] in actum fuit in Deo, sed mutatio de non-esse in esse in ipsa re condita.

4. Ad quartum dicendum quod, cum Deus creat et prius non creavit, non propter hoc mutatur, sed res mutatur quae fit secundum eam [b] [1]. Unde non est simile de ipso et de creatura agente. Creatura enim agens educitur [c] de potentia in actum per id quod semper est in actu [d]: unde apud ipsam creaturam est mutatio; Deus autem, cum de potentia agente fit actu agens, ut de potentia creante fit actu creans, nullam ex parte sui recipit variationem: ipse enim semper est in actu voluntatis aeternae.

5. Ad quintum dicendum quod 'semper [e] esse Dominum' dicitur dupliciter: vel ut 'semper' dicat 'semper aeternitatis' vel ut [f] dicat 'semper aevi [g] aut temporis'. Si dicit 'semper aeternitatis', non semper fuit Dominus; si 'semper [h] aevi vel temporis', semper fuit [i] Dominus. Sed aliter dicitur secundum hoc Deus semper Dominus et aliter creatura semper creatura: creatura enim semper dicitur creatura, quia cum aevo vel tempore [k] exit in esse; Dominus vero [l] non est ratione temporis. Unde non dicitur proprie quod associetur dominium tempori: est enim Dominus temporis.

6. Ad sextum dicendum [m] quod 'nunc' illud, in quo creatus est mundus, non praecessit aliud [n] 'nunc temporis vel aevi', et ita nulla praecessit variatio, sed prius fuit 'nunc aeternitatis'; ex hoc autem non sequitur [o] variatio. Ordo enim iste qui est aeternitatis ad aevum vel tempus, non ponit variationem in partibus temporis, sed tantum quod variatio temporis sequitur vel concomitatur aeternitatem.

7. Ad septimum dicendum quod haec determinatio 'ab aeterno' potest determinare haec verba 'potuit, voluit', et secundum hoc verum est quod ab aeterno potuit et voluit; nec tamen mundus ab aeterno fuit, quia voluntas fuit faciendi rem temporalem in tempore vel cum tempore. Si vero determinatio illa determinet hoc verbum 'facere', oppositio notatur. Nam quod primo [p] facit, de non-esse in esse producit; quod autem est aeternum non est post non-esse, et ideo inter verbum et suam determinationem notatur oppositio. Unde respectu eius sic dicti nec est voluntas nec est potentia.

8. Ad octavum dicendum quod, licet causa ab aeterno fuerit sufficiens facere, non tamen fuit causa ad facere ab aeterno sive aeternaliter, sed ad [a] facere in tempore sive [b] aevo, et ideo non sequitur [c] quod mundus sit aeternus. — Et si obiciatur de hac argumentatione: 'quidquid voluit Deus, fecit; sed Deus voluit facere mundum; ergo fecit; sed minor est ab aeterno vera; ergo conclusio' – dicendum est [d] quod non sequitur: nam maior propositio complectitur quod est aeternum et quod est temporale. Unde sensus est: 'quodcumque voluit facere, in tempore [e] fecit', et loquimur de factura mundi; et [f] propter hoc conclusio potest sequi quae respicit tempus, sicut ex una propositione de necessario et altera de contingenti sequitur [g] propositio de contingenti; et [h] similiter de inesse ut nunc [i].

9. Ad nonum dicendum quod mundus non processit in esse mutatione praeambula, sed concomitante, nec tamen sine mutatione, et ideo non sequitur quod immutabilis [k] sive aeternus sit mundus. Illa vero mutatio non habuit mutationem [l] ante se, nec tamen et [m] ipsa immutabilis est vel aeterna.

10. Ad decimum dicendum [n] quod, licet mundus archetypus sit sufficiens exemplar rerum conditarum et habeat in se ideas sive rationes aeternas, idea [o] vero vel ratio dicatur ad illud cuius est ratio, non tamen mundus cum suis contentis est ab aeterno, quia [p] idea et ideatum et exemplar et exemplatum et ratio et [q] illud cuius est ratio non sic dicuntur ad invicem sicut relativa quae simul sunt: ut pater non est sine filio et e converso, idea vero est, licet non sit ideatum, et exemplar, licet non sit exemplatum, sed non [r] e converso.

11. Ad undecimum dicendum quod non est accipere medium huiusmodi inter illa duo extrema: medium enim illud impossibile est in se, scilicet [s] quod sit differens a substantia divina et aeternum; ex hoc enim quod est differens a substantia divina, cum non sint duo principia [2], ponitur esse creatum, et ita ponitur de non-esse in esse procedere, et ita est habens principium durationis, non ergo aeternum. Restat ergo quod inter illa duo extrema non est accipere huiusmodi medium ad completionem universi.

12. Ad duodecimum dicendum [t] [3] quod manifestatio divinae bonitatis est dupliciter [u]: vel quoad magnitudinem potentiae [v] vel quoad multiplicationem in effectibus. Quoad magnitudinem

---

[a] L *a bono* pro *a. o.*, quod RZ corr. [b] VST om. *q. f. s. e.* [c] T *eduntur.* [d] ST *actum.* [e] S add. *est.* [f] ST add. *semper.* [g] V om. *v. u. d. s. e.* [h] RL add. *fuit.* [i] Ita V, alii om. [k] T add. *semper.* [l] T *nec*, RL om. [m] ST add. *est.* [n] R *ad*, L *aliquid.* [o] Z *sequetur.* [p] V *post.*

[a] R add. *hoc.* [b] Z add. *in.* [c] Z *sequetur.* [d] RL om., L om. *non.* [e] R *et ipse* pro *i. t.*, L *et* pro *in.* [f] RL om. [g] R *et.* [h] R om. *d. c. e.* [i] V *non.* [k] C *mutabilis.* [l] L *mutatio.* [m] VS om. [n] R add. *est.* [o] S *idee et.* [p] RL add. *et.* [q] V *ad*; STZ *exemplum* pro *exemplatum.* [r] R om., in L est add. interl. [s] V add. *secundum.* [t] RL add. *est.* [u] RL *duplex* pro *e. d.* [v] Z om., in T est add. interl.

1 Scilicet *actionem.* 2 Cf. supra, num. 3-5. | 3 Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 96, *ad 5.*

potentiae manifestavit se Deus Pater ab aeterno generando Filium, qui est consubstantialis [a] et coaeternus et coomnipotens; similiter est in processione Spiritus Sancti. Unde Augustinus, in libro *Quaestionum Novi Testamenti* [1], circa principium: « Deus Pater [b], cum ea quae non erant voluisset existere et maiestati suae non hoc condignum opus esse [c] sciret, prius de se Filium generavit, in quo ipse videretur, qui nihil ab eo distaret, ut magnitudini suae congruus [d] responderet effectus ». Quoad multiplicationem in effectibus manifestatur divina bonitas, sed non in [e] effectibus ab aeterno: non enim creatura potuit esse aequalis Creatori, sicut habetur super illud Psalmi [f 2]: *Confortata est, et non potero ad eam.*

13. Ad tertium decimum dicendum [g 3] quod divina potentia non indiget expergefaciente [h], similiter nec divina voluntas, eo quod aeternaliter se habent; nec habet aliquod [i] prohibens, nec tamen semper operatur quodcumque: non enim aeterna [k] voluntas fuit ad operandum nisi in tempore determinato, et ad hoc ordinat ipsa [l] sapientia, quae disponit unumquodque sicut congruit; prima vero, quae operata est, in 'nunc temporis' determinantur nec ibi est assignare rationem quare non prius, cum 'prius' ibi non dicat nisi aeternitatem prout est prior tempore. 'Prius' enim dicitur aliud alio multipliciter, sicut dicit Augustinus, in XII *Confessionum* [4]: dicitur enim uno modo prius origine, sicut sonus prior est cantu; alio modo tempore, sicut flos prior est fructu; alio modo electione sive dignitate, sicut fructus prior est [m] flore; quarto modo prius aeternitate, sicut Deus prior omni creatura. — Si vero quaeritur causa propter quam Deus voluit tunc facere, cum fecit: dicendum est [n] quod eius quod est tunc [o] facere, non est alia causa nisi illa quae est eius quod est facere mundum, scilicet divina voluntas. Cum facto enim est ipsum 'nunc' in quo fit nec aliam habet causam.

14. Ad ultimum dicendum [p] quod propositio illa non intelligitur de Deo, qui est causa [q] prima et immutabilis et facit res mutabiles, sed de causa creata [r], quae appropriatur respectu sui causati.

68 ARTICULUS II.

Utrum mundus sit aeternus ex parte finis.

Secundo quaeritur de mundo utrum aeternus sit ex parte finis. Et hoc potest dupliciter attendi: vel ut iste mundus finem non habeat vel ut post istum [a] mundum sit alius mundus, et ita semper fiet renovatio. Et hanc quaestionem movet Augustinus, XII *Super Genesim ad litteram* [5].

I. Circa quod sic: 1. Dicitur [b] Matth. 24, 35 [6]: *Caelum et terra transibunt;* et I Ioan. 2, 17: *Mundus transit et concupiscentia eius.* Ex quibus colligitur [c] mundum esse desiturum. — Item, ex partibus mundi hoc colligitur [d]: Sicut est in aetate hominis quod diminuitur virtus — unde minoris aetatis sunt modo homines quam in [e] principio mundi — multo fortius in aliis rebus; ergo debilitatur virtus in partibus mundi; ergo et in ipso mundo qui ex eis componitur.

2. Item, in apocryphis Esdrae [7]: *Mater nostra, de qua dixisti mihi: Adhuc iuvenis est, iam senectuti [f] appropinquat. Et respondit ad me et dixit mihi: Quare quos peperisti nunc, non sint similes iis quos peperisti ante, sed [g] minores in statura? Et dicet tibi: Sunt qui in iuventute virtutis nati sunt et alii sub tempore senectutis, desinente matricis virtute [h].*

3. Item, super illud, Isai. 30, 26: *Lux solis septempliciter,* Glossa [i 8]: « Omnia propter peccatum hominis deteriorata sunt ». Superiora ergo, cum per motum ad hominem ordinata sunt, deteriorata sunt propter peccatum hominis; sed quae deteriorantur, ad finem tendunt; sed haec sunt [k] corpora nobiliora in mundo; ergo et ipse [l] mundus ad finem tendit.

4. Item, Augustinus, in *Quaestionibus Veteris Testamenti* [9]: « Inconveniens est mundum aeternum dicere, quem, cum videmus passioni subiectum et per singula senectute deficere, credimus et finiri ». — Item, « quomodo aeternus corruptibilia generabat, cum de aeterno debeat aeternum existere?

---

[a] RL *substantialis.* [b] L om. [c] RL om. [d] RLCZ *congruens.* [e] R *ab,* quod L corr. [f] Ita V, alii *in Psalmo.* [g] V om. [h] R *expergefactione,* quod L corr. [i] RLC *aliquando.* [k] V *essentia.* [l] RL add. *divina.* [m] Ita RL, alii om. [n] V om. [o] S *nunc.* [p] RL add. *est.* [q] S *enim.* [r] R om.; L om. *causa.*

[a] R *illum,* quod L corr.; RLC om. *ut.* [b] V *proceditur.* [c] Ita V, alii *colligunt.* [d] Ita V, alii *colligunt.* [e] RL *a.* [f] V *senectum;* RL *vivens* pro *iuvenis.* [g] V *se.* [h] R add. *Item Augustinus in questionibus Veteris Testamenti: inconveniens est mundum eternum,* quod L delev. per *vacat;* Z per *vacat* delev. *Item... Testamenti;* S *deficiente* pro *desinente;* RL *matris* pro *matricis.* [i] L om. [k] V *est;* CZ *hoc* pro *haec.* [l] S *ipsa.*

1 Quaest. 48 (inter opp. Augustini PL 35, 2249).
2 Psalm. 138, 6. Cf. *Glossa* Lombardi, in h. l. (PL 191, 1213).
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 199, *ad 16.*
4 Lib. X, c. 29, n. 40 (PL 32, 842).
5 Rectius *De civit. Dei,* XII, cc. 11 et 13 (PL 41, 359-361).
6 Cf. Marc. 13, 31; Luc. 21, 33.
7 Lib. IV, 5, 50-53. 8 *Interlin.,* ap. Lyran.
9 Quaest. 28 (inter opp. Augustini PL 35, 2231), ubi et sequens.

Et quod [a] visibile est et tangitur, qua audacia vocatur aeternum? Et quod vicibus temporum ministratur, ita ut ipsa tempora aliquando non servent officia sua [b], quomodo appellatur aeternum? »

Ex iis ergo omnibus colligitur quod mundus non est aeternus ex parte finis.

Quod autem sit aeternus ex illa parte, habetur *a.* ex hoc quod dicitur in Ierem. 31, 35: *Haec dicit Dominus, qui dat solem in lumen diei, ordinem lunae et stellarum in lumen noctis, qui turbat mare, et sonant fluctus* [c] *eius: Si defecerint leges* [d] *istae coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israel deficiet.* Si ergo semen Israel non deficiet, nec ista deficient.

b. Item, Isai. 30, 26: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis septempliciter.* Ex quo videtur mundi innovatio, non desitio.

c. Item, universale, ex hoc quod est universale, habet in se quamdam virtutem perpetuandi se vel in uno vel in multis; ergo, cum naturae universales sint in contextu mundi, erit perpetuitas in mundo.

d. Item, ea quae causant [e] motum in mundo veniunt ex principiis incorruptibilibus; sed non veniunt nisi ex principiis mundi; ergo principia mundi sunt incorruptibilia; ergo mundus est aeternus ex parte finis, qui ex iis componitur.

e. Praeterea, non senescunt virtutes animales nec virtutes naturales primae; ergo nec mundus qui ex iis dependet [f].

II. Deinde quaeritur, si non sit aeternus propter hoc quod iste mundus desinat et alius succedat, an sit earumdem rerum perpetua revolutio.

Quod videtur 1. per hoc quod dicitur in Eccle. 1, 9-10: *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est* [g]. *Nec valet quisquam dicere: Ecce hoc est recens; iam enim praecessit in saeculis quae fuerunt ante nos.* Ex qua auctoritate videtur quod fiat saeculorum renovatio [h] et reiteratio [1].

Sed contra hoc est *a.* quod dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei* [2], obiciens de anima rationali, quae secundum hoc a beatitudine ad miseriam rediret et a miseria in beatitudinem.

b. Item, sicut habetur super [i] illud Eccle. [3]: « Dicit Donatus: Pereant qui ante nos nostra dixerunt! Si ergo ita est in sermonibus, quanto magis in administratione saeculi, quae ab initio saeculi sic perfecta est ut requiesceret Deus ab omnibus operibus suis die septimo [4] ». — Item, Philosophus [5]: « Quorum substantia corruptibilis est mota, non [k] reiterantur eadem [l] numero ». Ergo eorum quae sunt in mundo cum sit generatio et corruptio, non reiterantur eadem [m] numero; ergo non per hoc est aeternitas mundi, quia huiusmodi sit continua revolutio.

c. Praeterea, corpora superiora habent suam revolutionem et secundum diversos sui situs ad se invicem diversi proveniunt [n] effectus; numquid ergo secundum iteratos situs et aspectus consimiles consimilis provenit effectus? Quod si esset, post completionem magni anni [6] omnia revocarentur in pristinum statum. Dicitur autem 'magnus annus', cum omnes stellae pervenerint ad statum illum, in [o] quo primo inceperunt moveri. — Sed contra: Effectus qui procedunt non procedunt tantum a causis superioribus, sed etiam a causis inferioribus; licet ergo [p] causae superiores redirent ad consimilem statum, cum causae inferiores non similiter redeant, non erit idem effectus [q]; magis enim [r] sequuntur ipsi effectus quoad hoc causam inferiorem quam causam superiorem.

d. Praeterea, Iob 14, 12 habetur: *Non resurget homo, donec atteratur caelum.* Ex quo designatur quod caelum aliquando atteretur [s]; sed si est attritio caeli, non erit in [t] infinitum renovatio; restat ergo quod mundus secundum illam viam non erit aeternus.

[Solutio]: I. Ad quod dicendum quod mundus accipitur multipliciter. Aliquando enim pro universitate rerum corruptibilium et incorruptibilium, scilicet inferiorum et superiorum: et secundum hunc modum mundus non est aeternus ex parte finis. Aliquando vero [u] accipitur pro ipsa variatione quae est in mundo, sive sit [v] secundum motum localem sive secundum alium motum cum dispositionibus ordinantibus ad illum, et secundum hoc dicitur I Cor. 7, 31: *Praeterit figura huius mundi.* Aliquando accipitur pro ipsa delectabilitate variabili, et secundum hoc potest accipi illud I Ioan. 2, 17: *Transit mundus et concupiscentia eius.* Quarto vero modo potest accipi pro ipsis principiis primis, quae sunt in mundo, et secundum hoc mundus potest dici aeternus ex parte finis, non ex eo quod est ex nihilo, sed ex Conditoris dono.

[Ad obiecta]: 1. Ad id ergo [x] quod obiectum est in contrarium de ipsa debilitatione virtutis mundi sive senectute: respondendum est ad

---

[a] L om., in R est add. interl. [b] T add. *et.* [c] RL *sonat fluctibus* pro *s. f.* [d] V add. *eius.* [e] TRL *creant*, V *multum* pro *motum.* [f] R *componitur.* [g] S om. *i. q. f. e.* [h] RL *innovatio;* RLCZ *recreatio* pro *reiteratio.* [i] L *supra.* [k] R *nec*, quod L corr. [l] CZ *eodem*, quod RL corr. [m] VLZ *eodem*, quod RC corr. [n] VST *perveniunt.* [o] T om. [p] R *enim*, quod L corr.; V om. *sed... inferioribus.* [q] L add. mg. *immo.* [r] Ita C, L delev., alii *etiam.* [s] RL *atteritur.* [t] Z om. [u] RL om. [v] R *fit.* [x] Z *vero.*

1 Cf. Origenes, *Periarchon*, III, c. 5, n. 3 et II, c. 3, n. 3 (PG 11, 328, 192). 2 Lib. XII, c. 13, n. 1 (PL 41, 361).
3 *Glossa ordin.*, in Eccle. 1, 9. ap. Lyran., ex Hieronymo, in h. l. (PL 23, 1019).
4 Cf. Gen. 2, 2.
5 *De gener. et corrupt.*, II, c. 11 (II, 467).
6 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt. lib. imperf.*, c. 13, n. 38 (PL 34, 236) et *De civit. Dei*, XII, c. 13 n. 2 (PL 41, 361).

primum quod aliter est in aliqua parte mundi et in toto mundo. Nam in aliqua [a] parte mundi potest provenire defectus, qui tamen defectus non respicit ipsum totum. Unde quod dicitur humana natura debilitari, hoc non est ratione naturae [b] primitus institutae, sed ratione corruptionis ex peccato superadditae.

4. Ad aliud vero dicendum [c] quod, cum dicitur mundus senescere et passionibus esse subiectus et habere contrarietatem, hoc totum dicitur ratione eius quod ordinatur ad motum; sed ex alia parte accipitur aeternitas mundi propter privationem finis, quia ratione principiorum quae ordinantur ad hominem in statu immortalitatis.

3. Ad tertium dicendum est quod auctoritas quae [d] dicitur in Glossa, super illud Isai. 30,26: *Erit lux lunae* etc., intelligenda est de statu hominis ratione naturae corruptae. Unde progressus ille, qui dicitur esse in aetatibus saeculi, ad modum aetatis humanae intelligitur, non [e] propter naturam hominis primitus institutam vel propter naturam eorum quae sunt in mundo, sed ut ostendatur quod sicut ex peccato recepit [f] homo minorem et maiorem appropinquationem ad mortem, ita mundus, secundum quod ad hominem sic [g] existentem in poena refertur, minorem et maiorem habet appropinquationem ad finem.

2. Ex iam dictis patet quomodo intelligenda est illa sententia in Apocryphis Esdrae. In illa enim designatur variatio mundi a principio usque ad finem, sicut legitur in Dan. 2,31-34, ubi legitur de statua quae habebat caput aureum, et [h] deinde pectus et brachia erant de argento, deinde venter et femora ex aere, tibiae autem erant ferreae, pedum autem quaedam pars erat ferrea et quaedam fictilis. Ex quibus designatur differentia partium mundi secundum prius et posterius.

a-e. Ad id vero quod obicitur ex alia parte, dicendum quod rationes quae inducuntur pro illa parte sumuntur ex iis quae pertinent ad mundum in quantum mundus ordinatur ad hominis immortalitatem; nihilominus tamen possent quaedam illarum auctoritatum retorqueri ad perpetuitatem temporis, sicut illa Ierem. 31,35; illa vero, quae dicitur in [i] Isai. 30,26 refertur ad mundi innovationem. Rationes vero adiunctae, sicut dictum est [1], referuntur ad mundum pro illo statu quo ad immortalitatem hominis ordinantur vel secundum quod habent quamdam perpetuitatem in esse temporali a dispositione divina.

II. Ad id vero quod obicitur de perpetua revolutione et rerum iteratione: dicendum [k] quod non est rerum iteratio in numero, sed est ipsius speciei in individuis differentibus consecutio [l] secundum prius et posterius. Revolutio tamen, quantum est de se, esset perpetua nisi adesset finis ex parte hominis ad quem [m] cetera ordinantur.

[Ad obiecta]: 1. Quod ergo obicitur per auctoritatem in libro Eccle. non intelligendum est de iteratione quantum ad numerum, sed de [n] identitate in specie vel genere; secundum quamdam tamen expositionem [2] intelligitur de identitate eorum quae sunt in praescientia divina et quae sunt in esse exteriori: quod enim fuit [o] in praedestinatione divina, aliquod eorum erit in esse exteriori [p].

b-c. Ad id vero [q] quod obicitur 'de revolutione completa superiorum corporum, qua videntur redire ad primum statum, et sic quod novus fiat mundus et iterentur etiam quae sunt in mundo': respondendum est [3] quod non est illa iteratio nec est alterius mundi renovatio. Non enim superiora corpora omnino sunt causae [r] eorum quae fiunt in inferioribus, et ideo licet redirent ad primam conformitatem, non propter hoc omnia essent in consimili statu. De quo sic [s] loquitur Augustinus [4]: « Absit a recta fide ut iis verbis Salomonis illos circuitus esse credamus significatos, quibus illi putant sic eadem temporum temporaliumque volumina repeti, ut verbi gratia, sicut in isto saeculo Plato philosophus in urbe Atheniensi, et in ea schola, quae Academica dicta est, discipulos [t] docuit, ita per innumerabilia retro saecula idem Plato et eadem civitas et eadem schola et iidem discipuli sint repetiti et per innumerabilia saecula deinde repetendi! Absit ut ista credamus! *Semel* enim [u] *Christus mortuus est pro peccatis nostris* [5], *resurgens* autem [v] *iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* [6] ». Non ergo isti [x] circuitus saeculorum ponendi sunt, quemadmodum fingunt philosophi, ne anima a vera miseria ad falsam beatitudinem prodeat et iterum redeat ad miseriam circulariter [7]; sed ponendus est finis mundi pro voluntate Conditoris, completo numero electorum. Unde Iob 14,12, super illud: *Non resurget homo,* dicit Glossa [8]: « Nisi mundi huius finis advenerit, humanum genus a somno mortis non evigilabit », innuens per hoc quod finis mundi adveniet et tunc homo resurget.

---

[a] L *alia.* [b] T om. [c] STCZ add. *est.* [d] T *quod.* [e] V *vero.* [f] VT *recipit.* [g] R *ita.* [h] Z om. [i] V om. [k] STCZ add. *est.* [l] VSTC *conservatio,* Z om.; C praemit. *ibi.* [m] T *quam.* [n] V om. [o] T *fit.* [p] R om. *quod enim... exteriori;* V *exit* pro *erit.* [q] C om. [r] C add. *quasi.* [s] Z om. *q. s.* [t] Z *disciplinas.* [u] C *autem.* [v] Z *etiam.* [x] Z *illi.*

1 Cf. supra, p. 89b, *Solutio.*
2 Cf. Hieronym., in h. l. (PL 23, 1020).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 2, p. 2, a. 1, q. 1, *ad 3* et *4* (II, 72).
4 *De civit. Dei,* XII, c. 13, n. 2 (PL 41, 361).
5 I Petri 3, 18.
6 Rom. 6, 9-10.
7 Cf. S. Bonav., *In Hexaëm.,* coll. 7, nn. 5 et 6 (V, 366).
8 *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 795).

ARTICULUS III. 69

Utrum mundus sit aeternus per privationem principii ratione motus.

Consequenter quaeritur de aeternitate mundi per privationem principii ratione motus [1].

Ad quod sic: 1. Mundus si non est aeternus, exivit in esse motus eius; sed omnis motus, qui exit in esse, prius est in potentia mobilis et deinde exit in actum; sed exitus de potentia in actum est motus vel mutatio [2]; ergo motum praecedit motus vel mutatio; item [a], quaeritur de illo motu vel mutatione, et sic erit abire in infinitum.

2. Item, alia ratio: Omne elongatum a contrarietate, est elongatum a mutatione terminabili [3]: quod enim terminatur mutatio, est ratione contrarietatis quae attenditur in eo quod mutatur; sed materia caeli elongata est a contrarietate, et forma similiter; ergo caelum elongatum est a mutatione terminabili; ergo caelum habet motum infinitum; sed motus [b] non potest esse infinitus nisi mobile sit infinitum; ergo caelum est infinitum; ergo et mundus, cuius pars nobilior est caelum.

3. Item, in circulo non est principium neque finis; sed circulatio in motu caeli sequitur circulationem eius; ergo motus caeli non habet principium nec finem, cum sit circularis; sed quod non habet principium, infinitum est a parte ante; mobile ergo infinitum est a parte ante; ergo et mundus.

4. Item, motus est cum tempore [4]; ergo si tempus est infinitum a parte ante, ergo et motus. — Quod tempus sit infinitum a [c] parte ante, sic ostenditur: Omne quod incepit esse, in tempore coepit esse; sed tempus non coepit esse [d] in tempore, quia tunc ante tempus [e] esset tempus et in infinitum esset abire; ergo tempus non incepit esse; sed quod non incepit esse et est, semper fuit, et quod semper fuit, est aeternum; ergo tempus est aeternum; ergo et motus, ergo et mundus.

5. Item, omnis motus, qui [f] exit a potentia infinita, in quantum huiusmodi est infinitus; sed potentia motoris primi est potentia infinita; ergo motus primus est infinitus; ergo et ipsum mobile, et per consequens mundus.

6. Item, si aliquando inciperet moveri illud mobile et non prius esset motum, et similiter de motore, aliqua fieret innovatio vel ex parte motoris [g] vel ex parte mobilis; innovatio autem facta per aliquam [h] mutationem induceretur; cum ergo hoc non possit esse, motus ille infinitus erit a parte ante, et ita mundus infinitus.

Contra: *a.* Motus ille est propter aliquid, eo quod omnis motus propter aliquid [5]; sed motus qui est propter aliquid, eo obtento cessat; ergo motus ille [i] eo obtento cessabit; sed omne, quod habet finem, habet principium; ergo motus ille est finitus a parte ante; non ergo [k] aeternus.

b. Item, motus est exitus de potentia in actum [6]; ergo potentia est prior exitu duratione; sed omne, quod habet causam priorem duratione, non est aeternum; ergo motus ille non est aeternus, per consequens nec alius motus, et ita nullus motus aeternus.

c. Item, omnis motus ab immobili originem habet [7]: nam aliter esset abire in infinitum in causis; sed immobile est ante motum; ergo motus, cum habeat principium, non erit aeternus. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum [l] dicendum quod motus exit in esse non per aliam mutationem, et ita erit stare in primo. Si vero caelum, cum conditum fuit, non statim motum esset, esset quaedam mutatio praecedens; sed illam mutationem non praecederet alia, et ita standum esset; sic ergo motus est finitus a parte ante.

2. Ad secundum dicendum [m] [8] quod illa ratio non inducit quin motus habeat principium suae durationis, sed ad hoc [n] tendit ut de se non habeat finem; habet tamen finem sibi positum ab eo qui condidit et mobile et motum.

3. Ad tertium dicendum [o] [9] quod, licet in circulo non sit principium neque finis ratione figurae, nihilominus tamen motus circularis sive orbicularis habet principium durationis [10] et sui esse secundum conditionem secundum quam magis congruit; unde magis congruit quod motus caeli sit ab oriente in occidentem, tamquam a

---

[a] TZ *iterum.* [b] S *modus.* [c] T *ex.* [d] T om. *s. t. n. c. e.* [e] T add. interl. *non.* [f] V *quod.* [g] T *mortoris*, quod V corr. [h] L *aliam.* [i] T om. [k] V add. *est.* [l] V *primo ergo obiectum in contrarium.* [m] Ita VZ, alii add. *est.* [n] S *adhuc* pro *a. h.* [o] Ita V, alii add. *est.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 94b sq., n. 12; Aristot., *Phys.*, VIII, c. 1 sqq. et *Metaph.*, XI, c. 6 (II, 342 sqq. et 603).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 1 (II, 273).
3 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 5 (II, 279).
4 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 14 (II, 305).
5 Cf. Aristot., *Phys.*, V, c. 1 (II, 308).
6 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 1 (II, 273).
7 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, cc. 5 et 9 (II, 350, 364).
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, q. 2, *ad 2* (II, 23).
9 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 1, a. 2, q. 2 (II, 342-45).
10 Cf. Aristot., *De caelo*, I, c. 5 et II, c. 2 (II, 373, 391).

dextro in sinistrum [1], sicut congruit in corpore humano quod principium motus magis sit a parte dextra quam a sinistra.

4. Ad quartum dicendum [2] quod tempus, in quo est motus, incipit esse, sed non incipit in tempore, sed in 'nunc', quod est principium temporis; illud autem 'nunc', quod est principium temporis, non incipit in alio 'nunc': tunc enim esset in infinitum abire aut reflecti [a]. Ante vero illud 'nunc temporis' est 'nunc [b] aeternitatis', quod excedit utrumque.

5. Ad quintum dicendum quod, licet potentia sit infinita a qua [c] procedit ille motus primus, non tamen motus est infinitus a parte ante, sed ex hoc arguitur magis quod finitus est a parte ante: sicut enim habet principium esse ab illa potentia infinita, ita et principium durationis; sed ad hoc tendit ratio quod motus non habeat finem a parte [d] post nisi aliunde trahatur ratio finitionis.

6. Ad sextum dicendum quod ex parte mobilis non est alia innovatio nisi influentia virtutis ab ipso motore supra mobile. Haec autem influentia non est propter aliquam innovationem ex parte motoris: primum enim movens immobile non recipit [e] innovationem; mobile autem, quod prius non fuit motum sicut [f] nec prius ens, recipit innovationem, sed non per mutationem aliquam praecedentem.

70 CAPUT II.

DE COAEVITATE MUNDI VEL EORUM QUAE PRIMO CREATA SUNT IN MUNDO.

Quaeritur consequenter de coaevitate mundi vel eorum quae primo creata sunt in mundo [3].

a. Dicit enim Beda [4] quod facta sunt caelum et terra, angeli, aër et [g] aqua de nihilo. Et hoc accipit ex hoc quod dicitur in principio Gen. [5]: *In principio creavit Deus caelum et terram;* ergo caelum et terra de nihilo. Item [6]: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Cum ergo de aqua legatur ibi, nec dicatur ex quo facta fuerit [h], habetur quod aqua de nihilo. Et *spiritus Domini,* secundum unam expositionem litteralem [7], dicitur aër, qui factus est a Domino, cuius locus est super aquam; non dicitur factus ex aliquo: unde ex hoc accipitur quod aër ex nihilo. Angeli iterum, quia est prima res spiritalis. Ex quo colligitur quod ista quinque erant coaequaeva [i] in principio mundi.

b. Albinus vero, *Super Genesim* [8], dicit septem fieri de nihilo: «caelum [k], terra, angeli, lux et aqua et aër et anima hominis». Addit enim animam hominis, quia res est spiritalis sicut et angelus; lucem vero addit, quia lux inter res corporales magis est spiritualis.

c. Item, in libro *De Sententiis Sanctorum collectis* [9], dicitur: «Ante omnem diem et ante [l] omne tempus tres res condidit Deus ex nihilo: informem materiam, angelos et animam Adae». De anima vero Adae dicitur et de angelo quod ante omne tempus sint creati, quia non dependent ex tempore nec dependent ex die, secundum quod dies est ex praesentia luminaris super terram; sic ergo ista tria sunt coaequaeva [m].

d. Augustinus vero [n], in *Quaestionibus ad Orosium* [10], sic respondet interrogationi factae: «Si principium omnium est caelum et terra, angeli postmodum facti sunt; si autem [o] angeli postmodum facti sunt [p], non ergo simul».

e. Item, videtur extrahi ex Glossis quod tempus et motus sive mutatio [q] sint coaequaeva caelo et terrae. Nam [r] *in principio creavit Deus caelum et terram,* secundum unam expositionem [11] dicitur ibi principium temporis; ergo tempus ratione sui principii dicitur coaequaevum [s] caelo et terrae. Eodem modo, cum creatum exeat de nonesse in esse, exitus autem sit [t] mutatio, mutatio autem non sit [u] prior tempore quam mutatum, erunt [v] ergo caelum et terra et [x] ratione sui [y] tempus et mutatio coaequaeva.

f. Item, in libro *Confessionum* [12] dicitur: «Duo reperio quae fecisti carentia temporibus, cum tamen neutrum tibi sit coaeternum: unum, quod

---

[a] V *reflectio.* [b] V *non.* [c] L *aliqua* pro *a. q.*, quod C corr. [d] C om. *a. p.* [e] C *recipiet.* [f] ST *sic.* [g] RL om. [h] Ita V, alii om. *f. f* [i] V *coeva.* [k] T add. *et.* [l] V om. [m] V *coeva,* item infra saepius. [n] RLCZ om. [o] V *ergo.* [p] SR om. *si autem... sunt,* in L est add. mg. [q] Z *motio,* quod TC corr.; RL *sunt* pro *sint.* [r] ST add. *cum.* [s] VSTR *coevum.* [t] TC *fit.* [u] S *fit.* [v] CZ *erant.* [x] Z om. [y] V add. *ratione.*

1 Cf. Aristot., *De caelo,* II, c. 2 (II, 390sqq.).
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 1, a. 1, q. 2, *ad 4* (II, 23).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 2, a. 2, q. 3 et d. 15, a. 2, q. 2 (II, 67sq., 384sqq.).
4 Pseudo-Beda, *Quaest. super Gen.,* (PL 93, 236).
5 Cap. 1, 1. 6 Gen. 1, 2.
7 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt. lib. imperf.,* c. 4, n. 18 (PL 34, 227).
8 Alcuin., *Interrog. et resp. in Gen.,* n. 19 (PL 100, 519).
9 Cf. Isidor., *Sentent.,* I, cc. 6, 10, 12 (PL 83, 547, 554, 563); Pseudo-Beda, *Collectanea,* (PL 94, 547); Augustin., *De Gen. ad litt.,* VII, c. 24, n. 35 (PL 34, 368).
10 *Dialog. quaest. 65,* q. 21 (inter opp. Augustini PL 40, 740), ad sensum.
11 *Glossa ordin.,* in h. l. (PL 113, 68), ex Beda, in h. l. (PL 91, 13). 12 Lib. XII, c. 12, n. 15 (PL 32, 831).

ita formatum est, ut sine ullo[a] defectu contemplationis, sine[b] intervallo mutationis, quamvis mutabile, tamen non mutatum, tua incommutabilitate perfruatur[c]; alterum quod ita informe[d] erat ut ex qua forma in quam formam motionis vel stationis mutaretur, quo tempori subderetur, non haberet ». Ex quo relinquitur quod duo in principio tantum erant coaequaeva.

g. Item, ex[e] libro *Sententiarum* [1] accipitur et colligi potest ex Glossa[f] [2], in principio Geneseos, quod quatuor sunt coaequaeva in creatione: angelica natura et materia informis[g] quatuor elementorum et caelum empyreum et tempus; sed qua ratione dicitur tempus esse de primis coaequaevis, eadem ratione et motus.

Ratione ergo istarum diversarum sententiarum potest obici: 1. Si enim aër et aqua dicuntur de primis coaequaevis cum terra, multo fortius et ignis, qui nobilius[h] dicitur quatuor elementorum, et ita non sufficienter distinxit Beda, ponens illa quinque.

2. Praeterea, anima prima rationalis de nihilo creata est; qua ergo ratione dicitur de angelo quod est de primis coaequaevis, eadem ratione de anima rationali.

3. Ratione vero secundae sententiae potest obici: Si in principio Geneseos dicitur tantum de creatione caeli et terrae, et in operibus consequentibus sex dierum dicitur de[i] aliis, ut in primo die dicitur [3]: *Fiat lux, et facta est lux*, ubi nomine lucis secundum Augustinum [4] datur intelligi lux spiritualis, quae est angelus, et de anima hominis dicitur in sexto die [5]: supervacuum ergo fuit ponere illa septem coaequaeva. — Item, cum caelum et lux non dividantur ex opposito, non congruebat ponere haec tamquam coaequaeva[k]; et si aqua et aër et terra ponuntur de primis coaequaevis, quare non ponebatur ignis cum eis?

4. Ratione vero tertiae sententiae, quae tangitur in libro *De collectionibus*, ubi ponit tria, angelos, informem materiam et animam Adae, obicitur quod angelus et anima Adae inter facta numerantur, et 'factum' dividitur contra[l] 'creatum', sicut apparet ex libro Geneseos; ergo non sunt coaequaeva cum materia informi, quae nomine caeli et terrae designantur. — Praeterea, anima Evae, cum sit creata ex nihilo sicut et anima Adae nec dependeat ab illa ut anima sit ex anima, propter quid non dicebatur anima Evae coaequaeva sicut et anima Adae?

5. Ratione vero sententiae quartae, scilicet Augustini, obicitur: Si enim angelus dicebatur de primis coaequaevis, eadem ratione et anima rationalis. — Praeterea, cum terra habeat sua contenta, sicut et caelum, contentum autem caeli est angelus[m], qui coaequaevus dicitur in creatione cum caelo, eadem ratione aliquod contentorum terrae dicetur coaequaevum cum terra.

6. Item, motus et tempus sunt accidentia, quorum unum, scilicet motus, dependet a mobili sive mutabili, alterum, id est[n] tempus, a re temporali; ergo habet esse suum ab illo; non ergo recte dicuntur ista coaequaeva cum caelo et terra.

7. Item, non videtur sufficientia in ponendo duo prima coaequaeva, scilicet materiam informem[o] et naturam angelicam. Sicut enim materia informis dicitur primo creata, ita et forma corporalis respondens dicetur primo creata, ante quam scilicet non est[p] alia forma; et ita non erunt tantum illa duo coaequaeva, sed[q] tertium, scilicet prima forma corporalis; haec autem videtur[r] esse ipsa forma caeli vel forma lucis.

8. Ad id vero quod Magister, in *Sententiis*, videtur ponere quatuor, scilicet materiam informem[s] et naturam angelicam et empyreum caelum et tempus, obicitur quod tempus non videtur esse de numero coaequaevorum, quia tempus ex motu dependet et motus ex mobili, et ita mobile sit primum; non ergo tempus est coaequaevum cum praedictis.

[Solutio]: Ad hoc autem dicendum quod secundum diversam considerationem attenduntur ista prima coaequaeva secundum maiorem numerum vel minorem. Si enim ponuntur tantum duo, scilicet materia informis et natura angelica, nomine materiae intelliguntur ea quae habent esse in huiusmodi materia vel subiecto. Unde secundum illam expositionem, secundum quam dicitur terra materia informis corporum, caelum vero natura angelica, nomine terrae comprehenduntur[t] ea quae sunt in materia, sicut forma aëris et terrae et huiusmodi. — Si vero ponantur tria coaequaeva, scilicet materia informis et angelus et[u] anima Adae, nomine terrae comprehenduntur formae corporales; praeter illam vero designantur duo genera formarum incorporalium quae de nihilo exeunt in esse. — Si vero ponantur quatuor, scilicet angelus et materia informis et caelum empyreum et tempus, nomine temporis designatur ipsum 'nunc', in quo fit

---

[a] S *illud;* codd. *et* pro *ut.* [b] TRL *sive.* [c] V *fruatur,* ST *perficiatur;* VSTR *immutabilitate* pro *incommutabilitate.* [d] Z *forme.* [e] S *in.* [f] ST *glossis.* [g] T *et formis.* [h] V *nobilissimus.* [i] ST om. [k] V *coeva;* C *ut* pro *et.* [l] R *circa.* [m] S om. [n] V *scilicet* pro *i. e.* [o] L *et formam.* [p] T *esset;* V om. *n. e.* [q] L *si.* [r] L *noster.* [s] L *et formam;* V om. *et.* [t] L *comprehendunt.* [u] L *in.*

1 Lombardi, II, d. 2, c. 2 (p. 314).
2 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 68sq.).
3 Gen. 1, 3.
4 *De Gen. ad litt. lib. imperf.*, c. 5, n. 21 (PL 34, 218).
5 Cf. Gen. 2, 7.

exitus de non-esse in esse creatum, terra vero designat materiam informem [a] inferiorum corporum, scilicet mutabilium, tempus vero accipitur pro ipso 'nunc', quo fiunt huiusmodi res. — Si vero ponantur quinque, designantur tria elementa sub tribus nominibus, caelum vero propter suam luminositatem continet sphaeram ignis: fuerunt enim quidam philosophi[1], qui dicerent [b] quartam essentiam esse lucem; angelus, qui est substantia separata, praeter ista accipitur. — Si vero septem accipiantur, lux accipitur pro corpore ignis, et ita quatuor elementa numerantur cum quinta essentia, quae [c] nomine caeli designatur; praeter illas vero quinque designantur duae incorporales [d] creaturae, scilicet angelus et anima.

Ad obiecta ergo respondendum est ex iam dictis.

1. Ad primum [e] quod in illa divisione quinquemembri [f] ignis non numeratur tamquam illud quod ratione lucis nominat unum extremum, terra vero alterum ratione tenebrositatis; aër vero et aqua sunt duo media inter illa tamquam lucis receptiva per transparentiam [g]. Caeli ergo nomine illud extremum voluit designare ut in quo principaliter lucis natura resultat.

2. Ad id vero quod obicitur de anima rationali: dicendum [h] quod non est simile de ipsa et de angelo. Angelus enim est substantia incorporea, cuius esse non est in corpore per unionem vel aliquo modo per dependentiam, et ideo tamquam de primis coaequaevis cum principiis corporum ponebatur; non sic autem de anima rationali, quae ex corpore quamdam habet dependentiam.

3. Ad tertio obiectum dicendum quod, licet angelus et [i] anima rationalis inter facta in operibus sex dierum computentur, nihilominus tamen, quia non habent esse ex materia, sed ex nihilo, cum principiis corporum connumerantur, in quantum illa sunt ex nihilo; alia ergo et alia ratione inter facta et creata designantur. — De [k] luce vero dicendum quod accipitur ibi pro luce ignea, quae [l] alterius est naturae quam lux caelestis. Habet enim lux ignea contrarietatem et naturaliter movetur motu recto; lux autem caelestis non habet contrarietatem [2] et movetur motu orbiculari.

4. Ad quarto obiectum dicendum [m] quod, licet 'factum', in quantum huiusmodi, dividatur contra 'creatum' per disparationem, nihilominus tamen, in quantum illa duo sunt ex nihilo, dividuntur contra 'creatum' in eadem divisione. Nec est simile de anima Evae: licet enim [n] ex nihilo sit creata, nihilominus tamen naturaliter habet prius in suo genere quod dicitur prius in [a] similitudine. Cum enim corpus Evae formatum sit de corpore Adae, anima autem creando infundatur [b] et infundendo creetur [c 3], erit anima Evae post animam Adae, et ideo prius in similitudine specifica [d] est ipsa anima Adae, propter quod inter prima coaequaeva [e] numeratur.

5. Ad id vero quod obicitur de angelo 'quare ponitur unum de [f] coaequaevis, non autem anima rationalis, in divisione una, scilicet trimembri': dicendum est quod aliter est [g] de angelo et de anima rationali [h]. Angelus enim non habet dependentiam secundum [i] suum esse a re corporali tamquam subiecta, anima vero rationalis habet, et ideo non connumeratur cum principiis corporum subiectorum. Contentum autem caeli aliter se habet quam contentum terrae: contentum enim [k] caeli non est eiusdem generis cum ipso caelo; hoc enim est corpus, illud vero incorporeum, a corpore in esse separatum; contentum vero terrae est eiusdem generis. Et ideo ponendo [l] prima coaequaeva, in hac divisione trimembri non connumeratur [m].

6. Ad id vero quod obicitur de tempore et motu quod 'sunt non per se entia, sed in aliis fundantur, et ita non debent poni inter prima': respondendum quod, licet secundum rationem accidentium sint posteriora subiectis, in hoc tamen quod de non-esse procedunt in esse primo, inter prima coaequaeva secundum quamdam divisionem numerantur.

7. Ad id vero quod obicitur de divisione bimembri quod non est sufficiens: dicendum quod loquitur de materia formarum corporalium, in qua per quamdam indistinctionem sunt illae formae: propter quod primo dicitur opus creationis et deinde opus distinctionis. Unde forma per hoc nomine [n] materiae datur intelligi, ut sic duo principia intelligantur coaequaeva: primum [o] ex parte conditorum incorporeorum, et [p] primum ex parte conditorum corporeorum [q].

8. Ad ultimum dicendum [r] quod, licet tempus sequatur motum secundum quemdam modum, nihilominus tamen magis [s] ponitur tempus inter prima coaequaeva in prima divisione quam motus ratione ipsius 'nunc', quod est principium temporis [4], eo quod motus secundum illud 'nunc' numeratur; datur tamen motus per illud intelligi, secundum quod commune est ad motum et ad mutationem.

---

[a] L *et formam.* [b] RL *dixerunt.* [c] LC om., in Z est add. interl. [d] V *corporales.* [e] Ita V, alii om. *a. p.* [f] VST *quinquimembri.* [g] Ita LC, alii *transparentia.* [h] Ita RL, alii add. *est.* [i] S *secundum.* [k] T *et de.* [l] Z *et.* [m] C add. *est.* [n] V add. *anima.* [a] V exp. [b] V *infunditur.* [c] V *creatur.* [d] Z *specificata.* [e] R add. interl. *non.* [f] V om. [g] S om. [h] Z om. [i] S *per.* [k] Z *autem.* [l] R *ponenda.* [m] SL *connumerantur.* [n] R *nomen,* quod L corr. [o] V *principium.* [p] V om. [q] L om. [r] Ita VC, alii add. *est.* [s] V om.

[1] Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 3 (II, 456).
[2] Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 7 (III, 453).
[3] Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 17, c. 2 (p. 384).
[4] Cf. Aristot., *Anal. Poster.*, II, c. 11 (I, 163).

CAPUT III. 71

UTRUM MUNDUS INCEPIT ESSE SECUNDUM QUOD PHILOSOPHI LOQUUNTUR DE VERBO 'INCIPIENDI'.

Consequenter quaeritur, propter quoddam verbum philosophorum, qui dicunt mundum non incepisse, utrum mundus incepit esse. Ex iam dictis enim [a] habetur quod incepit esse.

Quod autem non inceperit, sic arguunt [b]: 1. Omne quod incepit esse, generatur simpliciter vel secundum quid; sed mundus non generatur simpliciter vel secundum quid: quod enim generatur materiam habuit praeiacentem; mundus autem non habuit materiam praeiacentem: nam illa materia est ens conditum; ergo est pars mundi; ergo non est ante mundum; non ergo mundus incepit esse.

2. Item, ex intentione eius quod est 'incipere' arguunt: 'Incipere' enim est 'in se esse capere'; sed non potest capere esse in se nisi quod aliquo modo prius est; non autem potest prius aliquo modo esse nisi sit [c] ens in potentia, nondum ens in actu; sed tale non est mundus; ergo mundus non incepit esse: nulla enim est potentia facta extra mundum.

3. Item, quod incipit [d], in tempore incipit; ergo aliquid temporis praecessit et aliquid est praesens et aliquid est [e] futurum; quod si est, tempus praecessit mundum; sed hoc est impossibile, cum mundus dicat continentiam factorum omnium, visibilium [f] et invisibilium, tempus autem est alterum horum.

Quod autem inceperit, arguitur *a.* ex quadam similitudine, quam ponit Augustinus [1], maioris mundi ad minorem mundum: sicut enim homo, qui est minor mundus [2], habet iuventutem et alias partes aetatis, ita et maior mundus; sed omne quod habet has [g] differentias aetatis, incepit esse; ergo mundus incepit esse.

b. Item, in mundo est mutabilitas; sed mutabilitas indicium est inceptionis; ergo mundus incepit esse.

c. Item, quod finem habet, secundum modum secundum quem finem habet, desinit esse; sed quod desinit esse, incipit esse sive incepit; ergo mundus incepit esse.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod aliter acceperunt illi [h] philosophi intentionem eius quod est 'incipere' et [i] aliter Sacrae Scripturae expositores. Dicunt enim 'incipere' quod in materia praeiacenti capit esse sicut ea quae generantur: nam quod generat [k], in aliqua materia subiecta generat [3], et secundum hoc mundus non incepit esse nisi secundum illum modum secundum quem dicitur quod materia primo creata fuit informis et post recepit distinctionem formarum. Alio vero modo dicitur 'incipere esse' nunc primo esse, sive aliquid eius fuerit sive non, et secundum hoc mundus incepit esse.

[Ad obiecta]: 1. Per haec dicta potest solvi quod obiectum est [l]. Secundum enim hunc ultimum modum non omne quod incipit, generatur simpliciter vel secundum quid, sed sequitur: 'fit [m] nunc primo in esse'.

2. Eodem modo est solvendum de aliis. Nam 'incipere', cum sit 'in se capere esse', hoc non est, quia prius aliquo modo fuerit duratione materia quam forma, sed quia materia in se capit formam.

3. Similiter respondendum [n] ad tertium. 'Incipere' enim sic dictum [o] non ponit aliquid temporis ante se, sed ponit 'nunc' principium temporis concomitans [p].

---

[a] Z om. [b] V *arguitur.* [c] S om. [d] T add. *esse.* [e] V om., S om. *et.* [f] C add. *omnium.* [g] C *duas.* [h] S om. [i] V om. [k] T *generatur;* L *alia* pro *aliqua.* [l] V om. [m] Z *sit.* [n] TCZ add. *est.* [o] ST add. *est;* T *sicut* pro *sic.* [p] Ita VZ, alii *concomitantis.*

1 Cf. Pseudo-Augustin., *De cognitione verae vitae,* c. 32 (PL 40, 1023).

2 Cf. Damascen., *De fide orthod.,* II, c. 12 (PG 94, 922).

3 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.,* I, c. 3 (II, 437).

TITULUS V.

DE LOCALITATE CREATI.

Transeundum est ad conditionem localitatis creaturae. Circa quod quaeritur: Primo, utrum omnis creatura sit localis; secundo, utrum habeat [a] eamdem differentiam localitatis; tertio [b], utrum possit esse sine localitate.

72

CAPUT I.

UTRUM OMNIS CREATURA SIT LOCALIS.

Quod non omnis creatura sit localis, sic habetur [c]: 1. Locus est terminus rei continentis aliam rem [1]. Si ergo omnis creatura esset localis, quaelibet res haberet rem continentem ipsam; quod si esset, in [d] infinitum esset progressus [e]; non ergo omnis creatura est localis.

2. Item, Damascenus [2]: « Locus est finis corporalis eius quod circumscribitur ». Cum ergo non omnis creatura sit corporalis, non omnis creatura est localis.

3. Item, terminus non dicitur proprie rei nisi habentis quantitatem; sed non omnis creatura habet quantitatem; ergo non omnis creatura est localis. — Quod autem aliqua [f] creatura non habeat quantitatem, patet in anima, quae non est in maiori corpore maior nec in minori minor.

Contra: *a.* Bernardus, *Super Cantica*, 6 homilia [3]: « Demus soli Deo sicut immortalitatem, sic incorporeitatem, cuius natura sola nec propter se nec propter aliud solatio indiget instrumenti corporei ». Liquet autem omnem spiritum creatum corporeo indigere solatio; sed quod indiget solatio corporeo, locale [g] est; ergo omnis spiritus creatus localis; sed de corpore constat [h]; ergo omnis creatura, cum sit [i] corporalis vel spiritualis, localis erit.

b. Item, Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [4]: « Ex eo intellectuales naturas corporeas dicimus, quia loco [k] circumscribuntur ». Sed quod loco circumscribitur, locale est; ergo omnis creatura localis est, cum illa sit de qua minus videtur.

c. Item, Ambrosius, in libro *De Spiritu Sancto* [5]: « Omnis creatura certis naturae suae circumscripta est limitibus ». Sed quod tale est, locale dicitur; ergo etc.

d. Ad idem facit quod dicit Hieronymus, in libro *De Spiritu Sancto* [6]: « Omnis substantia facta circumscriptam [l] habet substantiam; licet enim quaedam loco et [m] finibus corporalibus non contineantur, circumscriptione tamen substantiae non carent ».

Ex iis colligitur quod omnis creatura, seu corporalis seu spiritualis, localis est.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod locale dicitur duobus modis, sicut tangitur in libro *De anima et spiritu* [7]. Dicitur enim locale uno modo quod corporalem habet dimensionem et circumscriptionem, in qua assignatur ei principium, medium et finis: et secundum hunc modum non dicitur omnis creatura localis. Dicitur iterum locale quod [n] ita alicubi praesens est totum [o], ut alibi non sit: et secundum hoc dicitur omnis [p] creatura ex conditione purae creaturae localis.

[Ad obiecta]: 1. Per hanc distinctionem potest solvi quod obiectum est. Cum enim dicitur 'locus est terminus rei continentis aliam rem', intelligitur hoc proprie in corporibus, in spiritibus vero per quamdam similitudinem. Sed non dicitur omnis creatura sic localis, ut unaquaeque contineatur ab aliqua alia creatura: sicut enim in ultimo et supremo est dicere quod continet alia, ipsum autem non dicitur esse in loco, eo quod ab altero corpore continetur, sic in creaturis spiritualibus separatis, quae [q] maioris virtutis est, dicitur continere aliam quae est minoris virtutis; in aliqua vero est stare, quae non ab

---

[a] VTZ *habeant*, quod S corr.; T om. *secundo*. [b] T om. [c] S om. [d] Z om. [e] RC *procedere*. [f] RZ *alia*, quod L corr. [g] V *localis*. [h] V om. *ergo omnis... constat*. [i] C om. *c. s.* [k] V *loca*. [l] Z *circumscripta*. [m] Codd. *locis* pro *l. e.* [n] Ita V, alii *localis que* pro *l. q.* [o] Ita V, alii *tota*. [p] L om. [q] S add. *in*.

1 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 4 (II, 290).
2 *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 850).
3 Num. 1 (PL 183, 803).
4 Cap. 18 (inter opp. Augustini PL 40, 793).
5 Lib. I, c. 7, n. 81 (PL 16, 723).
6 Num. 6 (PL 23, 108).
7 Loc. cit.

alia creatura continetur[a]. In supremis ergo dicitur quod locales sunt, quia proprio termino continentur vel vere vel secundum similitudinem.

2. Ad secundum dicendum quod finis potest dici proprie vel communiter: si proprie, sic est in corporibus; si communiter, sic extenditur ad spirituales creaturas. Dicitur[1] enim Eccle. 3, 1, super illud: *Omnia tempus habent*, quod « substantiae spirituales non continentur loco », sed hoc intelligitur de loco proprie. De loco vero communiter dicit Augustinus, in libro *De fide ad Petrum*[2]: « Inest singulis terminus naturalis, quo a se invicem discernuntur ».

3. Ad id vero quod ultimo obicitur[b] quod 'terminus est quantitatis': dicendum[c] quod est terminus quantitatis dimensivae[d] et est terminus quantitatis virtualis, sicut ostendit Augustinus, in libro *De quantitate animae*[3]. Licet ergo quantitas dimensiva non conveniat spiritibus, convenit tamen quantitas virtualis. Dicuntur etiam esse in loco vel propter definitionem substantiae vel propter operationem: et sic possunt adesse loco corporali ipsae spirituales substantiae, secundum quod dicit Damascenus[4]: « Dicitur angelus esse in loco, quia adest intelligibiliter et circumscribitur ubi operatur ».

CAPUT II. 73

UTRUM OMNIS CREATURA HABEAT EAMDEM DIFFERENTIAM LOCALITATIS.

Secundo[e] quaeritur utrum creatura omnis habeat eamdem differentiam localitatis.

Quod sic, videtur: *a.* Locus enim[f] corporalis communiter accipitur, sive referatur ad spiritus sive ad corpora, et[g] utrumque dicitur circumscribi. Unde Augustinus, *De ecclesiasticis dogmatibus*[5]: « Ex eo corporeas credimus intellectuales naturas, quia localiter circumscribuntur »; de corporibus autem manifestum est; cum ergo una sit ratio loci et[h] utrobique conveniat circumscribi, videtur locale dici de illis secundum eamdem[i] differentiam localitatis.

Sed contrarium sic ostenditur: 1. Locale enim dicitur quod figuram habet, sicut dicit Ioannes Damascenus[6], « ut corporaliter comprehendatur »; et alibi: « Non secundum naturam figurantur substantiae[k] intellectuales nec tres habent dimensiones, quia intellectualiter adsunt »; sed non sic est de corporibus; ergo locale non dicitur secundum eamdem rationem localitatis, sed differentem; restat ergo quod aliter dicitur spiritus localis et aliter corpus.

2. Sed numquid in tantum extenditur locale ut omne genus terminationis contineat? Quiddam enim continetur loco, quiddam continetur tempore, quiddam continetur comprehensione[7]. Cum ergo omnibus iis modis dicatur[l] contineri sive comprehendi, numquid ex hoc dicitur locale?

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod, sicut dictum est[8], spiritus et corpora localia dicuntur secundum aliam et aliam differentiam localitatis. Licet enim locus corporalis utrobique accipiatur et circumscriptio communiter dicatur, aliter tamen et aliter dicitur corpus circumscribi et spiritus. Corpus enim dicitur circumscribi loco ut pars sit in parte loci[m], minor in minori, maior in maiori et totum in toto[n] — hoc excepto quod de Corpore Dominico dicitur, quod est sub sacramento, quod propriam habet disquisitionem[9]; — spiritus autem dicitur circumscribi ut totum sit intra et nihil eius extra[o], non commetiendo[p] partem parti[10], cum[q] huiusmodi non habeat.

2. Ad aliud vero dicendum quod, licet sint diversi modi continendi, loco, tempore et comprehensione, tamen per quamdam analogiam se habent, ut quod continetur loco continetur[r] tempore, quod vero continetur tempore continetur comprehensione, non e converso; quia vero[s] verbum comprehensionis, sicut habetur in libro *De videndo Deo*[11], dicitur de re illa « cuius fines circumspici possunt », per quamdam proportionem sive similitudinem se habet ad esse in loco, ubi secundum acceptionem communiorem dicitur finis.

---

[a] C add. *scilicet.* [b] L om., in R est add. interl. [c] Ita V, alii add. *est.* [d] T add. *alius.* [e] CZ *deinde.* [f] Z om. [g] S om. [h] S *ut.* [i] T om. [k] Ita V add. mg., alii om. [l] Z *dicantur.* [m] R *loco.* [n] V add. *et.* [o] VSLZ *intra*, quod T corr. [p] L *commentiendo.* [q] V add. *per*, S add. *partes.* [r] L om. *l. c.* [s] ST *vere.*

1 Cf. *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 113, 1120).
2 S. Fulgentii, c. 3, n. 30 (inter opp. Augustini PL 40, 763).
3 Cf. cap. 3, n. 4 et c. 32, n. 69 (PL 32, 1037, 1073).
4 *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 854).
5 Gennad., cap. 12 (inter opp. Augustini PL 42, 1216).
6 Loc. cit. (PG 94, 851).
7 Cf. Damasc., loc. cit. (PG 94, 854).
8 Cf. supra, sub litt. *a.*
9 In libro IV huius *Summae.*
10 Cf. Damasc., loc. cit.
11 Augustin., *Epist. 147*, c. 9 (PL 33, 606).

74 CAPUT III.

UTRUM CREATURA POSSIT ESSE SINE LOCALITATE.

Tertio quaeritur utrum possit esse sine localitate.

Ad quod sic: *a.* Localitas dependet a ratione corporis; sed angelica natura, cum sit substantia separata a corpore, non habet dependentiam a corpore vel conditionibus eius; ergo potest esse sine localitate.

b. Forte dicetur[a] quod quoad substantiam potest esse angelus sine loco, sed non quoad operationem sive actum – contra quod sic: Duplex est actus, actus[b] scilicet contemplationis, quo contemplatur Deum, et actus propriae cognitionis, quo se cognoscit vel alia a se; sed quoad neutrum actum habet[c] dependentiam a corpore. Unde Augustinus, *Ad Orosium*[1]: « Spiritus conditus, sicut est angelorum, quamquam sine tempore contempletur Dei aeternitatem, veritatem, caritatem, tamen quia ex tempore in[d] inferioribus iussa Dei perficiunt, iure creduntur moveri in tempore », per hoc excludens locum. Et post sequitur: « Spiritus hominum moventur[e] in tempore, reminiscendo praeterita, futura expectando, aliqua nova discendo »; nec tamen motus iste est in loco; multo fortius hoc est in angelis, cum se vel alia cognoscunt. Igitur creatura aliqua vel secundum substantiam vel secundum actum non habet dependentiam a loco, et ita non dicetur localis[f], sed sine localitate poterit esse.

c. Item, intellecto[g] per impossibile quod nullum corpus esset et tamen substantia incorporea esset, abstraheretur[h] tunc a localitate; ergo aliqua[i] creatura potest esse sine localitate; non ergo proprium est creaturae esse localem.

Sed tunc obicitur: 1. Numquid sicut[k] Deo proprium est esse ubique, nonne similiter proprium est creaturae esse hic, ita[l] quod non alibi? Sed etsi non esset corpus, diceretur Deus esse ubique in se ipso, sicut videtur dicere Augustinus, *Ad Dardanum*[2]: « Ubique est Deus, quia nusquam est absens; in se autem ipso, quia non continetur ab eis quibus est praesens ». Et iterum Augustinus, contra Maximinum[3] quaerentem: Antequam faceret Deus caelum et terram, antequam faceret sanctos, ubi habitabat? « Habitabat[m] in se Deus, apud se habitabat, apud se fuit ». Similiter videtur dici de ipsis[n] substantiis incorporeis separatis quod sint hic, ita quod non ibi.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod localitas, prout dependet a corpore, est conditio sine qua potest esse aliqua creatura; sed secundum quod extenditur, ut dicatur unaquaeque creatura habere propriam terminationem, sic non potest esse creatura sine illa terminatione, sicut nec[o] potest esse sine modo; sed hoc non consuevit Scriptura vocare localitatem.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc autem quod obicitur quod 'Deus esset ubique, etsi[p] non esset corpus, et similiter angelus haberet esse hic ita quod non alibi', dicendum[q] quod 'esse ubique' dicitur dupliciter: proprie dicitur esse praesentem omni loco, et sic non existente corpore non diceretur Deus ubique; alio vero modo dicitur esse praesentem omni creaturae vel[r] non deficientem respectu alicuius, et secundum hoc, non existente corpore, diceretur Deus ubique. Quod si sic acciperetur 'esse hic' dupliciter, tunc uno modo diceretur de angelo quod esset hic, etsi non esset corpus; sed non est consuetudo Scripturae sic dicere 'esse hic', sed magis 'esse hoc vel illud', ut partitio[s] attingat substantiam, non locum aut situm.

Si autem quaeratur utrum sit proprium creaturae esse alicubi, respondendum quod proprium dicitur dupliciter: vel ut simpliciter vel ut secundum tempus, sive, ut dicatur aliis nominibus, secundum substantiam et secundum actum qui nunc est. Primo modo non dicitur esse proprium creaturae, ut quod conveniat omni creaturae esse alicubi; secundo vero modo dicitur.

---

[a] Ita V, alii *diceretur*. [b] V om. [c] L om. [d] Z om. [e] Z *movetur*. [f] Z om. [g] S *intellectus*, quod T corr. [h] L *abstrahetur*. [i] L *alia*. [k] Ita LC post exp., alii add. *de*. [l] ST *et*; V om. *esse*. [m] VS om., in C est add. mg. [n] L add. *de*. [o] C *non*. [p] V *et hoc*. [q] Ita V, alii add. *est*; codd. *ibi* pro *alibi*. [r] L *et*. [s] S *participatio*.

1 *Dialog. quaest. 65*, q. 41 (inter opp. Augustini PL 40, 746), ubi et sequens.

2 *Epist. 187*, c. 6, n. 18 (PL 32, 838).

3 *Enarr. in Psalm. 122*, n. 4 (PL 37, 1632).

QUAESTIO III.

DE CREATURA SECUNDUM QUALITATEM

SEU DE PULCRITUDINE CREATI.

Vertitur [a] deinde consideratio, post conditiones creaturae ex parte quantitatis, circa conditiones ex parte qualitatis, quae sunt: verum, bonum et pulcrum. De veritate autem et bonitate dictum est [b] superius in Tractatu de essentialibus dictis de Deo [1]. Sequitur consideratio de pulcritudine et pulcro. Circa quod sic possunt distingui quaesita:

Primo, quaeritur quid sit [c] pulcrum;
secundo, quae sit [d] differentia pulcri et apti;
tertio [e], cui rei convenit pulcrum;
quarto, utrum pulcritudo possit augeri vel minui in mundo;
quinto, ex quibus colligatur principaliter mundi pulcritudo;
sexto, quae conferant ad pulcritudinem.

CAPUT I. 75

QUID SIT PULCRUM [2].

Circa rationem pulcri sic proceditur [f]: « Pulcrum et bonum sunt idem in substantia », sicut habetur a Dionysio, in libro *De divinis nominibus* [3], sed aliqua [g] est differentia rationis. Quaeritur ergo, cum utrumque addat super ens, quid addit pulcrum super ens quo differt a bono.

1. Utrumque autem dicit dispositionem respectu alicuius causae; sed bonum dicit respectu causae finalis; cum ergo pulcrum differat ratione a bono respectu alterius causae, sumetur nonnisi respectu causae [h] formalis.

2. Quod etiam videtur: Cum enim tria insint creaturae, modus, species et ordo, species maxime videtur illud esse secundum quod determinatur pulcritudo: unde speciosum pulcrum dicere solebamus [i]; sed species sumitur ex parte formae; ergo pulcrum ex parte formae; sed si ex parte formae, cum veritas similiter accipiatur ex illa parte, non differunt verum et pulcrum; quod si differunt, quae ergo est [k] differentia vel causa differendi?

Respondendum quod veritas est dispositio ex parte formae relata [l] ad interius, pulcritudo vero [m] est dispositio ex parte formae relata ad exterius: solebamus enim pulcrum dicere quod in se habebat unde conveniens esset in aspectu. — Quod autem pulcrum accipiatur ex parte formae, patet per hoc quod dicit Dionysius [4]: « Secundum ipsum pulcrum omnia distinguuntur »; et Augustinus, *De natura boni* [5]: « In hominis forma, quia maior est pulcritudo, in eius comparatione, simiae [n] pulcritudo deformitas dicitur ».

Sed secundum hoc quid dicendum est de eo quod dicit Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [6]: « Decorum et bonum secundum omnem causam omnia affectant »? Ex quo videtur, cum appetitus sit finis, quod decorum sive pulcrum respiciat finem. — Ad quod dicendum quod affectare sive appetere [o] dicitur proprie et communiter: proprie respectu finis, qui et causa finalis dicitur; communiter, secundum quod omne, in quo quiescit appetitus, dicitur finis, ut quod est delectabile intellectui [p], dicitur appetere intellectus, et quod est [q] delectabile visui, visus, et ita de aliis; et secundum hunc modum decorum sive pulcrum cadit in naturali [r] appetitu omnium rerum.

---

[a] ST *queritur*. [b] T om. [c] Ita V, alii *quid* pro *P. q. q. s.* [d] Ita V, alii *que* pro *s. q. s.* [e] Ita V, alii om. et infra etiam omittunt *quarto, quinto, sexto.* [f] Ita V, alii om. [g] S *aliquarum.* [h] T om. *s. n. r. c.* [i] V *solebimus;* R *unde* pro *sed.* [k] C om. [l] V *relita.* [m] T om. [n] C *summe.* [o] Z *petere.* [p] T *intellectu.* [q] RL om. [r] Z *naturalia.*

[1] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 87-130.
[2] Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 103; et II, num. 37; S. Bonav., I *Sent.*, d. 31, p. 2, a. 1, q. 3, *ad 5, 2, 4, 3* (I, 544).
[3] Cap. 4, § 7 (PG 3, 704, PL 122, 1132).
[4] Loc. cit.
[5] Cap. 14 (PL 42, 555).
[6] Loc. cit.

76

CAPUT II.

QUAE SIT DIFFERENTIA PULCRI ET APTI.

Supposita [a] hac differentia, consequenter quaeritur de differentia pulcri et apti.

Ad quod [b] respondet Isidorus [c], *De summo bono* [1]: « Decor elementorum omnium in pulcro et apto consistit; sed pulcrum est, quod per se ipsum pulcrum est, ut homo ex anima et membris constans, aptum vero ut vestimentum et ut victus. Ideoque hominem dicimus pulcrum ad se, quia non vestimento et victui est necessarius, sed ista homini; ideo autem illa apta, quia ad aliud, id est ad hominem accomodata, sibimet sunt necessaria. Hoc et de elementorum naturis dicendum est ».

Videtur ergo differentia pulcri et apti in hoc quod pulcrum dicatur in se ipso, aptum vero secundum quod homini accommodatur vel alteri rei cui convenit. Unde videtur pulcrum proprie ex specie dici sive forma, large accipiendo formam, aptum vero ex coniunctione decenti cum alio.

CAPUT III.

CUI REI CONVENIT PULCRUM.

Tertio quaeritur cui rei convenit pulcrum, et hoc est utrum malum culpae dicatur pulcrum vel malum poenae vel minus bonum comparatione maioris.

77

ARTICULUS I.

Utrum malum culpae dicatur pulcrum.

Quod malum culpae non dicatur pulcrum, sic accipitur: *a.* Malum culpae, in quantum huiusmodi, non est vestigium Dei; sed pulcrum in creatura, in quantum sic est, est [d] vestigium Dei; ergo malum culpae non est pulcrum.

b. Quod etiam videtur ex hoc: Quidquid enim deformat pulcrum, opponitur pulcro; sed malum culpae deformat pulcrum; ergo malum culpae non est pulcrum [e].

Contra: 1. Dicit Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [2]: « Malum est ad completionem omnis conferens, et toti non imperfectum esse per se ipsum largiens ». Sed quod est huiusmodi, est aliquo modo bonum; quod autem est aliquo modo bonum [f], est pulcrum.

2. Item, malum non usquequaque privatur bono; ergo nec pulcro, cum pulcrum et bonum sint [g] idem [3].

[Solutio]: Ad quod dicendum quod malum, in quantum huiusmodi, deforme est, et ipsa malitia deformitas: unde quoad hoc non est bonum; tamen nihilominus in quantum ex malo [h] elicitur bonum, dicitur quantum ad hoc conferens [4]: et sic in hoc [i] ordine dicitur pulcrum. Non ergo dicitur [k] pulcrum absolute, sed pulcrum in ordine, immo potius dicendum est: ipse ordo est pulcher [l]. Unde Augustinus, in libro *De civitate Dei*, XI [m 5]: « Sicut contraria contrariis opposita [n] sermonis pulcritudinem reddunt, ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione saeculi pulcritudo componitur. Quod recte positum est [o] in Eccli. 33,15 hoc modo: *Contra malum* [p] *bonum et contra vitam mors, sic* [q] *contra pium peccator, et sic intuere in omnia opera Altissimi bina contra bina et unum contra unum* ». Item, in eodem libro [r]: « Non crearet Deus ullum angelorum vel hominum, quem malum futurum esse praescisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum [s] usibus commodaret atque ita ordinem saeculorum tamquam pulcherrimum carmen ex quibusdam antithetis honestaret ».

[Ad obiecta]: 1-2. Ad id vero quod post [t] obicitur, dicendum quod sicut malum substantificatur [u] in bono [6] quod est bonum secundum quid, ita substantificatur in pulcro quod est pulcrum secundum quid.

---

[a] V *supposito secundo;* S *hanc* pro *hac.* [b] Z *hoc.* [c] V add. *in libro.* [d] Z om., C exp. [e] Z om. *ergo... pulcrum.* [f] L om. *quod autem... bonum.* [g] V *fuit.* [h] S *malum.* [i] RL om. [k] VST om. [l] T *pulcrum.* [m] VST om. [n] V *apposita;* T (corr.) *sermonibus* pro *sermonis.* [o] S om. [p] V add. *est.* [q] S *si.* [r] R add. interl. *De civitate Dei.* [s] V *honorum.* [t] R (corr.) *primo.* [u] R *sustentificatur,* item infra, Z *substantivatur;* T om. *malum.*

1 Cf. *Sentent.*, I, c. 8, n. 18 (PL 83, 551 sq.).
2 Cap. 4, § 19 (PG 3, 717, PL 122, 1139).
3 Cf. Pseudo-Dionys., loc. cit., § 7 (PG 3, 704, PL 122, 1132).
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 121.
5 Cap. 18 (PL 41, 332), ubi et sequens.
6 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 125.

ARTICULUS II. 78

Utrum malum dicatur pulcrum.

Deinde obicitur de malo poenae quod sit pulcrum: *a.* Quia est iuste inflictum a Deo; omne autem iuste inflictum pulcrum. Unde Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [1]: « Habitationi caelesti talis anima non convenit per peccatum, terrestri autem convenit per supplicium, ut quodlibet elegerit, semper sit pulcra universitas, decentissimis partibus ordinata [a] ».

b. Item, Augustinus, XIII *De civitate Dei* [2]: « Per ineffabilem Dei misericordiam ipsa poena vitiorum transit in arma virtutis », et loquitur ibi de morte. Cum ergo mors sit malum [b] poenae et sit instrumentum virtutis, erit mors huiusmodi pulcrum: omne enim quod est instrumentum virtutis, tenet rationem pulcri.

Contra: 1. A quo removetur bonum, ab eo [c] removetur pulcrum; sed malum et bonum sunt differentia genere; ergo, cum malum poenae sub malo contineatur, removebitur ab eo bonum; ergo pulcrum per consequens.

2. Item, Augustinus, *De civitate Dei* [3], loquens de morte, sic dicit: « Sicut lex non est malum quando auget peccantium concupiscentiam, ita mors non est bonum quando auget patientium gloriam ». Ex quo accipitur quod mors vel huiusmodi mala poenae non sunt bona, et ita nec pulcra.

[Solutio]: Ad quod dicendum est [d] quod malum poenae, licet sit malum illi qui punitur, nihilominus tamen est bonum et pulcrum.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur quod 'malum poenae est sub malo in genere': dicendum est quod malum non dicitur de malo culpae et malo poenae tamquam de duabus speciebus, sed sicut de malo simpliciter et secundum quid; quod autem [e] dicitur simpliciter et secundum quid, non determinat species; licet ergo malum poenae sit malum secundum quid, nihilominus tamen est bonum, et pulcrum per consequens.

2. Ad id vero quod obicitur de morte, dicendum est [f] quod mors habet duplicem considerationem: uno modo secundum quod est defectus ipsius vitae [g], et ita naturae; alio vero [h] modo secundum quod est malum poenae ei qui patitur, et [i] hoc est cum moritur, secundum quod mors est corruptio vitae. Et secundum primum modum dicitur quod mors non est bonum, cum sit defectus esse, sicut nec defectus ignis bonum dicitur, sed est malum oppositum bono naturae secundum se; dicitur autem alio modo malum poenae, et ita est bonum. Si ergo quaeratur de huiusmodi defectibus naturae, dicendum [k] quod in universo considerati [l] ex ordine ad aliquod bonum sunt conferentes, et sic habent quamdam pulcritudinem ordinis, in se autem considerata non sunt pulcra nec bona.

ARTICULUS III. 79

Utrum res monstruosae dicendae sint pulcrae.

Deinde quaeritur de rebus monstruosis utrum dicendae sint pulcrae.

Quod non videtur: 1. Quia res monstruosa deest in modo vel specie simpliciter vel ordine; quod autem defectum habet in iis deforme dicitur; ergo res monstruosa non dicetur pulcra, cum sit deformis.

2. Praeterea, res monstruosa ex errore naturae provenit; quod autem provenit ex errore naturae [m], deforme dicitur; non ergo decorum.

Contra: *a.* Monstra sunt entia, et quae sunt entia, in eo quod huiusmodi dicuntur bona et pulcrâ; per consequens ergo res monstruosae sunt pulcrae.

b. Praeterea, nihil fit Deo auctore quod non est [n] pulcrum: sicut enim a summe bono bonum, ita a summe pulcro pulcrum; sed huiusmodi res monstruosae fiunt [o] Deo auctore. Unde Augustinus, *De civitate Dei,* XVI [4]: « Si homines sunt, de quibus illa mira conscripta [p] sunt, quid si [q] propterea Deus voluit nonnullas gentes ita creare, ne in iis monstris, quae apud nos oportet ex hominibus nasci, eius sapientiam qua [r] naturam fingit humanam, velut artem cuiuspiam minus perfecti opificis putaremus errasse? » •

---

[a] V *ordinatam.* [b] T om. [c] T om. *a. e.* [d] V om. [e] Z *etiam.* [f] V om. [g] V *in re.* [h] RL om. [i] S om. [k] ST add. *est.* [l] S *considerari.* [m] Ita V, alii om. [n] C *sit.* [o] T *sunt.* [p] Z *scripta.* [q] Codd. *sibi.* [r] VC *quam;* Z *natura* pro *naturam.*

1 Lib. III, c. 9 n. 27 (PL 32, 1284).
2 Cap. 4 (PL 41, 380).
3 Lib. XI, c. 5 (PL 41, 380).
4 Cap. 8, n. 2 (PL 41, 487).

Respondendum est per [a] illud quod dicit Augustinus, in XVI *De civitate Dei,* 8 cap. [1]: « Qualis autem ratio redditur de monstruosis apud nos hominum partubus, talis de monstruosis quibusdam generibus reddi potest. Deus enim creator est omnium, qui ubi et quando creari quid oporteat vel oportuerit, ipse novit, sciens universitatis pulcritudinem, quarum partium vel similitudine vel diversitate contexat. Sed qui totum inspicere non potest, tamquam deformitate partis offenditur, quoniam cui congruat et quo referatur ignorat ». Licet ergo in monstris sit defectus, nihilominus tamen [b] Deo auctore fiunt res quae habent defectum, sed res est a Deo, defectus vero [c] ex parte principii defectibilis. Sed attendendum est quod monstra dicuntur dupliciter: vel quae finguntur ex imaginatione vel aestimatione humana, et secundum hoc non dicuntur esse monstra Deo auctore; vel quae videntur habere imperfectionem [d] secundum cursum naturae, sicut quod homo habeat sex digitos vel quod unius corporis sint duo capita, et ita de aliis, et haec Deo auctore fiunt, non quod apud causam primam sit error, sed apud causam aliquam particularem. Unde Augustinus [2]: « Absit ut [e] quis ita desipiat, ut [f] existimet in numero [g] humanorum digitorum errasse Creatorem, quamvis nesciens cur hoc fecerit; et si maior oriatur diversitas, scit ille quid egerit, cuius opera iuste nemo reprehendit ».

80

CAPUT IV.

UTRUM PULCRITUDO POSSIT AUGERI VEL MINUI IN MUNDO.

Quarto, quaeritur utrum pulcritudo possit augeri vel minui.

Quod videtur: 1. Cum enim viventia, in eo quod huiusmodi, pulcritudinem habeant, ergo ea quae moriuntur vel [h] desinunt habent deformitatem; sed contingit in universo plura [i] esse viventia vel pauciora; ergo contingit pulcritudinem universi augeri vel minui.

2. Item, sicut minor dicitur pulcritudo cum homo senescit quam cum homo est in iuventute, ita videtur in universo. Cum ergo, sicut dicit Augustinus [3], modo sit quasi senectus mundi, in principio vero erat quasi iuventus, maior erat tunc pulcritudo quam nunc sit.

3. Item, contingit animam rationalem per peccatum deficere a bono, et cum deficit a bono, quoad hoc minuitur pulcritudo creaturae in universo, et ita contingit pulcritudinem universi diminui; ergo pari ratione et augeri; ergo contingit pulcritudinem [k] universi augeri et minui.

Contra: *a.* Quocumque modo se habeant partes mundi, perfecta est universitas; quod autem perfectum est et manet huiusmodi, non augetur nec [l] minuitur; ergo pulcritudo mundi nec augetur nec minuitur. Unde Augustinus, in III *De libero arbitrio* [4]: « Cum non peccantibus adest beatitudo [m], perfecta est universitas; cum vero peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est universitas. Quod autem non [n] ipsae desunt animae, quas vel peccantes sequitur miseria vel recte facientes beatitudo, semper in naturis omnibus universitas plena atque perfecta est ».

[Solutio]: Ad quod dicendum quod perfectio [o] attenditur dupliciter: secundum formam totius et secundum formam partium. Si ergo attendatur perfectio [p] secundum formam totius, semper est perfecta universitas mundi; si vero secundum formam partium, contingit augeri vel minui. Forma etiam partium potest attendi secundum esse vel secundum bene esse: et secundum hoc diversificatur perfectio in partibus vel quoad esse vel quoad bene esse.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo [q] obiectum dicendum [r] quod, licet sint plura viventia vel pauciora, non tamen pulcritudo mundi quoad genera et species augetur vel minuitur vel etiam perfectio mundi quoad formam.

2. Ad secundo vero obiectum dicendum [s] quod, licet determinetur iuventus mundi et senectus, et quoad hoc attendatur pulcritudo maior vel minor, secundum quod minus vel magis dominatur ipsa poena peccati, nihilominus tamen est quaedam pulcritudo essentialis, quae in mundo nec augetur nec minuitur; reliqua vero, quae erat ex accidenti proveniens, poterat augeri vel minui. Unde si stetisset Adam in statu innocentiae, non determinaretur [t] iuventus mundi vel senectus, sed pulcritudo remaneret indifferens.

3. Ad tertio vero obiectum dicendum quod, sicut dictum est [5], est pulcritudo in universo ratione pulcritudinis partium, pars autem una e [u]

---

[a] T *quod.* [b] L *cum.* [c] RL *autem.* [d] Z *imperfectam.* [e] V add. *eius.* [f] L om. [g] V *numerorum.* [h] V add. *esse;* RL *deficiunt* pro *desinunt.* [i] CZ *pulcra.* [k] STLCZ *pulcritudo.* [l] RLCZ *vel.* [m] VT *habitudo.* [n] Ita T, alii om. [o] C *perfectum.* [p] V *perfecto,* Z *perfectum,* RL om. [q] RLCZ om. [r] RLCZ add. *est.* [s] ST add. *est.* [t] STCZ *deterioraretur.* [u] S *est,* LC *de.*

1 Num. 2 (PL 41, 486).
2 *De civit. Dei,* XVI, c. 8, n. 2 (PL 41, 486).
3 Cf. *Enchir.,* c. 58 (PL 40, 43).
4 Cap. 9, n. 26 (PL 32, 1284).
5 Cf. supra, *Solutio.*

nobilioribus est ipsa anima rationalis; sed haec habet duplicem pulcritudinem: unam ratione substantiae sive essentiae et aliam ratione voluntatis actualis. Quantum ad primam [a] non dicitur pulcritudo mundi augeri vel minui, quantum ad secundam contingit.

CAPUT V. 81

EX QUIBUS COLLIGATUR PRINCIPALITER MUNDI PULCRITUDO.

Deinde procedendum est ad quinto quaesitum, scilicet ex quibus colligatur principaliter mundi pulcritudo.

Ad quod sic: *a.* Pulcrum et bonum sese concomitantur; cum ergo bonitas determinetur per modum, speciem et ordinem in universo [1], per consequens determinatur pulcritudo. — Quod videtur: Dicitur enim pulcra res in mundo, quando tenet modum debitum et speciem et ordinem; et quod plus habet de iis, plus habet de pulcritudine, quod minus, minus de pulcritudine; ergo principaliter mundi pulcritudo ex istis componitur.

b. Ad idem: Pulcritudo mundi est descendens a pulcritudine prima, sicut patet in libro *Confessionum* XI [2]: « Tu fecisti ea, quia pulcher es; pulcra enim sunt, non tamen ita sicut tu, Conditor eorum, quo comparato nec pulcra [b] sunt nec bona sunt ». Pulcritudo ergo creaturae est vestigium quoddam perveniendi per cognitionem ad pulcritudinem increatam — unde Isidorus [3]: « Ex pulcritudine circumscriptae creaturae pulcritudinem suam, quae circumscribi nequit, facit Deus intelligi » — sed vestigium attenditur secundum modum [c] et speciem et ordinem principaliter [4]; ergo [d] pulcritudo mundi determinabitur principaliter penes modum, speciem et ordinem; sed modus, species et ordo, desinentibus [e] creaturis, desinunt esse; ergo pulcritudo mundi in illis rebus potest desinere.

Sed videtur contrarium 1. quod dicit Augustinus, in libro *De natura boni* [5]: « Fit, decedentibus et succedentibus rebus, temporalis quaedam in suo genere pulcritudo, ut nec ipsa, quae moriuntur vel desinunt esse quod erant [f], turpent aut turbent modum, speciem et ordinem universae creaturae, sicut sermo bene compositus utique pulcher est, quamvis in eo syllabae atque omnes soni tamquam nascendo [et] moriendo transcurrant ». Ergo desinentibus rebus vel succedentibus non desinit pulcritudo.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod pulcritudo surgit in mundo ex tribus praedictis. Sed illa tria contingit dupliciter considerare: vel secundum quod sunt in generibus et [g] speciebus quae permanent vel secundum quod sunt in rebus transeuntibus. Pulcritudo autem in rebus transeuntibus dupliciter consideratur [6]: vel in re quae transit secundum se ipsam vel in quantum comparatur alteri quae succedit illi. Primo et secundo modo pulcritudo manet in universo [h] secundum statum qui nunc est et attenditur secundum modum, speciem et ordinem in iis secundum utrumque modum; in futuro vero, quando quiescent corpora mobilia, non erit pulcritudo nisi secundum primum modum, ratione principiorum et earum rerum quae in se habent permanentiam ex dono Conditoris; pulcritudo autem in re transeunti secundum se ipsam accepta, sicut ipsa res transit, ita et transeunt [i] modus, species et ordo, et per consequens ipsa pulcritudo, et de ista [k] non loquitur Augustinus.

CAPUT VI.

QUAE CONFERANT AD PULCRITUDINEM UNIVERSI.

Consequenter procedendum est ad sexto quaesitum, quae scilicet conferant ad pulcritudinem universi. Et quaeritur:

Primo, utrum mala conferant ad pulcritudinem universi;

secundo, si bona mutabilia;

tertio, si mirabilia;

quarto, si ipsa incarnatio cum sacramentis consequentibus.

---

[a] C *primum.* [b] V *plura;* C om. *sunt.* [c] S om. [d] T om. [e] ST *deficientibus.* [f] Z om. *q. e.* [g] T *vel.* [h] V *universe.* [i] Z *transit.* [k] C *illa.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 111-115.
2 Cap. 4, n. 6 (PL 32, 811).
3 *Sentent.*, I, c. 4, n. 2 (PL 83, 543).
4 Cf. supra, num. 86.
5 Cap. 8 (PL 42, 554).
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 15, a. 2, q. 3 (II, 387a).

82 ARTICULUS I.

Utrum mala conferant ad pulcritudinem universi[1].

Ad primum sic: 1. Videtur quod mala non conferant[2]. Ea enim quae deturpant pulcritudinem rerum, opponuntur pulcritudini rerum; sed quae opponuntur pulcritudini rerum, opponuntur pulcritudini mundi, sicut quod deformaret manum [a] vel pedem in corpore humano, deformaret corpus; mala ergo, cum deturpent ipsas [b] res quae sunt in universo, opponuntur pulcritudini universi; non ergo conferunt ad pulcritudinem.

2. Item, Dionysius, in libro *De divinis nominibus*[3], ducit ad inconveniens ponentes [c] malum esse et bonorum generativum: « Inconveniens autem est quod malum conferat ad completionem omnis et toti non imperfectum esse per se ipsum largiatur ». Ex quo videtur derelinqui quod malum non conferat ad pulcritudinem universi.

3. Item, in unoquoque genere si oppositum coniungatur cum opposito, minuit virtutem ipsius; quare malum, si coniungatur bono; sed pulcritudo est unum quod pertinet ad virtutem boni; ergo minuitur pulcritudo; non ergo malum confert ad pulcritudinem universi.

Contra: *a.* Opposita iuxta se posita pulcrius elucescunt[4]; ergo bona malis oppositis [d] pulcriora apparent; ergo malum confert ad pulcritudinem universi.

b. Item, si non esset malum culpae, malum poenae indecenter in universo ordinaretur; sed decenter ordinatur; ergo malum culpae confert ad pulcritudinem universi sicut ad decentiam.

c. Item, si non esset mors, quae est malum poenae, non esset sustinentia mortis; et si non esset sustinentia mortis, non esset sustinentia mortis [e] ex causa debita; et si non esset illa sustinentia ex causa debita, non esset martyrium; et si non esset martyrium, deesset aliquid pulcritudini universi; ergo malum confert ad pulcritudinem universi; eodem modo intelligendum est de aliis poenis.

d. Item, vilioribus locis congruunt res [f] viles. Unde Augustinus, in libro *De libero arbitrio*[5]: « Servus in tali peccato detectus [g], ut mundandae cloacae dignus [h] habeatur, ornat eam [i] turpitudine sua, et utrumque horum, id est turpitudo servi et mundatio cloacae, iam coniunctum et redactum in quamdam sui generis unitatem, ita dispositae domui coaptatur, ut eius universitati ordinatissimo decori conveniat; sic voluntaria, quae in peccato fit, turpis est affectio, cui propterea poenalis adhibetur, ut ordinet eam ubi tale esse turpe non sit [k] et decori universitatis [l] congruat, ut peccati dedecus emundet poena peccati ». Ex qua auctoritate derelinquitur quod malum confert ad decorem universi.

e. Item, Augustinus, in *Enchiridion*, 11 cap.[6]: « Simul universa sunt valde bona, quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulcritudo, in qua illud, quod malum dicitur, bene ordinatum et loco suo positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudabiliora sint, cum comparantur [m] malis ».

Ex quibus colligitur quod mala conferant ad pulcritudinem universi.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod aliter est de malo culpae et de malo poenae. Malum enim culpae nec in eo quod est malum nec in eo quod est culpae per se est ad pulcritudinem universi. Unde Augustinus[7]: « Non ipsa peccata vel ipsa miseria sunt perfectioni universitatis necessaria ». In quantum autem malum culpae est ex quo elicitur bonum — sicut dicit Augustinus, in *Enchiridion*[8], quod non permitteret Deus mala fieri, nisi ex eis bonum eliceret — et iterum, in quantum malo culpae debetur poena, secundum hoc confert ad pulcritudinem universi; item, in quantum bonum oppositum magis apparet bonum ex comparatione mali. De secundo habetur in III *De libero arbitrio*[9]: « Si peccatis animarum detractis, miseria perseverat aut peccata praecedit, recte deformari dicitur ordo atque administratio universitatis. Rursus, si peccata fiant et desit miseria, nihilominus dehonestat ordinem iniquitas. Cum autem non peccantibus adest beatitudo, perfecta est universitas; cum vero peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est ». De tertio ponit Augustinus exemplum, in libro *De civitate Dei*[10]: « Sicut pictura cum colore nigro in suo loco posito [n] congruit, ita universitas rerum cum peccatoribus pulcra est, quamvis per se ipsos consideratos sua deformitas turpet ». Item [o],

---

[a] C exp. [b] V *ipsa*. [c] Codd. *ponentibus*. [d] VSR *appositis*, C *apposita*. [e] T *motis*; Z om. *et si... mortis*. [f] V om. [g] Codd. *deiectus*; Z *mundane* pro *mundandae*. [h] S *dignis*. [i] V *causa*. [k] ST *fit*. [l] V add. *animo*. [m] S *operantur*. [n] Codd. *posita*. [o] L (corr. mg.) C *unde*.

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 46, a. 1, q. 6 (I, 832 sqq.).
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 121.
3 Cap. 4, § 19 (PG 3, 717, PL 122, 1139).
4 Cf. Aristot., *Rhetor.*, III, c. 2 (I, 387).
5 Lib. III, c. 9 nn. 27 et 26 (PL 32, 1284).
6 Capp. 10 et 11 (PL 40, 236).
7 *De lib. arbit.*, III, c. 9 n. 26 (PL 32, 1284).
8 Capp. 11 et 100 (PL 40, 236 et 279).
9 Loc. cit.
10 Lib. XI, c. 23 (PL 41, 336).

Isidorus, in libro *De summo bono* [1]: « Permisit Deus mali [a] statum oboriri [b], ut ex contrariis malis bonae naturae decor emineret ». Ex iis auctoritatibus patet qualiter malum confert ad pulcritudinem universi secundum statum qui nunc est, non secundum statum essentialem [c] ipsius.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc potest [d] solvi primo obiectum. Licet enim deturpet bonum illud cuius est deformitas, nihilominus ex alia ratione confert ad pulcritudinem occasionaliter.

2. Ad secundo vero obiectum dicendum [e] quod conferre [f] ad pulcritudinem universi dicitur dupliciter: vel ita quod sit de esse ipsius rei pulcrae, et secundum hoc malum culpae [g] non confert, et ideo pro inconvenienti habetur quod « toti non imperfectum esse [h] largiatur », sicut dicit Dionysius; si vero conferens dicatur per occasionem, non repugnat quin malum sit conferens. Potest ergo Dionysius uno modo habere pro inconvenienti, alio modo non.

3. Ad tertium vero dicendum quod, licet malum minuat virtutem boni quod deformat aut corrumpit, non tamen tollitur quin sit conferens ad pulcritudinem universi. Ex alia enim parte ordinatur ad bonum maius vel ipsa res quae peccat [i], ratione vilitatis peccati in loco sibi debito collocatur, non dico debito [k] naturae, sed debito deformitati. Unde Augustinus, in libro [l] *De libero arbitrio*, III libro [2]: « Fit ut peccans creatura superior a creaturis inferioribus puniatur, quia illae tam sunt infimae ut ornari a turpibus animis possint atque ita decori universitatis congruere ».

ARTICULUS II. 83

Utrum bona mutabilia conferant ad pulcritudinem universi.

Secundo quaeritur I. si bona mutabilia conferant [m] ad pulcritudinem universi.

Quod videtur: *a.* Quia bona mutabilia, licet minora sint prout huiusmodi quam bona immutabilia — et [n] dico mutabilia ea quae mutantur in esse — nihilominus faciunt ad substantiam pulcritudinis. Cum enim dicuntur maiora et minora, ponitur ordo; posito autem ordine decenti ponitur pulcritudo; ergo bona mutabilia faciunt ad substantiam pulcritudinis in universo. Ad quod inducit Augustinus similitudinem, in III *De libero arbitrio* [3], de corporibus quae magis clara [o] sunt et minus clara: si enim aequalis esset claritas lunae ut solis, non esset aliud dicere quam quod essent duo soles; sed qui sic aestimat [p], « dupliciter errat, eo quod rerum perfectioni addere cupit, cum desiderat alterum solem, et minuere, cum lunam vult detrahi ». Ad pulcritudinem ergo requiritur quod alia aliis sint clariora, alia vero obscuriora; nec erit « universitas perfecta, nisi ubi [q] maiora sic praesto sunt ut minora non desint [4] ». Cum ergo mutabilia bona sint minora bonis quae non mutantur, non erit pulcritudo universitatis perfecta sine bonis mutabilibus.

b. Item, maiora bona ex comparatione minorum pulcriora apparent. Cum ergo excellentia pulcritudinis in superioribus faciat ad pulcritudinem universi, inferiores creaturae mutabiles, ex quarum comparatione aliae relucent, faciunt ad pulcritudinem universi.

c. Hoc etiam ex consideratione corporis humani patet, in quo sunt membra nobiliora et ignobiliora [r], ut dicitur I Cor. 12,23, ex quorum coniunctione resultat corporis pulcritudo; ergo a simili ea quae sunt ignobiliora in universo, ut [s] mutabilia, conferunt ad pulcritudinem universi.

Contra: 1. Mutatio tendit ad non-esse [5]: unde est defectus; ergo et mutabilitas est defectibilitas. Sed dicit Augustinus, in libro *Contra epistolam fundamenti* [6], quod, cum dicitur res corruptibilis, duo dicuntur, ipsa res et ipsa corruptio; res ad aliquid pertinet, corruptio vero ad nihil. Ergo eadem ratione et mutabilitas [t], cum intelligatur de mutabilitate quoad non-esse. Quod autem ad nihilum pertinet, removetur a bono et per consequens a pulcro.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod, cum dicitur mutabile sive corruptibile, duo dicuntur, sicut dictum est [7]. Licet ergo mutatio sive corruptio ad nihilum pertineat, res tamen, quae habent huiusmodi potentiam sive possibilitatem [u], pertinent ad bonum et pulcrum; cum etiam mutantur, aliae iis [v] succedunt secundum quod unius corruptio est

---

[a] L *malum.* [b] R *aboriri.* [c] V add. *qui.* [d] T *patet.* [e] V add. *est.* [f] V *confert.* [g] S om. [h] R om. [i] V *pecca.* [k] S *debite.* [l] S om. *i. l.* [m] Ita V, alii *conferunt.* [n] L om. [o] T *clavi*, item infra. [p] T *existimat.* [q] Z *ibi.* [r] L om. *e. i.*, in R est add. mg.; T om. *dicitur.* [s] V *et.* [t] S *immutabilitas* pro *e. m.* [u] V *passibilitatem.* [v] T om.

1 *Sentent.*, I, c. 9, n. 5 (PL 83, 552).
2 Cap. 9, n. 27 (PL 32, 1284).
3 Cap. 9, n. 24 (PL 32, 1283).
4 Augustin., loc. cit., n. 25.
5 Cf. Augustin., *De Trinit.*, V, c. 2 (PL 42, 912).
6 Cap. 38, n. 44 (PL 42, 204).
7 Sub n. 1.

alterius generatio [1], et sic etiam est quaedam pulcritudo. Unde Augustinus, *De natura boni* [2]: « Fit decedentibus et succedentibus rebus temporalis quaedam in suo genere pulcritudo, sicut sermo bene compositus pulcher est, quamvis quaedam syllabae desinant et aliae oriantur ».

II. Sed adhuc quaeritur si res huiusmodi mutabiles praepositae rebus quae non mutantur in esse, faciant ad pulcritudinem universi.

Quod non, videtur: 1. Si enim inferius ponatur superius et e converso, ordo deturpatur, ut si pes poneretur superius et caput inferius; ergo a simili, cum res mutabilis in esse sit posterior naturaliter re [a] quae non mutatur, non erit pulcritudo universi si superponatur mutabile immutabili.

Contra: *a.* Anima, cum punitur per corpus, creaturae inferiori, quae mutabilis est, subditur patiendo; et si patitur iuste vel utiliter, decor est universi; ergo remanet pulcritudo universi, licet mutabilia in [b] esse praeferantur immutabilibus.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod duplex [c] est pulcritudo: una, quae surgit ex [d] gradibus rerum naturalibus, et hoc modo pulcritudo est, cum praefertur mutabile mutabili, immutabile immutabili [e]; est alia pulcritudo, quae surgit ex gradibus dispositionum advenientium, et secundum hunc modum illud quod est mutabile in esse, quod tamen servat bene esse, praefertur immutabili [f] in esse quod non servat bene esse, et secundum hoc anima peccans subponitur corpori quod modum et [g] speciem et ordinem suum servavit [h]. Unde Augustinus, loquens de gradu naturali rerum, dicit, in libro *De libero arbitrio* [3]: « In corporibus lux tenet primum locum, consequens autem est ut primo corpori anima extrema praeponatur ». Et alibi dicit [4]: « Fit [i] ut peccans creatura superior a creaturis inferioribus puniatur »; et iterum: « Habitationi caelesti anima peccatrix non convenit propter peccatum, terrestri autem [k] convenit per [l] supplicium, ut quodlibet [m] elegerit, semper sit pulcra universitas ».

84 ARTICULUS III.

Utrum mirabilia conferant ad pulcritudinem universi.

Tertio quaeritur si mirabilia conferant ad pulcritudinem universi.

Ad quod sic: *a.* Opera mirabilia immediate procedunt a summe pulcro; sed quae immediate procedunt, minus elongantur; ergo in quantum huiusmodi plus habent de pulcritudine; ergo mirabilia plus habent; ergo conferunt amplius ad pulcritudinem universi.

b. Item, artifex sapiens cum agit aliqua per se, pulcriora et ordinatiora [n] facit quam cum operatur per ministrum, eo [o] quod apud ipsum plus residet de sapientia, nisi fuerit impedimentum ex parte ipsius organi. Cum ergo Deus operetur non indigens organo et quaedam operatur per se, quaedam vero mediante natura vel voluntate rationali, pulcriora erunt [p] quae ab ipso per se fiunt [p] quam quae mediante natura vel humana voluntate; sed haec sunt mirabilia, sicut dicit Anselmus [5], illa vero naturalia vel [r] voluntaria; ergo mirabilia plus conferunt ad pulcritudinem universi [s] quam naturalia vel voluntaria.

Contra: 1. Ea quae sunt naturalia, sunt de pulcritudine universi; ergo ea quae sunt contra naturam, deformant illam pulcritudinem; sed haec sunt [t] mirabilia; ergo mirabilia non conferunt ad pulcritudinem universi. — Quod autem haec sint mirabilia, patet per hoc quod dicit Augustinus, *Contra Faustum* [6]: « Non incongrue dicitur aliquid facere contra naturam, quando facit contra id quod novimus in natura; hanc appellamus cognitum nobis cursum solitumque naturae, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur ».

2. Item, si mirabilia essent de pulcritudine universi, sine mirabilibus non esset completa pulcritudo universi; sed posito statu innocentiae et permanente, non essent miracula [u]; ergo incompleta esset pulcritudo universi; quod cum falsum sit — dicitur enim Gen. 1,31: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona,* ubi notatur completio bonitatis et per consequens pulcritudinis — et ita patet quod mirabilia non sunt de pulcritudine universi.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod est accipere pulcritudinem universi secundum triplicem statum. Secundum primum statum, in quo factus est mundus: et ad illius pulcritudinem non pertinent

---

[a] V om. [b–b] Z om. [c] S *dicit.* [d] L *in.* [e] V om. *i. i.* [f] Z *incommutabili.* [g] R om. [h] V *servant.* [i] RZ *sic.* [k] V *terrestriam* pro *t. a.* [l] Z *propter.* [m] V *libet.* [n] V *ordinabiliora,* T *ordinariora.* [o] T *et.* [p] S *erant.* [q] T om. *p. s. f.* [r] T *et.* [s] Ita VT (mg.), alii om. [t] V *hoc est* pro *h. s.* [u] ST *mirabilia.*

1 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, I, c. 3 (II, 439).
2 Cap. 8 (PL 42, 554).
3 Lib. III, c. 5, n. 16 (PL 32, 1279).
4 Loc. cit., c. 9, n. 27 (PL 32, 1284), ubi et sequens.
5 Cf. *De conc. virg.*, c. 11 (PL 158, 446).
6 Lib. XXVI, c. 3 (PL 42, 481).

miracula. Quantum vero ad secundum statum, qui est post lapsum peccati, pertinent miracula [a], quia in illo fit reparatio naturae deficientis [b] secundum diversos modos defectuum. Quantum autem ad tertium statum, qui pertinet ad innovationem mundi, pertinent mirabilia, etsi non miracula: innovatio enim mundi et eorum quae pertinent in mundo supra naturam erit, et ita mirabilis.

[Ad obiecta]: 1. Ab obiectum ergo primo dicendum est [c] quod 'esse contra naturam' dicitur dupliciter [d]: uno modo, quod est destructivum [e] naturae, et sic miracula non sunt contra naturam; alio vero [f] modo dicitur 'contra [g] naturam', quod est contra solitum cursum naturae et est ad reparationem eius, et secundum hoc dicuntur miracula esse [h] contra naturam, quia contra solitum cursum naturae [i], consona tamen naturae, quia ad reparationem eius tendunt. Illa, quae sunt primo modo contra naturam, quoad hoc quod sunt huiusmodi, non faciunt ad pulcritudinem; ea [k] vero quae sunt contra naturam secundo modo, quia perficiunt [l] naturam et supplent defectum eius, conferunt ad pulcritudinem.

2. Ad secundo obiectum dicendum quod [m], licet non pertineant ad esse pulcritudinis secundum primum statum, pertinent tamen quantum ad secundum vel tertium.

ARTICULUS IV. 85

Si incarnatio cum sacramentis consequentibus pertineat ad pulcritudinem universi.

Quarto quaeritur si incarnatio cum sacramentis consequentibus pertineat ad pulcritudinem universi.

Et videtur quod sic: *a.* Homo est finis universi intra, Deus autem [n] est finis universi simpliciter; sed in universo sic est ad pulcritudinem eius quod semper est aliqua convenientia inter diversa quae sibi coniunguntur, ut inter corpora supercaelestia [o] et elementa est quaedam convenientia: ultimum enim corporum supercaelestium, scilicet luna, recipit lumen, et in hoc convenit cum ipsis elementis, et dat lumen, et in hoc convenit cum ipsis corporibus supercaelestibus; similiter ignis, quod est primum corporum [p] elementarium, dat lumen, et quoad hoc convenit cum superioribus, et recipit, et quoad hoc convenit cum inferioribus. Similiter est determinare in elementatis [q]: quaedam enim sunt [r] media inter terraenascentia et mineralia, sicut dicitur de spongia [1]; quaedam inter terraenascentia et animalia, sicut de quibusdam avibus, antequam nascantur ex arboribus; inter bruta vero et homines monstra quaedam, quae ratione corporis in parte conveniunt cum homine, in parte cum brutis, sicut est de syrenis. Ad perfectam ergo unitatem sive coniunctionem necessaria est unio divinae naturae cum humana, ut sic reluceat pulcritudo universi; sed hoc non est [s] nisi per incarnationem; ergo incarnatio confert ad pulcritudinem universi.

b. Item, reparatio humani generis lapsi decentissima est per incarnationem, sicut dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [2]: « Alius modus erat nostrae reparationis possibilis, sed nullus convenientior ». Cum ergo pulcritudo universi non possit esse omnino post deturpationem humani generis nisi per reparationem et haec sit decentissima reparatio, per hanc erit completa pulcritudo universi [t].

c. Item, nulla maior fuit gratia quam quod divina natura univit se humanae, sicut habetur super illud Psalmi [3]: *Et cum gloria suscepisti me;* dicitur enim in Glossa [4]: « Quae maior gloria quam hominem uniri Verbo Dei et ad dexteram Dei locari? » Cum ergo gratia det pulcritudinem naturae, et haec sit maior gratia, haec gratia dat maximam pulcritudinem; ergo [u] pertinet ad pulcritudinem universi.

Contra: 1. Bonitas universi consistit in singulis et in toto, et hoc dicitur Gen. 1. Primo enim dicitur de singulis [5]: *Vidit Deus quod esset bonum;* secundo cum [v] dicitur [6]: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Sed bonitatem consequitur [x] pulcritudo; ergo pulcritudo consistit in iis duabus [y]; sed utraque pulcritudo sine incarnatione poterat esse; ergo incarnatio non est de conferentibus ad pulcritudinem.

2. Item, unio humanae naturae cum divina non est aliud quam ipsa incarnatio; sed unio humanae naturae cum divina [z] est in persona divina;

---

[a] Z om. *quantum... miracula.* [b] V add. *per.* [c] V om. [d] S om. [e] T *distinctivum.* [f] V om. [g] V om. [h] S om., Z *eius.* [i] Ita V, alii om. [k] V *eo.* [l] L *proficiunt.* [m] SRLC om. [n] Z *etiam.* [o] Z *celestia.* [p] T add. *et.* [q] Z *elementis.* [r] S *super.* [s] RL om.; L om. *universi.* [t] Ita V, alii om. [u] S add. *non.* [v] C om., L exp. [x] V *et sequitur.* [y] RLCZ *duobus.* [z] LC om. *non est... divina.*

1 Cf. Aristot., *De animal. histor.*, V, c. 16 (III, 89).
2 Lib. XIII, c. 10, n. 13 (PL 42, 1024).
3 Psalm. 72, 24.
4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 677).
5 Gen. 1, 4, 10, 12 etc.
6 Gen. 1, 31.

sed unitas personae divinae non connumeratur cum partibus universi; ergo [nec] ea quae uniuntur, in quantum huiusmodi; non ergo incarnatio pertinet ad pulcritudinem universi tamquam pars eius.

3. Praeterea, si esset de substantia universi, non intellecta incarnatione sive non existente non esset pulcritudo universi; sed alius modus erat possibilis reparationis humanae, qui, si esset, pulcritudinem suam haberet in universo nec esset incarnatio vel ea [a] quae incarnationem consequuntur [b]; ergo incarnatio non est conferens ad pulcritudinem universi.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod pulcritudo universi attenditur secundum ea quae pertinent ad primarium statum qui erat status innocentiae: et secundum hoc incarnatio non fuit conferens ad pulcritudinem universi. Attenditur etiam pulcritudo quantum ad statum gratiae reparantis naturam lapsam: et quantum ad hoc conferens est incarnatio ad pulcritudinem universi. Sed adhuc distinguendum, quia [c] status iste potest attendi in genere vel secundum optimum in ipso et decentissimum. Incarnatio ergo non fuit conferens ad pulcritudinem universi ut sine quo non potuerit natura lapsa reparari, sed sine quo non potuit decentissime.

Ad obiecta 1. ergo respondendum est [d] quod, licet pulcritudo universi secundum primum statum potuerit esse sine incarnatione, non tamen quantum ad secundum statum in optima congruentia.

2. Ad secundum vero [e] dicendum quod, licet persona divina uniens non sit pars universi vel alterum unitorum, scilicet divina natura, nihilominus humana natura [f], quae est alterum unitorum, quae [g] secundum se et secundum quod unita temporalis est, non aeterna, ad pulcritudinem spectat universi tamquam pars eius.

3. Ad tertium vero [h] dicendum quod, licet pulcritudo universi quantum ad secundum [i] statum, potuerit esse sine incarnatione, non tamen potuit esse ut multiplex congruentia servaretur [1]. Quarum una est [k] ut sicut homo offendit offensa extendente se ad genus humanum, eo quod voluit esse sicut Deus, ita fieret reparatio per hoc quod Deus voluit [l] fieri homo. Alia est: sicut homo offendit in appetitu sapientiae deiformis, cum dictum fuit [2]: *Eritis* [m] *sicut dii, scientes bonum et malum,* ita [n] sapientia Dei humanum genus repararet; quod non congruenter fieret nisi Filius Dei homo satisfaceret. Tertia ratio est quod, quia homo constat ex re intelligibili et sensibili, ut totus homo perficiatur necessarium fuit ut persona divina corporalem naturam sibi uniret [o], ut uterque sensus repararetur: « sensus interior in [p] contemplatione divinitatis et exterior in contemplatione humanitatis, ut *sive ingrederetur sive egrederetur, pascua inveniret* [3] », sicut dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [4]. Quarta ratio est ut infirmitatem nostri affectus manuduceret ad summam bonitatem: si enim in [q] tantum humiliavit se Deus ut homo fieri dignaretur, in divinam bonitatem [r] affectus noster debet accendi [s] et sibi quemdam gradum ascensionis in humana natura unita constituere. Quinta ratio est ut caritas in homine augeretur [t]: primo enim erat caritas respectu Conditoris; in hoc vero aucta [u] est ut sit caritas respectu Redemptoris. Sexta ratio est ut *corpus humilitatis nostrae* configuraretur *corpori claritatis suae* [5]; et [v], ut dicit Augustinus, *Super Ioannem* [6]: « Per Verbum fit animarum resurrectio, per Verbum vero carnem factum fit corporum resurrectio ».

---

[a] T *illa.* [b] L *consequitur.* [c] RL *quod.* [d] V om. [e] V om. [f] T om. [g] T *quod.* [h] V om. [i] T om. [k] V om. [l] T *voluerit.* [m] L *entis.* [n] Z *ista.* [o] T *mittet;* R *et* pro *ut.* [p] L om. [q] RLCZ om. [r] T *voluntatem.* [s] ST *attendi;* Z *ut* pro *et.* [t] T *augeret.* [u] ST *acta.* [v] S *non;* L om. *s. e.*

1 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 1, a. 2, q. 1 (III, 19 sqq.).
2 Gen. 3, 5.
3 Cf. Ioan. 10, 9.
4 Cap. 9 (inter opp. Augustini PL 40, 785).
5 Cf. Philipp. 3, 21.
6 Tract. 23, n. 13 (PL 35, 1591 sq.).

QUAESTIO IV.

DE CREATURA SECUNDUM RELATIONEM

SEU DE ORDINE UNIVERSI.

Assignatis conditionibus ex parte quantitatis et ex parte qualitatis, dicendum est de conditione ex parte relationis, quae conditio est ordo. Quaerendum est ergo de ordine universi. Circa quod quaeritur:

Primo, quid sit ordo;

secundo, utrum ordo sit in universo et in se et in suis partibus, ut scilicet nihil sit inordinatum;

tertio, utrum omnia sint ordinata ad hominem;

quarto, cuiusmodi sit ordo;

quinto, quae causa ordinis.

CAPUT I. 86

QUID SIT ORDO [1].

Ordo autem sic definitur ab Augustino, XIX *De civitate Dei* [2]: « Ordo est parium dispariumque rerum [a] sua cuique loca tribuens dispositio ».

Sed videtur quod haec definitio non sit conveniens: 1. Quia ordo est in spiritualibus, ubi non est localitas; restat ergo quod non omni ordini convenit haec definitio.

2. Praeterea, ordo attenditur secundum prius et posterius; paria autem, in quantum huiusmodi, non habent [b] prius et posterius; ergo non est ordo parium, sed disparium tantum.

[Solutio]: 1. Ad primum dicendum [c] quod locus hic accipitur communiter, secundum quod unum dicitur [d] supra aliud, alterum vero infra secundum rationem spiritualem: et secundum hunc modum dicitur in animabus et angelis ordo, quia quidam similior est Deo, quidam minus similis, quaedam anima perspicacioris [e] intelligentiae, quaedam non.

2. Ad secundum dicendum quod ordo attenditur hic communiter ad hoc quod est esse secundum prius et posterius et ad hoc quod est esse simul. Sicut enim in sitibus dicitur unum sursum et alterum [f] deorsum, alterum vero iuxta, ut dextrorsum vel sinistrorsum [g], ita est spiritualiter [h] in substantiis quod quaedam ordinantur ut secundum prius et posterius, quaedam vero ordinantur ut simul, et ideo in [i] ratione ordinis dictum est quod est « parium dispariumque » etc.

CAPUT II. 87

UTRUM ORDO SIT IN UNIVERSO ET IN SE ET IN PARTIBUS SUIS.

Secundo quaeritur utrum ordo sit in universo in se et in partibus suis, ut nihil sit inordinatum [3].

Quod sic videtur: *a.* Augustinus, *De libero arbitrio* [4]: « Nulla vis, nullus casus, nulla rerum labes id unquam [k] effecit ut iustum non sit omnia esse ordinatissima ». Ergo omnia sunt ordinata in universo.

b. Item, a sapiente artifice procedunt res ordinatae [5]; ergo a summo sapiente procedunt res [l] ordinatissimae; sed omnes res processerunt a Deo per conditionem [m]; ergo sunt ordinatissimae.

---

[a] T *ratio.* [b] R *sunt secundum.* [c] ST add. *est.* [d] V add. *quod;* ST *superando* pro *s. a.* [e] S *inspicacioris.* [f] Z *aliud.* [g] S om. *v. s.* [h] V *spiritualibus.* [i] C om. [k] STC *nunquam.* [l] S om. [m] R *cognitionem.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 20, a. 2, q. 1 (II, 372).
[2] Cap. 13 n. 1 (PL 41, 640).
[3] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 161 et 195; S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 2, qq. 1 et 2 (II, 43 sqq.).
[4] Lib. I, c. 6, n. 15 (PL 32, 1229).
[5] Cf. Aristot., *Metaph.*, I, c. 2 (II, 470).

Unde Augustinus, V *De civitate Dei*[1]: « Verissime creditur cuncta scire antequam fiant et nihil inordinatum relinquere a quo sunt omnes potestates, quamvis non sint omnium voluntates ».

Contra: 1. Eccle. 10,5-7: *Est malum quasi*[a] *per errorem egrediens a facie principis. Vidi stultum positum in dignitate sublimi*[b] *et divites sedere deorsum; vidi servos in equis et principes ambulantes super terram.* Ex quo accipitur quod non est ordo in universo, quia rectus[c] ordo esset ut boni dominarentur malis. Unde Augustinus, *De civitate Dei,* XIX[2]: « Naturalis ordo hoc praescribit[d]; ita enim Deus hominem condidit. Inquit enim[3]: *Dominetur piscium*[e] *maris et volatilium*[f] *caeli;* rationalem factum ad imaginem suam[4] noluit nisi irrationabilibus dominari. Inde primi iusti pastores pecorum magis[g] quam reges hominum constituti sunt, ut insinuaret Deus quid postulet ordo creaturarum, quid exigat meritum peccatorum ». Et Prov. 14,19-14 dicitur: *Iacebunt impii ante portas*[h] *iustorum, et super eos erit vir*[i] *bonus.* Ex quo accipitur quod non est ordo in partibus universi.

2. Item, anima praefertur creaturae corporali, sicut habetur ab Augustino, *Super Genesim,* VIII libro[5], et in libro *De libero arbitrio*[6]; sed anima vel angelus in poena inferius ordinatur quam creatura corporalis — quod patet per hoc quod dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei,* XXI[7], ubi ostenditur quod ignis gehennae vel purgatorius est corporalis, et tamen punit angelos vel animas damnatas — ergo non est ordo partium in universo.

3. Item, creaturae irrationales potestatem habent nocendi rationalibus; sed ordine naturae praefertur rationalis irrationali; ergo non est ordo in universo, cum e contrario fiat[k]: quod enim nocet, habet potestatem super alterum cui nocet.

4. Item, tentator inducit aliquando[l] tentatum in tentationem, et cum hoc est[m], superponitur tentator ei qui tentatur; sed qui tentat est diabolus, qui tentatur est homo iustus; ergo superponitur diabolus homini iusto; ergo non est ordo in universo.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod ordo est in partibus universi.

Ad obiecta[n] autem in contrarium dicendum quod duplex est ordo, manifestus scilicet et occultus: manifestus, cum boni praeferuntur malis; occultus, cum e converso mali praeferuntur bonis: hoc enim est ad probationem bonorum. Unde Gregorius[8], super illud Iob 22,18: *Cum implesset domos eorum bonis* etc.: « Ordinans Deus iuxta merita singulorum disponit ut malus diutius vivat, ut mala augeat, quibus boni[o] probentur ». Unde occultum est iudicium Dei, quo mali in praesenti dominantur et boni subiciuntur. Boni enim in praesenti puniuntur ut non reserventur ad poenam, mali vero in praesenti prosperantur vel ut ad bonum alliciantur vel in futuro gravius condemnentur. Unde super illud Iob 35,15: *Nec ulciscitur* etc.[9]: « Aliquando ferire incipit quod aeterna damnatio consummat; quaedam vero punit, ne credatur non curare humana; quaedam reservat, ut iudicium restare[p] sentiamus ».

1. Ex iam dictis[q] patet qualiter solvendum est[r] primo obiectum. In illis enim est ordo occultus, sicut in illis de quibus dicitur, Eccle. 5,7: *Si videris calumnias egenorum et violenta iudicia et subverti iustitiam in*[s] *provincia, non mireris super hoc negotio.* In praesenti enim est occultum iudicium, sed in futuro erit manifestum.

2. Ad secundum vero[t] dicendum quod, licet spiritualis creatura praeferatur corporali, ratione tamen culpae, qua inferius ordinatur, praefertur creatura corporalis, servans ordinem suum, creaturae spirituali, non servanti ordinem suum.

3. Ad tertium dicendum quod creaturae irrationales potestatem habent nocendi rationalibus, et in hoc praeferuntur eis; sed[u] hoc non est ex prima institutione, qua dictum est de homine[10]: *Ut praesit volatilibus caeli et piscibus maris* etc., sed hoc est ratione poenae peccati, ut, quia non servavit homo voluntariam subiectionem et debitam respectu sui superioris, nec debita subiectio servaretur ei a suo inferiori, non quod amplius datum sit ipsis irrationalibus[v], sed subtractum est ex peccato ipsis rationalibus.

4. Ad quartum vero[x] dicendum quod tentator duo habet in se: unum ratione naturae et[y] alterum ratione malitiae. Ratione naturae habet angelus tentator ut in quodam praeferatur homini: natura enim eius est potentior; unde angelus potest tentare hominem, homo vero non potest tentare angelum, sed ratione malitiae habet voluntatem tentandi; sed inferior est homine iusto, in quantum est iustus. Unde Cassiodorus, *De*

---

[a] S *quod.* [b] S om. [c] VST *rationis;* V om. *ordo.* [d] V *proscribit;* Z *qui* pro *hoc.* [e] V *pisci,* ST *piscibus.* [f] V *volati,* ST *volatilibus.* [g] C om. [h] Z *portam.* [i] R *vix.* [k] V *fiant.* [l] L *alium.* [m] V *per hoc* pro *c. h. e.;* TR *supponitur* pro *superponitur.* [n] Ita V, alii *obiectum.* [o] V *bona.* [p] S *constare,* T *cessare.* [q] S *dicta.* [r] LC add. *ad.* [s] S om. [t] V om. [u] Ita V, alii om. [v] C *rationalibus.* [x] V om. [y] RL om.

1 Cap. 8 (PL 41, 148).
2 Cap. 15 (PL 41, 643).
3 Gen. 1, 26.
4 Cf. Gen. 1, 26.
5 Cap. 20, n. 39 (PL 34, 388).
6 Lib. III, c. 5, n. 12 (PL 32, 1276sq.).
7 Cap. 10, nn. 1 et 2 (PL 41, 724sq.).
8 *Moral.,* XVI, c. 10, n. 14 (PL 75, 1127), ad sensum.
9 *Glossa ordin.,* ap. Lyran., ex Gregorio M., *Moral.,* XXVI, c. 21, n. 38 (PL 76, 371).
10 Gen. 1, 26.

anima [1]: « Tales animae, Domino[a] praestante, noxiis spiritibus imperant, et illi, quos mundus[b] patitur infestos, a creatura minore superantur. Adhuc in corpore carnis iubent potestatibus aëris, quorum tentationibus non cedunt, eis divina virtute dominantur ». Si vero cadat in peccatum, quoad hoc subicitur ei. Unde quantum ad primum dicitur Iob 41,24, super illud: *Non est potestas super terram* etc., Glossa [2]: « Si beatitudinem perdidit, magnitudinem tamen naturae non amisit, qua omnia superat, etsi meritis sanctorum subiaceat ». De secundo vero dicitur II Petri 2,19: *A quo quis superatus est, eius et*[c] *servus est.*

CAPUT III. 88

UTRUM OMNIA SINT ORDINATA AD HOMINEM.

Tertio quaeritur utrum omnia sint ordinata ad hominem [3].

Quod videtur: *a.* Dicitur enim a B. Gregorio [4], super illud [5]: *Praedicate Evangelium omni creaturae,* quod « homo nomine omnis creaturae designatur »; habet enim convenientiam cum omni creatura, ut « esse cum lapidibus[d], vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis »; sed hoc non esset nisi aliae creaturae haberent ordinationem ad hominem tamquam ad finem[e] quodammodo; ergo partes universi ordinantur ad hominem. De aliis enim patet, sicut de superioribus corporibus et elementis, sicut habetur [6] super illud Rom. 8,23: *Expectantes redemptionem corporis nostri:* « Omnia elementa cum labore sua[f] explent officia, sicut sol et luna non sine labore statuta implent spatia, quod est causa nostri: unde quiescent, nobis assumptis ». Ex quo habetur quod tam superiora quam inferiora ad hominem[g] ordinantur.

b. Item, dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [7], distinguens inter frui et uti, dicit quod « utendum est utilibus; uti vero aliqua re non potest nisi quod rationis est particeps ». Utilia vero sic distinguit, dicens: « Perfecta ratio, quae virtus vocatur, utitur primo se ipsa ad intelligendum Deum, utitur ceteris rationabilibus ad societatem, irrationabilibus ad eminentiam, utitur etiam corporibus vivificandis ad beneficentiam: sic enim utitur suo corpore, quibusdam assumendis vel respuendis[h] ad valetudinem, quibusdam tolerandis ad patientiam, quibusdam ordinandis ad iustitiam, quibusdam considerandis ad veritatis documentum sive prudentiam, utitur etiam[i] iis, a quibus abstinet, per temperantiam ». Ex quo concludit: « Omnia ergo, quae facta sunt, in usum hominis facta sunt ». Sed quae sunt facta in usum hominis[k], ad hominem ordinantur; ergo omnia, quae facta sunt, ad hominem ordinantur; ergo universum ratione partium ad hominem ordinatur.

c. Item, « omnis creatura aut est spiritalis aut corporalis [8] »; sed spiritalis ad hominem ordinatur; de angelo enim dicitur ad Hebr. 1,14: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos* etc., et in[l] Apoc. ultimo,10: *Conservus tuus sum et fratrum tuorum;* de corporali autem patet; ergo omnis creatura ordinatur ad hominem.

Contra: 1. Inferiora causantur[m] a superioribus in mundo: generationes enim et corruptiones et aliae permutationes dependent a motibus superiorum in maxima parte; sed motus superiorum sunt ordinati, ut dependeant a primo mobili; primum autem mobile non habet a se quod moveatur, cum sit corpus [9]; erit ergo aliqua[n] natura spiritualis, a qua dependeat[o]: illud erit perfectio ipsius; sed nobilior est motus circularis quam sit rectus [10]; ergo quod perficit mobile[p] motu circulari, erit nobilius eo quod[q] perficit mobile[r] motu recto; sed anima perficit mobile[s] motu recto in rebus animatis; illa ergo perfectio, sive sit anima sive non, cum ab ea dependeant tam mobilia motu circulari quam mobilia motu recto, erit res illa ad quam ordinantur partes universi; sed illa perfectio plurimum distat[t] a perfectione hominis; cum ergo non ponantur duo fines intra in universo, erit illa[u] sola perfectio finis mundi intra.

2. Ad idem: Motor in re dicitur rei forma, sicut anima, quae movet partes corporis, forma dicitur totius corporis; eodem modo motor universi

---

[a] C *Deo.* [b] Codd. *mundos.* [c] V *ei.* [d] V *lapidi.* [e] C om. *t. a. f.* [f] VCZ *suo.* [g] V add. *per.* [h] VST *respiciendis.* [i] Codd. *enim.* [k] Z om. *facta sunt... hominis.* [l] V om. [m] VST *creantur.* [n] L *alia.* [o] VS *dependent,* T *dependunt.* [p] Codd. add. *in.* [q] C *quo.* [r] Z add. *in.* [s] Z add. *in;* V om. *sed... recto,* in S est add. mg. [t] R *dictat.* [u] V om.

1 Cap. 11 (PL 70, 1299).
2 *Ordin.,* ap. Lyran., ex Gregorio M., *Moral.,* XXXIV, c. 20 (PL 76, 740).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 15, a. 1, q. 1 (II, 382 sqq.).
4 *In Evang.,* II, hom. 29, n. 2 (PL 76, 1214). Cf. *Moral.,* VI, c. 16, n. 20 (PL 75, 740).
5 Marc. 16, 15.
6 *Glossa* Lombardi, in h. l. (PL 191, 1445).
7 Quaest. 30 (PL 40, 19 sq.), ubi et sequentia.
8 Isidor., *De ordine creatur.,* c. 2, n. 1 (PL 83, 917).
9 Cf. Aristot., *Phys.,* VII, c. 1 (II, 333).
10 Cf. Aristot., *Phys.,* VIII, c. 9 et *De caelo,* I, c. 2 (II, 363 et 368).

dicetur forma universi; et [a] ad formam ordinantur ea [b] quae sunt de compositione totius; ergo ad illam perfectionem ordinantur partes universi.

3. Quod etiam videtur per hoc quod dicit Augustinus, in libro I *Retractationum* [1]: « Esse spiritalem vitalemque virtutem, etiamsi non sit animal mundus, intelligitur; quae virtus in angelis sanctis [c] ad decorandum atque administrandum [d] mundum Deo servit, et a quibus non intelligitur, rectissime creditur ». Cum ergo sit huiusmodi vitalis virtus et spiritalis, qua mundus administratur et decoratur, ad illam virtutem ordinabuntur partes mundi.

4. Item, illud quod continet compagem rei alicuius « ne dissolvatur et diffluat [2] », perfectio dicitur totius, sicut patet in anima, quae continet partes corporis; sed non est alia vis quae proximo teneat compagem mundi nisi illa qua movetur primum caelum mobile; ergo ad illam vim tamquam ad perfectionem sive finem ordinantur partes mundi.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod uno modo dicitur anima rationalis finis mundi intra, alio vero modo dicitur perfectio, quae movet caelum, finis intra. Homo enim dicitur finis intra propter hoc quod serviunt necessitati eius quousque veniat ad completam dignitatem quae erit in resurrectione. Vis [e] autem motiva primi mobilis dicetur finis, non quia alia serviant necessitati sui corporis, sed quia ad eius motum convenienter ordinantur tamquam ad causam. Alia ergo et alia ratione dicetur hinc et inde finis; nec est inconveniens finem duplicem ponere uni rei, dummodo diversificetur in ratione finis.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [f] obiectum ergo respondendum quod, licet homo dicatur finis, non repugnat quin sit finis alius sub alia ratione, cum hoc dicatur finire a parte anteriori, illud vero a parte posteriori; et forte propter hanc rationem dicebant illam perfectionem animam mundi.

2. Ad secundum dicendum [g] quod motor ille, quo movetur primus orbis, non sic se habet ad orbem ut ex motore et moto una natura componatur, quemadmodum ex corpore humano et anima una natura conficitur: et propter hoc non est dicenda similis esse perfectio, sed haec perfectio dicetur esse sicut forma, illa vero sicut motor propinquus.

3. Per illud idem solvitur quod dicit Augustinus, in libro *Retractationum*. Non enim vult illam vim spiritalem esse animam ut a qua mundus animal dicatur, sicut Platonici [3] sentire videbantur. Unde non sic erit perfectio universi ad modum [h] animae continentis membra corporis. Quod etiam patere potest per hoc quod si non esset motus caeli qui modo est vel corporum inferiorum, sicut erit [i] post iudicium, nihilominus erit perfectio universi, et tunc configurabitur ipse mundus [k] tamquam habitatio ipsi creaturae rationali.

4. Ex quo apparet solutio eius quod ultimo obiciebatur [l], ut non ex hoc dicatur illa vis spiritalis perfectio mundi, eo quod contineat partes mundi ne dissolvantur, nisi loquamur de partibus mundi quae generabiles sunt et corruptibiles.

89

CAPUT IV.

CUIUSMODI SIT ORDO.

Quarto quaeritur cuiusmodi [m] sit ordo, ratione cuius quaeritur I. utrum diceretur ordo in universo si omnia essent paria.

Quod videtur 1. per considerationem in partibus [n] universi, quod colligitur ex partibus [o] unius speciei vel unius generis, ut universum in specie hominum vel genere animalium. Cum ergo paria dicantur quae sunt eiusdem speciei vel quae sunt eiusdem generis, in quantum huiusmodi, colligetur universum ex quadam parte ex paribus [p], pari ratione in ipso toto; ergo, cum universum sit ex partibus ordinatis, posset universum esse si omnia condita essent paria.

Contra: *a.* Augustinus, in libro *De civitate Dei*, XI [4]: « A terrenis usque ad caelestia, a visibilibus usque ad invisibilia sunt bona alia aliis meliora, ad hoc inaequalia ut essent omnia ». Et iterum in XII [5]: « Cum Deus sit summa essentia, rebus, quas ex nihilo creavit, esse dedit, sed non summe; et aliis dedit esse amplius, aliis minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit ».

b. Item, Augustinus, in *83 Quaestion.* [6]: « Non essent omnia, si essent aequalia; non enim essent multa rerum genera, quibus conficitur universitas, primas et secundas et deinceps usque ad ultimas ordinatas habens [q] creaturas; et hoc est, quod dicitur ' omnia ' ». Ex quo accipitur quod non est

---

[a] Z om. [b] C om. [c] V *suis*. [d] Z *mensurandum*. [e] Z *unde*. [f] Ita V, alii om. [g] Ita VT, alii add. *est*. [h] SR *mundum*. S *est*. [i] T om. [k] V *obicitur*. [l] S om., L delev. [m] VT *rebus*. [n] S *rebus*. [o] S *partibus*, quod T corr. [p] TRZ *habent*.

[1] Cap. 11, n. 4 (PL 32, 602).
[2] Augustin., loc. cit. (PL 32, 601).
[3] De quibus cf. Augustin., *De civit. Dei*, X, c. 29 et XIII, c. 17 (PL 41, 308 sq., 389); *Sermo 241*, c. 7 (PL 38, 1137). Cf. infra, num. 96.
[4] Cap. 22 (PL 41, 335).
[5] Cap. 2 (PL 41, 350).
[6] Quaest. 41 (PL 40, 27).

universum sine ordine creaturarum secundum prius et posterius.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod ordo in partibus universi attenditur secundum prius et posterius et simul, et ideo supra in ratione ordinis dictum est [1]: « Parium et disparium dispositio »; magis tamen respicit prius et posterius. In illis etiam quae dicuntur esse simul, invenitur aliquo [a] modo prius et posterius. Verbi gratia, species huius generis 'animal' simul sunt in quantum participant genus; nihilominus tamen aliquo modo participant prius et posterius dignitate: rationale enim animal prius est dignitate irrationali, irrationalia etiam [b] inter se habent prius et posterius dignitate. Similiter est in individuis eiusdem speciei: aliqua enim [c] praeeminentia invenitur in uno quae non invenitur in altero, et propter hoc Augustinus [2], cum loquitur de ordine universi, attendit prius et posterius secundum quae describit ipsum.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem in contrarium dicendum [d] quod nec in parte universi nec in toto universo ita invenitur ibi simul esse [e] quod non inveniatur prius et posterius. Unde si esset tantum simul, non esset perfectus ordo universi.

b. Ad hoc vero quod dicit Augustinus: « Si essent aequalia, non essent omnia », intelligendum est quod per aequalitatem non tollitur [f] multitudo rerum conditarum, sed sufficientia; sed [g] si esset sola aequalitas, tolleretur sufficientia quae per 'omne' designatur. 'Omne' enim dicitur cui non potest addi [3]; addi autem potest aequalitati: plus enim est esse aequalia et inaequalia quam aequalia. Praeterea, Philosophus dicit [4]: « Omne et totum super tres ponimus in primis »; magis autem et magis recedendo est [h] plus de inaequalitate [i]: aequalitas enim manet indivisa, inaequalitas vero [k] divisibilis est, et ideo ad completionem universi necessaria fuit inaequalitas.

II. Item, quaeritur quid sit ordo partium, supposito [l] priori et posteriori.

Ad quod respondet Augustinus, *Super Genesim ad litteram*, libro VIII [m 5]: « Dei providentia regens atque administrans universam creaturam et naturas et voluntates — naturas, ut sint, voluntates autem [n] ut nec infructuosae sint bonae nec impunitae [o] malae — subdidit primitus omnia sibi, deinde creaturam corporalem creaturae spirituali, irrationalem rationali, terrestrem caelesti, femineam masculinae, minus valentem valentiori, indigentiorem [p] copiosiori. In voluntatibus autem bonas sibi, ceteras vero ipsis servientibus sibi: ut hoc patiatur voluntas mala quod ex iussu Dei fecerit bona sive per se ipsam sive per malam ». Ex iis patet quis ordo sit in naturis, quis ordo in voluntatibus. De ordine autem mali in universo dicetur infra in Tractatu de malo et peccato [6].

III. Sed adhuc quaeritur, cum 'prius et posterius' dicatur multipliciter, sicut tangit Augustinus, in libro *Confessionum*, XII [7], « prius scilicet tempore, prius dignitate, prius origine, prius aeternitate », utrum omnes modi 'prioris' conveniant ad ordinem universi, et si conveniunt, quis illorum dicatur principalior et secundum quem modum conveniant.

Ad quod dicendum [q] quod omnes modi conveniunt, conveniunt autem [r] secundum ordinem: nam primo est prius aeternitate, deinde est prius origine, tertio est prius dignitate, quarto et ultimo est [s] prius tempore; et ex hoc patet quod principalior est modus 'prioris' et [t] primus quo dicitur aliquid prius alio aeternitate: hoc enim soli Deo convenit; alii vero modi possunt diversis creaturis communicari.

Et si quaeratur utrum alii modi sint eius [u] quod est 'prius' quam qui dicti sunt, dicendum est quod secundum Philosophum [8] sunt et alii modi 'prioris'; enumerat enim modos 'prioris' sic: « Dicuntur quaedam ante et quaedam post. 'Ante' enim dicitur quod est primum ens et principium in unoquoque genere. Dicitur etiam 'ante' quod est [v] proximum alicui principio terminato. Dicitur etiam 'ante' secundum tempus, ut quod est in praeterito id quod remotius ab instanti, in futuro vero id quod est propinquius. Dicitur etiam 'ante' secundum locum quod propinquius est alicui loco terminato. Dicitur etiam 'ante' secundum motum quod est propinquius ad motorem, sicut iuventus ante senectutem. Dicitur etiam 'ante' secundum potentiam et virtutem, sicut dominus ante dominatum. Dicitur etiam 'ante' quod est fortius, et tale est illud quod cogit alterum sequi suam voluntatem. Dicitur etiam [x] 'ante' secundum ordinem, sicut quae in se secundum relationem adunantur [y] ad aliquid unum et dividuntur secundum definitionem, sicut stans est secundus in propinquitate [z] ad tertium. Dicitur etiam alio modo 'ante'

---

[a] Ita L (corr.), alii *alio*, item infra. [b] V om., LC *enim*. [c] L om. [d] Ita V, alii add. *est*. [e] V om. [f] S *totaliter*, Z *colligitur* (exp. *intelligitur*). [g] V om. [h] Z add. *et*. [i] C add. *et*. [k] V *enim*; S *ut* pro *et*. [l] T *supponendo*. [m] V *xviij*. [n] STRZ *aut*. [o] VT *in punire*. [p] Codd. *fructuosiorem*. [q] Ita VZ, alii add. *est*. [r] Z *etiam*. [s] VSLZ om.; C om. *et*. [t] Z om., in L est add. mg. [u] T om. [v] R om. [x] V *autem*, Z om. [y] S *adiuvantur*, Z *ordinantur*. [z] SC *propinquitatem*; ST *terminum* pro *tertium*.

1 Cf. supra, p. 109, nota 2.
2 Cf. *De Gen. ad litt.*, VIII, c. 23, n. 44 (PL 34, 390).
3 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 6 (II, 282).
4 *De caelo*, I, c. 1 (II, 367).
5 Cap. 23, n. 44 (PL 34, 390).
6 Lib. II, Pars II.
7 Cap. 29, n. 40 (PL 32, 842).
8 *Metaph.*, IV, c. 11 (II, 523), totum ex vers. arabicolatina, V, c. 11 (ed. Iuntas, VIII, 56d).

per scientiam, et hoc dicitur 'ante' modo simplici. Dicitur etiam 'ante'[a] secundum definitionem et sensum[b]: secundum definitionem quod est 'ante' modo universali[c], secundum vero sensum res particulares; et secundum definitionem universaliter accidens ante totum, sicut musicus ante hominem musicum: totum enim non erit penitus sine parte. Dicuntur etiam 'ante' passiva, sicut rectitudo et levitas: unum enim est[d] passivum lineae per se, aliud superficiei. Dicuntur etiam quaedam 'ante' naturaliter et substantialiter, quae sunt illa quae possibile est ut sint, id est quibus positis non necesse est alia esse, istis[e] autem non existentibus necesse est alia non esse, id est quae sic dicuntur 'ante' sunt talia a quibus non convertitur consequentia ». Cum ergo tot sint modi 'prioris et posterioris', omnes isti conveniunt ad perfectionem ordinis in universo, sed ille modus maxime attenditur secundum quem attenditur ordo in universo, prout dicitur 'ante' quod est proximum principio: secundum hoc enim quod propinquiora sunt primo principio aut remotiora, secundum hoc habent ordinem in universo; ante enim illum modum non est alius modus nisi quo principium est ante principiatum, et ille modus Deo convenit, qui est ante omnia causalitate et aeternitate.

90 CAPUT V.

QUAE SIT CAUSA ORDINIS.

Quinto quaeritur quae sit causa ordinis. Ad quod sic tum ex parte efficientis, tum ex parte finis.

I. 1. Ex parte efficientis videtur quod sapientia divina sit causa, secundum quod dicit B. Gregorius[1] quod ex magnitudine creaturarum intelligitur omnipotens, ex ordine et dispositione sapiens, ex gubernatione bonus; ergo ordo in creaturis attestatur sapientiae divinae tamquam causae.

a. **Quod autem**[f] **voluntas divina et potestas sint causa**, habetur ex hoc quod dicit Augustinus, in V *De civitate Dei*[2]: « Ipsum causarum ordinem et quamdam connexionem Dei summi tribuunt voluntati et potestati ». Ex quo habetur quod voluntas divina et potestas sunt causa ordinis in creaturis, quae sunt partes mundi.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod ordo in creaturis est a divina potestate, sapientia et voluntate: indivisa enim est operatio. Dicitur tamen propter appropriationem quod congruit sapientiae divinae ordo, quia ordinare res decenter in se congruit sapientiae[3]: potest enim[g] homo esse potens et bonus, nec tamen habet rationem ordinandi unumquodque decenter in suo ordine, sed[h] hoc congruit sapienti; per quam similitudinem nos de Deo loquimur, licet sit in eo potentia et[i] sapientia et voluntas. Quod ergo dicitur[k] 'ex ordine et dispositione[l] sapiens', attenditur per appropriationem.

II. Sed similiter quaeritur ex parte causae finalis ipsius ordinis[m] universi, ratione cuius quaeritur, si universum sive mundus habet ordinem in partibus, utrum praeter illum necessario ordinem habeat ad aliquid quod non est de universo. Nam si non habet ordinem ad aliquid extra, cum finis sit causa extrinseca, non habet ordinem ad finem; ergo universum totaliter in se ipso finietur. Si vero habeat ordinem ad aliquid extra, tunc est quaestio utrum magis perficiatur ab ordine partium inter se an ab ordine ad illud quod est quasi extra.

Et videtur *a.* quod ab ordine partium inter se[n], sicut est in compositione corporis humani quod ex ordine partium essentiatur.

Sed contra hoc est 1. quod finis non dicitur esse simpliciter in creatura: nam si esset finis in creatura, oporteret quod creatura non ordinaretur ad aliud[o]; ordinatur autem; non[p] ergo in ipsa constituitur finis ipsius mundi.

[Solutio]: Ad quod dicendum[q] per hoc quod dicit Augustinus, *Super Genesim ad litteram*[4]: « Ipsa universitas creaturae, quae sex diebus consummata est, aliud habet in sua natura, aliud in suo ordine quo in Deo est, non sicut Deus, sed tamen ita ut ei quies propriae stabilitatis non sit[r] nisi in illius quiete qui nihil propter se appetit, quo adepto requiescat ». Ex quo accipitur quod est finis intra ipsius universi qui determinatur in sex diebus, et finis extra secundum rationem ipsius universi, qui in septimo die determinatur.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet illud quod obiectum est; illud enim quod obiectum est aut[s] respicit finem extra aut finem intra.

---

[a] Ita VR, LCZ om., ST om. *e. a.* [b] L add. *et.* [c] V *universaliter.* [d] R om. [e] ST *illis.* [f] Z *etiam;* LZ om. *et.* [g] S *tamen.* [h] TR *secundum.* [i] RLCZ om. [k] VST add. *quod.* [l] ST *compositione.* [m] T *ordine.* [n] Z om. *an ab... se.* [o] T *illud.* [p] Z om. [q] Ita ST, alii add. *quod;* V om. *per.* [r] V *ut.* [s] V *quod.*

[1] Cf. *Moral.*, XXVI, c. 12, n. 18 (PL 76, 358).
[2] Cap. 8 (PL 41, 148).
[3] Cf. Aristot., *Metaph.*, I, c. 2 (II, 470).
[4] Lib. IV, c. 18, n. 34 (PL 34, 309).

QUAESTIO V.

DE PERFECTIONE UNIVERSI.

Completis conditionibus quae pertinent ad creaturam ex parte quantitatis et ex parte qualitatis et ordinis, quae pertinent [a] ad relationem, sequitur de perfectione ipsarum creaturarum in universo [1]. Ratione cuius quaeritur:

Primo, cum perfectum dicatur multis modis, secundum quem modum dicatur universum perfectum;

secundo, si perfectio universi est tantum in bonis an etiam in malis;

tertio, si perfectio est in bonis, utrum aliquibus bonis deficientibus sit perfectio;

quarto, in quo consistat perfectio universi, videlicet utrum illud sit anima mundi;

quinto, utrum perfectio attendatur respectu rerum in genere vel in specie an etiam in individuis;

sexto, utrum quodlibet quod est in mundo dicatur imperfectum [b] respectu illius perfectionis.

CAPUT I. 91

SECUNDUM QUEM MODUM DICATUR UNIVERSUM PERFECTUM.

Ad primum sic [2]: «Perfectum dicitur uno modo quod impossibile est habere aliquam partem omnino extra illud, sicut tempus. Dicitur etiam perfectum alio modo, quo [c] nihil est dignius in illo genere, sicut medicus dicitur perfectus et musicus perfectus [d], et secundum hunc modum per transumptionem [e] sermonis dicitur latro perfectus sicut dicitur bonus latro. Dicitur etiam perfectum quod habet nobilem perfectionem, scilicet finem. Dicitur etiam perfectum, quando non invenitur magis vel minus de bonitate, et [f] hoc dicitur perfectum per se; alia vero, quae dicuntur perfecta, in relatione ad [g] aliquod istorum dicuntur».

Cum ergo ii sunt modi dicendi 'perfectum', quaeritur secundum quem modum dicendum sit universum perfectum.

[Solutio]: Non enim dicitur 'perfectum per se' de quo non est dicere magis vel minus habere de bono: sic enim convenit perfectum Deo, qui est ipsa summa bonitas. Nec perfectum dicitur eo modo quo aliquid dicitur perfectum per suum finem: non enim universum, secundum quod modo est, perfectum est in suo fine. Nec dicitur perfectum ad modum eius quod dignius est in genere artis: alia est enim perfectio artificis et artificiati; artifex vero secundum illam rationem dicitur perfectus, artificiatum vero non. Restat ergo quod dicitur perfectum secundum [h] primum modum, secundum quem dicitur perfectum cui nihil deest de partibus sibi convenientibus vel «extra quod nihil est [i]»: extra enim universum nihil est. Dicetur ergo universum perfectum secundum illum modum.

CAPUT II. 92

UTRUM PERFECTIO UNIVERSI SIT TANTUM IN BONIS AN ETIAM IN MALIS.

Hoc supposito, quaeritur si perfectio universi est tantum in bonis an etiam in malis.

Quod autem perfectio sit in bonis tantum, videtur: *a*. Universum enim bonum est et valde

---

[a] V *pertinet*; RLCZ *qui pertinet* pro *q. p.* [b] V *imperfectio.* [c] Z *quod.* [d] T om. *e. m. p.* [e] V *transitionem.* [f] RLCZ add. *secundum.* [g] RL *quoad.* [h] V *dicitur.* [i] T om.

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 1, q. 2 (II, 41 sqq.), ubi de sequentibus insimul agit.

[2] Aristot., *Metaph.*, IV, c. 16 (II, 527sq.), ex vers. arabico-latina, V, c. 16 (ed. Iuntas, VIII, 61c).

bonum; sed bonum non componitur nisi ex bonis: componitur enim ex suis partibus; ergo partes sunt bonae; sed malum non est[a] bonum; ergo malum non est de[b] compositione universi; universum ergo tantum ex bonis componitur.

Quod autem[c] componatur ex malo et bono, videtur 1. per hoc quod dicit Augustinus, in[d] XI *De civitate Dei*[1]: « Contrariorum oppositione saeculi pulcritudo componitur[e] »; sed haec contraria sunt bonum et malum; ergo pulcritudo saeculi componitur ex bono et malo; sed hoc est universum; ergo universum componitur ex bono et malo[f].

2. Item, Augustinus, *Super Genesim*[2]: « Mala nullo modo efficiunt[g] ut non ipsa recte ordinata cum toto atque universo sint bona[h] ». Ergo universum componitur ex malis[i].

3. Item, Dionysius[3]: « Malum est ad omne conferens »; sed 'omne' dicitur universum; ergo malum confert ad universum.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod universum non habet partes sui nisi bona[k] secundum quod huiusmodi, ut consonent partes toti. Unde Augustinus, *Contra Manichaeum*[4]: « Tanta vis et potentia integritatis est, ut quae multa sunt bona tunc placeant, cum in universum aliquid conveniunt atque[l] concurrunt ».

a. Ad id vero quod obicitur de malis, dicendum[m] quod universum habet in se mala tamquam partes, non secundum rationem malorum, sed secundum rationem bonorum.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem primo dicendum quod, cum dicitur 'pulcritudo saeculi componitur ex oppositione contrariorum', facienda est vis in nomine 'pulcritudinis', eo quod bona pulcriora apparent ex adiunctione malorum, non quod mala, in eo quod mala[n], unam partem dicant pulcritudinis: malum enim, in se consideratum, turpe est et deforme.

2. Ad secundum vero dicendum[o] quod mala non secundum rationem malorum, sed secundum rationem expedientium, non dico honestorum, conferunt ad universum.

3. Et per idem solvitur quod dicit Dionysius, et ita integritas universi ex bonis simpliciter vel ex bonis secundum quid constituitur.

CAPUT III.

UTRUM ALIQUIBUS BONIS DEFICIENTIBUS SIT PERFECTIO.

Tertio quaeritur, si perfectio est in bonis, utrum aliquibus bonis deficientibus sit perfectio[p]. Ratione cuius quaeritur primo in nobilioribus, secundo in ignobilioribus.

93

ARTICULUS I.

Utrum, si deessent angeli, deesset perfectio universi.

Quaeritur ergo de ipsis angelis, si deessent, utrum deesset perfectio universi.

Quod videtur: 1. Perfectum dicitur illud cui[q] nihil deest [de] partibus[5]; sed nobiliores substantiae sunt partes universi; ergo si desint, non erit perfectio universi.

2. Per simile etiam ostenditur: Cum enim[r] in corpore humano sint partes nobiliores et minus nobiles, si desit aliqua illarum, non est perfectio corporis humani; ergo a simili in mundo, si desit aliqua partium, et maxime nobilium, non erit perfectio universi.

Contra: *a.* Si deessent angeli, adhuc remaneret sufficientia divinae potestatis ad regendam mundi universitatem; dum autem convenienter regitur universitas mundi, est perfecta universitas mundi; ergo non existentibus angelis esset perfecta universitas[s].

b. Item, malitia adveniens aliquibus angelis non tollit perfectionem universitatis. Unde Augustinus, III *De libero arbitrio*[6]: « Cum peccantibus adest miseria, nihilominus perfecta est universitas ». Ergo a simili videtur, si non essent angeli, nihilominus[t] esset perfectio: non esse enim omnino non dicitur deformare partem universi, sed esse[u] malum dicitur deformare; ergo si non essent angeli, nihilominus esset perfecta universitas.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod perfectio universitatis dicitur dupliciter[v]: uno modo, cum nulla pars deest illarum partium quae sunt de integritate universi, et[x] secundum hoc si deessent

---

[a] T om. [b] V om. [c] Z *etiam.* [d] RLCZ om. [e] S om. [f] T om. *sed hoc... malo.* [g] V *efficiuntur.* [h] Codd. *mala.* [i] Z *malo.* [k] Z *bonum.* [l] Z *ad quod.* [m] Ita V, alii add. *est.* [n] V *bona.* [o] Ita V, alii add. *est.* [p] C *perfectum,* V add. *ipsius.* [q] LC *cuius.* [r] T om. [s] Z add. *mundi.* [t] RZ om. [u] Z *omne.* [v] T *duplex.* [x] RLCZ add. *sic.*

[1] Cap. 18 (PL 41, 332).
[2] Lib. III, c. 24, n. 37 (PL 34, 296).
[3] *De divin nomin.*, c. 4, § 19 (PG 3, 717, PL 122, 1139).
[4] *De Gen. c. Manich.*, I, c. 21, n. 32 (PL 34, 188sq.).
[5] Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 6 (II, 282).
[6] Cap. 9 n. 26 (PL 32, 1284).

nobiliores [a] partes universi, non diceretur universum perfectum. Unde Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [1]: « Sine istarum officiis iustis atque perfectis esse universitas non potest ». Si vero dicatur perfectum in universo quantum ad sufficiens regimen universi, secundum hoc dicetur esse perfectio in universo, etsi non essent angeli vel si peccassent. Unde Augustinus [2]: « Etiamsi omnes peccassent angeli, nullam inopiam facerent ad regendum imperium suum Creatori angelorum ». Et iterum: « Si ipsa peccaret », scilicet angelica creatura, « sufficeret Dei potestas ad regendam istam universitatem, ut omnibus congrua et [b] condigna retribuens, nihil in tota universitate sua turpe atque indecorum esse permitteret ». Una ergo perfectio est ipsius universi ex sufficientia partium, altera vero est ex perfectione agentis in regendo quotcumque sint partes. Eodem modo intelligendum est de ipsis animabus, sive non essent sive per peccatum defecissent. Unde Augustinus [3]: « Si deessent quae sive peccarent sive non peccarent, nihil universitatis ordini minueretur, etiam si [c] plurimum deessent animae ».

ARTICULUS II. 94

Utrum sine minoribus creaturis esset perfectum universum.

Deinde quaeritur, quantum ad defectum minorum creaturarum, utrum sine iis esset perfectum universum.

[Solutio]: Ad quod dicendum per hoc quod dicit Augustinus, XII *De civitate Dei* [4]: « Caelestibus non fuerant terrena coaequanda, nec ideo [d] universitati deesse ista debuerunt, quoniam sunt illa meliora [e]; cum ergo in iis locis, ubi esse talia competebat, aliis deficientibus alia oriuntur et succumbunt minora maioribus atque in qualitates superantium superata vertuntur, rerum est ordo transeuntium ». Ex quo accipitur quod et maiora et minora ad perfectionem faciunt universi.

ARTICULUS III. 95

Utrum sine rebus minoribus, quae nocent homini, remaneret universitas perfecta.

Ratione autem quarumdam rerum minorum, ut rerum quae videntur nocere homini, quaeritur [f] utrum illis subtractis adhuc [g] remaneret universitas perfecta.

Quod videtur: 1. Si enim omnia huiusmodi ordinata sunt ad hominem, omnia debent esse conferentia homini [h]; ergo si non sunt conferentia, non congruunt ipsi universo.

2. Quod etiam videtur accipi ex humanis appetitibus. Unde Augustinus, XI *De civitate Dei* [5]: « Est alius aestimationis modus, ut quaedam sensu carentia quibusdam sentientibus praeponamus, in tantum ut, si potestas esset, ea prorsus de natura rerum auferre vellemus ».

Sed contrarium videtur: *a*. Ex hoc quod nihil est in universitate rerum quod non proprie deserviat utilitati, sicut est de officiis in civitate ordinatis: nullum est quod non conferat ad rem publicam civitatis; ergo non est aliqua res, etiam de minoribus rebus, quae non conferat perfectioni universi. Unde Augustinus, in XI *De civitate Dei* [6]: « Non attendunt [i] quantum in suis locis naturisque [k] vigeant pulcroque ordine disponantur, quantumque universitati rerum pro suis dispositionibus decoris tamquam in communem rempublicam conferant vel nobis ipsis, si eis congruenter atque scienter utamur, commoditatis attribuant, ita ut ipsa venena, convenienter adhibita, in salubria medicamenta vertantur ». Ex quo accipitur quod minora in ordine creaturarum conferunt ad perfectionem universi.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod est duplex consideratio [l]. Est enim consideratio rationis, qua considerat haec minora [m] secundum id [n] secundum quod sunt partes universi et ordinatae etiam ad hominem ut quodammodo finem, et in hac consideratione invenitur pulcritudo in universo et utilitas respectu hominis. Est alia consideratio secundum aestimationem, qua magis necessaria secundum aestimationem hominis praeferuntur minus necessariis et voluptuosa minus delectabilibus. « Quis enim in domo sua non plus panem habere velit quam mures, et nummos quam pulices?

---

[a] C om. [b] Codd. *congrueret* pro *c. e.* [c] ST *sic*, RLCZ *sicut*. [d] L *omnino*. [e] V *meliori*. [f] V add. *ergo*. [g] Z om. [h] Ita V, alii om. [i] Z *attenduntur*. [k] L *naturis*. [l] V om. [m] VST *maiora*. [n] V om. *s. l.*

1 Lib. III, c. 11, n. 32 (PL 32, 1287).
2 Loc. cit., c. 12, n. 35 (PL 32, 1288), ubi et sequens.
3 Loc. cit., c. 11, n. 32 (PL 32, 1287).
4 Cap. 4 (PL 41, 351sq.).
5 Cap. 16 (PL 41, 331).
6 Cap. 22 (PL 41, 335).

Necessitas autem quid [a] propter quid expetat [b], cogitat, et voluptas quid iucundum sensibus corporis blandiatur, expectat [1] ». In hac ergo consideratione aestimativa non omnia dicuntur esse de perfectione universi; in altera vero consideratione rationis recte ea, quae ordinata sunt, ad perfectionem faciunt universi secundum quod « sententia praeferuntur non [c] sententibus et viventia non viventibus et intelligentia non intelligentibus ».

96

CAPUT IV.

UTRUM ANIMA MUNDI SIT PERFECTIO UNIVERSI.

Quarto [d] quaeritur in quo consistit perfectio universi, utrum illud sit anima mundi.

Dixerunt enim quidam philosophi quod microcosmus suam habebat [e] perfectionem et illud fuit anima rationalis, megacosmus suam habebat perfectionem et illud erat anima mundi. Quod recitat Augustinus, in I libro *Retractationum*, 5 cap. [2]: « Corpus [f] subsistit et eo ipso est quo [g] animatur, sive universaliter, ut mundus, sive particulariter, ut unumquodque animal intra mundum »; et postea sequitur: « Hoc totum prorsus temere dictum est ». Per quod innuitur quod perfectio mundi non recte dicitur anima nec ipse mundus animal. Unde in eodem libro Augustinus [3]: « Animal esse istum mundum, sicut Plato [4] sensit aliique philosophi, nec ratione certa indagare nec divinarum Scripturarum auctoritate persuadere posse cognovi; unde tale aliquid a me dictum, quo id accipi possit, in libro *De immortalitate animae* [5], temere dictum notavi ». Ex quo accipitur quod mundus non est animal nec perfectio eius est anima.

Sed videtur sic persuaderi ratione: 1. Anima est principium vitae in ipso corpore animato [6]; indicium autem vitae unum est quod moveatur, non de natura ipsius mobilis, aliud etiam indicium est quod perpetuetur in suo esse, quantum congruit, per ipsam; sed hoc modo est in perfectione ipsius mundi: superiora enim corpora, a quibus motus [h] quodam modo in inferioribus, moventur, et motus illius [i] non est natura ipsius mobilis, cum indifferenter, quantum est de natura, moveretur [k] in quamcumque partem; ergo principium eius est anima, quae sibi determinat huiusmodi motum sive in sinistrum sive in dextrum; sed motus huiusmodi attestatur vitae animalis; ergo corpus, quod [l] sic movetur, est animal et perfectio ipsius [m] est anima.

2. Item, motor caeli movet per intellectum ipsum caelum [7]; et quod movet per intellectum, dicitur anima illius quod movet: motus enim ille, cum non sit naturalis, quoad hoc erit voluntarius, et est rei sibi coniunctae; ergo est motus animalis; ergo principium eius est anima; sed principium eius est perfectio mundi; ergo perfectio eius est anima [n].

3. Item, duo sunt genera mobilium: quoddam est quod movetur motu recto, et aliud est [o] quod movetur motu orbiculari [8]; sed quod movetur motu recto, habet duplicem perfectionem, scilicet naturae et animae, quarum utraque est nobilis [p] perfectio; sed nobilior est ea, quae est per animam; ergo illud, quod movetur orbiculariter, cum sit nobilius perfectum [9], habebit utramque perfectionem, et quae est naturae et quae est animae vel ad minus quae est animae; ergo corpora superiora erunt animata, sive isto modo dicatur sive illo.

Quidam autem [q] inter philosophos dicebant hanc perfectionem esse [r] separatam hoc modo ita quod non [s] esset unum ex illa perfectione et mundo, et nihilominus dicebant esse animam mundi et hanc esse Deum. Sed hoc reprobatur: Anima est perfectio, quae facit unum cum suo perfectibili, non tantum sicut motor cum mobili, sed sicut forma substantialis cum subiecto [t] quod perficit. Cum ergo divina essentia cum mundo non faciat unum, eo quod nihil sit [u] ad quod divina [v] natura et mundus sint possibilia, cum nec divina natura sit possibilis ad aliquam perfectionem nec universum sit possibile [x] ad aliquid aliud, ergo nihil unum fiet ex divina essentia et universo; non ergo Deus est anima mundi. — Ad idem facit quod dicit Augustinus, recitans opinionem Varronis, in VII *De civitate Dei* [y] [10],

---

[a] Codd. *quidquid*. [b] STLC *expectat*, quod R corr.; TZ *aliquid* pro *quid*. [c] V *ad*. [d] RC hic ponunt quaestionem sequentem *Quinto quaeritur utrum*, sed R in mg. notat: *hec questio est transposita*; C in mg.: *hoc problema antecedit immediatum*. [e] Z *haberet*. [f] Z add. mg. *per animam*. [g] Ita ST, alii *quod*. [h] R add. poster. *est*. [i] R (corr.) *illorum*. [k] R *moverentur*. [l] V om. [m] Ita V, alii *illius*. [n] S *est motus animalis* pro *e. e. a*. [o] R om. [p] RL *nobis*. [q] V *tamen* (exp. *autem*). [r] VST *causse*. [s] V add. *est*. [t] V *substantia*. [u] VST om. [v] V *anima*. [x] V om., ST *nec*. [y] Z add. *et*.

[1] Augustin., loc. cit., c. 16 (PL 41, 331), ubi et sequens.
[2] Num. 3 (PL 32, 591), ubi et sequens.
[3] Cap. 11, n. 4 (PL 32, 602).
[4] Cf. Plato, *Timaeus*, n. 30 (p. 26 sq.); Aristot., *De anima*, I, c. 3 (III, 437); P. Duhem, *Le système du monde*, Paris 1913, I, 89 sqq.
[5] Cf. cap. 13, n. 22 (PL 32, 1032).
[6] Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 449).
[7] Cf. Avicenna, *Metaph.*, tr. 9, c. 2 (f. 102 sqq.).
[8] Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 9 (II, 363).
[9] Cf. Aristot., *De caelo*, I, c. 2 (II, 368).
[10] Cap. 6 (PL 41, 199).

dicens quod « opinatus est Deum esse animam mundi et ipsum mundum esse animal, et quoquo modo Deum, sicut homo sapiens, cum sit ex corpore et animo [a], ab animo tantum dici sapientem, ita mundum Deum vel deiformem ab animo dici ».

Sed contra hoc potest obici *a.* secundum quod obicit Augustinus, IV libro *De civitate Dei* [1]: « Si animus mundi Deus est, eique animo mundus ut corpus est, ut sit unum animal constans ex anima et corpore, cum tota moles huius mundi vivificetur ex hac anima, quis non videat quanta impietas consequatur, ut quod calcaverit quisque, partem Dei calcet, et in omni animante occidendo, pars Dei trucidetur? ». Quod cum impium sit et irreligiosum dicere, non est Deus anima mundi.

[Solutio]: Ad quod dicendum est quod non est mundus animal nec perfectio eius est anima, sed habet duplicem perfectionem: unam intra, et haec dicitur esse natura primi caeli ad quam ordinantur aliae naturae inferiores per quamdam influentiam motus, et haec perfectio est intra; est autem alia perfectio extra, quae tenet rationem motoris separati, et de ista [b] dicit Augustinus, in libro *Retractationum* [2]: « Est quaedam spiritalis virtus et vitalis, etiamsi non sit animal mundus; quae virtus in angelis sanctis, ad decorandum atque ministrandum mundum, Deo servit et a quibus non intelligitur, rectissime creditur ». Per quod designatur quod est quaedam [c] virtus separata quae proximo movet caelum; et quia est ad ministrandum, non est illa virtus divina, quae tamen virtus divina per illam tamquam ministram movet. Nulla ergo istarum perfectionum dicetur esse anima; non enim natura ipsius mobilis recte dicitur anima [d]: anima enim est motor [e] distinctus per essentiam a corpore mobili, natura vero illa non est distincta per essentiam a mobili. Neque virtus illa spiritalis, de qua loquitur Augustinus, quae est in angelis, recte dicitur anima: angelus enim est substantia separata a corpore, non faciens unam naturam cum corpore; ergo nec virtus eius; sed anima facit unum cum corpore; ergo illa virtus spiritalis, quae est in angelis, non recte dicetur anima mundi. Sed nec virtus divina recte dicetur anima mundi: virtus enim divina est ipsa essentia divina; essentia autem divina cum aliqua natura creata [f] spiritali vel corporali non convenit ad faciendum unum in natura; sed anima cum suo corpore convenit ad faciendum unum in natura; ergo virtus divina non est anima mundi; si ergo perfectio mundi non est anima, neque mundus erit animal.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum in contrarium dicendum est quod, licet caelum habeat alium motorem in dextrum vel [g] sinistrum quam ipsam naturam ipsius mobilis, non tamen motor ille est anima, sed est aliqua substantia, separata a corpore, movens corpus: unde non recte dicitur anima. Et licet motus ille sit voluntarius, non tamen est ab anima, sed est a principio movente per intellectum: non enim omnis motus voluntarius est animalis.

2. Et si obiciatur quod 'motor ille movet per intellectum': non movet tamen [h] per intellectum unitum [i] cum mobili, et ideo non est motus animalis rationalis. Sed nec est motus animalis sensibilis, cum ille motus regatur secundum apprehensionem convenientis vel inconvenientis ipsi mobili.

3. Ad id vero quod obicitur quod 'duplex est perfectio mobilis secundum motum rectum, natura scilicet et anima [k] nobilior quam natura, ergo a simili in eo quod movetur orbiculariter': dicendum est quod non est simile. Perfectio enim in corpore mobili, quod movetur motu recto, unitur cum ipso corpore, non tantum ut faciat motum in ipso, sed ut contineat et salvet esse eius, cum habeat esse corruptibile, et ideo congruenter ultima perfectio et nobilior talis corporis dicetur anima. Non sic autem est in corporibus, quae ex dono Conditoris sunt incorruptibilia: non enim indigent perfectione continente esse et conservante, quae sit intra, sed indigent perfectione a qua eliciatur motus, et ideo caelum non habet animam pro perfectione, sed nobiliorem substantiam, scilicet angelicam intelligentiam.

CAPUT V. 97

UTRUM PERFECTIO UNIVERSI ATTENDATUR RESPECTU RERUM IN GENERE VEL IN SPECIE VEL ETIAM IN INDIVIDUIS.

Quinto quaeritur utrum perfectio attendatur respectu rerum in genere vel in specie vel etiam [l] in individuis.

Quod sit in generibus et speciebus, videtur 1. per hoc quod dicitur in Gen. 1 in fine: *Igitur perfecti sunt caeli et omnis ornatus eorum;* sed

---

[a] T *anime*, LCZ *anima*. [b] Z *isto*. [c] R om. [d] VST om. [e] ST *maior*. [f] R *creatura*. [g] RLCZ add. *in*. [h] L *tum*. [i] LCZ *unicum*. [k] V om. *e. a*. [l] C om.

[1] Cap. 12 (PL 41, 123).

[2] Lib. I, c. 11, n. 4 (PL 32, 602).

haec perfectio fuit in generibus et speciebus omnibus, non autem in omnibus individuis, et tunc fuit perfectum universum; ergo perfectio universi consistit in istis.

2. Item, Augustinus, *Super Genesim ad litteram*[1]: « Si [a] aliquam creaturam sic instituere putaverimus ut genus eius primae illi conditioni non inseruerit [b], aperte contradicimus dicenti Scripturae quia consummavit omne opus die sexto [c] ».

Contra: *a.* Plus est esse unum numero quam esse unum specie vel genere[2]; perfectio ergo [d] multitudinis plus colligetur ex iis quae habent unitatem numeralem quam ex iis quae habent unitatem generis vel speciei; sed haec est perfectio ipsius mundi; ergo perfectio mundi non consistit tantum in multitudine generum aut specierum.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod duplex est perfectio: una in rebus actu entibus et alia est in ipsis principiis habentibus virtutem multiplicandi res actu existentes. Quantum ad primum modum non fuit omnimoda perfectio in operibus sex dierum; quantum ad secundum modum fuit perfectio sufficiens. Unde Augustinus, *Super Genesim ad litteram*[3]: « Potest intelligi Deum requievisse a condendis generibus creaturae, quia ultra iam non condidit aliqua genera nova; deinceps autem usque nunc et ultra operatur eorumdem generum administrationem ». Item, Augustinus, *Super Genesim*[4]: « Non defuit aliquid tunc causaliter conditum, quod postea visibiliter condebatur ».

98

CAPUT VI.

UTRUM QUODLIBET QUOD EST IN MUNDO DICATUR IMPERFECTUM RESPECTU ILLIUS PERFECTIONIS.

Sexto quaeritur utrum quodlibet quod est in mundo dicatur imperfectum respectu illius perfectionis.

Quod videtur: *a.* Quodlibet enim quod est in mundo, pars est ipsius mundi; sed pars possibilis est respectu perfectionis totius[5]; et quod est possibile respectu perfectionis totius [e], dicitur imperfectum respectu illius [f]; ergo quodlibet quod est in mundo est imperfectum respectu perfectionis mundi.

b. Hoc etiam arguitur ex comparatione corporis humani: partes enim corporis humani [g] imperfectionem habent respectu animae, quae est perfectio totius; ergo sic erit in mundo et partibus eius.

Contra: 1. Caelum primum, quod movetur, non quaerit aliud ad [h] sui motum quam illam perfectionem; sed ad sui esse non quaerit illud[6]; sed ratione sui esse dicitur pars ipsius mundi; ergo ratione sui esse non est imperfectum [i] respectu illius perfectionis mundi.

2. Praeterea, si ponatur quaedam perfectio intra, sicut lux quae diffundit se per partes mundi, caelum illud, quod primo habet lucem in actu, non in potentia, non dicetur possibile sive imperfectum respectu huius perfectionis mundi.

[Solutio]: Ad quod dicendum [k] quod est duplex perfectio in aliquo toto. Est enim perfectio, quae dat esse partibus secundum quod sunt in toto; et est perfectio, quae conservat operationem partium sive motum. Perfectio ergo iam dicta ipsius mundi non dat esse partibus mundi secundum quod sunt in mundo, sed conservat quamdam continuationem in motu vel operatione: et propter hoc, licet possibilia sint ad ipsam perfectionem ratione motus vel operationis, non tamen ratione ipsius esse [l], in partibus nobilibus maxime. — Nec est simile de anima, quae est perfectio corporis humani: ipsa enim conservat esse in partibus vivificando, et motum in eisdem, et ideo omnino dicitur perfectio [m]; haec autem dicitur esse perfectio secundum quid, in quantum partes mundi subiectae sunt motui.

Si vero loquamur de ipsis partibus in esse suo, habent quamdam perfectionem intra, quae secundum Augustinum vocatur connexio, quae tamen connexio non est sine virtute divina res mundi in ordine [n] connectente. Unde Augustinus, V *De civitate Dei*[7]: « Ipsum causarum ordinem et quamdam [o] connexionem Dei summi tribuunt [p] voluntati ». De hac iterum connexione dicit Augustinus, in III [q] *De libero arbitrio*[8]: « Si rebus deessent animae, quae ipsum fastigium ordinis in universa creatura sic obtinerent ut si peccare voluissent, infirmaretur universitas, magnum quiddam deesset creaturae: illud enim deesset, quo remoto, stabilitas rerum atque connexio turbaretur ».

---

[a] T *sed.* [b] ST *intendit.* [c] R *sexta.* [d] Z *enim.* [e] V om. *et quod... totius.* [f] L (mg.) C add. *perfectionis.* [g] V om. *p. e. c. h.* [h] V add. *suum.* [i] S *perfectum.* [k] Ita V, alii add. *est.* [l] T om. [m] Z *perfecta.* [n] T *ordinis.* [o] V *in quantum* pro *e. q.* [p] RLCZ *tribuit.* [q] V add. *libro.*

1 Lib. V, c. 20, n. 41 (PL 34, 336).
2 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 6 (II, 520).
3 Lib. IV, c. 12, n. 22 (PL 34, 304).
4 Lib. VI, c. 7, n. 12 (PL 34, 343).
5 Cf. Aristot., *Phys.*, VII, c. 5 (II, 341).
6 Cf. Aristot., *Metaph.*, XI, c. 7 (II, 605).
7 Cap. 8 (PL 41, 148).
8 Cap. 11, n. 32 (PL 32, 1287).

INQUISITIO SECUNDA

DE ANGELIS

Expedita parte quae pertinet ad considerationem creaturae in communi, adiuvante Domino, procedendum est ad considerationem creaturae in speciali quantum ad naturae institutionem.

Primo, de creatura spirituali considerandum est [a];

deinde, de corporali;

tertio, de illa quae composita est ex corporali [b] et spirituali, scilicet homine.

Spiritualis vero creatura, de qua primo est agendum, est angelus, qui hoc nomen habet ex officio, non ex natura, sicut dicit B. Gregorius [1]. Circa vero angelum sunt haec consideranda:

Primum, quod pertinet ad fieri;

secundum, quod pertinet ad esse substantiale eius;

tertium, quod pertinet ad potentiam eius et operationem.

Haec autem duo coniunctim sunt tractanda, quia unum illorum per se cognoscitur ex altero.

---

[a] V om. [b] T *corporaliter*; Z *de* pro *ex*.

[1] *In Evang.*, II, hom. 34, n. 8 (PL 76, 1250).

TRACTATUS PRIMUS

DE ANGELIS SECUNDUM FIERI

QUAESTIO UNICA.

Circa vero fieri quaeritur:

Primo, utrum prius creati essent quam aliae creaturae quae pertinent ad opera sex dierum;

secundo [a], si simul creati sunt, ita quod comprehendantur in operibus sex dierum, utrum simul sint conditi in naturalibus et gratuitis an tantum in naturalibus bonis;

tertio, ubi sint collocati [b] in creatione.

99

CAPUT I.

UTRUM ANGELI PRIUS CREATI SINT QUAM ALIAE CREATURAE [1].

Ad primum sic: 1. Dicitur in libro *De ecclesiasticis dogmatibus* [2]: « Cum adhuc tenebrae ipsam aquam occultarent, facti sunt angeli et omnes caelestes virtutes, ut non esset otiosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spatia bonitatem suam ostenderet ». Ex quo accipitur quod ante visibilem mundum facti sunt angeli sive creati.

2. Similiter Hieronymus, *Super Epistolam ad Titum* [3], idem videtur sentire, dicens: « Quanta tempora, quantas saeculorum origines fuisse arbitrandum est in quibus Angeli, Throni et Dominationes ceterique Ordines Deo servierunt absque temporum vicibus atque mensuris et Deo iubente substiterunt? »

Ad contrarium sic: *a.* In prima die creata est lux [4] sive condita; secundum Augustinum [5], quantum ad unam expositionem, per lucem designatur creatura angelica; ergo creatura angelica facta est in operibus sex dierum.

b. Item, Augustinus, *Super Genesim* [6]: « Cum dictum est [7]: *Fiat lux, et facta est lux,* non illa natura Patri coaeterna intelligenda est per quam *facta sunt omnia* [8], sed illa de qua dici potuit [9]: *Prior omnium creata est sapientia* »; haec autem non est nisi creatura angelica; ergo creatura angelica facta est inter opera sex dierum.

[Solutio]: Ad quod dicendum [c] quod creatura angelica simul creata [d] est cum aliis et inter opera sex dierum tamquam primum opus.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod primo obicitur in contrarium, dicendum est quod non ex hoc voluit ille qui condidit *Ecclesiastica dogmata* [10], dare intelligere quod angeli essent facti antequam crearetur caelum et terra. Quod ex verbis eius evidenter elici potest. Dicit enim: « Cum adhuc tenebrae ipsam [e] terram occultarent et aqua terram absconderet, facti sunt angeli ». Ex quo accipitur quod simul tempore vel posterius natura vel tempore facti sunt angeli respectu caeli et terrae: quod enim « tenebrae aquam occultarent », hoc dicitur propter hoc quod habetur in Gen. [11], quod *tenebrae erant super faciem abyssi;* « aqua autem terram abscondebat », quia nondum divisio facta fuit aquarum nec aquae a terra. Quod autem subiungitur: « Ut non esset otiosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spatia bonitatem suam ostenderet », hoc intelligitur dupliciter: vel ut angeli creati essent cum caelo creato ante omnem diem, et ita Deus « suam

---

[a] C om. [b] S *collati,* quod T corr. [c] Ita V, alii add. *est.* [d] T om. [e] L om.

1 Cf. Damasc., *De fide orthod.,* II, c. 3 (PG 94, 874); Lombard., II *Sent.,* d. 2, cc. 1-3 (p. 313sq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 2, p. 1, a. 2, q. 3 (II, 67sq.).

2 Gennad., c. 10 (inter opp. Augustini PL 42, 1215); cf. Isidor., *Different.,* II, c. 14, n. 41 et *Sentent.,* I, c. 10, nn. 3sq. (PL 83, 76, 554).

3 Cap. 1 (PL 26, 560).

4 Cf. Gen. 1, 3.

5 Cf. *De Gen. ad litt. lib. imperf.,* c. 5, n. 21 (PL 34, 228); Isidor., *Sentent.,* I, c. 10, n. 3 (PL 83, 554).

6 *De Gen. ad litt.,* I, c. 17, n. 32 (PL 34, 258); cf. *De civit. Dei,* XI, c. 9 (PL 41, 324).

7 Gen. 1, 3.

8 Ioan. 1, 3.

9 Eccli. 1, 4.

10 Scilicet Gennadius.

11 Cap. 1, 2.

bonitatem ostenderet » ante opera sex dierum, quadam existente distantia temporali, secundum quod dicitur a quibusdam expositoribus[1] quod caelum creatum erat cum tempore, et post facta essent quae fiebant in sex diebus; non autem intelligitur per hoc quod dicit « per multa ante[a] spatia », quod creaverit Deus angelos ante caelum et terram quodam intervallo temporali. Vel intelligitur illa prioritas temporis, qua primus dies praecessit sequentes, et[b] ille dies primus quamdam dicat distantiam temporalem respectu eorum quae sequuntur. Quod autem dicitur « ne esset[c] otiosa bonitas Dei », non sic intelligendum est quod etiam in aeternitate fuerit otiosa: non enim Deus aeterna caruit generatione et aeterna spiratione et aeterna cognitione et dilectione, nisi dicatur otiosum quod caret actu exteriori sive effectu: non enim aeternaliter creavit res; sed non congruit nomen otiositatis Deo attribuere. Similiter illud verbum quod dicit Augustinus, in libro[d] *De civitate Dei*[2], ex quorumdam opinione, « bonitatem », scilicet Dei, « nunquam fuisse vacuam », si intelligatur ratione aeternae generationis et huiusmodi, verum est; si vero ratione effectuum in creaturis, non est verum, nisi haec dictio « nunquam » respiciat tempus: tempore enim vel principio temporis existente bonitas Dei nunquam vacua fuit ab effectibus.

Quod autem dicitur ab Augustino, in XII *De civitate Dei*[3], quod semper fuerunt angeli[e] et ita ante caelum et terram, sic intelligendum est, non quod « semper » dicat[f] ' semper aeternitatis ', sed ' semper aevi vel temporis '. Unde Augustinus, ibidem: « Deus semper fuit aeternitate immutabili, isti autem facti sunt, sed ideo semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt, sine quibus tempora nullo modo esse potuerunt ». Et iterum: « Sicut dicimus creatum tempus semper fuisse, quia omni tempore tempus fuit, ita non est consequens[g] ut si semper fuerunt[h] angeli, ideo non sint creati, ut propterea semper fuisse dicantur, quia omni tempore fuerunt ».

Quod autem dicitur: *Prior omnium*[i] *creata est sapientia,* si intelligatur de angelica creatura[k] propter rationem eius quod est ' creatum ', non intelligendum est quod prior tempore caelo et terra sit creata, sed prior dignitate, ratione suae incorporeitatis et suae separationis a corporibus; unde Augustinus, XI *De civitate Dei*[4]: « Angelica creatura est quae omnia, quae Deus condidit, naturae dignitate praecedit ». Vel dicitur *prior omnium,* quia prima inter creaturas, eo quod cum caelo creetur, vel quia primo die sit facta, secundum quod nomine lucis spiritualis intelligitur[5].

Similiter illud quod dicitur in Iob 40,14: *Ipse est*[l] *principium viarum Dei,* attendendum est *principium,* secundum iam dictam rationem, vel ratione dignitatis vel ratione temporis, eo quod inter angelos hunc primum dignitate condiderit. Unde Gregorius[6]: « Principium actionum Dei *behemoth* dicitur, quia cum tanta crearet, hunc primum condidit, quem eminentiorem reliquis angelis fecit »; et hoc ad dignitatem pertinet. Cum angelis[m] vero primus dicitur conditus tempore, quia, secundum quorumdam Sanctorum opinionem[7], primo die conditus est, et intelligunt[n] prioritatem diei[o] ad diem prioritatem temporis. — Nec hoc est contrarium quod ibidem dicitur[8]: *Ecce behemoth, quem feci tecum;* non enim intelligitur secundum B. Gregorium de unitate temporis, sed cognatione rationis. Unde Gregorius[9]: « Cum homine factus est, non unitate temporis, sed cognatione[p] rationis, quia in cuncta rerum natura nullum rationale animal est nisi angelus et homo; quidquid ratione uti non potest, cum homine factum non dicitur ».

CAPUT II. 100

UTRUM ANGELI CONDITI SINT IN NATURALIBUS TANTUM VEL ETIAM IN GRATUITIS.

Secundo quaeritur an conditi sint in naturalibus tantum vel[q] etiam in gratuitis[10].

Quod etiam[r] **[in gratuitis] auctoritatibus et rationibus probatur.** *a.* Dicit enim[s] Augustinus,

---

[a] STLC *autem.* [b] T om. [c] Ita V, alii *sit.* [d] V om. *i. l.* [e] T om. [f] V om. *s. d.* [g] TZ *conveniens.* [h] S *sunt,* R *fierent.* [i] V *omni,* T *omnia.* [k] Ita V, alii om. [l] RL om., in C est add. interl. [m] V *angelus.* [n] V *intelligit.* [o] V *dici,* quod S corr. [p] S *cogitatione.* [q] V *an.* [r] Ita V, alii om. [s] R om.

1 Nempe a Gregorio M., Hieronymo, Beda aliisque pluribus. Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 12, c. 2 (p. 359).

2 Lib. XII, c. 17, n. 1 (PL 41, 366).

3 Cap. 15, n. 2 (PL 41, 364 sq.), ubi et duo sequentes loci.

4 Cap. 15 (PL 41, 331).

5 Cf. Augustin., loc. cit., cc. 9 et 33 (PL 41, 324, 346).

6 *Moral.*, XXXII, c. 23, n. 48 (PL 76, 664). Cf. *Glossa ordin.*, in h. l., ap. Lyran.

7 Cf. supra, p. 122, nota 12.

8 Iob 40, 10.

9 Loc. cit., c. 13, n. 18 (PL 76, 645). Cf. *Glossa ordin.*, in h. l., ap. Lyran.

10 Cf. Praeposit., *Summa,* II (f. 88c); Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 1, c. 1 (f. 38a sqq.); Philip. Grev., *Summa,* II (f. 72a), apud quem varia argumenta hic allata occurrunt; S. Bonav., II *Sent.*, d. 4, a. 1, q. 2 (II, 132 sqq.).

in libro *De civitate Dei*, XII[1]: « Bonam[a] voluntatem quis fecit? nisi ille qui eos cum[b] bona voluntate, id est cum amore casto quo[c] illi adhaererent, creavit, simul in eis condens naturam et largiens gratiam ».

b. Item, Augustinus, in libro *De correptione et gratia*[2]: « Angeli beati erant antequam caderent, eratque quod adhuc eorum beatitudini adderetur, si perstitissent, donec summae beatitudinis plenitudinem tamquam praemium permansionis susciperent ». Ex quo arguitur, cum beatitudo non sit sine gratia, quod ipsi erant non tantum in naturalibus creati, sed etiam in gratuitis.

c. Item, Ioannes Damascenus[3], loquens de angelis dicit: « Per Verbum Dei creati sunt omnes angeli et a Spiritu Sancto per sanctificationem perfecti, secundum proportionem dignitatis et ordinis illuminatione et gratia participantes ».

d. Item, Damascenus[4]: « Lumen creatus est a Conditore et bonus factus est ».

e. Item, Augustinus, *De fide ad Petrum*[5]: « De angelis hoc disposuit et implevit ut, si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eum divino munere repararet ».

f. Item, rationibus potest ostendi[6]: Cum enim angeli creati essent in statu, in quo aliqua lege naturae adstricti erant, poterant demereri transgrediendo legem illam; ergo[d] per oppositum implendo quod legis erat, poterant mereri; sed mereri non poterant nisi habendo gratiam gratum facientem; ergo conditi erant non tantum in naturalibus, sed etiam in gratuitis.

g. Item, in mente angelica scriptum est praeceptum dilectionis divinae; cum praecepto autem datum est adiutorium implendi: nihil enim repugnans erat ex parte recipientis nec defuit bonitas divina suae creaturae; sed adiutorium illud[e] non est nisi gratiae; ergo conditi sunt cum gratuitis.

h. Item, arguitur ex hoc quod dicit Augustinus, in libro *De fide ad Petrum*[7]: « Creavit eos ut prae se ipsis illum diligerent, cuius se tales creatos opere cognovissent[f] ». Sed non poterant diligere ipsum prae se nisi gratia elevante naturam; ergo habuerunt gratiam a principio creationis.

i. Item, sumitur ratio a minori: Si enim homo, qui non habet tantam similitudinem naturae, conditus est in gratuitis, multo fortius angelus conditus fuit in gratuitis. — Quod autem homo conditus fuerit in gratuitis, accipitur ex hoc quod dicitur super illud Luc. 10,30: *Spoliaverunt eum* etc.: « Per hominem enim illum intelligitur Adam[8] »; vulneratus ergo fuit in naturalibus et spoliatus gratuitis[9]; ergo habuit gratuita.

k. Item, si de angelo cadente verum est quod conditus fuit in gratuitis, multo fortius vel aeque est verum de aliis; sed de ipso dicitur sub figura, Ezech. 28,12: *Plenus sapientia et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti;* sed deliciae paradisi spiritualis sunt gratiae; ergo fuit conditus in gratuitis; pari ergo ratione vel ampliori boni angeli erant conditi[g] in gratuitis.

Contra: 1. Augustinus, *Super Genesim*[10], dicit[h] quod angelica natura primo erat informiter creata et caelum dicta, deinde dicit eam formatam et lucem appellatam; haec autem formatio est in conversione ipsius angeli ad suum Conditorem, quae conversio est per gratiam; ergo non primo, cum creati sunt, conditi sunt in gratuitis.

2. Item, si gratiam habuissent gratum facientem, qua ratione unus converteretur ad Deum meritorie, eadem ratione alter converteretur; ergo si quidam stetissent, pari ratione et alii.

3. Item, dicit Augustinus, in *Enchiridion*[11]: « Sic[i] factus est homo rectus ut manere in ea[k] rectitudine posset non sine divino adiutorio, et suo fieri perversus arbitrio »; sed haec rectitudo fuit gratiae gratis datae[l] ipsi naturae. Si vero habuisset gratiam gratum facientem, ex adiutorio illius gratiae posset manere in illa rectitudine; ergo non habuit homo a principio adiutorium gratiae gratum facientis; ergo nec angelus.

4. Item, creati erant in tali statu, in quo indifferentes essent ad bonum et ad malum, ut si vellent converterentur, si vellent averterentur[12]; sed haec indifferentia est naturalium, non gratuitorum; ergo angeli conditi erant tantum in naturalibus.

[Solutio]: Ad quod dicunt quidam[13] quod[m] angeli creati erant in naturalibus et conditi in[n] gratuitis.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem in contrarium primo, dicunt quod non est contrarium quod primo creata fuit angelica natura informis et postea, formata[o], facta est lux. Secundum

---

[a] V *bonum.* [b] C om. [c] V *cum.* [d] V om. [e] STZ *istud.* [f] R *cognovisset.* [g] S *conditione.* [h] ST om. [i] Z *sicut.* [k] R om., V *eadem.* [l] V om. [m] S om. [n] S *ad.* [o] V add. *fuit.*

1 Cap. 9 (PL 41, 357). 2 Cap. 10, n. 27 (PL 44, 933).
3 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).
4 Loc. cit., c. 4 (PG 94, 875).
5 S. Fulgent., c. 3, n. 32 (PL 40, 763).
6 Cf. Praeposit., *Summa*, II (f. 88d.); Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 1, c. 1 (f. 38a).
7 S. Fulgent., c. 3, n. 31 (PL 40, 763).
8 Cf. *Glossa ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
9 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 35, c. 4 (p. 497).
10 *De Gen. ad litt.*, I, cc. 1-5, 9, 17 et IV, c. 22 (PL 34, 247-250, 251-253, 258 et 311 sq.).
11 Cap. 107 (PL 40, 282).
12 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PL 94, 867).
13 Cf. Praeposit., loc. cit. (f. 88d).

enim opinionem Augustini[1] hic 'prius' et 'posterius' non referuntur nisi ad ordinem naturae, non ad ordinem temporis, et sic [a] simul creati sunt in naturalibus et conditi in gratuitis. Secundum autem opinionem aliorum Sanctorum 'prius' et 'posterius' dicitur [b] in tempore, et sic prius erant creati in naturalibus et post in gratuitis conditi. Aliqui[2] tamen, qui illud opus primae diei de ipsa luce facta referunt [c] ad confirmationem — unde divisio lucis a tenebris est separatio confirmatorum in bono a [d] confirmatis in malo — dicunt angelicam naturam esse informem, quia nondum habuit confirmationem, sed non dicunt esse informem, quia non habuit formam gratiae, et hoc modo simul creati erant in naturalibus et gratuitis. Quantum ergo ad duas opiniones sustineri potest nec est contrarium quod dicit Augustinus, quia non intelligitur [e] de hoc quod est prius et posterius tempore, sed natura sive origine.

2. Ad secundum dicendum quod, licet angeli boni et qui nunc sunt mali sint conditi in gratuitis, nihilominus remanebat apud eos libertas arbitrii, secundum quam illi poterant persistere in gratia ex dono Dei et isti cadere a gratia, et hoc non fuit ex parte gratiae, sed ex parte voluntatis, cuius erat persistere in bono vel cadere a bono. Et est similis responsio responsioni Augustini[3], qua [f] respondet obiectioni factae de [g] duobus qui pares sunt in omnibus praeter hoc quod unus resistit peccato et alter cadit in peccatum; dicit enim quod hoc est ex [h] ipsa libera voluntate, quae facit quod in se est ut ad bonum convertatur vel deficit a bono ad quod posset converti: sicut enim est in hominibus duobus, quorum uterque [i] habet gratiam, unus cadit per peccatum, alius vero non cadit, ita potuit esse in angelis.

3. Ad tertium dicendum quod, licet homo vel angelus factus sit rectus, non tantum rectitudine naturae, sed rectitudine gratiae, non tamen ex illa rectitudine accepit perseverantiam, sicut ostendit Anselmus[4]. Sicut enim homo, etsi habeat gratiam gratum facientem, non tamen habet donum perseverantiae, quo non possit cadere a bono, habet tamen donum gratiae, cui si adhaereat, manebit in bono: ita angeli, licet haberent gratiam gratum facientem, non tamen habuerunt donum perseverantiae quo in bono confirmarentur, sed habuerunt donum gratiae quo in bono [k] possent permanere.

4. Ad ultimum dicendum quod, licet creati essent secundum quamdam indifferentiam ad bonum et malum, hoc modo ut possent scilicet converti et averti si vellent, tamen poterant et ii et illi habere gratiam. Licet enim gratia inclinet liberum arbitrium ut convertatur ad bonum, nihilominus tamen sibi relinquitur ut adhaereat gratiae sequendo eam vel repellat eam cadendo in peccatum.

Alii[5] vero sustinent aliam [l] partem, exponentes auctoritates, quae expresse loquuntur de gratia, pro [m] gratia gratis data.

[Ad obiecta]: *f.* Ad id vero quod obicitur quod liberum arbitrium erat in tali statu, in quo potuit transgredi praeceptum, propter [n] quod etiam erat in statu in quo [o] poterat implere: dicendum est secundum hoc quod non est simile. Transgredi enim est ex ipso libero arbitrio creato de se, implere vero est ex libero arbitrio informato per gratiam; potuit tamen facere quod praeceptum erat, sed ad hoc quod meritorium esset, requirebatur gratia gratum faciens, quam habere poterat si se inclinaret.

g-h. Similiter responderi posset ad hoc quod obicitur de dilectione per auctoritatem Augustini, in libro *De fide ad Petrum.* Ad hoc enim « creavit ut prae se Deum diligeret », nec tamen oportet quod in creatione sit datum ut prae se Deum diligat et super omnia cum ceteris circumstantiis quae requiruntur ad motum caritatis. — Si vero obiceretur quod si [p] in solis naturalibus creatus esset angelus, non posset mereri confirmationem ex illo statu: respondendum est quod ex illo statu non mereretur [q] confirmationem nisi superadderetur gratia; unde secundum hoc oporteret ponere triplicem statum: naturae, gratiae et confirmationis. Respondendum est secundum hoc quod hoc non videbitur inconveniens: natura enim inclinatur ad gratiam, gratia vero meretur confirmationem; quod in rationali creatura manifestum est.

i. Ad id vero quod obicitur per similitudinem de homine, responderi potest idem de homine [r] et angelo. Unde sicut auctoritates, quae loquuntur de gratia [s] data angelis a principio, exponuntur de gratia gratis data secundum hanc opinionem, ita auctoritates, quae inveniuntur de homine, possent secundum eamdem rationem exponi.

k. Ad illud quod obicitur quod [t] de angelo dicitur, Ezech. 28, 12, in paradiso: *In deliciis paradisi,* etc., dicendum quod istud intelligitur de

---

[a] S *si.* [b] S *dum.* [c] V *referuntur.* [d] S *in bono* pro *c. i. b. a.*; V *a* pro *in.* [e] Z *intelligit.* [f] T *quia.* [g] T *ex.* [h] Z *de.* [i] V *utrumque.* [k] R om. *confirmarentur... bono.* [l] ST *alteram.* [m] V *vel*, T *per.* [n] Ita ST, alii *semper.* [o] C om. *potuit transgredi... quo.* [p] STL om. [q] Ita V, alii *meretur.* [r] L om. *r. p. i. d. h.* [s] R add. *gratis.* [t] C om.

1 Cf. supra, num. 99.
2 Cf. Praeposit., *Summa,* II (f. 88d).
3 Cf. *De civit. Dei,* XII, c. 6 (PL 41, 354).
4 Cf. *De casu diaboli,* cc. 2 et 3 (PL 158, 328 sqq.).
5 Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 1, c. 1 (f. 38a): « Prepositinus et multi alii dixerunt quod angeli creati fuerunt in naturalibus et gratuitis ... Nobis magis placet via communis, scilicet quod non habuerunt gratuita ».

gratia gratis data. — Et si quaeratur propter quid ratione talium gratiarum dicatur fuisse *in deliciis paradisi:* dicendum est quod hoc fuit ratione status innocentiae, in quo attenditur quasi [a] quaedam beatitudo.

Videtur autem melius dictum quod nunquam habuit gratiam gratum facientem, hac ratione: natura rationalis naturaliter semel vertibilis est de se, non pluries, nisi ex unione cum aliquo alio [b], sicut est de anima rationali, quae, separata a corpore, necessario permanet in statu in quo erat ante separationem. Unde angelica natura semel vertibilis est; unde semel aversa a Deo semper permanet in aversione, conversa ad Deum semper permanet in conversione; sed constat quod angelus, habens gratiam gratum facientem, non potest non [c] converti ad Deum, conversus semel non potest [d] aversus esse. Ex quo patet quod angeli apostatae nunquam habuerunt gratiam gratum facientem.

CAPUT III.

DE LOCO IN QUO ANGELI CREATI SUNT.

Tertio quaeritur de loco in quo angeli creati sunt.

Circa quod quaeritur:

Primo, si necesse fuit esse locum corporalem in quo crearentur;

secundo [e], si fuit convenientia quod fuit illud corpus, utrum caelum empyreum vel aliquod aliud corpus;

tertio [f], si fuit caelum empyreum, qua ratione dicitur esse repletum angelis.

101

ARTICULUS I.

Si necesse fuit esse locum corporalem in quo crearentur angeli [1].

Ad primum sic obicitur: 1. Angelus est substantia incorporea, non indigens corpore in suo esse [2]; substantia vero quae non indiget corpore in suo esse, non indiget corpore in suo fieri: similiter enim se habet ad esse et ad fieri; ergo angelus non indiget loco in suo fieri; sed suum fieri est creari; ergo angelus non indiget loco in sua creatione.

2. Item, angelica substantia habet quemdam motum sive actionem, quae non determinatur loco [g]; sed nobilior est essentia rei quam [h] suus motus vel actio; ergo essentia eius in suo fieri non indiget loco. — Quod autem motus eius sive actio non determinetur loco, patet per Augustinum, *Ad Orosium* [3], dicentem quod spiritus increatus movet spiritum creatum per tempus, et non per locum: contingit enim reminisci praeteritorum et intueri praesentia sine loci determinatione, qui pertineat ad motum [i] reminiscentiae vel motum contuitionis, et ita motus substantiae spiritualis potest esse non per locum [4]; multo fortius ergo ipsa substantia in eius [k] creatione non indiget loco.

3. Item, si non esset corpus, nihilominus substantia spiritualis separata quamdam assimilationem haberet ad Primum; cum ergo bonitas Dei esset supereffluens [l], etsi non esset corpus, nihilominus crearet angelum ad suae bonitatis in creatura declarationem [5]; sed hoc existente, non esset creatio angeli in loco — et intelligitur de creatione qua creatus est, non de [m] creatione-actione ipsius Creatoris — ergo angeli non indigent loco in quo fuerunt creati.

4. Item, locus, qui est de necessitate ad fieri alicuius rei, dicitur principium generationis illius rei; sed corpus, cum sit ignobilius, non est principium fieri ipsius rei nobilioris, scilicet substantiae incorporeae quantum est de se separatae a corpore; ergo non indiget angelus corpore tamquam loco suae creationis.

Contra: *a.* Dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [6], quod « solus spiritus increatus

---

[a] ST *scilicet*, V add. *scilicet*. [b] C *modo*. [c] C *potest* pro *n. p. n.* [d] V add. *non*. [e] Ita V, alii om. [f] Ita V, alii om. [g] ST om. [h] L *quem*; T *suis* pro *suus*. [i] Z *locum*. [k] L add. *in*. [l] Z *superaffluens*. [m] Ita V add., alii om.

[1] Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 2, c. 4 (p. 315); Philip. Grev., *Summa*, II (f. 15cd), ubi hanc et duas sequentes quaestiones tractat; S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 2, a. 2, q. 1 (II, 75 sqq.).

[2] Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 866).

[3] Cf. *Dialog. quaest. 65*, qq. 40 et 41 (inter opp. Augustini PL 40, 746); *De Gen. ad litt.*, VIII, c. 20, n. 39 (PL 34, 388).

[4] Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 1; *De caelo*, IV, c. 3 (II, 273, 427).

[5] Cf. Gennad., *De eccl. dogm.*, c. 10 (PL 42, 1215).

[6] Cap. 18 (inter opp. Augustini PL 40, 793).

est incircumscriptus », spiritus vero creati loco [a] circumscribuntur [1]; sed illa quae circumscribuntur loco, proportionem habent ad locum.

b. Item [b], dicit Augustinus [c], *De ecclesiasticis dogmatibus* [2]: « Ex eo corporeas dicimus intellectuales naturas, quod loco circumscribuntur »; et similiter B. Bernardus, *Super Cantica* [3]: « Liquet omnem spiritum creatum corporeo indigere solatio ». Quod si est, erit proportio spiritus angelici ad corpus aliquod, ratione cuius dicentur [d] angeli creati esse in loco.

c. Praeterea, non omnia corpora aequalis sunt dissimilitudinis respectu ipsius spiritus angelici, sed quaedam minus elongantur et quaedam minime: sunt enim quaedam corpora opaca et sunt [e] quaedam corpora transparentia et sunt quaedam luminosa; « angeli vero », sicut dicit Dionysius [4], « sunt lumina intellectualia »: est enim summa lux intellectualis, a qua descendunt lumina creata [5]; corpora ergo luminosa minime distant in ordine rerum a luminibus intellectualibus; cum ergo extra mundum nec sit operatio [f] nec sit essentia, convenit ut lumina intellectualia in corpore luminoso collocentur.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod angeli licet secundum essentiam suam non dependeant a loco corporali, est tamen [g] quaedam convenientia angelorum cum [h] corporibus quibusdam, sicut dicit B. Bernardus, in 5 homilia *Super Cantica*, ratione ministerii et cuiusdam congruentiae in universo. Quod enim ratione ministerii, dicit B. Bernardus, in illa homilia [6]: « Inferior superiorque spiritus propriis corporibus egent, sed tantum quibus iuvent, non iuventur [i]; sed pecus quidem ex debito servitutis et usus tantum temporalium corporaliumque necessitatum iuvando servit, ideoque ille spiritus et cum tempore transit et cum corpore deficit; angelus vero curat in libertate [k] spiritus administrare officium pietatis, sese ministrum exhibens mortalibus, utpote suis in aeternum futuris civibus et coheredibus aeternae iucunditatis ». Ex hoc patet et multis aliis rationibus quas ibi ponit, de quibus infra dicetur in Tractatu de assumptione corporum [7], quod angeli habent convenientiam ratione ministerii cum corporibus. — Ratione etiam [l] congruentiae in universo. Habent enim corpora suos ornatus; inter vero istos ornatus est lux spiritualis et corporalis, quae inter se habent convenientiam. Unde super illud [8]: *Et usque ad nubes veritas tua*, dicit Glossa [9]: « Caeli supra nubes sunt, in quibus caelis est sedes angelorum ». Unde quasi quaedam congruentia est in universo inter lumina intellectualia et lumina corporalia.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum dicendum est [m] quod, licet angelus non indigeat corpore ad sui esse et possit sine loco corporali creari [n], nihilominus tamen ratione dictae congruentiae in parte universi magis convenienti [o] collocatur.

2. Ad secundum [p] dicendum quod, cum angelus duplicem habeat actum, contemplationis et ministerii, ratione actus contemplationis, sicut dicit B. Bernardus, in praedicta homilia [10], non requirit corpus, ratione vero actus [q] ministerii requirit. Unde illa ratio non concludit aliud nisi quod angelus ratione suae essentiae non dependet [r] a corpore nec requirit corpus.

3. Ad tertium [s] dicendum quod, sicut ibi concluditur, etsi non esset corpus, nihilominus posset creari angelus et in suo esse subsistere [t]. Unde non propter hoc dicitur locus creationis, quia in ipsa creatione necessarius sit locus, sed quia creatum a principio suae conditionis ibi convenienter est collocatum [u].

4. Ad quartum dicendum quod locus in quibusdam rebus corporalibus dicitur principium generationis, in incorporalibus vero [v] non est principium generationis, sed potest esse principium aliquorum corporum, in quibus et cum quibus uniantur substantiae incorporeae [x]; unde, cum [y] substantia incorporea separata est a corpore in esse, non requirit locum corporalem, qui est principium generationis, cum nullum habeat corpus cui uniatur sicut forma materiae.

---

[a] T *vero*. [b] STL *idem*. [c] V add. *in libro*. [d] T *diceretur*. [e] V om. [f] V om. *n. s. o.* [g] R om. [h] V *est*. [i] R om. *n. i.*, T om. *iuvent*. [k] T *libertatem*. [l] T om., VS *autem*, L *enim*. [m] Ita V, alii *Ad obiecta ergo dicendum* pro *Ad... est*. [n] R *terminari*. [o] R *congruenti*. [p] Ita V, alii add. *vero*. [q] Ita V, alii om. [r] S *detendet*. [s] Ita V, alii add. *vero*; S *sic* pro *sicut*. [t] V *persistere*. [u] V *collocatus*. [v] RZ (corr.) om. [x] TRL *in corpore*. [y] RLZ *quia*, ST om. *unde*.

1 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).
2 Gennad., c. 12 (PL 42, 1216).
3 *Sermo* 5, n. 6 (PL 183, 800).
4 Potius Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 868). Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 4, § 2 (PG 3, 696, PL 122, 1129); *De cael. hier.*, c. 3, § 2 (PG 3, 165, PL 122, 1044sq.).
5 Cf. Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 4, § 4 (PG 3, 698, PL 122, 1130); Iac. 1, 17.
6 Num. 2sq. (PL 183, 799).
7 Cf. infra, num. 183-193.
8 Psalm. 56, 11.
9 Lombardi, in h. l. (PL 191, 532), ex Augustino, in h. l. (PL 36, 672).
10 Cf. supra, nota 3.

102 ARTICULUS II.

Utrum locus creationis angelorum fuerit caelum empyreum [1].

Secundo quaeritur [a], supposito quod fuerit convenientia locum esse corporalem in quo conditi essent angeli, quod fuit illud corpus.

Fuerunt autem [2] qui dicerent creari in caelo empyreo propter hoc quod [b] illud caelum est supremum caelorum [c] et nobilissimum. Unde dicit Strabus [3]: « Caelum non visibile firmamentum hic appellat, sed empyreum, id est igneum vel [d] intellectuale, quod non ab ardore, sed a splendore dicitur, quod, statim factum, repletum est angelis ». Et Isidorus [4] dicit in distinctione caelorum, et [e] Glossa [5] super illud Deuter.: *En Domini Dei tui est caelum et caelum caeli,* quod supremum caelum est caelum angelorum; Ioannes vero Damascenus [6] vocat illud caelum « continentiam visibilium et invisibilium », eo quod ipsum est supremum.

Quod autem non sint creati in illo caelo, videtur 1. per hoc quod dicitur Isai. 14, 13: *Ascendam in caelum et similis ero* [f] *Altissimo;* sed ascensus dicitur esse [g] respectu superioris loci eo in quo creatus est; ergo non fuit creatus in supremo loco; sed caelum empyreum supremus locus est; ergo non fuit creatus in caelo empyreo; pari ratione nec alii angeli.

2. Item, Augustinus, *Super Genesim ad litteram,* III libro [7]: « Superior pars aëris propter puram tranquillitatem caelo, cui collimitatur, communi pace coniungitur et eius vocabulo nuncupatur [h], in qua fortassis parte, si fuerunt ante transgressionem suam angeli transgressores cum principe suo, nunc diabolo, tunc archangelo, non mirum est si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem ». Ex quo videtur accipi quod illi [i] angeli creati fuerint in suprema et purissima parte aëris quae caelum empyreum [k] dicitur; pari ratione et alii angeli.

3. Item, dicit Ioannes Damascenus [8], loquens de angelis cadentibus: « Ex iis angelicis virtutibus, qui praeerat [l] terrestri ordini et cui terrae custodia a [m] Deo commissa erat, non natura malus factus [n], sed bonus existens et in bono genitus, liberi arbitrii sui electione versus est ab eo quod est secundum naturam in id quod est praeter naturam ». Si ergo custodia terrae deputata fuit illis angelis, convenit autem custodes approximari suae custodiae, angeli ergo illi loco approximati erant terrenae habitationis; sed caelum empyreum remotissimum est a terrena habitatione; ergo in initio creationis non conveniebat illos ibidem collocari.

Ad contrarium vero [o] videtur facere auctoritas et ratio. *a.* Dicitur enim in Psalmo 103, 26, super illud: *Draco iste, quem formasti* [p], Glossa [9]: « Secundum substantiam formasti, in qua bonus erat et [q] in empyreo locatus ».

b. Ad idem facit quod dicitur in [r] Ezech. 28, 14: *Posui te in monte sancto Dei,* Interlinearis [10]: « In paradiso, tertio scilicet caelo, ad quod Paulus raptus est [11] »; sed alibi [12] dicitur quod ‘ tertium caelum ’ caelum [s] fuit empyreum; ergo positus fuit in caelo empyreo ab initio suae creationis: de illa enim positione [t] loquitur ibi.

c. Hoc idem ratione potest persuaderi [u]: Cum enim corpora sint ordinata et sit finitas in corporibus, erit aliquod supremum corpus; illud supremum corpus [v] vocatur empyreum. — Quod enim sit corpus, patet ex auctoritate Strabi et Bedae, qui, in Glossis [13] super principium [x] Geneseos, de hoc loquuntur; sed supremum caelum est nobilius inter corpora; si ergo aliquod corpus congruat habitationi angelorum, illud erit supremum; ergo caelum empyreum convenit ut sit eorum habitatio.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod [y] secundum praedictas auctoritates angeli creati in caelo empyreo sunt primo collocati.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem primo in contrarium dicendum [14] est quod ascensus iste [z],

---

[a] V add. *utrum;* T *supponendo* pro *supposito.* [b] VSTL om. [c] T *celum.* [d] V *non.* [e] Codd. *in.* [f] T add. *in.* [g] V om., T om. *respectu.* [h] V om. *e. e. v. n.* [i] T add. *cum.* [k] Ita V, alii *ethereum.* [l] Z *preerent,* alii *preerant.* [m] V om. [n] V om. [o] RLCZ om. [p] L *fecisti,* quod R exp. [q] T om. [r] Z om. [s] VC om. [t] V om. [u] T *probatur* pro *p. p.* [v] S om. *i. s. c.* [x] C om. [y] VSTC om., in L est add. interl. [z] RLCZ *ille.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 2, p. 2, a. 2, q. 1 et a. 1, q. 1 (II, 75, 70 sqq.).

[2] Damascen., *De fide orthod.,* II, c. 3 (PG 94, 874); Lombard., II *Sent.,* d. 2, c. 4 (p. 315) et alii mox citandi.

[3] *Glossa ordin., In Gen.,* c. 1, 1 (PL 113, 68).

[4] Cf. *De ordine creat.,* c. 3, n. 3 (PL 83, 920).

[5] *Glossa ordin., In Deuter.,* 10, 14, ap. Lyran, in h. l.

[6] *De fide orthod.,* II, c. 6 (PG 94, 879).

[7] Cap. 10, n. 14 (PL 34, 285).

[8] *De fide orthod.,* II, c. 4 (PG 94, 874sq.).

[9] Lombardi, in h. l. (PL 191, 941).

[10] Ap. Lyran., in h. l.

[11] Cf. II Cor. 12, 2-4.

[12] Cf. *Glossa ordin., In Deuter.,* 10, 14, ap. Lyran.

[13] Strabus, *Glossa ordin.,* in h. l. (PL 113, 68); Beda, *Hexaëm.,* I, (PL 91, 13).

[14] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 2, p. 2, dub. 2 (II, 85).

de quo dicitur in Isai.: *Ascendam in caelum* etc., non fuit ascensus corporeus, sed loquitur metaphorice, ut ascensus dicatur affectus rei excelsioris re illa quam habet. Unde affectus sive appetitus aequiparantiae divinae secundum quemdam modum dicebatur ascensus; si enim volebat ascendere ad caelum Trinitatis, hoc non erat ut de loco inferiori ascenderet ad superiorem, sed quod appetebat non esse sub alio et propriae potestatis esse: quod soli Deo convenit; caelum etiam Trinitatis non est corpus et non est aliud quam ipsa Trinitas; non tamen appetebat Lucifer esse eiusdem substantiae cum Patre, quomodo est Filius et Spiritus Sanctus. De affectu autem eius sive appetitu infra dicetur in proprio Tractatu [1].

2. Ad secundum vero dicendum quod id quod dicit Augustinus, in III libro *Super Genesim,* opinando dicit; unde addit dubitationis signum, dicens « fortasse », et cum hac coniunctione « si », quae notat similiter [a] dubitationem. Et hoc accipit ex hoc quod quidam philosophi [2] dicebant daemones habere [b] aërea corpora et angelos similiter, ratione quorum corporum conveniebat eis [c] ratio aëris vel in [d] superiori parte, sicut bonis, vel in inferiori [e], sicut malis.

3. Ad tertium [f] dicendum quod illud quod dicit Damascenus de custodia terrestris ordinis, non cogit dicere quod fuerint in loco propinquo terrenae inhabitationi, cum creati fuerint. Angeli enim [g], existentes in caelo, sunt custodes hominum qui sunt habitatores terrae; distantia autem localis huiusmodi non impedit quin possint cognoscere ea quae aguntur [h] in terra secundum quod accipiunt [i] a Verbo aeterno; vel ratione etiam perspicacitatis naturalis possunt etiam quaedam cognoscere praesentia, quae tamen remota sunt in loco.

ARTICULUS III. 103

Qua ratione dicatur caelum empyreum repletum angelis.

Tertio quaeritur de hoc quod dicitur caelum empyreum « sanctis angelis esse repletum [3] », et dicuntur sancti angeli vel propter bonitatem innocentiae vel [k] propter sanctitatem gratiae, non quia adhuc essent confirmati.

Videtur autem quod non convenienter dicatur caelum esse repletum: 1. Illud enim dicitur replere aliud, cuius pars occupat partem et alia pars aliam, ut non sit vacuum [4]; sed angeli, cum sint substantiae incorporeae, non habent partem et partem quantitativam; ergo non sunt repletivi loci [l] corporalis.

2. Praeterea, repletum dicitur illud cuius plenitudini non potest fieri additio [5]; sed caelum empyreum non fuit sic repletum angelis ut ei nulla posset fieri additio: possent enim creari alii angeli et in caelo empyreo collocari.

3. Item, repletio corporis, quam facit angelus, non est ad modum corporis replentis aliud corpus, sicut aqua replet vas, nec sicut anima replet corpus, ut tota sit in toto corpore et extra non possit esse sicut forma alterius corporis: non enim angelus est forma corporis quod replet; nec sicut Deus dicitur replere mundum, Ierem. 23,24: *Caelum et terram ego impleo:* haec enim impletio [m] est, quia essentialiter est in rebus, conservans res in esse [6]. Quo ergo modo dicitur caelum ab angelis repleri?

4. Praeterea, si caelum dicitur repletum angelis, quibus angelis [n] dicitur repletum? propter illud verbum quod dicit Beda [7]: « Mox ut caelum creatum est, ab [o] angelis sanctis repletum est ». Aut enim [p] intelligitur hoc de angelis communiter aut tantum de bonis. — Quod non de angelis bonis tantum, videtur: nondum enim facta fuit divisio lucis a tenebris, in qua [q] divisione intelligitur divisio sanctorum angelorum a reprobis [8]. — Si vero intelligatur de angelis communiter, tam ii quam illi [r] dicebantur caelum replere; ergo cadentibus malis angelis, ad hoc quod non esset vacuitas in caelo, essent alii angeli substituendi: repletio enim illa aliquid faciebat in caelo; ergo defectus plenitudinis esset quaedam imperfectio; non autem convenienter dicitur quod nobilissimum corpus et supremum imperfectionem haberet [s] in esse vel in bene esse, cum inferiora corpora obtinuerint perfectionem utroque modo.

---

[a] RLCZ om. [b] T om. [c] T om. [d] T om. [e] C add. *parte,* TC om. *in.* [f] Ita VZ, alii add. *vero.* [g] T om. [h] T *agunt.* [i] VZ *accipiuntur.* [k] T *ut.* [l] L *locis,* quod R corr. [m] S om. *h. e. i.* [n] VST om. *q. a.* [o] V om. [p] T *non.* [q] L *quo.* [r] V *alii.* [s] V *habuisset.*

1 Cf. infra, num. 163-176.

2 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* III, c. 9, n. 13 (PL 34, 284).

3 Cf. infra, n. 4, et p. 128, nota 3.

4 Cf. Aristot., *Phys.,* IV, c. 6 (II, 292).

5 Cf. Aristot., loc. cit.

6 Cf. Damasc., *De fide orthod.,* I, c. 13 (PG 94, 851); Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 46.

7 *Hexaëm.,* I (PL 91, 13).

8 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* I, c. 17 (PL 34, 258 sq.); *Contra Faustum,* XXII, c. 10 (PL 42, 405); Lombard., II *Sent.,* d. 13, c. 2 (p. 364).

5. Praeterea, ex hoc quod dicitur quod caelum, statim ut factum est, repletum est angelis, aut ita intelligitur quod angeli prius essent facti sine loco et postea [a] illum locum repleverint — quod non videtur, eo quod nihil sit creatum ante caelum et terram, sicut habetur ex una expositione [1] eius quod dicitur [2]: *In principio creavit Deus caelum et terram* — aut posterius facti sunt: et hoc non videtur ex ipsa intentione auctoritatis [3], quia dicitur quod « caelum statim repletum est, ut factum est »; unde videtur designare quod tempus non interciderit. Ex quo derelinquitur quod simul creati sunt cum caelo. Sed videtur per simile quod hoc non sit verum: prius enim facta est habitatio, in qua debebant homines habitare, quam homines qui debebant habitare; similiter prius facta est habitatio volatilium quam ipsa volatilia et sic de aliis; ergo videtur quod conveniat caelum prius fieri tamquam habitationem et postea angelos tamquam habitatores.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod caelum empyreum dicitur repletum angelis propter ipsam sufficientiam et congruitatem ornatus; sufficientia [b] autem dicitur esse secundum numerum eorum qui ordinati sunt ad Deum.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur de repletione, dicendum [c] quod non accipitur repletio eo modo quo corpus dicitur replere aliud corpus: non enim angelus habet partes quantitativas; sed dicitur repletio quoad congruentiam ornatus et sufficientiam ordinatorum a Deo.

2. Ad secundum [d] dicendum quod repletio dicitur caeli, non quia non possit fieri additio — possent enim plures animae glorificari quam fuerit [e] casus angelorum, et ita additio fieret super repletionem iam dictam — sed dicitur repletio, quia de numero angelorum non fiet additio, non quia non possit secundum Dei beneplacitum.

3. Ad tertium dicendum quod non est repletio illa ad modum repletionis corporis nec ad modum quo anima replet corpus nec quo Deus replet mundum, sed quoad sufficientiam illorum [f] angelorum qui immediate Deum contemplantur; non quod alibi non possint Deum contemplari illi qui sancti sunt, sed quia ille locus dicitur convenientior, secundum illud quod dicit Damascenus [4] quod Deus dicitur esse in caelo, quo manifestior est eius operatio; sed dicitur esse repletio quoad sufficientiam in multitudine illius creaturae in specie et quoad ornatum caeli.

4. Ad quartum dicendum [g] quod repletio illa dicitur [de] angelis ipsis creatis, qui tunc habebant sanctitatem innocentiae. Licet autem [h] aliqui postea ceciderint [i], nihilominus erit [k] reparatio illius ruinae angelicae et perficietur numerus quoad animas sanctas quae substituentur, et ita erit omnimoda repletio. — Et si dicatur quod interim sit vacuitas vel imperfectio, quod indecens est corpori nobilissimo: dicendum [l] quod ex hoc nulla est indecentia illi corpori, sed illis angelis qui ceciderunt, sicut si fiat palatium pulcherrimum aliquibus amicis alicuius [m] regis, et illi postea delinquunt, propter quod expelluntur [n], indecentia est expulsis, non palatio a quo expelluntur [o]: remanet enim in sua pulcritudine. Nec legitur in Scriptura Sacra quod caelo empyreo daretur ita ornatus [p] sicut firmamento vel aëri vel aquae vel terrae: cum enim sit uniforme in luminositate, habet suum ornatum in se, a quo non deficiet.

5. Ad quintum dicendum quod creatio angelorum non fuit ante creationem caeli, sed simul cum ipso caelo [q] empyreo. Nec est simile de habitatione humana et angelica: habitatio enim humana secundum quamdam expositionem Sanctorum [5] prius facta est et postea homo qui debebat inhabitare; homo enim propriam habuit formationem de limo terrae; ergo oportuit quod prius esset terra [r]; angelus autem ad sui creationem non indigebat materia praeexistente, nec corporali nec spirituali, et ideo non requirebatur ut caelum prius esset creatum tamquam ex cuius parte fierent angeli. — Et si obiciatur [s] de anima hominis, quae de nihilo facta est: respondendum [t] quod ipsa non dicitur habere habitationem nisi in quadam ordinatione ad suum corpus. Quod enim animae sanctae post separationem a corpore habitant in caelo, hoc non est nisi quia tunc sunt *sicut angeli Dei* [6], sed non est ille locus qui competat ab initio conditionis ipsi animae existenti in corpore: animae enim existenti in corpore habitatio terrena primo deputatur. Nec fingendum est, sicut quidam [7] finxerunt, quod animae sint simul creatae in caelo cum angelis et postea unaquaeque descendat ad corpus terrenum sibi deputatum, sed creando infunditur et infundendo creatur.

---

[a] T *propterea.* [b] C *insufficienter.* [c] Ita V, alii add. *est.* [d] Ita V, alii add. *vero.* [e] VST *fiat.* [f] T *aliorum.* [g] Ita V, ST *vero dicendum est,* RLCZ *vero dicendum.* [h] VST om., T exp.; C *alibi* pro *aliqui.* [i] LCZ *ceciderunt.* [k] Ita L (corr.), alii *erat.* [l] Ita V, alii add. *est.* [m] T *alienus.* [n] Z *expellentur.* [o] R om. *a. q. e.* [p] T *inordinatus* pro *i. o.* [q] T *solo.* [r] V *non.* [s] VZ *obtciebatur.* [t] Ita VT, alii add. *est.*

[1] Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, I, c. 1, nn. 2-3; c. 3, nn. 7-8; c. 4, n. 9 (PL 34, 247sqq.); Lombard., II *Sent.*, d. 2, cc. 1-2 (pag. 314).

[2] Gen. 1, 1.

[3] Scilicet Bedae.

[4] *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 851).

[5] Cf. Damasc., loc. cit., II, cc. 11 et 12 (PG, 94, 911, 919).

[6] Cf. Matth. 22, 30.

[7] V. g. Origenes, *Periarchon*, I, c. 8, n. 4 (PG 11, 173), Priscillianistae, Apollinaristae et Nemesius. Cf. Damasc., loc. cit., c. 12 (PG 94, 922).

TRACTATUS SECUNDUS

DE ANGELIS SECUNDUM ESSE SUBSTANTIALE

QUAESTIO UNICA.

Consequenter considerandum est de iis quae [a] pertinent ad substantiam angeli. Quorum primum est: quod [b] sit, propter quosdam adstruentes ipsos non esse, scilicet Sadducaeos;
secundum [c], quid sit genere;
tertium, quid sit secundum rationem;
quartum, utrum personalitatem habeat vel non;
quintum, de differentia angeli et animae;
sextum, de differentia angelorum inter se.

CAPUT I. 104

AN SIT ANGELUS [1].

Circa primum videtur quod non sit angelus: 1. Nam quidquid est habet ordinem in universo; sed angelus non videtur habere [d] ordinem in universo, quia aut haberet ordinem infra hominem aut supra aut esset in pari ordine cum eo. Non supra, quia sicut dicit Augustinus [2], inter Deum et animam rationalem, prout est ad imaginem et similitudinem Dei [e], nihil est medium; sed si esset supra, esset medius inter hominem et Deum. Similiter infra aut in pari non videtur competenter ordinari, quia constat quod nobilioris conditionis est quam homo; nobiliori vero, secundum quod huiusmodi est, debetur locus nobilior et superior; videtur ergo quod non possit habere ordinem in universo, et ita nec esse.

2. Praeterea, Philosophus et Remigius et etiam [f] Augustinus [3] et fere omnes Sancti volunt quod quaecumque sunt, sint propter hominem; ergo et angelus; si ergo est [g], ergo determinatur esse eius ratione actuum quos habet in ordinatione ad hominem aut ratione alicuius illorum; sed propter hominem non habet nisi actus istos: revelare, custodire, ministrare; sed necessitas sui esse aut [h] sui ordinis non videtur determinari ratione istorum actuum aut alicuius eorum: quia non ratione duorum primorum, quia illi ad superiorem pertinent, et ostensum est superius [4] quod [i] supra hominem non potest habere ordinem [k] in universo; similiter ratione ministerii, quia ministrare est inferioris; cum ergo ministrare conveniat ei ratione hominum, secundum quod dicitur ad Hebr. 1,14: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt* [l] *salutis,* ratione eius [m] competeret ei solum locus inferior, qui [n] tamen ei non competit, sicut ostensum est [5], et ita, ut prius, videtur quod non habeat ordinem in universo.

3. Praeterea, eiusdem causae est dare esse rei et custodire eam in esse et etiam [o] revelare ei revelanda et dare ei [p] quae sunt necessaria ei, ita quod ministerio alterius non indigeat, dummodo sit causa sufficiens nec indigens aliquo tamquam medio in suis operationibus; sed Deus est huiusmodi causa respectu hominis; ergo non

---

[a] V *autem.* [b] L (corr.) *quid.* [c] Ita V, alii *secundo* et deinde *tertio* etc. [d] L *utrum videtur* pro *v. h.* [e] RLCZ om.; ST om. *e. s.* [f] Z om. [g] C om. [h] Z *est ut* pro *e. a.* [i] RLZ *quia.* [k] V *hominem.* [l] L *capit.* [m] Z add. *quod.* [n] VST *quod.* [o] T om. [p] V om.

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 1, q. 2 (II, 41 sqq.); *Breviloq.*, p. 2, c. 6 (V, 224).

[2] Cf. *De Trinit.*, XI, c. 5, n. 8; XIV, c. 14, n. 20; XV, c. 27, n. 42 (PL 42, 991, 1051, 1096); *De lib. arb.*, I, c. 10, n. 21 (PL 32, 1233); *De div. quaest., 83,* q. 54 (PL 40, 38); *De civit. Dei,* XI, c. 2 (PL 41, 318).

[3] Aristot., *Phys.*, II, c. 2 (II, 263); Augustin., *De div. quaest. 83,* q. 30 (PL 40, 20); Lombard., II *Sent.*, d. 1, c. 4 (p. 310); de Remigio cf. S. Bonav., *Opp. omnia,* II, 46, nota 1.

[4] Cf. supra, num. 88.

[5] Cf. supra, num. 102.

indiget aliquo medio quoad praedicta; quare nec angelo; ergo non est ponendum esse angelum propter hominem; quare nec esse, cum omnia sint propter hominem, ut dictum est [1].

Sed contra: *a.* Ordinem creaturarum secundum superius et inferius est ponere in universo secundum approximationem maiorem et minorem ipsarum ad Deum, secundum quod maiorem et minorem habent similitudinem ad ipsum [2]; sed cum ipso habent maiorem similitudinem aut [a] minorem secundum quod magis suam bonitatem communicat [b] secundum quod contingit recipere [c] ex parte creaturae; sed est substantia intellectualis, habens similitudinem cum ipso, quae ad eius imaginem facta est, sicut anima, quae est unibilis corpori et quoad hoc non habet similitudinem cum ipso; sed constat quod si est substantia intellectualis non unibilis corpori, quod [d] haec maiorem habebit [e] similitudinem cum Deo ratione eius quod est corpori non unibilis; et ex parte creaturae non est repugnantia quin talis possit inveniri; cum ergo Deus velit suam bonitatem communicare creaturae, videtur quod huiusmodi substantiam sit necesse esse in universo aut aliter esset imperfectio in universo [f]; huiusmodi autem substantiam vocamus angelum; quare videtur quod ad perfectionem universi necesse sit ponere angelum et supra hominem in universo ordinari.

b. Item, ad idem: anima habet intellectum possibilem, qui recipit ab inferiori, sicut a phantasmatibus, et intellectum agentem, secundum quem recipere potest a superiori [3]; sed nobilior et etiam plus habens similitudinem cum Deo est substantia intellectualis recipiens a superiori solum; ergo ad perfectionem universi necesse est huiusmodi substantiam ponere; haec autem est angelus; ergo etc.

c. Item, Philosophus, in libro *De causis* [4]: « Est quaedam substantia, cuius substantia est in aeternitate et actio est [g] in tempore, ut anima; quaedam, cuius substantia et actio est in tempore [h], ut substantia corporea; et quaedam, cuius substantia et actio est in aeternitate », et hoc congruit ad perfectionem universi: ex quo in universo est reperire reliqua duo genera substantiarum, est [i] et reperire tertium; huiusmodi autem substantia est angelus; quod patet, quia ibi accipit aeternitatem pro aevo, cum in eodem libro [5] dicat quoddam esse esse ante aeternitatem; et constat quod non potest accipere aeternitatem [k] nisi pro aevo; ergo necessarium est ponere angelum.

d. Item, quod angelus sit, sumitur ex motu caelorum. Cum enim moveantur a causa extrinseca, causa vero extrinseca sit substantia separata, non est autem aliqua substantia creata [l] separata a corpore praeter angelum, ergo angelus movet; ergo angelus est in universo.

e. Item, hoc ostenditur ratione necessitatis humanae. Cum enim habeat imperfectionem multiplicem ad modum parvuli — habet enim imperfectionem ex parte animae, habet etiam imperfectionem ex parte corporis — ergo indiget custode in bono et tutore a malo; sed custos sive tutor, in quantum huiusmodi, superior est parvulo; ergo illa substantia est superior; et creata, cum hoc sit quoddam ministerium [m]; non nisi angelus; ergo necesse est angelum esse. Et hoc est quod dicitur Isai. 62,6: *Super muros tuos, Ierusalem, constitui custodes;* et quod angelus Tobiae debebat eum custodire euntem et revertentem, sicut dicitur Tob. 5,15.

Solutio: Concedendum est [n] quod angelus sit. Unde de eius effectibus satis habetur in Veteri Testamento et Novo.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad ea vero quae obiciuntur in contrarium, intelligendum primo est quod est angeli ad hominem superioritas, inferioritas et paritas, quoad diversa tamen. Quoad hoc quod solus Deus non solum est principium creaturarum, sed etiam finis, ita et homo est finis creaturarum, est homo quodammodo superior. Secundum vero quod homo dicitur esse ad imaginem Dei, non est angelus eo superior dignitate quoad hoc, sed quantum ad memoriam, intelligentiam et [o] voluntatem est inter ipsos paritas, secundum quod ratione horum determinatur absolute imago Dei in ipsis. Sed quoad actum intelligendi est angelus superior dignitate, quia habet simpliciorem modum in intelligendo quam homo. Et bene concedimus quod angelus datus est homini ad custodiam et ei multa revelat: unde quodammodo est ei subiectus quantum ad intellectum, non tamen simpliciter, sed soli Deo, cuius solummodo est dare esse, est simpliciter subiectus. Unde angelus non dicitur dator, sed ministrator. — Ad hoc quod obicitur quod ' angelus est simpliciter inferior homine, cum ministrare ad inferiorem pertineat ': dicimus quod non propter hoc habetur quod in homine resideat aliqua dominatio respectu angeli, sed quod illud ministerium

---

[a] T *vel.* [b] R *communicant.* [c] VST add. *vel.* [d] RLCZ *quia.* [e] V *habeat.* [f] T om. *aut... universo.* [g] Ita VT, alii om. [h] V om. *ut anima... tempore.* [i] RLCZ *erit.* [k] V om. *et constat... aeternitatem.* [l] C om. [m] TC *misterium.* [n] ST om. [o] L om.

1 Cf. supra, num. 88.
2 Cf. supra, num. 86.
3 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 5 (III, 468).
4 § 30 (p. 190), ad sensum.
5 § 2 (p. 165): « Esse quod est ante aeternitatem est causa prima ».

sit ad utilitatem hominis. Unde proprie ratione huius ministerii est minister Dei, non hominis. — Ad alia vero dicendum est quod angelus ratione ministerii ordinatur [a] ad hominem, non [b] tamen ratione contemplationis intimae, qua Deum contemplatur, sed [c] ordinatur supra hominem, et ita ordinem habet [d] in universo utroque modo, sed differenter.

3. Ad id vero quod obicitur quod 'eius est custodire cuius est dare esse': dicendum [e] quod eius est custodire auctoritate et illuminare auctoritate et ita de aliis, nihilominus tamen habet ministros: sicut est de rege magno, qui auctoritate custodit ea quae sunt in regno suo, nihilominus vero habet particulares custodes, qui diversis custodiis sunt deputati.

CAPUT II.

QUID SIT ANGELUS GENERE.

ARTICULUS I. 105

Utrum angelus sit lumen spirituale ex conditione suae naturae.

Secundo quaeritur quid sit angelus genere. Utrum sit lumen spirituale ex conditione suae naturae [1].

Quod videtur 1. per hoc quod dicit Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [2]: « Daemones integri sunt et clarissimi, etsi ipsi non vident, claudentes ipsius boni [f] inspectivas virtutes »; sed constat quod huiusmodi claritas non contingit ex aliquo accidenti supra naturam: dico autem naturam, primam rerum [g] institutionem; sed esse clarissimum non convenit nisi lumini; ergo angeli ex sua prima institutione naturali sunt lumina.

2. Item, Dionysius, in eodem libro [3]: « Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum »; sed quod est splendidissimum, ratione luminis dicitur huiusmodi; ergo angeli sunt lumina [4] sive luminosi.

3. Item, Dionysius, loquens de angelis, in libro *De hierarchia angelica* [5], dicit quod angeli sunt lumina *a Patre luminum descendentia* [6].

4. Item, Ioannes Damascenus, in 2 distinctione [7]: « Lumen creatus est a Conditore et bonus [h] factus ». Ergo angeli ex ipsa conditione sunt lumina; et constat quod loquitur de lumine intellectuali; unde praemittitur: « Bonum est lumen intelligibile angeli »; ergo ex sua conditione sunt lumina intellectualia.

5. Praeterea, sicut dicit Ambrosius [8], luminis est manifestare se et alia; sed hanc proprietatem habet angelus ut se manifestet [i] et sic ab alio cognoscatur et alia faciat cognoscere; ex quo praesumitur quod angeli sunt lumina, cum proprietatem lumini [k] convenientem habeant.

6. Praeterea, cum dicitur in Gen. [9]: *Fiat lux, et facta est lux,* lucis nomine, secundum quod exponit B. Augustinus [10], designatur angelica creatura; ergo angeli sunt lumina.

Contra: *a.* Lumen non potest fieri tenebra; sed angelus potest fieri tenebra [l] spiritualis per peccatum; unde Damascenus [11]: « Malum est tenebra intelligibilis: aversi enim [m] a summo lumine, facti sunt tenebrae ». Ergo angeli de sui natura non sunt lumina.

b. Item, cum dicitur [12]: *Deus divisit lucem* [n] *a tenebris,* nomine lucis designantur angeli [o] sancti, nomine tenebrarum angeli qui ceciderunt per peccatum [13]; ergo angeli de sui natura indifferentiam

---

[a] VST add. *sed.* [b] VST om.; Z *communi* pro *tamen.* [c] VST om. [d] Ita V, alii *habebit.* [e] RLZ add. *est.* [f] S *homini.* [g] ST *eorum.* [h] T *bonis.* [i] S *manifestaret,* T *manifestare.* [k] Ita V, alii *ei.* [l] V om. *sed... tenebra.* [m] LCZ om. [n] Ita V, alii *lumen.* [o] C om.

1 Cf. S. Bonav., *In Hexaëm.*, coll. 5, nn. 26 et 33 (V, 358sq.).
2 Cap. 4, § 23 (PG 3, 725, PL 122, 1142sq.).
3 Cap. 4, § 22 (PG 3, 724, PL 122, 1141).
4 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867).
5 Cap. 1, §§ 1 et 3 (PG 3, 120 et 122, PL 122, 1037 et 1039).
6 Iac. 1, 17.
7 *De fide orthod.*, II, c. 4 (PG 94, 875), ubi et sequens.
8 Cf. *Hexaëm.*, I, c. 9, n. 33sq. (PL 14, 142); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 141, *ad 5;* Raban. Maur., *De universo,* IX, c. 7 (PL 111, 265).
9 Gen. 1, 3.
10 *De Gen. ad litt. lib. imperf.*, c. 5, n. 21; *De Gen. ad litt.*, I, cc. 2-4 et 9 (PL 34, 228, 248sqq., 251sq.). Cf. *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 113, 71).
11 *De fide orthod.*, II, c. 4 (PG 94, 875).
12 Gen. 1, 4.
13 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, I, c. 17, n. 33 (PL 34, 258).

habent ad lucem et tenebras; ergo non sunt de sua natura prima [a] lumina.

c. Praeterea, locus et locatum sunt proportionalia [1]; sed loco tenebroso proportionantur daemones; ergo sunt tenebrosi; unde et dicuntur angeli tenebrarum, sicut habetur ad Eph. ultimo, 12: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus rectores tenebrarum harum* [b]. Ergo angeli de sua [c] natura non sunt luminosi.

d. Praeterea, si essent in sua natura lumina mali angeli, cum se ipsos cognoscant, cognoscerent se esse luminosos; sed cognoscendo se esse luminosos, sequeretur delectatio; talis autem non est in angelis malis; ergo angeli non sunt de sua natura lumina.

Solutio: Ad quod dicendum quod duplex est lumen, scilicet naturae et gratiae; quod etiam dicitur lumen naturae, hoc etiam [d] est donum Dei: unde utraque lumina ad donum Dei pertinent, sed differenter. Unde, in libro *De divinis nominibus* [2]: « Data ipsis angelica dona nequaquam ipsa mutata esse dicimus »; sed hoc intelligitur de [e] dono naturae, quod non ex toto mutatum est; sed donum gratiae, supposito quod habuerint [f] gratiam gratum facientem, omnino est ablatum.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem primo dicendum quod illud quod dicit Dionysius, in libro *De divinis nominibus*, intelligitur de lumine naturae, non de lumine gratiae gratum facientis. Unde nihil prohibet daemones esse clarissimos quantum ad ipsum lumen naturae, quod est in ipsa perspicacitate intelligentiae, et nihilominus esse non videntes, propter defectum gratiae gratum facientis, quam non habent, propter fastum elationis in quem [g] ceciderunt.

2. Ad secundum dicendum quod auctoritas [h] B. Dionysii intelligi videtur de angelo iam habente formam gratiae, propter hoc quod dicitur « speculum splendidissimum »; si tamen accipiatur pro [i] splendore naturae, angelus dicitur esse « speculum splendidissimum », id est valde splendidum, propter resultationem cuiusdam [k] lucis creatae a luce increata. Quod autem dicitur « manifestatio occulti luminis », hoc intelligitur propter [l] hoc quod lumen divinitatis dicitur occultissimum [3], manifestatio autem eius est in lumine intelligentiae angelicae primo.

3. Ad tertium dicendum quod illud quod dicitur quod angeli sunt lumina, intelligitur de angelis illuminatis per gratiam; sic enim procedit tractatus *De hierarchia angelica:* loquitur de ordinibus angelorum prout iam habent gratiam gratum facientem.

4. Ad quartum dicendum quod verbum Ioannis Damasceni potest intelligi vel de lumine naturae vel de lumine gratiae gratum facientis [m], quod datum fuit a principio, supposito quod angeli habuerint [n] gratiam gratum facientem quam cito fuerunt creati [o].

5. Ad quintum dicendum quod intentio B. Ambrosii refertur ad hoc quod intelligitur de lumine naturae. Quod enim se potest cognoscere et alia, hoc refertur ad lumen naturae: angelica enim intelligentia, etsi non adsit gratia, habet potentiam cognoscendi se et alia [4].

6. Ad sextum dicendum quod intelligitur conditio angeli dupliciter: quantum ad esse et quantum [p] ad bene esse. Quantum autem ad esse, intelligitur conditio angeli in conditione caeli; quantum ad bene esse, in conditione lucis, sicut dicit ibidem Glossa [5]: fieri enim lucem nihil aliud est quam angelicam creaturam converti ad lumen aeternum, ut [q] cuius habeat similitudinem, et in eo [r] habeat desiderium perseverandi.

106 ARTICULUS II.

Qua ratione angelus dicatur substantia [6].

Adhuc etiam quaeritur quid sit angelus genere. Est enim duplex genus: quantum ad esse pure naturale et quantum ad esse gratuitum. Quod enim dicitur lumen, hoc pertinet ad esse gratuitum; quod vero dicitur [s] substantia a Damasceno [7], pertinet ad esse naturale. Quaeritur ergo: cum non sit accidens, eo quod in nullo alio est sicut in subiecto [8], erit substantia — substantia autem

---

[a] V om. [b] C om. [c] R *sui.* [d] Z om.; C om. *naturae.* [e] S *ex.* [f] Ita R, alii *habuerit.* [g] STZ *quam.* [h] C *auctoritates.* [i] T *per.* [k] T *eiusdem.* [l] T *per.* [m] V *facientes.* [n] V *fuerint.* [o] Z om. [p] L om. *e. q.* [q] VST *et,* C *eius* pro *cuius.* [r] Codd. *ea.* [s] T om. *lumen... dicitur.*

1 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 4 (II, 286).
2 Cap. 4, § 23 (PG 3, 725, PL 122, 1142).
3 Cf. Pseudo-Dionys., *De myst. theol.*, c. 2 (PG 3, 1025, PL 122, 1174); *De cael. hier.*, c. 15, § 6 (PG 3, 336, PL 122, 1068).
4 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 4 (PG 94, 878).
5 *Ordin., In Gen.*, c. 1, 3 (PL 113, 71), ex Augustino, *De Gen. ad litt.*, I, cc. 2, 4 et 9 (PL 34, 248sq.).
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 89sqq.); *In Hexaëm.*, coll. 4, n. 12 (V, 351).
7 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 866).
8 Alludit ad Aristot., *Metaph.*, IV, c. 30 (II, 533).

dicitur tripliciter: materia et forma et quod est ex iis [1]; additur etiam quarta differentia, ut substantia dicatur illud quod pertinet ad quidditatem rei [2] — quaeritur ergo utrum angelus sit substantia isto modo vel illo.

1. Quod autem non dicatur substantia-materia, sic ostenditur: Substantia-materia receptiva est formarum, quae cum ipsa faciunt unum in natura [3]: sed si angelus est receptivus alicuius formae, non erit receptivus formae quae faciat unum natura cum angelo; ergo angelus non est substantia-materia. — Nec est substantia-forma, cum substantia-forma perficiat aliquam materiam; praeterea, forma inest materiae secundum quemdam modum nec habet rationem per se subsistendi [4]; angelus autem nullum istorum habet; ergo non dicetur substantia-forma [a]. — Nec dicetur substantia quae est ex iis: substantia enim quae est ex iis, est composita; angelus autem simplicitatem habet [b] respectu materiae, simplicitatem etiam habet respectu formae, cum utraque ratio sit entis compositi corporalis [c]; non ergo angelus est substantia composita.

2. Si vero forte dicatur quod angelus habet in se compositionem materiae et formae, et ei attestatur quod habet potentiam recipiendi et agendi – secundum hoc [d] obicitur quod pari ratione forma angeli erit composita, quia habebit rationem potentiae [e] receptivae a Deo et activae in creaturas; quod cum falsum sit, eo quod in infinitum oporteret abire secundum hunc modum, non ergo erit angelus substantia composita propter hanc rationem. — Ita nec erit substantia quae exprimit rei quidditatem. Haec enim non convenit absolute, sed respective: dicitur enim definitio alicuius substantia definita [f], quia continet quidditatem eius; sed isto modo non dicitur angelus esse substantia, cum ad nihil aliud referatur per hunc modum. Non ergo dicetur angelus esse substantia aliquo modorum praedictorum.

3. Praeterea, supposito quod sit substantia, aut est substantia simplex aut composita. — Quod sit simplex, videtur per comparationem ad animam. Cum enim anima simplex dicatur, sicut habetur in libro *De anima et spiritu* [5], angelus autem subtilioris essentiae sit quam sit anima, erit ergo angelus simplex. — Quod autem anima sit simplex, dicit Damascenus [6] ponens talem rationem: « Anima est substantia vivens, simplex et incorporea »; et in libro *De anima et spiritu* [7]: « Anima est substantia spiritualis, simplex et [g] indissolubilis ».

4. Praeterea, angelus est [h] subtilioris essentiae quam sit punctus; punctus [i] autem dicitur esse simplex [8]; ergo multo fortius angelus est simplex.

Contra: *a.* In omni quod est citra Primum, differt 'quod est' et 'quo est' [9]; sed angelus est citra Primum; ergo in eo differt 'quod est' et 'quo est' [k]; sed omne in quo differt 'quod est' et 'quo est', est compositum; ergo angelus est substantia composita.

b. Item, angelus habet vires secundum quas attenditur quod est imago, scilicet memoriam, intelligentiam et [l] voluntatem [10]; sed vires sive potentiae non sunt ipsa essentia: nulla enim essentia est sua potentia nisi in Deo; ergo essentia angeli non est suae vires; ergo angelus est [m] substantia composita [n].

c. Item, quaecumque conveniunt genere secundum rationem, secundum esse naturae convenit quod habeant materiam: genus enim respondet materiae [11]; ergo, cum substantia, quae est angelus, conveniat cum corpore in genere, habebit rationem materiae; sed si habet rationem materiae, habebit rationem formae; ergo angelus est substantia composita.

Solutio: Ad quod dicendum [o] quod, licet secundum quosdam philosophos [12] intelligentia, quae dicitur angelus, sit forma sine [p] materia, videtur tamen dicendum quod sit compositum ex materia et forma. Quod si aliquibus videbitur quod sit forma per se ens sine materia, habebit compositionem ex 'quo est' et 'quod est', cum utroque modo dicatur compositum aliquo genere compositionis.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [q] obiectum in contrarium dicendum: licet angelus habeat simplicitatem respectu materiae corporalis et formae, quae simplices sunt in genere suo, nihilominus tamen compositus est in se, sed respective simplex. Quod enim dicitur simplicior iis, hoc est quia

---

[a] L om. *substantia.* [b] S om., in T est add. interl. [c] ST om. [d] S add. *ergo.* [e] S *ratione impotentie* pro *r. p.*, quod T corr. [f] RLCZ *definiti.* [g] R om. [h] C om. [i] L om.; RC om. *esse.* [k] C om. [l] C om. [m] VCZ *non*, L *non est.* [n] VC (corr.) Z *simplex.* [o] ST add. *est.* [p] T *sive.* [q] Z om.

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 3 (II, 539).
2 Cf. Aristot., loc. cit.
3 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, I, c. 7; *Metaph.*, VI, c. 8 et XI, c. 3 (II, 447, 545, 601).
4 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 8 et VII, c. 1 (II, 521, 558).
5 Cap. 13 (inter opp. Augustini PL 40, 789).
6 *De fide orthod.*, II, c. 12 (PG 94, 923).
7 Cap. 24 (PL 40, 796).
8 Cf. Aristot., *Phys.*, VI, c. 1 et *De caelo*, III, c. 1 (II, 317, 411 sq.).
9 Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).
10 Cf. Augustin., *De Trinit.*, XIV, c. 8, n. 11 (PL 42, 1044).
11 Cf. Boeth., *De divisione* (PL 64, 879): « Genus speciebus materia est ».
12 Cf. Avicenna, *De intellig.*, c. 3 (ed. Venet. 1508, f. 65b sq.).

habet esse spirituale, quod non habet forma huiusmodi corporalis vel materia. Materia autem dicitur simplex, quia non resolvitur ad aliam materiam, et forma prima, quia non resolvitur in aliam formam, et ita alio et alio modo dicitur utrobique simplex.

2. Ad secundum dicendum [a] quod hoc posito quod angelus habeat [b] materiam et formam spiritualem, non est [c] sic in forma sua ut pari ratione habeat utramque potentiam receptivam et activam sicut angelus. Nam forma dicitur habere receptivam potentiam ut recipiat esse a Deo; sed angelus praeter illam potentiam, quae convenit [d] creaturae in quantum huiusmodi, habet propriam potentiam ut recipiat formas intelligibiles, quam non habet illa forma de se.

3. Ad tertium dicendum quod, cum dicitur angelus simplex aut anima simplex, comparative dicitur respectu inferioris dignitate, quae plus habet de compositione.

4. Ad id vero quod obicitur de angelo respectu puncti: dicendum [e] [1] quod nec punctus nec angelus omnimodam habet simplicitatem, sed punctus dicitur simplex in genere magnitudinis, compositionem tamen essentiae habet [f] respectu rei incorporalis. Similiter angelus, licet dicatur simplex respectu animae, nihilominus dicitur habere in se proprie compositionem.

c. Ad id vero quod obicitur de modo compositionis angeli quod 'habet communem materiam cum corpore, sicut dicitur habere genus commune': dicendum [2] quod hoc falsum est. Licet enim in hoc conveniant [g] quod utrumque dicitur habere materiam secundum suum modum, non tamen eamdem: non enim est eadem materia corporalium et spiritualium, sicut infra ostendetur in Tractatu de operibus sex dierum [3]. Unde ex hoc est genus commune, quia aliqua ratio materialis communis est secundum rationem, non quod eadem sit materia.

CAPUT III.

QUID SIT ANGELUS SECUNDUM RATIONEM.

107 ARTICULUS I.

De definitione angeli a Damasceno posita [4].

Tertio quaeritur quid sit angelus secundum rationem. Et primo quaeritur quantum ad illam definitionem quam ponit Damascenus, II libro, cap. 2 [5]: « Angelus est substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera [h], Deo ministrans, secundum gratiam, non naturam [i], immortalitatem suscipiens ».

Obicitur autem contra hanc rationem multipliciter: 1. Videtur enim quod prima differentia ibi posita vel tertia superfluat: videntur enim ibi [k] esse convertibiles ad invicem, cum omnis « substantia arbitrio libera » sit « intellectualis » et e converso.

2. Item, contra secundam differentiam obicitur et primo ratione eius quod dicitur « mobilis », quia, sicut probat Philosophus [6], nullum impartibile est mobile; sed angelus est impartibilis, cum simpliciter [l] et absolute sit simplex, ut probatum est [7].

3. Item, obicitur contra hoc [m] quod dicitur « semper mobilis »: aut enim hoc dicitur eo quod [n] semper actu moveatur aut quia semper possit moveri. Non primo modo, quia hoc falsum esset. Si secundo modo, sed [o] hoc similiter verum est in corporibus; quid ergo adderet angelus supra corpora ratione huius differentiae?

4. Item, obicitur de ordine tertiae differentiae ad secundam, quia constat quod prius est cognoscere bonum aut malum et postmodum, hoc et illo cognito, sequitur electio huius et fuga [p] illius, tertio sequitur motus ad hoc aut ad illud, et ita secundum hoc sic deberent ordinari istae differentiae, ut diceretur 'angelus est substantia intellectualis, arbitrio libera, semper mobilis'.

5. Item, cum dicitur « angelus est substantia arbitrio libera », de qua libertate intelligitur, naturae scilicet aut gratiae? Non gratiae, quia tunc illa differentia non conveniret malis angelis; quod

---

[a] Ita V, T *vero dicendum*, alii *vero dicendum est.* [b] ST *habebat.* [c] V add. *hic.* [d] ST add. *nature.* [e] Z add. *est.* [f] R *habens*, L om. [g] T *inveniant* pro *i. h. c.* [h] VS *libero.* [i] Z *natura.* [k] STZ om.; LC om. *enim.* [l] R *simplex*, quod C corr. [m] RLC *hanc.* [n] V *quia* pro *e. q.* [o] C *et.* [p] Z om.; LC om. *et.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 2, a. 1, q. 3 (II, 80 sqq.).
[2] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 2 (II, 94 sqq.).
[3] Cf. infra, num. 249.
[4] Multa huius et sequentis art. (et num. 104) quasi verbotenus occurrunt in cod. Assisiensi 138, fol. 58d-60c. Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 9, praenotata (II, 238b sq.).
[5] *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 866).
[6] Aristot., *Phys.*, VI, c. 10 (II, 332).
[7] Cf. supra, num. 106.

falsum est. Si naturae, adhuc non videtur convenire malis angelis. Et primo, quia secundum quod aliquis plus vel minus removetur a summa libertate, plus aut minus cadit in servitutem; ergo qui perfecte et plene cadit in servitutem, simpliciter recedit a summa libertate; sed malus angelus in plenam et perfectam cadit, scilicet in servitutem culpae et poenae sine fine et sine aliquo remedio; ergo simpliciter a libertate summa recedit; ergo libertas arbitrii ei non convenit. — Ad idem Anselmus[1]: Posse facere malum non est libertas aut pars libertatis; sed prius solummodo convenit malis angelis; ergo ut prius.

6. Item, cum arbitrium sit rationis, et quod est intellectuale et rationale videntur esse convertibilia [a], quaeritur quo modo differant [b]?

7. Item, ad cuius differentiam componitur [c] haec differentia « incorporea »? Et planum est quod non ad differentiam substantiae incorporeae, cum ratione huius conveniat cum angelo. Similiter videtur quod nec ratione corporum, quia ipsa iam erant [d] ab angelo divisa per hoc quod praemissa erat haec differentia « intellectualis ». — Item, quaeritur per quam differentiam positam differt angelus ab anima. Et videtur quod per nullam.

8. Item, quaeritur de hac differentia « Deo ministrans ». Videtur enim quod non sit differentia angeli essentialis, quia angelus desinet ministrare, cum propter homines ministret ut *capiant hereditatem salutis aeternae*, ut dicitur [e] Hebr. 1, 14, et ita desinet ministrare cum homines ceperint hereditatem illam; ergo male ponitur haec [f] differentia in praedicta definitione.

9. Item, quaeritur de ultima differentia. Primo, quare [g] non assignetur immortalitas angelo simpliciter et absolute, cum Augustinus[2] simpliciter dicat animam esse immortalem, cum immortalitas magis videatur angelo quam animae convenire.

10. Item, quaeritur utrum immortalitas conveniat tam angelo quam animae per naturam vel per gratiam. Et quod non « per naturam », sed per « gratiam », dicitur in definitione. Hoc [h] etiam patet per hoc quod dicit Gregorius[3] quod « omnia creata, quia ex nihilo sunt, in nihilum tenderent, nisi manu Creatoris retinerentur ». Ergo per naturam tendunt in non-esse; ergo nec angelus nec anima per naturam habent quod sint immortales; ergo si sint immortales, hoc erit [i] gratia, non natura.

Respondeo: Ad evidentiam huius definitionis et partium eius primo notandum est quod duo sunt modi definitionum[4]. Unus attenditur quantum ad illam definitionem in qua ponuntur genus et differentiae, quarum unaquaeque pars extendit se in plus, tamen omnes veniunt in aequalitatem: et haec definitio est ex genere et differentia vel differentiis, quae notificat esse substantiale rei. Alius est qui attenditur in definitione secundum quem cognoscimus potentias per actus et substantiam per potentias: et haec notificat esse virtuale rei, et talis est praedicta definitio angeli. Quoad hoc vero potest notificari dupliciter: vel in se vel in comparatione. In se primo dupliciter: vel secundum virtualem potentiam quam habet ad cognoscendum, et sic dicitur « substantia intellectualis »; vel ad movendum, et hoc adhuc dupliciter: vel quantum ad conditionem loci, et sic dicitur « semper mobilis », vel quantum ad conditionem affectionum, et sic dicitur « arbitrio libera ». Similiter in comparatione notificatur ex triplici differentia secundum tria ad quae habet comparationem, scilicet ad corpus quod movet, non tamen ei unitur per essentiam, et sic dicitur « incorporea »; et ad Deum cui ministrat, et sic dicitur « Deo ministrans [k] »; et ad perfectionem suam, scilicet ad gratiam, et sic dicitur « immortalitatem gratia, non natura, suscipiens », et ibi sub gratia comprehenditur gloria.

[Ad obiecta]: 1. Ad id ergo [l] quod primo obicitur patet solutio ex praedictis: aliud enim esse virtuale angeli determinatur per hanc differentiam et per illam, quia per primam esse virtuale ad cognoscendum, per aliam esse virtuale ad movendum secundum affectiones.

2. Ad aliud dicendum[5] quod illud quod dicit Philosophus quod 'nullum impartibile mobile' intelligitur de mobili in corporibus, ubi est necesse quod mobile commetiatur se loco, ita quod totum toti et pars parti[6]: et tunc verum est quod omne, quod movetur, partim est in termino a quo, partim in termino ad quem; sed sic non est mobilis angelus, sed [m], licet moveatur de loco ad locum, licet etiam Deo assistat per contemplationem, quia [n] necesse est ut ibi sit ubi operatur, sicut dicit Damascenus[7], tamen non est necesse quod [o] pertranseat medium, uno modo,

---

[a] Z *videtur esse convertibile* pro *v. e. c.* [b] Z *differat.* [c] Ita V, alii *cuius differentia ponitur* pro *a. c. d. c.* [d] LCZ *erunt.* [e] V add. *ad.* [f] Z *illa.* [g] VS *queritur.* [h] V *Et hoc.* [i] V *est.* [k] Verba *Similiter... ministrans* occurrunt in solo codice F et in cod. Assisiensi 138, fol. 59c, desunt autem in aliis 15 codicibus integre lectis. Ipse contextus evidentem lacunam codicum arguit. [l] RLCZ *vero.* [m] V om. [n] L om. [o] C *qui.*

1 *De lib. arbit.*, c. 1 (PL 158, 490): « Nec libertas nec pars libertatis est potestas peccandi ».
2 *De Gen. ad litt.*, VII, c. 28, n. 43 (PL 34, 372); *In Ioan.*, tr. 47, n. 8 (PL 35, 1737).
3 *Moral.*, XVI, c. 37, n. 45 (PL 75, 1143).
4 Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 12 (II, 552).
5 De iis quae hic tractantur sub nn. 2-4 cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 2, a. 2, qq. 1-3 (I, 657sqq.).
6 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 5 (II, 291).
7 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).

sumendo transitum per medium, quia non se commetitur loco. Hoc tamen magis alibi explanabitur[1].

3. Ad aliud dicendum quod dicitur « semper mobilis » ad differentiam tam rectorum corporum quam circularium[2]. Corpus enim rectum, quod motu recto movetur, non semper est in hac conditione ut nihil ei desit ex parte sui [a] ad hoc ut actualiter [b] moveatur, quia, cum existens in loco sibi debito per naturam, secundum quod est existens, non habet quidquid exigitur ex parte sui, potest verum [c] esse quod actualiter non movetur propter indigentiam motoris. Corpus vero circulare, etsi [d] semper habeat quidquid exigitur ex parte sui, quia tamen adhuc motorem extra exigit, potest esse quod actualiter non moveatur: si enim non esset motor caeli, staret caelum; sed angelus habet semper in se omnes conditiones quae exiguntur ad sui motum: unde non indiget motore. Et loquimur de motore prout dicimus quod anima movet corpus, non de motore separato, qui [e] est Deus, cuius imperium exigitur ad motum angeli.

4. Ad aliud dicimus quod angelus habet comparationem ad corpora mobilia et [f] motu recto et motu circulari, quoad utrumque motum, quia, secundum quod dicit Dionysius[3], utroque motu potest moveri. Unde motus secundum locum non est in eo determinatus quantum ad unam differentiam, sed secundum motum qui est secundum affectiones comparatur ad spiritus rationales, quia arbitrio liberi sunt; sed iste motus est in ipso determinatus quantum ad unam differentiam, scilicet quoad hoc quod si est motus in bonum, per affectionem stat in illo; si in malum, similiter stat in illo. Unde etiam in loco, qui congruit bono angelo et malo, ratione affectionis stant; sed hoc non est ratione motus localis, sed ratione motus secundum affectiones. Unde daemones non habent potestatem redeundi ad paradisum: sunt enim insusceptibiles poenitentiae, secundum quod dicit Damascenus[4]. Patet ergo quod maior est libertas in angelo quantum ad motum secundum locum quam quantum ad motum secundum affectiones, et ideo nobilior est haec differentia « semper mobilis » quoad hoc [g] quam haec differentia « arbitrio libera », et ideo prior in definitione.

5. Ad aliud dicendum quod duplex est libertas naturae: quaedam quae nec potest tolli nec minui per peccatum, quae pure naturalis est, et haec respicit substantiam rationalem secundum id [h] quod est; alia autem est libertas naturae quae potest [i] minui per peccatum magis ac magis, quae attenditur in ordine sive in habilitatione potentiae ad bonum: et de hac dicit Anselmus quod posse facere malum non est libertas aut pars libertatis; et hoc, secundum [k] quod huiusmodi, non est in angelis malis, quia ex quo semel peccaverunt, sunt inhabiles ad bonum. Unde libertatem arbitrii isto modo non habent, sed primo.

6. Ad aliud dicimus quod, cum dicitur « arbitrio libera », arbitrium hic sumitur pro iudicio secundum [l] quod aliquis potest communiter eligere bonum vel malum: quod tamen angelo [m] convenit sine collatione rationis, homini vero cum collatione; et ideo, proprie loquendo, anima nostra dicitur substantia rationalis, angelus vero substantia intellectualis, ut ratione collationis assignetur differentia inter rationale [n] et intellectuale: unde utrumque cognitionem respicit, sed ipsum arbitrium rationis potentiam respicit motivam.

7. Ad aliud dicimus quod per hanc differentiam « incorporea » differt angelus ab anima. Licet enim anima non sit substantia corporea, tamen est unita aut unibilis corpori; angelus vero nec est substantia corporea nec unibilis corpori nec unita, et hoc totum privatur ab ipso per hanc differentiam « incorporea ». Differt enim per hanc differentiam « semper mobilis », quia angelus semper movetur, ut explanatum est superius[5], sed anima movetur moto [o] corpore. — Si vero quaeratur utrum simpliciter debeat dici incorporea: dicimus quod sic, cum hoc absolute et secundum se ei conveniat, licet « quoad Deum [p] inveniatur quid grossum et materiale[6] »: hoc enim solum comparative ei convenit secundum quod dicit Damascenus, et hoc secundum unam proprietatem corporis quae est definiri loco [q], quae angelo convenit sicut et corpori.

8. Ad aliud dicimus quod [r], licet non sit necessarium angelum semper ministrare ad utilitatem hominum, nihilominus [s] cum ipso semper remanebit virtus et potentia ministrandi, et ideo quod dicitur « ministrans », essentialiter ei convenit secundum quod sonat in habitum: et sic in definitione sumitur. — Vel potest dici quod, licet non semper ei conveniat ministerium, quod habet respectu hominis, tamen illud, quod est ipsius in se ad Deum, semper ei convenit: ipsos [t] enim angelos voluntati Dei semper subiectos esse dicimus.

---

[a] VT add. *et.* [b] Codd. *accidentaliter.* [c] Codd. *iterum;* codd. *accidentaliter* pro *actualiter.* [d] T om. [e] Ita V, alii *quod.* [f] C om. [g] L om. *q. h.* [h] VST om. [i] R om. [k] V *secundum hoc* pro *h. s.* [l] L *sed,* V *aliquid* pro *aliquis.* [m] V add. *non.* [n] Ita VLC (correcti), alii *substantiale.* [o] C *in toto.* [p] Codd. *Damascenum.* [q] S om. [r] RLCZ om. [s] R add. *tamen.* [t] V *semper.*

[1] Cf. infra, num. 181.
[2] Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 9 (II, 363).
[3] Cf. *De divin. nomin.*, c. 4, § 8 (PG 3, 704, PL 122, 133).
[4] *De fide orthod.*, II, c. 4 (PG 94, 878).
[5] Cf. supra, *ad 3.*
[6] Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867).

10. Ad aliud dicimus quod prout per[a] immortalitatem privatur quaecumque mutabilitas, quod immortalitas soli Deo per naturam convenit[1], secundum quod dicitur I Tim. ultimo, 16. Unde bene concedimus quod angelus et anima habent vertibilitatem secundum affectiones et in nihil, tamen immortalitas convenit eis gratia, non natura.

9. Ad aliud quod[b] quaeritur 'quare non dixit angelum simpliciter et absolute esse immortalem, cum hoc dicat Augustinus[2] de anima rationali': dicendum quod ibi non definit eam per[c] differentiam ad angelum, sed potius per differentiam ad sensibilem quae est in brutis, et vegetabilem quae est in plantis, quae desinunt esse cum corpore. Tamen quod hic dicitur angelum esse immortalem, intelligitur specialiter de immortalitate prout privat mutabilitatem quae est[d] secundum affectiones, prout dicimus quod postquam angelus semel bonus est, semper est bonus, et postquam semel malus, semper malus[3]; non sic est de anima. Praeterea, immortalis dicitur, quia de facili non est mutabilis, et hoc habet a sua natura sive a suo principio: ex se enim solum habet ut sit vertibilis in nihil; unde quodammodo habet immortalitatem quasi ex quodam dono gratiae, tamen quodammodo ex principio naturali potest non mori; sed anima de facili, comparatione ad angelum, est vertibilis in nihil: unde ex se et ex habilitatione ad coniunctionem vertibilis.

ARTICULUS II. 108

De definitione angeli a Dionysio posita[4].

Quaeritur postea de definitione quam ponit Dionysius, in libro *De divinis nominibus*, cap. 6[5]: « Angelus est[e] imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, recipiens totam, si iustum est dicere, speciositatem bene formatae deiformitatis, et pure declarans in se ipso, sicut possibile est, bonitatem quae est in abditis ».

I. Quaeritur ergo primo quantum ad primam differentiam. Circa quam quaeruntur duo, scilicet: utrum angelus sit imago; et si sic, cum hoc similiter dicatur de homine, utrum hoc aequaliter eis conveniat aut uni[f] secundum praeeminentiam[6].

A. Circa primum sic: 1. Primo, videtur quod angelus non debeat dici imago Dei, cum dicat Augustinus, in *Sermone de Imagine*[7], quod nulli creaturae dedit Deus[g] ut esset ad imaginem nisi soli homini; et hoc vult accipere ex eo quod dicitur de solo homine[8]: *Faciamus hominem ad imaginem*[h] etc.

2. Praeterea, obicitur de hoc quod dicitur in rectitudine « angelus est imago », quia dicit Augustinus[9] quod proprium est Filii quod sit imago. Et ratio huius potest accipi ex hoc quod dicit Hilarius[10] quod « imago est ad quam imaginatur species indifferens », secundum quod recitatur[i] I *Sententiarum*, dist. 31[11]; et idem ibidem: « Imago est rei ad rem coaequandam imaginata et indiscreta similitudo »; sed constat quod nulli creaturae convenit quod sit indifferens a Deo; ergo nulla creatura proprie debet dici imago, sed solum ad imaginem, ut per hoc denotetur[k] diversitas creaturae ad Creatorem, et secundum hoc videtur dictum Gen. 1, 26: *Faciamus hominem* etc.

B. Circa secundum sic: 1. Primo, videtur[l] quod ratio imaginis aequaliter participetur ab homine et ab angelo: quia ab ipsis participatur ratione eius quod tam in homine quam in angelo est reperire, scilicet unitatem substantiae et trinitatem potentiarum[m] secundum quam imitatur Deum unum in essentia et trinum in personis; sed constat quod haec aequaliter sunt in hoc et in illo; ergo et aequalis est imitatio; ergo et aequalis est ratio imaginis.

2. Si dicatur quod ibi est[n] aequalitas quoad hoc, non tamen quoad essentiae simplicitatem vel habilitationes[o] potentiarum[12], immo

---

[a] Z *ad.* [b] V add. *gratia.* [c] V add. *diffinitionem.* [d] L om., V om. *q. e.* [e] V om. [f] V om. [g] V om. [h] RLCZ om. *a. i.* [i] Z *recolitur.* [k] V *notetur.* [l] Ita V, alii om. [m] V *personarum.* [n] T om. [o] Codd. *habilitationis.*

1 Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 30.
2 Cf. *De Gen. ad litt.*, VII, c. 28, n. 43 (PL 34, 372); *In Ioan.*, tr. 47, n. 8 (PL 35, 1737).
3 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 871).
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 9, praenotata (II, 239).
5 Cap. 4, § 22 (PG 3, 724, PL 122, 1141).
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 16, a. 1, q. 3 et a. 2, q. 1 (II, 398 sq., 400 sq.).
7 *Sermo* 43, c. 2, n, 3 et c. 3, n. 4 (PL 38, 255).
8 Gen. 1, 26.
9 *Contra sermon. Arianor.*, c. 26, n. 22; *De Trinit.*, VI, c. 2, n. 3 (PL 42, 701, 925).
10 *De Synod.*, n. 13 (PL 10, 490), ubi et sequens. Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 414-417.
11 Lombard., c. 2 (p. 194).
12 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 127.

ratione horum est praeeminentia in angelo: unde, proprie loquendo, Filius est[a] imago, homo vero[b] ad imaginem, angelus vero non solum ad imaginem, sed etiam est[c] imago – sed contra: Augustinus, in libro *De Trinitate*[1], inquirit secundum quid anima dicatur esse ad imaginem et ostendit quod non secundum sensualitatem neque secundum partem rationis[d] inferiorem nec iterum secundum superiorem comparatam ad inferiorem aut secundum se consideratam, sed solum[e] secundum quod comparatur ad Deum. Unde secundum hoc vult dicere quod ratio imaginis determinatur in anima, scilicet prout est « capax Dei[2] »; et constat quod secundum idem determinatur in angelo; cum ergo haec capacitas non dependeat ab illa, videtur quod adhuc sit aequalitas inter hominem et angelum quantum ad rationem imaginis.

3. Si dicatur quod hoc est verum quantum ad habitum[f], nihilominus tamen quantum ad actum est praeeminentia in angelo: unde angelus magis capit Deum quam homo – contra: constat quod substantia rationalis secundum naturam habet posse ad actum quem participat a gratia; sed aliqua anima a gratia habet quod magis capiat Deum quam aliquis angelus, sicut anima Christi et Beatae[g] Virginis; ergo ad hoc habent posse per naturam; ergo non est simpliciter dicere quod angelus sit magis capax Dei quam anima, eadem ratione nec anima quam angelus; quare, ut prius, videtur quod adhuc sit ibi aequalitas quoad rationem imaginis.

4. Praeterea, cum secundum quod dictum est[3], anima sit ad imaginem Dei quantum ad partem superiorem relatam ad Deum, et ea, creatura nulla interposita[4], formetur a Deo, videtur quod adhuc non possit[h] esse praeeminentia angeli ad animam quantum ad rationem imaginis.

Respondeo: A. 1-2. Concedimus quod proprium est Filii esse imago Patris[5]; imago[i] enim proprie dicitur « species indifferens », sicut dicit Hilarius, et ideo ad hoc quod aliquis sit imago, duo exiguntur, scilicet quod sit « species » et quod sit « indifferens ab eo, cuius est imago », in essentia. Quia ergo nulla creatura est eadem in essentia cum Deo, ideo proprie nulla creatura dicitur imago nisi solus Filius. Unde, secundum Damascenum[6], adhuc non est simpliciter dicere quod Spiritus sit imago, sed[k] quod habet aliquam rationem imaginis. Isto[l] ergo modo accipiendo imaginem, non est dicere quod angelus aut[m] anima sit imago, sed solum ad imaginem, ut per hoc denotetur quidam ordo et quidam respectus ad Deum. Alio tamen modo[n] communius dicitur imago, quod est ab alio et quod est eius similitudo, scilicet Dei, secundum quod possibile est in creatura, et[o] secundum hoc imago est similitudo, sed non e converso, secundum quod dicitur in libro *83 Quaestionum*[7], et secundum quod dicit Philosophus[8]: « Imago est cuius generatio est per imitationem ». Et ponit ibi Augustinus[9] exemplum in duobus ovis, inter quae est similitudo, quia tamen neutrum est ab altero, ideo neutrum imago alterius dicitur. Hoc ergo modo accipiendo communiter imaginem, dicunt Sancti quod angelus aut anima est imago Dei, secundum quod dicit Isidorus[10]: « Quanto simplicior est natura, tanto in ea invenitur imago Dei magis expressa ». Verius tamen et magis proprie loquendo est dicere angelum et hominem ad imaginem, ut per hoc notetur diversitas non solum in persona, sed etiam in essentia creaturae ad Creatorem, et hoc ratione transitionis significatae per praepositionem.

B. 1-4. Ad aliud quod quaeritur de ratione imaginis in angelo et in anima et in quo est praeeminentia: responderi potest[11] quod « expressa similitudo » potest attendi ratione potentiae praesidentis[p] et secundum hoc intelligitur illa auctoritas quae est in *Sermone* Augustini[12], quod nulli creaturae dedit ut esset ad imaginem nisi homini; de eo enim dictum est[13]: Ut *praesit piscibus et volatilibus* etc. Quantum ergo ad hanc rationem potentiae praesidentis dicitur homo ad imaginem, non sic angelus[14]. Dicitur iterum « expressa similitudo » ratione proprietatis in cognoscendo creaturas, et secundum[q] hoc dicitur tam angelus quam anima imago aut ad imaginem: et quantum ad hoc intelligitur auctoritas Dionysii supra dicta[15]. Dicitur iterum ratione simplicitatis[r] essentiae: et sic intelligitur auctoritas Isidori[16]. Dicitur iterum ratione capacitatis in cognoscendo[s]

---

[a] Ita V, alii om. [b] V om. *i. h. v.* [c] Ita V, alii om. [d] L *ratio;* Z *inferior est* pro *inferiorem,* quod T corr. [e] Ita V, alii add. *secundum huiusmodi.* [f] T add. *et.* [g] C add. *Marie.* [h] RLCZ *posset.* [i] V om. *P. i.* [k] C *secundum.* [l] R *primo,* quod C corr. in mg. [m] V *ut.* [n] V *ratio.* [o] S *est.* [p] Z *possidentis.* [q] R om. [r] S *duplicitatis.* [s] S *cogitando.*

1 Lib. XI, cc. 1 et 5, n. 8; XIV, c. 8, n. 11 (PL 42, 983sqq., 990sq., 1044).
2 Cf. Augustin., *De Trinit.*, XIV, c. 8, n. 11 (PL 42, 1044).
3 Cf. supra, sub n. 2.
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, II, num. 19 et I, p. 31, *ad 3.*
5 Cf. Alex. Hal., loc. cit., I, num. 417.
6 *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 855). Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 417.
7 Quaest. 84 (PL 40, 85sq.).
8 *Topic.*, VI, c. 2 (I, 236).
9 Loc. cit.
10 *Sentent.*, I, c. 10, n. 6 (PL 83, 555).
11 Cf. Alex. Hal., loc. cit., I, p. 614a, *Respondeo.*
12 Cf. p. 139a, n. 1.
13 Gen. 1, 26.
14 Cf. Alex. Hal., loc. cit., I, num. 161.
15 Cf. in initio huius articuli.
16 Cf. nota 10.

Deum: et sic utrique convenit. Dicitur etiam [a] ratione immortalitatis, sicut ponit Cassiodorus [1]: et sic convenit utrique. Dicitur etiam ratione finis creaturarum: et sic convenit homini quod non angelo. — Et sic possunt solvi omnia obiecta.

II. Quaeritur autem consequenter [b] de tribus consequentibus differentiis quantum ad differentiam earum et ordinem et numerum.

A. Et videtur quod non differant, 1. cum quaelibet [c] earum videatur dicere rationem manifestationis respectu Dei. — Si dicatur quod proprie dicitur « speculum » prout ab alio recipit lumen; sed imago et manifestatio dicunt [d] rationem expressionis vel manifestationis, differunt tamen [e], quia imago quantum ad habitum, et ideo proprie dicitur quod ipsa est « cuius generatio est per imitationem [f 2] », manifestatio vero quantum ad actum – sed tunc obicitur de ordine: quia videtur secundum hoc quod tertia differentia deberet [g] praecedere secundam, quia prius est considerare angelum quantum ad eius vires, secundo quantum ad receptionem factam in ipsis, tertio quantum ad manifestationem specierum iam receptarum: et secundum hanc responsionem « imago » quantum ad primum videtur sumi, « speculum » quantum ad secundum, « manifestatio occulti luminis » quantum ad tertium. — Praeterea, videtur quod differentia praeassignata inter imaginem et manifestationem nulla sit: quia cuius est actus, eiusdem est habitus [3]; ergo secundum illam differentiam « imago » et « manifestatio » ad idem dicerentur; sed manifestatio dicitur ad inferius; ergo [h] secundum hoc et imago: quod falsum est, secundum quod ostensum est supra per auctoritatem Augustini, in libro *De Trinitate* [4].

2. Item, dicimus quod in Trinitate potentia appropriatur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto [5]; sed constat quod praedictae tres differentiae respiciunt solummodo sapientiam. Quaeritur ergo, cum angelus in sua creatione recipiat [i] effectus totius Trinitatis, quare solum in sua definitione, quae esse eius indicare debet, ponuntur differentiae respicientes [k] sapientiam, non potentiam aut bonitatem.

3. Item, quaeritur utrum per aliquam istarum differentiarum sit assignare differentiam angeli ad animam. Et videtur quod non: Quia constat quod est imago, sicut et [l] angelus, similiter et speculum, ratione cuius [m] dicunt quidam [6] quod Prophetae vident in speculo, et ratione huius ponimus intellectum speculativum in anima. Similiter anima [n] est « manifestatio occulti luminis »: per ipsam enim est manifestare Deum, etsi non plene, sicut per angelum.

4. Quaeritur similiter de consequentibus differentiis quae videntur explanare rationem speculi, prout angelus dicitur « speculum », et quaeritur quomodo differant. Videtur [o] quod sit ibi solum [p] inculcatio verborum.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod haec tria ponuntur in ratione angeli, prout ordinantur [q] ad contemplationem. Essentialiter enim et [r] primo se habet ad hunc actum: exigitur enim quod sit essentia potens intelligere, et quantum ad hoc tenet rationem « imaginis ». Requiritur etiam lumen, quo effective intelligit, et quantum ad respectum illius dicitur « manifestatio occulti luminis ». Exigitur etiam quo intelligat formaliter, scilicet species recepta ab intelligente, et respectu illius dicitur « speculum »: sicut enim in speculo recipiuntur sive resultant species sensibiles, ita in hoc [s] speculo species intelligibiles. Ratione ergo horum trium, quae exiguntur ad contemplationem, potens intelligere, lumen et species, et quasi ad tres rationes causae referuntur, dicitur angelus, qui est prima creatura contemplativa, « imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum » etc. — Ex iis etiam patet ordo istarum differentiarum.

2. Si vero quaeratur 'quare angelus magis definiatur ratione sapientiae quam bonitatis aut [t] potentiae': dicendum [7] quod omnia dantur intelligi. Nam nomine « imaginis » intelligitur potentia intelligendi, quae est prima ipsius angeli; per hoc etiam quod dicitur « speculum purum, incontaminatum [u] », notatur bonitas: et sic omnia dantur intelligi; sed illud maxime pertinet ad cognitionem, quia de natura primo [v] ordinatur ad contemplandum Deum et alia consequenter.

3. Ad illud vero quod quaeritur utrum per aliquam istarum differentiarum differat anima ab angelo: dicimus quod etsi illae tres primae differentiae conveniant animae et angelo, differenter [x] tamen. Angeli enim sunt prima lumina creata, sed animae secunda; item, animae convenit ratio speculi, sed hoc ratione eius quod cognoscit per

---

[a] S om. [b] Z om., ST *conveniente*, RL om. *autem*. [c] V *quolibet*. [d] S *dicant*. [e] L om. *d. t*. [f] C add. *que*. [g] RC *debet*. [h] RLCZ add. *et*; C om. sequens *et*. [i] S *respiciat*, VST *effectum* pro *effectus*. [k] L *recipientes*. [l] RC om. [m] ST *eius*. [n] L om. *s. a*. [o] V add. *enim*. [p] V *solummodo*. [q] LC (corr.) *ordinatur*. [r] S *in*, quod T corr. [s] C om. [t] C *sive*. [u] Z *sive contaminatum*. [v] Z *prima*. [x] RLCZ *differunt*.

1 *De anima*, c. 2 (PL 70, 1295). Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 57, *ad 5*.
2 Cf. p. 140, nota 8.
3 Cf. Aristot., *De somno et vigilia*, c. 1 (III, 500).
4 Cf. supra, p. 140a, nota 1.
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 450-460.
6 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 6, c. 1 (f. 53b).
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 16, a. 2, q. 3 (II, 404sqq.).

abstractionem specierum a[a] phantasmatibus: non sic angelus, sed magis prout recipit a[b] superiori. Unde determinamus quasi triplex speculum creatum: unum, secundum quod dicimus quod omnes creaturae sunt quasi speculum Dei, secundum quod ipsae sunt vestigium Trinitatis; aliud speculum dicitur anima; tertium angelus.

4. Per differentias vero subsequentes differt angelus essentialiter. Licet enim anima quantum ad statum innocentiae posset esse « speculum purum », non tamen « perlucidissimum », sed post statum peccati nec purum nec perlucidissimum; sed angelus dicitur « speculum perlucidissimum », contra hoc quod anima in statu innocentiae, etsi dicitur speculum, non tamen perlucidissimum[c], sed minus lucidum; « purum », contra hoc quod anima in statu peccati speculum obscurum est. Sed per reliquas differentias removetur triplex genus maculae ab angelo: speculum enim potest esse sordidum vel quia in se habeat maculam, et quantum ad hoc dicitur « immaculatum »; vel quia in se recipiat ab extrinseco, sed hoc dupliciter: vel quia res sordida ei adiungitur vel quia rei sordidae adiungitur — quemadmodum dicimus quod manus munda per motum eius ad lutum sordidatur, secundum quod dicimus quod aliquis ponit manum[d] mundam in luto, vel etiam e contrario motum luti ad manum — primo modo « incontaminatum », secundo modo « incoinquinatum ». Removetur ergo per hoc[e] omne genus maculae quod contingit reperire in anima, scilicet originalis, per hoc quod dicitur « immaculatum », et actualis per hoc quod dicitur « incoinquinatum et incontaminatum », quia actuale peccatum potest esse in anima aut ex contaminatione aut ex coinquinatione. Et[f] per hoc vult ostendere Dionysius quod malum non est in angelo [1].

Quod vero sequitur « recipiens totam, si iustum est dicere, speciem » etc. propter hoc[g] dicitur quod Filius simpliciter est species [2]: unde tota species Patris dicitur; sed angelus non habet totam speciem, et ideo dicit « totam, si iustum est dicere, speciem habens », id est secundum quod contingit secundum possibilitatem naturae, sicut dicimus quod secundum convenientiam recipientis dat Dominus gratiam. Unde Matth. 25,15: *Dedit unicuique secundum propriam virtutem,* et illud '*secundum*' non dicit causalitatem, sed quamdam congruentiam ex parte recipientis. Unde in ista datione duo sunt attendenda[h]: congruentia quaedam ex parte recipientis et liberalitas ex parte[i] dantis, secundum quod dicitur Esther 2,18 quod Assuerus *largitus est* munera *secundum magnificentiam principalem:* et ly[k] '*secundum*' causalitatem hic non notat; similiter haec praepositio '*secundum*', cum dicitur Eccli. 1,10: *Secundum datum suum praebet illam diligentibus se.*

B. 1. Praeterea, videtur quod haec differentia « totam[l], si iustum est dicere » superflue ponatur in hac definitione: videtur enim sine illa sufficienter manifestari esse angeli per praecedentes differentias.

Respondeo: Verum est quod per praecedentes[m] differentias sufficienter manifestatur esse angeli, quod habet ex natura: quoad hoc enim conveniunt ei illae differentiae, non tamen quoad hoc quod habet esse ex gratia superaddita, et ideo ad esse illius manifestandum quoad hoc[n] additur illa differentia ultima; sicut enim mali angeli facti sunt deformes per culpam, sic boni per gratiam boniformes vel bene formati. Unde gratia haec appellatur « speciositas », secundum quam angeli bene[o] formati sunt deiformes, et ideo signanter additur « bene formatae deiformitatis ».

2. Item, ad quid ibi additur « totam »? Ad quod dicimus quod ad differentiam animae. Anima enim, etsi in praesenti possit suscipere gratiam et ita huiusmodi speciositatem, non tamen totam, sicut possibile est ipsam suscipere secundum proportionem contingentem ipsam, sive etiam sit confirmata sive non. Unde etsi[p] possit in praesenti suscipere gratiam et etiam confirmationem[q], sicut fuit in quibusdam, licet in paucis, non tamen potest recipere in plenitudine actus, sed solum in futuro, quando glorificabitur, et tunc tōtam suscipiet secundum quod possibile est secundum proportionem contingentem ipsam; sed angeli non solum iam recipiunt speciositatem gratiae, sed etiam confirmationem in ea et etiam cum hoc gloriam: et ideo plenitudinem actus, secundum quod possibile est, secundum proportionem contingentem ipsos[r], secundum illud Matth. 25,15: *Unicuique secundum propriam virtutem* etc., et ideo iam susceperunt huiusmodi speciositatem. Et ad hoc notandum dicimus « suscipiens totam » etc.

3. Quaeritur postea de hoc quod in fine additur « et pure declarans in se ipso, sicut possibile est, bonitatem quae est in abditis », et alia

---

[a] L *et.* [b] S om. [c] R om. *sed post... perlucidissimum.* [d] V add. *suam.* [e] S add. *quod.* [f] C om. [g] V om. *p. h.* [h] Ita R, alii *attribuenda.* [i] Z om. *e. p.* [k] V *sicut,* Z om.; codd. *iuxta* pro *secundum.* [l] RLCZ *totum.* [m] RC *predictas,* T om. *per.* [n] Z *quo* pro *q. h.* [o] C *boni.* [p] V *et.* [q] Ita V, alii *cum confirmatione.* [r] R *eos.*

[1] Scilicet in angelo bono.

[2] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 448.

translatione[1] dicitur[a]: « specificans benignitatem[b] silentii, quod[c] est in abditis »; hoc enim omnino videtur superfluere[d] quantum ad manifestationem esse ipsius angeli, quia constat quod non habet nisi duplex esse, scilicet naturae et gratiae.

Respondeo: Verum est quod hic definitur quantum ad utrumque esse. Et primo quantum ad esse naturae, quantum ad hoc dicebantur principaliter tria de ipso, scilicet quod est « imago Dei, manifestatio occulti luminis et speculum »; quantum ad secundam differentiam determinabatur potestas manifestandi lumen increatum, quae erat a natura in ipso; quantum ad tertiam potestas suscipiendi aut recipiendi a praedicto lumine. Secundum primam differentiam indifferenter se habent ad hoc et ad illud. Quod vero possibilitates illae[e], quae insunt ei a natura, ad actum reducantur, gratiae est, non naturae. Et ideo sicut ex parte illa, qua definiebatur quoad esse naturae, determinabatur duplex possibilitas, sic ex parte qua definiebatur quoad esse gratiae, respondet ei distincte duplex actus. Unde ei quod prius dicebatur « speculum » respondet ex parte gratiae primus actus, qui est « suscipere »; ei quod dicebatur « manifestatio occulti luminis », actus secundus, qui est declarare; ei vero quod dicebatur « imago », non respondet aliquis actus, cum ipsa sit communis respectu utriusque possibilitatis nec per ipsam determinetur distincte aliqua possibilitas.

C. 1. Sed tunc est oppositio de ordine: quia secundum praedicta videtur quod actus secundus deberet primo loco poni et actus primus secundo.

Ad quod[f] dicendum quod manifestatio habet respectum ad id quod manifestatur et ad eos[g] quibus fit manifestatio. Angelus enim lumen creatum est, in se lucem increatam manifestans sicut effectus causam: et quoad hoc ratione eius quod manifestatur, prius est manifestatio quam speculum secundum ordinem naturae; comparatione tamen ad eos quibus fit manifestatio, prius est speculum: angeli enim superiores manifestant inferioribus quae susceperunt a prima luce[2]; sed prius est suscipere quam declarare quod susceptum est. Ex quo patet quod e contrario potest attendi ordo inter manifestationem et speculum ex una parte, et actus eis[h] correspondentes, quia quantum ad primum modum est ordo[i] inter illa, quantum ad secundum inter ista.

2. Sed quaeritur quid vult dicere, cum dicit: « benignitatem silentii, quod est in abditis », et quid appelletur ibi silentium et quid abdita sive occulta et etiam quae est ista benignitas.

Ad quod dicimus[3] quod summum[k] verum et increatum in se est incomprehensibile et occultum, et de eius benignitate est quod permittit se declarare: ista ergo permissio benignitas dicitur hic. Incomprehensibilitas vero eius dicitur silentium secundum metaphoram: silentium enim dicitur soni privatio, sed quando advenit sonus, tunc est declaratio; Verbum vero aeternum in se[l] declaratum est, et ideo antequam ad manifestationem veniat, quae fit per aliquem sonum creatum[m], dicitur silentium propter privationem declarationis: secundum hunc modum accipitur silentium Apoc. 8,1 et Sap. 18,14: *Dum medium silentium* etc. Ratione ergo incomprehensibilitatis dicitur « silentium », ratione eius quod[n] occultum est dicitur « quod est in abditis ».

3. Item quaeritur: in libro *De hierarchia angelica*[4] ponit tres actus: illuminare, purgare, perficere; quare potius definitur per primum actum quam per[o] secundum vel tertium?

Ad quod dicimus quod isti tres praedicti actus assignantur inesse angelis superioribus respectu inferiorum aut respectu animarum. Quod vero hic definiantur, hoc est prout comparantur ad Deum, secundum quod expositum est superius[5], prout dicimus quod Deus est summe intelligibilis, summa[p] lux et species[6]. Unde nulla est praedicta quaestio, quia[q] illi actus, quos Dionysius assignat, non referuntur ad esse angeli hic definiti, sed potius consequuntur.

---

[a] R *dei.* [b] Z *benigni*, V *silentium* pro *silentii.* [c] Codd. *que.* [d] L *superflue.* [e] Ita ST, alii om.; S *iustum* pro *insunt.* [f] VST *secundum.* [g] V *ea.* [h] VSTZ *eius*, quod L corr. [i] Ita V, alii *ordinatio.* [k] L *secundum.* [l] R om. *i. s.* [m] VSTRZ add. *et*, quod LC exp. [n] V add. *ad.* [o] Ita V, alii om. [p] V *summe.* [q] VST *quod.*

[1] Scil. Ioan. Sarraceni, saltem quoad substantiam. Habet enim sic *De divin. nomin.*, c. 4, § 22: « resplendere faciens in se ipso... bonitatem silentii quod est in adytis » (Dionys. Cartus., *Opera omnia*, Tornaci 1902, XVI, 371).

[2] Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hier.*, passim, v. g. c. 4, § 3; c. 7, § 3; c. 8, § 2; c. 10, § 1; c. 13, § 3 (PG 3, 181, 208sq., 240, 272sq., 301sq., PL 122, 1047, 1052, 1054, 1058sq., 1062). Accedit Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 872).

[3] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 9, praenotata (II, 239b).

[4] Cap. 3, § 2 (PG 3, 165, PL 122, 1045).

[5] Cf. supra, p. 141b.

[6] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 1, q. 1 (I, 69).

CAPUT IV.

DE PERSONALITATE ANGELI.

Consequenter procedendum est ad personalitatem angeli, de qua quaeruntur haec:
Primo, an sit personalitas in angelo;
secundo, secundum quam rationem inest [a];
tertio, de hoc quod discretio personalis est unum attributum angelo, condividens cum simplicitate essentiae et perspicacitate intelligentiae et liberi arbitrii potestate seu facultate.

109 ARTICULUS I.

An sit personalitas in angelo.

Quod personalitas non sit in angelo, sic arguitur: 1. Dicit enim Boethius, in libro *De duabus naturis et una persona* [1], quod « persona est rationalis naturae substantia individua »; sed rationalis natura non convenit angelo, cum ' rationale ' sit propria differentia hominis et specifica; ergo nec persona.

2. Praeterea, individuitas, sicut dicit Philosophus [2], est a materia vel ab accidente; sed penes accidens non est haec individuitas personalis: non enim convenit angelo habere patriam [b], parentelam et tempus et huiusmodi accidentia individuantia [3]; ergo non erit individuitas personalis per accidens. Nec per materiam: cum non possimus materiam aliam et aliam dicere [c] in angelis, sicut annulus dicitur alterius materiae cum est aureus et cum [d] est argenteus; non ergo est personalitas in angelo.

3. Item, non accipitur personalitas ita communiter sicut in grammatica, ut de omni substantia individua sit dicere personam, sed coarctatur ad illam quae habet potestatem sermonis, ut quae dirigit sermonem vel ad quam dirigitur sermo; sed, sicut dicit Damascenus [4], non indigent angeli sermone, sed tradunt ad invicem suas intelligentias sine voce; ergo ratio personae secundum hunc modum non convenit angelis.

4. Item, sicut angelus habet distinctionem intellectualis naturae, ita et anima; sed anima non habet propter distinctionem huiusmodi intellectualis naturae personalitatem [e], non enim dicitur una anima una persona; ergo nec angelus propter consimilem distinctionem.

5. Item, magis est completa humana natura in Christo quam angelica natura in aliquo angelo; sed non accipitur personalitas secundum humanam naturam in Christo: non enim sunt duae personae, licet sint duae naturae; ergo secundum angelicam naturam in aliquo angelo non erit accipere personam.

Contra: *a.* Ratio personae, quam ponit Richardus, in libro *De Trinitate* [5], convenit ei, scilicet quod sit « res per se subsistens secundum quemdam existentiae modum singularem ».

b. Item, Hugo de S. Victore [6], qui ponit attributa angelis, et Magister, in *Sententiis*, 1 dist. II libri [f] [7], ponit unum attributum angelo discretionem personalem.

c. Item, inter Deum et hominem angelus est medium, et secundum quemdam modum est dicere intellectualem naturam in iis; ergo, cum [g] in extremis sit personalitas, in medio, secundum quod convenit cum extremis, erit ratio personae.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod personalitas convenit angelis.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem obiectum [h] in contrarium dicendum est quod rationalis natura dupliciter accipitur in Scripturis: proprie, et secundum hoc est homo rationalis [i] natura, sicut ratio est propria vis eius; alio modo dicitur communiter pro intellectuali natura, et secundum hunc modum potest convenire angelo et ratio personae, in qua ponitur haec conditio, scilicet « rationalis naturae ».

2. Ad aliud dicendum est quod individuitas non tantum est ab accidente vel a materia, sicut

---

[a] V *inesse*. [b] S om. [c] RLCZ om. [d] R om., S om. *et*. [e] V add. *nature*. [f] V *libro*. [g] Z *causa*. [h] Ita V, alii *obiectum autem* pro *p. a. o.* [i] V add. *naturalis*.

[1] Cap. 3 (PL 64, 1343).
[2] Aristot., *De categor.*, c. 3 (I, 2sqq.); Boeth., *In Porphyr., De specie* (PL 64, 28sq.).
[3] Haec quoad hominem hoc versiculo continentur: Forma, figura, tempus, stirps, patria, nomen.
[4] *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867sq.).
[5] Lib. IV, c. 24 (PL 196, 946); cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 387.
[6] *De sacram. christ. fid.*, I, p. 5, c. 12 (PL 176, 251): « Quod ergo spiritus erant, quod vita erant, quod indissolubiles vel immortales erant: aequales omnibus erant ».
[7] Dist. 3, c. 1 (p. 317).

dicit Philosophus, sed Philosophus locutus est sicut in Naturali Philosophia; hic autem communius [a] accipitur ratio individui pro incommunicabilitate [b], ut dicatur et in divinis individua hypostasis, ubi non est materia vel accidens, sed attenditur secundum proprietates personales distinguentes.

3. Ad tertium dicendum quod, licet angelo non approprietur potestas formandi sermonem [1], nihilominus est persona. Quod enim non [c] format sermonem, hoc non [d] est propter defectum ex parte sui, sed propter defectum organi: unde cum assumit corpus, format sermonem. Praeterea, aliqua est natura per se incommunicabilis, scilicet intellectualis natura, quae convenit angelo, propter quod in hypostasi contingit esse personalitatem.

4. Ad quartum dicendum quod non est simile de angelo et de anima. Nam anima non habet esse distinctum et separatum ab omni alia re: convenit enim in unum esse cum corpore; esse vero personae est esse per se entis et distincti, et ideo angelus habet rationem personae; anima vero rationalis non habet rationem personae. — Et si obiciatur: si contingat animam esse separatam, numquid tunc erit persona? Respondeo [e] quod non, quia, licet sit separata, habet rationem possibilis ad unum aliquid [f] constituendum, et ita ordinatur ad rationem partis; sed quod est huiusmodi, non habet rationem 'per se sonantis', et ita non est persona; sed non sic [g] est de angelo, cum habeat esse in actu distinctum et separatum ab altero nec habeat possibilitatem ad aliquid aliud ulterius.

5. Ad ultimum dicendum quod non est similis ratio de humana natura in Christo et de angelica. Licet enim humana natura in Christo omnimodam habeat perfectionem quantum ad esse et bene [h] esse nec habeat rationem partis, ut dicatur quod persona illa composita sit ex humana et divina natura, nihilominus ratio personalitatis est ibi secundum hypostasim divinae naturae, cum qua praeexistenti et digniori humana natura uniebatur. Non sic autem est [i] de angelo: habet enim rationem suae hypostaseos non dependentem ab altero quam a sua natura intellectuali, et congruit habere rationem per se entis. Ex quo elicitur quod angelo convenit [k] personalitas.

ARTICULUS II. 110

Secundum quam rationem conveniat personalitas angelo.

Secundo quaeritur secundum quam rationem conveniat [l] persona angelo [2].

1. Cum enim persona sit hypostasis distincta proprietate [3], oportet in angelis attendere aliquas proprietates quibus personae distinguantur; non autem [m] unus angelus est ab alio, quemadmodum est in divinis et humanis; non ergo est ratio secundum quam distinguitur una persona ab alia in angelis.

2. Praeterea, sol et luna non dicuntur [n] duo individua eiusdem speciei, sed utrique speciei [o] suum respondet individuum [4]; ubi autem non est differentia [p] individuorum sub eadem specie in creaturis, non est dicere differentes personas, cum persona sit individua hypostasis naturae [5]; sed sic est in angelo, ut videtur: cum enim species sit in substantia incorruptibili, non indiget multiplicatione individuorum — haec enim videtur esse ratio in sole et luna [6], in animalibus autem aliter est — restat ergo quod uni speciei angeli unum respondet individuum, et alii aliud; non ergo sunt duo individua sub eadem specie in [q] angelis; ergo nec duae personae; ergo nec personarum distinctio secundum talem rationem.

3. Praeterea, dicit Richardus, in libro *De Trinitate* [7], quod « persona est rationalis naturae incommunicabilis existentia »; existentia autem dicitur, cum unus habet esse ex alio vel ab alio; sed hoc non est in angelis; ergo non est persona secundum hanc rationem.

4. Praeterea, ubi est ratio [r] personae, dicitur una persona [s] prior altera intelligentia vel [t] natura; sed in angelis non sic est: sunt enim simul natura, et intelligentia unius [u] non dependet ab intelligentia alterius.

5. Praeterea, in creaturis videtur praeeminentia unius personae [v] ad alteram, ut persona regis praeeminet personae [x] ducis et persona ducis personae militis; in angelis autem non discernitur haec praeeminentia; non ergo videtur esse ratio personae.

---

[a] V *communis.* [b] S *incommutabilitate,* quod T corr. [c] Z *vero* pro *e. n.* [d] Z om. [e] RCZ *respondendum.* [f] Z *quid.* [g] Z *sic vero non* pro *s. n. s.* [h] Z *bonum.* [i] T om. [k] V *conveniat.* [l] RC *convenit.* [m] R *enim.* [n] C *dicunt.* [o] VS om. *s. u. s.* [p] RLCZ *indifferentia.* [q] ST add. *creaturis.* [r] Z *ratione,* quod L corr. [s] R om. [t] L (corr.) *et.* [u] VZ *unus,* quod L corr.; V om. *non.* [v] C om. [x] R *persona.*

1 Alludit ad Boeth., *De persona et duab. nat. Christi,* c. 3 (PL 64, 1343): « Persona dicta est a personando ».
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 3, p. 1, a. 2, q. 2 (II, 105 sqq.).
3 Cf. Alan., *Theol. reg.,* reg. 32 (PL 210, 637); Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 387.
4 Cf. Aristot., *Metaph.,* VI, c. 15 et *De caelo,* I, c. 9 (II, 555, 382).
5 Cf. Boeth., loc. cit.
6 Cf. Aristot., loc. cit.
7 Lib. IV, c. 22 (PL 196, 945).

6. Item, ponatur quod omnes [a] angeli essent aequales in proprietatibus ut tam perspicacis intelligentiae esset unus sicut et [b] alius et aequalis facultatis in voluntate: numquid dicerentur habere rationem personae? Quod non, videtur, quia nulla esset praeeminentia unius ad alterum. — Sed contrarium videtur per hoc quod differunt [c] in substantia et proprietatibus personalibus; ergo different secundum [d] rationem personae.

7. Item, numquid differentia quarumcumque proprietatum dat rationem personae vel determinat? Ministrat enim unus angelus et alius non ministrat; numquid haec distinctio dat rationem personae? Quod si daret, cum cessaret ministerium [e], cessarent personae. — Item, unus angelus habet cognitionem alicuius rei, alius non; numquid haec distinctio est secundum quam differt persona a persona? Quod si esset, cessante cognitione desinerent habere rationem personae. — Item, bonitas et malitia attribuuntur angelis et secundum illa [f] est distinctio unius ab altero; numquid secundum hoc accipitur ratio personae? Quod si esset, a principio, quo conditi sunt, non haberent distinctionem personalem.

8. Item, dicit Hugo de S. Victore[1]: « Quod immortales sunt aequale est omnibus ». Ergo non differunt secundum magis et minus in immortalitate; ergo quoad rationem immortalitatis non est distinctio personalis. — Sed videtur contrarium, quia [g] dicit Damascenus[2] quod angelus est « suscipiens immortalitatem, non natura, sed gratia »; sed contingit in uno angelo ampliorem esse gratiam quam in alio; ergo contingit esse ampliorem [h] immortalitatem; ergo, cum differant secundum magis et minus in [i] immortalitate, dicetur distinctio personae secundum hoc. — Item, sunt diversa officia angelorum, ut a quibus accipiuntur haec nomina, Cherubim et Seraphim; numquid secundum differentiam istam officiorum est distinctio personalis in angelis?

[Solutio]: Ad quod dicendum [k], secundum quod dicit Richardus de S. Victore, in libro *De Trinitate*[3]: « Existentia tribus modis generaliter potest variari. Variari namque potest secundum solam rei qualitatem aut secundum [l] solam rei originem aut secundum utriusque concursionem. Secundum solam rei qualitatem variatur existentia, quando pluribus personis est una eademque origo per omnia, singulis tamen singularis propriaque substantia: plures namque substantiae omnino non possunt esse sine differenti qualitate [a]; est autem haec talis variatio existentiae secundum qualitatem, nihil varietatis habens secundum originem. Secundum vero originem est illa [b] varietas existentiae, quando pluribus personis est unum et indifferens esse, inveniuntur tamen secundum originem ad invicem differentiam habere si unus originem habet, alius origine caret vel si [c] originem habentium, origo unius differt ab origine alterius; huiusmodi ergo existentia variatur secundum originem solam, non [d] secundum aliquam qualitatis differentiam. Tam secundum rei qualitatem quam secundum originem variatur existentia, ubi singulis personis est substantia [e] singularis et propria origo diversa. In humana enim natura est distinctio secundum qualitatem et originem: est enim qualitas propria et singularis, per quam unus homo differt ab alio; et similiter origo propria: nam aliud est principium isti et aliud illi. In angelica autem natura nulla est propagatio, sed sola simplexque creatio; est ergo omnium [f] simul unum solum indifferensque principium; sunt autem in angelica natura [g] tot substantiae quot personae, et idcirco oportet eas [h] qualitate differre: nam si nulla qualitate differrent [i], proculdubio plures non essent. In divinis autem personis nihil omnino dissimilitudinis [k], nihil inaequalitatis, et ideo [l] secundum qualitatem differre non possunt ». Relinquitur ergo ut credatur secundum modum originis differentiam habere, si unus extet [m] a se ipso, alter originem trahat ab altero, etsi originem habentes differant in obtinendi modo. In divina ergo natura secundum [n] originem solam oportet quaerere tam personarum quam hypostasum differentiam. Unde in angelis est distinctio personalis secundum absolutam et naturalem qualitatem hypostaseos angelicae naturae; hae autem qualitates sunt perspicacitas intelligentiae et facultas voluntatis, quae sequuntur [o] simplicitatem essentiae.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum dicendum [p] [4] quod secundum aliam rationem accipitur distinctio personalis in angelis et in divinis. Nam in divinis omnis qualitas naturalis communis est [q] tribus personis — est enim ipsa substantia — ut bonitas, sapientia, et ita de aliis, sed distinguitur in hoc quod unus est ab alio, alter a quo alius: unde distinctionem illam vocat « secundum

---

[a] V *Deus.* [b] TR om. [c] Ita V, C *differant*, alii *differrent.* [d] V add. *pro.* [e] V *in cessante ministerio* pro *c. c. m.*; S om. *cum.* [f] S om. [g] T *quod.* [h] C add. *esse.* [i] V om. [k] Ita V, alii add. *est.* [l] R om.

[a] Z add. *hoc*, quod L exp. [b] Z om., in L est add. interl.; T *quandoque* pro *quando.* [c] S om. [d] R add. *ergo.* [e] V om. [f] V om. [g] LZ om. [h] S *eos.* [i] L repet.; RZ om. *qualitate.* [k] Z *dissimilium.* [l] Z *omnino.* [m] LC (corr.) *oportet.* [n] Ita V, alii *circa.* [o] L *consequuntur.* [p] Z add. *est.* [q] L om.; RLCZ om. *personis.*

[1] *De sacram. christ. fid.*, I, p. 5, c. 2 (PL 176, 251).
[2] *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867).
[3] Lib. IV, cc. 13-15 (PL 196, 938 sqq.).
[4] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 315, 316.

originem ». Non sic autem est in angelis, cum omnium angelorum sit una origo, scilicet Deus, a quo sunt simul per creationem.

2. Ad secundum [a] dicendum quod multiplicatio individuorum non accipitur in angelis propter hoc quia species non possit salvari in uno [1] angelo, sicut [b] nec animarum multiplicatio, sed hoc est ut sit [c] multitudo fruentium summa bonitate, non tamen in differenti specie, sed in eadem: in hoc enim manifestatur bonitas divina, ad quam recurrunt boniformia [2]. Nec est simile de sole et luna: sufficit enim sol unus propter sui perfectionem et magnitudinem ad complementum universi, et luna similiter.

3. Ad tertium dicendum quod ista ratio personae, secundum quam dicitur « existentia incommunicabilis », prout 'existere' dicitur ex [d] alio esse, non est ratio communis divinae naturae et angelicae, sed divinae et humanae. Si vero accipiatur existentia pro subsistentia, subsistentia [e] autem est proprietas [f] naturalis absolute vel respective, secundum hoc convenit ratio personae angelicae personae.

4. Ad quartum dicendum quod ordo naturae vel intelligentiae ibi dicitur, ubi [g] attenditur distinctio secundum originem [3], non ubi attenditur [h] secundum absolutam qualitatem.

5. Ad quintum dicendum quod est persona accidentaliter dicta, ut cum dicitur persona regis aut ducis et in talibus attenditur praeeminentia; sic per quemdam modum est in naturalibus proprietatibus angelicis, ut dicatur alter altero praeeminentior et excellentior. Est iterum persona naturaliter dicta, sicut persona patris et persona filii in hominibus, et hic est aliqua praeeminentia: aliquid enim habet naturaliter pater quod non habet filius. Sed in divinis non sic est: quidquid enim habet Pater, habet Filius [4] et e converso, et ideo non dicitur praeeminentia, secundum quem modum in parte contingit in angelis: non enim unus praeeminet alteri tamquam origo illius.

6. Ad sextum dicendum quod, licet paritatem habeant perspicacitatis et huiusmodi, nihilominus [i] essent differentes personae, quia differrent hypostases et differrent proprietates, sicut est [k] de duobus geminis, qui plurimum assimilantur, tamen substantia istius non est substantia illius nec proprietas huius est proprietas illius [l]; unde in differentia personae ad personam non oportet semper ponere ordinem vel praeeminentiam: differunt enim non per prius et posterius vel magis et [m] minus, sed se ipsis.

7. Ad septimum dicendum quod differentia accidentalium formarum, ut eius quod est ministrare vel cognitionem huius rei vel illius habere et similiter bonitatem vel malitiam, non est prima ratio distinguendi personas in angelis, sed illarum formarum quae adhaerent hypostasi angelicae naturaliter.

8. Ad octavum dicendum quod immortalitas dupliciter dicitur in angelis: uno modo pro immortalitate ex natura et alio modo pro immortalitate ex gratia, secundum quod mors dupliciter dicitur: vel desitio [n] naturae vel defectus gratiae [5]. Quantum [o] ad primum modum sumit Hugo de S. Victore, et sic aeque convenit omnibus angelis; quantum ad secundum vero modum non [p], sed convenit bonis angelis, malis autem non convenit, immo mortui sunt in peccatis; utraque tamen immortalitas uno modo est [q] ex gratia divina conservante res in esse vel in bene esse. — Quod autem dicitur gratiam magis vel minus esse in alio et [r] alio, respondeo quod [s] non sequitur, si gratia maior vel minor, quod immortalitas sit maior vel minor: data enim est a gratia divina ut sit aeque in omnibus.

ARTICULUS III. 111

De discretione personali angelorum.

Tertio quaeritur de discretione personali ratione huius quod ponitur unum quatuor attributorum angelo [6].

Dicit enim Hugo de S. Victore [7] quatuor esse attributa angelo [t]: primum est simplicitas substantiae, secundum discretio personalis, tertium

---

[a] Ita V, alii add. *vero.* [b] ST *sic.* [c] S (corr.) *si.* [d] S *in.* [e] VL om., in S est add. mg. [f] Ita V, alii *proprietatis;* C om. *est.* [g] S *ibi.* [h] S om. *distinctio... attenditur,* in T est add. mg. [i] R add. *tamen.* [k] LC om., RL *enim,* quod LC exp. [l] LZ *istius.* [m] S *vel.* [n] Z *defectus.* [o] Z om. [p] V add. *convenit.* [q] VS om. [r] RC add. *in.* [s] Ita V, L *respondendum est,* alii *responsio est* pro *r. q.* [t] R om.

[1] Alludit ad Aristot., *De gener. et corrupt.,* II, c. 10 II, 464).

[2] Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hier.,* c. 7, § 4 (PG 3, 212): ἀγαθοειδὴς ἱεραρχία. Cf. etiam *De divin. nomin.,* c. 4, § 18 (PG 3, 715).

[3] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 320 et 321.

[4] Cf. Damasc., *De fide orthod.,* I, c. 8 (PG 94, 818).

[5] Cf. Gregor. Nys., *Contra Eunom.,* VIII (PG 45, 798).

[6] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 3, p. 1, a. 2, qq. 1-3 (II, 102 sqq.).

[7] *De sacram. christ. fid.,* I, p. 5, c. 8 (PL 176, 250).

forma sapientiae et intelligentiae rationalis, quartum potestas liberae voluntatis inclinandae sive in bonum sive in malum.

Sed obicitur de discretione personali quae attribuitur angelo cum simplicitate essentiae. Videtur enim inconveniens: 1. Essentia enim simplex est de ipsa persona; ergo essentia simplex et persona discreta non connumerantur; non ergo erunt duo discretio personalis et essentiae simplicitas, et ita non ponentur in divisione.

2. Item, quaeritur qualiter accipiatur discretio personalis quae ei attribuitur, cum non accipiatur de Veteri vel de Novo [1]: non enim invenitur angelum dici personam hic vel ibi.

3. Praeterea, cum in angelo non sit tantum differentia eius 'quod est' et 'quo est', sed inter 'quod est' et 'quis est' — aliter enim non esset discretio personalis in creaturis — necesse est esse quasi duplicem compositionem; non ergo in angelo se compatiuntur ad invicem discretio personalis et simplicitas essentiae. Nec est simile de Deo, quia ibi idem est [a] 'quod est' et 'quo est' et 'quod est' et 'quis est' [2]; in creaturis vero non sic est; non ergo simplicitas essentiae [b] in angelis et discretio personalis conveniunt.

4-5. Item, cum sit duplex compositio, videtur maior compositio in angelis quam in creaturis, in quibus non est personalitas: in illis enim non differt nisi 'quod est' et 'quo est', in angelo autem videtur esse duplex compositio; ideo requiritur quod [c] ex parte personae sit nova compositio in angelis ultra illam quae est substantiae, ut videtur. Sicut enim si paternitas non [d] esset Pater, paternitas adveniens hypostasi faceret unam compositionem, ita in angelo proprietas personalis adveniens hypostasi angelicae faceret unam compositionem; sed haec est compositio personae; ergo persona angelica propriam habet compositionem praeter illam quae est substantiae.

6. Praeterea, si perspicacitas maior vel minor est proprietas personalis et [e] distinguens angelum ab angelo, quomodo erit attributum condividens cum discretione personali? Eodem enim [f] modo videtur de discretione personali.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod quatuor sunt attributa angelis, sicut supra habitum est [3]. Ratio autem est: quia quidquid est attributum angelo, pertinet ad conditionem angeli vel pertinet ad substantiam eius vel ad potentiam. Cum enim tria sint in [g] angelis, substantia, potentia et operatio [4], — quod enim [h] dicitur essentia, pro substantia accipitur — sed ad substantiam duo pertinent, scilicet essentia et persona; dicitur enim substantia duobus modis: per modum substantiae primae et secundae; propter quod ex parte essentiae dicitur simplicitas essentiae [i], ex parte vero personae, quae est substantia individua, dicitur discretio personalis, ex parte vero [k] potentiae, cum sit duplex in genere, respectu veri et respectu boni, respectu veri dicitur [l] intelligentia, respectu boni voluntas: dicetur ergo ex parte intelligentiae perspicacitas, ex parte voluntatis libertas.

[Ad obiecta]: 1. Si ergo quaeritur qualiter discretio personalis et simplicitas essentiae connumerantur inter attributa, cum essentia sit de persona: respondeo [m] quod nihil prohibet connumerari in ratione attributi, licet unum sit de ratione alterius; non enim fit connumeratio nisi ratione eius quod addit persona super essentiam; si vero nihil adderet, sed penitus esset idem, non connumerarentur.

2. Ad secundum dicendum quod discretio personalis attribuitur angelo, licet non de Novo vel [n] Veteri habeatur expresse: habetur enim implicite. Cognoscitur enim angelus esse substantia individua, distincta ab alio, ex hoc quod multi simul [o] apparuerunt [5]; cognoscitur etiam [p] rationalis natura sive intellectualis ex multiplici officio, et ita tota ratio personae elicitur ex Veteri et Novo. Praeterea, licet ex Veteri vel Novo non habeatur expresse nomen personae dictum de Deo, nihilominus, sicut dicit Augustinus, in libro [q] *De Trinitate* [6], quadam [r] necessitate ducti sunt catholici ut dicerent tres esse personas, ita quadam ratione poterant duci ad dicendum diversos angelos diversas esse personas, sicut diversos homines diversas esse personas.

3. Ad tertium dicendum [7] quod, cum dicitur 'simplicitas essentiae attribuitur angelo', simplicitas dicitur respective ad ea quae habent compositionem manifestam, sicut sunt corpora aut [s] corporales formae; non autem dicitur simplicitas essentiae absolute, et ideo nihil prohibet angelo insimul [t] attribui simplicitatem essentiae et discretionem personalem, sicut contingit attribui simplicitatem essentiae respectivam et compositionem absolutam.

---

[a] R om. [b] Z om. *nec est simile... essentiae*, in L est add. mg. [c] VST add. *est*. [d] V *ut*. [e] V *quia*. [f] VST om. [g] RC om. [h] RLCZ om. [i] S om. *d. s. e.*; LC om. *vero*. [k] VS *nature*. [l] T om. [m] V *respondemus*. [n] S add. *hec*. [o] C om. [p] C *enim*. [q] T om. *i. l.* [r] T add. *ex*. [s] V *et*, ST *ut*. [t] S *simul*.

[1] Subaudi *Testamento*.
[2] Cf. Boeth., *De Trinit.*, c. 2 (PL 64, 1250).
[3] Cf. supra, in initio huius articuli. Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, dub. 1 (II, 110 sq.).
[4] Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hier.*, c. 11, § 2 (PG 3, 284, PL 122, 1059).
[5] Cf. Luc. 2, 13.
[6] Lib. VII, c. 4, n. 8 (PL 42, 941).
[7] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, dub. 2 (II, 111).

4. Ad quartum dicendum [a] quod, licet sit duplex compositio in angelo, non propter hoc est maior quam in rebus in quibus non est personalitas: nam illae res simpliciter habent compositionem [b], cum sint substantiae corporales; angelus autem non habet compositionem quantitativam, cum sit spiritus. Pluribus ergo modis potest dici compositus, sed spiritualiter; substantia vero corporalis maiorem habet compositionem.

5. Ad quintum dicendum quod, licet compositio sit ex parte personae [c] alia ab illa quae est eius 'quod est' cum eo 'quo est', non tamen est separata omnino ab illa compositione quae est eius 'quod est' cum eo 'quis [d] est', immo illa invenitur in persona. Et iterum, licet persona distinguatur proprietate personali, nihilominus reducendo [e] ad primum, oportet quod distinguatur [f] per se ipsam. Unde iste angelus differt ab illo [g] angelo proprietate personali, et propter hoc differt ab illo sua propria hypostasi.

6. Ad ultimum dicendum quod, licet perspicacitas maior vel minor distinguant personam angeli, nihilominus est aliud attributum, quia praeter hanc distinctionem est alia distinctio personae a persona in se ipsa, et ratione illius [h] fit connumeratio cum attributis, quae ex parte potentiarum [i] attribuuntur.

CAPUT V. 112

DE ESSENTIALI DIFFERENTIA ANGELI ET ANIMAE.

Consequenter procedendum est ad quinto [k] quaesitum, scilicet de differentia animae et angeli essentiali [1].

Ad quorum differentiam quidam procedunt differenter.

Quidam enim dicunt quod differentia eorum essentialis est in hoc quod angelus est substantia separata a corpore, anima vero est unibilis corpori.

Sed videtur quod haec non sit essentialis differentia: 1. Est enim [l] loqui de anima ut anima et est [m] loqui de ea ut est spiritus [2]. Et prior est consideratio de ea ut est spiritus quam ut est anima, quia de spiritu est consideratio absolute, de anima respective. Cum ergo spiritus rationalis differat ab angelico, aliquam habebit differentiam in se ipso; sed 'esse unibile' est in respectu; ergo prior erit differentia quae est spiritus in se ipso.

2. Praeterea, est loqui de spiritu angelico et spiritu rationali in comparatione ad Deum: et [n] secundum hanc differunt essentialiter spiritus angelicus et spiritus rationalis; in hac autem parte non occurrit ratio unibilitatis corpori; ergo non est prima differentia essentialis.

3. Praeterea, si spiritus rationalis unibilis est corpori ratione suarum differentiarum vel alicuius in [o] ipso, necesse est dicere aliquid esse in ipso spiritu, ut potentia vel aliud, ratione cuius sit unibilis, et ita illud erit in quo differt [p] prius spiritus rationalis ab angelico.

4. Praeterea, intelligamus per impossibile quod spiritus rationalis remaneret [q] separatus a corpore. Numquid esset idem in specie cum angelo? Constat quod non; ergo aliquid haberet per quod differret, et non tantum individualiter, quia plus differret quam angelus ab angelo; ergo differentia aliqua specifica esset inter angelum et spiritum rationalem sic existentem.

5. Propter hoc volebant alii aliam differentiam assignare in hoc quod anima rationalis sive spiritus esset ad imaginem Dei, angelus vero non, et hoc volebant ex Scriptura Sacra accipere: de homine enim legitur [3] hoc [r] ratione animae rationalis, de angelo vero non. Dicebant enim quod spiritus rationalis habet potentiam cognoscendi [s] omnia ad similitudinem Dei.

Sed videtur eodem modo quod angelus, ex ista ratione: *a.* Quoniam sicut Deus cognoscit omnia, tam corporalia quam spiritualia, spiritualiter, ita angelus; ergo hac ratione dicetur ad imaginem sicut spiritus rationalis.

b. Nec hoc est [t] verum, quod quidam dicunt quod sicut in Deo sunt exemplares rationes, tam corporalium quam spiritualium, ita sint in anima rationali exemplares rationes omnium, tam spiritualium quam corporalium. Quod enim non sic sit, haberi potest ex hoc quod rationes factivae omnium rerum sunt in Deo, non autem in anima rationali.

c. Et si [u] dicatur quod sunt ibi cognitivae, pari ratione in angelo, sicut ostendit [v] Augustinus,

---

[a] STRL add. *est.* [b] L *componi.* [c] L om. [d] Codd. *ab eo quo* pro *c. e. q.* [e] VST *reducenda.* [f] L add. *et.* [g] RLCZ *isto.* [h] LCZ *istius.* [i] VT *personarum.* [k] Codd. *sexto;* RC om. *est.* [l] TZ om. [m] S om. [n] C *vel.* [o] V add. *se.* [p] VS *differret;* S *aliud* pro *illud.* [q] T *remanent.* [r] LCZ *hac.* [s] L *cogitandi.* [t] Z om. [u] Z add. *hoc,* quod L exp. [v] C *dicit,* S add. *in.*

1 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 10, q. 2 (f. 67c sqq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 2, a. 3, q. 2 (II, 49 sqq.).

2 Cf. Augustin., *De anima,* IV, cc. 22-23 (PL 44, 544 sqq.).

3 Cf. Gen. 1, 26.

Super Genesim ad litteram[1] — dicit enim quod angelus habuit cognitionem faciendorum omnium quae fiebant in sex diebus; de anima vero rationali non sic dicitur; unde dicit[a] quod primo cognovit angelus res in Verbo, deinde in se, tertio in proprio genere; non autem hoc legitur de anima rationali — restat ergo quod angelus ratione cognitionis deberet dici ad imaginem potius quam anima rationalis; ergo non est differentia specifica angeli et animae in hoc quod anima sit ad imaginem Dei, angelus vero non.

d. Praeterea, imago, sicut dicit Augustinus, in libro *De Trinitate*[2] et in pluribus aliis locis[b 3], attenditur secundum intelligentiam, memoriam et voluntatem; sed ista conveniunt angelo; ergo angelus dicetur esse[c] ad imaginem; non ergo haec est differentia specifica.

6. Alii dixerunt quod[d] in hoc differt angelus ab anima quod anima rationalis habet intelligentiam possibilem respectu formarum intelligibilium in phantasmate acceptarum vel[e] a phantasmatibus, angelus autem habet intellectum possibilem respectu formarum intelligibilium a superiori recipiendarum[f], et ita intellectus possibilis secundum se ipsum utrobique differt, propter quod angelus et anima.

Contra: *a.* Sicut angelus potest recipere a superiori, ita et anima rationalis; ergo quoad hoc non differunt essentialiter.

b. Item, angelus recipit ab inferiori. Quod patet in malis angelis, qui multa noscunt per experientiam, et similiter boni ratione naturae suae. Ergo utrobique attenditur convenientia angeli et animae in cognoscendo a parte superiori et a parte inferiori; non ergo secundum hoc attenditur differentia.

7. Similiter potest obici, si quis ponat differentiam angeli et animae[g] ex parte motiva, ut dicat angelum esse substantiam impassibilem, animam vero rationalem substantiam passibilem, eo quod corpori compatitur.

Obicitur *a.* per hoc quod dicit Damascenus[4]: Immortalis est « non natura, sed gratia », similiter et impassibilis; si ergo suae naturae relinquatur, dicitur passibilis; non ergo est haec differentia specifica inter angelum et animam.

b. Praeterea, sicut angelus non ordinatur ad patiendum nisi mediante culpa, ita anima rationalis non ordinatur ad patiendum nisi mediante culpa; ergo consimilis est ratio utrobique; sicut ergo angelus impassibilis vel passibilis, ita anima.

8. Praeterea, obicitur quod non differunt specie: quorum enim perfectio est indifferens specie, ipsa indifferentia sunt specie; sed perfectio angeli et animae[h] rationalis est indifferens specie, scilicet gratia in praesenti vel[i] gloria in futuro. Una enim est beatitudo vel gloria, quae est visio Dei; ergo perfectio in futuro eadem est[k] specie; similiter illa, quae est in praesenti, gratia aut caritas, quia utrobique est dilectio Dei et proximi; ergo, cum non[l] differant specie, perfectibilia non different specie.

9. Praeterea, videtur per simile: sicut enim est in brutis quod, licet leo et asinus specie differant, nihilominus modus cognoscendi per sensum similis est utrobique, ita ex hac parte esse videtur quod, licet[m] angelus et anima ponantur[n] differre specie, nihilominus modus cognoscendi vel intelligendi non videtur differre specie, et ita ex illa parte non accipitur differentia specifica.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod differentia angeli et animae rationalis aliter attenditur secundum esse naturale, in quo angelus dicitur intelligentia, et aliter in esse rationali, aliter in esse metaphysico[o], aliter in esse theologico. — Quantum ad esse naturale, in quo fit consideratio corporum mobilium et eorum quae ordinantur ad illa[p], secundum hoc differentiae essentiales sunt 'separatum secundum substantiam' et 'unibile secundum substantiam'[q]; et in hac ratione investigat naturalis philosophus ut ostendat inter animam rationalem et alias animas differentiam 'separabilis' et 'inseparabilis a corpore'. Inter intelligentiam vero angelicam et rationalem differentia est 'separata[r] secundum substantiam' et 'unibilis', ut dicatur 'separata', quae non habet intentionem ad corpus, 'unibilis' vero quae habet intentionem ad corpus: anima enim rationalis, etiam cum separata est, sicut dicit Augustinus, in[s] XII *Super Genesim*[5], habet intentionem ad corpus. Nec dicitur 'separatum' hic quod

---

[a] R *dicitur.* [b] T om. [c] Z om. [d] S om. [e] L (corr.) RC *et.* [f] R *recipiendo.* [g] Z om. *e. a.* [h] Z om. *e. a.* [i] R *et.* [k] Ita V, alii *in*; Z *cadit* pro *eadem.* [l] S om. [m] R *si.* [n] Z *ponatur* pro *e. a. p.* [o] TLZ *metaphorico.* [p] RLCZ add. *et.* [q] V om. *e. u. s. s.*, quod in C est add. mg. [r] LCZ *esse separatam.* [s] V om.

[1] Lib. IV, cc. 24-32 (PL 34, 313-317); cf. II, c. 8, nn. 16 et 19 (PL 34, 269sq.); V, c. 4, n. 10 (PL 34, 325); *De civit. Dei,* XI, c. 29 (PL 41, 343).

[2] Lib. X, c. 12, n. 19; XIV, c. 8, n. 11 et c. 12, n. 15; XV, c. 7, n. 11 et c. 20, n. 39 (PL 42, 984, 1044, 1048, 1065, 1088).

[3] *De Gen. ad litt. lib. imperf.*, c. 16, n. 60 et *De Gen. ad litt.*, III, c. 20, n. 30 (PL 34, 243, 292); *In Epist. Ioan. ad Parthos,* tr. 8, c. 4, n. 6 (PL 35, p. 2039); *Enarr. in Psalm. 48,* sermo 2, n. 11 et *Enarr. in Psalm. 54,* n. 3 (PL 36, 564, 629); *De catech. rudibus,* c. 18, n. 29 et *De Symbolo,* c. 1, n. 2 (PL 40, 339, 628); *De civit. Dei,* XII, c. 23 et XIII, c. 24, n. 2 (PL 41, 373, 400); *Contra Faustum,* XXIV, c. 2 et *Contra sermon. Arian.*, c. 16 (PL 42, 475, 655).

[4] *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867).

[5] Cap. 35, n. 68 (PL 34, 483).

non est unitum corpori: sic enim anima rationalis potest dici separata post mortem, donec iterum corpori uniatur. — Secundum vero esse rationale sive logicum differunt [a] per potentias proprias et essentiales, quae adduntur [b] super genus. Cum enim utraque sit substantia incorporea, intellectualis, 'incorporeum' dividit a corporea [c] substantia, 'intellectuale' vero ab incorporea, quae non habet potentiam intelligendi ut est sensibilis. Et per hanc potentiam cognoscendi differunt ab invicem intelligentia angelica et humana quod haec est intellectualis cum ratione, illa [d] vero intellectualis abstracta a ratione. Dico autem [e] 'intellectum cum ratione' intellectum [f] componentem et dividentem et ab extremo ad extremum per medium decurrentem, quo modo non est in [g] intelligentia angelica: intelligit enim modo simplici sine decursu rationis. Nec hoc obstat quod aliquando dicitur essentia angelica rationalis, quia 'rationale' ibi accipitur pro intellectuali, sicut est in definitione personae. — Secundum esse vero metaphysicum [h] differunt essentialiter per intellectum possibilem ad species in phantasmatibus et intellectum abstractum ab hac possibilitate; intelligentia enim angelica habet intellectum abstractum ab hac possibilitate [i]. Et, licet angelus accipiat cognitionem inferiorum ex parte inferiori [k], non tamen accipit per modum materialis intellectus, cuius est species recipere abstractas a phantasmatibus. Cum enim desit vis [l] sensibilis, quasi praeambula intelligentiae angelicae, deest ratio phantasmatis consequenter, et ita specierum in phantasmatibus et per consequens abstractio specierum ab iis. — Secundum vero esse theologicum, quia intelligentia angelica est substantia libera [m], vertibilis immutabiliter [1], anima vero sive spiritus rationalis vertibilis est mutabiliter, ut Deus sit essentia libera invertibilis in bonum et malum, angelus vero et anima rationalis essentia libera, vertibilis in utrumque. Sed in hoc differunt essentialiter quod [n] intelligentia angelica, cum sit vertibilis, versione facta, determinatur in illo — ut si vertatur in bonum, determinatur de natura sua ibi; si in malum, determinatur de [o] natura sua ibi; et ideo dicit Ioannes Damascenus [2] quod « insusceptibilis est poenitentiae » — anima vero rationalis est vertibilis in utrumque, et post versionem de natura sua convertibilis: unde est substantia libera, poenitentiae susceptibilis. Propter quod videntur in esse theologico convenienter distingui, ut angelica intelligentia sit substantia libera, vertibilis immutabiliter. Hoc enim dicimus [p] sine praeiudicio potioris sententiae. Si quis enim in esse theologico potuerit [q] convenientiorem differentiam invenire, acquiescendum est, cum res huiusmodi sint altissimae speculationis. Nec obstat quod Deus posset facere angelum vertibilem mutabiliter [r], quia non agitur hic de potentia Dei, sed de congruitate aut convenientia naturae.

[Ad obiecta]: Per iam dicta potest sufficienter responderi ad ea quae obiciuntur [s] secundum ordinem.

1. Ad primo obiectum sic: quod, licet sit considerare substantiam animae in se [t] per modum spiritus, nihilominus tamen in esse naturali est « perfectio corporis organici [3] » etc., et ita rationem habet unibilis semper, licet sit separata actu.

2. Ad secundum dicendum quod, licet uterque spiritus possit considerari in comparatione ad Deum et ibi habere suam differentiam, tamen in comparatione physica sive naturali anima respicit [u] corpus, angelus vero non, et ex illa recipiunt differentiam propriam.

3. Ad illud quod tertio obicitur [v] de ipsa anima, 'cum sit unibilis, ratione cuius est unibilis': dicendum [x] quod ratione sui ipsius, nec est ad aliud principium in ipsa [y] reducere, et ideo haec differentia recte dicitur essentialis in illa consideratione; et licet uniatur cum suis potentiis, per se tamen est unio substantiae ad substantiam corporis.

4. Ad quartum dicendum quod, licet anima esset separata, nihilominus hac differentia essentialiter distingueretur, quia 'separatum' dicitur dupliciter: quod actu est separatum, et hoc modo non differunt; vel quod est separatum per intentionem: hoc modo non est anima separata, quia intentionem quamdam habet ad corpus, sicut dicit Augustinus, *Super Genesim ad litteram*, XII [4]. Unde loquens de « anima rapta a carnis sensibus » et de statu post mortem, dicit [z]: « Inest animae quidam naturalis appetitus in administrando corpus, quo appetitur et tardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud summum caelum, quamdiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat ». Intelligentia autem angelica non sic habet, et ideo, licet anima sit separata actu a corpore, nihilominus illa differentia

---

[a] Ita C, alii *differt.* [b] L *attenduntur.* [c] LCZ *corpore.* [d] Z *alia.* [e] V om. [f] Ita V, alii om. [g] SRLCZ om. [h] LZ *metaphoricum.* [i] R om. *intelligentia... possibilitate.* [k] Z *inferiorum.* [l] V add. *possibilis.* [m] VST om. [n] VS *quia.* [o] Z om. [p] Ita V, alii *dicitur.* [q] V *potuit.* [r] STRZ *immutabiliter;* V add. *et animam.* [s] R *obiecta* pro *e. q. o.* [t] RC add. *et.* [u] VRLZ *respiciet.* [v] L *elicitur.* [x] Ita V, alii add. *est;* S om. *r. c. e. u.* [y] V om. *i. i.* [z] RLCZ add. *quod.*

1 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867).
2 Loc. cit.
3 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 1 (III, 444).
4 Cap. 35, n. 68 (PL 34, 483).

essentialiter differt secundum considerationem naturalis philosophi.

5. Ad illam vero differentiam, qua dicitur differre ab angelo, quia sit [a] ad imaginem Dei ratione cognoscendi: dicendum quod non est in hoc differentia essentialis, sed est alia ratio propter quam inter eos possit attendi differentia, quae dicetur in illa parte, ubi agetur de anima rationali, qualiter condita sit ad imaginem [b] [1]. Dicitur autem a B. Gregorio, in libro *Moralium,* XXXII [2], angelus conditus ad imaginem Dei « quo in eo subtilior est natura, eo in illo imago Dei subtilius insinuatur expressa [c] »; et post: « De sigillo talis similitudo imaginabiliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur ».

6. Ad illud vero quod dicitur ' differentia esse ratione intellectus possibilis ad species in phantasmatibus ': respondendum [d] est quod hoc verum est, sicut supra habitum est [3], in consideratione metaphysica.

a. Nec hoc obstat quod anima, ut est spiritus intelligibilis, potest recipere illuminationem a superiori sicut angelus. Hoc enim non intendit consideratio metaphysica, quae habet investigationem istarum essentiarum per ea quae sunt notiora quoad nos; unde ab actibus cognoscuntur potentiae, per potentiam vero substantia [e]. Modus autem cognoscendi, qui est ab inferiori parte, distinguit [f] convenienter animam ab angelo in hac consideratione. — Posset tamen angelus distingui ab anima secundum illam differentiam, prout dicitur [4] angelus « substantia intellectualis, illuminationum, quae sunt [g] a Primo, prima relatione perceptiva [h] », anima vero « ultima relatione perceptiva ». Sed illud [i] non convenit animae Christi, licet convenire possit aliis animabus, eo quod anima Christi non recipit illuminationem per angelum illuminantem, sed immediate per ipsam divinam essentiam. Ideo melius est a parte inferiori ponere differentiam animae et angeli quoad illam considerationem.

b. Ad id vero quod obicitur de daemonibus quod accipiunt a parte inferiori: dicendum [k] quod non recipiunt species rerum intelligibilium a phantasmatibus, licet sumant ab ipsis rebus, et non sumunt per modum intellectus possibilis, sed per modum agentis, qui sibi sufficit ad species accipiendas. De hoc [l] autem diffusius agetur in Tractatu de cognitione angelorum [5].

7. Ad hoc quod obicitur de hac differentia ' passibile et impassibile ': dicendum [m] quod, licet ' passibile ' conveniat angelo, tamen non convenit prout ' passibile ' pro compassibili sumitur. In hoc [n] differt anima ab angelo quod compassibilis [o] est anima rationalis corpori, angelus vero non, cum non [p] sit unitus corpori sicut forma vel perfectio cum perfectibili. Sed istae differentiae sunt posteriores illis quae sunt ' unibilis ' et ' non unibilis ', et ideo ponendae sunt primae differentiae essentiales.

8. Ad id vero quod obicitur consequenter quod ' angelus et anima non differunt specie, quia habent perfectionem indifferentem specie ': dicendum [q] quod est perfectio prima et perfectio secunda. Licet ergo angelus et anima conveniant in secunda perfectione indifferenti secundum speciem, non tamen oportet quod conveniant in prima. Praeterea, gratia differt in specie, prout est in angelo et prout est in anima. Est enim gratia quaedam in anima [r], quae non est in angelo, scilicet gratia unionis, sicut [s] fuit in Christo, et gratia reparationis, sicut in aliis quibusdam.

9. Ad ultimum dicendum quod, licet modus cognoscendi sit indifferens vel quidam modus movendi in bonum sit indifferens specie, tamen alius est [t] differens, sicut supra habitum est [6].

CAPUT VI.

DE DIFFERENTIA ANGELORUM INTER SE.

Consequenter quaerendum est de differentia angelorum inter se:

Utrum inter se differant specie vel non;

secundo, si differant specie, utrum sub una specie sint multa individua aut non;

tertio de causa multitudinis angelorum.

---

[a] R *fit.* [b] RL (mg.) add. *Dei.* [c] Z *expresse,* quod L corr. [d] ST *responsio.* [e] VST *substantie;* R *modum* pro *modus.* [f] S *distinguitur.* [g] Ita V, alii om. *q. s.;* LZ *prima* pro *primo.* [h] T *preceptiva,* item infra. [i] TCZ *istud.* [k] Ita V, alii add. *est.* [l] V *hac.* [m] Ita V, alii *est.* [n] Ita Z, alii *hac.* [o] S *passibilis.* [p] S om. [q] Ita V, alii add. *est.* [r] T om. *est enim... anima.* [s] V add. *que.* [t] T om.

1 Cf. infra, num. 347 sqq.

2 Cap. 23, n. 47 (PL 76, 665), ubi et sequens.

3 Cf. supra, p. 151a.

4 Cf. Alfred. Anglicus, *De motu cordis,* Prolog. (ed. Baeumker, p. 2): [Anima] « substantia est incorporea, intellectiva, illuminationum quae a Primo sunt ultima relatione perceptiva ».

5 Cf. infra, num. 121.

6 Cf. supra, p. 152a, *ad a.*

ARTICULUS I. 113

Utrum angeli inter se differant specie [1].

I. Quod differant specie, arguitur *a.* ex hoc quod angeli de [a] suprema hierarchia plus differunt respectu eorum qui sunt in infima quam illi qui sunt in infima hierarchia; sed illi qui sunt in eadem hierarchia vel specie sunt idem et differunt secundum multitudinem numeralem vel sunt idem genere et differunt specie; ergo angeli qui sunt in superiori hierarchia, cum plus differant ab iis qui sunt in infima, differunt specie.

b. Item [b], similiter obicitur de iis qui sunt in ordine Seraphim: plus conveniunt inter se quam conveniant cum illis qui sunt de ordine Cherubim aut Thronorum; ergo cum [c] illi, qui sunt de ordine Seraphim, inter se conveniant in specie et differant secundum numerum vel conveniant secundum genus et differant specie, illi, qui sunt de ordine Seraphim, different specie ab iis qui sunt de ordine Cherubim.

c. Praeterea, cum ordines distinguantur secundum officia, officia autem sunt differentia genere vel specie: ergo angeli, qui sunt in ordinibus, different genere vel specie.

d. Praeterea, angeli sunt naturaliter quaedam lumina spiritualia, quae condita sunt in caelo empyreo, non de ipso caelo; sed sic est [d] in luminibus corporalibus, quae condita sunt in ipso firmamento, quod differunt [e] specie inter se; ergo multo fortius spiritualia, cum magis differant, different specie.

e. Item, secundum Philosophum [2], proportio est motorum et mobilium; sed secundum ipsum [3] substantiae separatae, scilicet intelligentiae angelicae, sunt motores diversorum orbium; sed constat quod orbes differunt specie, ut orbis solis et orbis lunae; ergo angeli, qui sunt motores, different specie.

f. Item, animae sensibiles in corporibus diversorum brutorum plus videntur convenire inter se, quia conveniunt in modo sentiendi, quam conveniant angeli, quorum differens est modus intelligendi; sed animae sensibiles in diversis speciebus brutorum differunt specie; ergo et angeli inter se differunt specie.

Contra: 1. Magis et minus non diversificant speciem [4]; sed angeli differunt inter se secundum magis et minus, scilicet in perspicacitate [f] intelligentiae et simplicitate naturae et habilitate voluntatis; ergo non differunt in specie.

2. Item, angeli de singulis ordinibus conveniunt in eisdem officiis: licet enim Seraphim dicantur ab officio incendendi per caritatem aut dilectionem, Cherubim ab illuminatione [5], nihilominus omnes ad omnia sunt parati, et in iis omnibus conveniunt; ergo secundum haec officia non distinguuntur.

3. Item, animae rationales distinguuntur [g] inter se; sed differentia illarum [h] non est in specie; ergo nec angeli different specie.

4. Item, duo sunt officia angelorum, scilicet contemplari et ministrare; sed in utroque conveniunt secundum eumdem modum in specie: utrobique enim est contemplatio, sed secundum magis et minus, et utrobique ministerium, sed ad [i] aliud et ad [k] aliud; ergo angeli non differunt in specie quoad ista officia. Quod enim dicitur Dan. 7,10: *Millia millium* [l] *ministrabant ei et decies millies* etc., non ad hoc respicit ut quidam sint ministrantes et non assistentes, quidam assistentes [m] et non ministrantes.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod angeli differunt inter se specie.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem primo [n] in contrarium dicendum est quod 'magis et minus' accipitur dupliciter. Aliquando enim uni et eidem rei accidunt, sicut albedo intensa potest esse remissa, et minus calidum potest esse magis calidum: et hoc modo accipiendo 'magis et minus' non diversificant speciem; alio vero modo 'magis et minus' diversis naturis attribuuntur, ut magis calidum appropriatur naturae ignis, et minus calidum naturae aëris, et tunc 'magis et minus' attestantur differentiae in specie, sicut dicit Philosophus [6] quod multum et paucum aliquando diversificant [o], aliquando non diversificant.

2. Ad aliud dicendum quod diversitas in specie non attenditur secundum illa officia, nisi sic esset quod illa officia ita essent appropriata quibusdam angelis, quod non convenirent aliis. Diversitatem angelorum in specie sequitur differentia

---

[a] Z *ex.* [b] S om. [c] S om. [d] L om. [e] V add. *in.* [f] R *perspicuitate;* V *id est* pro *scilicet.* [g] V om. *Item... distinguuntur.* [h] T *illorum.* [i] V om. [k] VST om. [l] S om. [m] V om. *q. a.* [n] Ita V, alii om.; C om. *est.* [o] R add. *et.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 102 sqq.).
2 Cf. *De caelo et mundo*, II, c. 12 (II, 402).
3 Cf. *Metaph.*, XI, c. 8 (II, 606-608).
4 Cf. Aristot., *Topic.*, II, c. 11 (I, 197).
5 Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hier.*, c. 7, § 1 (PG 3, 205, PL 122, 1050).
6 *Ethic. ad Nicomach.*, II, c. 6 (II, 20).

officiorum in specie; sed cum eisdem angelis secundum diversos status possint illa officia convenire, non secundum illa accipitur differentia angelorum in specie. Praeterea, cum mali angeli in nullo illorum ordinum sint, et diversificentur in specie, non ergo secundum illa officia accipitur differentia specifica.

3. Ad id vero quod obicitur de animabus rationalibus [a], quae indifferentes sunt in specie: dicendum quod non est simile in animabus. Animae enim rationales ordinantur ad corpus et corpus ordinatur ad animam tamquam proprium perfectibile propriae perfectioni. Unde sicut corpora non diversificantur in specie, ita nec perfectiones diversificantur in specie. Angeli vero diversitatem quam habent, non ex diversitate corporum vel essentiali habitudine ad corpora accipiunt, sed in se ipsis per ea ad quae ordinantur diversificantur, et ideo [non] habent posse determinatum ad unum genus tantum vel speciem, sed super omnia corpora, et ideo nihil prohibet in eis diversitatem specificam accipi.

4. Ad quarto [b] obiectum dicendum [c] quod differentia essentialis prima non est per contemplari et ministrare, sed eisdem angelis simul et semel possunt convenire; propter quod necesse est quaerere differentiam angelorum specificam inter se.

II. Huius rei gratia quaeritur utrum ordo naturaliter inest angelis [1]. Primo enim conditi sunt, ut diceretur: isti sunt de isto ordine, illi de illo; nec fit illorum ordinum permutatio [d].

Quod autem ordo conveniebat illis in sua conditione, videtur *a.* per hoc quod processerunt a sapientia divina per creationem; sed sapientiae divinae attestatur ordo in creaturis, sicut dicit B. Gregorius [2]; ergo, cum angeli essent in multitudine, in [e] ordine conditi erant.

b. Hoc etiam attestatur Augustinus, in libro XII *De civitate Dei* [3], dicens quod « non essent omnia, si essent aequalia », innuens per hoc ordinem non tantum in generibus creaturarum, sed etiam [f] in speciebus. Et iterum dicit Augustinus, in eodem libro [g] [4]: « Cum Deus summa essentia sit, et ideo immutabilis sit, rebus, quas ex nihilo creavit, esse dedit, sed non summe esse, sicut ipse est; et aliis dedit esse amplius, aliis minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit ». Ex quo accipitur quod angeli creati in ordine determinato sunt constituti.

c. Ad idem facit quod dicit Augustinus, in pluribus locis, ut *Super Genesim* [5]: « Quod in corporibus est pondus, hoc est in spiritibus [h] ordo »; sed in corporibus videmus quod corpora diversificantur in specie secundum diversitatem ponderum: habet enim ignis pondus sursum et terra [i] deorsum, et terra et ignis non habent eamdem rationem ponderis, similiter nec aqua et terra; per quod designatur quod ratio ponderis diversi attestatur diversis speciebus. Cum ergo ordo sit in spiritibus [k], erit ordo determinatus in prima conditione in angelis.

d. Quod autem sic sit, accipitur ex hoc quod [l] dicit Isidorus, *De summo bono* [6]: « Inter angelos distantia potestatum est, et pro graduum dignitate ministeria eisdem sunt distributa, aliique [m] aliis praeferuntur tam culmine potestatis quam scientia virtutis; subministrant [7]. Novem [n] autem esse ordines angelorum Sacrae Scripturae testantur, id est angelos, archangelos etc., quorum ordinum numerum Ezechiel [8] propheta describit sub tot nominibus lapidum, cum de primatu apostatae angeli loqueretur, quo numero lapidum designati sunt ordines angelorum, quos apostata angelus ante lapsum quasi in ornatu vestimenti sui affixos habuit, ad quorum comparationem, dum se clariorem aspexit, confestim intumuit et cor suum ad superbiam elevavit [o] ». Similiter dicit B. Bernardus, in libro *De consideratione, Ad Eugenium* [9], ubi gradus et ordines distinguit. Ex quo accipitur quod, cum Lucifer se clariorem conspiceret inter hos ordines et quod [p] operimentum eius erant, quod erat ordo in angelis determinatus ex naturali conditione; sed iste ordo erat, sicut accipitur in auctoritate [10], ad diversa officia; restat ergo quod differentia in specie determinata erat secundum diversitates potestatum, et diversitas potestatum [q] secundum differentiam [r] officiorum: ex posterioribus enim in huiusmodi oportet nos ad prima devenire. Quod etiam videtur per simile in rege terreno: rex enim

---

[a] TCZ *rationabilibus.* [b] RLCZ *quartum.* [c] STLZ add. *est.* [d] R *mutatio.* [e] RLCZ *et.* [f] VST om. [g] V add. *unde,* ST add. *unde dicit.* [h] VS add. *est.* [i] L *circa.* [k] V *pluribus.* [l] V om. [m] Z *alii enim.* [n] V *non est.* [o] Z add. *et,* V om. *dicit.* [p] T *secundum.* [q] V om. *e. d. p.* [r] Z *differentias.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 9, a. 1, q. 2 (II, 244 sq.).

2 Cf. *Moral.*, XXVI, c. 12, n. 18 (PL 76, 358).

3 Rectius *De div. quaest. 83*, q. 41 (PL 40, 27); cf. *De civit. Dei*, XI, c. 22 (PL 41, 335),

4 *De civit. Dei*, XII, c. 2 (PL 41, 350).

5 Lib. IV, c. 4 (PL 34, 299sq.); *Enarr. in Psalm. 29*, n. 10 (PL 36, 222); *Sermo-242*, c. 6, n. 8 (PL 38, 1141). Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 111-115, 195 et II, num. 27-33.

6 *Sentent.*, I, c. 10, nn. 14, 15 (PL 83, 556); cf. Gregor. M., *Moral.*, XXII, c. 23, n. 48 (PL 76, 665).

7 Hic textus abrumpitur. Isidorus sic pergit: « subministrant igitur alii eorum praeceptis atque obediunt iussis. Novem esse ordines... ».

8 Cap. 28, 13.

9 Lib. V, c. 4 (PL 187, 791).

10 Nempe Isidori.

terrenus habet servos nobiliores et minus nobiles secundum maiora et minora officia ordinatos. Qui autem sunt servi aulae caelestis? nisi illi de quibus III Reg. 10,8: *Beati servi tui, qui stant coram te tota die.* Ii autem sunt angeli, qui sunt [a] coram vero Salomone assistentes per contemplationem [1].

Ordo tamen non tantum respicit naturam, sed gratiam: utroque enim modo habent ordinem boni [b] angeli, mali vero, etsi non habeant ordinem gratiae, nihilominus tamen habent ordinem naturae, ut dicantur maioris perspicacitatis, et ita de aliis. Et sicut constituti in aliquibus officiis, deiciuntur propter suam indignitatem et peccatum, ita ii, qui mali sunt angeli, deiecti sunt de caelo et ab honore quem habituri essent si stetissent. Possunt enim habere ordinem naturalem, sed deiecti sunt ab illa coordinatione sancta sanctorum [c] angelorum.

Ex praemissis ergo potest patere aliqua veritas differentiae [d] in specie.

Nec hoc [e] obstat quod iidem angeli habent caritatem [f] et scientiam et proprietates consimiles: non enim propter hoc distinguuntur, sed secundum ea officia quae conveniunt excellentioribus naturis et minus [g] excellentibus; non quod non posset tradi minus excellens officium excellentiori naturae, sed non congrueret; officia ergo in sua praeeminentia [h] attestantur differentiae [i] specificae in angelis, sed non constituunt.

ARTICULUS II. 114

Utrum in una specie angelica sint multa individua aut non.

Consequenter quaeritur utrum in una specie angelica sit multitudo angelorum, an singulis speciebus singula respondeant individua [2].

Quod autem singulis speciebus singula respondeant individua, videtur 1. per hoc quod multiplicatio individuorum in rebus naturalibus est propter corruptibilitatem [k] ex parte materiae, ut si species non possit se salvare in uno individuo, salvet se [l] in alio [3]; ubi vero materia est incorruptibilis, non est haec necessitas, ut in sole et luna [4]; ergo, cum angelus habeat materiam incorruptibilem aut [m] materia non indigeat, non erit in angelis necesse esse multiplicationem [n] individuorum; ergo unicuique speciei suum respondebit individuum; quot ergo sunt angeli, tot sunt species angelorum.

2. Item, divina essentia aliquam habet communitatem, et tamen non communicat se nisi uni 'quod est': sicut enim divina essentia est una, ita unus est Deus; cum ergo similitudinem primam recipiat angelus, prout est possibile in specie creaturae, erit in angelo reperire communem essentiam, quae non communicet se nisi uni 'quod est'; sed essentia communis est species, 'quod est' vero in angelis individuum; uni ergo speciei unum respondebit individuum.

3. Quod etiam videtur ex hoc quod magis appropinquat in unitate [o] spiritualis creatura ad Deum quam corporalis [p]; sed in corporali creatura invenitur haec similitudo, sicut est in sole et luna; ergo multo fortius in spirituali; sed hoc non est nisi in angelo; ergo in angelo [q] erit reperire sub una specie unum individuum.

Contra: *a.* Maior virtus est communicare suam essentiam sine diminutione pluribus quam uni soli [5]; ergo in magis virtuoso erit haec virtus invenienda [r]; sed magis virtuosum est spiritualis creatura quam corporalis; et in corporali hoc invenitur; ergo multo fortius in spirituali; sed persona spiritualis est angelus; ergo reperitur in angelo; ergo angelus in una specie habet multa individua.

b. Item, divina essentia est communicabilis pluribus personis et est omnino indivisa essentia, ut nullatenus essentia dividatur; cum ergo Deus non sit invidus nec repugnet hoc creaturae quin essentia sit communicabilis pluribus personis secundum suum modum; sed inter essentias, quae plus tenet indivisionem in essentia [s], est species: species enim non communicatur nisi [t] ab individuis, genus autem communicatur a speciebus; ergo haec similitudo reperitur in specie; sed, cum persona non inveniatur nisi in rationali creatura sive intellectuali, oportet ergo quod [u] in rationali creatura sive in angelo inveniatur haec similitudo, sicut possibile est; hoc autem non esset nisi sub una specie essent multa individua; ergo sub una specie angeli erunt plures, quorum unusquisque sit persona.

---

[a] Z om. *q. s.* [b] T *beati.* [c] V add. *et.* [d] TLC *differre.* [e] RCZ om. [f] S om. [g] V om. *e. m.*, T om. *n. e. m.* [h] S add. *et.* [i] VS *differre.* [k] Z *corruptionem.* [l] Z om., L om. *in.* [m] S om. [n] S *multitudinem.* [o] V *unitatem.* [p] S *in corporali.* [q] V om. *e. i. a.*, in L est add. mg. [r] S *inveniendi.* [s] T *essentiam.* [t] V om. [u] S add. *cum Deus.*

1 Cf. Raban., in h. l. (PL 109, 193).

2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 102 sqq.).

3 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 464); *De anima*, II. c. 4 (III, 448).

4 Cf. Aristot. loc. cit.

5 Cf. *Liber de causis*, § 16 (p. 179).

[Solutio]: Ad quod dicendum quod uni speciei respondent plures individuae personae sub illa specie.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem in contrarium respondendum [a] quod alia est ratio quod plura individua sunt sub una specie quam corruptibilitas materiae aut individui, quae non potest sufficienter salvare esse speciei. In spiritibus enim pluralitas individuorum [b] non est propter hanc causam, sed est [c] ad manifestationem divinae bonitatis, quae vult communicare pluribus participationem beatitudinis [1]: ut sicut multiplicatur numerus individuorum in specie animae rationalis ad fruitionem beatitudinis, ita multiplicatur numerus angelorum sub unaquaque [d] specie ad fruitionem beatitudinis. Praeterea, posse regis temporalis et decens dispositio in aula eius [e] ostenditur, cum multi consimilis dispositionis serviunt, magis quam si unus in uno officio serviret: ut si multi pincernae quam si unus solus pincerna, et ita de aliis officiis. Cum ergo posse regis caelestis [f] sit improportionale in infinitum super posse regis temporalis et decentior dispositio aulae caelestis quam terrenae, conveniens est angelos, qui sunt summi [g] ministeriales, plures esse sub una specie. Non est ergo in spiritibus accipienda ratio multitudinis individuorum quae est in corporibus [h].

2. Ad secundum vero dicendum quod divina essentia non communicat se nisi uni [i] 'quod est', et hoc est quia non est possibile plures esse deos: obviaret enim perfectioni divinae, ut ostensum est [2]. Non sic est in angelis, immo magis congruit pluralitas suppositorum; non enim simile est de domino et servo: convenit enim magis perfectioni domini unitas et indivisio, servo autem magis multiplicitas [k]; cum ergo angeli sint *administratorii spiritus* [3], magis eis convenit pluralitas suppositorum sub eadem specie.

3. Nec est simile de sole et luna; sunt enim luminaria sufficientia: sol enim est sufficiens ad illuminationem totius orbis in die, luna vero cum suis stellis ad totius orbis illuminationem in nocte, sicut expedit; stellae tamen ad aliud officium sunt directae per se et essentialiter.

115

ARTICULUS III.

De causa multitudinis angelorum.

Consequenter quaeritur de causa multitudinis angelorum, propter quid scilicet necesse sit [l] esse tantam angelorum multitudinem.

I. 1. Si enim hoc est propter multitudinem hominum, cum homo sit substantia corruptibilis, angelus autem [m] substantia incorruptibilis, esset dignior creatura propter indigniorem. — Similiter, si dicatur quod hoc est [n] propter animas rationales, ad quarum custodiam [o] vel exercitium dantur – nec hoc videtur: cum enim animae successive creentur, sicut corpora successive [p] generantur, posset unus angelus multas animas custodire vel exercitare; unde non esset [q] necesse tantam esse multitudinem. — Praeterea, dicitur in Deuter. 32, 8: *Statuit filios hominum iuxta numerum filiorum Dei;* numerus ergo hominum vel animarum rationalium magis videtur sumi iuxta numerum angelorum quam e converso [4]. Dicitur enim in Cantico [5]: *Quando dividebat Altissimus* [r] *gentes et separabat filios Adam, statuit terminos gentium iuxta numerum filiorum Dei,* sive *angelorum* secundum aliam litteram [6]. — Item, neque iuxta officia aut ministeria sumitur ratio multitudinis: non enim propter ministeria necesse fuisset tantam esse multitudinem.

2. Praeterea, cum multitudo creaturarum procedat a Deo secundum similitudinem maiorem vel minorem, quanto maior esset recessus a summe uno, tanto maior deberet esse multitudo, et [s] quanto maior appropinquatio, tanto [t] minor multitudo; ergo in maxima approximatione [u] minima multitudo; sed maxima est approximatio [v] angeli ad summam unitatem; ergo minima est multitudo in genere angelorum.

Contra: *a.* Dan. 7, 10: *Millia millium ministrabant ei* etc.; et [x] Matth. 26, 53: *Nonne possem rogare Patrem et* [y] *exhiberet mihi plus quam duodecim legiones angelorum?* Ex quo videtur quod maxima sit multitudo angelorum.

---

[a] SZ *dicendum est,* TRLC add. *est.* [b] S *dividuorum.* [c] Z om. [d] Ita V, alii *quacumque;* T om. *angelorum.* [e] S *est.* [f] VSTZ om., in L est add. mg. [g] V *summe,* T *servi.* [h] Z *corporalibus.* [i] C om. [k] V *multiplicatio.* [l] RLCZ *fuit.* [m] R *sit,* Z *vero.* [n] Z *sit.* [o] S *custodia.* [p] L om. *creentur ... successive.* [q] V *est.* [r] V *in altissimis;* Z *quando* pro *et.* [s] S om. [t] Ita RZ, alii om. [u] SLRC *appropinquatione.* [v] RC *appropinquatio.* [x] Ita V, add. *in;* S *non* pro *nonne.* [y] RZ *ut.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 3, p. 1, a. 2, q. 1, ad 1 (II, 104).

[2] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 77.

[3] Hebr. 1, 14.

[4] Cf. Raban., in h. l. (PL 108, 972); Lombard., II *Sent.,* d. 9, c. 7 (p. 350).

[5] Scilicet Moysis; cf. Deuter. 32, 8.

[6] Iuxta *Septuaginta.*

b. Praeterea, Iob 25,3: *Numquid est numerus militum eius?* milites autem vocat angelicos spiritus; ergo videtur per hoc dicere quod innumerabiles sunt angelici spiritus.

[Solutio]: Ad quod videtur dicendum quod angeli sint ministri divinae potestatis in iis creaturis mundi, sicut habetur ab Augustino, *Super Genesim ad litteram,* IX libro [1]: « Cum ea visa per angelorum obedientiam desuper ministrantur, pervenit [a] iussio Dei non solum ad homines nec [solum] ad aves aut pecora, verum etiam ad ea quae sub aquis latent, sicut ad cetum qui glutivit Ionam [2] et etiam ad vermiculum [3]; nam et [b] huic legimus divinitus iussum ut radicem cucurbitae roderet, sub cuius umbraculo [c] Propheta requieverat [4]. Si enim homini [d] donavit Deus, sic eum [e] instituens, ut, carnem peccati portans, possit non solum pecora et iumenta, suis usibus subdita, non solum domesticas aves, verum etiam libere volitantes, etiam saevas feras et capere et [f] mansuetas facere et eis imperare potentia rationis, non corporis, cum earum [g] appetitus et dolores captans [h] paulatimque illectando [i], laxando premendoque moderans, agresti eas exuit consuetudine: quanto magis haec angeli possunt, qui iussa eius, quem [k] sempiterne intuentur, incommutabili veritate perspecta, moventes se per tempus et corpora sibi subdita per tempus et locum agilitate mirabili, et visa [l], quibus moveatur, et appetitum carnalis indigentiae, possunt efficere omni animae vivae, ut [m] quocumque venire opus est [n], nesciens adducatur [o]! » Et ita patet quod necessaria [p] est maxima multitudo angelorum secundum congruentiam, non quod mediantibus paucis non possit Deus istas creaturas dispensare et administrare, sed quia decet magis per ministros multos haec fieri. Et sicut accidit in rege terreno, qui habet regnum terrenum, quod plures habet ministros, quanto magis est apud regem caelestem, ad quem pertinet omnium gubernatio! Et nihilominus si non essent istae creaturae corporales, deceret [q] multitudinem angelorum esse assistentem summae potestati, tamquam paratam obedire vel iussa perficere.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur quod ' ratio numeri vel multitudinis non debet sumi ex comparatione [r] hominum vel creaturarum, cum sint digniores ': dicendum quod ratio non sumitur ab iis inferioribus, sed ista inferiora declarant multitudinem spirituum superiorum; et ideo sumitur ex respectu divinae potestatis et bonitatis, quae nobilior est omni [s] subiecta creatura.

2. Ad aliud dicendum [5] quod in pluribus est verum quod distantia a Primo secundum dissimilitudinem [t] concomitatur multitudinem maiorem rerum distantium. Unde maior est multitudo mineralium [u] quam plantarum, plantarum vero quam animalium. Sed utrum sic sit de angelis, soli Deo notum est, cui definitus est numerus spirituum creatorum; homini vero incertus est, sicut habetur in Glossa [6], super illud Iob 25,3: *Numquid est numerus militum* [v] *eius?* Aliud enim est de iis quae spectant ad altitudinem sapientiae Dei, cuius sunt *incomprehensibilia iudicia et investigabiles viae* [7]. Quod autem maxima multitudo, conici potest ex supra dictis [8].

II. Sed quaeri potest utrum numerus angelorum sit certus apud angelos beatos.

Respondeo [x] per hoc quod dicitur, in *Enchiridion,* ubi dicitur quod angeli noverunt de quot deberet [y] fieri supplementum. Unde dicit 59 cap. [9]: « Non pro angelis mortuus est Christus, sed ideo etiam pro angelis fit quidquid hominum per eius mortem redimitur et liberatur a malo, quoniam, cum eis quodammodo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines et sanctos angelos peccata fecerunt, et ex ipsa hominum redemptione ruinae angelicae detrimenta reparantur. Et utique noverunt sancti angeli, docti de Deo, cuius veritatis aeterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de [z] genere humano integritas illius civitatis expeteret ». Et ita videtur constare quod in Verbo accipiunt non tantum illum numerum, sed etiam illum in quo sunt; unde apud ipsos in Verbo est numeri praedicti certitudo.

---

[a] RLCZ add. *autem;* T *visio* pro *iussio;* V *ministrant* pro *ministrantur;* RLCZ om. *desuper.* [b] R om. [c] R *obumbraculo;* V *cederet* pro *roderet.* [d] Codd. *dominium.* [e] V *cum.* [f] V om. *e. c.,* Z om. *et.* [g] R *eorum.* [h] L *captivans.* [i] V *illecendo.* [k] TRLCZ *quam.* [l] VT *iussa.* [m] V *iuvent* pro *v. u.;* T *cum* pro *omni.* [n] Codd. add. *venire;* V *vivere* pro praeced. *venire.* [o] V *addiscatur,* R *abducatur.* [p] LZ *necessario.* [q] V *decet,* S *diceret,* quod T corr. [r] VLZ *compositione.* [s] V om., R *cum.* [t] VSR *similitudinem,* T *multitudinem.* [u] STZ *numeralium,* quod L corr. [v] T *insunt.* [x] T *responsio;* RLCZ *respondendum.* [y] S *debet.* [z] C *ex.*

1 Cap. 14, n. 25 (PL 34, 403).
2 Cf. Ion. 2, 1.
3 Cf. Ion. 4, 7.
4 Cf. Ion. 4, 6sq.
5 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 3, p. 1, dub. 2 (II, 110a).
6 *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 823), ex Gregorio M., *Moral.,* XVII, c. 13 (PL 76, 20).
7 Rom. 11, 33.
8 Cf. sub *a-b* et *Solutio.*
9 Augustin., *Enchir.,* cc. 61 et 62 (PL 40, 261).

TRACTATUS TERTIUS

DE ANGELIS SECUNDUM POTENTIAS ET ACTUS

SECTIO I. — De angeli potentia in genere.

QUAESTIO UNICA.

Transitum faciamus, adiuvante Domino, post considerationem conditionis angelicae ad considerationem potentiarum et actuum.

Primo ergo [a] faciamus sermonem de potentia in genere;

secundo, descendendo secundum differentias potentiarum et actuum.

Primo ergo fiat quaestio de potentia, utrum eadem sit secundum substantiam in angelis cum essentia;

secundo, utrum potentia sit in actu semper;

tertio, utrum una sit potentia sola an plures.

116

CAPUT I.

UTRUM IN ANGELIS POTENTIA SIT EADEM CUM ESSENTIA [1].

Quod autem potentia sit eadem cum essentia, videtur 1. ex comparatione ad animam rationalem. Dicit enim Augustinus, in libro *De Trinitate* [2], quod « memoria, intelligentia et voluntas sunt una mens, una vita, una [b] essentia »; sed nonnisi essentia animae rationalis; ergo potentia in anima rationali est eadem cum essentia; sed maior simplicitas est in angelo, sicut dicit Isidorus [3]; ergo in angelo [c] erit potentia, ad minus aliqua, eadem cum essentia.

2. Item, in libro *De anima et spiritu* [4], dicitur quod « Deus est omnia [d] sua, anima vero est quaedam sua », ut potentiae. Ergo multo fortius est in angelo.

3. Item, angelus est substantia simplex, sicut dicit Dionysius [5]; sed [e] in simplici substantia idem est potentia et essentia; ergo in angelo etc.

Contra: *a.* Summae simplicitatis est quod potentia sit eadem cum essentia; sed angelus non est summe simplex; ergo non omnino idem est in angelo [f] potentia et essentia.

b. Praeterea, si idem esset omnino, non oporteret ponere potentiam mediam in angelis inter essentiam et operationem; sed dicit Dionysius [6] quod « supercaelestia dividuntur in tria, scilicet essentiam, virtutem et operationem »; virtutem autem vocat potentiam; ergo potentia non est idem cum essentia.

c. Praeterea, potentia multiplex est in suo actu, essentia vero non est nisi unica in suo actu [g]; ergo potentia non est idem secundum substantiam cum essentia.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod potentia [h] non est eadem penitus quod essentia. Dici tamen potest idem, sicut in anima rationali, quia se ipsa omnino potest.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum dicendum quod, cum dicitur quod [i] « memoria, intelligentia et voluntas sunt una essentia », non est aliud dictu [k] nisi quod una essentia animae est quae potest meminisse, intelligere et velle, non quod sit eadem essentia in genere potentiae: tunc enim essent una

---

[a] S om. [b] T *quia*. [c] V om. *sicut ... angelo*. [d] Codd. *essentia*. [e] S *licet*. [f] Ita V, alii om. *i. a*. [g] L om. *essentia ... actu*. [h] RLCZ om. [i] T om. [k] Z *dictum*.

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 558 sqq.).
[2] Lib. X, c. 11, n. 18 (PL 42, 983).
[3] Cf. *Sentent.*, I, c. 10, n. 6 (PL 83, 555).
[4] Cap. 13 (inter opp. Augustini PL 40, 789).
[5] *De cael. hier.*, c. 1, § 2 (PG 3, 122, PL 122, 1039).
[6] Loc. cit., c. 11, § 2 (PG 3, 283, PL 122, 1059).

potentia. Similiter potest intelligi de essentia, ratione eius quod subest, non autem quod potentia dicatur essentia vel substantia[a], sicut est in Deo.

2. Ad aliud dicendum[b] quod « anima est quaedam sua », ut fiat distinctio inter potentias substantiales sive vires ex una parte et accidentia ex alia, quantum ad hoc quod potentiae et vires substantialiter adhaerent et unum sunt[c] cum anima quantum ad substantiam, non dico quantum ad essentiam: potentiis enim substantialibus subsistit anima; accidentia vero, ut prudentia, fortitudo et huiusmodi, non adhaerent substantialiter, quia haec accidentaliter adsunt. Unde potentiae et vires substantiales dicuntur[d] idem quod anima ratione indivisionis et adhaerentiae substantialis, accidentia vero non, quia substantialiter non adhaerent.

3. Ad tertium dicendum[e] quod, licet simplicitas sit in angelo, non est tamen omnimoda simplicitas, et ideo non est idem[f] potentia quod essentia omnino, quia nihil est sua potentia penitus praeterquam Deus.

CAPUT II. 117

UTRUM POTENTIA ANGELI SIT SEMPER IN ACTU.

Deinde quaeritur utrum potentia sit semper in suo actu.

Quod videtur: 1. Quia contingere sive posse et esse simul sunt in perpetuis[1]; sed angeli sunt substantiae perpetuae; ergo in eis non differt posse et esse.

2. Item, nullum est impedimentum substantiae angelicae, cum omnino sit[g] liberata a materia et conditionibus materialibus; ergo, cum omnis potentia, indistans ab actu et non impedita, exit ab actu statim cum est, ergo potentia angeli, statim cum est, exit in actum, et ita[h] statim est in suo actu.

3. Item, maior indistantia est spiritualis potentiae ad suum actum quam corporalis; sed potentia primi mobilis quam[i] cito potuit moveri, movebatur; ergo angelica substantia sic est quod quam cito potuit in actu, statim fuit in actu.

Contra: *a.* Potentia huiusmodi[k] est potentia voluntaria; sed potentia voluntaria mediante voluntate exit in actum, et non semper est voluntas; ergo non semper est actus.

b. Item, prius est esse rei in creaturis quam agere; sed posse simul est cum esse; ergo posse est prius quam agere; non ergo potentia semper est in suo actu.

c. Item,[l] potentia in creatura est ad opposita[2] secundum suum genus sicut essentia: essentia enim creaturae potest esse et non esse; ergo potentia[m] creaturae sic se habet ut possit agere et non agere; ergo non semper est necessario in suo actu.

[Solutio]: Ad quod dicendum[n] quod 'esse semper' dicitur dupliciter: vel ita quod sit coaevum respectu eius cuius dicitur 'semper', et secundum hoc non est potentia[o] creaturae semper in actu: actus enim non est coaevus potentiae; si vero 'semper in actu' dicatur indistanter, et cum est in actu, est incessanter, nihil prohibet esse aliqua potentia angelica quae statim, quando erat, exiit[p] in esse, sed non est hoc in omni sua potentia: unde posse et velle semper sunt in suo actu, id est[q] indistanter, et post incessanter respectu alicuius voliti.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo[r] obiectum ergo dicendum est quod, cum dicitur 'posse et esse non differt in perpetuis', sensus est quod non prius est 'posse' ex potentia materiae quam esse quod est ex forma; sed non sic est in generabilibus[s] et corruptibilibus, ubi prius dicitur 'esse ex potentia materiae' et post 'esse a[t] forma'; sed in perpetuis simul est materia et forma, et ideo 'posse' a materia et 'esse' a forma simul. Unde non potuit caelum esse ex potentia materiae prius quam fuit ex actu formae, sed prius fuit potentia agentis quam esse[u] in actu suo, prius potuit creare Deus quam creaverit; non ergo de actu potentiae activae intelligitur, sed de actu primo potentiae passivae: in aliquibus enim activis potentiis verum est, sicut Deus potest intelligere et[v] intelligit.

2. Ad secundum dicendum[x] quod eo quod nullum est impedimentum potentiae angelicae, nihil prohibet semper, id est indistanter[y], in suo actu aliquo esse, sed non oportet in omni actu voluntario. Licet enim non sit impedimentum, tamen non semper est in suo actu[z], quia non semper adest voluntas: ut non semper videt visus,

---

[a] R *potentia.* [b] Ita V, alii add. *est.* [c] L *sit;* T om. *et.* [d] RL (mg.) C add. *esse.* [e] Ita V, alii add. *est.* [f] Ita V, alii om. [g] C om. [h] V *ista.* [i] RLCZ *quanto.* [k] R *eius.* [l] V om. *semper ... potentia;* Z om. *item.* [m] Z *essentia.* [n] Ita V, alii add. *est.* [o] V *potentie.* [p] RLCZ *exit.* [q] Z *et* pro *i. e.* [r] Ita V, alii om. [s] L *generalibus.* [t] V *est.* [u] V *esset.* [v] S om. [x] Ita V, alii add. *est.* [y] R *distanter;* S om. *i. e.* [z] R om. *aliquo esse ... actu.*

[1] Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 5 (II, 278).

[2] Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 571).

licet [a] nullum sit impedimentum ex parte oculi et medii et visibilis, quia non semper adest [b] voluntas, sed convertit se ad aliud.

3. Ad tertium dicendum [c] quod, cum dicitur 'potentia corporalis semper est in suo actu', verbi gratia, caelum semper movetur, intelligendum est 'semper', id est statim postquam fuit, et [d] 'incessanter', quia [e] semper continuatus est motus; non sic autem est in potentiis et actibus angelicis, quia exeunt in actum per voluntatem; alter vero exitus, quantum erat ex parte sui, erat et est naturalis.

118

CAPUT III.

UTRUM IN ANGELIS SIT UNA POTENTIA VEL PLURES.

Deinde quaeritur utrum sit una potentia vel plures.

Et videtur quod una sufficiat: 1. Cum enim angelus sit creatura, procedens a Primo secundum primam assimilationem [1], quam congruit naturaliter esse in creatura, in Deo autem sic est quod per unam potentiam agit omnia quae agit, non per multiplicem, erit tunc in angelo quod assimilabitur in hac perfectione, quod omnia, quae aget, una potentia aget.

2. Item, perfectius est facere uno quam pluribus [2]; cum ergo summa perfectio, conveniens secundum naturam creaturae, sit in angelo, unica potentia aget, non [f] pluribus.

Contra: *a.* In quocumque differens est potentia ab essentia et est compositum, necesse est esse plures potentias: eo enim quod potentia differt ab essentia, necesse est quod sit ab essentia; et quia essentia est composita, ratione utriusque habet potentiam; ergo, cum angelus sit essentia composita, in quo differt potentia ab essentia, habebit necessario plures potentias.

b. Item, angelus est procedens a Deo uno et trino per primam assimilationem creaturae [g]; ergo habet aliquid quod respondet unitati essentiae divinae et Trinitati personarum; sed unitati essentiae respondet essentia; ergo Trinitati personarum respondebunt aliqua alia; nonnisi potentiae; ergo ad minus erunt tres potentiae: cognoscitiva, affectiva, motiva.

[Solutio]: Ad quod respondendum [h] quod essentiae angelicae respondet pluralitas potentiarum.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum dicendum quod, licet angelus procedat a Primo secundum primam assimilationem creaturae naturaliter congruentem, non tamen habet unitatem sive singularitatem potentiae: est enim creatura composita; sed si aliqua creatura est talis, scilicet habens unitatem potentiae, ipsa erit materia vel forma unita: materia enim non habet nisi potentiam ad formas, formae autem alicuius determinatae potentiae [i] non est nisi perficere materiam in esse; sed hoc non est in compositis essentiis.

2. Ad secundum dicendum [k] quod, licet perfectius sit uno agere quam pluribus, tamen non [l] convenit angelo, qui est prima creatura in ordine naturali: obviat enim compositio, ratione cuius necesse est habere plures potentias, et hoc est ei perfectius quam quod materia habet unicam potentiam. Unde illa summa perfectio, qua omnia uno aguntur, non convenit nisi soli Deo, in quo est idem potentia et essentia et indivisa est potentia quemadmodum et essentia [m].

---

[a] L om. [b] V *est ad illud.* [c] Ita V, alii *vero dicendum est.* [d] S om. [e] R *et.* [f] LZ *in.* [g] T om. [h] L add. *est.* [i] VS *prime*, Z *persone.* [k] Ita V, alii add. *est.* [l] V om. [m] L *esse natura.*

[1] Cf. supra, p. 152a.

[2] Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 6 (II, 255).

SECTIO II. — De angeli potentiis et actibus in specie.

Deinde procedendum est ad considerationem potentiarum et actuum particulariter. Potest autem deprehendi in genere numerus potentiarum et actuum secundum rationem actuum. Sunt enim tres actus qui derelinquunt similitudinem summae Trinitatis in angelis, scilicet praeesse creaturis secundum regimen aut potestatem, cognoscere cum suo indicio [a], motus interior vel [b] exterior. Praeesse enim secundum regimen aut [c] potestatem appropriatur Patri; cognoscere cum suo indicio [d], quod est locutio, appropriatur Filio; motus vero interior vel [e] exterior appropriatur Spiritui Sancto tamquam principio. Sic ergo in iis actibus relinquitur quaedam similitudo Trinitatis in angelo. Per actus autem cognoscuntur potentiae; erit ergo triplex potentia, scilicet praesidendi, cognoscendi [f] cum suo indicio [g] et movendi motu interiori vel exteriori.

Ex iis autem posset videri quod potentia praesidendi derelinquat similitudinem per appropriationem respectu Patris, et ita prior debeat esse. Sed videtur e contrario propter hoc quod praeesse secundum regimen [h] in angelis dependet ex cognitione et motu, et ideo prius dicendum est de potentia cognitiva cum suo actu; deinde de [i] potentia motiva; et tertio de potentia praesidendi secundum regimen [k] vel potestatem respectu creaturae angelicae vel humanae vel alterius. — Nec obstat quod potentia praesidendi appropriatur Patri, quia tunc debet unum praeordinari alteri, quando intelligitur absolute, illud vero in comparatione; et ideo, cum potentia cognitiva quasi dicat id quod pertinet ad intelligentiam angelicam secundum se, potentia vero praesidendi ut ad [l] alterum et ex prioribus actibus dirigatur, recte primo existimamus [m] agendum de potentia cognitiva cum suo actu et deinde de aliis.

Potentia vero cognitiva dupliciter attenditur: vel ratione proprii actus vel ratione consequentis, qui est potentiae indicativae [n], cuiusmodi est locutio. Primo ergo dicendum est de potentia cognitiva cum suo actu proprio et [o] principali: et primo est consideratio de potentia, postea de actu.

QUAESTIO I.

DE ANGELI POTENTIA COGNITIVA ET HUIUS ACTU PROPRIO.

TITULUS I.

DE POTENTIA COGNITIVA ANGELI.

Circa potentiam cognitivam haec consideranda sunt:

Primo, utrum sit potentia intellectiva in angelis an etiam sensitiva;

secundo, si intellectiva, utrum cum ratione aut praeter;

tertio, si est intellectiva excellentior ratione, utrum sit intellectus agens tantum aut possibilis sive materialis cum illo, cum aliis differentiis quae pertinent ad intellectum, sicut sunt intellectus in actu et intellectus in habitu;

quarto, cum sint duae differentiae, intellectus scilicet [p] speculativus et practicus, an utraque conveniat angelicae intelligentiae an [q] altera tantum.

---

[a] VT *iudicio*. [b] RLCZ *et*. [c] RLCZ *et*. [d] VTRL *iudicio*. [e] RLCZ *et*. [f] T *cogitandi*. [g] VTRL *iudicio*, L add. mg. *vel indicio*; R om. [h] LZ *regnum*. [i] SR om., in CZ est add. interl. [k] VLZ *regnum*. [l] T om. [m] V *existentibus*, Z add. *ad*. [n] V *indicare*. [o] L om. [p] L *si*. [q] R *aut*.

119

CAPUT I.

UTRUM SIT TANTUM POTENTIA INTELLECTIVA IN ANGELIS AN ETIAM SENSITIVA.

Circa primum sic: Videtur quod potentia intellectiva non sit tantum in angelis, sed etiam sensitiva. 1. Cognoscunt enim res particulares secundum signata, scilicet tempora et loca; sed vis cognitiva singularium secundum quod hic et nunc, est vis sensitiva [1]; ergo angelus habet potentiam sensitivam.

2. Item, posse sentire calidum in igne secundum contactum non est nisi potentiae sensitivae, et hoc convenit ipsis malis angelis, qui igne puniuntur; et hoc non est nisi secundum potentiam a principio datam; ergo angeli habent potentiam naturalem sentiendi calidum in igne. — Quod autem sic puniantur, patet per hoc quod dicit Augustinus, in [a] XXI *De civitate Dei* [2]: « Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos [b] posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum incorporei et nunc potuerunt includi corporalibus membris et tunc poterunt [c] corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhaerebunt ergo, si eis nulla sint corpora, spiritus daemonum, immo spiritus [d] daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, non ut ignes ipsi, quibus adhaerebunt, eorum iunctura inspirentur et animalia fiant [e] quae constent spiritu et corpore, sed, ut dixi [f], miris et ineffabilibus modis adhaerendo, accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam ».

3. Item, sicut [g] dicit Isidorus [3] et Augustinus [4], multa noverunt angeli per experientiam, quae a principio non cognoverunt [h]; sed experientia est secundum potentiam sensibilem; ergo angeli habent potentiam cognoscendi per sensum.

4. Item, phantasiae sunt secundum partem sensibilem; sed cognitio aliqua phantastica est in aliquibus angelis, scilicet daemonibus; sed non est actus sine [i] potentia [5]; ergo habebit potentiam cognoscendi secundum phantasiam, et ita potentiam [k] cognoscendi secundum sensum interiorem.

5. Item, nihil potest dare alteri nisi quod habet [6]; sed in somno dantur phantasmata aut visiones secundum partem imaginariam [l] ab angelis; ergo angeli habent phantasmata vel formas tales; ergo habent potentiam sensibilem interiorem.

6. Item, dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei*, VIII [7], quod angelus non tantum intelligit, sed etiam sentit; unde dicit ibi, 6 cap. « universi mundi corpus, figuras. qualitates ordinatumque [m] motum et elementa disposita a caelo usque ad terram et quaecumque corpora in eis sunt, sive omnem vitam, vel quae [n] nutrit et continet, qualis est in arboribus, vel quae et hoc habet et sentit, qualis est in pecoribus, vel quae et [o] haec habet et [p] intelligit, qualis est in hominibus, vel quae nutritorio subsidio non indiget [q], sed tamen continet, sentit et [r] intelligit, qualis est in angelis, nisi ab illo esse non posse [s] qui simpliciter est ». Ergo angeli habent potentiam sensitivam interiorem et [t] exteriorem.

Contra: *a.* Omnis sensus exterior est mediante organo corporeo; sed angelus est substantia separata a corpore, non indigens organo corporeo; ergo non sentit sensu exteriori.

b. Item, intelligentia angelica est excellentior intelligentia humana sive rationali, intelligentia vero rationalis excellentior cognitiva sensibili; ergo intelligentia [u] angelica est excellentior potentia deferente cognitivam sensibilem; non ergo intelligentia angelica [v] habet cognitivam sensibilem.

c. Item, forma sensibilis est aliquo modo corporalis; sed intelligentia angelica est totaliter spiritalis; ergo non est convenientia inter formam corporalem, prout huiusmodi, et intelligentiam angelicam; ergo nec inter intelligentiam angelicam et sensibilem; ergo intelligentia angelica sive angelus non habet potentiam sensitivam.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod in angelo non est potentia sensitiva distincta ab intellectiva per illum modum per quem sensitiva in [x] homine distinguitur ab intellectiva.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo obiectum dicendum [y] [8] quod, licet cognoscat angelus singularia, non tamen habet illam potentiam sensitivam

---

[a] S om. [b] SZ *incorporeas*, quod T corr.; Z *penas* pro *poena*. [c] TR *potuerunt*, quod LZ corr. [d] V *specie*. [e] R *fient*. [f] RC *diximus*. [g] RC om. [h] R *noverunt*; T *primo* pro *principio*. [i] T *sive*. [k] Ita VS, alii *potentia*. [l] STL *imaginativam*; V om. *aut ... imaginariam*; S *in* pro *secundum*. [m] RC *ordinant quia*, quod L corr., alii *ordinantque*. [n] L *quem*. [o] V om. [p] S om. [q] V *indigeat*. [r] ST om., in C est add. interl. [s] V om.; codd. add. *possunt*. [t] Ita V, alii *vel*. [u] T *intellectiva*. [v] V om. [x] Z om. [y] Ita V, alii add. *est*; LZ *hoc* pro *licet*; L om. *ergo*.

[1] Cf. Aristot., *Anal. Post.*, I, c. 31 (I, 150).
[2] Cap. 10, n. 1 (PL 41, 724 sq.).
[3] Cf. *Sentent.*, I, c. 10, n. 17 (PL 83, 556); Hieronym., *In Isaiam*, III, c. 6 (PL 24, 95).
[4] *De Gen. ad litt.*, V, c. 19, nn. 38-39 (PL 34, 334 sq.).
[5] Cf. Aristot., *De sensu et sensili*, c. 7 (III, 492).
[6] Cf. Aristot. *De elench.*, c. 10 (I, 286).
[7] Cap. 6 (PL 41, 231).
[8] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 2, q. 1 (II, 120 sq.).

quae proprie est singularium. Est enim cognoscere singulare sensibiliter et est cognoscere singulare intelligibiliter [1]. Cognoscere vero singulare sensibiliter est quando singulare, quod est hic et nunc [a], immutat potentiam coniunctam organo secundum [b] hic et nunc, sicut patet in visibili, quod immutat potentiam coniunctam organo secundum hic et nunc: unde species rei visibilis recipitur in parte pupillae et cum conditione determinati temporis. Cognoscere vero intelligibiliter sensibile sive singulare est quando quod singulare est [c] et est hic et nunc, cognoscitur tale esse ab intellectu, sed non secundum formam sensibilem sive speciem relictam in intellectu, sed secundum speciem intelligibilem, quae non [d] dicitur habere conditionem loci aut [e] temporis, nisi tempus largius [f] accipiatur.

2. Ad secundum [g] dicendum quod, licet angelus possit pati ab igne qui adhaeret ei, non tamen adhaeret ei [h] sicut formae coniunctae cum corpore perfectibili; recipit ergo speciem calidi afflictivi [i], non per modum sensus, sed per modum intellectus passibilis [k], qui est sicut sensus. Cum enim calidum immutat sensum, species calidi sensibilis est in organo, quod patitur ab ipso sensibili, et anima compatitur; hic autem species calidi intelligibilis accipitur in intellectu, sed accipiendo ut sibi nocivum [l], patitur intellectus, et sic angelus patitur quasi [m] intelligendo ad modum sensus.

3. Ad tertium [n] dicendum quod, licet sit experientia in angelis, non tamen potentia sensitiva. Experientia enim dicitur dupliciter: secundum sensum et secundum intellectum. Secundum sensum dicitur, quando sensibile percipitur apud sensum et ex hoc derelinquitur experientia consequenter apud intellectum, secundum quod dicitur [2]: ex sensu fit memoria [o], ex memoria multotiens facta experimentum etc. Secundum intellectum vero dicitur experientia, quando intellectus immediate comprehendit rem sensibilem, non mediante sensu, et per hunc modum est experientia apud intellectum angelicum: multa enim temporalia cognoscunt [p] et sensibilia per temporis experientiam.

4. Ad quartum dicendum quod, licet in aliquibus angelis dicatur esse intellectus phantasticus, hoc non est nisi propter errorem sive deceptionem quae est apud eos, scilicet daemones, non quia habeant phantastica sensibilia in potentia aliqua, secundum quod phantasma dicitur esse species sensibilis non in [q] praesenti materia [3]. Phantasia ergo sic convenit ipsis daemonibus, quomodo [r] convenit phantasia intellectui humano, cum fallitur circa cognoscenda.

5. Ad quintum dicendum quod, licet possit intelligentia angelica immutare virtutem sensibilem secundum virtutem imaginariam, sicut contingit in somnis, hoc non est quia habeat in se angelus potentiam sensibilem ut huiusmodi, sed quae est intellectualis apud intellectum angeli, in recipiendo recipitur secundum potentiam virtutis receptivae, et ita apud recipientem est sensibilis. Explanatio istius rei ostendetur infra, ubi agetur de cognitione daemonum et eorumdem tentatione [4].

6. Ad ultimum dicendum [s] quod hoc quod dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei*, sic intelligitur ut intellectiva in angelis habeat posse vivificandi vel continendi secundum quemdam modum, habeat et posse sentiendi et intelligendi proprie: vis enim intellectiva in eis est ita perfecta ut possit aliquo modo quod potest [t] inferior; unde, cum inferior possit continere et vivificare, possit [u] etiam sentire, potest ista suo modo et quodam perfectiori modo; non ergo habet illa secundum modum particularem et differentem, sed secundum modum generalem, ut quod potest vegetabilis vitaliter et sensibilis sensibiliter [v], hoc possit intellectiva intelligibiliter.

CAPUT II. 120

UTRUM IN ANGELO SIT INTELLECTUS CUM RATIONE AUT SINE RATIONE.

Secundo quaeritur utrum in angelo sit intellectus cum ratione aut [x] sine ratione.

Quod non cum ratione, videtur: *a.* Quia distinguitur angelus ab homine in hoc quod angelus cognoscit principia et quae sunt a principiis non decurrendo a principiis [y] ad conclusionem, anima autem rationalis cognoscit conclusiones decurrendo a principiis ad illas [z]; ergo intellectus angelicus est sine huiusmodi ratione.

---

[a] Z *non*, ST add. *est*. [b] Ita L (interl.) C, alii om. [c] V om. [d] Ita V, alii *nec*. [e] RC *nec*. [f] C *large*. [g] Ita V, alii add. *vero*. [h] V om. *n. t. a. e.* [i] V *afflictivum*, ST *afflictive*. [k] V *possibilis*. [l] V *motivum*. [m] R add. *in*; C *per* pro *ad*. [n] Ita R, alii add. *vero*. [o] V add. *et*. [p] T *cognoscuntur*. [q] LC exp. [r] Z *quoniam*. [s] SLZ add. *est*. [t] Z *possit*. [u] RLCZ *potest*. [v] S om. [x] S *ut*. [y] V add. *usque*. [z] V *illa sed*.

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, VI, c. 10 (II, 549).
2 Cf. Aristot., *Metaph.*, I, c. 1 (II, 468).
3 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 8 (III, 470).
4 Cf. infra, Libri II Pars II.

b. Praeterea, 'rationale' est propria differentia hominis [a], qua distinguitur ab omni alia re, et ita ab angelo; sed non dicitur 'rationale' nisi a potentia rationis; ergo homo distinguitur ab angelo [b] in potentia rationali; non ergo angelus habet potentiam hanc.

c. Item, in libro *De anima et spiritu* [1]: « Animus est quaedam substantia rationis particeps, regendo corpori accommodata ». Ergo esse participem rationis est propria differentia animae rationalis; ergo non convenit angelo.

d. Item, in eodem libro [2]: « Ratio ea vis est animae, quae rerum corporearum naturas, formas et accidentia percipit omnia incorporea, sed non extra corpora ». Ex quo arguitur quod non est potentia in angelo ipsa ratio.

e. Item, in eodem [3]: « Ratiocinatio est [c] rationis inquisitio »; sed inquisitio rationis non est in angelo; ergo nec ratiocinatio; ergo nec actus rationis; ergo nec ipsa potentia.

f. Item, in eodem [4]: « Ad rationem pertinent visibilium rationes et definitiones [et] invisibilium investigationes »; sed haec non pertinent ad angelum; ergo ratio non est potentia angelica.

Contra: 1. Damascenus, loquens de angelo dicit [5]: « Ut rationalis et [d] intellectualis arbitrio libera est ». Ergo angelus habet potentiam huiusmodi.

2. Praeterea [e], Augustinus, in libro *De civitate Dei* [6], cum loquitur de [f] daemonibus, dicit ea esse « rationalia animalia [g] mente passiva ».

3. Item, Boethius, in libro *De duabus naturis et una persona Christi* [h 7], dicit quod « persona est [i] rationalis naturae individua substantia »; sed persona est in angelis; ergo rationalis natura convenit eis; sed non conveniret [k], nisi haberent rationem; ergo etc.

4. Item, Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [8]: « Quid est [l] malum in daemonibus? nisi furor irrationalis »; sed hoc non dicitur secundum similitudinem brutorum, sed secundum similitudinem [m] hominum male utentium ratione; ergo rationem habent.

5. Praeterea, cum angelus sit substantia composita, quid prohibet angelum ipsas rerum compositiones comprehendere? sed comprehendere rerum [n] compositiones est rationis; ergo habet rationem.

6. Item, cum angelus quaedam cognoscat et quaedam ignoret, et per cognita possit venire in notitiam incognitorum, quid prohibet incessum rationis esse in angelis? ergo angelus habebit potentiam rationis.

[Solutio]: Ad quod dicendum est quod ratio dupliciter accipitur, similiter et rationale: uno modo proprie et alio modo communiter. Proprie, cum dicitur virtus cognitiva [o] conferens unum cum altero, decurrens a principiis ad conclusiones, ab uno extremo ad aliud per medium, secundum quod [p] dicit Damascenus [9]: « Excogitativi [q] sunt iudicia et compositiones et incessiones ad actus et occasiones [r] et fugae actionum, proprie vero intelligentiae [s] intelligibilium et virtutes et doctrinae et artium rationes et consiliativum et electivum ». Et iterum idem, scilicet Damascenus [10]: « Dividitur rationale [t] animae in interius dispositum sermonem et prolatum. Est autem [u] interius dispositus sermo motus animae in excogitativo fiens sine aliqua enuntiatione; secundum hoc maxime rationales omnes sumus: etenim qui a nativitate sunt muti vel propter aliquam aegritudinem vel passionem vocem amiserunt, nihilominus rationales sunt; prolatus vero sermo in voce et in syllabis operationem habet, qui per linguam et os profertur sermo, ideoque [v] et prolativus dicitur »; est autem annuntiativus intelligentiae: et secundum hunc modum est proprium hominis secundum animam 'rationale' [x]. Alio modo accipitur communiter pro intellectu cognoscente superiora et inferiora, intelligibilia et sensibilia intelligibiliter: et secundum hunc modum non est vis distincta ab intellectu, et hoc modo convenit angelis.

Ad obiecta 1-6. ergo respondeo [y] quod, licet ratio dicatur esse in angelis, non tamen secundum omnem actum. Sunt enim quidam actus qui attestantur imperfectioni, sicut decurrere per collationem a compositis notis ad composita ignota: et per hunc modum non convenit ratio angelis, cum sint simplicioris intelligentiae; cognoscunt enim multa in uno sine decursu ratiocinationis. Nec prohibet quin in angelis sint naturaliter quaedam nota et quaedam [z] ignota, et per nota possunt aliquo modo ignota cognosci, sed hoc non est per viam inquisitionis, sed in malis est per quasdam

---

[a] S *homine.* [b] Z om. *nisi a ... angelo.* [c] V om. [d] V om. [e] R *contra.* [f] V om.; Z om. *cum.* [g] T om. [h] Ita V, alii om. [i] V *ex.* [k] V *conveniet*, S *convenirent*, quod C corr. [l] V *adest* pro *q. e.* [m] S om. *b. s. s. s.* [n] V *utrum.* [o] Ita R, alii *cogitativa.* [p] RC *sicut* pro *s. q.* [q] V *ex cogitatu*; RLC *indicia* pro *iudicia.* [r] V *actiones.* [s] V add. *et.* [t] V *rationales.* [u] Z *enim.* [v] V *ideo quia.* [x] Ita S, alii *rationalem*; V *alio vero* pro *alio.* [y] V *respondemus*, RC *respondendum.* [z] S om. *n. e. q.*

1 Cap. 1 (inter opp. Augustini PL 40, 781).
2 Cap. 11 (PL 40, 787).
3 Cap. 1 (PL 40, 781).
4 Cap. 12 (PL 40, 788).
5 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867).
6 Lib. VIII, c. 16 (PL 41, 241), secundum Apuleium Platonicum.
7 Cap. 3 (PL 64, 1343).
8 Cap. 4, § 23 (PG 3, 726, PL 122, 1142).
9 *De fide orthod.*, II, c. 19 (PG 94, 938).
10 Loc. cit., c. 21 (PG 94, 939).

coniecturas, in bonis vero per revelationem supernam. Et quod homo cognoscat decurrendo a propositione nota ad ignotam, hoc novit angelus, non per modum propositionis, sed indivisibiliter. Unde si [a] comprehendit veritates compositionum [b], hoc est secundum quod veritates istae [c] reducuntur ad veritates [d] rerum quae ab ipsis angelis cognoscuntur.

CAPUT III. 121

UTRUM INTELLECTUS ANGELI SIT AGENS TANTUM AUT POSSIBILIS.

Deinde quaeritur de differentia intellectus possibilis et agentis, utrum sit in angelis sicut est [e] in hominibus [1].

Quod videtur: 1. Quia [f] angelus habet potentiam recipiendi cognoscibilia; sed potentia receptiva cognoscibilium dicitur intellectus possibilis [2]; ergo habet intellectum possibilem.

2. Item, habet aliquid in se per quod educitur de potentia in actum in genere intellectus, et hic est intellectus agens [3]; ergo habet intellectum agentem.

3. Item [g], compositus est ex materia intelligibili et forma intelligibili [h], et ex parte materiae est recipere intelligibilia, ex parte formae facere; ergo habet intellectum possibilem et agentem.

Contra: *a.* Intellectus possibilis in nobis est respectu specierum abstrahendarum a phantasmatibus; sed phantasmata sensibilia non sunt in angelis; ergo intellectus possibilis per hanc viam non est in angelis.

b. Item, intellectus materialis impedimentum quoddam recipit per laesionem cuiusdam partis cerebri; sed intellectus in angelis nullo corporeo impeditur; ergo intellectus materialis sive possibilis non est in angelis.

c. Item, quaedam colligatio est intellectus possibilis sive materialis cum virtutibus sensibilibus; sed in angelo nulla est vis colligata habens dependentiam ab illis; ergo non est intellectus possibilis vel materialis in angelis.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod intellectus possibilis est in [i] angelis, sed non secundum omnem modum secundum quem [k] est in animabus rationalibus [l]. Habet enim angelus intellectum possibilem ad recipiendum cognitionem a Deo et etiam ab angelis superioribus, si superiores habet; habet etiam [m] intellectum possibilem ad capiendum notitiam istorum inferiorum, sed non illo modo quo intellectus possibilis humanus: intellectus enim possibilis humanus indiget ministerio sensus praeambulo et ministerio virtutum sensibilium, quod non est in angelo, et ideo dissimiliter dicitur ex illa parte possibilis.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [n] obiectum ergo dicendum quod, licet habeat intellectum possibilem, non tamen respectu specierum abstrahendarum a phantasmatibus, nec respectu agentis abstrahentis species a phantasmatibus nec indiget memoriis praecedentibus vel sensibus nec impeditur per [o] impedimentum corporei instrumenti, sicut dicitur in iis qui habent maniacam [p] passionem: non enim intellectus possibilis in angelis separabilis tantum est a corpore vel ab actu sensibilium virium, sed separatus est, et ideo non occurrit ei impedimentum ex parte illa.

2-3. Ad illud [q] quod quaeritur de intellectu agente: dicendum [r] quod intellectus agentis proprie sumpti est educere potentiam intelligendi in actum, et hoc per abstractionem specierum a phantasmatibus. In angelo [s] autem non est acceptio specierum per abstractionem a phantasmatibus: unde quantum ad hanc conditionem non dicitur intellectus angeli agens. Sumendo autem communius intellectum agentem, prout agentis est educere potentiam intelligendi in actum per acceptionem quamdam specierum, intellectus angeli potest dici agens.

CAPUT IV. 122

UTRUM INTELLECTUS SPECULATIVUS ET PRACTICUS CONVENIANT ANGELO.

Deinde quaeritur de iis differentiis quae sunt intellectus speculativus et practicus, utrum conveniant angelo secundum naturam.

Quod non, videtur: 1. Cum enim speculativus a speculo dicatur, cognoscere autem *per speculum et aenigma* [4] sit cognoscere superna per haec

---

[a] LZ om. [b] S *compositionis.* [c] RLCZ *ille.* [d] R *veritatem.* [e] RLCZ om. [f] L *quod;* S om. *habet.* [g] ST *preterea.* [h] V *intelligibiliter.* [i] R om. [k] R *quod.* [l] TLZ *rationabilibus.* [m] C *enim.* [n] ita V, alii om. [o] S om. [p] V om., R *manifestatam.* [q] R *aliud.* [r] ST add. *est.* [s] V *angelis.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 2, q. 1 et d. 7, p. 2, a. 1, q. 3, ad 4 (II, 119b, 195).

2 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 6 (III, 468).

3 Cf. Aristot., loc. cit.

4 Cf. I Cor. 13, 12.

inferiora, angeli autem [a] secundum naturam suam est nudam veritatem contemplari, cum nihil intersit inter ipsum naturaliter et Deum: ergo non habet intellectum speculativum a speculo dictum.

2. Praeterea, intellectus speculativus, sicut dicit Philosophus [1], est cum continuo et [b] tempore; sed intellectus angelicus naturaliter abstrahit a continuo; ergo non est speculativus intellectus in angelis.

3. Similiter arguitur quod non sit intellectus practicus. Nam extendente se intelligentia fit [c] practica [2]; ergo si non est speculativa in angelis [d], nec practica, quae consequitur ad ipsam.

4. Item, intellectus practicus indiget custodia angelica, prout angelus datur ad custodiam in bono et ad fugam mali; sed angelus ratione alicuius potentiae suae non indiget custodia angelica; ergo non est intellectus practicus in angelis [e].

5. Praeterea, intellectus practicus retardatur per phantasiam; sed intellectus in angelis non [f] retardatur; ergo non est in angelis intellectus [g] practicus.

Contra: *a.* Intellectus speculativus est vis qua cognoscuntur res intelligibiles, ut angeli et animae et huiusmodi; sed haec vis est in angelis; ergo intellectus speculativus est in angelis.

b. Item, in libro *De anima et spiritu* [3], dicitur quod « anima similis est per intellectum angelis »; sed propriae differentiae intellectus sunt speculativus et practicus [h]; ergo hae differentiae conveniunt angelis.

c. Item, intellectus speculativus est vis nata cognoscere verum, intellectus practicus vis nata movere ad bonum; sed hae duae differentiae sunt in angelis; ergo in angelis est speculativum et practicum.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod speculativum potest dici dupliciter: vel a speculando vel a speculo. Si a speculando, et similiter practicus ab operando, secundum hoc bene possunt hae duae differentiae esse in angelo. Sed secundum quod dicitur a speculo et [i] mediante sensu recipiuntur species intelligibiles, quibus anima speculatur et in speculo videt, secundum hunc modum non dicitur speculativum esse in angelo secundum naturam. — Et nota quod alia [k] est obscuritas quam habet angelus malus, cum videt per speculum et cum homo videt naturaliter. Nam illa, quam habet homo naturaliter, est ex coniunctione cum corpulentia ipsius corporis corruptibilis. Unde Gregorius [4]: « Humanum cor, ipso corporis carnalis [l] corruptibilis pondere gravatum, hanc ipsam corpulentiam quasi obicem retinens, summa non penetrat et grave exterius iacet, quia levantem manum interius non habet ». Hanc autem non habet angelus malus, sed habet eam per peccatum, quam etiam [m] peccator homo similiter habet. Unde dupliciter dicitur homo malus videre per speculum, angelus vero malus altero modo tantum; homo bonus altero modo tantum, cum erat in statu innocentiae, aliter vero, cum est in statu poenalitatis; angelus vero bonus neutro modorum, sed clare videt aut speculatur.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad id [n] quod obicitur de intellectu speculativo, per iam dicta potest responderi.

3-5. Ad id vero quod obicitur de intellectu practico: dicendum [o] quod intellectus practicus potest dici vis quae nata est movere vel moveri ad bonum, et hoc [p] modo est in angelo. Si vero accipiatur prout indiget custodia angelica ne labatur vel potest recipere impedimentum per phantasiam sensibilem, non est intellectus practicus in angelis. Et [q] per hoc patet solutio obiectorum [r] circa intellectum practicum.

---

[a] Z *vero.* [b] RLCZ om. [c] LZ *sit.* [d] V *angelo.* [e] V *angelo,* item infra. [f] S om. [g] Z om. [h] S om. *e. p.* [i] L add. interl. *quo.* [k] Z *aliud.* [l] S *corporalis;* T om. *unde ... corruptibilis.* [m] V *ipse,* RC om. [n] LZ om. [o] Ita V, alii add. *est.* [p] V om. [q] V om. [r] V *ad obiecta.*

[1] Cf. Aristot., *De memoria et remin.*, c. 1 (III, 494).
[2] Cf. Aristot., loc. cit., cc. 7 et 9 (III, 469 sqq.).
[3] Cap. 6 (inter opp. Augustini PL 40, 783).
[4] *Moral.*, XXVIII, c. 1, n. 9 (PL 76, 451).

TITULUS II.

DE ACTU PROPRIO POTENTIAE COGNITIVAE ANGELI.

Dicto de potentia cognoscitiva, dicendum est de actu:
Et primo, de modis cognoscendi;
secundo, de differentiis cognoscibilium.

MEMBRUM I.

De modis cognoscendi.

Quantum ad primum quaeritur de duplici cognitione angelorum, scilicet matutina et vespertina, quae ponitur ab Augustino, in libro *Super Genesim ad litteram*[1], et in [a] libro *De civitate Dei*[2], et [b] *Ad Orosium*[3].

Primo ergo quaeritur quare appelletur cognitio matutina et vespertina;

secundo, utrum utraque cognitio sit naturalis;

tertio, de sufficientia huius divisionis;

quarto, de comparatione unius cognitionis [c] ad aliam, scilicet quae potior sit;

quinto, utrum cognitio, qua cognoscunt angeli Verbum, debeat dici matutina aut vespertina;

sexto, utrum cognitio, quae fuit in angelis antequam caderent, esset matutina vel vespertina vel nec sic nec sic.

CAPUT I. 123

QUARE COGNITIO ANGELI APPELLETUR MATUTINA ET VESPERTINA[4].

Ad primum sic: 1. Primo videtur quod aliqua cognitio bonorum angelorum non debeat dici matutina aut vespertina: hanc enim duplicem cognitionem angeli accipit Augustinus[5] ex [d] hoc quod dictum est Gen. 1, 5: *Factum est vespere et mane dies unus.* Cognitio ergo matutina aut vespertina dicitur iuxta proprietatem eius quod dicitur mane et vespere; sed in [e] mane est lux admixta cum [f] tenebris, similiter in [g] vespere; ergo, cum per lucem intelligatur cognitio, per tenebras ignorantia, patet quod cognitio matutina et vespertina est cui aliquid admixtum est de ignorantia; sed in cognitione bonorum angelorum nihil est admixtum de ignorantia [h], immo potius videtur dici diurna secundum quod dies nominat cognitionem cui [i] nihil est admixtum de ignorantia.

2. Praeterea, videtur quod cognitio in Verbo non debeat dici matutina, quoniam cognitio in Verbo est secundum rationem [k] Verbi: quoniam Verbum est lux incommutabilis elongans a se omnem tenebram [l], cognitio autem matutina, prout est matutina, non elongat a se omnem tenebram ignorantiae, sicut nec mane tenebram materialem; quare etc.

3. Praeterea, videtur quod cognitio boni angeli de quacumque creatura sit, sive sit de se sive de aliis, non debeat dici vespertina. Secundum quod dicit Damascenus[6]: « Angeli lumina sunt »; et secundum [m] quod exponit Augustinus, *Super Genesim ad litteram*[7], per ' diem ' significatur cognitio angelorum, per ' noctem ' privatio [n] eiusdem; unde, secundum quod [o] exponit, cognitio nihil aliud est quam dies, et [p] dies totiens repetitus nihil aliud est quam cognitio angeli totiens repetita; sed constat quod vespera dicit [q] declinationem ad noctem; cognitio ergo [r] vespertina

---

[a] Ita VS, alii om.; S om. *et.* [b] RLCZ om. [c] RLCZ om. [d] S *et.* [e] RLCZ om. [f] R om. [g] S *et.* [h] Z om. *sed in ... ignorantia.* [i] V *vel.* [k] V *cognitionem.* [l] Z add. mg. *ignorantia.* [m] RC add. *hoc.* [n] Codd. *cognitio.* [o] V om. [p] S exp. [q] V *vesper ad* pro *v. d.* [r] V *vero.*

1 Cf. lib. II, c. 8; IV, cc. 22-23; V, c. 18, n. 36 (PL 34, 269 sq., 311 sqq., 334).

2 Cf. lib. XI, cc. 7 et 29 (PL 41, 322, 343).

3 *Dialog. quaest. 65*, q. 26 (inter opp. Augustini PL 40, 741).

4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 4, a. 3, q. 1 (II, 138 sqq.).

5 Cf. *De Gen. ad litt.*, IV, c. 22, n. 39 (PL 34, 311 sq.).

6 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867).

7 Lib. IV, c. 22, n. 39; c. 23, n. 40; c. 26, n. 43; c. 30, n. 47 (PL 34, 311-316).

possibilitatem vel [a] declinationem ad ignorantiam; sed cognitio boni angeli nullo modo est possibilis ad ignorantiam secundum quod huiusmodi; ergo cognitio angeli non debet dici vespertina.

4. Ad hoc diceret aliquis quod, cum angelus sit creatura, et ideo de nihilo, quod [b] de natura sua, qua creatura, est possibilis [c] ad ignorantiam et sua cognitio admixta est quoad hoc [d] ignorantiae, et ideo per mane et vespere, quae dicunt admixtionem cum tenebris, potest significari ut dicatur eius cognitio matutina aut vespertina. — Sed tunc obicitur: quia [e] videtur quod cognitio angeli non [f] debeat dici matutina nec vespertina, quoniam mane habet tenebram antecedentem et lumen sequens, e contra vespera; sed neutro modo est in angelis; ergo neutra cognitio.

Responsio: Dicimus quod, sicut patet in libro *Super Genesim ad litteram* [1], cum Augustinus ponit praedictam duplicem angeli [g] cognitionem, ibi intendit dividere diem a [h] nocte secundum quod fit huiusmodi divisio Gen, 1, 4, cum dicitur: *Deus divisit lucem a tenebris,* et vult quod cognitio angeli [i] dicatur dies, cuius sunt duae partes, mane scilicet et vespera. Vult ergo cognitionem angeli comparare diei sive luci, eiusdem ignorantiam nocti sive tenebris; et, cum mane sit principium diei, vespera finis, vult similiter secundum hoc quod cognitio angeli in Verbo dicatur matutina, cum sit tamquam in principio rerum, sed cognitio eius vel rerum in se ipso vel rerum in proprio genere est vespertina, cum sit in [k] creatura, quae, in quantum est creatura, est in declinatione et casu; et iuxta hoc accipiuntur haec nomina 'matutinum' et 'vespertinum' [l] respectu cognitionis angelicae.

[Ad obiecta]: 1-4. Et per hoc patet solutio ad omnia obiecta: procedunt enim ex suppositione cuiusdam falsi, scilicet quod cognitio angeli dicatur matutina aut vespertina, quia sit commixtio [m] in mane et in vespere lucis cum tenebris: quod falsum est. — Item, ut patet Gen. 1, 5, antequam fieret mentio de mane et vespere, iam erat dies distinctus a nocte; et similiter in confirmatione angeli cognitio eius [n] fuit distincta ab ignorantia, secundum quod exponit Augustinus, *Super Genesim* [o] *ad litteram* [2].

Si ergo quaeratur quare tunc cognitio angeli non dicatur diurna: dicimus quod bene sic potest vocari. Unde Augustinus, in XI *De civitate Dei,* cap. 29 [3]: « In Verbo cognoscunt angeli tamquam diurna cognitione, in se ipsis tamquam vespertina ». Item, in IV libro *Super Genesim ad litteram* [4]: « Cognitio, quae est in Verbo, ad diem pertinet, quae est in se ipsis ad vesperam ».

Sed fortasse quaeretur: Cum meridies sit quasi media pars diei inter mane et vesperam, videtur secundum hoc quod debeat esse tertia differentia cognitionis angeli [p], quae diceretur meridiana. — Ad quod dicimus quod hoc non oportet: non enim potest angelus cognoscere res nisi aut in Creatore aut in creatura, et hoc vel cognoscendo [q] res in se ipso vel in propriis generibus; et prima cognitio dicitur matutina, secunda vespertina.

124 CAPUT II.

UTRUM UTRAQUE HAEC COGNITIO ANGELI SIT NATURALIS.

Secundo quaeritur an cognitio in angelis matutina vel vespertina dicatur naturalis.

Ad quod sic: *a.* Illud dicitur naturale quod a principio fuit in angelis; sed cognitio vespertina fuit in eis a principio.

b. Praeterea, aliquam habuerunt de Creatore cognitionem; ergo, cum illa non dicatur vespertina, erit matutina, et ita utraque cognitio erit in angelis naturalis.

Contra: 1. Cognitio matutina est angelicae naturae formatae, cum dictum est [5]: *Fiat lux* etc.; ergo, cum non sit [r] angelus secundum naturam suam formatus [s], non habuit cognitionem matutinam secundum primitivam conditionem.

2. Praeterea, haec est cognitio rerum in Verbo; sed haec cognitio est spirituum habentium gloriam; sed angeli mali non habuerunt istum statum; ergo nec cognitionem matutinam; et habuerunt naturalem; ergo illa non fuit matutina.

[Solutio]: 1-2. Ad quod dicendum quod vespertina cognitio potest dici dupliciter: vel cum cognoscuntur res in suo genere vel cum ex ipsis rebus

---

[a] R *et,* quod C corr. [b] V *et.* [c] LC add. interl. *est.* [d] V om. [e] L *quod,* C add. *tunc.* [f] RLCZ *nec.* [g] Z om. [h] L *ac.* [i] V om. [k] R om. [l] C *matutina et vespertina* pro *m. e. v.* [m] Codd. *cognitio;* TLZ *fit* pro *sit.* [n] T om. [o] V om. [p] L om. [q] T *cogitando.* [r] VS *sic.* [s] Ita Z add. mg., alii om.

[1] Lib. IV, cc. 22-35 (PL 34, 311-320).
[2] Cf. loc. cit.
[3] PL 41, 343.
[4] Cap. 23, n. 40 (PL 34, 312).
[5] Gen. 1, 3.

sive ex ipsa natura cognoscitivi sine [a] adminiculo gratiae gratum facientis ascendit creatura angelica ad cognitionem Creatoris. Cum ergo dicitur quod angelus de natura sua vel ex [b] consideratione rerum creatarum cognoscit Creatorem, dicitur haec cognitio non matutina, sed vespertina, quia non incipit a Creatore et pervenit ad creaturas, sed incipit a creatura et pervenit ad Creatorem. — Nec hoc est contrarium quod ponit B. Bernardus [1] differentiam inter cognitionem humanae naturae et angelicae: videtur enim dicere quod angelus immediate cognoscat Deum, non sic autem homo. Sed hoc [c] intelligendum est quod assignare intendit differentiam inter hanc cognitionem et illam, quod angelus non indiget adminiculo creaturae corporalis sicut [d] homo: non enim per cognitionem sensibilem venit ad intelligibilem; sed non excludit quin creatura intelligibilis per se nitatur ascendere ad cognitionem creatricis essentiae.

Ad illud vero quod quaeritur utrum altera istarum cognitionum sit naturalis, dicendum quod 'naturale' dicitur dupliciter: vel ad quod sufficit natura vel quod datum est a principio ipsi naturae et reputatur quasi naturale. Secundo modo posset dici altera illarum naturalis; primo vero modo dicitur naturalis quaedam cognitio, qua potuerunt angeli cognoscere res in se ipsis vel in proprio genere. Hoc infra plenius videbitur [e] [2].

CAPUT III. 125

DE SUFFICIENTIA HUIUS DIVISIONIS.

Tertio quaeritur I. de sufficientia huius divisionis.

Ad quod sic: 1. Augustinus [3] ponit quod angelus cognoscit res in Verbo et in se et in proprio genere; quare secundum hoc sunt tres rationes secundum quas cognoscit angelus; et patet quod secundum primam rationem dicitur cognitio angeli matutina, secundum tertiam [f] vespertina; quare hae duae differentiae non sufficiunt.

Ad hoc [g] **posset dici** quod debet poni media differentia cognitionis, quae dicitur meridiana; sed hoc est supra [4] positum et solutum.

Responsio: Concedimus quod iuxta primam cognitionem angeli sumitur cognitio matutina, sed vespertina non solum iuxta tertiam, sed iuxta secundam, ut manifestatum [h] est supra [5], cum utraque cognitio sit in creatura. Et ideo dicit Augustinus, *Ad Orosium* [6]: « Ipsa creaturae cognitio in semetipsa vespertina, in Dei cognitione erat mane ». Et idem in eodem: « Scientia angelorum in se ipsis in comparatione ad scientiam, quae est in Verbo, dicitur vespertina ». Sic ergo tam secunda differentia cognitionis angelicae quam tertia dicitur vespertina, tamen tertia simpliciter, sed secunda quodammodo.

II. Sed tunc quaeritur: quae est differentia inter hanc duplicem cognitionem vespertinam?

Et videtur quod nulla: 1. Quoniam nec a parte cognoscentis, cum cognoscens [i] possit esse idem angelus; nec a parte rei cognitae, quoniam eamdem rem cognoscit angelus in se ipso et in generibus rerum; nec a parte eius quo cognoscuntur res per suas species; sed nihil aliud videtur ratione cuius possit assignari differentia; quare, etc.

Contra: *a.* Angeli cognoverunt res fiendas in se ipsis angelis, et ita secundum ordinem naturae antequam fierent; sed in propriis generibus rerum non contingit res cognoscere antequam fiant [k], sed solum iam factas, secundum quod ponit [l] Augustinus [7]; sed constat quod alio modo cognoscitur res fienda nondum facta et res quae cognoscitur secundum quod iam facta est. Unde Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [8], accipit illa tria verba, quae ponuntur in conditione firmamenti, Gen. 1: *Fiat, fecit* et *factum est*, et vult illa distinguere referendo ad triplicem cognitionem angeli, quoniam quod dicitur '*fiat*', refertur ad cognitionem angeli quam habet in Verbo; '*fecit*' ad cognitionem rerum in ipso angelo; '*factum est*' ad cognitionem rerum [m] in proprio genere [9]. Licet enim haec simul fuerint tempore, tamen ibi est prioritas ordine et dignitate. Unde ly [n] '*fiat*' dicit quasi dispositionem ad operandum, quod cognovit angelus in Verbo; ly '*fecit*' quasi ipsum operari, quod cognovit in se ipso;

---

[a] S om. [b] C om. [c] C om. [d] Z *sed*. [e] RLCZ om. *H. i. p. v.* [f] T add. *et*. [g] V *quod*. [h] VSTR *manifestum*. [i] V om. *c. c.* [k] L om. *sed in ... fiant*, in Z est add. mg. [l] C *exponit*. [m] R om. [n] ST *licet*.

1 Cf. *In Cantica*, sermo 5, n. 4 (PL 183, 800).
2 Cf. num. 125.
3 *De Gen. ad litt.*, IV, c. 24-32 (PL 34, 312 sqq.).
4 Cf. supra, p. 168b.
5 Cf. supra, p. 168, *Responsio*.
6 *Dialog. quaest. 65*, q. 26 (inter opp. Augustini PL 40, 741), ubi et sequens.
7 *De Gen. ad litt.*, IV, c. 32, n. 49 (PL 34, 317).
8 Loc. cit. et n. 50 et II, c. 8, nn. 18-19 (PL 34, 317, 270).
9 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 5, c. 1 (f. 50d).

ly '*factum*' quasi iam operatum, quod cognovit angelus in rebus iam creatis. Et haec sic cognoscere dedit Deus angelo, secundum quod ibi dicit Augustinus[1]. Sic[a] ergo patet quod differunt huiusmodi cognitiones. — Quod[b] concedimus.

[Ad obiecta]: 1. Ad id ergo[c] quod obicitur in contrarium, dicimus quod angelus cognoscit res[d] in se angelo per species sibi datas[e], sed in proprio genere accipiendo species ab ipsis rebus; licet ergo utrobique[f] cognoscat res per earum species, differenter tamen. Et[g] patet exemplum de artifice, qui aliter cognoscit arcam antequam fiat et postquam facta est[2], et tamen utrobique per suam speciem cognoscit.

Patet ergo ex praedictis quomodo est ponere tantum duas differentias cognitionis in angelo, et tamen sunt eius tres rationes cognoscendi, et quomodo huiusmodi tres rationes differant: quoniam illa, quae est in Verbo, nullo modo dependet a re creata, sed illa, quae est in angelo, ad minus dependet a forma vel specie concreata ipsi angelo, quia[h] « intelligentia est plena formis[3] »; sed illa, quae est rerum in propriis generibus, a[i] rebus creatis simpliciter dependet. Ex[k] hoc patet quod istae tres rationes cognoscendi secundum nobilitatem earum differunt: nobilior enim est forma increata quam concreata ipsi angelo, et concreata quam forma a rebus accepta.

126

CAPUT IV.

DE COMPARATIONE UNIUS COGNITIONIS AD ALIAM.

Quarto quaeritur de comparatione unius cognitionis[l] ad aliam, quae potior sit[4].

Ad quod sic: *a.* Melius cognoscuntur res in arte qua fiunt quam in ipsis rebus, sicut dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei*[5]; et idem super illud Ioan. 1, 4[6]: *Quod factum est, in ipso vita erat:* « Arca vivit in mente »; quod fit, transit cum tempore; sed cognitio rerum in arte est in ipso Verbo[m], rerum in se ipsis in proprio genere; ergo potior est cognitio in Verbo quam quae est in proprio genere.

b. Item, melius cognoscuntur res, cum cognoscuntur[n] secundum quod habent esse immutabiliter[o] quam secundum quod habent esse mutabiliter; sed in[p] Verbo habent esse immutabiliter, in proprio genere mutabiliter[q], et in hoc et in[r] illo cognoscuntur prout ibi sunt; ergo potior est cognitio rerum in Verbo quam in proprio genere.

c. Item, Augustinus, *Ad Orosium*[7]: « Plus videtur creatura in Verbo quam in se ipsa videatur; plus videtur in arte, in qua fit, quam in se ipsa videatur ». Unde Augustinus, in[s] XI *De civitate Dei*, 7 cap.[8]: « Scientia creaturae in comparatione scientiae Creatoris quodammodo advesperascit; itemque[t] lucescit et mane fit, cum ipsa refertur ad laudem dilectionemque[u] Creatoris, nec in noctem vergitur, ubi non Creator creaturae dilectione relinquitur ».

d. Item, ibidem: « Cognitio creaturae[v] in se ipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est; ideo[x] vespera quam nox congruentius dici potest ».

e. Item, matutinum, secundum quod huiusmodi, nobilius est vespertino; ergo cognitio matutina potior est cognitione vespertina.

Contra: 1. Potior est cognitio qua res distincte cognoscuntur quam qua indistincte; sed in proprio genere cognoscuntur distincte, in Verbo vero indistincte; ergo potior est cognitio in proprio genere quam in Verbo.

2. Item, sicut se habet esse ad esse, ita cognitio ad cognitionem[9], cum cognitio rei sequatur esse eiusdem et iuxta proprietates essendi sumatur ratio cognoscendi; sed esse rei in proprio genere est esse simpliciter, esse in Verbo est esse secundum quid; ergo et cognitio; sed rei cognitio[y], quae est cognitio simpliciter, potior est quam illa quae est[z] secundum quid; ergo etc.

3. Item, si B cognoscitur per A, ita quod propria ratio cognoscendi sit A, si A non cognoscitur nisi per privationem, ergo nec B; a simili arguitur: constat enim quod Verbum est ratio cognitionis

---

[a] Z *sicut*. [b] V *hanc*. [c] S *vero*. [d] Z om. [e] LCZ *creatas*. [f] V *ab utroque*. [g] T *ut*. [h] V *creata ipsi qui* pro *c. i. a. q.* et om. *est*. [i] V om. [k] T *et*. [l] V om. [m] Z *verborum*, C *verba*. [n] V om. *c. c.* [o] S *immutabili*. [p] V add. *hoc* et om. *quam secundum ... mutabiliter*. [q] T om. *i. p. g. m.* [r] V om. [s] V om. [t] S *interque*, R (corr.) *eademque*. [u] S *dilectionem*; V *nocte* pro *noctem*. [v] T om. [x] Z add. *tam*; S *secundum nos* pro *quam nox*. [y] VR om. *s. r. c.* [z] V om.

1 Loc. cit.
2 Cf. Augustin., *In Ioan.*, tr. 1, c. 1, n. 17 (PL 35, 1387).
3 *Liber de causis*, § 9 (p. 173).
4 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 5, c. 1 (f. 50d); S. Bonav., II *Sent.*, d. 4, a. 3, q. 2 (II, 141 sq.).
5 Lib. XI, c. 29 (PL 41, 343).
6 *In Ioan.*, tr. 1, c. 1, n. 17 (PL 35, 1387).
7 *Dialog. quaest. 65*, q. 26 (inter opp. Augustini PL 40, 741).
8 PL 41, 322, ubi et sequens.
9 Cf. Aristot., *Metaph.*, I, lect. brevis, c. 1 (II, 486).

angeli, cum cognoscit in Verbo; sed ipsum Verbum non contingit cognoscere nisi [a] per privationem, ut videtur per hoc quod dicitur I Tim. ultimo, 16: *Qui habitat lucem inaccessibilem.* Et hoc ostendit Dionysius [1]; dicit enim quod certiores sunt de Deo negationes quam affirmationes: licet enim multae affirmationes de Deo sint [b] verae, tamen incertae, sed negationes [c] sunt certissimae, ut quod non est leo [d] aut lapis aut aliquid huiusmodi; ergo angelus cognoscit res in Verbo solummodo privative; sed talis cognitio non est certitudinalis; sed cognitio rerum in proprio [e] genere est certitudinalis; potior autem est [f] cognitio certitudinalis non certitudinali; quare ut prius.

4. Item, videtur quod nullo modo possint angeli cognoscere res in Verbo, quoniam Verbum est infinitae lucis, potentia autem angeli finita est et res, quae cognoscitur, finita; sed non videtur quod finitum copuletur finito per infinitum; quod esset, si diceretur quod angelus cognosceret res in Verbo vel quod Verbum esset ratio secundum quam uniretur intelligibile cum intelligente [g]; quod cum videatur impossibile, videtur quod angelus non possit res in Verbo cognoscere.

Respondeo, secundum Augustinum, *Super Genesim ad litteram* [2], et *Ad Orosium* [3]: potior est cognitio quae est [h] in Verbo quam quae est in proprio genere, quoniam in Verbo cognoscitur res aeternaliter et incorruptibiliter et ut in causa, sed in proprio genere ut temporaliter et ut corruptibiliter [i] et ut create; sed nobilior et potior est ista [k] cognitio quam illa: quemadmodum enim dicimus quod certius cognoscemus [l] res in futuro quam modo, quia in futuro cognoscemus in Verbo, modo autem cognoscimus in proprio genere, ita dicimus quod melius cognoscunt angeli res in Verbo quam in proprio genere.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum dicimus quod Deus uno et eodem cognoscit res distincte, scilicet se ipso, et ideo dicimus quod potissima est sua cognitio, cum uno et eodem modo possit cognoscere plura [4], et impotentia est intellectus creati quod non possit cognoscere plura nisi [m] pluribus. Sicut enim dicimus quod nobilior est [n] motus unius motoris habentis virtutem plurium [o] quam plurium habentium solum huiusmodi virtutem, ita dicimus quod de nobilitate Dei est quod uno et eodem [a] possit cognoscere plura et distincta: illud enim unum habet virtutem, ipso manente uno [b], distinguendi res ipsas. Non enim est Deus sicut speculum materiale [c], quod secundum unam speciem non potest distinguere plura, sed est etiam distinctivum [d] ipsarum, et ideo solvendum est per interemptionem. — Ad id quod obicitur quod angelus in Verbo cognoscit res indistincte: dicendum [e] quod potest eas ibi cognoscere distincte, non quia sit distinctio in Verbo, sed in rebus ipsis a Verbo, et ipsum speculum angelicum in recipiendo eas [f] distincte recipit: unde Deus facit in angelo huiusmodi distinctionem.

2. Ad secundum dicendum [g] quod esse rerum in Primo est esse [h] simpliciter, quoniam illud esse nihil aliud est quam esse Primi, secundum quod dicit Anselmus [5] quod «creatura in Creatore nihil aliud est quam creatrix essentia». Non enim dicimus quod lapis habeat esse lapidis in Deo, et sic de aliis, sed esse, quod habet in Deo, est esse increatum, et ideo est esse simpliciter, quoniam [i] quidquid est in ipso, ut est in ipso, est ipse. Non sic in anima, in qua sunt species rerum, quae [k] non sunt ipsa anima, et ideo, cum cognitio sequatur esse, manifestum est quod simpliciter [l] est cognoscere res in Verbo. Unde etiam dicit Philosophus [6], quod cognoscere causatum in causa est ipsum cognoscere simpliciter; et [m] multo magis in causa prima, quae supra omnem causam est, sicut est causa prima.

3. Ad tertium dicendum quod aliter est in cognitione nostra quam angelorum, secundum quod ostendit Bernardus, in 5 homilia *Super Cantica* [n 7], dicens: «Supercaelestis spiritus absque adiutorio corporis et absque intuitu horum quae per corpus sentiuntur, sola profecto [o] suae vicinitate ac vivacitate naturae sufficit apprehendere summa et intima penetrare. An non hoc Apostolus intellexit qui, cum diceret [8]: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur,* adiecit protinus: *a*[p] *creatura mundi?* nimirum quoniam a creatura caeli non ita. Quo [q] enim is involutus carne ac [r] terrae incola spiritus ex consideratione sensibilium proficiens, gradatim quodammodo paulatimque nititur pervenire, eo ille

---

[a] V om. [b] L *sicut.* [c] T *negotiores.* [d] Codd. *lex;* V *ut* pro *aut.* [e] LZ *proprie.* [f] L om. [g] L *intelligentie,* quod T corr. [h] V om. *q. e.* [i] V *incorruptibiliter* pro *u. c.;* Z om. *ut;* R *vel* pro *et.* [k] Ita V, alii *illa.* [l] C *cognoscimus.* [m] V add. *in.* [n] C *nobiliores* pro *n. e.;* V *motu* pro *motus.* [o] S om., TR *plurimi.*

[a] V add. *modo.* [b] V *in ipso manentem* pro *i. m. u.* [c] S add. *est.* [d] ST *distinctum.* [e] T add. *est.* [f] V add. *eos,* T repet. [g] Ita V, alii *dicimus.* [h] Z om.; L *quod* pro *quoniam.* [i] R *quia.* [k] RC *quia.* [l] T *simplex.* [m] T om. [n] V *Danielem;* RLCZ om. *in.* [o] Ita V, R *profectio,* alii *perfectio;* V *sine* pro *suae;* RC *aut* pro *ac.* [p] V om. [q] LC *quomodo.* [r] C *aut.*

1 Cf. *De divin. nomin.*, c. 1, § 5 et c. 13, § 3 (PG 3, 594, 982, PL 122, 1116, 1171); *De myst. theol.*, c. 1, § 2 (PG 3, 999, PL 122, 1174); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 367-368. 2 Lib. IV, c. 23, n. 40 (PL 34, 312).
3 Loc. cit., p. 170, nota 6.
4 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 166.
5 *Monol.*, c. 34 (PL 158, 189).
6 Cf. *Metaph.*, I, c. 3 (II, 471).
7 Num. 4 (PL 183, 800), ubi et sequens.
8 Rom. 1, 20.

caelestium habitator ingenua subtilitate ac[a] sublimitate sua in omni facilitate pertingit, nullo utique sensus corporei adminiculo fultus, nullo corporei membri adiutus officio, nullo corporeae cuiuscumque rei reformatus intuitu ». Et idem[b] subdit exempla notabilia dicens: « Cur enim inter corpora spirituales scrutetur[c] sensus, quos in libro vitae et absque contradictione legit[d] et absque difficultate intelligit? Cur in sudore vultus sui laboret excutere grana de paleis, de vineis uvas et de amurca[e] oleum, qui de omnibus satis abundeque ad manum habet? Quis mendicet victum suum, in domo sua abundans panibus? Quis puteum fodere curat et in[f] terrae visceribus venas aquarum cum labore rimari, cui ultro[g] affatim aquas limpidas fons vivus emanat? ». Idem dicit Augustinus, *Super Genesim ad litteram,* II libro, circa medium[1]: « Neque enim, sicut nos, ad percipiendam sapientiam eius proficiebant angeli, ut *invisibilia Dei*[h] *per ea, quae facta sunt, intellecta* conspicerent, qui, ex quo facti sunt, ipsa aeternitate sancta et pia contemplatione perfruuntur ». Facit ergo Bernardus vim in hoc quod dicit '*a creatura mundi*', id est a creatura humana, et non dicit a creatura caeli, id est a creatura angelica, quasi diceret: licet intellectus humanus veniat ad cognitionem invisibilium per creaturas, non tamen intellectus angelicus. Secundum hoc ergo dicimus quod verum est quod creatura humana, quantum est de se, nunquam venit ad[i] cognitionem invisibilium, sed solum aut per privationem aut per effectus, secundum etiam quod dicit Dionysius[2]. Verbi gratia per privationem: sicut si velim scire quid est Deus, inducendo in creaturis, removendo eas a Deo, ut dicatur quod[k] non est lapis aut equus, et sic de aliis: et sic conicitur[l] quod est super omnem creaturam. Alio modo per effectus eius repertos in creaturis, sicut si dicatur 'haec creatura est bona, et non est bona a se, ergo ab alio'; sed tunc quaeritur: vel ab alia creatura vel[m] ab alio quam a creatura; et tunc conicitur[n] quod ab alio quam a creatura; et tunc conicitur aliquam[o] substantiam esse increatam primam, quoniam non est abire in[p] infinitum[3]. Sed sic non est in angelo, sed angelus cognoscit Deum vel per ipsum vel per similitudinem ab ipso acceptam, et ideo certissima est eius cognitio qua cognoscit res in Verbo, quoniam per ipsum Verbum cognoscit Verbum et per ipsum alia.

4. Ad ultimum dicimus quoniam, etsi lumen increatum[q] sit infinitum, quantum est de se, tamen intelligens secundum sui possibilitatem ipsum recipit, et ita finite: omne enim receptum est in recipiente per modum recipientis, et non per modum recepti[4], et hoc magis explanatum est in Quaestione[r] de visione sive cognitione Dei[5], ubi ostensum est quomodo[s] Deus, licet sit infinitae virtutis, tamen se contemperat intelligenti, ut ipsum possit recipere secundum suam possibilitatem. — Nec valet oppositio 'si per infinitum virtute intelligatur finitum': non enim oportet intellectum pertransire illud ut est infinitum, sed attingere illud ut est.

127

CAPUT V.

UTRUM COGNITIO, QUA COGNOSCUNT ANGELI VERBUM, SIT MATUTINA AUT VESPERTINA.

Quinto quaeritur utrum cognitio, qua cognoscit angelus Verbum, sit matutina aut vespertina.

Et videtur quod non matutina: 1. Quoniam aliud est intueri lumen solis et rem in lumine solis; ergo similiter aliud et aliud est intueri Verbum et res in Verbo, et alius modus intuendi videtur; sed cognitio rerum in Verbo dicitur matutina; ergo cognitio ipsius Verbi non videtur dici matutina; et constat quod non dicitur vespertina.

2. Item, cum dicitur Gen. 1,5-8: *dies unus* vel *secundus* etc., '*dies*' ibi accipitur praesentia luminis aeterni super creaturam angelicam quam illuminat, et haec praesentia est in conversione ad lumen aeternum; sed non possunt converti ad illud et illud non cognoscere; ergo in convertendo cognoscunt ipsum lumen; sed postmodum subditur[6]: *Factum est vespere et mane* etc. Ergo ex ordine verborum videtur quod ista[t] cognitio non fuit matutina aut vespertina.

Contra: *a.* Angelus cognoscit Verbum et res in Verbo per ipsum Verbum; ergo utrobique est idem principium cognoscendi; ergo eadem est cognitio in specie; sed illa est matutina qua cognoscunt[u] res in Verbo per Verbum; ergo et reliqua[v].

---

[a] Ita L, alii *a;* S om. *a. s.;* VT *subtilitate* pro *sublimitate.* [b] V *ibidem.* [c] Z *scribentur,* quod L corr., alii *scrutentur.* [d] V *legitur,* quod R corr. [e] RT *amicta;* R om. *et.* [f] Ita V, alii om. [g] Z *ultimo* quod C corr. [h] L *invisibilia* pro *u. i. D.* [i] V *in.* [k] L om. [l] RCZ *connititur.* [m] V om.; C om. *a.* [n] VRCZ *connititur,* item infra; C om. *a.* [o] RC *aliam.* [p] LZ om. [q] VSRZ *creatum;* Z *quod* pro *quoniam.* [r] Z *questionibus.* [s] RC *quod,* Z *quoniam.* [t] RC *illa.* [u] V *cognoscitur.* [v] V *cetera.*

1 Cap. 8, n. 17 (PL 34, 270).
2 Loc. cit., p. 171, nota 1.
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 25.
4 Cf. *Lib. de causis,* § 10 (p. 174).
5 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 8-9.
6 Gen. 1, 5.

[Solutio]: Ad hoc respondendum [a] per auctoritatem Augustini, *Ad Orosium* [1], dicentis sic: « Hoc intelligi posse arbitror quod non in ipso die, tamquam eius bono indigens quo sit beatior, requievit, sed ipsum diem septimum, id est angelicam naturam, adduxisse ad requiem suam, ut viderent [b], scilicet in Deo, sicut omnem formandam creaturam, ita et illum viderent [c], quod nullam creaturam pro indigentia, sed [d] sola bonitate fecisset ». Ex quo videtur quod eadem est cognitio qua vident angeli [e] Verbum et qua vident res in Verbo.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum dicendum quod non est simile de visione solis et eius quod videtur in lumine solis [f] et de cognitione Verbi et eius quod videtur in Verbo. Visio enim alicuius in lumine solis non est idem quod visio solis, visio autem alicuius in Verbo est idem quod visio Verbi: res enim in Verbo est idem quod ipsum Verbum, visum autem in sole non est idem quod sol. Cum ergo matutina vel diurna [2] dicatur visio illa [g] quae est cognitio rei in Verbo, dicetur similiter matutina sive diurna ipsa cognitio Verbi.

2. Ad secundum dicendum quod, licet praemittatur de factura lucis antequam dicatur [h] de vespere et mane, nihilominus tamen ipsa lux comprehendit in se mane et vespere, ut in hoc intelligatur omnis cognitio angelica quae procedit ex perfectione ipsius angeli. Omnis enim cognitio vel est in principio vel est in iis quae sunt a principio; cognitio autem in principio est cognitio principii: principium enim se ostendit et alia quae sunt in illo, et ideo cognitio ipsius principii dicetur cognitio matutina sive diurna [i]; cognitio autem quae [k] ortum habet ab iis quae sunt a principio, licet fiat ex praesentia luminis divini effective, non tamen formaliter: et ideo talis cognitio non dicitur matutina, sed vespertina.

CAPUT VI. 128

AN DAEMONES HABUERINT COGNITIONEM MATUTINAM ET VESPERTINAM.

Sexto quaeritur an daemones habeant cognitionem [matutinam et] vespertinam.

Et videtur quod sic: 1. Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [3]: « A malis angelis, etsi [l] mali sint, ab eis tamen non aufertur potestas naturae »; sed ex sui [m] natura habuerunt posse cognoscendi res vespertina cognitione; ergo daemones habent huiusmodi cognitionem.

2. Item, idem [n], in eodem [4]: « Deus sic punit malam voluntatem, ut nec perimat dignitatem ». Et inde ut prius.

3. Item, XXI *De civitate Dei* [5]: « Innotuit daemonibus, non per id quod est vita aeterna et lumen incommutabile, sed per quaedam temporalia divinae virtutis effecta et occultissima signa praesentiae [o], quae angelicis sensibus [etiam] malignorum spirituum potius [p] quam infirmitati hominum possunt esse conspicua [q] ». Sed huiusmodi effecta divinae virtutis sunt res in proprio genere; ergo cognoscit res in proprio genere [r]; et haec est cognitio vespertina; ergo etc.

4. Item, in eodem [6]: « Daemones non aeternas temporum causas et cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorumdam signorum nobis occultorum maiori [s] experientia, multo plura quam homines futura conspiciunt ». Et ita ut prius.

5. Item, idem, in eodem: « Aliud est temporalibus temporalia coniecturare, aliud est incommutabilibus legibus mutationes temporum [t] praevidere ». Et vult quod primum referatur ad malos angelos, secundum ad bonos; et ita ut prius.

6. Item, videtur quod malus angelus habuit cognitionem matutinam antequam caderet, per hoc quod dicit Bernardus, *Super Cantica*, 14 cap. [7]: « Potuit contingere, si [u] tamen incredibile non putetur, *plenum sapientia et decore perfectum* [8] homines praescire potuisse futuros et profecturos [v] in parem gloriam. Sed si praescivit, in Dei Verbo absque dubio vidit ». Ergo habuit cognitionem matutinam.

7. Item, Bernardus [9]: « Puto per *aquilonem* reprobandos homines fuisse designatos, per *sedem* [x] potestatem in illos. Quos [y] utique in praescientia Dei quanto ei vicinior, tanto ceteris perspicacior praevidens, nullo sapientiae radio coruscantes, nullo spiritus amore ferventes, velut vacuum repereris [z] locum ». Ex quo accipitur quod vidit in praescientia, et ita in Verbo.

---

[a] V add. *est*. [b] V *videret*. [c] V *videret*, T *vident*. [d] RLCZ add. *pro*; V *pre* pro *pro*. [e] Ita V, alii om. [f] Ita V, alii om. [g] Z om. [h] S add. *et*. [i] S *divina*. [k] Z om. [l] V *si*. [m] V *sua*. [n] C om. [o] Codd. *prescientie*. [p] S *post*. [q] Ita VS, T *spicua*, alii *perspicua*. [r] S om. *ergo ... genere*. [s] V *maioris*. [t] T *operum*. [u] VST *sed*; RZ *tam* pro *tamen*; codd. *credibile* pro *incredibile*. [v] T *perfecturos*; R om. *et*. [x] Z add. *et*. [y] RLCZ om. [z] V *reperit*.

1 *Dialog. quaest. 65*, q. 42 (inter opp. Augustini PL 40, 747). 2 Cf. supra, p. 168b.
3 Cf. lib. XI, c. 2 (PL 34, 431); Strabus, *Glossa ordin., In Exod.*, c. 7, 11 (PL 113, 203).
4 Lib. VIII, c. 23, n. 44 (PL 34, 390).
5 Rectius lib. IX, c. 21 (PL 41, 274).
6 Cap. 22 (PL 41, 274), ubi et sequens.
7 *Sermo* 17, n. 5 (PL 183, 857). 8 Cf. Ezech. 28, 12.
9 *De grad. superbiae*, c. 10, n. 36 (PL 182, 961), ubi alludit ad Isai. 14, 13: *Ponam sedem meam ad aquilonem.*

Contra: *a.* Primo videtur quod nec matutinam cognitionem habeant nec vespertinam. Quod dicitur Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus* [a] etc., exponit Augustinus, *Super Genesim* [1], quod per *caelum* intelligitur factura angelicae naturae de nihilo, et [b] cum dicitur [2]: *Fiat lux,* intelligitur factura [c] eiusdem in conversione ad lucem primam; sed hoc modo secundo non intelliguntur facti angeli mali; ergo illud '*Fiat lux*' de malis non intelligitur; sed, ut [d] dictum est [3], *vespere* et *mane* ibi subdividunt lucem, quae praedicta est fieri; ergo quod subditur de vespere et mane non intelligitur de malis angelis; sed iuxta mane et vespere sumitur cognitio matutina et vespertina; ergo non habent hanc aut illam cognitionem.

b. Item, secundum quod exponit Augustinus [4] dies ibi dicit praesentiam luminis aeterni super angelicam creaturam, quoniam quod dicitur '*Fiat lux*' sic exponitur [e]: id est convertatur angelica creatura ad lumen aeternum, in qua scilicet conversione fiebat dies spiritualis; sed haec conversio non fuit in malis angelis; ergo ut prius.

c. Item, hoc ostenditur [f] ex ordine litterae, quoniam, sicut dicit [g] Augustinus [5], ibi per divisionem lucis a tenebris [6] intelligitur divisio persistentium angelorum a cadentibus; sed post [h] huiusmodi divisionem subditur [7]: *Et factum est vespere et mane dies unus;* patet ergo quod ly '*vespere*' et ly '*mane*' solum habent [i] referri ad bonos angelos; et inde ut prius.

[Solutio]: 1-5. Concedimus quod huiusmodi differentiae cognitionis, prout ibi accipiuntur, non conveniunt daemonibus. Ut enim ibi accipiuntur, hoc est in quantum primum lumen et aeternum angelos illuminat ad cognoscendum res certitudinaliter, et hoc vel in se ipso, scilicet primo lumine, et sic [k] dicitur cognitio matutina; vel in se ipsis angelis [l] vel in ipsis rebus, scilicet in proprio genere, et utroque modo dicitur cognitio vespertina. Sed constat quod sic tantum bonos illuminat, quoniam mali non cognoscunt certitudinaliter, sed coniecturando [8]. Et hoc plane dicit Augustinus, in auctoritate supra posita [m 9]: « Innotuit daemonibus » etc.; et alia eiusdem in eodem [10]: « Aliud est temporalibus temporalia » etc. [n]

Si tamen quaeratur utrum secundum naturam suam primitus institutam habeant aliquam cognitionem rerum naturalem, an [o] sint creati nudi quoad eorum cognitionem, sicut intellectus humanus, et quae dicatur esse huiusmodi cognitio eorum: dicendum [p] quod non est [q] de intellectu eorum sicut de intellectu humano, immo in natura sua habent formas datas ad cognoscendum res secundum naturam, et huiusmodi eorum cognitio ad principium naturale reducitur, non ad gratuitum [11]. Et cum dicitur '*fiat lux*' etc. '*et factum est vespere*' etc. [r], ibi notatur cognitio quae est ex gratia naturalibus superaddita, quia per hoc quod dicitur '*creavit caelum et terram*' notatur creatio rerum de nihilo; per ea quae subiunguntur '*fiat, fecit, et factum est*' notatur eorumdem formatio, dispositio et ornatus. Unde per hoc quod dicitur '*fiat lux*' notatur formatio angelicae naturae, quae quidem fit per gratiam. Et hoc patet si fiat vis in hoc verbo '*fiat*': creare enim proprie est de nihilo, facere vero de aliquo vel aliquo supposito; huiusmodi autem formatio, quae sic fuit per gratiam, non fuit in malis angelis, et ideo neutra cognitio in eis fuit. Si tamen extenderemus nomen vespertinae cognitionis, posset dici illa cognitio naturalis, quae tunc fuit in angelis malis, vespertina respectu cuiuslibet cognitionis gratuitae, cum haec multum obscuritatis habeat respectu illius, ita quod illud, quod gratiae est, a vespertina cognitione tollatur.

6-7. Ad auctoritatem B. Bernardi respondendum [s] est quod B. Bernardus non simpliciter illud asserit, sed sub quadam dubitatione ponit. Si tamen verum est, non accipitur ibi 'videre in Verbo' quo modo [t] visio in Verbo est [u] merces angelorum et animarum sanctarum, sed dicitur 'videre in Verbo' accipere a Verbo illud quod est supra intellectum suum: supra enim intellectum naturalem daemonum fuit praevidere quod homo habiturus esset parem gloriam. Quod autem aliquam habuit [v] cognitionem de hoc homine [x] creato, habetur per hoc quod habetur in *Quaestionibus de Veteri Testamento* [12] ubi dicitur: « Diabolus inimicus extitit homini; praevidit enim quod ad accusationem eius factus est homo »; sed haec praevisio potuit esse post casum suum ante casum hominis. Quod videtur ex verbis sequentibus [y]: « Subtilitate sua id egit ut in eamdem illam praevaricationem, in quam ipse ruit [z], induceret, ut accusatorem suum participem suae damnationis efficeret ».

---

[a] RC add. *celum.* [b] T om. [c] STRLC *facta.* [d] S om. [e] LC (corr. mg.) Z *exponit.* [f] L *extenditur.* [g] L om. *q. s. d.* [h] V *per.* [i] V *habet.* [k] V *sicut* pro *e. s.* [l] T om. [m] VL *supposita* pro *s. p.* [n] Z om. *Et alia ... etc.* [o] ST *aut.* [p] RLCZ add. *est.* [q] T om. [r] V om. *e. f. e. v. e.* [s] V *dicendum;* RC om. *est.* [t] V *quando* pro *q. m.* [u] V repet. [v] RLCZ *habuerit.* [x] V *nomine.* [y] S *consequentibus.* [z] RLCZ *ivit;* S *ipsemet* pro *i. r.;* T *principem* pro *participem.*

[1] Lib. I, c. 9, n. 25 et c. 17, n. 32 (PL 34, 252, 258); cf. *De civit. Dei,* XI, c. 9 (PL 41, 323).
[2] Gen. 1, 3.
[3] Cf. supra, p. 168, *Responsio.*
[4] Loc. cit.
[5] Cf. *De civit. Dei,* XI, c. 33 (PL 41, 346).
[6] Gen. 1, 3.
[7] Gen. 1, 5.
[8] Cf. Damasc., *De fide orthod.,* II, c. 4 (PG 94, 878).
[9] Cf. supra, n. 3.
[10] Cf. supra, n. 5.
[11] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 7, p. 2, a. 1, q. 1, ad 4 (II, 191).
[12] Quaest. 2 (inter opp. Augustini PL 35, 2217), ubi et sequens.

MEMBRUM II.

De differentiis cognoscibilium.

Dicto de cognitione angeli quantum ad modum cognoscendi, consequenter quaeritur de ipsa ratione cognoscibilium. Circa quam quaeruntur haec:

Primo, qualiter cognoscit quod supra se est, scilicet Deum;

secundo, qualiter cognoscit quod iuxta se est, scilicet angelum;

tertio, qualiter cognoscit quae [a] sunt infra se, scilicet corporalia;

quarto, qualiter cognoscit [b] habitus, qui sunt in se, naturales et gratuitos.

CAPUT I. 129

QUALITER COGNOSCAT ANGELUS QUOD SUPRA SE EST, SCILICET DEUM [1].

Circa primum sic: *a.* Angelus cognoscit Deum; aut ergo per medium aut sine medio. Et videtur quod necesse est hoc esse per medium: constat enim quod Deus est infinitae virtutis et angelus est finitae virtutis; ergo non est proportio inter haec; ad hoc ergo ut angelus Deum apprehendat necesse est ut prius fiat proportio inter haec; sed inter duo sic disparata et improportionalia [c] de se non fit proportio nisi per medium; oportet ergo aliquod esse medium proportionans [d], mediante quo possit angelus Deum cognoscere, scilicet aliquod creatum, ut est [e] similitudo vel species vel aliquod huiusmodi: quemadmodum dicimus quod anima non potest immediate cognoscere lapidem, sed potius per speciem [f] lapidis aut per similitudinem [2]. — Si autem hoc concedatur, quaeritur quid est medium. Et obicitur de illo medio, sicut de angelo est obiectum [3], quoniam constat quod illud medium, ex quo est creatum, erit finitae virtutis; ergo ipsi [g] Deo, qui est virtutis infinitae [h], non erit proportionale; ergo non poterit esse medium proportionans nisi prius proportionetur per aliquod aliud medium; et similiter posset quaeri de illo alio medio, et [i] sic semper in infinitum. Quare videtur quod non possit Deus cognosci ab angelo per medium, sed potius per sui praesentiam vel essentiam.

b. Praeterea, anima se ipsam cognoscit sine medio nec oportet medium intercidere, quoniam sibi praesens est; cum ergo Deus semper sit praesens animae et angelo, videtur quod ab angelo cognoscatur per sui praesentiam et sine medio.

c. Praeterea, nobilissima cognitione videtur cognosci Deus; sed nobilior est [k] cognitio quae est per praesentiam quam quae est per similitudinem aut speciem; quare ut prius.

[Solutio]: Ad hoc [l] dicendum quod Deus uno modo sine omni medio videtur ab angelo et nihilominus [m] per effectum sive per similitudinem. Lux enim non cognoscitur per idolum [4]: idolum enim est rei habentis propriam figurationem; sed lux [n] non habet; ergo non est eius idolum. E contra autem [o] est de colorato, quod habet idolum, mediante quo deprehenditur a visu. Similiter dicimus quod lux summa et increata idolum non habet; unde non intelligitur Deus ab angelo vel ab anima sub similitudine aliqua illo modo [p], sed se ipso, nec aliquid aliud ex parte sui requiritur [q], tamen ex parte cognoscentis requiritur assimilatio; quae assimilatio [r] fit in intellectu cognoscente vel per donum naturae, scilicet quod est ad imaginem Dei factus, et haec est prima assimilatio; vel per gratiam, et haec est maior; vel [s] per gloriam, et [t] haec est maxima et perfectissima. Sic ergo exigitur haec assimilatio vel ista [u] vel illa, per quam coniungatur vel uniatur intellectus cum Deo [v] ut eum cognoscat. Potest etiam cognosci per suos effectus, et hoc explanatum est supra in primo Libro [5].

---

[a] S om. [b] C *cognoscat.* [c] S *est improportio nam* pro *e. i.* [d] S *proportionalis.* [e] S om. [f] V om. *l. s. p. p. s.* [g] LC *ipse.* [h] V *finite,* quod C corr. [i] S *medio* pro *a. m. e.* et om. *in.* [k] STLC om. [l] R *quod.* [m] S *in creatura.* [n] S *hoc.* [o] Z *enim.* [p] LC *medio.* [q] T *inquiritur.* [r] L om. *q. a.*; Z *ab* pro *in.* [s] S *aut.* [t] L om. [u] STL *illa,* VC om. *v. i.* [v] S *ille.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 2, q. 2 (II, 122 sqq.).
2 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 8 (III, 470).
3 Cf. supra, p. 171a et 172b, *ad 4.*
4 Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 7 (III, 452 sq.); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 155.
5 Num. 21.

130

CAPUT II.

QUALITER COGNOSCAT ANGELUS QUOD IUXTA SE EST, SCILICET ANGELUM.

Secundo quaeritur **I.** qualiter [a] cognoscat angelus quod iuxta se est, scilicet alium angelum [1].

1. Omnis enim cognitio fit [b] aut per praesentiam aut per speciem sive similitudinem. Si ergo unus angelus alium cognoscit, aut ergo primo modo aut secundo. Non primo modo, quoniam unus angelus non est praesens in [c] intellectu alterius: non enim est ibi per praesentiam sicut nec per essentiam; si ergo unus alium cognoscat, hoc erit per speciem; aut ergo per speciem [d] innatam aut per acquisitam; et quocumque modo dicatur, oportet semper [e] quod similitudo aut species illa [f] sit praesens in intellectu. Si ergo dicatur quod [g] per speciem innatam, cum non sint species innatae nisi tot angelorum quot creati fuerunt, si modo [h] crearetur unus angelus, ab alio non posset cognosci, nisi Deus de novo daret ei speciem huiusmodi, scilicet [i] angeli creati; sed sic modo non loquimur de cognitione angeli, scilicet secundum id quod Deus ei potest dare, sed secundum eius naturalem potentiam aut virtutem; quare videtur quod non per speciem innatam. — Si dicatur quod per speciem acquisitam: ergo aut de novo a Deo datam [k] aut ab alio. Si primo modo, ergo de se vel de potentia sibi in creatione data non posset unus angelus alium cognoscere. Si secundo modo, tunc ex hoc sequeretur quod intellectus angelicus esset possibilis et receptibilis et creatus nudus respectu aliquarum specierum, possibilis perfici ab illis; quod videtur esse falsum. — Praeterea, de natura lucis est facere vel dare species, non recipere proprie; sed angeli non tantum sunt specula, secundum quod dicunt Dionysius [2] et Damascenus [3], sed etiam lumina; ergo natura erit in angelis dativa specierum, non tantum receptiva; sed si illa intelligerent, ab alio recipiendo speciem de novo, esset quoad hoc in ipsis natura tantum receptiva specierum et [l] essent solummodo specula quantum ad hoc, non lumina; quare non videtur quod illa [m] cognoscant per speciem ab alio [n] habitam de novo.

2. Item, inferius non agit in superius nec par in parem, cum omne agens semper sit nobilius patiente, secundum quod dicit Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [4]; ergo inferior angelus non potest agere in superiorem imprimendo ei speciem suam, nec par similiter in parem; ergo si unus alium cognosceret per receptionem speciei, non cognosceret inferior superiorem nec par parem.

II. Sed occasione istorum quaeritur utrum in angelo possit esse utraque natura, scilicet natura [o] factiva specierum et receptiva, aut tantum altera. Et visum est quod tantum natura altera.

Sed contrarium videtur, scilicet quod utraque natura: *a.* Quia, cum angeli sint lumina, necesse est [p] ponere in ipsis naturam factivam specierum, cum natura lucis sit facere species. Loquamur de uno angelo cognoscente alium: constat quod ille qui cognoscitur, cum sit lux, facit speciem suam in alio cognoscente; ergo et in angelo [q] cognoscente oportet ponere naturam receptivam praeter naturam factivam quae in eo est, eo [r] quod est lux.

b. Item, si aliquod commune inest diversis, necesse est quod secundum naturam communem insit illis; sed tam in natura sensibili quam intelligibili est fieri species; ergo est natura communis, a qua fiunt species hic et ibi; sed constat quod hoc non potest esse aliqua forma elementaris, quoniam talis natura non posset dare esse spirituale [s] speciei aut formae visibili, cum ipsa non habeat huiusmodi esse; oportet ergo ut sit talis natura quae [t] transcendat omnem aliam formam simpliciter corporalem; sed haec non videtur alia nisi lux, quoniam lux inter corporalia magis est illud quod appropinquat spiritualitati, licet sit corporalis; sed adhuc non quaecumque lux, sed lux in actu, quoniam oculus lucem habet de sua compositione et tamen sua lux non facit species, sed requiritur lux extra: sic [u] ergo in sensu et in [v] intellectu requiritur natura communis, quae est dativa specierum secundum naturam lucis; sed in sensu lux corporalis, in intellectu lux spiritualis, sicut est in anima intellectus agens; angeli ergo habent naturam dativam specierum, cum habeant similiter naturam lucis; ergo in eis [x] erit natura dandi species sibi invicem sive

---

[a] C *utrum.* [b] R *cognoscit* pro *c. f.* [c] Z om., in L est add. interl. [d] T om. *a. e. p. s.* [e] RZ om., in L est add. mg.; Z *et* pro *aut.* [f] Z add. *semper.* [g] T om.; S *sit* pro *sint.* [h] RZ *ergo.* [i] Ita V, alii om. [k] VT *datum.* [l] L om. [m] L add. *non.* [n] V *aliquo.* [o] T om. *s. n.* [p] V om. [q] Z *alio;* R om. *et.* [r] C om. [s] Z om. [t] L *qua.* [u] L *sicut;* C om. *ergo.* [v] VL om. [x] V add. *secundum hoc.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 10, a. 3, q. 1 (II, 267 sqq.).
[2] Cf. supra, num. 108.
[3] Cf. supra, num. 107.
[4] Lib. XII, c. 16, n. 33 (PL 34, 467).

similitudines et similiter natura recipiendi, quoniam si unus angelus facit in alio speciem, alius erit in quo fiet illa species; ergo in eis est [a] utraque natura.

c. Item, medium participat naturam utriusque extremi; sed [b] talia duo sunt extrema quod [c] est quaedam natura quae tantum facit species, ita quod in ea non fiant [d] species, ut est natura suprema [e], quae est Deus; alia est, in qua tantum fiunt species et ipsa non facit, sicut est [f] natura corporalis, ut [g] patet in visu corporali; sed media natura inter haec extrema est substantia intellectualis, ut anima et [h] angelus; ergo tam in anima quam in angelo erit utraque natura, scilicet natura [i] dandi species et recipiendi.

Contra: 1. Tunc obicitur de duobus angelis parem lucem habentibus, quomodo unus alium cognoscit, cum neuter in alterum possit agere; et similiter de duobus, quorum unus est superior, alius inferior [k], quomodo inferior possit cognoscere superiorem, sicut fuit obiectum [1].

Forte dicetur quod angelus cognoscendo se cognoscit suum simile, et hoc videtur velle Augustinus [l], in libro *De Trinitate* [2]; ibi enim dicit quod aliter est de oculo materiali et de oculo spirituali: oculus enim materialis minus se cognoscit quam alia, immo se non videt et alia bene videt; sed oculus spiritualis primo videt se et in se videt alia, sicut anima videndo se videt aliam animam et angelus [m] similiter; et haec sunt verba eius: « Mens ergo ipsa sicut [n] corporearum rerum notitias [o] per sensus corporis colligit, sic [p] incorporearum per semetipsam; ergo et [q] se ipsam [r] per se ipsam [s] novit ». Exemplum etiam patet [3]: aliquis enim per hoc quod [t] cognoscit Carthaginem quam vidit, cognoscit aliam Carthaginem ei similem, quam nunquam vidit. Similiter videtur esse de angelo quod per hoc quod se cognoscit, cognoscit alios qui sunt ei similes in natura. — Sed adhuc obicitur: quoniam etsi verum sit quod unus angelus possit alios cognoscere quoad hoc [u] quod sunt ei similes in natura, non tamen propter hoc cognoscet [v] eos distincte, cum ipse non magis ab uno angelo quam ab alio distinguatur. Si ergo non poneretur alia via qua unus alium posset cognoscere, non [x] posset tunc unus angelus alium ab alio in cognoscendo distinguere, quoniam angelus non habet virtutem distinctivam rerum sicut Deus, et ita nunquam perfecte quoad hoc posset unus [y] alium cognoscere: quod falsum est; et ita videtur quod oporteat ponere, ut [a] prius [4], quod per speciem aliam [b] fit cognitio.

[Solutio]: Quadruplex est modus cognoscendi unum angelum [c] ab alio. Primus est [d] per effectum, et iste est communis angelo et animae: sicut enim una anima cognoscit aliam in suis effectibus, utpote in hoc quod est movere corpus, dare sensum et locutionem, et per huiusmodi actus devenimus [e] ad cognitionem potentiarum et per cognitionem potentiarum ad cognitionem essentiae: ita et unus angelus potest cognoscere alium per suos effectus. Sunt enim quaedam operationes mirabiles quae non possunt fieri nisi ab angelo, per quas homo potest devenire ad cognitionem angeli. Verbi gratia, certi sumus quod anima de se prona est ad lapsum et ex se non habet quod non [f] labatur frequenter, et per hoc deprehendimus [g] quod hoc, scilicet quod non labatur, habet ex custodia alterius, et hoc Dei [h] vel angeli; sed postmodum deprehendimus [i] quod hoc non est solum ex Dei custodia, sed magis ex quadam speciali custodia, quae data est ei propter [k] suam nobilitatem: et haec est custodia angeli. Et ita si per operationes angelorum devenimus ad cognitionem eorum, multo fortius unus angelus ad cognitionem alterius, quia vident angeli effectus suos inter se magis quam animae suos, et angeli boni et animae sanctae melius quam angeli mali et animae non sanctae propter maius posse quod est in animabus sanctis ex gratia quam in daemonibus. De hoc Augustinus, in libro *De Trinitate*, X [l 5]: « Non ita dicitur menti 'cognosce te' [m] ipsam, sicut dicitur 'cognosce [n] Cherubim et Seraphim'; de absentibus enim illis credimus, quae caelestes quaedam potestates esse praedicantur. Neque enim sicut dicitur 'cognosce voluntatem illius hominis', quae nobis nec ad sentiendum ullo [o] modo nec ad [p] intelligendum praesto est nisi corporalibus signis editis, et hoc ita ut magis credamus quam intelligamus. Neque ita ut dicitur homini 'cognosce [q] faciem tuam' [r], quod nisi in speculo fieri [s] non potest ». — Alius modus cognoscendi est per Scripturas, secundum quod invenimus eos diversos et diversimode apparuisse et [t] in diversis locis, ut patet tam in Veteri Testamento quam in Novo. — Tertius et quartus sunt circumscripta omni operatione, et sic est simpliciter cognoscere. Et hoc dupliciter: quoniam vel in Verbo vel in proprio genere sive [u] in se; iis enim duobus modis cognoscit unus

---

[a] V *erit*, L om. [b] S *licet*, RZ *si*, quod L corr. [c] V *que*. [d] Ita R, alii *fiunt*; L *eo* pro *ea*. [e] V *summa*. [f] RLCZ om. [g] Ita V, alii *sicut*. [h] V om. [i] S om. *s. n.* [k] V add. *et*. [l] ST *agit*. [m] Ita V, alii *angelum*. [n] Z add. *per*, quod R del. [o] RLCZ *naturas*. [p] L *sicut*. [q] VS om. [r] T add. *et*. [s] V om. *p. s. i.* [t] Z om. [u] V add. *oportet*. [v] CZ *cognoscit*. [x] C *nec*. [y] Z *alius*. [a] RLCZ *sicut*. [b] Z *alteram*. [c] R om., LC *alium*. [d] Z *enim*. [e] VZ *pervenimus*. [f] Z om. [g] V *deprenhenditur*. [h] L *dicitur*. [i] Z *comprehendimus*. [k] RZ *per*. [l] RZ om. [m] Codd. *cognoscere se* pro *c. t.* [n] Codd. *cognoscere*, item infra. [o] VT *nullo*. [p] L om. [q] VST *homo cognoscere* pro *h. c.* [r] VS *suam*. [s] V *fas*. [t] L om. [u] Z *vel*.

1 Cf. supra, p. 176, n. 2.
2 Lib. IX, c. 3, n. 3 (PL 42, 963).
3 Cf. Augustin., loc. cit., c. 5, n. 10 (PL 40, 966).
4 Cf. sub litt. *b* et *c*.
5 Cap. 9, n. 12 (PL 42, 980).

angelus alium: in Deo vel in proprio genere vel in se. Loquendo ergo de hoc quarto modo cognoscendi angelum, scilicet in se, dicimus quod unus angelus cognoscit alium [a] angelum et per speciem, non innatam, sed potius acquisitam, quia ipse eam sibi facit in se. Et concedimus, sicut opponebatur [1], quod in angelo est duplex natura, scilicet dandi formas intelligibiles et recipiendi eas ab alio. Et istae duae naturae sunt in angelo sicut in anima: nam in eis est [b] natura speculi, et sic possunt recipere formas intelligibiles; et ratio luminis, et sic potest eas dare, non tamen [c] secundum rationem proprii luminis, sed secundum rationem primi luminis superinfluentis. Dicimus ergo quod [d] unus angelus cognoscit alium per speciem sive similitudinem suam et accipit speciem illam a specie alterius angeli, quoniam similitudinem illius speciei accipit. Constat enim quod non accipit speciem essentialem angeli, sed remanet in eo propria species, et, ipsa remanente [e] in proprio subiecto, angelus cognoscens similitudinem illius accipit, et sic [f] dicitur recipere et sibi dare, quoniam facit quod in [g] se sit illa similitudo quae [h] prius [non] erat. E contra est quoad hoc in intellectu angelico et in [i] intellectu animae potentiali: quoniam in intellectu angeli non fit proprie abstractio, cum sic unus alium intelligit, et hoc est quia [k] fit abstractio ut res fiat spiritualior; sed angelus non facit illam speciem spiritualiorem nec indiget ut sit spiritualior, sed hoc tantum indiget ut ipsi cognoscenti coniungatur, et hoc est, quia iam est abstracta a materia sensibili [l]. Sed e contra est in forma visibili [m], quae est materiae concreata: si enim esset forma visibilis a materia abstracta, iam non requireretur maior abstractio ad hoc ut visus [n] fieret, sed tantum sufficeret ipsam coniungi [o] visui. Concedimus etiam quod non sufficit angeli praesentia, sed ulterius requiritur conversio ipsius cognoscentis supra cognitum, accipiendo eius similitudinem, ut dictum est [2], nec ad hoc requiritur aliquod adiutorium extrinsecum. Unde Bernardus, in homilia 5 *Super Cantica* [3]: « Nec brutus nec angelicus spiritus ad ea capescenda, quae beatam et spiritualem faciunt creaturam [p], suis ullo modo corporibus adiuvantur: ille quidem pro innata stoliditate [q] non capiens, iste vero pro excellentioris gloriae praerogativa non indigens ».

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur quod 'intellectus angelicus esset nudus et possibilis sicut et humanus', potest dici quod intellectus potest dici [r] possibilis dupliciter: uno modo propter admixtionem cum phantasmatibus et postmodum depurationem ab eis, et sic est intellectus possibilis in anima unita et tantum in ea secundum quod sic est; alio modo propter solam receptionem speciei intelligibilis, et sic potest manere in anima separata, et sic potest etiam esse [s] in angelo.

2. Ad id quod obicitur quod 'inferior non videtur posse agere in superiorem nec par in parem': dicendum quod hoc esset [t] verum nisi hoc 'posse' inesset eis ex virtute superinfluente, ut dictum est supra [4]. — Vel potest dici quod proprie non dicitur ibi actio nec etiam passio: non enim angelus, quia intelligitur, dicitur pati, ut [u] loquamur de actione et passione proprie, ut accipiatur actio quae est per dominium et infert passionem, et de tali actione verum est quod oportet quod agens sit nobilius patiente; sed sic non est hic: non enim unus agit in alium per modum dominantis, sed, cum utrumque sit lumen, utrumque habet alterius similitudinem, cum se invicem cognoscunt et se circumincedunt, sicut videmus in duabus candelis [v] quod quando sunt in eadem domo, utraque totam illuminat et se circumincedunt ad invicem nec agit una in aliam, proprie loquendo.

III. Sed adhuc quaeritur circa eumdem articulum utrum unus angelus cognoscat alium tripliciter, scilicet in Verbo et in se ipso cognoscente et in proprio genere, sicut tripliciter ceteras creaturas cognoscit.

Et videtur quod sic: *a.* Quoniam illius potest habere similitudinem sive speciem in se ipso sicut et ceterarum [x] rerum, et huius habet formam datam ab initio sicut et ceterarum rerum et est res ab ipso distincta sicut [y] et ceterae res; ergo etc.

Contra: 1. Quaerit Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [5], quare de sola luce, per quam angelica natura intelligitur, dicitur [6]: '*Fiat lux, et facta est lux*, et non de ea dicitur: 'et fecit lucem', cum de ceteris rebus dicta sint haec [7] '*fiat, fecit, et factum est*'. Et ad hoc respondet, dicens quoniam angelus non potuit habere cognitionem de se faciendo, sed solum de se facto: et per factionem lucis intelligitur factio angeli, sed bene habuit cognitionem, non solum de rebus factis, sed etiam faciendis, ad minus quantum ad ordinem naturae, etsi non quantum ad

---

[a] L om. [b] V om. [c] L *tam.* [d] T om. [e] S *remanent.* [f] VST *sicut*; S om. *et.* [g] V *inter.* [h] RLC *qua*, quod Z corr. [i] Ita V, alii om. [k] V *quod.* [l] S *invisibili*; R *extra* pro *e contra.* [m] RLCZ om. [n] S *visibilis.* [o] R *iungi*; V *enim* pro *etiam*; S *non* pro *tantum.* [p] LC add. *et.* [q] V *stolidi.* [r] VR om. *q. i. p. d.* [s] Ita Z (add. interl.), alii om.; S om. *et.* [t] VST *est.* [u] LZ *vel.* [v] S *camelis.* [x] V add. *et.* [y] V om. *rerum et ... sicut*; ST om. *et ceterarum ... sicut*; S *dicit* pro *quaerit.*

[1] Cf. p. 176b, n. II.
[2] Cf. parum supra.
[3] Num. 4 (PL 183, 800).
[4] Cf. p. 178a.
[5] Lib. II, c. 8 (PL 34, 269 sq.).
[6] Gen. 1, 3.
[7] Gen. 1, 16, 25 etc.

ordinem temporis, sed non de se faciendo, nec quantum ad hunc ordinem nec quantum ad illum; sed cognitio, qua cognoscit [a] angelus in se ipso, haec est cognitio rei faciendae, et non tantum factae, ut patet de artifice qui cognoscit in se ipso domum antequam fiat: et huiusmodi cognitio, quam sic [b] habet angelus, notatur per hoc quod dicitur '*fecit*'; cognitio autem in proprio genere de re facta notatur per hoc quod dicitur '*et factum est*'. Sic ergo de se faciendo non potuit habere cognitionem aliquis angelus; eadem ratione nec de aliis angelis faciendis, quoniam simul natura et tempore facti sunt; quare non potest unus angelus alios [c] cognoscere in se ipso cognoscente, cum haec sit cognitio rei faciendae.

Respondeo: Verum est quod nullus de alio praevidit ipsum esse [d] faciendum sicut nec de se, sed propter hoc non oportet quod unus non possit alium cognoscere in se ipso, quoniam non dicimus quod cognitio, qua cognoscit angelus aliquid in se ipso, solum sit de re fienda [e], sed etiam de re iam facta. Et [f] patet exemplum in artifice: potest enim artifex videre in se rem fiendam [g] et iam factam [1]. Licet ergo angelus non cognoscat in se ipso [h] angelum fiendum, potest tamen cognoscere iam factum. — Praeterea, non valet illa ratio, quoniam a simili posset [i] argui, quoniam unusquisque angelus non habuit cognitionem de aliquo faciendo sicut nec de se; tamen etiam adhuc non est simile, quoniam posset intelligere unus angelus quod alii creati fuerunt successive, et sic quoad intellectum posset praevidere alios fiendos, licet tamen bene concedamus quod non est dictum de luce, sicut de aliis creaturis 'fecit Deus lucem', propter hoc quod nullus angelus praevidit se fiendum vel alios.

CAPUT III. 131

QUALITER ANGELUS COGNOSCAT QUAE SUNT INFRA SE, SCILICET CORPORALIA.

Tertio quaeritur qualiter angelus cognoscit res corporales inferiores.

1. Cum enim res huiusmodi sint angelo inferiores, non possunt secundum naturam in angelum agere, cum ipse sit spiritus; ergo non imprimunt in ipsis [k] speciem suam nec ipse Deus dat ei. Et ponamus quod alicuius rei corporalis non det ei speciem, quomodo ergo poterit eam cognoscere, ex quo nec ipsa res potest [l] suam speciem in eius intellectum [m] imprimere nec ipse Deus dat ei?

2. Si dicatur quod sibi fingit huiusmodi speciem: videtur hoc esse impossibile, quoniam non est in angelo imaginativa virtus, secundum quam est fictio, sicut est in nobis.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod sicut lux habet potentiam multiplicandi se in diversis partibus aëris et etiam speciem rei alterius, ut rei coloratae [n], ita dicimus quod angelus, ex parte qua est lumen, habet tantum posse ut det esse spirituale similitudini corporali, et sic eam intelligat. Unde huiusmodi res non agit in angelum, sed potius ipse agit in rem sicut nobilius in ignobilius.

2. Ex hoc [o] etiam patet quod non est ibi fictio, sed vera cognitio.

CAPUT IV. 132

QUALITER ANGELUS COGNOSCAT HABITUS QUI SUNT IN SE.

Quarto quaeritur quomodo tam bonus angelus quam malus cognoscunt tam naturales habitus quam acquisitos et gratuitos, ut iustitiam naturalem, acquisitam et gratuitam.

Ad quod sic: 1. In omnibus habitibus ita [p] est quod se ipsis cognoscuntur [q]; cum ergo angelus malus eos non habeat, eos non poterit [r] cognoscere. — Minor patet: non enim angelus malus habet iustitiam; quare nec speciem iustitiae, cum species iustitiae sit idem quod ipsa; et sic de ceteris habitibus gratuitis.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod tam bonus angelus quam malus cognoscit iustitiam naturalem et acquisitam per speciem suam, quae tamen species non est aliud quam ipsa res. Sed tamen, secundum quod vult Augustinus [2], aliter est de bono angelo quam de [s] malo. Bonus enim ipsam iustitiam cognoscit speculative et practice: unde praesens est in suo intellectu et [t] suo affectu, sed

---

[a] V *cognovit.* [b] V *hic.* [c] R *aliquos.* [d] T *se.* [e] L *facienda.* [f] V *ut*; RLCZ *de* pro *in.* [g] L *faciendam.* [h] S *ipsum.* [i] V *possit.* [k] R *eis* pro *i. i.* [l] V *post*, CZ *poterit.* [m] RCL *intellectu.* [n] L *colorare.* [o] V om. [p] L *et ita*, Z *sic.* [q] SC *cognoscantur.* [r] V *poterat.* [s] VSTL om. [t] Z add. interl. *in.*

[1] Cf. Augustin., *In Ioan.*, tr. 1, c. 1, n. 17 (PL 35, 1387). | [2] Cf. *De Trinit.*, VIII, c. 6, n. 9 (PL 42, 953 sqq.).

malus speculative tantum iustitiam cognoscit per se ipsam, secundum quod est in [a] intellectu, id est per similitudinem, quae non est aliud quam ipsa res quae est in [b] intellectu tantum; unde bonus quasi simpliciter eam habet, sed malus non habet eam nisi secundum quid. Cognoscit etiam iustitiam non solummodo per speciem, sed etiam per privationem.

Si vero quaeratur unde habet malus angelus speciem iustitiae et ceterorum habituum: dicimus quod species omnium istorum datae sunt ei [c] ab exordio suae conditionis nec eas amisit per peccatum, quoniam habere speciem rei, quam tamen rem non habet nec habere potest, non est ei [d] nisi poena.

De iustitia vero gratum faciente dicimus quod bonus angelus eam cognoscit per se ipsam, sed malus tantum per eius effectum [e], scilicet per hoc quod videt opera gratuita, quae a se distincta [f] et ab aliis habentur. Subtilius tamen videt et [g] maiori experientia cognoscit res quam homines cognoscant [h], secundum quod dicit Augustinus, in libro *De divinatione daemonum* [1]. Unde generaliter dicimus quod gratiam per se ipsam non [i] cognoscit nec per speciem eius, quoniam nec eius intellectus nec eius affectus deiformis est; sed constat quod aliquo modo esset deiformis, si speciem gratiae apud se haberet.

CAPUT V.

UTRUM ANGELI PRAESCIERINT SUAM CONFIRMATIONEM VEL CASUM.

Quaestio est [k] de angelis bonis utrum praeviderint suam permansionem, et de angelis [l] malis utrum praesciverint [m] suum casum vel non. Et primo de bonis quaerendum est.

133 ARTICULUS I.

Utrum angeli boni praeviderint suam permanentiam [2].

Et videtur quod praescii essent: 1. Beatitudo enim non est sine certitudine status; sed angeli boni, sicut dicit Augustinus, beati erant in illo statu; unde dicit, in libro *De fide ad Petrum* [3]: « Angelici spiritus pro eo quod rationales facti sunt, aeternitatis et beatitudinis donum in ipsa naturae [n] spiritualis creatione divinitus acceperunt ». Et, in libro *De ecclesiasticis dogmatibus* [4]: « Angeli, qui in illa, qua creati sunt, beatitudine perseverant, non [o] natura possident ut non mutentur [p] cum ceteris ». Beatitudo autem non est sine certitudine status; unde Augustinus [5]: « Sancti angeli aeternae [q] vitae suae ac beatitudinis non sunt incerti; nam quomodo beati [r], si incerti? » Ergo angeli boni praescii erant suae permansionis.

2. Item, excellentior fuit status angelorum tunc quam nunc sit hominum: nunc enim sunt homines in miseria aliqua, sed angeli in nulla; sed homines boni dicuntur nunc [s] beati in spe, et ita habent certitudinem spei; ergo angeli boni multo fortius tunc erant beati in spe; sed certitudo spei non est [t] sine cognitione in qua radicatur; ergo habuerunt cognitionem suae permansionis; ergo praescii erant.

3. Item, praescientia futurorum est essentialiter in Deo, et potest praescientia convenire creaturae ex dono Creatoris nec hoc repugnat intellectuali naturae conditae; nulli autem convenientius aptari potuit quam angelicae, et in angelica natura convenientius illis qui permansuri erant; ergo angeli illi ex conditione acceperunt quod praescii erant suae salutis.

Contra: *a.* Si praescii essent suae stabilitatis, necessario permansissent; si autem ex necessitate permansissent, non eis imputaretur ad meritum permanere; sed imputabatur ad meritum; ergo non necessario permanserunt; ergo non [u] praesciverunt: cum enim esset futurum contingens, poterant non stare, et ita non essent praescii suae [v] permansionis.

b. Praeterea, aut pares erant angeli in conditione quantum ad gratiam donorum aut non erant pares. Si erant pares: sed illi, qui erant casuri, non erant praescii suae stabilitatis in bono, cum non futura erat; ergo nec ipsi boni praescii erant. Si vero impares erant: ergo [x] datum est permanentibus quod non est datum cadentibus; ergo non est imputandum istis si ceciderunt, qui hoc dono caruerunt [y].

---

[a] SL om. [b] S *que est* pro *r. q. e. i.* [c] RLCZ *eis.* [d] V om. [e] VST *officium.* [f] Z (corr.) *indistincta.* [g] V *videret* pro *v. e.* [h] RLCZ *cognoscunt.* [i] V om. [k] T om. [l] R *singulis,* quod Z corr.; RLZ *previderunt* pro *praeviderint.* [m] RLZ *presciverunt.* [n] S *notatur.* [o] V *in;* Z add. mg. *donum.* [p] ST *videntur,* V add. *videantur.* [q] T *eternitate.* [r] Z add. *angeli.* [s] V *non.* [t] L om. *n. e.* [u] C *nec.* [v] S om. [x] RLCZ om. [y] V *corruerunt.*

1 Cap. 3 (PL 40, 584); cf. *De Gen. ad litt.*, II, c. 17, n. 37 (PL 34, 278); *De civit. Dei*, IX, c. 22 (PL 41, 274).
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 4, a. 2, q. 1 (II, 135 sqq.).
3 S. Fulgent., c. 3, n. 32 (inter opp. Augustini PL 40, 763).
4 Gennad., c. 29 (inter opp. Augustini PL 42, 1218).
5 *De Gen. ad litt.*, XI, c. 17, n. 22 (PL 34, 438).

c. Item, « scientia est fructus pietatis [1] »; sed antequam adhaererent suo Creatori, non habuerunt fructum pietatis; ergo nec habuerunt [a] illam scientiam.

[Solutio]: Ad quod dicendum [b] quod non habuerunt praescientiam suae stabilitatis, sed nunc habent scientiam illam. Unde Augustinus, *Ad Orosium* [2]: « Omnes angeli aequales creati sunt, sed cadentibus illis per superbiam, ceteri Domino pia obedientia cohaeserunt, accipientes certam scientiam suae stabilitatis, quam [c] illi nunquam habuerunt, et sic sunt gratia Dei omnibus circumdati, ut nunquam possint cadere a beata vita ». Item [d], Augustinus, *De civitate Dei*, XI [3]: « Ipsi certi sunt suae felicitatis aeternae, cuius illi alii, quia certi non fuerunt — non enim aeterna erat eorum felicitas, cuius certi essent, quae finem erat habitura [e] — restat ut aut impares fuerint aut, si pares fuerunt, post istorum [f] ruinam illis certa scientia suae sempiternae felicitatis accesserit ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod beatitudo dicitur multis modis. Uno modo dicitur beatitudo status intellectualis naturae sine omni miseria: et secundum hoc poterant dici beati in illo primo statu; alio vero modo dicitur beatitudo status intellectualis naturae in delectatione summi boni [g] cum certa scientia permanendi: et [h] secundum hunc modum non erant beati. De prima beatitudine loquitur [i] Augustinus, in libro *De fide ad Petrum*, et similiter in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*; de secunda vero Augustinus, *Super Genesim ad litteram*, in auctoritate supra posita [4]. Unam [k] concomitatur certa scientia permansionis, alteram vero non concomitatur.

2. Ad aliud dicendum quod status sanctorum hominum quantum ad aliquid magis beatus potest dici quam angelorum in primo statu, quantum ad aliquid minus beatus. Quantum enim ad admixtionem [l] miseriae minus beatus est iste status; quantum autem ad gratiam spei, quae provenit ex gratia et merito Christi et eorum, dicitur beatior status hominum: non enim angeli in illo statu habuerunt confidentiam ex gratia et [m] suis meritis vel alienis. Supposito [n] autem quod conditi essent ornati gratuitis, confidentiam humilem habuerunt ex gratia quod pervenirent ad ulteriorem gratiam; et propter hoc dicit Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [o 5]: « De angelis quibusdam quod fuerunt beati in quodam genere, incerti [p] suae salutis, quibus nec spes [q] subesset quod aliquando et ipsi aliqua mutatione in melius, certi de hac re futuri essent, vix ferenda [r] est praesumptio ».

3. Ad tertium dicendum quod praescientiam, quam habet Deus essentialiter et naturaliter, nulla creatura habet nisi ex dono quodammodo participando, nisi humana natura in Christo; sed hoc non est [s] ex initio suae conditionis, quod angelus habet praescientiam suae stabilitatis. Unde, in [t] *Sententiarum* II libro, dist. 5 [6], enumeratis diversis opinionibus, dicit quod probabilius videtur quod non fuerint praescii suae permansionis, sicut nec alii sui casus et quod non fuerint beati nisi [u] beatitudine innocentiae.

ARTICULUS II. 134

Utrum mali angeli praescii erant sui casus.

Deinde quaeritur de illis qui futuri erant mali utrum praescii erant sui casus [7].

Quod non, *a.* arguit Augustinus [8] sic: « Non potuit Lucifer [v] esse praescius sui casus, quoniam sapientia fructus est pietatis ». Sed non habuerunt pietatem; ergo non habuerunt illam [x] sapientiam.

b. Item, Augustinus [y], *De correptione et gratia* [9]: « Diabolus et angeli eius, etsi beati erant antequam caderent et [z] se in miseriam casuros nesciebant, erat tamen quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent ».

c. Item, sic arguit Anselmus, in libro *De casu diaboli* [10]: « Scientia non est nisi cum aliquid certa ratione intelligitur; sed quod potest non esse, non

---

[a] V *communicaverunt*; RLCZ *non* pro *nec*. [b] Ita V, alii add. *est*. [c] Ita Z, alii *quod*. [d] R *unde*; SC om. *Dei*. [e] VT *erant habituri* pro *e. h.*; SCZ *fuerunt* pro *fuerint*. [f] S *istarum*. [g] V om. [h] Ita VZ, alii om.; Z om. *permanendi*. [i] C add. *beatus*. [k] L *una*. [l] Ita V, alii *mixtionem*; Z om. *iste*. [m] R *ex*. [n] ST *supponendo*; V *ordinati* pro *ornati*. [o] Ita V, alii om. *a. l.* [p] Z om. [q] Z *species*, quod TL corr.; C *subesse* pro *subesset*. [r] RLCZ *preferenda*. [s] T om. *participando ... est*; S om. *suae*. [t] Ita V, alii add. *libro*. [u] Z *in*. [v] L *licitus*. [x] C om. [y] V add. *in libro*. [z] V *etsi*.

1 Augustin., *De Gen. ad litt.*, XI, c. 23, n. 30 (PL 34, 441).
2 *Dialog. quaest. 65*, q. 17 (inter opp. Augustini PL 40, 739)
3 Cap. 13 (PL 41, 329).
4 Cf. p. 180, nota 5.
5 *De Gen. ad litt.*, XI, c. 19, n. 25 (PL 34, 439).
6 Rectius dist. 4, c. un. (p. 324 sq.).
7 Cf. Anselm., *De casu diaboli*, c. 21 (PL 158, 352 sqq.); Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 5, c. 18 (PL 176, 253); Lombard., II *Sent.*, d. 4 (p. 324 sqq.); Praeposit., *Summa*, II (f. 89a); Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 2, c. 1 (f. 40a sqq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 4, a. 2, q. 2 (II, 137 sq.).
8 *De Gen. ad litt.*, XI, c. 23, n. 30 (PL 34, 441).
9 Cap. 10, n. 27 (PL 44, 933).
10 Loc. cit.

potest certa ratione intelligi esse »; potuit autem esse non cadere Luciferum [a]; ergo non potuit tunc certa ratione intelligere casum suum; ergo nec scire [b]; quare nec praescire.

d. Item [1], si in bona voluntate stans praesciebat se casurum, aut volebat ut ita fieret aut non volebat; sed si cum praescientia voluntatem habebat aliquando cadendi, iam ipsa mala voluntate ceciderat; non ergo volendo cadere, prius scivit se casurum quam cecidit. At [c] si praesciebat se casurum et nolebat, tanto miser erat dolendo, quanto stare volebat [d] ac tanto iustior, quanto stare volebat; et quo erat [e] iustior, eo debebat esse felicior; ergo si nolendo [f] praesciebat se esse casurum, tanto erat miserior, quanto debebat esse felicior: quod non convenit.

e. Item, Bernardus [2]: « Si praevidisti [g] praecipitium, quae fuit insania ut [h] cum tanta miseria cuperes principari, ut malles misere [i] praeesse quam feliciter subesse? Aut non expediebat [k] participem esse plagarum illarum luminosarum magis quam principem tenebrarum? » Ex iis rationibus et auctoritatibus videtur quod [l] non erant praescii sui casus.

f. Item, praescientia poenae in eo qui puniendus est non potest esse sine dolore; dolor autem poena quaedam est; sed nondum fuit culpa; ergo prius Deus fuit ultor in poena quam esset culpa [3].

Contra: 1. Bernardus [4]: « Si in praescientia Dei tuum praevidisti principatum, quare non et [m] praecipitium? » quasi diceret: similiter poteras praevidisse.

2. Item, Augustinus, in [n] *Quaestion. Veteris Testamenti* [5]: « Praevidit quod ad accusationem eius [o] factus est homo ». Sed si [p] praevidit accusationem ex parte hominis, accusatio autem non est nisi de culpa, ergo praevidit culpam suam; ergo et casum suum.

3. Item, Bernardus [6], exponens illud [7]: *Ponam sedem meam ad aquilonem*, dicit: « Puto per *aquilonem* reprobandos homines intelligi, per *sedem* potestatem in illos ». Sed si praevidit dominium suum super illos, praevidit suum [q] peccatum, per quod quasi per effectum principaretur; ergo erat praescius sui casus.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod non erat praescius sui casus. Unde Bernardus, *De gradibus humilitatis* [8]: « Credibilius est quod non praevidisti, aut propter illam causam quam superius dixi, quia, bonitatem Dei [a] attendens, dixisti in corde tuo [b] [9]: *Non requiret* [c], propter quod impie Deum irritasti [d]; aut quia viso principatu, in oculo statim superbiae trabes excrevit, qua interposita casum videre non potuit. Sic [e] Ioseph, cum praevidisset suam exaltationem [10], non praevidit venditionem, non quod tantum Patriarcham in superbiam crediderim incidisse, sed ut eius [f] exemplo pateat quod ii qui futura praevident spiritu prophetiae, etsi non omnia, non ideo tamen putandi sunt nulla vidisse ». Item, Anselmus, *De casu diaboli* [11]: « Quia [g] rationalis erat, potuit intelligere quia iuste puniretur, si peccaret; sed quoniam *iudicia Dei abyssus multa* [12] et *investigabiles viae eius* [13], nequivit comprehendere quod Deus faceret quod iuste facere posset ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum dicendum quod non est simile videre principatum et videre praecipitium. Videre enim principatum non importat secum poenam; sed potuit [h] videre principatum et recte et non recte, et ita [i] huiusmodi cognitio pertinebat ad primum statum. Sed videre praecipitium quoad hoc cum importet secum poenam in eo qui punitur, poena autem non praecedit culpam, illa cognitio sive praevisio non congruebat primo statui angelorum.

2. Ad aliud dicendum quod illud quod dicit Augustinus de praevisione accusatoris, hoc fuit in ratione post casum suum, non ante, sicut ex ipsa serie auctoritatis in iis quae sequuntur elici potest.

3. Ad tertium dicendum quod [k] praevidere dominium suum super malos [l] non ponit necessario praevidere [m] casum suum. Est enim duplex dominatio: una, qua peccator subicitur diabolo insequendo voluntatem eius vel suggestionem, quae non est sine peccato diaboli praecedente; est iterum alia dominatio, quae est in angelo ex conditione naturae vel ex dono gratiae: et hanc poterat praevidere ante casum suum nec tamen praevideret [n] casum suum. Et per hunc modum potuit [o] intelligi illud quod dicit Bernardus. Vel illa positio sedis *ad aquilonem* ad appetitum eius refertur, in quo peccavit, et sic videtur exponere B. Bernardus [14]: « Unus Altissimus sua sapientia ac bonitate omnibus filiis [p] obedientiae praerat [q], ita et tu, super omnes filios superbiae constitutus, tua astuta malitia praeesses ».

---

[a] STR *Lucifer;* V *caderet Lucifer* pro *c. L.* [b] V om. *e. n. s.* [c] RCZ *ac,* quod L corr. [d] TR *nolebat.* [e] V om. *e. q. e.* [f] V *volendo.* [g] Z *previdistis.* [h] L *aut,* quod C corr. [i] V *miserie.* [k] S *expediebant.* [l] C delev. [m] Z om., C exp. [n] LC *III.* [o] T *casus.* [p] L om. [q] V *nostrum.*

[a] S om. [b] T *suo.* [c] V *requirit.* [d] V *visitasti.* [e] S *si.* [f] S om. [g] L om., C *qui.* [h] V *poterat,* LZ *potuerit.* [i] RZ om. [k] T om. [l] Z *malum;* VST *potuit* pro *ponit.* [m] RLCZ *videre.* [n] LC *previdere.* [o] Z *poterat.* [p] ST *filii.* [q] L add. *et.*

1 Cf. Praeposit., *Summa,* II (f. 89a).
2 *De grad. superbiae,* c. 10, n. 36 (PL 182, 962).
3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 2, c. 1 (f. 40a).
4 Loc. cit.
5 Quaest. 2 (inter opp. Augustini PL 35, 2217).
6 Loc. cit. (PL 182, 961).
7 Isai. 14, 13.
8 Cap. 10 (PL 182, 962).
9 Psalm. 10, 13.
10 Cf. Gen. 37, 7-9.
11 Cap. 23 (PL 158, 355).
12 Psalm. 35, 7.
13 Rom. 11, 33.
14 *De grad. superbiae,* c. 10, n. 36 (PL 182, 961).

ARTICULUS III. 135

Qualiter intelligatur verbum Augustini « sapientia est fructus pietatis ».

Deinde quaeritur ratione illius verbi quod supra dixit [a] Augustinus [1] quod non potuit praevidere casum suum, quia « sapientia est fructus pietatis ». Quaeritur enim de qua sapientia ibidem loquitur [2].

1. Si enim loquatur de sapientia dono, planum est quod ipsa est pertinens ad pietatem, quae est θεοσέβεια [3]; quid ad hoc quod angelus non praesciat casum suum? Si enim alicui, habenti praesentem iustitiam, revelaretur sua damnatio, hoc posset esse occasio ut abstineret a malis pluribus, ut minueretur sua damnatio, et ita huiusmodi sapientia ordinaretur [b] ad commodum illius in quo esset.

[Solutio]: Ad quod dicendum [c] quod, cum dicitur « sapientia est fructus pietatis », ibi accipitur « sapientia » pro scientia deiformi, data rationali creaturae ad suum commodum spirituale; et dicitur « fructus pietatis », quia datur [d] illi in quo est pietas, id est θεοσέβεια. Sed [e] scientia praevidendi suam damnationem est dispositio propinqua ad hoc ut homo cadat in perpetuam tristitiam et desperationem, et ita non datur homini existenti in statu innocentiae vel in [f] statu gratiae: haec enim plus disponeret ad damnum quam ad commodum spirituale.

[Ad obiecta]: 1. Ad id [g] quod obicitur, dicendum [h] quod, licet haec scientia posset esse occasio alicuius boni in eo cui [i] esset data, tamen, quia ut frequentius disponeret ad damnum, ideo existentibus in bono statu non congruit huiusmodi scientia. Nec est simile de scientia praevidendi suam salvationem, quia illa [k] disponit bene se habentem ad maius bonum spirituale.

Item, obicitur sic [4]: Nonne Dominus posset ei revelare casum suum, dicendo: tu cades per superbiam, sicut revelavit Petro, dicens [5]: *Ter me negabis?* et si Dominus revelasset ei, praesciret; ergo potuit praescire casum suum.

Ad quod dicunt [6] quod, licet Deus sic praediceret ei, non tamen poterat praescire casum suum, quia sicut praedixit Dominus per Ionam Ninivitis de subversione Ninive spirituali [7], tamen ipsi intelligebant de subversione corporali et sub conditione ' si non poeniterent ', ita posset intelligere dictum Domini sub conditione ' nisi ipse caveret ', et ita non esset certus de sua damnatione. Alii [8] dicunt quod nec potuit praescire nec Dominus potuit revelare.

Sed videtur dicendum [9] quod respiciendum est quid decet [l] summam bonitatem et quid expedit creaturae rationali. Non expedit enim creaturae rationali huiusmodi certitudo, dum est in statu bono, nec decet Dominum dare sic existenti nisi quod est ad commodum spirituale. Unde, licet possit de potentia absoluta, non facit nisi quod decet ipsum. Nec est simile de revelatione facta [m] Petro: huiusmodi enim [n] revelatio fuit de casu ad tempus, non de casu perpetuo. Revelatio vero de casu ad tempus ordinatur ad hoc quod homo fortior resurgat post poenitentiam; revelatio vero de casu perpetuo magis ordinat ad contrarium.

CAPUT VI. 136

UTRUM ANGELI PRAESCIERINT MYSTERIUM INCARNATIONIS.

Consequenter quaeritur de cognitione mysterii redemptionis utrum praehabita fuit ab angelis vel a principio habita [10].

Et videtur quod sic: *a.* Per hoc quod dicit Augustinus, *Super Genesim*, V [11]: « Sic fuit *absconditum a saeculis in Deo, ut tamen innotesceret Principatibus et Potestatibus in caelestibus per Ecclesiam* [12], quia ibi primitus Ecclesia, quo post resurrectionem et ista congreganda est [o]. Illis ergo a saeculis innotuit, quia omnis creatura non ante saecula, sed a saeculis ». Ex quo videtur

[a] S *dicit*. [b] Ita RZ, alii *ordinaret*. [c] Ita V, alii add. *est*. [d] Z *datus*. [e] V add. *quia*. [f] ST om. [g] Ita ST, alii add. *vero*. [h] Ita ST, alii om. [i] V *an*. [k] L *ille*. [l] VL *dicet*; S om. *est*. [m] T om. [n] T *vero*. [o] RL om., in Z est add. interl.

1 Cf. supra, p. 181a, litt. *a*.
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, dub. 2 (II, 129).
3 Cf. Augustin., *De Trinit.*, XIV, c. 1 (PL 42, 1035).
4 Cf. Praeposit., *Summa*, II (f. 89a); Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 2, c. 1 (f. 40a) quasi verbotenus.
5 Matth. 26, 34; Ioan. 13, 38.
6 Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 40b).
7 Cf. Ion. 3, 4. 8 Guil. Altissiod., loc. cit., (f. 40b).
9 Cf. Praeposit., loc. cit. (f. 89a).
10 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 11, c. 2 (p. 355); S. Bonav., III *Sent.*, d. 2, dub. 4 (III, 58b).
11 Cap. 19, n. 38 (PL 34, 335). 12 Eph. 3, 9-10.

quod angeli a principio cognoverunt mysterium incarnationis.

Sed contrarium videtur 1. per hoc quod dicitur Isai. 63, 1: *Quis est iste qui venit de Edom?* super quo dicit Hieronymus[1] quod angelicae potestates non intellexerunt ad plenum mysterium [a] redemptionis.

2. Praeterea, illa littera videtur hoc dicere, quae dicit[b 2]: *Ut innotescat per Ecclesiam,* et ita ab Ecclesia didicerunt mysterium redemptionis.

[Solutio]: Ad quod dicendum, sicut habetur in Glossa[3] super illud ad Eph. 3: «Utrumque verum est», sed hoc pro diversis angelis. Dicitur enim quod quidam noverunt a principio, non dico a principio creationis, sed a principio conditionis, cum dictum est[4]: *Fiat lux, et facta est lux;* alii vero non cognoverunt, sed post plene [c] cognoverunt, cum impletum fuit. — Vel posset distingui duplex [d] notitia: in Verbo et in proprio genere[5]. Primo [e] modo cognoverunt a principio, secundo modo non, sed innotuit per Ecclesiam, cum fuit impletum. Unde[f], V libro *Super Genesim*[6]: «Quod non in Deo tantum innotescit angelis quod absconditum est, verum etiam hic [g] eis apparet, cum manifestatur atque propalatur, idem Apostolus ita [h] testis est, I Tim. 3, 16: *Magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum* [i] *est in carne, iustificatum* [k] *est in spiritu, apparuit angelis*» etc.

CAPUT VII.

QUAM COGNITIONEM HABUERINT ANGELI DE REBUS ORDINIS NATURALIS.

Consequenter quaeritur de cognitione quam [l] habere potuit angelus ex [m] sua natura primitus sive [n] respectu naturalium sive rerum quae subsunt vel subesse poterant libero arbitrio[7].

137

ARTICULUS I.

Quomodo angeli cognoverint res naturales.

Et primo respectu naturalium [o]. Si enim habuit cognitionem illarum [p], aut habuit per formam innatam aut per formas datas aut acquisitas [q].

Per formam innatam non videtur, quia illae formae non possent esse nisi universalium formarum; sed cognitis universalibus formis non propter hoc fieret cognitio singularium, et ita angelus nesciret singularia. Si vero diceretur quod essent ibi formae singularium, non possent esse numero aequales, quia infinita possent esse singularia, formae vero sive similitudines in [r] intellectu essent finitae.

Si vero fuit secundum formas datas: sed non ab inferiori substantia, quia inferior natura non dat superiori; ergo secundum datas a Deo; aut ergo tot datae erant a principio conditionis quot essent cognoscibiles aut alicuius rei naturalis esset nescientia. Si vero [s] tot essent a principio: hoc non videtur, quia res singulares possunt multiplicari [t], secundum illud Ioan. 5, 17: *Pater meus usque modo operatur et ego operor;* formae autem datae a [u] principio erant in certo numero. Aut oporteret, facta rerum multiplicatione, multiplicari species vel similitudines apud intellectum angelicum: quod non videtur; non ergo cognitio omnium naturalium naturalis est per formas datas a principio.

Si vero per formas acquisitas: ergo, cum intelligibile dicatur perfectio intelligentis, esset illa forma nobilior intellectu angelico. Praeterea, si reciperent a rebus, aut reciperent per modum illum quo speculum recipit aut quo recipit sensus; sed sive sic sive sic, oporteret [v] esse aliquam continuationem inter rem a qua reciperet et intellectum angelicum recipientem; cum ergo nulla sit continuatio rei corporeae separatae ad incorpoream, non erit cognitio angeli naturalis per formas receptas vel [x] acquisitas a rebus.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod cognitio naturalis rerum naturalium aut fuit quantum ad formas universales quae fuerunt omnes primitus creatae: et secundum hoc potuit esse per similitudines innatas [y] vel a principio conditionis datas [z].

---

[a] V om. [b] S *convenit* pro *q. d.* [c] LC *plane.* [d] S *dicendum.* [e] V add. *non.* [f] V add. *Hieronymus.* [g] V *est licet* pro *e. h.* [h] Z om. [i] L *manifestum.* [k] C *vivificatum.* [l] L *quia natura.* [m] Z *de;* T om. *angelus;* V *sui* pro *sua.* [n] V *sine.* [o] V om. *e. p. r. n.* [p] RLZ *illorum.* [q] Ita V, alii *datam aut acquisitam* pro *p. f. d. a. a.* [r] S om. [s] L *ergo.* [t] S *multiplicare.* [u] VL om. [v] V *oportet.* [x] V *illis.* [y] ST *natas.* [z] L om. *c. d.,* in CZ est add. mg.

1 In h. l. (PL 24, 610).
2 Eph. 3, 10.
3 Haymon., (PL 117, 713); cf. Lombard., II *Sent.,* d. 11, c. 2 (p. 356).
4 Gen. 1, 3.
5 Cf. supra, num. 123-125.
6 Augustin., c. 19, n. 39 (PL 34, 335).
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 3, p. 2, a. 2, q. 1 (II, 118 sqq.).

Magis autem videntur innatae esse a principio in [a] intelligentia angelica existentes quam post [b] conditionem datae, ne videretur intelligentia angelica a principio esse [c] quasi tabula nuda. Unde Augustinus, in [d] libro *Super Genesim ad litteram* [1]: « In se ipsa longe aliter nota est creatura angelis quam nobis. Illis enim primordialiter [e], ut ita dicam, vel originaliter, sicut eam Deus primitus condidit et post eam conditionem a suis operibus requievit [2], non condendo aliquid amplius; nobis autem secundum rerum conditarum administrationem iam per ordines temporum, secundum quam Deus, iam [f] illis rebus per senariam distinctionem consummatis, *usque modo operatur* [3] ». Cognitio autem singularium est [g] per similitudines quas sibi [h] capit ex rebus existentibus.

Nec oportet propter hoc [i] quod formae intelligibiles rerum sint nobiliores intellectu angelico, quia res non faciunt suas similitudines in intellectu, sed intellectus angelicus sua virtute capit a rebus. Nec oportet ibi esse receptionem ad modum sensus vel speculi, cum non sit acceptio per modum rei sensibilis, sed rei intelligibilis. Nec distantia aut interpositio corporalis tollit hanc cognitionem, cum incorporei [k] ad corporeum non dicatur proprie distantia; secundum accidens tamen posset dici. Unde intellectus angelicus existens in oriente [l] posset cognitione naturali cognoscere [m] quod esset in occidente: si enim lumen corporale, quod est in oriente, statim apparet in occidente [4], multo fortius lumen intelligibile [n] accipit similitudinem statim.

ARTICULUS II. 138

Quomodo angeli cognoscant ea quae subsunt libero arbitrio [5].

Deinde quaeritur de iis quae subsunt libero arbitrio alterius angeli vel alicuius hominis qualiter possit ex se cognoscere. Si enim homo secundum animam rationalem potest aliquando ex se [o] cognoscere quae subsunt libero arbitrio alterius hominis, ut quod velit hoc vel illud, per effectus consequentes vel per indicia [p], nobilior autem est cognitio angeli de natura quam cognitio hominis: ergo potest aliquo modo cognoscere ea quae subsunt libero arbitrio; potest ergo quaeri secundum quem modum.

1. Per causam enim non potest cognoscere: hoc enim solius Dei est vel illius cuius est liberum arbitrium. Dicitur enim I Reg. 16,7: *Deus intuetur cor,* et [q] I Cor. 2,11: *Nemo scit quae sunt hominis nisi spiritus qui est in eo.* Non ergo per causam cognoscunt; ergo, cum omnis certitudo sit per causam vel per effectum [r], cognoscit per effectum; ergo eius cognitio [s] non differt a cognitione hominis.

2. Praeterea, si cognosceret per effectum, cum nullus sit effectus nisi intelligibilis aut sensibilis, altero istorum cognoscit. Non sensibili, ut videtur, quia sensibile, ut sensibile, non cognoscitur ab intellectu, cum non moveat intellectum. Si vero intelligibili effectu cognoscat, pari ratione immediate posset cognoscere illud quod subest libero arbitrio sicut illud, cum utrumque sit intelligibile.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod angeli naturaliter vigent [t] ampliori perspicacitate cognoscendi quam homines. Unde, cum in hoc differat cognitio creaturae intellectualis a divina cognitione quod Deus cognoscit ea quae sunt liberi arbitrii per se, intellectualis vero non cognoscit per se ea quae sunt liberi arbitrii, sed per indicia — unde Augustinus, in libro *De ecclesiasticis dogmatibus,* 49 cap. [6]: « Internas animae cogitationes [u] diabolum non videre certissimum est, sed motibus corporis ab illo et affectionum indiciis colligi [v] experimento didicimus; secreta autem cordis solus ille novit ad quem dicitur [7]: *Tu solus nosti corda filiorum hominum* » — in hoc [x] differt angelus ab homine quod angelus cognoscit ea quae sunt liberi arbitrii, ut affectiones, per indicia quae ab eis discerni possunt, a nobis autem non discernuntur, et hoc est quia vigent maiori acumine intelligentiae.

Si vero obiciatur: aut indicium illud est sensibile aut intelligibile in se – dico quod illud indicium est aliqua impressio facta in corpore ab affectione animae, quae latet nostram cognitionem [y] aliquando; et licet sit apprehensibile a [z] sensu interiori vel a nostra ratione, tamen latet

---

[a] SLZ om., in C est add. interl.; RLCZ om. *angelica.* [b] LC *preter.* [c] L *esset,* RCZ om. *a. p. e.* [d] VST *II,* R om. *l. l.* [e] V *preordinaliter;* T *datam* pro *dicam.* [f] VZ om. [g] R om. [h] RZ *ibi.* [i] V om. [k] T *incorporea.* [l] S *originale,* T *corpore.* [m] V *cogitare.* [n] R *intelligentie.* [o] V om. *e. s.* [p] VL *iudicia.* [q] T om. [r] V add. *si.* [s] Ita V, alii om. *e. c.* [t] RLCZ *vident.* [u] V *cognitiones.* [v] Z add. interl. *et.* [x] Z add. *autem.* [y] R *cogitationem,* Z *cognationem.* [z] RLCZ om.

1 Lib. V, c. 4, n. 10 (PL 34, 325).
2 Cf. Gen. 2, 2.
3 Cf. Ioan. 5, 17.
4 Cf. Matth. 24, 7.
5 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 8, p. 2, a. 1, q. 6 (II, 232sqq.).
6 Gennadius, c. 48 (inter opp. Augustini PL 42, 1221).
7 III Reg. 8, 39.

eam propter maximam sui inclinationem ad corpus nostrum; non latet autem intellectum angelicum propter sui abstractionem a corpore et naturae subtilitatem. Hoc tamen nonnisi opinando dicitur propter verbum Augustini, in libro *Retractationum*, 56 cap. [a] [1], sic dicentis: « In quodam loco [2], ubi dixi daemones aliquando et hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quaedam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere, dixi hoc audaciore asseveratione quam debui: nam pervenire ista ad notitiam daemonum per [b] nonnulla etiam experimenta compertum est. Sed utrum signa quaedam dentur ex corpore cogitantium [c], illis sensibilia, nos autem latentia, an [d] alia vi, et ea spiritali, ista cognoscant, aut [e] difficillime potest ab hominibus aut omnino non potest inveniri ».

Si vero quaeratur de iis quae sunt [f] liberi arbitrii in angelis: respondeo quod in iis naturaliter habent cognoscere per indicia intelligibilia, ad quae impotens est [g] ratio nostra de se, nisi hoc fieret [h] adiutorio gratiae. — Et si obiciatur quod pari ratione possent immediate cognoscere ea quae sunt liberi arbitrii: dicendum quod non, quia indicia illa non sunt tantae simplicitatis quantae sunt affectiones sive voluntates quarum sunt [i] indicia, et ideo [k] potest cognitio angelica immediate extendere se ad indicia et per indicia ad illa quorum sunt indicia, ipsas vero cogitationes sive voluntates [l] sit solius Dei cognoscere per se.

139

ARTICULUS III.

Utrum angeli habuerint a principio posse cognoscere futura.

Deinde potest quaeri de angelis utrum habuerint posse a principio naturali [m] cognitione cognoscere futura.

Quod non, videtur: 1. Quia solius Dei videtur esse cognitio certitudinalis futurorum contingentium et singularium. Cum enim possint esse et non esse, non potest illarum rerum haberi certa cognitio, sicut dicit Anselmus, in libro *De casu diaboli* [3]: « Si de illa scientia quaeritur quae non est nisi cum aliquid certa ratione intelligitur, omnino respondeo non posse sciri quod potest non esse ». — Sed obiceret aliquis: Secundum hoc Deus non posset habere cognitionem futurorum huiusmodi. – Sed non est simile, sicut idem Anselmus [4] ostendit: Deus non habet cognitionem futurorum huiusmodi [n] nisi ut ei praesentium. Unde, quia se ipso cognoscit omnia, non potest sua cognitio esse nisi immutabilis et certissima. Non sic est de creatura, quae per aliud, quod creatum est, cognoscit quod cognoscit [o]. Si ergo angeli cognoscunt per aliud quod cognoscunt [p] de futuris, non possunt certitudinaliter usquequaque cognoscere futura huiusmodi cognitione.

Contra: *a.* Maior est cognitio angeli quam hominis; sed homo ex superna dispositione astrorum potest multa futura praedicere, ut eventum imbrium et siccitatis ventorum; multo ergo fortius angeli naturali cognitione, quae fuit apud eos, potuerunt futura cognoscere et praedicere cum quadam certitudine [5].

b. Praeterea, in daemonibus, sicut dicit Augustinus, in libro *Retractationum* [6], compertum est quod multa futura praedicunt quemadmodum eveniunt; sed nobilior fuit illa cognitio naturalis, quam habuerunt angeli a principio, quam cognitio naturae corruptae et obscurae in daemonibus; ergo multo magis potuerunt [q] tunc praedicere futura.

[Solutio]: Ad quod dicendum videtur quod distinguendum est inter cognitionem futurorum prout est in bonis angelis iam confirmatis et prout est in daemonibus et prout fuit in angelis ex prima potestate naturae. Angeli enim beati cognoscunt futura, quae cognoscunt, in aeternis rationibus sive legibus; daemones vero ex quibusdam coniecturis per res ipsas noverunt vel ex diuturna [r] experientia vel ex acumine intelligentiae, licet obscure; vel cognoscunt ea quae facturi [s] sunt, ex rationibus quae sunt apud ipsos vel accipiunt ex revelatione supernorum spirituum quae fienda sunt. Unde Augustinus, in libro *De civitate Dei* [7]: « Aliud est temporalibus temporalia, mutabilibus mutabilia coniecturare [t] eisque

---

[a] RZ om., in L est add. interl. [b] Z om. [c] RLCZ *excogitantium.* [d] V *aut.* [e] C *an;* RLCZ *ea* pro *ista.* [f] L (corr.) C *subsunt.* [g] T om. [h] Ita Z, alii *fuerit.* [i] V *fiunt;* codd. *quorum* pro *quarum.* [k] ST add. *non.* [l] S *voluntatis.* [m] S om. [n] VST om. [o] V om. *q. c.* [p] T om. *p. a. q. c.* [q] RZ *poterunt,* V add. *et.* [r] VS *ductiva,* TR *diutina,* quod Z corr. [s] V *futura.* [t] R *coniecturatione.*

1 Lib. II, c. 30 (PL 32, 643).
2 Cf. *De divinat. daemon.*, c. 5, n. 9 (PL 40, 586).
3 Cap. 21 (PL 158, 352).
4 Loc. cit., ubi sic legitur: « Praescientia Dei non proprie dicitur praescientia: cui enim omnia sunt praesentia, non habet futurorum praescientiam, sed praesentium scientiam ».
5 Cf. Augustin., *De divinat. daemon.*, c. 3, n. 7 (PL 40, 584).
6 Lib. II, c. 30 (PL 32, 643).
7 Lib. IX, c. 22 (PL 41, 274 sq.).

mutabilem et temporalem motum suae voluntatis et facultatis inserere: quod daemonibus certa ratione permissum est. Aliud autem [a] in aeternis atque [b] incommutabilibus Dei legibus, quae in eius sapientia vivunt, mutationes temporum praevidere Deique voluntatem, quae tam certissima quam potentissima est omnium, spiritus eius participatione cognoscere: quod sanctis angelis certa [c] discretione donatum est ». Item, Isidorus, in libro *De institutione ecclesiastica* [1]: « Triplici [d] modo praescientiae acumine vigent: subtilitate naturae, experiéntia temporum [e], revelatione supernorum spirituum ». Et [f] Augustinus, *Super Genesim*, II libro [2]: « Aliquando ipsi nefandi spiritus quae ipsi facturi sunt, divinando praedicunt [g] ». Angeli vero ex prima potestate naturae potuerunt [h] praecognoscere futura quae sequuntur legem astrorum et superiorum [i] corporum; potuerunt etiam praecognoscere illa futura quae per ipsos fienda erant; quae vero erant omnino in dispositione divina vel in libero arbitrio alterius angeli vel hominis, non potuerunt cum certitudine praevidere, sed tantum conicere.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur superius quod 'nullius rei futurae singularis poterant habere praescientiam, quia potest res talis fore vel non fore': dicendum est quod, licet res futura non sic sit scibilis sicut res quae determinata est in esse, nihilominus tamen alio modo scibilis est [k] propter causae praecedentis certitudinem vel signi praecedentis. Unde de [l] imbribus et ventis, licet sint res singulares et futurae, potuit haberi certitudo ex lege supernorum corporum [m], salva tamen dispositione divina, quae potest mutare aliter, cum vult: et ideo non dicitur simpliciter certitudo, sed [n] cum conditione 'nisi Deus aliter ordinaverit'. Ex signis etiam cognoscunt nautae mutationes temporum; multo autem eminentius quam nautae vel astrologi cognoscunt huiusmodi futura. Unde Augustinus, *De civitate Dei* [3]: « Quorumdam signorum nobis occultorum maiori experientia multo plura quam homines futura prospiciunt [o] ». Sed attendendum quod illa certitudo, quantacumque [p] sit, nihil est respectu illius certitudinis futurorum qua [q] Deus in se ipso cognoscit futura: quantumcumque enim ascendat certitudo per hanc viam, non est proportio respectu divinae: in hoc etiam [r] est comparatio quod divina est maior et haec est minor. Similiter si comparetur respectu illius cognitionis, qua angeli sancti [s] cognoscunt in Verbo, nullatenus proportionatur in certitudine, sed in hoc comparantur [t] quod illa, quae est in angelis sanctis, est maior et ista est minor.

ARTICULUS IV. 140

Utrum angeli naturali cognitione potuerunt cognoscere Deum venisse in carnem.

Deinde quaeritur utrum angeli naturali cognitione potuerunt cognoscere Deum venisse in carnem, cum venit. Dico autem naturalem illam quae est praeter gratiam gratum facientem vel gratiam gratis datam, sicut in Prophetis.

Quod non, videtur: 1. Si enim boni angeli non cognoverunt [u] mysterium incarnationis, sed eis datum fuit cognoscere [4], inferior autem est [v] cognitio naturalis in angelis: ergo ex cognitione naturali, cum Christus venit in carne, non possent cognoscere.

Contra: *a.* Eminentior fuit cognitio naturalis in angelis quam illa quae est vel fuit in daemonibus, in quantum huiusmodi, cum per peccatum sit obscurata intelligentia; sed daemones poterant cognoscere Christum venisse in carne. Unde Luc. 4, 41, super illud: *Exibant autem daemonia* etc. Glossa [5]: « Nunc [x] per signorum potentiam iam certior effectus Filium Dei arbitratur ».

b. Praeterea, Luc. 8 [6]: *Venisti ante tempus* etc.; iis verbis insinuatur quod cognoscebant ipsum esse Filium [y] Dei: nam de iudicio loquuntur [7], in quo Filius Dei veniet ad puniendum Satan cum complicibus suis; multo ergo fortius angeli ex naturali cognitione potuerunt cognoscere Christum venisse in carne.

2. Sed adhuc obicitur quod ista cognitio, quam habuerunt daemones, non fuit certitudo sive scientia, propter illud I Cor. 2, 8: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent*, Glossa [8]: De daemonibus, « nunquam Christum crucifigi suggessissent ». Ergo cognitio, quam illi habebant de hoc [z], Christum venisse in carne, nunquam fuit certitudo. Quid ergo dicendum de

[a] C add. *est.* [b] V *et*, ST om. [c] ST *recta.* [d] V *quod alio.* [e] T om. [f] RZ *unde.* [g] T *predicant.* [h] T *poterunt*; Z *cognoscere* pro *praecognoscere.* [i] RZ *supernorum.* [k] S add. *semper*; V *que predicta est* pro *praecedentis.* [l] V om. [m] Z om., in R est add. mg. [n] Ita V, alii add. *tamen.* [o] Z *conspiciunt*; R om. *futura*, in LC est add. mg. [p] Ita V, alii *quantumcumque.* [q] RZ *quam.* [r] Ita V, alii om. [s] Z *se.* [t] T *comparatur.* [u] RLCZ *cognoscunt*; S om. *boni.* [v] L om. [z] Ita VT, S *sicut*, alii *non.* [y] C *verbum*; Z om. *nam.* [x] Ita V, alii om. *d. h.*

1 *Sentent.*, I, c. 10, n. 17 (PL 83, 556).
2 Cap. 17, n. 37 (PL 34, 279).
3 Lib. IX, c. 22 (PL 41, 274).
4 Cf. supra, num. 136.
5 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
6 Rectius Matth. 8, 29.
7 Cf. *Glossa ordin.*, in. h. l., ap. Lyran.
8 *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran.; cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 1548).

angelis quantum ad cognitionem naturalem, utrum potuerunt cognoscere? etc.

c. Praeterea, adhuc videtur quod potuerunt cognoscere: si enim sciebant ipsum iam venisse ex Scripturis propheticis[a] et aliis Veteris Testamenti — sicut habetur super illud Luc. 8, 28: *Quid mihi* etc.[b] Glossa[1]: « Sciebant daemones per adventum[c] Domini se aliquando in abyssum mergendos, non futura praedivinantes, sed Prophetarum dicta recolentes »; ex quo accipitur quod sciebant adventum ipsius — multo ergo fortius angeli ex naturali cognitione poterant pervenire ad notitiam Scripturarum et ita cognoscere Filium Dei venisse in carne.

3. Item, IX *De civitate Dei*[2]: « Innotuit daemonibus, non per id quod est vita aeterna et lumen incommutabile, quod illuminat pios, sed per[d] temporalia quaedam suae virtutis effecta[e] et occultissima signa suae praesentiae[f] quae angelicis sensibus malignorum[g] spirituum possent esse conspicua potius quam infirmitati hominum ». Quaeritur ergo de angelis, in natura sua consideratis, utrum possent per ista signa cognoscere. Quod videtur: Quia[h], cum daemones habuerint notitiam horum[i] signorum, aut habuerunt[k] ex naturali cognitione aut ex dono. Si ex dono[l], pari ratione, immo multo fortius angelis in natura sua datur hoc donum, et ita, sive ex naturali cognitione sive ex dono habuerunt, angeli in sua natura[m] possunt habere et ita possent cognoscere Filium Dei venisse in carne.

Solutio[n]: 1. Ad primum dicendum[o] quod boni angeli aliqui non cognoverunt ad plenum Christum venisse in carne, nihilominus tamen poterant cognoscere[p] ipso apparente in carne, secundum quod dicitur I Tim. 3, 16: *Manifestatum*[q] *est in carne pietatis sacramentum, apparuit angelis.* Sed aliquo modo cognoverunt mali angeli quo modo non cognoverunt boni, quia quaedam cognitio est[r] in poena vel impedimento malae operationis sive cohibitione potestatis, et hoc modo poterant cognoscere mali angeli Christum venisse in carne, quo modo non cognoverunt boni.

Ad id vero quod posset obici quod nobilior est cognitio bonorum angelorum gratuita quam illa quae est naturalis vel illa quae est malorum angelorum: dicendum quod hoc verum est, sed tamen aliqua est cognitio malorum angelorum secundum aliquem modum, secundum quem non est cognitio bonorum[a], nec huiusmodi cognitio, quae est in malis, spectat ad nobilitatem nec est aliqua cognitio naturalis quae non possit esse[b] in bonis angelis; et bene sequitur 'si non cognoverunt ad plenum boni angeli cognitione gratuita, nec ad plenum cognoverunt vel[c] cognoscere potuerunt cognitione naturali': cognitio enim naturalis diminuta est respectu gratuitae.

2. Ad hoc quod obicitur 'utrum cognitio, quam habuerunt daemones, esset scientia': dicendum quod nomen scientiae aliquando sumitur communiter, aliquando proprie. Communiter, cum dicitur[3]: scire[d] est vehementer opinari et non falli, et hoc modo sciebant Filium Dei venisse in carne. Alio modo dicitur[4] 'scire' certa ratione intelligere, et secundum hoc dicitur iterum 'scire' in eis, quia ex divinis Scripturis certa ratione comprehenderunt Christum venisse in carne. Si vero accipiatur 'scire' pro eo quod est cognoscere causam[5], et quoniam illius est causa et quoniam impossibile est aliter se habere, hoc est scire simpliciter: et isto modo non sciverunt ipsum esse Filium Dei. Unde Hilarius, *Super*[e] *Matthaeum*[6]: Magis suspicari quam nosse credendi sunt; et sic accipitur illud[7]: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* — Vel aliter secundum quamdam expositionem[8]: Cognoverunt ipsum esse Filium Dei, sed non crediderunt ipsos sua morte damnandos. Unde super illud Luc. 4, 41: *Exibant autem daemonia* etc.[f], Glossa[9]: « Non ideo crucifigit eum, ut Filium Dei ignoret, sed quia eius morte se damnandum non praevidit; hoc enim *mysterium a saeculis*[g] *absconditum*[10]; *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent*[h] ». Unde Gregorius[11]: « Diabolus Redemptorem venisse in carne senserat, sed propter humilia, quae passus est, quidquid de deitate[i] suspicatus est, ei in dubium venit pro sua superbia, et non Dei natum[k], sed Dei gratia custoditum credidit ».

3. Ad id[l] quod obicitur de signis occultissimis: dicendum quod quaedam sunt signa[m] occultissima potentiae, quae communiter poterant ex cognitione naturali fuisse in angelis et ex cognitione obscurata in daemonibus, et sunt alia, quae sunt propria daemonibus. Illa enim signa potentiae, quae veniebant ex operibus mirabilibus, in

---

[a] L *prophetie.* [b] VST *et tibi.* [c] RZ add. *glorie.* [d] C om. [e] V *effectum.* [f] RLCZ add. *potentie;* V *prescientie* pro *presentiae.* [g] VST *malignantium.* [h] V *quod.* [i] V *eorum.* [k] V *habeant.* [l] Z om. *s. e. d.* [m] Z add. *non.* [n] Ita VC, alii om. [o] SLCZ add. *est.* [p] V *excogitare.* [q] RLCZ *manifestum.* [r] T om. *q. q. c. e.*

[a] T om. *secundum ... bonorum.* [b] T om. [c] Z *nec.* [d] T add. *quod.* [e] L add. *I.* [f] RLCZ om. [g] Z add. interl. *est.* [h] S om. *n. D. g. c.* [i] T *divinitate.* [k] V *natura.* [l] C add. *vero.* [m] T om.

[1] *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 275). [2] Cap. 21 (PL 41, 274).
[3] Cf. Aristot., *Magn. Moral.*, II, c. 6 (II, 163).
[4] Cf. Aristot., *Anal. Poster.*, II, c. 33 (I, 152); Anselm., *De casu diab.*, c. 21 (PL 158, 352).
[5] Cf. Aristot., *Anal. Poster.*, I, c. 2 (I, 122).
[6] Cf. cap. 3 (PL 9, 928); *Glossa ordin.*, in h. l. (PL 114, 114).
[7] I Cor. 2, 8. [8] Cf. Beda, *In Luc.*, II, c. 4 (PL 92, 381).
[9] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.; ex Beda, loc. cit.
[10] Cf. Col. 1, 26.
[11] *Moral.*, II, c. 24, n. 43 (PL 75, 577).

quantum erant mirabilia, communia erant, ut per illa posset haberi et ista notitia et illa cum gratia gratis data ipsis bonis angelis, malis [a] vero huiusmodi cognitio fuit ad poenam. Illa vero signa potentiae, quae per se erant in inflictione poenae vel cohibitione potentiae, erant propria, ut per quae poterant et debebant cognoscere daemones potentiam et iustitiam iudicis, et ideo dicebant [1]: *Ut quid venisti ante tempus torquere nos?* Unde super illud Exod. 5, 2: *Quis est Dominus?* etc., Glossa [2]: « Post tormenta sciunt quem ante scire noluerant [b] ».

CAPUT VIII. 141

DE COMPARATIONE COGNITIONIS ANGELICAE AD HUMANAM IN VELOCITATE COGNOSCENDI.

Deinde quaeritur de comparatione cognitionis angelicae ad humanam in velocitate cognoscendi.

1. Si enim mens [c] humana in tantum ascendat ut nihil sit inter ipsam et Deum — sapientia enim divina attingit ubique propter sui munditiam sine priori et posteriori, mens humana attingit cum priori et posteriori [d], sed celerrime propter sui appropinquationem ad Primum immediatam [e] — sed, si celerrime attingit, non erit differentia inter mentem angelicam et humanam in celeritate, cum utrobique sit celeritas in termino; ergo adaequabitur intellectui mentis angelicae.

2. Item, acies oculi humani imperceptibiliter transit ab oriente in occidentem [f] in aspiciendo; cum ergo acies mentis humanae sit simplicior, erit transitus eius imperceptibilior, et ita quasi in termino; ergo adaequabitur intellectui mentis angelicae in celeritate.

Contra: *a.* Quae est proportio in ratione movendi angeli ad suum corpus, ea est [g] ipsius animae rationalis ad suum corpus; ergo permutatim: quae est proportio corporis ad corpus in celeritate, ea erit intellectus ad intellectum; sed corpus appropriatum, quod movetur ab angelo, excedit in velocitate corpus humanum, sicut habetur ab Augustino, *Super Genesim*, XII [3], et [h] a B. Gregorio [4], qui dicit quod habent [i] aërea corpora; ergo maioris velocitatis sunt; intellectus ergo [k] angelicus excedit humanum in celeritate intelligendi unum post aliud.

b. Item, maior est simplicitas istius [l] intellectus quam illius; sed quod simplicius est, si movetur, celerius movetur; ergo intellectus angelicus mobilior [m] est intellectu humano.

c. Quod etiam videtur ex hoc quod dicit Augustinus, XII *Super Genesim* [5]: « Possunt hoc efficere angeli, non solum acrimonia cernendi corporalia incomparabiliter praestantiore quam nostra, sed ipsorum corporum longe subtiliorum [n] mira velocitate ».

[Solutio]: Ad quod dicendum [o] per hoc quod dicit Augustinus, *Super Genesim*, IV libro [6]: « Si oculorum carnalium acies celeritate tantum potest, quid [p] mentis humanae acies! Quanto magis angelicae! Quid autem de ipsius summae sapientiae dicatur [q], quae *attingit* ubique, celeritate [r], et *disponit omnia suaviter* [7]? » Ex quibus verbis elicitur ordo quidam in celeritate aspectus secundum appropinquationem maiorem et minorem ad aspectum divinum, qui simul et indivisibiliter omnia aspicit; aspectus ergo angelicus amplioris est [s] celeritatis quam humanus.

[Ad obiecta]: 1. Ad id quod obicitur in contrarium: dicendum [t] quod licet celerrima dicatur visio intellectualis humana, tamen non dicitur superlative nomen celeritatis, sed intensive [u]. Cum enim divinus Spiritus, sicut dicit Augustinus, *Ad Orosium* [8], movet spiritum creatum, movet ipsum per tempus, non per locum. Et patet quod non loquitur de motu locali, sed de motu cognitionis vel affectionis; quare necesse est [v] ibi esse mensuram temporis; sed in hac differentia maior est celeritas, licet sit imperceptibilis apud sensum, et minor: unde angelicus intellectus, quia non habet colligationem ad corpus per intentionem, maioris est celeritatis. Hoc etiam ex parte affectus est: retardatur enim spiritus humanus in motu [x] ad caelestia per intentionem ad corpus: *corpus* enim *quod corrumpitur*, id est [y] corruptibile est, *aggravat animam* [9]. Similiter ex parte cognitionis; unde Bernardus [10]: « Involutus carne accola terrae spiritus, ex consideratione sensibilium proficiens, gradatim paulatimque nititur [z] pervenire illo quo

[a] L *mali*. [b] V *noluerunt*, R *voluerant*. [c] T om. [d] L om. *mens... posteriori*, in RCZ est add. mg.; STR *attinget* pro *attingit*. [e] L *immediato*. [f] L *et occidente* pro *i. o.* [g] L *que*. [h] T om., V om. *Gregorio*. [i] ST *haberent*. [k] T *vero*. [l] L *iustius*. [m] Ita ST, alii *nobilior*, Z nota mg. *al. mobilior*. [n] V *subtilior*. [o] Ita V, alii add. *est*. [p] V om. [q] V add. *acie;* T *qui* pro *quae*. [r] VS *celeriter*, quod T corr., R *celeritates*. [s] V om. [t] V om. [u] Ita VR, alii *intentive*. [v] T om. [x] V *motum*. [y] Ita V, alii *vel*. [z] R *paulatim innititur* pro *p. n.*

1 Matth. 8, 29.
2 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 198), ex Beda, in h. l. (PL 91, 298).
3 Cap. 17, n. 34 (PL 34, 467).
4 *Moral.*, II, c. 3, n. 3 (PL 75, 556). Cf. *Moral.*, XXVIII, c. 1, nn. 3, 7 (PL 76, 448, 450).
5 Loc. cit.
6 Cap. 34, n. 55 (PL 34, 320).
7 Sap. 8, 1,
8 Cf. *Dialog. quaest. 65*, q. 40 (inter opp. Augustini PL 40, 746); Augustin., *De Gen. ad litt.*, VIII, c. 22 (PL 34, 389).
9 Sap. 9, 15.
10 Cf. *In Cantica*, sermo 5, n. 4 (PL 183, 800).

caelestium habitator [a] ingenua subtilitate in omni velocitate facilitateque pertingit ».

2. Ad secundum dicendum quod, licet in insensibili tempore sive repente fiat intellectiva motio, nihilominus secundum rationem est discernere plus et minus in celeritate intelligentiae [b] angelicae et humanae, quantum est de utriusque natura: aliter enim potest esse secundum gratiae elevationem.

TITULUS III.

DE POTENTIA COGNITIVA ANGELI IN ACTU CONSEQUENTI SEU DE LOCUTIONE.

Dicto de potentia cognitiva angeli et actu principali et absoluto, consequenter dicendum est de actu eius consequenti quem habet in comparatione ad alterum, scilicet de locutione. Circa quam quaeruntur haec:

Primo, utrum sit locutio in angelis [c];
secundo, utrum locutio dicatur multipliciter vel uno modo;
tertio, quid sit [d] locutio secundum quod convenit angelis respectu angelorum;
quarto, quae differentia istius actus ab aliis quibusdam;
quinto, utrum omnium angelorum sit locutio aut tantum superiorum;
sexto, utrum fiat per medium et per quod medium;
septimo, utrum necessario sit auditio existente locutione.

142

CAPUT I.

UTRUM SIT LOCUTIO IN ANGELIS.

Quantum ad primum videtur quod locutio non conveniat angelis: 1. Cum enim loqui sit actus per organa exercitus [e], in angelo autem non sunt huiusmodi organa, utpote lingua et huiusmodi, ergo nec loqui est in angelo. — Item, loqui est actio rationalis creaturae ad alterum, data ei ut alii significet quod apud se interius habet [f]. Unde Augustinus, in libro *De Trinitate* [1]: « Formata cogitatio [g] ab ea re quam scimus, verbum est quod in corde dicimus; quod non graecum est nec latinum nec alterius linguae, sed, cum id opus est in eorum, quibus loquimur [h], perferre [i] notitiam, aliquod signum, quo significetur, assumitur et plerumque sonus, aliquando nutus ». Ubi ergo non est necesse unum [k] alii significare, nec necessarium est loqui; sed in angelis non est necesse unum alii significare quod apud se habet, quia conscientiae eorum sunt ad invicem manifestae, sicut dicit Commentator super *Hierarchiam* [2]: « Angeli non indigent locutione, quia conscientias suas ad invicem contemplantur ».

2. Item, sic est in luce corporali quod se ipsam per se ipsam manifestat et ea quae circa ipsam [l] sunt. Unde oculus materialis lucem corporalem videt sine alio medio, dummodo sit sibi [m] proportionalis et non sit aliud impedimentum; ergo, cum angelus sit lux spiritualis, videtur quod se ipsum [n] offerat oculo spirituali alterius angeli; ergo non exigitur locutio media; ergo nulla est necessitas locutionis in angelis, immo frustra ibi esset, quia id, propter quod proprie est [o] locutio, sufficienter est in eis.

Contra: *a.* Dicit idem Commentator [3]: « Si dixerimus quod angelici spiritus omnes prorsus conscientias suas ad invicem conspiciunt, necesse est ut fateamur minores scire omnia quae maioribus nota sunt; quod nequaquam verum est: multa enim sciunt excellentiores, quae ignorant inferiores ». Ex hoc arguitur quod [p] multa sciunt superiores quae nesciunt inferiores; ergo ad hoc quod inferiores ea sciant, necesse est intervenire manifestationem secundum quod eis competit; sed huiusmodi manifestatio est per locutionem; ergo necessaria est locutio.

b. Item, superiores abundant ab [q] inferioribus in illuminatione, quia eos illuminant, ut dicit

[a] V *habitatorum.* [b] V *intellective.* [c] LCZ (mg.) add. *Et utrum locutio qua Deus loquitur angelo vel anime et anima vel angelus Deo dicatur equivoce vel univoce.* [d] Ita VS, alii om. [e] VST *exterius*; T om. *in.* [f] T om. [g] VSTC *cognitio.* [h] RZ *loquitur.* [i] CZ (corr.) *proferre.* [k] Ita RZ, alii om. [l] RZ *eam.* [m] R *ibi*, quod Z corr. [n] V *ipsam.* [o] L om., C exp., RZ *esset.* [p] Ita V, alii om. [q] Z *ex*, quod R corr.

[1] Lib. XV, c. 10, n. 19 (PL 42, 1071).
[2] Cf. Hugo de S. Vict., *In Hier. cael.*, VII (PL 175, 1053).
[3] Cf. Hugo de S. Vict., loc. cit. (PL 175, 1022); Scot. Eriugena, *In Hier. cael.*, c. 12, § 2 (PL 122, 232).

Dionysius[1] et Damascenus[2]; ergo abundant et in cognitione; et inde ut prius.

c. Si autem instetur contra haec argumenta, quia angelus, qui plura [a] scit, non habet potestatem manifestandi, et ita nec loquendi – contra: cognitio in angelo nobilior est quam in homine; quae [b] autem cognoscit homo per duo, scilicet sensum et intellectum, cognoscit angelus per unum, scilicet intellectum: intellectus [c] enim cognoscit intelligibiliter; ergo, cum in [d] homine non desit potentia manifestandi id quod cognoscit, multo magis nec in angelo deest.

d. Item, idem videtur per auctoritatem Damasceni[3] qui dicit: « Non lingua et auditu indigent, sine sermone voce prolato tradunt sibi invicem suas illuminationes et consilia [e] ».

Solutio: Notandum quod est [f] duplex locutio spiritualis angelorum: una, qua loquuntur Deo, de qua dicit Augustinus [g], *De Trinitate*[4]: « Habet Deus suos nuntios, id est angelos, non tamen aliquid ei [h] quod nescit, nuntiant, sed bonum eorum est de suis operibus eius consulere veritatem ». Et quod dicuntur ei nuntiare, hoc non est ut ab eis discat, sed e converso: cum etiam nos oramus, non necessitates nostras eum docemus. De hac locutione non [i] intenditur hic principaliter. Est alia locutio, qua loquuntur angeli ad invicem.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur [k] quod ' manifestae sunt eorum conscientiae ad invicem ': potest solvi breviter, si inspiciatur finis auctoritatis; sic enim finitur: « quia conscientias suas ad invicem contemplantur, ad alterutrum sine voce quodammodo loquuntur [l] », quasi diceret: 'non loquuntur sensibiliter, sed intelligibiliter', et hoc bene dicimus. — Vel aliter dicendum quod duplex est manifestatio conscientiae in bonis — quia de malis non loquimur nunc — una, quam habent in Verbo, et secundum hoc verum est quod conscientiae eorum sibi invicem sunt manifestae, quia unus in Verbo videt conscientiam alterius; sed hoc non est ex propria natura angeli, sed ex natura Verbi: unde hoc magis est ex gratia quam ex natura. Unde Gregorius[5], de nobis in patria: « Uniuscuiusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet »; corporum enim glorificatorum tanta erit conformitas ad spiritum, quod ad affectus [m], qui erunt in spiritibus, sequentur [n] quidam nutus in eorum corporibus, in quibus poterunt [o] dignosci ipsi affectus tamquam in illis nutibus relucentes. Similiter dicimus esse manifestas conscientias angelorum [p] invicem quoad cognitionem quam habent in Verbo. Nec tamen negandum est quin alii aliis plura cognoscant in Verbo pro voluntate ipsius Verbi; nec tamen est in angelis locutio quoad illa, quia potestas manifestandi illa non residet apud angelum, sed apud Verbum. Unde, vellet nollet angelus, qui plura cognoscit in Verbo, manifestaret Verbum [q] ista eadem ei angelo qui pauciora scit. Est alia cognitio, quam habent angeli in se ipsis, et de hac non est verum quod conscientiae [r] eorum sint ad invicem manifestae, immo plura scit unus quam alius, et habet potestatem naturalem ille [s], qui plura scit, manifestandi ea illi qui nescit: et ista manifestatio dicitur locutio, sicut opponebatur.

2. Ad illud quod obicit de [t] luce respondeo quod non est simile de luce corporali et spirituali. Corporalis enim non agit per voluntatem, sed per naturam, et ideo [u] non est ad opposita, scilicet ad manifestandum et [v] occultandum, sed semper, quantum est de natura sua, se [x] manifestat et diffundit; sed spiritualis lux [y], quia agit per voluntatem, ad opposita est: unde potest se manifestare quando vult et occultare quando vult.

CAPUT II.

UTRUM LOCUTIO DICATUR MULTIPLICITER.

ARTICULUS I. 143

Utrum dicatur locutio angeli respectu Dei vel angeli vel animae.

Deinde quaeritur utrum locutio dicitur multipliciter aut uno modo, cum dicitur 'angelus loquitur Deo' et cum dicitur 'angelus loquitur alteri angelo' et cum dicitur 'angelus loquitur animae' [z].

Et videtur quod dicatur multipliciter: 1. Cum enim loquitur Deo, hoc non est ut Deo manifestet suam cognitionem vel affectionem, cum ipse praecognoscat eam; cum autem loquitur alii angelo,

---

[a] V add. *sint.* [b] Ita TZ, C *quod*, VSRL *quia.* [c] STZ *utraque.* [d] L om. [e] T *consimilia*, quod Z corr. [f] V om. [g] V add. *in libro.* [h] RCZ *eis.* [i] R om., in Z est add. interl. [k] Ita VT, alii *obicit.* [l] RZ add. *sine voce.* [m] L *effectus*, quod T corr. [n] R *sequuntur*, C *sequantur*; LC *tuitus* pro *nutus.* [o] S *potuerunt*, L *potuerint.* [p] ST add. *in.* [q] V om., T *ita* pro *ista.* [r] ST *scientie.* [s] L *illa.* [t] V *obicitur* pro *o. d.* [u] S *ita.* [v] V *vel.* [x] V om. [y] S om. [z] V om. *et cum... animae*, Z om. *Deo et cum... loquitur.*

[1] Cf. *De cael. hier.*, c. 5, § 1 (PG 3, 195, PL 122, 1049) et alibi. [2] *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 869). [3] Loc. cit. [4] Lib. XV, c. 13, n. 22 (PL 42, 1075). [5] Cf. *Moral.*, XVIII, c. 48, n. 78 (PL 76, 84).

hoc est ut manifestet ei; similiter, cum loquitur animae. Unde Gregorius[1]: « Angelici spiritus voluntatem Dei Prophetarum sensibus innotescunt atque eos ad sublimia sublevant et quae in rebus futura sunt, in causis originalibus futura demonstrant ». Ergo non secundum eamdem rationem dicitur 'loqui' de angelo, cum dicitur 'angelus loquitur Deo' et cum dicitur 'angelus loquitur alii angelo vel animae' [a].

2. Praeterea, dicit Gregorius[2]: « Vox angelorum in laude Conditoris est admiratio intimae contemplationis ». Sed locutio, qua loquitur angelus angelo vel animae, non est admiratio; ergo differenter dicitur locutio respectu Dei et respectu creaturae rationalis.

Contra: *a.* Utrobique est cogitationis [b] vel affectionis expressio [c].

b. Item, Augustinus [d], *De Trinitate*[3]: « Formata cogitatio ab ea re quam scimus est verbum, quod in corde dicimus ». Sed intentio formatae cogitationis a re, quam scimus, commune [e] est locutioni; utrobique ergo uno modo dicitur.

Respondeo: Locutio quamdam rationem habet ex parte finis, et secundum hoc locutio dicetur non secundum eamdem rationem, cum dicitur respectu Dei et respectu alterius angeli vel animae; ex parte vero formae dicitur secundum unam rationem per prius et posterius, scilicet expressio vel evidentia cogitationis vel desiderii; hoc autem respectu Dei nihil aliud est quam ipsum desiderium vel cogitatio. Et quod ita sit, patet per simile de locutione animae ad Deum. Dicit enim Gregorius [f][4]: « Animarum verba sunt ipsa desideria; nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret[5]: *Desiderium cordis eorum audivit auris tua* ». Similiter per hoc quod dicit Gregorius[6] de locutione mali angeli: « Diabolum loqui ad Deum est omnipotenti maiestati eius nil posse celare ». Ex hoc patet quod loqui angeli nihil aliud est quam eius cogitatio vel desiderium expressum. Respectu vero alterius angeli vel animae est horum indicatio per aliquid ut ab eis cognoscatur.

[Ad obiecta]: 1. Ad id quod primo obicitur [g], dicendum quod non est una ratio secundum quod loqui [h] ex parte finis definitur, et sic ibi accipiebatur.

2. Ad secundum dicendum quod, cum dicit Gregorius vocem angelorum esse admirationem, hoc est laudem illorum [i] esse admirationem, notificavit vocem eorum non per id quod est essentiale voci, sed per concomitans: admiratio enim concomitatur cognitionem sive contemplationem angelicam, quae est de divinis, quae sunt supra ipsum.

144

ARTICULUS II.

Utrum locutio Dei et angeli dicatur aequivoce.

Deinde quaeritur, cum locutio dicatur de Deo respectu angeli aut [k] respectu animae et de angelo respectu Dei vel alterius angeli vel [l] animae, utrum dicatur aequivoce vel non.

Et videtur quod non: 1. Quia utrobique est voluntatis expressio; cum enim Deus loquitur angelis, suam voluntatem ostendit, cum autem angelus loquitur Deo [m], aliquid desiderat et desiderando desiderium suum in conspectu Dei ponit [n].

Contra: *a.* Gregorius[7]: « Loquitur Deus ad angelos eo ipso quo [o] cordibus eorum occulta sua invisibilia ostendit, ut quidquid agunt, in ipsa contemplatione veritatis legant [p] et velut quaedam [q] praecepta vocis sunt ipsa gaudia contemplationis ».

b. Item, alibi[8]: « Dicere est per vim internae visionis eorum mentibus exhibenda indicia motibus occultis inspirare ». Cum autem Deus loquitur animae per se vel [r] cum Verbo suo, sine verbis cor docetur; cum autem angelus loquitur, vel verbis vel rebus vel imaginibus sua voluntas indicatur. Ex quo accipitur quod 'loqui' Dei ad angelos vel [s] animas differenter accipitur ab illo 'loqui' quo angelus loquitur Deo vel angelo.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod differenter accipitur, sicut dicit Gregorius, et [t] quasi aequivoce. Nihil enim recipit Deus ab angelo, sed e contra angelus vel anima a Deo aliquem recipit effectum.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur quod utrobique est expressio voluntatis: dicendum quod 'exprimere' non dicitur univoce utrobique, quia, cum Deus loquitur, sine verbis cor docetur, cum autem angelus loquitur, verbo aliquo utitur.

---

[a] T om. *a. a. v. a.* [b] VTZ *cognitionis*, quod S corr. [c] V om. [d] V add. *in libro.* [e] ST *nature.* [f] V om. [g] S om. [h] V *locutio.* [i] V *eorum.* [k] V *et.* [l] V om. [m] Ita VZ (interl.), alii om. [n] LC *patuit*; T om. *Dei.* [o] C *quod.* [p] LC *legerat.* [q] LC *quoddam.* [r] T delev. [s] Z add. interl. *ad.* [t] S om.

1 *Moral.*, XXVIII, c. 1, n. 9 (PL 76, 451).
2 *Moral.*, II, c. 7, n. 10 (PL 75, 559).
3 Lib. XV, c. 10, n. 19 (PL 42, 1071).
4 *Moral.*, II, c. 7, n. 11 (PL 75, 560).
5 Psalm. 9, 37.
6 *Moral.*, II, c. 7, n. 12 (PL 75, 561).
7 *Moral.*, II, c. 7, n. 9 (PL 75, 559).
8 Loc. cit.

ARTICULUS III. 145

Utrum una sit locutio Dei et Angeli [1].

Deinde quaeritur I. utrum una sit locutio Dei et [a] angeli aliquando vel non.

Quod non [b] **videtur**: 1. Diversarum enim essentiarum diversi sunt actus [2]; ergo, cum divina essentia sit alia ab angelica, non erit actus idem; ergo, cum locutio sit actus, non erit [c] eadem locutio.

2. Praeterea, cum Deus loquitur per angelum, Deus [d] non motus movet, angelus autem motus movet [3]; movere autem immobilis et eius quod est mobile diversum est; ergo diversa est locutio qua loquitur Deus et qua loquitur angelus.

Contra: *a.* Cum agens secat per securim, una dicitur sectio; ergo a simili, cum Deus loquatur per angelum, una dicetur locutio. — Quod autem Deus loquatur per angelum, Apoc. 1,1: *Significavit Deus quae oportet fieri cito, loquens per angelum servo suo Ioanni.*

b. Praeterea, sicut dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [4]: « Deus in Veteri Testamento per angelos [e] loquebatur ».

c. Praeterea, sicut, cum Dominus loquitur per Prophetam, una est locutio Dei et Prophetae, ita, cum Dominus loquitur per angelum, una est locutio Dei et angeli.

II. Huius etiam gratia quaeritur utrum semper loquatur Deus creaturis rationalibus per angelos, quando loquitur, an aliquando per se ipsum [5]. Nec fit hic mentio de locutione qua Deus in Christo homine loquebatur vel Christus homo loquebatur.

Quod Deus semper loquatur per angelos, quando loquitur [f], **videtur** 1. per hoc quod 'loqui' Dei respectu creaturae rationalis est indicare voluntatem suam rebus vel verbis; sed, cum Deus loquitur rebus vel verbis [g], ministrantibus angelis hoc fit; ergo, cum Deus loquitur rationali creaturae, per angelos loquitur.

Contra: *a.* Cum [h] se ipso loquitur rationali creaturae, non per mediam substantiam aliam loquitur.

Quod sic probatur: Quod fit per mediam substantiam creaturae, non simul totum datur, sed per prius et posterius: sic enim agit creatura; sed notitia plurium aliquando simul a Deo datur; ergo, cum hoc fiat [i] locutione divina, Deus per se ipsum aliquando loquitur [k].

b. Item, Gregorius [6]: « Dei locutio, ad nos intrinsecus facta, videtur potius quam auditur, quia dum se ipsum sine mora sermonis insinuat, repentina luce tenebras nostrae ignorantiae illustrat ». Sed, cum fit visio, subito [l] fit multorum visio; ergo locutio Dei aliquando fit per semetipsum, cum simul multorum notitiam infundit. Et hoc videtur per hoc quod dicitur Act. 2,2: *Factus est repente de caelo sonus advenientis spiritus* [m] etc.

c. Item, maior est potentia angeli quam hominis, Dei vero est maxima; si ergo utraque natura potest per se loqui, multo fortius summa essentia, scilicet divina, potest per se loqui rationali creaturae.

[Solutio]: I. Ad quod dicendum [n] quod Deus per se ipsum loquitur et aliquando per creaturam rationalem vel angelicam, sicut dicit Gregorius [7]. — Ad id quod obicitur utrum una sit locutio Dei et angeli, quando Deus loquitur per angelum: dicendum [o] quod una est locutio Dei ut primo moventis, angeli ut proximi.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [p] obiectum dicendum quod, licet sint substantiae differentes, tamen unus est actus, quoniam [q] una substantia agit aliquando altera mediante: ubi enim unum propter alterum, utrobique tantum [unum] [8].

2. Ad id vero quod secundo obicitur [r] quod 'alius est motus iste quam ille': dicendum quod motus ille, quo movet Deus angelum et quo angelus movet aliam rem, differens est in numero; sed motus, quo Deus movet rationalem creaturam per angelum et quo [s] angelus movet eam, unus reputatur, cum Deus moveat eam per angelum.

---

[a] Ita V, alii *vel.* [b] V om. *q. n.* [c] T *exit.* [d] T om. [e] RZ *angelum.* [f] Z om. *q. l.* [g] V om. *sed... verbis.* [h] T om. [i] RLCZ *sit.* [k] R *loquetur.* [l] T om. [m] C om. [n] Ita V, alii add. *est.* [o] RZ add. *est.* [p] Ita V, alii om. [q] C *quando.* [r] Z *obiciebatur.* [s] V *quando.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 3, q. 2 (II, 271).
2 Cf. Averroes, *Metaph.*, II, t. 26 (VIII, 146).
3 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, VIII, c. 22 (PL 34, 390).
4 Lib. III, c. 11, n. 22 (PL 42, 882).
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, n. 517.
6 *Moral.*, XXVIII, c. 1, n. 2 (PL 76, 448).
7 *Moral.*, XXVIII, c. 1, nn. 2-9 (PL 76, 448sqq.).
8 Cf. Aristot., *Topic.*, III, c. 2 (I, 199); *Metaph.*, IV, c. 15 (II, 527sq.).

II. Ad id vero quod quaeritur ‘utrum semper loquatur Deus rationabilibus creaturis [a] per angelos an aliquando per se ipsum’: dicendum [1] quod aliquando per se ipsum loquitur, sicut habetur ex Sacra Scriptura, et aliquando per angelum, sicut dicit B. Gregorius iis verbis [2]: « Spiritum Dei quasi quaedam verba nobis dicere est occulta et [b] ea, quae sunt agenda, intimare et cor hominis ignarum, non adhibito strepitu et tarditate sermonis, peritum de absconditis reddere. Cum enim loquitur per angelum, aliquando voluntatem suam rebus indicat, aliquando imaginibus oculis cordis ostensis, aliquando imaginibus ante corporeos oculos ex aëre assumptis [c], aliquando caelestibus substantiis, aliquando terrenis, aliquando simul terrenis et caelestibus; nonnunquam vero humanis cordibus ita per angelum loquitur ut ipse quoque per angelum mentis obtutibus praesentetur. Verbis namque per angelum loquitur, cum nihil per imaginem ostenditur, sed supernae locutionis verba audiuntur, sicut dicitur [d] Ioan. 12, 28: *Clarificavi et iterum clarificabo.* Neque enim Deus, qui sine tempore vi intimae impulsionis clamat, in tempore vocem suam per substantiam edidit, quam circumscriptam [e] tempore, per humana verba distinxit, sed de caelestibus loquens, verba sua, quae audiri ab hominibus [f] voluit, rationali administrante creatura formavit. Aliquando autem per angelos loquitur Deus rebus, cum nihil verbo dicitur, sed ea, quae futura sunt, assumpta de elementis imagine nuntiantur, sicut Ezechiel [3] *electri speciem in medio ignis* vidit. Aliquando vero per angelos verbis simul et rebus loquitur, sicut in Gen. 3, 8: *Cum audisset vocem Domini deambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam;* aliquando imaginibus cordis oculis ostensis, sicut Gen. 28, 12, Iacob dormiens vidit scalam subnixam caelo; aliquando imaginibus ante corporeos oculos ad tempus ex aëre assumptis, sicut Abraham [4] tres viros videre potuit, et modo angeli, modo Dominus vocantur. Aliquando loquitur caelestibus substantiis, sicut cum *vox de nube* sonuit [5]: *Hic est Filius meus* etc.; aliquando terrenis, sicut [g] ore asinae per angelum humana verba formavit [6]. Aliquando simul terrenis et caelestibus substantiis per angelos loquitur Deus, sicut ad Moysen [7] in monte, cum iussionis suae verba edidit, ignem rubumque sociavit atque aliud superius, aliud inferius [h] iunxit. Aliquando per angelos humanis cordibus, secreta eorum praesentia, virtutem suae inspirationis [i] infundit, sicut Zach. 1, 14: *Dixit ad me angelus, qui loquebatur in me* ».

Ex iis patet qualiter Deus diversis modis per angelos loquitur et una est locutio. Nec negatur quin [k] Deus per se possit verba efficere vel res, quibus loquatur, sine ministerio angelorum, sed in huiusmodi voluit ipse ministerio angelorum agere [l], ut, sicut sunt medii inter Deum et creaturam rationalem [8], ita Deo ministrarent et divinam naturam rationali naturae indicarent.

146

CAPUT III.

QUID SIT LOCUTIO ANGELI AD ANGELUM.

Sequitur quaestio quid dicatur locutio secundum quod angeli ad invicem loquuntur.

Et videtur per verbum Ioannis Damasceni [9] quod huiusmodi [m] locutio sit intelligentiae vel consilii communicatio sine sermone voce prolato. Sed de hoc dubium est qualiter potest transferri intelligentia istius angeli ad intellectum [n] alterius, cum illud, quod traditur vel communicatur, ad alterum transferatur.

Respondeo quod haec communicatio est per aliquam similitudinem, ut si speculum, cum vellet, daret [o] suam similitudinem alteri speculo, ita angelus, cum vult, communicat suam intelligentiam alteri angelo.

Sed quae differentia est inter traditionem intelligentiae et consilii? Respondeo quod intelligentia est de re cognoscenda, traditio consilii de re fienda.

---

[a] Ita V, alii om. *r. c.* [b] Ita V, alii *in.* [c] S *assumpta*, quod TL corr., Z *assumptos.* [d] Ita V, alii add. *in.* [e] V *incircumspectam;* R om. *tempore.* [f] V om. *a. h.* [g] Z add. *de.* [h] LC om. *a. i.*, in RZ est add. mg.; V *vixit* pro *iunxit.* [i] Codd. *virtutis sue inspirationem* pro *v. s. i.;* T om. *sicut.* [k] V *qui.* [l] V om. *i. m. a. a.* [m] Ita V, alii om. [n] Z *intelligentiam.* [o] Z *dare.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 3, q. 2 (II, 273).
2 *Moral.*, XXVIII, c. 1, nn. 2-9 (PL 76, 448 sqq.).
3 Cf. Ezech. 1, 4.
4 Cf. Gen. 18, 2 sqq.
5 Matth. 17, 5.
6 Cf. Num. 22, 28.
7 Cf. Exod. 3, 2.
8 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 747, *ad 5* et II, p. 132, litt. *a.*
9 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).

CAPUT IV. 147

QUAE SIT DIFFERENTIA LOCUTIONIS AB ALIIS ACTIBUS ANGELI [1].

Deinde quaeritur de locutione angeli in comparatione ad alios actus angeli vel operationes. Et quaeritur utrum locutio in angelis sit idem quod visio.

Ad quod sic: 1. Augustinus, in libro *De Trinitate* [2], ubi vult investigare Verbum increatum per verbum creatum [a], dicit quod secus est in verbo corporali [b] et spirituali, quia in corporali secundum aliam vim est loqui et secundum aliam intelligere; non sic in spirituali, sed ad eamdem [c] vim pertinet: sic [d] ergo in angelis pertinet ad vim intelligibilem. Quaeritur ergo: aut addit super intelligere aut non. Si non, habeo propositum. Si addit, quaeritur: quid addit et cuius potentiae est illud quod addit? Et non videtur alterius quam intelligentiae. Haec autem sunt verba Augustini: « Foris, cum per corpus haec fiunt [e], aliud est auditio et visio, intus autem, cum cogitamus [f], utrumque unum est, sicut auditio et visio duo quaedam sunt inter se distantia in sensibus corporis, in animo autem non est aliud videre atque audire ».

2. Item, Augustinus, in eodem [3]: Quando dicimus 'iste dicit apud se', secundum quod dicitur Sap. 2,1: *Dixerunt impii* etc., illud 'dicere' non est aliud quam intelligere ex quadam relatione [g] [4]; sed loqui in angelis est dicere apud se — quod patet, quia non addit verbum exterius, cum non habeat instrumenta; et [h] hoc etiam dicit Damascenus [5]: « Sine sermone voce prolato loquuntur [i] » — ergo 'dicere' in eis non est aliud quam intelligere [k].

3. Item, angelus est quasi medius inter Deum et hominem. Quaeritur [l] ergo: aut convenit cum Deo magis in loquendo aut magis cum homine. Patet autem quod non cum homine, quia non profert verbum sicut homo; ergo cum Deo; sed in Deo est idem 'loqui' quod 'intelligere'; ergo similiter in angelo, vel dicatur quare non.

[Solutio]: Dicimus quod angelus habet potentiam cognoscendi [m] et afficiendi circa cognitum et postmodum manifestandi cognitum et affectum; et [n] quidquid sit de potentia, id est sive sit una sive differens, quod modo non determinamus, tamen ii sunt actus differentes et ordinati naturaliter, quia primo est cognoscere, secundo affici, tertio manifestare, quia, ut dicit Commentator [6], manifestatio est indicium voluntatis et conceptus.

[Ad obiecta]: 3. Ad obiectum [o] dicendum quod, cum angelus sit medius [p] inter Deum et hominem, ut dicebatur [7], non convenit tantum cum altero extremorum, sed cum utroque. In Deo enim est Verbum interius et non exterius, et praeter [q] hoc in Deo est [r] notitia et Verbum: quamvis enim dicens et Verbum ad diversas hypostases pertineant, tamen Verbum et notitia ad eamdem pertinent, scilicet [s] ad Filium [8], tamen differenter, quia notitia ut appropriatum, Verbum ut proprium [9]. Quantum ergo ad hoc [t] quod in Deo non est Verbum exterius, convenit locutio angeli cum locutione Dei; differt autem, quia in Deo, ut dictum est [10], idem penitus est notitia et Verbum; sed in angelo nec est penitus idem nec penitus diversum, immo quoad hoc partim convenit, partim dissonat. Et hoc est quod dicit Damascenus [11]: « Sicut nostrum verbum est de intellectu procedens, non [u] per omnia idem est cum [v] intellectu nec omnifariam aliud, ita et Dei Verbum, in eo quod subsistens secundum se ipsum, separatur ab eo a quo habet existentiam; in eo vero quod eadem ostendit in se ipso quae [x] circa Deum inspiciuntur, idem est cum [y] ipso ». In summa ergo dicendum quod locutio angeli in hoc convenit cum locutione Dei, quia ibi est verbum interius solum, et praeter [z] hoc, quia non idem est notitia cum verbo, in Deo vero omnino idem. Cum verbo vero hominis convenit in hoc quod sicut verbum hominis partim convenit, partim diversum est ab

---

[a] L om. *p. v. c.* [b] T *temporali.* [c] V *eam.* [d] S *sicut.* [e] V *hoc fuerit* pro *h. f.* [f] VST *cogitatur.* [g] V *revelatione.* [h] Z *ex.* [i] S *loquitur.* [k] T om. *ex quadam relatione... intelligere.* [l] V *que.* [m] L *cogitandi.* [n] V om. [o] V add. *autem.* [p] L *melius.* [q] LC *propter.* [r] T om. [s] V *pertinent* pro *a. e. p. s.* [t] S om. [u] V *nature,* R add. *autem.* [v] R *omni.* [x] L *quia.* [y] V *in.* [z] V *propter.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 3, q. 1 (II, 267sqq.). Omnia quae habentur sub num. 142, 147-150 verbotenus, paucis exceptis, occurrunt, tacito nomine auctoris, in cod. Assisiensi 138, fol. 7b-8b. De quo codice cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 173, nota 3 et p. 191, nota 1.

2 Lib. XV, c. 10, n. 18 (PL 42, 1070sq.).

3 Loc. cit., n. 17 (PL 42, 1070), ad sensum.

4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 13, dub. 3 (II, 331b).

5 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).

6 Cf. Boeth., *In Aristot., De interpret.*, ed. 2, *De signis* (PL 64, 398sqq.).

7 Cf. supra, n. 3.

8 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 420; S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 3, q. 2, *ad 2* (II, 272).

9 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 421 et 424.

10 Parum supra.

11 *De fide orthod.*, I, c. 6 (PG 94, 803).

intellectu sive a [a] notitia, similiter in angelo partim est diversum, non simpliciter; differt autem in hoc quod verbum hominis [b] per vocem extra traditur, non sic autem verbum angeli.

2. Ad auctoritatem Augustini dicendum quod Augustinus quantum ad hoc intendit ponere differentiam illam, quia in corporibus audire et videre et potentia auditiva et visiva differunt penes organa diversa, quia quaelibet potentia habet organum sibi proportionale; non sic intellectiva: unde huiusmodi differentia non est in [c] intellectualibus substantiis, sed ex hoc non sequitur quod non differant. Utrum tamen differant penes virium [d] differentiam visio vel intellectus in angelis et locutio, modo non determinamus.

Item, circa hoc obicitur sic: Triplex est actus angeli, ut dicit Dionysius [1], « illuminare, purgare, perficere », et non determinat plures actus; ergo, cum 'loqui' sit actus angeli, vel est aliquis horum trium vel ad aliquem horum trium reducitur. Quaeritur ad quem. — Respondeo: Nec est aliquis horum trium nec ad aliquem reducitur. Iste enim actus, qui est 'loqui', est prior omnibus illis, quia est in [e] eis in ratione naturae; illi [f] vero tres actus sunt in illis in [g] ratione gratiae, quae consequitur naturam. Unde posteriores sunt isto [h] secundum viam generationis — non dico secundum viam nobilitatis — et sunt illi tres actus tantummodo superiorum respectu inferiorum vel animarum.

148

CAPUT V.

UTRUM OMNIUM ANGELORUM SIT LOCUTIO.

Consequenter quaeritur de locutione quantum ad subiecta, utrum scilicet loqui sit [i] indifferenter in omnibus [k] angelis respectu omnium aut [l] superiorum respectu inferiorum [m].

Ad quod sic [n]: 1. Super illud I Cor. 13,1: *Si linguis hominum* [o] etc. Glossa [2]: « Quibus angeli praepositi significant minoribus quae [p] de Domini voluntate praesentiunt ». Et Gregorius [3]: « Angelici spiritus voluntatem [q] Dei humanis cordibus insinuant, secundum quod ab ipso accipiunt ».

2. Item, ille qui loquitur videtur quasi aliquid influere in illo cui loquitur, sicut, cum Deus loquitur angelo, aliquid influit et angelus aliquid recipit: unde angelus vel anima non proprie dicitur loqui Deo, quia Deus ab eo nihil recipit; sed inferior angelus non influit super superiorem nec malus super bonum; ergo non loquuntur [r] inferiores superioribus nec mali bonis.

3. Item, agens nobilior est patiente [4], in quantum huiusmodi; sed loquens, in quantum huiusmodi, est agens; ergo nobilior est eo cui loquitur; sed inferior non est nobilior superiore nec malus bono; ergo etc.

Contra: *a.* Damascenus [5]: « Angeli tradunt sibi invicem consilia sua et intelligentias suas ». Item, Haymo [6]: « Angeli inter se loquuntur, sed eorum locutio est eorum inter se concordatio, nec necesse est ut sonent verba illa, ubi in contemplatione Dei concors [s] est voluntas bona ». Ex hoc [t] quod Damascenus dicit « invicem » et Haymo dicit « inter se » patet quod invicem est locutio.

b. Item, hoc patet per rationem: Creatura intellectualis de natura sua habet potentiam manifestandi quod apud se habet; ergo ubicumque haec natura est, est haec potentia manifestandi.

c. Item, nonne Satan legitur [u] loqui, Iob 1,9?

d. Item, angelus superior est homine secundum naturam; sed quilibet homo habet huiusmodi potentiam; ergo et [v] angelus quilibet.

[Solutio]: 1-2. Duplex est locutio angelorum: una, quae sequitur eorum naturam, et haec est in omnibus respectu omnium; alia, quae sequitur gratiam: et sicut superior praeeminet inferiori in gratia, secundum quod huiusmodi, quantum est [x] ex conditione gratiae et non e converso, ita superior isto modo dicitur loqui inferiori et non e converso. Unde quicumque isto modo loquitur alii, quoad hoc superior est. Inferior autem non dicitur proprie loqui isto modo, sed magis proprie diceretur referre aliquid superiori, quia quasi excitat eum ad aliquid agendum. Superiores

---

[a] R om. [b] V add. *quod*. [c] S om. [d] VLC *vicium*. [e] LZ om. [f] V *alii*. [g] C om. [h] VLCZ *iste*. [i] Ita ST, alii *est*. [k] ST add. *similiter*. [l] Ita S, alii *ut*. [m] ST add. *et e converso*. [n] V om., STLC om. *a. q. s.* [o] C om. *s. l. h.* [p] Ita C, VST *quia*; V *significavit* pro *significant*. [q] V *voluntate*. [r] C om. [s] RLCZ *consors*. [t] R add. *ergo*. [u] T om. [v] T om. [x] T om.

1 *De cael. hier.*, c. 3, § 2 (PG 3, 165, PL 122, 1045).
2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1658).
3 *Moral.*, XXVIII, c. 11 n. 3 (PL 76, 448), ad sensum.
4 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 5 (III, 468).
5 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).
6 *In I Cor.*, c. 13, 1 (PL 117, 581).

autem influunt inferioribus, secundum quod ipsi receperunt[a] a Primo, et haec locutio sequitur illuminationem gratuitam.

3. Ad illud quod obicitur[b] quod 'agens nobilius'[c] etc., potest dici quod hoc intelligitur de agentibus ubi non est reciprocatio; loqui vero secundum naturam est agere reciprocum: iste enim loquitur illi et[d] e converso.

a-d. Rationes ad oppositum probantes quod 'loqui' omnium est, concedimus secundum quod procedunt de locutione quae est a potentia naturali, non ab illuminatione gratuita.

CAPUT VI. 149

UTRUM LOCUTIO ANGELI FIAT PER MEDIUM ET PER QUOD MEDIUM[1].

Consequenter quaeritur an locutio angeli fiat per medium. Sic enim est[e] quod locutio hominis fit per medium, scilicet per aliquod signum: vel per signum audibile, ut per vocem, vel per signum visibile, ut per nutum, secundum illud[2]: « Nutu signisque loquuntur ». Quaeritur ergo utrum in locutione angelica requiratur aliquod medium, ut aliquis nutus spiritualis.

Videtur quod sic 1. per illud I Cor. 13, 10, super illud[f]: *Si linguis* etc., Glossa[g 3]: « Quibus angeli[h] praepositi significant minoribus quod de voluntate Primi sentiunt, quod fit aliquibus nutibus aut signis ». Tunc quaeritur de illis[i] nutibus: aut enim cognoscuntur ab angelo cui alius loquitur aut non. Si non, ergo per illos non venit in[k] cognitionem alterius, cum scilicet nescit[l] illum nutum signum esse. Si vero dicatur quod cognoscit illos, quaeritur: aut angelus iste, cui loquitur, cognoscit istos[m] nutus per se aut per aliud. Quaeritur similiter de illo alio et sic in infinitum. Oportet ergo dicere quod cognoscit istos per se. Tunc[n] quaeritur ulterius: aut ita cognoscit istos[o] per se quod[p] intellectus eius adhaereat[q] eis per se, id est de natura sua, aut hoc fit[r] voluntate angelorum, scilicet ad significandum illa quae intendunt manifestare; sed non videtur quod impositio aliqua fiat ibi ad significandum; ergo intellectus angeli adhaeret illis nutibus per se de natura sua; sed similiter videtur adhaerere per se speciebus quarum sunt illi nutus; ergo per nutus non devenit ipse in cognitionem illarum specierum.

2. Item, sit A species intelligibilis quam debet notificare unus angelus alii, B sit nutus per quem dicis ea notificari; tunc obicitur: angelus cognoscit A per B; ergo cognoscit B esse signum; ergo iam cognoscebat illud cuius est[s] signum: aliter enim non cognosceret quod signum esset; ergo non primo cognovit A per B.

3. Item, si illi nutus sunt distincti ab illis speciebus, constat quod illi nutus habent suas species per quas discernuntur, sicut aliae res habent: non enim veniunt ipsi nutus in intellectum cognoscentis per sui essentiam, sed per sui speciem, ut videtur; illa ergo species est principium[t] cognoscendi nutum illum cuius est species; ergo nutus est principale cognoscibile; ergo non est medium cognoscendi.

4. Item, Augustinus, XV *De Trinitate*[4]: « Verbum, quod foris[u] sonat, est signum[v] quod intus lucet, cui magis competit nomen verbi: nam illud, quod profertur ore, vox verbi est ». Ex hoc videtur quod propriissime sit locutio ista quae abstrahit a nutibus et idiomatibus. Et ponit Augustinus[5] exemplum de Verbo divino, quod per se indicat dicentem sine signo, similiter facit verbum interius suo modo; sed verbum illud interius non est nutus neque per nutum fit, quia nutus respicit visum sicut vox auditum vel quasi auditum; ergo sine nutu propriissime dicemus locutionem esse in angelis.

5. Item, lux corporalis habet virtutem manifestandi et[x] se et alia[6]: unde non requiritur aliud a se; ergo similiter nec lux intellectualis; ergo non requiritur aliquis nutus, qui sit ibi ex[y] natura vel ex voluntaria impositione.

6. Item, videmus duo corpora luminosa potentia recipere se invicem: unde si sibi obiciuntur, unum recipit ab alio sine medio, sicut patet in duobus speculis; ergo similiter videtur in[z] luce spirituali quod duo angeli, ratione lucis quam habent, videant sine medio nec requiritur nutus tamquam medium.

---

[a] Z *acceperunt.* [b] Ita V, alii *obicit.* [c] V add. *est.* [d] S om. [e] V om. [f] V om. *s. l.* [g] V add. *super illud.* [h] V *angelici.* [i] T om. [k] V om. [l] V *non scit.* [m] V om. *quaeritur... istos.* [n] V om. [o] V *eos.* [p] V *quo.* [q] VST *adheret;* C om. *per se.* [r] C add. *de.* [s] LCZ *esse* pro *c. e.,* quod VST om. [t] C *principia.* [u] Codd. *intus.* [v] Codd. *principium;* V om. *sonat... intus;* L *in cuius* pro *intus.* [x] C om. [y] T *a.* [z] L *cum.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 9, dub. 1 (I, 189); II *Sent.*, d. 10, a. 3, q. 1, *ad 5* (II, 270).
2 Cf. nota sequens. 3 Lombard., in h. l. (PL 191, 1658).
4 Cap. 11, n. 20 (PL 42, 1071).
5 Loc. cit. (PL 42, 1072).
6 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 141, *ad 5.*

[Solutio]: Revera nutus, si proprie accipiatur, refertur proprie [a] ad vim sensibilem. Unde Augustinus, XV *De Trinitate* [1]: « Innuere [b] quid aliud est quam visibiliter dicere? » Unde, cum in angelis non [c] sit vis sensibilis, nec proprie est ibi nutus. Concedimus tamen quod ibi est nutus spiritualis, secundum quod dicit Glossa super I Cor. 13, 10 [2]. Ad videndum autem qualiter hoc sit, notandum quod in angelo, quem loqui dicimus, primo est species intelligibilis in eius intellectu, secundum quod eam cognoscit; secundo, in eius affectu, secundum quod circa eam afficitur; tertio, eadem species, scilicet [d] illud quod sic conceptum est et circa quod [e] sic afficitur, movet vel inclinat ipsum angelum ad hoc ut eam [f] alii manifestet. Unde tunc angelus habet manifestandi eam voluntatem, et ipsa species, prout sic est sub voluntate manifestandi, dicitur verbum. Unde primo est in ratione conceptus, secundo in ratione affectus [g], tertio in ratione verbi; differt tamen secundum rationem. Et hoc est quod dicit Damascenus, in auctoritate supra posita [3]: « Verbum nostrum de intellectu procedens non per omnia idem est cum intellectu nec omnifariam [h] aliud ». Item [i], ista species, prout est sub voluntate manifestandi, dicitur verbum, prout vero est in actu manifestandi, dicitur nutus, ut intelligamus ibi verbum habere similitudinem nostri verbi interioris, nutum autem similitudinem nostri verbi exterioris sive vocis, quia sicut vox nostra est vehiculum verbi interioris ad alium, ita ibi nutus quasi vehit ad alium suo modo ipsum verbum exterius, id est ipsa species prout est sub actu manifestandi, et sic quasi exterius suo modo vehit se ipsam prout erat interius sub voluntate manifestandi. Unde non differt ibi verbum et nutus nisi secundum rationem alteram et alteram [k].

[Ad obiecta]: 1-4. Per hoc [l] patet solutio ad obiecta. Quatuor enim obiectiones, quae fiebant primo de illis nutibus, procedunt ac si esset ibi aliud in essentia verbum et nutus, sicut in nobis est: non [m] sic autem est. Iuxta hoc nota quod in nobis differt [n] vox et nutus, quia vox est vehiculum verbi nostri interioris ad auditum alterius, nutus vero est vehiculum verbi interioris ad visum; conveniunt autem in hoc quod utrumque est vehiculum verbi.

5-6. Ad alia duo ultima respondemus [o] concedentes quod lux corporalis habet vim declarandi se [p] seu manifestandi et multiplicandi; similiter lux spiritualis habet vim manifestandi se, si adest voluntas; alioquin, si absit voluntas, non se manifestat, et in hoc differt a corporali: unde non est omnino simile.

150

CAPUT VII.

UTRUM NECESSARIO SIT AUDITIO EXISTENTE LOCUTIONE.

Deinde quaeritur **I.** utrum angelus loquens imprimat in audiente, velit, nolit, aut requiritur consensus eius qui debet audire, sicut in nobis — in nobis enim exigitur voluntas loquentis ad hoc ut manifestet, exigitur etiam voluntas recipientis ad [q] hoc ut audiat vel convertat se ad illud — an ipse audiat, velit, nolit, et hoc ex parte loquentis convertentis audientem ad sermonis attentionem.

Respondeo: Secus est in locutione quae est [r] per gratiam et in [s] illa quae est per naturam, quia in locutione, quae est per gratiam, loquens habet potentiam manifestandi quod vult et etiam convertendi alium, cui loquitur, ad [t] attentionem; sed in locutione, quae est per naturam, non habet loquens talem potestatem, immo in voluntate audientis est quod se convertat vel non: unde requiritur voluntas eius ad hoc ut habeat effectum locutio.

II. Deinde quaeritur utrum in locutione angeli requiritur propinquitas localis inter loquentem et audientem vel distantia aliqua proportionalis, sicut videmus in locutione nostra [4].

Ad quod dicendum quod distantia vel propinquitas localis nihil facit ibi, immo quantumcumque distent, potest loqui unus alii, nisi ubi actus spiritualis commetitur se corpori; exigitur tamen propinquitas vel distantia spiritualis quae nos [u] latet adhuc. Dicitur autem actus eius commetiri se corpori, quando assumit corpus; unde quando loquitur animabus, ad quas mittitur, quae in corpore sunt, exigitur propinquitas aliqua; sed, cum unus angelus loquitur alii, nihil videtur facere ibi localis propinquitas.

---

[a] R om. [b] V om. [c] S om. [d] Ita V, alii om. [e] Ita V, alii *eam*. [f] L *ea*. [g] V *effectus*. [h] L *omnium faciam*. [i] T om. [k] L om. *e. a.* [l] R *hec*. [m] LCZ *nec*. [n] S *differat*. [o] L *respondentes*. [p] R om.; C om. *seu*. [q] LZ *aut*. [r] V om. [s] V om. [t] L om. [u] V *nox*.

[1] Cap. 10, n. 19 (PL 42, 1071).
[2] Cf. supra, p. 197, n. 3.
[3] Cf. supra, p. 195, nota 10.
[4] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 3, q. 1 (II, 269).

QUAESTIO II.

DE POTENTIA MOTIVA ANGELI.

TITULUS I.

DE POTENTIA MOTIVA INTERIORI ANGELI ET EIUS ACTU.

Completo Tractatu de potentia cognitiva in angelis cum suo actu et indicio sui, consequenter est [a] consideratio de motiva et suo actu.

Et primo, de motiva interiori cum suo actu;

secundo, de motiva exteriori cum suo actu.

Motiva enim interior plures habet differentias: est enim motiva per naturam et est motiva per electionem.

Motiva vero per naturam aut ex parte rationis aut ex parte voluntatis: motiva secundum naturam ex parte rationis synderesis, ex parte voluntatis voluntas naturalis; motiva vero secundum electionem liberum arbitrium cum iis quae pertinent ad illud, de quibus infra [1] dicetur.

DISTINCTIO I.

DE DIFFERENTIIS MOTIVAE INTERIORIS ANGELI.

MEMBRUM I.

De motiva secundum naturam.

Enumeratis ergo differentiis ex parte motivae interioris, primo dicendum est de synderesi, quae est « naturale iudicatorium [b] », sicut dicit Basilius [2], et est « scintilla conscientiae », sicut dicit Gregorius [3]. Et quaeritur utrum synderesis sit in angelis.

CAPUT I. 151

UTRUM SYNDERESIS SIT IN ANGELIS.

Quod videtur: *a.* Quia synderesis est scintilla conscientiae [4], quae remurmurat malo, et dictando naturaliter inclinatur in bonum; sed hae duae differentiae conveniunt naturae angelicae: est enim natura angelica inclinativa ad bonum naturaliter et fugitiva mali naturaliter.

b. Praeterea, in daemonibus est poena exterior, scilicet *ignis*, qui *non extinguetur* [5]; ergo multo fortius poena interior, scilicet *vermis* conscientiae, *qui non morietur* [6]; sed non potest esse vermis nisi fuerit conscientia in natura angelica; ergo conscientia inerit angelo; ergo et scintilla conscientiae [c], scilicet synderesis.

c. Praeterea, synderesis est naturale iudicatorium [d]; naturale autem iudicatorium boni et mali non deest angelis; ergo synderesis non deest angelis [e].

---

[a] RLCZ *erit.* [b] T *indicatorium*, quod RC corr. [c] S *conscientia.* [d] L *dicatorium*, R add. *boni et mali.* [e] V om. *e. s. n. d. a.*, in R est add. mg.

1 Cf. infra, num. 153-159.
2 Cf. *Super princip. Proverb.*, n. 9 (PG 31, 406).
3 Potius Hieronym., *In Ezech.*, I, c. 1 (PL 25, 22). Cf. Greg., *In Ezech.*, I, hom. 3, n. 5 (PL 76, 807).
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, a. 1, q. 1 (II, 898sqq.); d. 39, a. 2, q. 1, *ad 3* (II, 910).
5 Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 50, p. 2, q. 2 (IV, 1051sqq.).
6 Isai. 64, 24; cf. Marc. 9, 43.

Contra: 1. Nulla vis otiosa debet esse in subiecto in quo est, quin aliquando eliciat actum [1]; sed remurmurare malo est actus unus synderesis et est ad revocandum a peccato; sed in angelo non est revocatio a peccato, quia in bono angelo non est illud, cum semper sit in bono, et nunquam ceciderit in illud, in malo autem angelo non est, quia nunquam revocatur a peccato, cum peccatum eius sit irremissibile; ergo iste actus non potest inesse; ergo vis, a qua egreditur talis actus, esset otiosa; sed illa est synderesis; ergo non habet synderesim.

2. Praeterea, synderesis est « scintilla conscientiae », et, sicut dicit Gregorius [2], significatur per faciem [a] aquilae, quae erat eminentior inter facies animalium; sed hae facies animalium non conveniunt angelo, sed homini: non enim est distinctio virium sive potentiarum in angelo, quibus aptentur facies animalium; ergo synderesis non convenit angelo, sed homini.

3. Item, synderesis est [b] scintilla conscientiae et est adiutorium [c] quoddam ad resurgendum a peccato; sed angelus non resurgit a peccato [d]; ergo non habet synderesim.

4. Praeterea, synderesis est scintilla conscientiae; si ergo conscientia removetur ab angelo, ergo synderesis. — Quod autem conscientia removeatur, videtur per hoc quod eius differentiae removentur; sed eius differentiae sunt conscientia recta et erronea, illaesa et cauteriata, tranquilla et perturbata; hae [e] autem non conveniunt angelis; quare nec synderesis.

[Solutio]: Ad quod dicendum [f] quod, licet synderesis sub ratione quadam non inveniatur in angelis, scilicet [g] prout synderesis et proaeresis sunt unius coordinationis, nihilominus naturale iudicatorium inest [h] angelo.

[Ad obiecta]: 1. Ad id quod obicitur, dicendum [i] quod non est haec vis otiosa. Licet enim non habeat omnem actum in angelo, quem habere potest vel habet in homine [k], non propter hoc est otiosa. Unde, licet remurmurare malo iam existenti, ut poeniteat, non insit angelo, nihilominus angelus habuit ante lapsum naturale iudicatorium boni et mali ne caderet [l], sed non adhaesit illi malus angelus, sed suae libertati, id est flexibilitati in malum. Hoc autem naturale iudicatorium, licet non habeat effectum [m] in daemonibus qui ceciderunt, ut resurgant, habet tamen effectum, quia cedit eis in poenam.

2. Ad secundo obiectum dicendum quod, licet synderesis, ut tenet rationem faciei [n] aquilae, non sit [o] in angelo, nihilominus tamen vis naturalis iudicatorii inest illi.

3. Ad tertium dicendum quod, licet non habeat hanc vim ut adiutorium ad resurgendum a peccato vel ad poenitendum, habet tamen eam angelus bonus [p] ut dirigentem intra ad bonum, malus vero habet eam ut affligentem, eo quod non stetit in bono, cum stare potuit.

4. Ad quartum dicendum quod, licet differentiae conscientiae non conveniant angelo secundum omnem modum, nihilominus tamen naturale iudicatorium est in eo, sed extinctum est ad bonum in malis angelis multo magis quam in animabus damnatis vel aeque.

152

CAPUT II.

UTRUM VOLUNTAS NATURALIS SIT VEL FUERIT IN ANGELIS [3].

Deinde procedendum est ad voluntatem naturalem, de qua quaeritur utrum sit in angelis vel fuerit.

Quod videtur: *a.* Omnia enim naturaliter optant bonum, et rationalia et irrationalia [4]; multo ergo fortius angeli optant [q] naturaliter bonum; sed ista optatio non est nisi secundum voluntatem naturalem; ergo voluntas naturalis infuit eis et inest.

b. Praeterea, Damascenus [5]: « Voluntas est appetitus rationalis et vitalis, ex solis dependens naturalibus »; sed haec voluntas inest angelis, secundum quod 'rationale' communiter accipitur; ergo voluntas naturalis inest vel infuit angelis.

c. Item, Anselmus [6]: « Angelis [r] insertus erat naturaliter appetitus beatitudinis »; sed iste [s] appetitus erat voluntas naturalis; ergo voluntas naturalis inest vel infuit ipsis.

---

[a] V *facilem.* [b] T om. [c] Ita V, alii *iudicatorium.* [d] V om. *sed... peccato.* [e] LZ *hec.* [f] Ita V, alii add. *est.* [g] V *sed.* [h] R *est in.* [i] Ita V, alii add. *est.* [k] LZ add. *et.* [l] V om. *n. c.* [m] V *affectum.* [n] V om. [o] LZ *sic.* [p] L om.; V *iter* pro *intra.* [q] Ita V, alii *optaverunt.* [r] V om. *I. A. A.* [s] V om.

1 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 9 (III, 471).
2 Rectius Hieronym., loc. cit.
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 3, q. 1 (II, 124 sqq.).
4 Cf. Boeth., *De consol. philos.*, III, pr. 11 (PL 63, 774).
5 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 943).
6 Cf. *De casu diaboli*, c. 13 (PL 158, 344).

d. Item, Dionysius, in libro *De divinis nominibus*[1]: « Quod sunt et quod vivunt et intelligunt, est in ipsis quidam desiderii motus ».

e. Item[2]: « Quod [a] sunt, ex bono sunt et boni, et bonum et pulcrum desiderant, esse et vivere et intelligere existentium desiderantes ».

Contra: 1. Voluntate naturali diligitur Deus; sed ista naturalis voluntas, si exit in actum, exit in bonis angelis aut malis. In bonis non videtur, quia veniente perfectione evacuatur quod est imperfectum, sicut dicit Apostolus[3]; sed motus naturae imperfectus est respectu motus gratuiti; ergo adveniente [b] perfectione motus gratuiti evacuatur motus naturalis; sed perfectio motus naturalis est gloria; ergo, cum angeli boni sint in gloria, non moventur motu naturali, sed motu gratuito in Deum: motus enim [c] naturalis est quando [d] diligitur Deus a creatura propter ipsam creaturam. In angelis autem malis non est iste motus, quia habent odio Deum; unde Augustinus[4]: « Quod dixi 'nullius conscientia potest Deum odisse', non videtur fuisse dicendum; multi enim sunt de quibus scriptum [e] est[5]: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper* ». Sed quid est [f] aliud conscientia nisi voluntas prout hic sumitur? Ergo voluntas in daemonibus habet odio Deum; ergo in illis non exit haec potentia in actum dilectionis naturalis; ergo haec potentia est otiosa; non ergo est voluntas naturalis in angelis.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod est [g] voluntas naturalis in angelis et fuit, sicut dicit Dionysius et alii Sancti.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur in contrarium, dicendum [h] quod est voluntas naturalis in bonis. Nec est contrarium quod evacuata est in eis imperfectio: imperfectio enim illa est ex parte naturae, quia natura, quae prius diligebat Deum reflectendo in se, per gratiam et gloriam elevatur super se et diligit ipsum super omnia propter se. De hoc autem [i] plenius infra requiretur, ubi agetur de dilectione naturali in angelis[6]. — Ad id vero quod obicitur de malis angelis, dicendum quod in eis est voluntas naturalis; et licet odio habeant Deum, non tamen naturali voluntate, sed electiva corrupta. Conscientia autem non accipitur ibi pro voluntate naturali, cum dicitur « nullius conscientia Deum odisse potest », sed pro ratione vel intellectu corrupto per pravam electionem.

MEMBRUM II.

De motiva secundum electionem.

CAPUT I.

DE LIBERO ARBITRIO IN SE.

Deinde procedendum est ad liberum arbitrium. De quo primo est quaestio ratione liberi arbitrii in se;

deinde gratia rationis;

tertio, gratia voluntatis.

Unde primo est quaestio de libero arbitrio ut est facultas.

Circa quod [k] primo est quaestio [l] utrum liberum arbitrium sit in angelo;

secundo, quid sit;

tertio, utrum aeque sit [m] in angelo et in homine vel non similiter in Deo et [n] in angelo;

quarto, utrum similis vertibilitas fuerit vel sit in angelo et in homine;

quinto, si libertas arbitrii sit in angelo per voluntatem;

sexto, utrum vertibilitas liberi arbitrii in homine et in angelo, prout est boni et mali, sit ex eodem principio vel ex [o] differentibus;

septimo, utrum versio liberi arbitrii in bonis angelis fuerit [p] in primo instanti, in quo data fuit vertibilitas ipsi angelo [q].

---

[a] V *quia.* [b] Z *perveniente,* quod L corr. [c] V om. [d] V *quomodo.* [e] C *dictum.* [f] V om. [g] T om. [h] Z add. *est.* [i] ZST *tamen,* C *hac* pro *hoc* et om. *infra.* [k] Ita ST, alii add. *queritur.* [l] R om. *e. q.* [m] T add. *et.* [n] R add. *etiam*; T om. *vel non... angelo.* [o] R om., in L est add. interl. [p] VST *sit.* [q] C om. *in quo... angelo.*

1 Cap. 4, § 23 (PG 3, 726, PL 122, 1142).
2 Pseudo-Dionys., loc. cit.
3 I Cor. 13, 10.
4 *Retract.*, I, c. 19, n. 8 (PL 32, 617).
5 Psalm. 73, 23.
6 Cf. infra, p. 214 sqq..

153 ARTICULUS I.

Utrum liberum arbitrium sit in angelo [1].

Quod non sit liberum arbitrium in angelis, sic obicitur 1. per rationem liberi arbitrii quam ponit Augustinus [2]: « Liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis, qua bonum eligitur gratia assistente et malum gratia desistente »; sed nec in bonis angelis nec in malis est liberum arbitrium secundum hanc rationem: in bonis enim non est quantum ad illam partem qua malum eligitur gratia desistente, in malis vero non est quantum ad illam partem qua bonum [a] eligitur gratia assistente; ergo nec convenit bonis nec malis; ergo liberum arbitrium non est in angelis.

2. Item, quod naturale est in aliquo, ipso manente, non potest tolli [3]; sed liberum arbitrium, prout importat flexibilitatem ad bonum et malum, potuit tolli et a bonis et a [b] malis: nunc enim neutri parti convenit; ergo liberum arbitrium non est naturale angelis; sed si esset [c] in eis, esset naturale; ergo non est in eis.

3. Item, non posse peccare convenit divinae essentiae, et potest participari a creatura intellectuali; sed nulli [d] potius convenit communicare quam creaturae [e] nobiliori in natura, et haec est angelus; ergo communicabit angelo; sed liberum arbitrium, prout est flexibile ad bonum et malum, opponitur illi; ergo non erit liberum arbitrium in angelis.

Contra: *a.* Damascenus [4]: « Omne quod creatum est, vertibile est vel secundum esse vel secundum electionem »; sed angelus non est vertibilis secundum esse, cum sit immortalis; ergo vertibilis est secundum electionem; vertibilitas autem secundum electionem [f] pertinet ad liberum arbitrium; ergo liberum arbitrium est in angelis.

b. Item, penes liberum arbitrium est meritum vel demeritum; sed meritum vel demeritum est in angelis; ergo liberum arbitrium est in angelis.

c. Item, Augustinus, *De fide ad Petrum* [5]: « Ut dilectio haberet iustam et congruam laudem voluntatis, tribuit angelis libertatem, ut esset [g] eis possibile, sive ad eum, qui supra eos est, intentionem sanctae dilectionis erigere, sive ad se vel [h] ad ea quae infra eos sunt pravae [i] cupiditatis pondere semetipsos declinare ». Ex quo accipitur quod liberum arbitrium est in angelis.

d. Item, Damascenus [6], describens angelum, dicit: « Est [k] natura intellectualis, arbitrio libera, vertibilis secundum voluntatem: omne enim creabile est vertibile et omne rationale est arbitrio liberum ».

e. Item, Augustinus, *De correptione et gratia* [7]: « Scivit Deus magis ad suam omnipotentissimam [l] bonitatem pertinere et de malis bene facere quam mala esse non sinere; et sic ordinavit angelorum et hominum vitam, ut in ea prius [m] ostenderet quid possit liberum arbitrium et deinde quid posset gratiae beneficium ». Ex iis ergo colligitur quod liberum arbitrium est in angelis.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod liberum arbitrium naturaliter [n] est in angelis.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum in contrarium dicendum [o] quod illa definitio supra dicta liberi arbitrii proprie est liberi arbitrii [p] prout est in homine, in quo remanet electio boni per gratiam et mali per se. Si vero sumatur communiter ad liberum arbitrium in angelo, secundum hoc conveniet [q] angelo ratione primarii status: tunc enim potuit eligi bonum gratia assistente et malum gratia desistente. Hoc autem sciendum quod [r] liberum arbitrium potest dici liberum a coactione vel potest dici liberum a miseria. Secundum primum modum dicitur esse liberum arbitrium in angelis tam bonis quam malis in primo statu et consequenti; secundum vero modum secundum non dicitur communiter in bonis et [s] malis, sed in bonis tantum.

2. Ad secundum [t] obiectum dicendum [u] quod liberum arbitrium a coactione commune est et naturale [v] ipsis angelis, et hoc modo non tollitur ab eis; sed [x] prout liberum arbitrium dicit flexibilitatem in affectu [y] de bono in malum vel

---

[a] VST *bonis.* [b] L om. [c] S *esse,* L om. *eis.* [d] S om. [e] T om. *q. c.* [f] V om. *v. a. s. e.* [g] VST add. *in.* [h] RLCZ *sive.* [i] C om. [k] V *angelus.* [l] R *omnipotentem.* [m] L *plus.* [n] S om.; Z om. *Ad quod... angelis.* [o] Ita V, alii add. *est.* [p] VS om. *p. e. l. a.,* R om. *l. a.* [q] VS *conveniret.* [r] T *est.* [s] VZ add. *in.* [t] STLCZ *secundo.* [u] Ita V, alii add. *est.* [v] R add. *est.* [x] C om. [y] RLCZ *effectu.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 7, a. 2, qq. 1-3 et d. 25, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 183 sqq., 592).

[2] Cf. *Enchir.*, c. 105, n. 28 et c. 107, n. 28 (PL 40, 281 sq.); *De corrept. et gratia*, c. 11, n. 32 (PL 44, 935 sq.).

[3] Cf. Aristot., *Eth. ad Nicom.*, II, c. 1 et *Metaph.*, VIII, c. 5 (II, 14, 567).

[4] Cf. *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 795).

[5] S. Fulgentius, c. 3, n. 31 (inter opp. Augustini PL 40, 763).

[6] *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867); cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, II, num. 107.

[7] Cap. 10, n. 27 (PL 44, 932).

e converso, non est commune; sed prout dicit flexibilitatem in bonum et malum naturaliter, sic est commune. Et hoc est quod dicit Damascenus[1]: « Ut creabilis vero vertibilis est, habens facultatem manendi et proficiendi in bono ».

3. Ad tertium[a] dicendum quod 'non posse peccare' non est de natura creaturae intellectualis, sed quod participatur a creatura, hoc est ex gratia. Non negatur[b] ergo quin communicet Deus creaturae hanc libertatem, sed haec libertas non est creaturae intellectualis in quantum est ex nihilo. Nec in hoc liberum arbitrium, in quantum est in angelo, similitudinem dicitur habere liberi arbitrii divini, sed in hoc quod non cogitur ad bonum. Unde Anselmus[2]: « Sic liberum[c] erat, ut nulla alia re cogi posset ad recte agendum vel ad peccandum, et ideo iuste[d] reprehenditur, cum peccat, quia, cum hanc haberet arbitrii sui[e] libertatem, non aliqua re cogente, non aliqua necessitate, sed sponte peccavit ».

ARTICULUS II. 154

Quid sit liberum arbitrium in angelo.

Consequenter quaeritur quid sit liberum arbitrium secundum quod convenit angelo.

1. Et ponitur in libro *Sententiarum*[3] talis definitio: « Liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis »; sed ratio non convenit angelo: in hoc enim distinguitur homo ab angelo, unde et eius differentia est 'rationale'; ergo liberum arbitrium, prout sic definitur, non est in angelo.

2. Eodem modo potest obici secundum hoc quod dicit Bernardus, in libro *De*[f] *libero arbitrio*[4]: « Liberum arbitrium dicitur liber sui propter voluntatem, iudex sui propter rationem ». Si ergo istae duae differentiae non conveniunt angelo, non erit haec ratio liberi arbitrii prout est in angelo.

3. Item, Bernardus[5]: « Voluntas habet, quocumque se verterit, rationem semper comitem et[g] quasi pedissequam, non quod semper ex ratione, sed nunquam absque ratione moveatur, ita ut multa faciat[h] per ipsam contra ipsam »; sed hoc non convenit angelo, quia in angelo non sunt contrarii appetitus; ergo illa ratio, quam ponit B.[i] Bernardus, non erit definitio liberi arbitrii prout convenit[k] angelo.

4. Item, Anselmus[6] ponit talem rationem: « Liberum arbitrium est potestas servandi rectitudinem propter ipsam rectitudinem ». Haec iterum definitio liberi arbitrii non convenit libero arbitrio prout est in angelis: conveniret enim bonis et[l] malis; sed mali non habent hanc rectitudinem; sed illud, quod non habetur, non potest conservari; ergo potestas conservandi rectitudinem non est in angelo; ergo non est haec definitio liberi arbitrii in angelo[m].

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod prima definitio proprie videtur convenire libero arbitrio prout est in homine; nihilominus tamen, si nomen 'rationis' extenderetur[n] ad intellectum qui est in angelis, posset convenire. — Quod autem extendatur nomen rationis ad intellectum angelicum, patet per hoc quod dicit Ioannes Damascenus[7]: « Oportet scire quod angeli, rationales entes, arbitrio liberi sunt et ut creabiles et vertibiles ». Et iterum[8]: « Aut non erit[o] rationale aut rationale ens dominus actuum erit et liberi arbitrii; unde irrationalia non sunt libera arbitrio: aguntur[p] enim a natura magis quam agunt[q] ». Ex quo accipitur quod 'ratio' sive 'rationale' commune est homini et angelo in Sacra Scriptura.

2-3. Per hoc potest patere qualiter respondendum est ad hoc quod dicit Bernardus in utraque auctoritate: accipitur enim ibi[r] 'ratio' communiter, prout in angelo et homine. Unde post, in eodem libro[9], ostendit illam definitionem angelo convenire, quae est: « Liberum arbitrium est voluntarius consensus »; et[s] iterum[10]: « Deus est auctor salutis, liberum arbitrium est capax ». Unde si angelus est capax salutis, habet liberum arbitrium[t] secundum praedictam rationem; unde subiungit Bernardus[11]: « Libertas a necessitate in angelo est[u] et in homine ». — Ad hoc vero

---

[a] Ita V, alii add. *vero*. [b] V *negetur*. [c] V add. *arbitrium*. [d] T *iste*. [e] V om. [f] T om. *l. d.* [g] T om. [h] V *faciant*, quod R corr. [i] C om. [k] LCZ add. *in*. [l] V om. [m] Ita V, alii *angelis*. [n] C *extendatur*. [o] VST *est*. [p] V *arguitur*. [q] V *agat*. [r] V om. [s] C om. [t] V om. [u] V om.

1 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867).
2 *De lib. arb.*, c. 2 (PL 158, 492).
3 Lombard., II *Sent.*, d. 24, c. 3 (p. 421); cf. supra, p. 202, nota 2.
4 *De grat. et lib. arbit.*, c. 2, n. 4 (PL 182, 1004).
5 Loc. cit., n. 3 (PL 182, 1003).
6 *De lib. arbit.*, c. 13 (PL 158, 305).
7 *De fide orthod.*, II, c. 27 (PG 94, 962).
8 Loc. cit., ubi igitur de homine, non de angelo.
9 *De grat. et lib. arbit.*, c. 4. n. 9 (PL 182, 1006).
10 Loc. cit., c. 1, n. 2 (PL 182, 1002).
11 Loc. cit., c. 4, n. 9 (PL 182, 1006).

quod obicitur quod 'in angelo non facit liberum arbitrium multa per rationem contra rationem, quia non sunt contrarii appetitus simul in angelo': dicendum quod, sumpta 'ratione' large, hoc accidit in daemonibus: daemones enim multa faciunt per rationem, id est[a] intellectum, contra rationem rectam, et sunt ibi quoad hoc contrarii appetitus, prout appetitus naturae contrariatur appetitui peccati; sed non sunt ibi contrarii appetitus, bonus scilicet et malus, secundum idem genus, vel ut unus sit secundum phantasiam, alius secundum intellectum, sicut contingit in homine, in quo est duplex motivum, de quo infra [1] dicetur.

4. Ad id quod obicitur de definitione Anselmi, dicendum[b] quod illa definitio convenit, sicut ipse dicit, libero arbitrio prout[c] est in angelis: est enim ibi «potestas servandi rectitudinem» etc. — Ad id[d] quod obicitur quod 'illa ratio non convenit daemonibus': dicendum[e] quod est quaedam potestas quae est[f] ex parte eius qui potest servare, alia vero ex parte rei servandae, sicut potestas videndi dicitur, cum res visibilis praesens est, dicitur etiam potestas videndi, cum non est praesens. Si ergo fiat sermo de potestate naturali ex parte rationis, est potestas servandi in[g] daemonibus, etsi non servetur[h] rectitudo; non tamen est potentia ordinata ad servandum ratione impossibilitatis ex parte rei servandae. Unde si aliquid esset invisibile[i] ab oculo, etsi[k] esset integritas visus, diceretur quod non est potestas[l] videndi rem illam. Uno ergo modo dicitur potestas in daemonibus, alio modo non.

155

ARTICULUS III.

Utrum liberum arbitrium aeque sit in angelo et in homine [2].

Tertio quaeritur utrum liberum arbitrium aeque sit in angelo et in homine[m].

Quod autem sit aeque[n] **in utroque, sic ostenditur**: *a.* Libertas in intellectuali creatura attenditur ex[o] eo quod est intellectuale, ex nihilo et a Deo; sed esse rem intellectualem, ex nihilo et a Deo aeque principaliter inest animae humanae[p] et angelo, quia neutri inest per alterum, sed immediate[q] utrique; ergo et ratio libertatis aeque inest homini et angelo.

b. Item, ratio libertatis sumitur penes rationem imaginis, ut dicit Bernardus [3], distinguens inter libertatem consilii et complaciti et libertatem arbitrii. Dicit enim quod libertas consilii et libertas[r] complaciti attenditur penes rationem similitudinis Dei, libertas vero arbitrii penes rationem imaginis. Cum ergo tam angelus quam anima aeque gerant Dei imaginem, quia[s] scilicet neutrum mediante altero, ergo aequaliter habent libertatem.

c. Item, libertas fundatur in voluntate intellectualis naturae; sed habere voluntatem vel esse voluntariam naturam et non cogibilem aeque convenit angelo et animae; ergo similiter libertas. Loquitur autem hic de libertate a coactione.

Contra: 1. Videtur quod maior sit libertas in angelo, quia essentiam sequitur potentia[t] [4] et nobiliorem essentiam nobilior potentia et minus nobilem essentiam minus nobilis potentia; ergo, cum angelus nobilioris sit essentiae quam anima, nobiliorem habet potentiam quam anima[u]; sed potentiam sequitur libertas; ergo nobilior est libertas in angelo quam in homine.

2. Item, sicut dicitur II *Sententiarum*, dist. 3 [5], quatuor sunt attributa angelo, scilicet simplex essentia, personalis discretio, perspicacitas intelligentiae, libertas arbitrii, et ista[v] se habent per ordinem, ita ut in quo est magis de primo, magis sit de aliis; in quo est ergo maior[x] simplicitas essentiae, est maior[y] perspicacitas intelligentiae et maior libertas arbitrii; sed inter angelos ad invicem sic est quod unus alium excellit in simplicitate essentiae; ergo et[z] in perspicacitate intelligentiae et libertate arbitrii. Hoc etiam dicit plane Magister, eadem dist., cap. 2 [6]. Cum igitur plus excellat angelus animam in simplicitate essentiae quam unus angelus alium, ergo multo magis excellit angelus animam in libertate arbitrii.

3. Item, libertas est in Deo, angelo et homine ratione voluntatis, quae tamen voluntas sequitur intellectum. Unde sicut in illis est excellentia

---

[a] V om. *i. e.* [b] Ita V, alii add. *est.* [c] Z *ut*; V om. *ipse.* [d] Z om. [e] RLCZ add. *est*; T om. *quaedam.* [f] T om. [g] VZ om. [h] T *videtur.* [i] V om. [k] V *et.* [l] RLCZ *possibilitas.* [m] S om. *e. i. h.* [n] C om. [o] Z om. [p] RLCZ om. [q] T *immedietate.* [r] S om. *c. e. l.* [s] L *quasi.* [t] LC *potentiam*; Z *essentia sequitur potentiam* pro *e. s. p.* [u] T om. *n. h. p. q. a.* [v] C *ita.* [x] V add. *est.* [y] LCZ *magis.* [z] C om.

[1] Cf. infra, num. 161.

[2] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 2, a. 1, q. 1 (II, 609 sqq.).

[3] Cf. *De grat. et lib. arbit.*, c. 9, n. 28 (PL 182, 1016 sq.).

[4] Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 10 (II, 365).

[5] Cap. 1 (p. 317); cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, II, p. 144b; S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 1, dub. 1 (II, 110).

[6] Loc. cit., cc. 2 et 3 (p. 318 sq.).

penes intellectum, sic videtur esse penes libertatem voluntatis, quae scilicet sequitur intellectum; sed Primum intelligit per unum solum, quod est idem cum ipso [1], angelus intelligit solum per comparationem ad superius, scilicet ad Deum, quia non recipit mediante phantasmate a rebus inferioribus sicut intellectus humanus; [intellectus humanus] ergo plus elongatur ab intellectu Dei quam intellectus angeli; ergo similiter et libertas eius plus elongatur; ergo maior est libertas in angelo quam in anima [a].

4. Item, libertas est « facultas voluntatis et rationis [2] »; sed maior est facultas sive facilitas in angelo ad exeundum in actum quam in homine. — Quod patet: quia angelus, quam cito est, potest velle, potest diligere; sed homo non sic, ut patet in parvulo, qui habet impedimentum a carne et expectat tempus ut habeat [b] usum rationis; ergo et libertas maior est in angelo quam in homine.

5. Quod si concedatur – contra: Libertas arbitrii videtur dici eo quod vertibilis sit voluntas quo vult; sed homo plus vertibilis [est] quam angelus, quia homo potest verti [c] a bono in malum et inde rursus in bonum; non sic angelus, immo solum semel vertitur [d] vel in bonum vel in [e] malum sine regressu ad alterum [3]; plus ergo homo est [f] vertibilis; ergo et plus liber: propter hoc enim [g] conceditur quod liberior est homo quam daemon, quia scilicet homo potest regredi post casum, daemon autem non. — Item, sicut supra dictum est [h] [4], libertas sequitur rationem imaginis; sed ratio imaginis magis proprie videtur esse in homine quam in angelo, cum in utroque sit. — Quod patet ex eo quod in Canone Sacrae Scripturae [5] legitur quod homo [i] sit *ad imaginem,* non sic autem legitur de angelo; ergo secundum hoc magis erit libertas vel saltem magis proprie in homine quam in angelo.

[Solutio] [6]: Praenotandum est quod triplex est libertas: prima est libertas a coactione sive a necessitate, secunda est [k] libertas a peccato, de qua II Cor. 3,17: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas,* et Ioan. 8,36: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis;* tertia est libertas a miseria, de qua Rom. 8,21: *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* De hac triplici libertate habetur II libro *Sententiarum,* dist. 25, cap. *Est namque libertas triplex* [7]. Dicimus ergo quod secunda libertas et tertia non sunt aeque in homine et in angelo, sed maxima est in angelo bono, minor in homine bono, minima in homine malo, nulla in daemone. Sed prima libertas, quae est a coactione, est aeque in homine et [l] angelo, tam bono quam malo. Unde Bernardus, in libro *De [m] libero arbitrio* [8]: « Libertas a necessitate nec peccato nec miseria amittitur nec per oppositum augetur nec plenior est in homine quam in angelo ». Et subiungit [9]: « Hac praerogativa [n] Conditor rationalem creaturam insignivit, ut sicut sui iuris suaeque voluntatis, non coactionis, erat quod bonus est, ita et sui iuris existeret ut non nisi vellet, bona vel mala fieret [o] ». Ex iis patet quod sicut non cogitur angelus ut bene vel male faciat, ita nec homo, et ideo haec libertas aequaliter est hinc [p] et inde. Qualiter autem hoc sit [q], infra [10] patebit. Concedimus autem tres primas rationes ad hoc adductas.

[Ad obiecta]: 1-4. Ad primo obiectum in contrarium, scilicet de nobilitate essentiae: dicimus quod nobilitas essentiae non facit ad esse ipsius libertatis. Nobilitas enim naturae inest creaturae intellectuali conditae absolute; libertas autem est quaedam dignitas descendens [r] a Deo in rationalem creaturam per convenientiam ad ipsum Primum [11]. Unde libertas non sequitur naturam creatam, eo quod est creata, sed in relatione ad Primum secundum convenientiam, et ideo non sequitur: 'si maior est nobilitas, ergo maior libertas'; bene concedunt tamen quod habilior diceretur voluntas in simpliciori essentia quam in [s] minus nobili et simplici; nec sequitur: 'si [t] est habilior voluntas, ergo liberior'. Et si videatur sequi, sicut probabat sequens [u] ratio [12] 'quia libertas est facilitas' etc., ad hoc ergo solvendum sciendum quod duplex est facilitas in rationali creatura: una, quae sequitur voluntatem in quantum est voluntas, prout contingit dicere quod voluntas libere vult quod vult nec ab aliquo potest impediri, et haec facilitas aequalis est in omni rationali creatura sive intellectuali, quia omnes aeque sunt sine coactione, sicut patuit [v] per auctoritatem Bernardi [13]. Est alia facilitas non sequens ipsam voluntatem prout est voluntas, sed ipsam naturam, quae subiecta est illi, secundum quod contingit dicere quod simplicior est facilior

---

[a] STR *homine.* [b] V om. *u. h.* [c] LCZ *averti,* quod R corr. [d] Z *avertitur.* [e] V om. *v. l.* [f] T om. [g] RLCZ om. [h] R add. *hec.* [i] C om. [k] V om. [l] C add. *in.* [m] T om. *i. l. D.* [n] LC *precogitativa.* [o] V *faceret.* [p] RLZ *hic.* [q] RC *fit,* L om. *hoc.* [r] C om. [s] VST om. [t] VST *sed.* [u] V *probat precedens* pro *p. s.* [v] V *patet.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 166.
2 Cf. supra, p. 203, nota 3.
3 Cf. supra, p. 151, *Solutio.*
4 Cf. supra, sub litt. *b.*
5 Gen. 1, 27.
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 25, p. 2, dub. 2 (II, 625).
7 Cap. 8 (p. 432).
8 Cf. *De grat. et lib. arbit.,* c. 4, n. 9 (PL 182, 1006).
9 Cf. loc. cit., c. 11, n. 36 (PL 182, 1020).
10 Cf. infra, num. 156 et 157.
11 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 25, p. 1, dub. 3 et p. 2, dub. 2 (II, 608 et 626).
12 Cf. supra, n. 4.
13 Cf. supra, in *Solutione.*

et habilior ad suum actum, et illa, quae minus simplex est, minus facilis. Secundum hoc verum est quod maior est facilitas [a] in angelo quam in homine, secundum quod simplicior est eius natura [b] et subtilior, et ideo minus potens impediri ab ingressu in suum actum. Secundum hanc viam procedunt [c] omnes rationes adductae ad probandum [d] quod maior est libertas in angelo quam in homine, quia omnes sumuntur penes ea quae respiciunt ipsam naturam subiectam voluntati. Prima enim sumitur penes nobilitatem essentiae sive potentiae angeli, secunda penes simplicitatem essentiae, tertia et quarta penes perspicacitatem intelligentiae; haec autem omnia sequuntur naturam subiectam voluntati, non ipsam voluntatem [e]. Similiter facilitas [f] de qua ultimo obicit est facilitas talis quae sequitur ipsam naturam subiectam. — Cum vero dicitur 'liberum arbitrium est facultas' etc. [g], sumitur facultas pro facultate [h] quae sequitur ipsam voluntatem, in quantum voluntas est: ab hac enim facultate dicitur liberum arbitrium. Si vero [i] dicatur quod utramque facultatem sequitur, illa tamen, quae est naturae subiectae [k] voluntati secundum quod huiusmodi, non est a qua dicitur liberum arbitrium.

5. Ad ea quae obicit [l] quod 'maior est libertas in homine' sic solvendum est [m]: Ad primum dicendum quod non valet, quia [n] procedit de libertate quae est a servitute peccati, et non a coactione; bene enim sequitur 'homo, cum cecidit in malum, potest resurgere ad bonum, et non angelus, ergo quoad hoc liberior est homo vel minus servus', sed non sequitur 'ergo minus potest cogi'. De hac autem libertate, quae est a peccato, diximus [o] quod non aeque est in homine et in angelo. Unde Bernardus [1]: « Divinae similitudinis summum gradum tenent angeli boni, nos infimum, Adam medium, daemones nullum ». Et nota quod dicit « similitudinis », non dicit 'imaginis', quia similitudo magis attenditur penes gratuita, et ideo nulla est in daemonibus, imago magis penes naturalia, et ideo saltem in aliquo gradu remanet in daemonibus. — Si autem adhuc obicitur quod homo in pluribus vertibilis est quam angelus, quia angelus solum semel vertitur, ergo homo est liberior': dicendum quod non sequitur, quia ex alia ratione est vertibilitas et ex alia ratione libertas, quia libertas est dignitas existens in intellectuali creatura per convenientiam ad Primum, vertibilitas autem sequitur ipsam naturam creaturae rationalis secundum se. Unde non sequitur quod maior libertas, sed [p] quod maior mutabilitas: et hoc verum est. — Ad illud quod obicitur secundo [q] quod 'libertas sequitur rationem imaginis': dicendum quod, licet in Canone Scripturae inveniatur de homine quod sit *ad imaginem* et non de angelo expresse, nihilominus invenitur ibi, secundum B. Gregorium [2], implicite in ratione *signaculi similitudinis*, Ezech. 28,12; et imago uno modo aeque est in homine et angelo, prout alio modo attenditur penes memoriam sive mentem et intelligentiam et voluntatem, et illo modo consequitur [r] libertas rationem imaginis.

156

ARTICULUS IV.

Utrum similis vertibilitas sit vel fuerit in angelo et in homine.

Quarto quaeritur utrum similis vertibilitas sit vel fuerit in homine et in angelo.

1. In angelo enim est unica vertibilitas vel in bonum vel in malum nec est regressus, in homine vero est multiplex vertibilitas, quia est regressus a bono in malum et e converso. Haec autem non debetur animae ratione alicuius potentiae suae, cum eaedem sint et communes angelis et hominibus.

2. Si dicatur quod hoc est propter unionem cum corpore, quod [s] multipliciter est variabile et vertibile – hoc nihil videtur, quia vertibilitas corporis [t] est in non-esse sive in corruptionem, haec autem nullam videtur habere habitudinem ad illam quae est in ignorantiam vel in [u] culpam.

Solutio: Dicimus quod huiusmodi vertibilitatem duplicem et possibilitatem ad resurgendum a culpa ad gratiam et e converso habet anima propter unionem cum corpore [v] corruptibili: *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam*, ut dicitur Sap. 9,15. Et dicitur corpus corruptibile non tantum secundum statum in quo nunc est, in quo necesse est corrumpi, sed secundum statum primum, in quo possibile [x] fuit corrumpi; et ideo,

---

[a] Ita SR, TLCZ *facultas*, V *facultas sive facilitas*. [b] T *materia*. [c] Ita V, alii *procedebant*. [d] RLCZ om. *a. p.* [e] L om. [f] Ita SR, alii *facultas*, item infra. [g] V add. *si vero*; S *facilitas etc. et* pro *f. e.* [h] S *facilitas pro facilitate* pro *f. p. f.* [i] Ita V, alii *non*. [k] V *vere subiecta* pro *n. s.* [l] S *obicitur*. [m] Ita V, alii om. *s. s. e.* [n] C add. *non*, T *procedunt* pro *procedit*. [o] V *dicimus*. [p] Z *secundum*. [q] ST *idem*. [r] V *sequitur*. [s] Ita V, alii *quia*; S *multiplex* pro *multipliciter*. [t] Ita V, alii add. *hec*. [u] V om. [v] Z om. [x] T *potentia*.

[1] *De grat. et lib. arbit.*, c. 2, n. 4 (PL 182, 1004). | [2] Cf. *In Ezech.*, II, hom. 34, n. 7 (PL 76, 1250).

propter huiusmodi aggravationem, excusationem habet, cum peccat. Unde pronior est Deus [a] ad indulgendum, secundum quod ipse dicit Gen. 6,3: *Non permanebit spiritus meus* [b], « id est indignatio mea [1] », *in aeternum in homine, quia caro est,* « id est fragilis est [c] ex natura corporis [d] ». Angelus autem non habet huiusmodi unionem nec unibilitatem [e] et ideo non sic excusabilis est, cum peccat nec resurgit post casum. Unde angelus dicitur [2] *spiritus vadens et non rediens,* anima autem spiritus vadens et [f] rediens. Ponamus tamen quod anima unita esset cum corpore incorruptibili, sicut erit [g] in patria, tunc propter unionem corporis [h] non haberet huiusmodi duplicem vertibilitatem, quia non aggravaretur [i] ex eo.

[Ad obiecta]: 1-2. Per praedicta patet responsio ad id quod quaerebatur ' quae sit habitudo huiusmodi corruptibilitatis corporis ad illam vertibilitatem animae ', quia haec est ratio. Unde Gregorius, in *Moralibus* [3]: « Angelorum spiritus idcirco irremissibiliter peccaverunt, quia tanto robustius stare poterant, quanto eos carnis fragilitas non gravabat [k]; homo vero post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo [l] semetipso minor [m] esset, accepit ».

ARTICULUS V. 157

Utrum libertas arbitrii sit in angelo per voluntatem.

Quinto quaeritur utrum huiusmodi libertas, qua cogi non potest, insit angelo secundum se et per se, non mediante aliquo tamquam causa, aut insit mediante aliquo tamquam causa, scilicet causans illam proprietatem in intellectuali [n] natura.

1. Si dicatur quod inest naturae intellectuali [o] per se ipsam, tunc obicitur: ergo abstracta potentia intellectuali et abstracta inclinatione ad volendum adhuc esset in ea libertas, quia adhuc remaneret ipsa substantia intellectualis; hoc autem videtur impossibile, scilicet quod remaneat libertas, ubi non est voluntas sive inclinatio voluntatis. Restat ergo quod inest ei libertas per medium, scilicet mediante voluntate: ideo enim libera est [p], quia potest facere quod vult aut quia potest velle quod vult.

Contra: *a.* Ex hoc autem sequitur inconveniens quod non aeque est libertas in Deo et in aliis intellectualibus naturis; quod est contra Bernardum [4]. — Quod autem inde sequatur, patet. Hoc enim posse, scilicet velle quod vult, in Deo est per sufficientiam, id est [q] independentiam, quia, cum dico ' Deus potest velle quod vult ', omnia illa [r] tria, scilicet ' posse et velle et quod vult ', in Deo sunt idem quod ipse, in aliis autem sunt non per sufficientiam, sed per aliquam dependentiam ab extrinseco. Cum enim dico ' angelus potest [s] velle quod vult ', etsi ly ' posse ' et ly ' velle ' in angelo sint, tamen ly [t] ' quod vult ' non est in angelo, sed extra ipsum. Unde patet quod hoc totum, scilicet ' posse ' et ' velle ' et [u] ' quod vult ', non est per sufficientiam omnimodam in angelo. Similiter nec in homine; quod eodem modo potest ostendi. Si ergo in Deo est per omnimodam sufficientiam, ergo magis est in Deo posse velle quod vult; ergo non aeque est libertas in Deo et in [v] aliis.

[Solutio]: Dicimus quod per prius et posterius est dicta libertas in Deo et in ceteris. Et hoc solum probat ratio nunc dicta [5]: voluntas enim Dei sibi sufficit ad exeundum in esse in quodcumque vult, et praeest aliis voluntatibus; voluntates [x] vero angeli et hominis subiectae sunt voluntati eius nec etiam sibi sufficiunt ad quodcumque volitum, utpote respectu boni gratuiti, immo oportet quod Deus adiuvet eos per gratiam. Unde quoad hoc per [y] prius est huiusmodi libertas in Deo, per posterius in aliis [6]; non tamen ideo sequitur quod non aeque, quia prius et posterius non removent aequalitatem [z] huiusmodi de qua loquimur, quia nihilominus tam Deus quam homo quam angelus liberi sunt a coactione aequaliter, scilicet quoad hoc quod nullus eorum cogitur [7].

---

[a] T om. [b] T *Sanctus.* [c] V om. [d] R *corruptibilis.* [e] VS (corr.) *mutabilitatem.* [f] V add. *non.* [g] V *est.* [h] Ita V, alii *corpus* pro *u. c.* [i] Ita V, alii *aggravatur.* [k] V *aggravabat.* [l] V *quod.* [m] RLCZ *maior.* [n] V *intellectu.* [o] SRLZ *intelligibili.* [p] Ita V, alii om. [q] Ita V, alii *et* pro *i. e.* [r] R *ista.* [s] T *posse.* [t] S *licet.* [u] Ita R, alii om. [v] STR om. [x] S *voluntas.* [y] Ita V, alii om. [z] Z *qualitatem.*

1 *Glossa interlin.*, in h. l., ap. Lyran.
2 Psalm. 77, 39.
3 Lib. IX, c. 50, n. 76 (PL 75, 900).
4 Cf. supra, p. 204, nota 3.
5 Hic, parum supra.
6 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 544b, *ad a-c.*
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 2, a. 1, q. 5 (II, 618sqq.).

158 ARTICULUS VI.

Utrum vertibilitas liberi arbitrii in homine et in angelo sit ex eodem principio.

Sexto quaeritur utrum libertas arbitrii in homine et in angelo sit ex eodem principio aut ex differentibus.

Et videtur quod non ex eodem principio: 1. Quia 'posse in bonum' habet, quia est a Deo, 'posse autem in malum', in quantum est [a] malum, non habet ex eodem, quia Deus non est principium mali; ergo ex alio; et dicitur quod ex nihilo, sicut dicit Augustinus [1]; sed ex hoc videtur sequi quod 'posse in bonum' et 'posse in malum' sunt ex duobus principiis; et utrumque a libertate est; ergo libertas a duobus principiis.

Respondeo [b]: 1. Non sequitur quod ex [c] duobus principiis, sed sequitur quod unum, scilicet 'posse in bonum', est ex uno principio et reliquum, scilicet 'posse in malum', est non ex principio proprie loquendo, sed ex defectu, quia huiusmodi posse est potius non posse quam posse. Unde dicit Anselmus, in libro *De libero arbitrio* [d] [2]: « Potestas peccandi, quae addita voluntati minuit eius libertatem, et si dematur, auget [e], nec libertas est nec pars libertatis ». Item, idem, in eodem [3]: « Potestas peccandi non ad potentiam pertinet, sed potius ad impotentiam ». Vel potest dici quod utrumque est a Deo: utrumque enim est 'posse', sed unum est per conformitatem, alterum non.

159 ARTICULUS VII.

Utrum versio liberi arbitrii in bonis angelis fuerit in primo instanti [4].

Septimo quaeritur, cum vertibilis fuerit angelus naturaliter secundum libertatem in bonum et in malum, et quidam etiam verterunt se in bonum et quidam in malum, utrum in eodem instanti potuerunt [f] esse haec duo in angelo, scilicet vertibilitas et versio, hoc est quaerere I. utrum quam cito esset angelus, verteretur in bonum vel in [g] malum in instanti in quo primo fuit [h].

1. Si dicatur quod non potuit in eodem instanti, sit ergo [i] instans, in quo primo fuit, A, instans vero, in quo primo vertit se, B. Tunc obicitur: Inter quaelibet duo instantia est tempus medium; ergo inter A et B. Sit ergo illud tempus C. Non fuit in C otiosus, quia intellectus angeli non est sicut intellectus pueri, qui otiosus est; ergo intelligebat in C; sed intellectus eius plus ordinabatur ad cognoscendum Deum quam ad aliud; ergo Deum intelligebat; sed intellectum necessario sequitur inclinatio ad illud per affectionem, maxime autem [k] summi boni; ergo afficiebatur in Deo; ergo iam merebatur, et sic vertebatur in bonum; ergo non primo vertebatur in B, sed in C. Similiter potest quaeri de instanti ipsius C, in quo primo vertebatur angelus, et sic semper contingit deducere usquequo veniamus ad idem instans in quo primo fuit. Restat ergo quod in eodem instanti fuit in eo vertibilitas et versio huiusmodi.

2. Item, Augustinus [5] dicit quod quatuor sunt coaeva, scilicet caelum, tempus, motus, materia prima. Si ergo caelum et motus eius sunt coaequaeva, ergo quam cito fuit caelum, incepit moveri; sed multo simplicior est iste actus 'velle' in [l] intelligentia angelica quam motus in caelo; ergo multo magis in eodem instanti primo fuit angelus et motus eius [m] secundum voluntatem.

3. Item, dicit Augustinus [6] quod creatio et distinctio rerum simul fuit, secundum illud Eccli. 18, 1 [n]: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul;* unde computatio ista dierum Gen. 1, secundum Augustinum [7], non accipitur ad litteram, sed secundum quod res sunt in intelligentia sive cognitione angelica per ordinem suarum nobilitatum; ergo secundum hoc simul fuit [o] creatio caeli et divisio lucis a tenebris. Sed ista divisio,

---

[a] Ita V, alii add. *in.* [b] RLCZ add. *quod.* [c] Z *a.* [d] V om. [e] T om. [f] TC *poterunt.* [g] VST om. [h] C *fuerit,* [i] RLCZ *enim.* [k] ST om. [l] ST om., in R est add. interl. [m] Z *est.* [n] CZ add. *quod.* [o] Ita R, V *fuerit,* alii om.

1 Cf. *Contra Iulian., op. imperf.,* V, nn. 31, 35, 38 (PL 45, 1470sqq.).

2 Cap. 1 (PL 158, 491).

3 Loc. cit. (PL 158, 490), ad sensum.

4 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 3, p, 2, a. 1, q. 2 (II, 115sqq.).

5 Cf. *De Gen. ad litt.,* I, c. 1, n. 2 et *De Gen. c. Manich.,* I, c. 2 (PL 34, 247, 175); Alex. Hal., *Summa theol.,* II, num. 70.

6 Cf. *De Gen. ad litt.,* IV, cc. 33 et 34 (PL 34, 317-320); V, cc. 3 et 22 (PL 34, 322sq., 337sq.).

7 Cf. *De Gen. ad litt.,* IV, cc. 22, 23, 24, 32; V, c. 22 et VI, c. 3 (PL 34, 311sq., 316sq., 338, 340); *De civit. Dei,* XI, c. 7 et 9 (PL 41, 322-325).

ut idem Augustinus[1] exponit[a], nihil aliud est quam divisio confirmatorum angelorum a cadentibus: per caelum autem intelligitur angelica natura informis[2]; ergo simul creati[b] et confirmati sunt, et ceciderunt alii.

4. Item, Ioan. 8,44: *Ille homicida erat ab initio,* non potest exponi *ab initio* cum peccare fecit hominem, quia etiam ante peccavit superbiendo[3]; ergo intelligitur ab initio sui esse.

Contra: *a.* Si ex quo fuit, fuit[c] malus, ergo creatus est malus: quod est inconveniens.

b. Item, obicitur de bonis. Ad vertendum se in bonum, aut sufficit natura: et tunc omnes vertissent se in bonum, cum omnes communicassent in natura; aut superaddita est[d] eis gratia[e] in creatione: et si sic, qua ratione addita est quibusdam, eadem ratione omnibus, alioquin iniustitia[f] videretur, cum adhuc nullus eorum meruisset vel demeruisset et in aliis pares essent. Ergo quocumque modo ponatur, si in eodem instanti vertissent se, quo primo fuerunt, omnes eodem modo vertissent se vel[g] in bonum vel in malum. Restat ergo quod non simul nec in eodem instanti.

[Solutio]: 1. Quod concedimus[h], dicentes quod nec mali semper fuerunt mali nec boni boni bonitate confirmata, quam postea consecuti sunt. Dicimus ergo quod in alio instanti inceperunt esse et in alio se verterunt, nec oportet inter illa duo esse tempus medium vel durationem. Unde dicimus quod illa propositio 'inter quaelibet duo instantia' etc. intelligitur de instantibus quae sunt in tempore prout est mensura continuorum[4], et non tenet hic, immo possunt esse duo instantia quasi contigua, sine intermedio scilicet. Si tamen supponatur quod fuit aliqua morula sive distantia intermedia et quaeritur quid in ista egerit angelus, potest dici quod tunc movebatur per intellectum et non movebatur per affectum, motu scilicet penes quem determinatur bonitas actualis[i] vel conversio. Non esset tamen inconveniens dicere quod moveretur[k] per affectum motu naturali, non gratuito, per quem motum nec[l] merebatur nec demerebatur.

4. Ad illud Ioan. 8,44 '*ab initio*' respondeo: id est post initium, quia valde parum stetit; et hoc notat haec praepositio '*ab*', non dicit 'in'[m] initio.

2. Ad illud de caelo et motu eius, dicimus quod nec in caelo nec in angelo nec in aliqua creatura contingit illud, quod in eodem instanti, in quo primo est[a], habeat actum aliquem. In omni enim alio a Primo prius est potentia quam actus, non solum natura, sed etiam duratione, quamvis in quibusdam simul sit potentia et essentia, secundum quod dicitur[b 5]: «In perpetuis non differt esse et[c] posse». Unde non est verum quod in primo instanti, in quo fuit caelum, fuit[d] eius motus, sed verum est quod in illo instanti incepit eius motus. Hoc autem quod dico 'incepit', licet dicat id quod dicit per modum actus, non tamen dicit actum vel motum, sed inclinationem quamdam proximam ad motum, quae quasi media est[e] inter potentiam caeli et eius motum. Quod autem dicitur ab Augustino motus coaevus caelo, ideo dicitur non quia in eodem instanti primo fuerit cum caelo, sed quia in eodem instanti, quo primo fuit caelum, incepit eius motus; sed cum incepit, nondum erat, quia illud 'incipere' non dicit motum.

3. Ad illud quod obicitur[f] de distinctione lucis et tenebrarum: dicendum quod, licet computetur uno die cum factura lucis, et factura lucis, secundum Augustinum[6], sit[g] simul cum creatione, non tamen divisio[h] illa lucis simul fuit cum creatione[i], immo fuit posterior, sicut si[k] uno die aliquid prius fieret et aliud posterius. Non enim peccatum angeli, quo facta est tenebra, nec divisio tenebrarum a luce, quae spectat ad divisionem bonorum a malis, fuit simul[l] cum creatione in eodem instanti.

II. Sed adhuc[m] obicitur quod simul fuit cum creatione. 1. Nam constat quod in angelo simul est essentia cum sua potentia, et est talis potentia[n] quae non est impedita ab actu suo nec recipit impedimentum; ergo et actus eius simul est cum sua potentia et ulterius cum sua essentia; aeque autem vel magis libera est motiva quam cognitiva, ut videtur; ergo simul fuit actus cognitivae cum potentia et essentia; ergo et[o] simul fuit actus motivae, scilicet conversio vel[p] aversio; ergo simul fuit conversio vel[q] aversio cum essentia in angelo.

Contra: *a.* Duplex est mutatio[7]. Prima est a non-esse in esse[r], alia ab esse tali in esse tale,

---

[a] V *dicit Augustinus* pro *i. A. e.* [b] Ita V, alii add. *sunt.* [c] V om. [d] V add. *in.* [e] Ita Z corr. mg., alii *natura.* [f] VT *iniusta;* T *videntur* pro *videretur.* [g] T om. [h] V *dicimus.* [i] S *actu.* [k] RLCZ *moventur.* [l] RLCZ *non.* [m] VS om.

[a] V om. [b] Z om. [c] R *a.* [d] V *fuerit.* [e] S om. [f] Ita VZ, alii *obicit.* [g] V *fuit.* [h] V *dico quod factura,* ST *distinctio.* [i] T *operatione.* [k] C *de.* [l] LCZ om. [m] V *ad hoc.* [n] L om. *e. e. t. p.* [o] L exp. [p] Z *et.* [q] V *et;* L om. *fuit.* [r] ST add. *scilicet.*

1 Cf. *De Gen. ad litt.*, I, c. 17 et II, c. 8 (PL 34, 258 sq. 269 sq.); *De civit. Dei*, XI, cc. 9, 19, 28, 33 (PL 41, 325, 333, 342, 346); cf. supra, num. 128-128.

2 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, I, cc. 1, 3, 4, 17 (PL 34, 247 sqq., 258). Augustinus ibi potius inquirendo quam asserendo loquitur.

3 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, XI, cc. 13 et 15 (PL 41, 328-330); *De Gen. ad litt.*, XI, c. 16 (PL 34, 437 sq.).

4 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 11 (II, 301).

5 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 5 (II, 278).

6 *De Gen. ad litt.*, I, c. 9 (PL 34, 251 sq.).

7 Cf. Aristot., *Phys.*, V, c. 1 (II, 308).

et haec dicitur versio; sed prior est mutatio a non-esse in esse [a] quam ab uno esse in aliud esse sive ab altero in alterum; ergo prius est creatio quam versio.

b. Item, inconveniens esset dicere in animabus ipsis, statim cum sunt, esse malitiam [b], nisi ex coniunctione ad corpus traherent malitiam originalem; cum igitur angelus ex nullo trahat originem, nec etiam ex ipso Deo, quia ipse tantum boni principium est, ergo inconveniens est dicere angelum, cum primo est, statim malum esse; ergo eadem ratione inconveniens est dicere ipsum statim bonum esse, bonitate dico illi malitiae opposita.

c. Item, de malis specialiter ostenditur quod non statim fuerunt mali. Dicit enim Augustinus [1], et est in libro *Sententiarum* [2], quod Deus in angelis simul condidit naturam et largitus est gratiam illis qui modo sunt boni; ergo eadem ratione illis qui modo sunt mali, quia eodem modo erant capaces secundum naturam; summa autem bonitas communicat se recipienti secundum modum recipientis; ergo statim fuit gratia in malis a principio creationis; sed non secum compatitur gratia malitiam; ergo non statim fuit in eis malitia.

Solutio: Concedimus, ut supra [3], quod non simul in ipso instanti, in quo fuerunt angeli, fuerunt mali.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud autem, quod obicitur in contrarium, patuit iam solutio. Dicimus enim quod in nulla creatura simul est actus in eodem instanti cum potentia nec cum essentia, simul dico nec natura nec duratione. Unde nec in cognitiva nec in motiva angeli simul est actus cum potentia, simul dico in eodem instanti: exitus enim de potentia in actum vel etiam qui est [c] ab otio in actum, sicut est ibi, quia potentia angeli non habebat impedimentum, est postquam res est, et hoc est ex [d] ratione creaturae, quae non patitur quod simul sit omnino, id est in eodem instanti. Nisi forte dicatur 'simul' pro 'repente', vel 'simul', id est 'statim post', sicut dicitur quod radius visualis emissus ab oculo simul pertransit remotiorem cum propinquiore parte aëris vel spatii — loquamur secundum opinionem quae ponit quod videmus extra mittentes — non enim pertransit in eodem instanti, sed simul, id est repente, hoc est in tempore imperceptibili [e] [4]. Ita posset hic [f] dici quod angeli, ex quo primo fuerunt, simul, id est statim vel parum post, versi sunt alii in bonum, alii in malum. Adhaerendum est enim sententiae Magistri *Sententiarum* [5], qui dicit quod fuit ibi morula, et hoc dicit haec dictio 'repente'.

c. Ad illud quod dicit Augustinus: «Simul condens [g] naturam et largiens gratiam», responsum est supra [6].

CAPUT II.

DE RATIONE IN ANGELO.

160

ARTICULUS I.

Utrum ratio superior et ratio inferior sint in angelis [7].

Deinde post considerationem liberi arbitrii in angelis dicendum est de duabus portionibus rationis, scilicet superiori [h] et inferiori, utrum sint in angelis.

Et videtur quod sic: 1. Si enim ratio est in angelis, sicut supra habitum est [8] per hoc quod dicit B. Bernardus et Ioannes Damascenus, partes autem sive portiones rationis sunt duae, quarum una supernis [i] inspiciendis et consulendis inhaerescit, sicut dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [9], altera vero intendit gubernationi inferiorum: cum autem in angelis est [k] considerare duplicem respectum, scilicet ad Deum qui supra est, et ad inferiora quae subsunt, ergo utraque portio rationis debet esse in angelis.

2. Praeterea, super illud I Cor. 11,7: *Vir non debet velare caput suum, quia imago Dei* [l] *est* etc., dicit Augustinus [10] quod superior pars rationis non est cohibenda ut se ab aeternis abstineat, inferior vero, quae derivatur ad actionem temporalium, cohibenda est. Cum ergo in primo angelo, si continuisset se ab inferioribus bonis et totaliter inhaesisset summo bono, non fuisset peccatum,

---

[a] R om. *alia ab... esse.* [b] Ita S, alii *malas.* [c] Ita V, alii om. [d] Z om. [e] L *et perceptibili.* [f] V *hec.* [g] C *condividens,* alii *condiens.* [h] L om. [i] Ita Z, alii *superius.* [k] Z *sit.* [l] Ita V, alii om.; VLCZ *et* pro *etc.*

1 Cf. *De civit. Dei,* XII, c. 9 (PL 41, 357).
2 Lombard., II *Sent.,* d. 3, c. 4 (p. 321 sq.).
3 Cf. supra, p. 209, *Solutio.*
4 Cf. Aristot., *Phys.,* IV, c. 13 (II, 305).
5 Loc. cit. (p. 322sq.).
6 Cf. supra, num. 100.
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 24, p. 1, a. 2, q. 2, *ad 5* et *6* (II, 564).
8 Cf. supra, num. 154.
9 Lib. XII, c. 3, n. 3 et c. 7, n. 12 (PL 42, 999, 1005).
10 Loc. cit., c. 7, n. 10 (PL 42, 1004).

patet quod utramque rationem considerandi habuit primus angelus; ergo utramque partem rationis habuit [a], secundum quod ratio motiva est ad superna vel inferiora.

Contra: *a.* Hae differentiae, sicut dicit Augustinus[1], sic distinguuntur, ut [b] una pertineat ad virum, altera ad mulierem; sed differentia viri et mulieris vere vel proportionaliter non invenitur in angelo; ergo nec istae differentiae seu partes rationis.

b. Praeterea, dicit Augustinus[2] quod serpens suggerit inferiori parti rationis, scilicet sensualitati [c], cum suo motu movetur; sed motus sensualitatis non est in angelo nec esse potest; ergo suggestio talis, secundum quam inferior pars rationis, quae est ad modum mulieris, possit [d] moveri, non est in angelis [e]; non ergo praedictae differentiae sunt in angelis.

c. Praeterea, dicit Augustinus[3] quod secundum utramque differentiam est peccatum; sed in angelo non est duplex differentia, secundum quam potest esse peccatum, sed unica tantum; ergo non sunt hae [f] differentiae in angelo.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod hae differentiae, secundum quod distinguuntur [g] ab Augustino, in libro *De Trinitate*[4], proprie sunt hominis, cuius ratio media est inter Deum et corpus proprium sive sensualitatem regendam, et quia in angelo non est ratio media inter illa duo [h] — ratio enim in angelis separata est a corpore proprio sibi unito et assumpto — ideo non habet duplicem respectum.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur in contrarium, dicendum quod, licet ratio sive vis motiva in angelo habuerit naturaliter duplicem respectum, scilicet ad superiora et ad [i] inferiora, non tamen habuit hanc duplicem differentiam: non enim habet respectum ad corpus sibi unitum, quemadmodum subiectum suae [k] formae aut perfectioni, vel ad sensualitatem. Ex hac autem comparatione ad inferius sumitur una differentia rationis in homine, non ex comparatione ad quodcumque inferius; et ideo non est ibi duplex rationis portio aut differentia: non enim ex quacumque gubernatione inferiorum accipitur duplex portio rationis, sed ex gubernatione sensualitatis et corporis cuius est perfectio.

2. Ad secundum vero dicendum [l] quod, licet ex utraque parte movendo indebite potuit peccare angelus, non tamen erat haec [m] duplex differentia, quarum una viro comparatur, alia mulieri; non enim est delectatio [n] sensualis, ut ex qua moveatur ratio in angelis, sed delectatio in re mutabili potest esse in angelo: penes autem illam non attenditur praedicta differentia. Unde nisi poneretur duplex motivum in angelo[5], quorum utrumque posset converti ad bonum commutabile et averti ab [o] incommutabili bono, non poneretur haec duplex rationis differentia. Aliquando enim inferior pars rationis peccat sine superiori, aliquando autem ipsa superior pars rationis peccat consentiendo inferiori: et tunc dicitur mulier [p] dedisse cibum viro.

ARTICULUS II. 161

Utrum in angelis possit esse duplex motivum[6].

Deinde quaeritur utrum in angelis possit esse duplex motivum: per modum intellectus et per modum phantasiae.

Quod videtur 1. per hoc quod dicit Dionysius[7] quod phantasia proterva est in daemonibus; hoc autem non esset nisi aliquando moverentur [q] secundum phantasiam; ergo phantasia [r] potest esse in angelis tamquam motivum.

2. Praeterea, dicit Philosophus[8] quod intellectus semper est rectus, phantasia autem recta et non recta [s]; ergo, cum possibilitas [t] ad rectitudinem et suum oppositum fuerit a principio in angelis [u], videtur in angelis potius motivum ad modum phantasiae quam intellectus, nunc [v] autem in bonis per modum intellectus, in malis per modum phantasiae.

Contra: *a.* Phantasia est secundum sensibilem partem; sensibilis autem pars non est in angelis; ergo nec phantasia. — Quod ex ratione phantasiae arguitur: est enim motus a sensu secundum actum factus; sed in angelis non est iste motus; ergo nec phantasia.

[Solutio]: Ad quod dicendum [x] quod phantasia dicitur dupliciter. Uno modo sumitur pro motivo ex parte sensibilis, et [y] sic non est in

---

[a] V om. [b] V *in.* [c] Ita V, alii *sensualitas.* [d] T om. [e] V *angelo.* [f] T om. [g] Z *distinguitur.* [h] V om. [i] Ita V, alii om. [k] LCZ *sive.* [l] RLCZ add. *est.* [m] V *sed erat,* R *hic.* [n] V *delectando.* [o] R *de.* [p] S add. *et.* [q] Ita V, T *moventur,* alii *moveretur.* [r] V om. *e. p.* [s] L om. *e. n. r.* [t] VST *passibilitas,* V *est* pro *cum.* [u] R *ut angelus* pro *l. a.* [v] S *videtur,* LC *non.* [x] SLCZ add. *est.* [y] S om.

1 *De Trinit.*, XII, c. 7, n. 12 (PL 42, 1005).
2 Loc. cit., c. 12, n. 17 (PL 42, 1007).
3 Loc. cit., c. 8, n. 13 (PL 42, 1005).
4 Locc. supra citatis.
5 Cf. infra, num. 161.
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 7, p. 2, a. 1, q. 1, *ad 2* (II, 190 sq.).
7 *De divin. nom.*, c. 4, § 23 (PG 3, 726, PL 122, 1142).
8 Aristot., *De anima*, III, c. 10 (III, 472).

angelis; alio modo sumitur pro motu rationis vel intellectus, in quantum decipitur circa apparens bonum sive ut nunc, et hoc modo potest esse phantasia in angelis malis, sicut dicit Dionysius[1].

[Ad obiecta]: 1. Per hoc patet qualiter solvitur primo obiectum.

2. Ad secundo vero obiectum [a] dicendum quod intellectus dicitur semper rectus, quia intellectus ille, de quo loquitur [b], movetur in bonum simpliciter, ex parte autem boni simpliciter non contingit accipere errorem. Nihilominus contingit intellectum, prout est pars motiva animae [c] sive practica, esse non rectum, quia aliquando sequitur phantasiam. Phantasia ergo, licet dicatur recta et non recta, non competit angelo in primo statu, quia est partis sensibilis; sed conveniebat intellectus, prout de se vertibilis est et [d] ad bonum simpliciter et ad bonum ut nunc [e]. Unde in bonis angelis vertebatur ad bonum simpliciter, in malis ad bonum apparens: et ideo ii ceciderunt, illi vero in bono steterunt.

162 CAPUT III.

UTRUM IRASCIBILE ET CONCUPISCIBILE SINT IN ANGELIS.

Quaeritur deinceps de irascibili et concupiscibili utrum sint [f] in angelis.

Quod videtur: *a.* Quia per concupiscibilem est appetitus, per irascibilem est fuga mali; sed in angelo naturaliter est appetitus et fuga mali; ergo in angelis sunt hae duae vires.

b. Item, angeli nostram salutem diligunt; dilectio autem est secundum concupiscibilem; ergo angeli habent concupiscibilem.

c. Et iterum, Apoc. 12,12: *Descendit ad vos diabolus, habens iram magnam;* sed ira est secundum irascibilem; ergo habet irascibilem [g].

d. Item, angeli boni habent [h] gaudium et angeli mali habent timorem servilem; sed gaudium est in vi [i] concupiscibili, metus vel timor est in irascibili; ergo angeli naturaliter habuerunt istas vires, concupiscibilem scilicet et irascibilem.

e. Item, dicitur, in libro *De anima et spiritu*[2], quod haec est [k] trinitas secundum quam anima assimilatur Deo, scilicet in rationabilitate [l], concupiscibilitate et irascibilitate; si ergo assimilatio perfecta naturaliter est in angelo [m], habet rationalitatem, concupiscibilitatem et irascibilitatem. Quod videtur per differentiam, quam assignat: « Per concupiscibilem appetit, per irascibilem contemnit, per rationalem [n] inter utrumque discernit »; sed appetere, contemnere, diiudicare sunt in angelis; ergo et [o] potentiae secundum quas insunt.

f. Praeterea, Exod. 26,32: *Appendens ante quatuor columnas,* Glossa[3]: « Quatuor columnae, ante quas appensum est velum, sunt potestates caeli, quatuor virtutibus eximiis praeditae, id est [p] fortitudine, temperantia, prudentia, iustitia, quae aliter servantur in caelis ab angelis et animabus sanctis » et aliter hic; similiter [q] in Interlineari[4]: « Angelicos spiritus, qui quatuor virtutes colunt plenarie ». Sed virtutes non insunt eis nisi secundum potentias quas habent naturaliter; prudentia autem inest secundum rationalem, fortitudo secundum irascibilem, temperantia secundum concupiscibilem, iustitia vero vel circuit omnes vel est in rationali, secundum quod intellectualis creatura ordinatur ad alterum; ergo angelis naturaliter insunt hae vires.

g. Item, distinguuntur hae tres virtutes, fides, spes, caritas, ut fides sit respectu veri, spes respectu ardui, caritas respectu boni: secundum rationalem fides, secundum concupiscibilem caritas, secundum irascibilem spes; cum ergo cognitio aeternorum et confidentia habendi [r] poterit convenire angelis et dilectio, erunt tres vires in angelis, secundum quas haec insunt.

h. Item, angelus naturaliter movebatur [s] in verum et bonum et arduum; sed motus est naturaliter secundum vires motivas; ergo habuit naturaliter vires motivas respondentes; sed hae sunt tres vires praedictae.

Contra: 1. Laetitia est secundum concupiscibilem, ira est [t] secundum irascibilem[5]; sed ista non insunt naturaliter angelo; ergo nec potentiae iis respondentes. — Quod autem laetitia non insit [u], habetur per hoc quod Damascenus[6] dividit laetitiam in animalem et corporalem;

---

[a] Ita V, alii *secundum vero* pro *s. v. o.* [b] SR *legitur.* [c] C om. [d] R om. [e] T *non.* [f] L *sicut.* [g] T om. *e. h. i.* [h] T *autem.* [i] C om. [k] V *sunt.* [l] SL add. *et.* [m] V *angelis.* [n] Ita V, alii *rationem.* [o] R om. [p] V *scilicet* pro *i. e.* [q] L add. *et,* S om. *in.* [r] V om. [s] S *movebitur.* [t] V om. [u] L *sit.*

1 Cf. loc. cit.
2 Capp. 13 et 14 (inter opp. Augustini PL 40, 789 sq.).
3 *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran.
4 Ap. Lyran., in h. l.
5 Cf. Aristot., *Topic.,* II, c. 7; IV, c. 5 (I, 193, 214).
6 *De fide orthod.,* II, c. 13 (PG 94, 930).

sed nec animalis nec corporalis inest angelo naturaliter; ergo nec concupiscibilis potentia, quae est illius propria. Similiter tristitia, quae ei opponitur, « cuius partes sunt acidia, achos, invidia, misericordia [1] »: istae enim sunt compassiones vel passiones [a]; sed passiones vel compassiones non insunt naturaliter angelis; ergo etc. — Similiter ostenditur de ira: « Ira enim est fervor eius, qui circa cor est, sanguinis ex evaporatione ». Sed iste fervor non inest [b] naturaliter angelis; ergo nec ira; ergo [c] nec irascibilis, cuius [d] propria passio vel actus dicitur ira [e]. Praeterea, dicitur ibidem [2]: « Cum concupiscimus quid et prohibemur ab aliquo, irascimur adversus eum, ut iniusta passi, mente scilicet iudicante dignum angustia ». Sed hoc non est naturaliter in angelis; ergo nec ira. Item, ira est appetitus poenae propter [f] apparentem exinanitionem [g]; sed apparens exinanitio [h] non est in angelis naturaliter; ergo nec ira.

2. Item, Augustinus, in libro *De civitate Dei* [3], dicit quod sunt quatuor perturbationes: laetitia [i], gaudium, metus et spes; hae autem perturbationes non insunt naturaliter angelis, et sunt propriae illarum virium; ergo nec illae vires.

3. Praeterea, dicit Beda [4]: « Fortitudo est in perferendis molestiis, temperantia in coercendis delectationibus, prudentia in praecavendis [k] insidiis ». Sed haec non insunt naturaliter angelis; ergo nec fortitudo nec temperantia nec prudentia [l]; sed hae sunt perfectiones potentiarum praedictarum; ergo rationabilis, irascibilis, concupiscibilis non insunt naturaliter angelis.

4. Praeterea, victoria tentationum convenit proprie irascibili; concupiscentiae autem, sicut dicit Chrysostomus [5], principium est indigentia; ergo, cum [m] tentationes non sint in angelis, nec victoria tentationum inest; ergo nec irascibilis, cuius est hoc proprium. Similiter indigentia non fuit naturaliter in angelis secundum primum statum; ergo nec concupiscentia quae consequitur indigentiam.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod concupiscibilis, prout actus eius est appetitus boni, et irascibilis, prout actus eius est fuga mali, secundum quod dicitur, in libro *De anima et spiritu* [6], quod [n] per concupiscibilitatem et irascibilitatem est habilitas affectionis ad appetendum vel fugiendum, amandum vel odiendum, sunt naturaliter in angelis; prout autem ira est appetitus nocendi, non est naturaliter in angelis secundum naturam primitus institutam; similiter concupiscentia, prout procedit ex indigentia poena, non fuit in angelis secundum statum innocentiae.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur primo, dicendum quod laetitia animalis dicitur dupliciter: vel ipsius animae in se, secundum quod habet potentias non dependentes a corpore, et sic dicitur laetitia in angelis, quia illa est [o] quae dividitur ex opposito contra corporalem; alio modo dicitur animalis ipsius animae, prout consideratur in [p] coniunctione ad corpus, prout est alicuius potentiae cuius [q] actus dependet a corpore, et sic non est laetitia animalis in angelis. — Similiter ad illud quod obicitur de tristitia, dicendum quod, licet duae primae differentiae non sint in angelis, scilicet acidia et achos, nihilominus aliae duae differentiae, scilicet misericordia et invidia, possunt esse in angelis, ut misericordia in bonis et invidia in malis, sed non secundum naturam primitus institutam, sed secundum naturam corruptam. — Ad id [r] quod obicitur quod 'passio vel compassio non est in angelis naturaliter': dicendum quod hoc est verum secundum quod passio sonat in poenam, tamen secundum quod passio dicitur a παθεῖν graece, quod est informatio, dicuntur in eis esse passiones [s]. — Ad hoc [t] quod obicitur quod « ira [u] est fervor eius, qui circa cor est, sanguinis »: dicendum quod haec est definitio irae secundum quod est in homine tantum et non in angelo. — Ad aliud quod obicitur quod « cum concupiscimus quid et [v] prohibemur, irascimur tamquam iniusta passi » etc.: dicendum quod ira secundum hanc rationem non est in angelis secundum naturam primitus institutam, potest tamen esse in [x] angelis malis secundum naturam corruptam. — Et eodem modo respondendum est ad illud 'ira est appetitus poenae' etc.

2. Ad illud quod dicit Augustinus [y] quod 'quatuor sunt perturbationes' etc.: respondeo [z] quod facienda est vis in hoc quod dicit

---

[a] L om. *v. p.* [b] C *convenit.* [c] L om. [d] R *cum.* [e] T *ret.* [f] L om., in Z est add. mg. [g] Ita RZ, alii *exanimationem.* [h] Ita RZ (corr.), VC *exanimatio*, S *ex animo*, TL *examinatio.* [i] V *lethus.* [k] S *predicantis*, quod T corr. [l] S om. *n. p.* [m] Z om. [n] LC om. [o] V om. [p] V *ex.* [q] S *eius.* [r] Ita V, alii *et* pro *A. i.* [s] R *compassiones*, T om. *esse.* [t] V *id.* [u] Ita VC, alii om. [v] T om. [x] R *inesse* pro *e. i.* [y] R om. [z] RCZ *respondendum.*

1 Cf. Damasc., loc. cit., c. 16 (PG 94, 931), ubi et sequens.
2 Cf. Damasc., loc. cit. (PG 94, 934).
3 Lib. XIV, c. 9, n. 1 (PL 41, 413). Cf. ibid., c. 8, n. 1 (PL 41, 411); *Confess.*, X, c. 14, n. 21 (PL 32, 789) et *In Ioan.*, tr. 60, n. 3 (PL 35, 1798).
4 Cf. *De Tabernaculo*, II, c. 8 (PL 91, 446), ex Augustino, *De Trinit.*, XIV, c. 9, n. 12 (PL 42, 1046).
5 *In Matth.*, hom. 18, n. 5 et hom. 21, n. 5 (PG 57, 271, 293).
6 Capp. 13 et 14 (inter opp. Augustini PL 40, 789 sq.).

'perturbationes', quia secundum quod sunt perturbationes, non sunt in angelis secundum naturam primitus institutam, licet sint in daemonibus secundum naturam corruptam in eis; secundum tamen quod passio dicitur, ut supra [1], a πάθειν graece, quod est informare, potest [a] esse passio laetitiae in angelis [b] secundum primum statum naturae.

3. Ad aliud dicendum quod, licet prudentia et temperantia et fortitudo non sint in angelis quantum ad omnem [c] actum, utpote quantum ad actus supra dictos, sunt [d] tamen in eis quantum ad aliquos actus nobiliores, secundum quos etiam actus remanebunt huiusmodi virtutes in animabus glorificatis, sicut dicit Augustinus [2].

4. Ad ultimum dicendum quod, licet non sit irascibilis in angelis, quantum ad hunc actum, scilicet vincere tentationes, tamen est in eis quantum ad alios [e] actus.

DISTINCTIO II.

DE ACTU VIRTUTIS MOTIVAE INTERIORIS.

Completis differentiis quae pertinent ad vim motivam interiorem, sequitur dicere de actu virtutis motivae naturalis et deinde de actu virtutis electivae per liberum arbitrium. Actus autem [f] virtutis naturalis est dilectio naturalis, actus [g] virtutis electivae per liberum arbitrium est [h] dilectio ex electione rationali [i] procedens.

MEMBRUM I.

De dilectione naturali angeli.

Quaeritur ergo primo de dilectione naturali, utrum fuerit in angelis in primo statu;

secundo, utrum sit modo in bonis angelis;

tertio, utrum sit dilectio naturalis in malis angelis.

CAPUT I.

DE DILECTIONE NATURALI IN PRIMO STATU.

Primo ergo quaeritur de dilectione naturali in statu innocentiae, circa quam quaeruntur haec:

Primo, de numero diligendorum, si sit ibi numerus vel non, et quis;

secundo, quis ordo diligendorum;

tertio, quae ratio diligendi.

163 ARTICULUS I.

An in statu innocentiae sit numerus diligendorum et quis sit [3].

Circa primum sic [k]: I. *a.* Scriptum est in mente angeli, sicut in mente hominis, de dilectione Dei et proximi; ergo plura sunt diligibilia.

b. Praeterea, ex cognitione naturali cognoscit angelus Creatorem a quo conditus est, et creaturam quae condita est ad similitudinem Dei sicut ipse; cognitionem vero sequitur dilectio et cognitionem

---

[a] V add. *autem.* [b] V add. *esse.* [c] R om. [d] Z om. [e] VST *aliquos.* [f] V om. [g] R add. *vero.* [h] LCZ om. [i] L *naturali.* [k] V add. *proceditur.*

1 Cf. supra, p. 213b.
2 *De Trinit.*, XIV, c. 9, n. 12 (PL 42, 1045 sq.).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 3, qq. 1 et 2 et d. 5, a. 3, q. 1, *ad 4* (II, 124 sqq., 155).

naturalem dilectio naturalis; ergo plura sunt diligibilia sicut plura cognoscibilia.

II. Quo supposito, quaeritur de numero.

Videtur enim quod quatuor sint diligibilia: *a.* Sicut enim homo ex caritate diligit supra se et se et [a] iuxta se et infra se [b], ita dilectio naturalis hominis ad illa quatuor extenditur; sed angelus habuit bonum diligendum supra se et in se et iuxta se et infra se: creaturae enim, cum essent infra angelum et essent bonae, diligendae erant; ergo quatuor erant diligenda dilectione naturali ab angelo.

Contra: 1. Dilectio naturalis ordinatur ad caritatem: caritas enim est complementum naturae; sed ex caritate non habuit angelus diligendum infra se; ergo nec ex dilectione naturali aliquid erat diligibile infra angelum.

III. Adhuc [c] etiam quaeritur: Si homo erat diligibile infra angelum — erat enim inferior creatura ad minus ratione corporalis naturae [d] — utrum ratione illius esset homo diligendus tamquam bonum inferius angelo. Quod si sic esset, tunc homo diligeretur dilectione naturali ab angelo et tamquam bonum par et tamquam bonum inferius, et ita esset in duplici ratione dilectionis.

Quod non videtur: 1. Quia angelus se ipsum non diligit dilectione naturali nisi in unica ratione [1], et tamen plus diligit se quam hominem; ergo naturali dilectione non diligit hominem nisi unica dilectione; sed illa aut erit eius per modum paris aut per modum inferioris. Per modum inferioris [e] non videtur, quia dilectione naturali diligitur ut utile diligenti; sed homo, secundum quod est inferior, non est utilis angelo; ergo illa ratione non diligitur dilectione naturali ab angelo; ergo tantum per modum paris, quia ratio naturae intellectualis est ubique communis.

[Solutio]: I. Ad quod dicendum quod plura fuerunt diligibilia dilectione naturali ab angelo.

II. Si vero quaeratur quis [f] sit numerus, dicendum est quod dilectio naturalis potest accipi multipliciter. Aut enim dicitur dilectio naturalis [respicere] quidquid per se iuvat naturam ut esset vel iuvat ut permaneat: et hac ratione diligitur tantum Deus dilectione naturali ab angelo; nihil enim aliud est quod [g] necessarium sit [h] ad esse angeli praeter id quod est de esse: non enim indiget unus angelus alio ut sit vel ut permaneat in esse. Alio modo potest dilectio naturalis respicere omne conveniens naturae, sive sit principium naturae sive sit consimile vel [i] conforme in natura: et hoc modo est dilectio naturalis non tantum Creatoris vel Gubernatoris, sed alterius angeli, qui est similis in natura angelica, vel etiam hominis [k], qui est similis [l] in natura intellectuali creata. Tertio modo potest dici dilectio naturalis respectu illius boni quod ordinatum est ad participandum completum [m] delectabile, quod est gloria, et secundum hunc modum caritas sive gratia est perfectio naturae: secundum hunc modum est diligibile ab angelo non tantum anima hominis, sed etiam corpus humanum, quod potest participare dotes; unde [n] anima in secunda stola perficietur et angelus ex hoc quamdam consequitur dilectionem. Quarto modo dicitur dilectio naturalis respectu omnis boni, in quantum est bonum, et sic extendit se ad omnem creaturam et Creatorem.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc potest patere qualiter respondendum est ad primo obiectum. Si enim accipiatur dilectio hoc ultimo modo, extendit [o] se non tantum ad superius vel proprium bonum vel quod est iuxta, sed ad bonum inferius. Si [p] vero accipiatur modo tertio, non extendit se ad omnem creaturam corporalem, cum non omnis pertineat ad participationem gloriae. Si vero accipiatur secundo modo, non diligitur corpus humanum ab angelo dilectione naturali. Si vero [q] accipiatur primo modo, extenditur tantum ad dilectionem Creatoris et Gubernatoris.

a. Ad id vero quod obicitur per simile de homine, dicendum quod non est omnino [r] simile: homo enim una dilectione naturali diligit corpus suum, secundum quod dicitur Eph. 5, 29: *Nemo unquam carnem suam odio habuit,* et hoc modo non habet [s] angelus dilectionem naturalem ad aliquod corpus. Licet [t] enim assumat corpus aethereum, tamen non est ibi illa dilectio naturalis: non enim ex illo corpore et angelo fit res unius naturae [2]. Alio vero modo diligenda sunt quatuor ex dilectione naturali, prout natura habet inclinationem quamdam ad ultimam perfectionem; sed non sic habet angelus, quin etiam perficiatur sua perfectione essentiali, etsi homo non acciperet secundam stolam.

III. Ad tertium [u] dicendum quod, licet angelus se diligat una naturali dilectione, hominem vero duplici, non ideo magis diligit hominem quam se, sed ratione plurium, quorum unum est par, alterum inferius.

---

[a] LC om. [b] Ita SR, alii om. *e. i. s.*; V add. *et.* [c] S *ad hoc.* [d] V add. *queritur ergo.* [e] T om. *p. m. i.* [f] L *quid.* [g] Z *quam.* [h] Ita V, alii *est.* [i] R *ut.* [k] V *homine.* [l] RLCZ *consimilis.* [m] V *bonum complementum.* [n] T *ut.* [o] Ita V, alii *extendet,* L om. *modo.* [p] T *sed.* [q] S *ergo.* [r] R om. [s] R *habuit.* [t] V *si.* [u] Ita V, alii add. *vero.*

[1] Cf. infra, num. 168.

[2] Cf. infra, num. 185.

ARTICULUS II.

De ordine diligendorum.

Secundo quaeritur de ordine. Et primo, si dilectio naturalis sit ordinata aut inordinata; secundo, supposito quod sit ordinata, quaeritur quis sit ordo diligendorum.

164 PROBLEMA I.

Utrum dilectio naturalis sit ordinata in angelo.

Ad primum sic: I. 1. Dilectio naturalis totaliter est ordinata; sed dilectio totaliter ordinata est caritas vel ex caritate; ergo dilectio naturalis est caritas vel ex caritate: quod falsum est, cum sint diversorum generum gratuita dilectio et naturalis. Si vero est inordinata: sed dilectio inordinata est peccatum; ergo dilectio naturalis est peccatum.

2. Praeterea[1], ostenditur quod dilectio naturalis est inordinata, quia in primo statu tenebatur angelus diligere Deum super omnia et ita plus quam se; sed non dilexit plus quam se, immo propter se; ergo fuit inordinata[a] sive contraria ordini, ad quem tenebatur.

3. Praeterea, triplex distinguitur velle, Rom. 7, 18: *Velle mihi adiacet* etc., scilicet velle gratiae vel virtutis, velle naturae, velle vitii; sed velle gratiae est ordinatum, velle vitii est inordinatum, velle autem naturae medium est quodam modo; ergo nec dicetur ordinatum nec inordinatum, sed adveniente gratia vel virtute ordinatum est — « virtus enim est ordo amoris[2] » — adveniente vitio[b] inordinatum.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod dilectio naturalis est ordinata secundum suum modum, sed non pervenit ex se ad summum ordinem; nec dicitur inordinata, id est directe contraria ordini gratiae aut virtutis, ut 'inordinatum' sonet in contrarietatem respectu dilectionis gratuitae: simul enim stare possunt, quod non est contrariorum[3]; sed inordinatum posset dici, id est non ad summum ordinem pertingens[c] ex se, et sic diceret abnegationem perfectionis in ordine.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem[d] obiectum dicendum quod, cum dicitur 'dilectio ordinata est caritas[e]', intelligitur de dilectione totaliter et perfecte ordinata. Dilectio autem[f] naturalis, etsi sit ordinata, non tamen totaliter et perfecte, licet perfecte in suo genere.

2. Ad secundum dicendum[g] quod, licet in primo statu teneretur diligere Deum super omnia, hoc[h] etiam supposito quod non haberet gratiam gratum facientem et non dilexit super omnia, non propter hoc fuit inordinata, id est ordini summo contraria, quia si data fuisset ei[i] caritas, posset diligere et diligeret super omnia; sed inordinata poterat dici, id est nondum habens illud unde sufficienter et plene sic ordinaretur ad diligendum.

3. Ad tertium dicendum quod velle naturae quodam modo est medium et quodam modo non est medium[k] inter velle gratiae et vitii. Quoad hoc est medium, quia potest simul stare cum utroque: unde dilectio naturalis potest simul stare cum gratuita et cum libidinosa, licet illae non possint simul esse respectu eiusdem rei; non autem est[l] media quoad hoc ut nec dicatur ordinata nec inordinata[m], immo ordinata[n] est, et quoad hoc plus tenet se ex parte dilectionis gratuitae.

II. Sed adhuc obicitur occasione[o] praedictorum: 1. Si dilectio naturalis quodam modo medium est inter dilectionem gratuitam et libidinosam, medium autem solet habere convenientiam cum utroque extremorum[4], habebit dilectio naturalis convenientiam aliquam cum utraque dilectione. Quaeritur ergo in quo.

2. Sed videtur quod non habeat rationem medii: quia medium inter bonum et malum debet esse indifferens; sed dilectio naturalis non est indifferens[p] bono et malo, sed cadit in genere boni; ergo dilectio naturalis in angelo non est media inter gratuitam et libidinosam.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum dicendum quod dilectio gratuita diligit summum bonum ponendo finem in illo, dilectio libidinosa diligit creaturam sive mutabile bonum ponendo finem in creatura:

---

[a] C (corr.) *ordinata.* [b] V add. *est.* [c] Z *pertinens.* [d] ST *que.* [e] Z add. *et.* [f] R *enim.* [g] Ita V, alii add. *est.* [h] LCZ *licet.* [i] Ita S, alii om. [k] L om. *et... medium.* [l] S om. [m] L om. *n. i.* [n] S om. *i. o.* [o] R *ratione.* [p] R *differens.*

[1] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 1, q. 5 (f. 39d).
[2] Augustin., *De civit. Dei*, XV, c. 22 (PL 41, 467).
[3] Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 2 (II, 565).
[4] Cf. Aristot., *Metaph.*, IX, c. 7 (II, 581).

unde diligit mutabile bonum propter se, dilectio vero naturalis diligit summum bonum, sed propter se, id est propter diligentem: unde ratio dilectionis constituitur in creatura ipsa intellectuali vel rationali. Habet ergo dilectio naturalis in hoc convenientiam cum gratuita, quia diligit summum bonum; sed in [a] hoc differt quod ratio ponitur in se diligente et ita in creatura; cum dilectione autem [b] vitiosa habet convenientiam, quia refert [c] ad creaturam suum diligibile, sed in hoc differt quod dilectio naturalis non ponit creaturam finem, sed vitiosa ponit.

2. Ad aliud dicendum quod, licet sit media inter gratuitam et vitiosam, non tamen est media [d] inter bonum et malum, nisi restringeretur bonum ad bonum gratuitum: unde est tale medium, quod tamen plus tenet se ratione generis cum dilectione gratuita quam vitiosa.

PROBLEMA II.

Quis sit ordo diligendorum.

Deinde quaeritur de ordine diligendorum, et circa hoc versatur haec quaestio:

Primo, utrum angelus diligatur a se naturali dilectione;

secundo, utrum dilectione naturali magis diligatur Deus se aut e converso;

tertio, utrum alium angelum diligat dilectione naturali sicut se;

quarto, in quo ordine diligatur homo ratione animae vel corporis.

PARTICULA I. 165

Utrum angelus diligatur a se naturali dilectione.

Ad primum sic videtur [e] quod non diligatur a se: 1. Dilectio enim est vinculum sive copula [1]; non est autem vinculum eiusdem ad se vel copula.

2. Item, dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [2]: « Dilectio ut sit, semper in alterum tendit ». Ergo non est eiusdem ad se.

3. Item, amor est donum, donum autem est inter dantem et recipientem; non est autem idem dans et recipiens a se; ergo non est dilectio sui ad [f] se.

4. Item, donum est prius dantis et post recipientis; sed non est idem in eodem simul secundum prius et posterius; ergo, cum dilectio sit donum, non erit eiusdem ad se.

Contra: *a.* Dilectio sequitur cognitionem [3]; sed idem potest cognosci bonum a se; ergo potest diligi a se.

b. Item, naturaliter unumquodque animal quaerit quod [g] sibi utile est, ut cibum et locum competentem; amor autem sive dilectio nihil aliud videtur nisi appetitus eius quod est utile vel salubre ei quod diligit; ergo unumquodque animal [h] propter se diligit aliud sicut propter se quaerit, et ita se primo diligitur.

Respondeo: Est dilectio amicitiae et est dilectio concupiscentiae. Dilectio vero concupiscentiae est aut respectu concupiscibilis aut respectu eius cui concupiscitur; dilectio amicitiae in alterum tendit; similiter et dilectio concupiscentiae ratione eius quod concupiscitur, sed non ratione eius cui concupiscitur: aliquis [i] enim concupiscit aliquid sibi. Praeter hoc autem [k] est dilectio placentiae.

PARTICULA II. 166

Utrum dilectione naturali angelus magis diligat Deum quam se aut e converso.

Ad secundum obicitur [l] quod dilectione naturali Deus magis diligatur se: 1. Dilectione enim naturali diligitur Deus ut summum bonum; sed summum bonum est super omnia diligendum; ergo dilectione naturali diligitur Deus super omnia; sed dilectione naturali diligitur Deus in quantum bonus; sed angelus non est summe bonus; ergo non est summe diligendus; ergo naturali dilectione plus diligit angelus Deum quam se.

2. Item, hoc praeceptum [4]: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde* [m], est praeceptum morale; praeceptum autem morale scriptum est in mente; ergo in mente angeli scriptum erat naturaliter; si ergo exivit in actum, ex natura diligebat Deum *ex toto corde* etc., et ita super omnia.

---

[a] Z om. [b] R om. [c] L *refertur.* [d] Z *medium.* [e] Ita R, alii om. [f] Z *a.* [g] V *quid.* [h] L om. [i] SRZ *aliquid,* quod L corr. [k] V om. [l] S *dicendum.* [m] R add. *tuo;* T om. *diliges... corde;* Z om. *tuum.*

1 Cf. Augustin., *De Trinit.*, VIII, c. 10, (PL 42, 960).

2 Cf. Richard. de S. Vict., *De Trinit.*, III, c. 2 (PL 196, 916); Gregor. M., *In Evang.*, I, hom. 17, n. 1 (PL 76, 1139).

3 Cf. Augustin., *De Trinit.*, VIII, c. 6, n. 9; X, c. 1, n. 1, 2, 3; c. 2, n. 4 (PL 42, 954, 971 sq.).

4 Deuter. 6, 5.

3. Item, naturali dilectione diligit aliquis quod sibi est bonum; ergo magis sibi bonum magis diligit et [a] maxime sibi bonum maxime diligit; sed Deus est maxime bonum ipsi angelo; ergo angelus maxime diligit [b] Deum dilectione naturali; ergo plus quam se.

4. Item, dilectio sequitur ad cognitionem [1]; ergo naturalis dilectio ad naturalem cognitionem; sed naturali cognitione cognoscit Deum esse summum bonum simpliciter et sibi; ergo naturali dilectione diligit Deum plus quam se.

5. Item, delectabile sensibile sensum bene dispositum secundum proportionem suae voluptatis habet afficere [c] et trahere; ergo spirituale delectabile similiter in suo genere; ergo summe delectabile summe trahit et delectat; sed angelica natura in primo statu erat bene disposita et secundum intellectum et secundum affectum; ergo summe afficiebatur a summe delectabili, scilicet Deo; ergo diligebatur dilectione naturali plus quam aliqua creatura.

6. Item, omnis potentia magis se habet ad illud ad quod principaliter est quam ad illud ad quod non principaliter est, et hoc est dictante natura; sed vis concupiscibilis principaliter est ad diligendum Deum propter se, non autem [d] est principaliter ad diligendum creaturam; ergo magis se habet ex natura ad diligendum Deum quam creaturam aliquam; ergo ex natura diligit Deum plus quam creaturam aliquam.

7. Praeterea, si ex naturali potentia sufficiens est ad diligendum creaturam propter se, ex naturali potentia poterat Deum diligere propter se et super omnia; et ita naturali dilectione diligitur [e] Deus super omnia propter se [f].

Ad contrarium sic: *a.* Naturaliter diligitur Deus ab angelo propter bonum angeli; cum ergo illud quod propter se diligitur, magis diligitur quam illud quod propter ipsum diligitur, ergo angelus naturali dilectione magis diligit se quam Deum.

b. Item, natura reflectitur in se — quod apparet in naturalibus: intendit enim se conservare per actum generativae, intendit conservare individuum per actum nutritivae — unde dilectio naturalis est ad conservandum se; quidquid ergo diligitur naturali dilectione, propter se diligitur; ergo angelus magis se diligit quam Deum.

c. Item, dilectio naturalis est secundum concupiscentiam; concupiscentia autem ortum habet ex indigentia [2], indigentia autem refertur ad [g] indigentem; ergo dilectio naturalis refertur ad ipsum diligentem: diligit enim quod suam complet [h] indigentiam.

d. Item, diligere est delectationem [i] habere in convenienti; ergo naturaliter diligere est habere delectationem in naturaliter convenienti [k], et maxime in maxime convenienti; sed maxime conveniens angelo est quod est de esse angeli; ergo magis diligitur naturaliter ab angelo quod est de esse eius quam quod non est; sed Deus non est de esse eius; ergo non maxime ab angelo [l] diligitur.

Solutio [m]: Ad obiecta sic potest responderi primo, facta distinctione: est naturalis dilectio duobus modis. Uno modo secundum convenientiam ad bruta [n], secundum quod omne animal diligit quod conveniens est sibi in esse: et hoc modo sicut brutum non ascendit ad dilectionem Dei, quem [o] non cognoscit naturaliter, licet sit principium sui esse, ita nec natura rationalis, sed omnino sistit in se. Alio vero modo natura rationalis, quia abundat in potentia cognoscendi Deum et cum hoc habet cognitionem Dei [p] naturaliter insitam [q] [3], habet dilectionem Dei naturaliter insitam, in qua distinguitur a brutis: et hac dilectione diligitur Deus ut maxime conveniens et maxime delectabilis angelo vel homini secundum animam rationalem.

Si ergo quaeratur utrum Deus magis diligatur ab angelo [r] quam angelus a se ipso vel e converso, dicendum quod prima dilectione, quae communis est [s] brutis, non diligitur Deus sicut nec cognoscitur; dilectione [t] vero secunda, ut est concupiscentiae, diligitur Deus naturaliter; ista autem dilectione non est magis et minus vel aeque diligere Deum et se, quia dilectio ista non distinguit inter bonum quod concupiscitur et cui concupiscitur [u], tamquam sint duo concupiscibilia, sed est una dilectio huius et illius. Unde assignatur una regula: quod amore naturali, qui est concupiscentia, diligitur una dilectione quod maxime concupiscitur et cui concupiscitur. Si vero diceretur diligere 'adhaerere bono per affectum sive affici delectabiliter [v] circa bonum, in quantum huiusmodi', quemadmodum est [x] in dilectione quae [y] ex deliberatione procedit, secundum hoc angelus magis vel minus potuit diligere, prout distinguebat unum esse altero melius vel minus bonum: et [z] secundum hoc Deus est magis diligendus ab angelo naturaliter quam ipse a se ipso, et sic dilectio sequitur electionem. Eligere autem est alterum alteri praeoptare [4].

---

[a] Ita V, alii *ergo*. [b] Ita VS, alii *dilexit*. [c] V *efficere*. [d] Ita R, alii om. [e] Ita V, alii *diligetur*. [f] V om. *p. s.* [g] V *aliquid*. [h] V *replet*. [i] VST *dilectionem*, item infra. [k] L om. [l] Ita V, alii om. *a. a.* [m] Ita V, alii om. [n] T *brutam*. [o] C *quam*. [p] Z om. [q] LCZ add. *et*. [r] Ita V, alii om. *a. a.* [s] V om.; ST *convenit cum* pro *c. e.* [t] Z *dilectio*; RLCZ *prout* pro *ut*. [u] L om. *e. c. c.*; LZ *sicut* pro *sint*. [v] T *delectabitur*. [x] V *etiam*. [y] LC *quod*. [z] L om.

[1] Cf. p. 217, nota 3.
[2] Cf. supra, p. 213, nota 5.
[3] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 24 et 26.
[4] Cf. Aristot., *Moral. Eudem.*, II, c. 10 (II, 204).

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum dicendum est [a] quod Deus naturaliter diligitur ut summum bonum, et summe diligitur [b] [1], id est summe diligenti sibi concupiscitur; sed ex natura, nisi [c] elevetur per gratiam, non summe diligitur, id est non [d] propter ipsum summe appetitur: et hoc ultimo modo diligitur Deus ex caritate vel ex ratione. Cum ergo naturali dilectione summe Deus concupiscatur, non hoc modo diligit angelus se ipsum — nihil [e] enim se ipsum concupiscit — sed se diligit tamquam bonum, cui concupiscit, tamquam [f] bonum sibi conveniens. Diligit ergo se maxime ut rationem propter quam concupiscit, Deum maxime ut maxime sibi concupiscibile. Et ita differenter dicitur 'maxime', et unica tamen est dilectio, quia ratio diligendi et dilectum [g] non multiplicant [h] actum dilectionis.

2. Ad secundum [i] dicendum [2] est quod, licet istud praeceptum, scilicet [k] diligere *Deum ex [l] toto corde* etc., sit [m] scriptum in mente naturaliter, non tamen natura sufficiens [n] est principium ad eliciendum illum [o] actum, sed requiritur gratia gratum faciens, nec exit in hunc actum nisi prius data gratia. Et est simile: tenetur homo ex libero arbitrio ad diligendum ex caritate, non tamen sufficit liberum arbitrium ad huiusmodi dilectionem nisi cum habet caritatem.

3. Ad tertium dicendum quod [p] dilectione naturali diligit angelus Deum ut maxime bonum sibi, non tamen sequitur quod ex natura diligat eum plus quam se hoc modo dilectionis, scilicet [q] concupiscentiae, cum angelus sit ratio illius dilectionis naturalis; unde ultima ratiocinatio non valet.

4. Ad quartum dicendum quod, licet dilectio sequatur cognitionem et cognoscat Deum esse summum bonum et ita esse maius bonum quam sit ipse, non tamen ex natura magis diligit dilectione concupiscentiae, quia propter se diligit Deum, sed in cognitione naturali, quae conformatur [r] gratuitae, bene sequitur illud: ibi enim natura per gratiam elevatur ut diligat Deum propter se tamquam summum bonum.

5. Ad quintum dicendum quod, licet Deus sit summe delectabile et summe trahens ad se per delectationem [s] affectum bene dispositum, non tamen appetitus angelicus summe trahebatur ex dispositione naturae; sed si haberet dispositionem gratiae aut gloriae, tunc posset summe trahi secundum suam proportionem. Non ergo est defectus ex parte attrahentis sive allicientis [t], sed ex parte eius quod debet trahi, quia non habebat dispositionem proportionalem, gratiae scilicet vel [a] gloriae.

6. Ad sextum dicendum quod, licet potentia naturaliter inclinetur ad diligendum Deum [b] plus quam se vel aliam creaturam, non tamen natura per se sufficiens est [c] ad exitum in actum dilectionis istius [d], ut diligat plus quam se, sed bene posset diligere ex natura Deum plus quam aliquam [e] creaturam. Quod autem exeat ad diligendum plus quam se, hoc est per gratiam, quae est complementum naturae; non sic autem [f] est complementum, quemadmodum ars est complementum [g]: quod enim ars potest faciliter, natura potest cum difficultate implere. Non sic autem est de gratia: quod enim gratia potest, hoc non potest natura nisi adiuta per gratiam.

7. Ad ultimum dicendum [h] quod, licet natura possit ad diligendum creaturam [i] propter se, non tamen potest ad diligendum Deum propter se nisi adiuta per gratiam, quia diligere creaturam propter se vel est motus vitii vel motus naturae, natura autem potest ex se [k] deficere, non potest ex se perfici; sed cum perficitur, tunc movetur ad diligendum Deum propter Deum; ex natura autem potest ad diligendum Deum propter suam utilitatem.

Ad obiecta autem in partem contrariam, quibus videbatur ostendi quod angelus magis diligebat se quam Deum dilectione naturali, sic videtur respondendum: *a.* Quod, licet angelus sit ipsa ratio diligendi, non tamen magis diligitur, id est concupiscitur, quia nihil a se ipso concupiscitur; maxime ergo [l] diligitur angelus ut ratio, maxime [m] Deus ut concupiscibile.

b. Hoc etiam [n] ex secunda ratione apparet, quia natura reflectitur [o] in se tamquam in rationem, non tamquam in primum concupiscibile.

c. Ad idem [p] tendit tertia ratio, quia angelus diligit Deum [q] ut complementum suae naturae, et ita propter se.

d. Ad quartum dicendum [r] quod, cum quaeritur utrum angelus magis diligat dilectione naturali Deum quam suam formam vel e converso: respondeo [s] quod, cum dicimus dilectionem naturalem, intendimus eam procedere mediante forma angeli; dilectio autem, quae est concupiscentia, semper tendit in aliud tamquam concupiscibile: unde hoc modo non erit [t] forma angeli [u] concupiscibile, sed ratio concupiscendi, Deus autem ut ipsum concupiscibile.

---

[a] V add. *ab angelo.* [b] V *diligi,* L om. *id est.* [c] V om. [d] Ita V, alii om. [e] V *non.* [f] T *quam.* [g] ST *dilectionem,* V om. *d. e. d.* [h] V *multiplicatis.* [i] Ita V, alii add. *vero.* [k] STLCZ *sit.* [l] Ita VR, alii *in.* [m] Ita VR, alii om. [n] Z *sufficienter.* [o] T add. *per.* [p] V *vel.* [q] S om. [r] Ita RZ, alii *conformat.* [s] VLC *dilectionem.* [t] C om. *s. a.*
[a] S *ut.* [b] LCZ om., in R est add. mg. [c] T om. [d] R *huiusmodi.* [e] Ita R, alii *aliam.* [f] V *anima.* [g] L om. *q. a. e. c.* [h] Ita V, alii *vero dicendum est;* L om. *licet.* [i] L *naturam.* [k] T om. *e. s.* [l] L om. [m] V *diligendi.* [n] V *autem.* [o] Ita V, alii *reflectit.* [p] C *id.* [q] Ita V, alii add. *scilicet.* [r] SLZ add. *est.* [s] R *respondendum.* [t] LCZ *exit,* quod R corr. [u] LC add. interl. *in.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 108.

2 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 27, a. 2, q. 4 (III, 613sq.).

167 PARTICULA III.

Utrum unus angelus diligat alium dilectione naturali sicut se.

Secundo quaeritur **I.** utrum unus angelus diligat alium angelum dilectione naturali sicut se.

Quod non, videtur: 1. Se enim diligit tamquam rationem omnium concupiscibilium; alium autem angelum non sic diligit; ergo non diligit alium angelum sicut se.

2. Praeterea, si diligere naturae dicatur appetere ei bonum quod sibi competit, hoc non videtur: nam [a] sicut diversa sunt appetentia, ita diversa sunt appetibilia, et ita non idem appetit alteri angelo quod sibi.

3. Praeterea, diligere alium angelum ad vitam aeternam, ad quam se diligit, est motus caritatis; ergo non est motus naturae, ad quem ipsa natura sufficiat.

4. Item, si diligere sicut se est diligere eum, quia est imago Dei, cuius est ipse imago [b], et ita in ratione imaginis sit haec similitudo secundum quam attenditur dilectio naturalis, secundum hoc ex naturali dilectione aeque diligetur angelus ab angelo alio ut diligitur a se et in tantum: ratio enim imaginis est aeque naturaliter [c] in utroque; ergo ratio diligendi naturaliter; ergo tantum diligit angelus alium angelum naturaliter [d] quantum se. Quod cum non concedatur, eo quod penes ipsum residet ratio diligendi naturaliter alium angelum [e], non erit haec ratio diligendi naturaliter ex respectu imaginis divinae.

Quod autem angelus diligat alium angelum ut se, *a.* habetur ex hoc quod dicitur Eccli. 13, 19-20: *Omne animal diligit sibi simile, et omnis homo sibi simili sociabitur,* et hoc est [f] ex natura; ergo et angelus naturali dilectione diligit alium [g] ut se, quia 'sicut' est nota similitudinis; similitudo autem haec [h] est in communicatione [i] naturae; ergo dilectione naturali diligit [k] alium ut se.

II. Huius etiam rei gratia quaeritur, si unus angelus habeat meliora naturalia quam alius angelus, utrum naturali dilectione sit magis dilectus.

Quod videtur: 1. Quia bonum naturale est naturaliter diligendum et magis bonum in via naturae magis diligendum; ergo angelus naturali dilectione aliquando plus diligit [l] alium quam se.

Contra: *a.* Quidquid diligit naturali dilectione, propter se diligit; ergo magis se diligit quam alium angelum.

[Solutio]: I. Ad quod dicendum quod naturali dilectione diligit angelus angelum [m] ut se, non tamen quantum se: 'ut' enim est nota similitudinis, non quantitatis; haec autem similitudo est in communicatione eiusdem naturae intellectualis.

[Ad obiecta]: 1-4. Per hoc potest patere qualiter respondendum est ad primo obiecta [n]. Non enim attenditur illa [o] similitudo quantum ad rationem diligendorum nec quantum ad appetitum vitae aeternae nec quantum ad rationem imaginis: istae enim sunt conditiones quas distinguit liberum arbitrium in quantum huiusmodi, non in quantum natura.

II. Ad aliud dicendum quod, licet unus angelus meliora habeat naturalia quam ipse angelus diligens, non tamen naturaliter plus se ab illo [p] diligitur, sed comparatione aliorum angelorum teneret haec ratio comparationis, non respectu sui.

168 PARTICULA IV.

Quo ordine angelus diligat hominem ratione animae vel corporis.

Deinde quaeritur de dilectione naturali hominis ratione animae vel corporis, utrum fuerit ordinata sub dilectione naturali alterius angeli.

Quod videtur: I. 1. Sicut enim corpus, quod est infra animam, diligitur [q] minus quam anima, ita anima, quae est infra angelum, naturaliter diligitur infra angelum sive minus quam angelus.

Sed contrarium videtur: *a.* Per hoc quod anima nata est associari angelo in beatitudine; ergo, cum angelus teneatur naturaliter diligere participem beatitudinis sicut se, tenetur diligere hominem ratione animae rationalis sicut se; ergo non est ordinata dilectio animae rationalis sub dilectione angeli.

II. Similiter obicitur de dilectione angeli respectu corporis humani. Ad quod enim pervenit gratia, ad hoc nititur natura animae rationalis; sed gratia per caritatem pervenit ad dilectionem corporis humani, ut diligatur infra spiritum; ergo angelus naturali dilectione diligit corpus humanum.

Sed contrarium videtur: 1. Quia nec corpus humanum iuvat ad esse angeli vel [r] bene esse; sed illud solum videtur naturaliter diligi quod iuvat ad [s] esse eius vel bene esse; ergo corpus

---

[a] V *quia.* [b] S om. *Dei... imago.* [c] V *naturalis.* [d] Z add. *in.* [e] Ita VZ, alii om. [f] V add. *natura.* [g] RC add. *angelum.* [h] Ita V, alii *hic.* [i] Ita R, alii *coniunctione.* [k] Ita V, alii *diliget.* [l] Ita V, alii *diliget.* [m] V *alium.* [n] V *obiectum.* [o] T om. [p] S *alio.* [q] T *diligatur.* [r] T *nec.* [s] Z om.

humanum non est diligibile ab angelo dilectione naturali.

Respondeo I. quod homo gratia animae rationalis naturaliter est diligendus ab angelo sicut [a] ipse, secundum quod dilectio naturalis elicitur a natura, in qua abundat homo ultra naturam, qua simile naturaliter diligitur a suo simili, et hoc est in quantum ex natura possibilis est ad beatitudinem eamdem ad quam angelus fuit possibilis. Est autem natura alia, qua simile diligit suum simile et quanto magis est simile tanto magis diligit: et secundum hunc modum, quia angelus angelo est similior quam angelus animae, cum genere proximo differant angelus et anima [b], magis diligit [c] angelus angelum dilectione naturali quam animam.

[Ad obiecta]: 1. Ad id [d] quod obicitur, dicendum est quod non est simile de dilectione animae ad corpus et angeli ad animam, quia corpus non est possibile ad illam [e] beatitudinem, quae consistit in visione Dei [f], sicut est possibilis angelus et anima. Unde alia ratione diligit angelus [g] animam et anima corpus, scilicet suum vel alterius hominis, quia angelus diligit animam ut possibilem participare eamdem beatitudinem, anima [h] vero diligit corpus ut quod cedit ei in augmentum gloriae, non quantum ad magnitudinem [i] gloriae, sed multitudinem [k] eorum de quibus est gloriandum.

II. Ad id vero quod obicitur de dilectione naturali ipsius corporis humani: respondeo [l] quod non propter hoc est diligibile naturali dilectione, quia confert ad bene esse essentialiter et [m] principaliter vel quia possibile sit participare beatitudinem, sed quia secundario potest conferre ad id de quo gloriatur angelus secundario: primo enim gloriatur angelus in Deo, secundario gloriatur in praemio hominis, qui datus est ei in custodiam, et [n] hoc praemium est hominis et ratione animae et ratione corporis. Quia ergo naturaliter desiderat angelus et primum praemium et secundum, sed differenter, ideo dilectio naturalis fuit in angelo et respectu Dei, de [o] quo principaliter natus est gloriari, et respectu animae rationalis et corporis ut de quo secundario natus est gloriari [p] cum remuneratur.

ARTICULUS III.

De ratione naturalis dilectionis in angelo.

PROBLEMA I. 169

Utrum in dilectione naturali prima ratio diligendi sit Deus [1].

Deinde quaeritur de ratione naturalis dilectionis in angelo [utrum], sicut [q] est in dilectione gratuita prima, ratio diligendi est Deus.

1. Si enim prima ratio in dilectione naturali est ex parte diligentis, tunc videtur, cum angelus diligat se propter se, quod fruatur se: « frui enim est amore inhaerere alicui rei propter se ipsam [2] »; ergo angelus in primo statu fruebatur se; sed dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [3], quod totum et solum malum est « uti fruendis et frui utendis »; sed creatura est utendum; angelus autem creatura est; ergo se uti debet, non frui; ergo naturalis dilectio esset peccatum vel cum peccato.

2. Praeterea, dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei* [4], quod amor sui est fundamentum civitatis diaboli, sicut amor Dei est fundamentum supernae civitatis, scilicet [r] Ierusalem; ergo amor, quo angelus diligebat se propter se, peccatum erat [s].

Sed videtur contrarium: *a.* Quia dilectio est coniunctio convenientis cum convenienti vel copula amantis et amati, sicut dicit Augustinus, in libro [t] *De Trinitate* [5]; sed nihil copulatur vel sibi coniungitur ut conveniens; ergo angelus non diligit se propter se.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod non sequitur si diligit se propter se, quod fruatur se, nisi 'propter se' diceret finem concupiscentiae procedentis ex electione rationali [u]; creatura autem non est finis huiusmodi concupiscentiae: hoc enim esset ponere mutabile bonum sub ratione summi boni, et sic esset peccatum, secundum [v] quod dicit Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [6] et *De confessione* [7]: « Vae illis, qui diligunt tuos nutus [x] pro te! » Si vero 'propter se' non dicat finem, sed rationem ex parte subiecti inclinantem ad talem actum a natura, secundum hoc non sequitur: diligit se, id est [y] suum vivere

---

[a] Ita V, L *quia*, alii *quasi*. [b] T add. *et*. [c] Ita V, alii *dilexit*. [d] V add. *vero*. [e] C om. [f] V om. [g] C *Deus*. [h] V *aliam*. [i] Ita ST, alii *imaginem*. [k] T *magnitudinem*. [l] R *respondendum*. [m] S om. [n] T om. [o] Ita V, alii *in*. [p] LCZ om. *et respectu... gloriari*, R om. *ut de quo... gloriari*. [q] C *sic*. [r] ST om. [s] T om. [t] Ita V, alii om. *i. l.* [u] LC *reali*. [v] RZ *scilicet*, quod LC corr. [x] T *virtus*. [y] T *nisi* pro *i. e.*

1 Cf. Guil. Altissiod., II, tr. 1, q. 2 (f. 38d).

2 Augustin., *De doctr. christ.*, I, c. 4, n, 4 (PL 34, 20). Cf. *De Trinit.*, X, c. 10, n. 13 et c. 11, n. 17 (PL 42, 981-982).

3 Quaest. 30 (PL 40, 19).

4 Lib. XIV, c. 13, n. 1 et c. 23 (PL 41, 421, 436).

5 Lib. VIII, c. 10 (PL 42, 960).

6 Lib. II, c. 16, n. 43 (PL 32, 1264).

7 Cf. lib, I, c. 13, n. 21; c. 20, n. 31; II, c. 6, n. 14; IV, c. 12, n. 18; V, c. 4, n. 7 (PL 32, 670, 676, 681, 700, 708).

et intelligere propter se, quod propter hoc fruatur se; nec in hoc est motus libidinosus, sed naturalis.

2. Ad id vero quod secundo obicitur de amore sui, qui est fundamentum terrenae civitatis: dicendum quod ille amor, qui est naturalis, sui, id est suae vitae sive intelligentiae, non est fundamentum Babylonis sive terrenae civitatis, sed amor sui, id est [a] suae excellentiae vel suae voluptatis vel ditationis indebitus, est fundamentum: et hoc modo non hic accipitur.

a. Ad id vero quod obicitur quod 'nullus potest diligere se propter se, et ita nec angelus, quia nihil copulatur sibi ut conveniens sibi': respondeo quod, cum dicitur 'angelus diligit se', alterum est in ratione diligens et quod diligitur: angelus enim suum esse diligit, non autem angelus est suum esse [b] vel sua vita [1], et ita potest intervenire dilectio prout est copula; cum autem dicitur 'Deus diligit se', ibi dilectio non est copula, sed est ipsa [c] essentia diligentis.

170 PROBLEMA II.

Utrum sit differentia inter dilectionem naturalem et mercenariam in angelo.

Deinde quaeritur si sit differentia inter dilectionem naturalem angeli et mercenariam, si in eis [d] potuit esse.

1. Et fit [e] sermo de bono mercenario, de quo dicitur Luc. 15, 17: *Quanti mercenarii sunt in domo patris mei* [f]*!* etc. Mercenarius enim bonus est qui diligit Deum propter beatitudinem, ut scilicet sit sibi beatitudo, et ita diligit Deum propter suum commodum [2]; et hoc idem facit dilectio naturalis; ergo non videntur differre nisi alia ponatur differentia [g].

2. Praeterea, si nulla poneretur differentia istius [h] ad illam, sicut una dilectione posset mereri, ita et alia; cum autem naturali dilectione non possit simpliciter mereri, erit [i] differentia istius dilectionis et illius; quae ergo assignatur differentia?

[Solutio]: Ad quod dicendum quod dilectionis naturalis natura est principium et origo, dilectionis vero mercenariae, sive sit in angelis sive non, gratia est origo sive principium: gratia enim movet liberum arbitrium in iis qui non attigerunt statum perfectionis, ad diligendum Deum propter beatitudinem sive vitam aeternam, et ita propter suum commodum gratuitum.

Et si obiceret forte aliquis quod praeponit bonum creatum bono increato, et ita est motus demeritorius, non meritorius: respondeo quod non [k]. Haec enim dictio 'propter' non dicit ibi quod beatitudo creata sit finis ultimus, ad quem Deus ordinetur, sed dicit finem quo quiescit concupiscens Deum; et ita Deus beatificans finis ponitur, non autem aliquid loco Dei.

Quod autem motus ille mercenariae dilectionis sit gratuitus, patet per hoc quod dicit B. Bernardus [3]: « In primis diligit homo se propter se, *caro* quippe *est* [4] et nil sapere [l] valet praeter se; cumque se [m] videt non per se subsistere, Deum quasi sibi necessarium incipit per fidem inquirere et diligere; diligit ergo in secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum. At vero cum ipsum coeperit occasione necessitatis colere et frequentare cogitando, legendo, obediendo, orando, quadam huiusmodi familiaritate paulatim sensimque [n] innotescit Deus, consequenter et dulcescit: gustatoque *quam suavis est Deus* [5], transit ad tertium gradum, ut [o] iam non diligat Deum propter se, sed propter ipsum ». Ex quo accipitur quod, cum diligere Deum propter se in secundo gradu sit in fundamento fidei, erit motus caritatis, et ita motus meritorius differens a motu naturali.

Sed adhuc quaeritur ratione illius primi gradus, quem [p] ponit B. Bernardus [6]: Cum angelus non sit caro, non habebit illum [q] primum gradum dilectionis et ita non diliget se propter se — hoc enim ibi [r] assignatur pro ratione — quia nihil potest [s] diligere ultra se, quia caro est; sed angelus spiritus est, non caro; ergo non diligit illo motu dilectionis; sed iste motus dilectionis est primus; ergo iste motus dilectionis [t] naturalis non erit in angelis.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod motus dilectionis naturalis in homine dupliciter reflectitur in se: tum ratione carnis, tum ratione spiritus. Anima enim rationalis diligit se, quia spiritus est et quia coniuncta est carni, angelus vero altero illorum modorum diligit se dilectione naturali: et illo modo est ratio dilectionis naturalis vel in homine vel in angelo, quia caro est.

Praeterea notandum est quod iste primus gradus non est nisi dilectionis bonae. Unde [u], cum dicitur quod 'homo non diligit nisi se, quia caro est', non accipitur ibi [v] 'caro' pro natura

---

[a] L om. *i. e.* [b] V om. *diligit enim... esse,* in T est add. mg. [c] Z om. [d] VST *eos.* [e] V *si,* ST *sit.* [f] V om. [g] R om. [h] RLCZ *illius.* [i] C *ita.* [k] L exp. [l] T om. [m] V om. [n] R *sensumque.* [o] S *et.* [p] V *quam.* [q] T om. [r] T om. [s] S *post.* [t] L om. *est primus... dilectionis.* [u] V om. [v] V *nam accipitur* pro *n. a. i.*

[1] Cf. supra, num. 116.

[2] Cf. *Glossa ordin.,* in h. l., ap. Lyran., ex Beda, in h. l. (PL 92, 523), Strab., in h. l. (PL 114, 312).

[3] *De diligendo Deo,* c. 15, n. 39 (PL 182, 998).

[4] Gen. 6, 3.

[5] Cf. Psalm. 33, 9.

[6] Loc. cit.

corrupta, sed pro natura in se, non in quantum est corrupta. Unde aliter accipitur, cum est ratio dilectionis naturalis et cum est ratio dilectionis [a] libidinosae. Ex una enim parte accipitur pro natura per se [b], ex alia [c] parte pro natura corrupta, in quantum huiusmodi. Secundus autem gradus, in quo diligit Deum propter se ipsum, secundum rationem B. Bernardi, non habet eamdem rationem omnino, sed in parte. Cum enim dicitur 'diligit Deum propter se ipsum', ratio sumitur ex parte Dei, sed movente [d] gratia; cum autem dicitur 'dilectione naturali diligit Deum propter se angelum', ratio sumitur ex parte sui, sed movente natura.

CAPUT II. 171

UTRUM DILECTIO NATURALIS SIT MODO IN BONIS ANGELIS.

Expedita quaestione de dilectione naturali in angelis primo conditis, sequitur consideratio de dilectione naturali, utrum sit in angelis bonis iam glorificatis.

Quod videtur: 1. per hoc quod gratia et gloria perficiunt et consummant naturam; ergo non destruunt actum naturalem in angelis vel quantum ad cognitionem [e] vel quantum ad affectionem; ergo nec quantum ad dilectionem; ergo dilectio naturalis non aufertur adveniente gratia vel gloria in angelis.

2. Praeterea, cognitio vespertina non tollebatur vel tollitur in angelis adveniente matutina, sicut habetur in Gen. [1] cum dicitur: *Factum est vespere et mane dies unus;* sed cognitioni matutinae respondet dilectio gloriosa, cognitioni vespertinae dilectio naturae aut rationis seu liberi arbitrii; ergo habita dilectione gloriosa, non tollitur dilectio naturalis seu rationis vel liberi arbitrii.

3. Item, status poenae et gloriae sibi invicem adversantur ex eadem parte; sed status naturae est utrique indifferens; ergo non tolletur per adventum gloriae; nihil ergo prohibet simul habere dilectionem naturae et gloriae; boni ergo angeli, cum habent dilectionem gloriae, non ab eis evacuatur dilectio naturae.

Sed videtur contrarium: *a.* Eo quod dilectio naturae reflectitur ad se; sed dilectio gloriae totaliter Deo innititur; ergo, cum inniti sibi et inniti Deo totaliter inter se opponantur, non erit dilectio naturae simul cum dilectione gloriae in angelis.

b. Praeterea, ibi, sicut dicit Bernardus [2], se ipsum diligit homo propter Deum; et ita eadem ratione angelus, quia iam est in illo statu, scilicet gloriae, diligit [f] se propter Deum omnino, et ita non est [g] ille motus, quo diligit se angelus, propter se.

c. Praeterea, I Cor. 15, 46: Primum est *quod animale* est quam *quod spirituale,* quod autem animale est *ex parte est* [3], quod autem spirituale est [h] ad perfectum pertinet; dicitur autem I Cor. 13, 10: *Cum venerit quod perfectum est* [i], *evacuabitur quod ex parte est;* ergo superveniente quod omnino spirituale est, evacuabitur quod est animale; sed dilectio naturalis in homine est animalis; ergo dilectio naturalis evacuabitur adveniente dilectione gloriae; pari ratione in angelis; ergo dilectio naturalis absorbetur a gloria in sanctis angelis.

d. Item, III Reg. 10, 4, dicitur quod *regina Saba vidit sapientiam Salomonis et domum quam aedificaverat et cibos mensae eius et ordines ministrantium, nec habebat ultra spiritum;* sed '*videre sapientiam Salomonis*' nihil aliud est quam habere visionem gloriosam, 'non habere autem *ultra spiritum*' est deficere a se [4]; ergo, cum spiritus proficit in Deum, profectu ultimo totaliter deficit in se; sed deficere in se est deficere a cognitione et dilectione quae in se reflectitur; ergo spiritus angelicus, cum habet cognitionem et dilectionem gloriosam, deficit a [k] naturali iam dicta.

[Solutio]: Ad quod videtur respondendum per [l] hoc quod dicit Bernardus [5]: « Cum introductus fuerit servus bonus et fidelis in gaudium Domini sui [6] et inebriatus ab ubertate domus Dei [7], quasi ebrius a musto oblitus sui et a se penitus deficiens, totaliter pergit in Deum, et deinceps adhaerens ei, unus spiritus erit ». Et iterum, in Psalmo [8] [m]: *Introibo in potentias Domini; Domine, memorabor iustitiae tuae solius;* et II Cor. 5, 16: *Et si iam* [n] *cognoscimus Christum secundum carnem et iam non novimus;* similiter dicitur [o] Ioan. 16, 7: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos;* abire autem ipsum fuit recedere quantum ad naturalem amorem, qui tamen bonus erat,

---

[a] L om. *naturalis... dilectionis.* [b] Ita V, alii om. *p. s.* [c] R add. *vero.* [d] R *monente.* [e] S om. *v. q. a. c.* [f] Ita V, alii *diliget.* [g] Ita V, T *esset,* alii *erit.* [h] L *spirituale* pro *a. s. e.* [i] T om. [k] S *autem.* [l] V *quod.* [m] T add. *et.* [n] VS *suam* pro *s. i.,* quod T corr. [o] R *dictmus.*

1 Cap. 1, 5.
2 *De diligendo Deo,* c. 15, n. 39 (PL 182, 998).
3 Alludit ad I Cor. 13, 10.
4 Cf. *Glossa ordin.,* in h. l., ap. Lyran.
5 Loc. cit.
6 Cf. Matth. 25, 21.
7 Cf. Psalm. 35, 9.
8 Psalm. 70, 15.

quia diligebant[a] eum in hac carne mortali; Paraclitum autem venire fuit amorem spiritualem infundi ad perfectum. Unde, cum amor ille spiritualis evacuaverit hunc carnalem, qui tamen bonus erat, amor patriae videtur evacuare naturalem, qui reflectitur[b], in se; sed si sit aliquis naturalis, qui non reflectitur in se, talis perficitur per dilectionem gloriae.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem obiectum respondendum est[c] quod gratia et gloria, cum perficiunt naturam, non tollunt dilectionem naturalem secundum essentiam, sed secundum hoc quod est ibi imperfectum; imperfectionis autem est quod in se tamquam in rationem dilectionis reflectitur.

2. Ad secundum[d] dicendum quod angelus bonus adhuc habet duplicem cognitionem, matutinam et vespertinam, quia est[e] in duplici statu: in quantum contemplatur Deum et in quantum ministrat. In quantum autem[f] contemplatur Deum, habet cognitionem matutinam, in quantum autem[g] ministrat, necessaria est cognitio vespertina; cum autem omnino contemplabitur nec erit necessarium ministerium, tunc erit matutina cognitio et non erit necessaria vespertina. Similiter potest esse de dilectione, ut dupliciter utatur dilectione: illa quae est naturae, ex una parte, illa quae est gloriae vel liberi arbitrii, ex alia parte; tunc autem totaliter perget dilectio in dilectum, scilicet Deum. Unde de homine dicit B.[h] Bernardus[1]: « Omnis amor carnis ab amore spiritus est absorbendus ». Vocat autem ‘amorem carnis’ qui refertur ad necessaria naturae; iste autem amor tolletur, cum auferetur[i] necessitas: ita, cum[k] spiritus angelicus omnino perget in Deum nec erit respectus angeli ad nostram necessitatem vel suam imperfectionem, tunc erit illi perfectio dilectionis[l] gloriae.

3. Ad tertium dicendum quod status poenae sive miseriae directe opponitur statui gloriae, status vero naturae non simpliciter opponitur, sed ratione cuiusdam imperfectionis annexae, quae imperfectio tolletur, etsi ipsa natura remaneat.

172 CAPUT III.

UTRUM SIT DILECTIO NATURALIS IN MALIS ANGELIS[2].

Deinde procedendum est ad considerationem dilectionis naturalis in daemonibus. Et quaeritur I. utrum actus dilectionis naturalis sit in daemonibus aut non. Et hoc attenditur ratione actus naturalis Dei.

Et videtur quod illa dilectio naturalis actualis sit in eis: 1. Quia cognoscunt[m] Deum creatorem et gubernatorem, et ita ab eo esse et[n] conservari in esse; sed dilectio naturalis est respectu Creatoris et Gubernatoris; ergo naturaliter diligunt daemones Deum. — Praeterea, naturalis dilectio potest stare cum dilectione culpabili; cum ergo culpabilis sit in illis, non per illam tolletur dilectio naturalis nec aliquid est aliud quod tollat illam; ergo est in illis.

2. Item, omnis creatura naturaliter appetit esse; quare multo fortius intellectualis creatura; ergo angelus naturaliter appetit esse; ergo et diabolus, cum sit angelus; sed si appetit esse, appetit illud sine quo non potest conservari in esse; sed Deus est sine quo non potest conservari in esse[o]; ergo diligit naturaliter Deum; ergo habet naturalem dilectionem Dei.

Contra: *a.* Odium in actu et dilectio in actu naturaliter sunt opposita; ergo non simul sunt in esse respectu eiusdem rei; sed conscientia diaboli, sicut videtur dicere Augustinus, in libro *Retractationum*[3], odio habet Deum; ergo non diligit Deum actu, sive natura inclinante sive libero arbitrio.

b. Item, aliquis homo ita est infectus odio alterius hominis quod natura non potest inclinare liberum arbitrium illius ad hoc quod diligat eum, etiam naturaliter; cum ergo multo magis sit infectus diabolus odio — *superbia enim eorum, qui te oderunt, ascendit semper*[4] — in tantum ergo inficitur affectus eius quod natura non potest inclinare ipsum ad hoc quod diligat eum, etiam naturaliter.

c. Praeterea, desperati homines volunt non esse; sed si volunt non esse, nolunt Dei conservationem; ergo non diligunt conservatorem; sed sciunt quod Deus est conservator eorum in esse; ergo non diligunt Deum; sed daemones multo magis sunt desperati quam homines; ergo volunt non esse; ergo non diligunt Deum[p], qui est conservator esse eorum.

---

[a] V *diligebat.* [b] STRLC *reflectit.* [c] Ita V, alii *Ad obiecta respondendum est. Ad primum* pro *Ad... est.* [d] C add. *vero.* [e] S *eum.* [f] L om. [g] V om. [h] L om. [i] T *afferetur.* [k] T *omnis.* [l] Codd. *dilectio.* [m] VT *cognoscit,* quod C corr. [n] S om. [o] T om. *sed... esse.* [p] C om. *sed... Deum.*

[1] *De diligendo Deo,* c. 15, n. 40 (PL 182, 999).
[2] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 5, a. 1, q. 1 (II, 146).
[3] Lib. I, c. 19, n. 8 (PL 32, 617).
[4] Psalm. 73, 23.

d. Item, certum est apud [a] daemones quod manentes in esse nunquam evadent miseriam vel poenam in qua sunt vel evadere possunt nisi non essent; ergo vellent non esse; ergo non diligunt Deum qui tenet eos in esse; sed dilectio huiusmodi conservatoris est naturalis; ergo haec dilectio conservatoris [b] non est in malis angelis respectu Dei.

II. Item, de dilectione sui quaeritur si malus angelus diligit se naturaliter.

1. Diligere enim se naturaliter est diligere esse suum et vitam suam; si ergo propter vitationem miseriae vellet non esse vel non vivere vel non intelligere poenam suam, ergo non diligit se dilectione [c] naturali.

Sed contrarium videtur: *a.* Quia [d] nullius est habere se odio, vel iusti vel peccatoris. Peccator enim ex libidine diligit quod diligit, libido autem [e] non est sine substrata [f] natura, necesse est [g] ex consequenti quod diligat [h] se. Similiter iustus, cum diligat se ex gratia [i], in quantum [k] huiusmodi; gratia autem habet substratam [l] naturam; ergo vult naturam esse, sine qua gratia non potest esse; ergo diligit se. Ergo diabolus naturaliter diligit se.

[Solutio]: I. Ad quod dicunt quidam quod dilectio naturalis habitu [m] est in daemonibus respectu Dei, non tamen exit in actum, eo quod vis dilectiva ita sopita est [n] per peccatum in ipso quod non excitatur in actum naturalis dilectionis.

[Ad obiecta]: 1. Secundum hoc posset responderi ad obiecta in contrarium quod, licet habeat cognitionem creatoris et gubernatoris, illa cognitio non est sufficiens ad inclinandum dilectionem propter contrarium appetitum: vellet enim iustitiam Dei non esse respectu poenarum, quas scit semper [o] esse, dum est.

2. Ad secundum vero dicendum quod creatura intellectualis habet appetitum habitualem sui esse et exiret in actum nisi esset contrarius appetitus, qui dominatur in vi illa, respectu illius per quem conservatur esse.

II. Ad id vero quod obicitur de dilectione naturali sui esse, videtur aliter dicendum quod [p] nunquam tollatur iste actus a natura, manente natura. Nam quod dicitur quod damnati vellent non esse, hoc non est [q] non-esse simpliciter, sed non esse in [r] illa miseria. Unde quod [s] mali volunt mortem aliquando, hoc est quia vellent esse sine miseria.

MEMBRUM II.

De dilectione electiva angeli.

Dicto de dilectione naturali, dicendum est consequenter de dilectione electiva sive rationali quae est in angelis.

Et [t] primo potest quaeri si dilectio huiusmodi sit in angelis;

secundo, si est in eis, utrum hac dilectione diligatur Deus;

tertio, si diligitur [u], utrum diligatur super omnia hac dilectione;

quarto, utrum angelus se ipsum diligat hac dilectione et alium angelum.

CAPUT I. 173

AN DILECTIO ELECTIVA SIT IN ANGELIS.

Circa primum sic obicitur: Quod angelus diligat dilectione electiva sive rationali, videtur. *a.* Liberum enim arbitrium est in eis, sicut supra habitum est [1]; liberum autem arbitrium est facultas voluntatis [v] et rationis sive rationalis voluntatis [2]; ergo rationalis [x] voluntas est in eis; sed rationalis voluntas est electiva voluntas, quae scilicet procedit ex cognitione data vel acquisita; ergo voluntas huiusmodi est in angelis; dilectio autem est voluntas boni ex electione procedens; ergo dilectio electiva [y] est in angelis.

b. Praeterea, angelus habet potestatem cognoscendi ex intellectu vel ratione bonum et malum et inter bona quod sit melius; ergo habet potestatem

---

[a] T om. [b] V om. *est... conservatoris.* [c] T *diligere.* [d] ST *quod.* [e] R *enim.* [f] V *subtracta,* quod C corr. [g] V om. [h] V *ligat.* [i] Ita ST, alii *natura.* [k] Z add. *in,* ST *tamen* pro *in.* [l] VC *subtractam.* [m] Z *habitus.* [n] S *esse.* [o] V *qua scit propter* pro *q. s. s.* [p] Ita V, alii *ut.* [q] S om. [r] Z om. [s] V *quam.* [t] Z om. [u] Z *diligunt.* [v] V *voluptatis.* [x] V om. *v. e. r.* [y] L *effectiva.*

1 Cf. supra, num. 153.

2 Cf. supra, num. 154.

eligendi et praeeligendi; ex huiusmodi autem electione vel praeelectione [a] sequitur dilectio; ergo in angelis est huiusmodi dilectio.

Sed videtur contrarium 1. per rationem quam ponit Damascenus [1]. Assignat enim rationem, quare electio non est in Deo, quia « Deus non consiliatur »; electio autem est cum [b] consilio; si ergo unus angelus non consiliatur cum altero, nec etiam in se ipso: consilium enim est [c] cum deliberatione, deliberatio autem est cum dubitatione; si ergo in angelis naturaliter non est dubitatio, in eis non est electio; ergo nec dilectio electiva.

2. Praeterea, electio huiusmodi est ex discussione [d] rationum ad utramque partem; sed discussio rationum ad utramque partem non est in angelis; ergo nec electio quae ex illa consequitur; ergo nec dilectio consequens electionem.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod dilectio electiva est in angelis secundum quod eligere est alterum alteri praeoptare [2].

[Ad obiecta]: 2. Ad illud vero quod obicitur in contrarium, dicendum [e] quod est quaedam electio, quae est ex pertractatione rationum ad utramque partem in ipso dubitante per ratiocinationem determinante, et talis electio est hominis qui non statim praevidet vel aestimat hoc esse illo melius: et hoc modo non est in ipsis angelis electio, cum citissime videant vel aestiment hoc esse illo melius. Est autem alia electio, quae procedit ex iudicio statim habito de bono vel de meliori: et hoc modo potest esse electio in ipsis angelis.

1. Quod autem dicit Ioannes Damascenus electionem non esse in Deo, quoniam [f] electionis est consiliari, « Deus autem non consiliatur: ignorantiae enim est [g] consiliari [3] »: verum est de electione quae requirit consilium, sicut loquitur Philosophus [4], non quod omnino tollatur electio a Deo [h] secundum quod electio est actus perfectus rationis vel intellectus circa bonum [5]. In angelis vero potest esse consilium; unde inferiores angeli consilium accipiunt a superioribus quid placeat Deo et quid fiendum est; superiores etiam consulunt Deum de iis quae pertinent ad eius voluntatem. Si ergo [i] hoc est in sanctis angelis, multo magis est in aliis [k], ex eo quod habent secundum naturam quod ad invicem consiliantur. — Nec hoc est contrarium quod « ignorantiae est consiliari », ignorantia autem est poena: est enim ignorantia quaedam quae poena est [l], et talis non fuit in angelis ex natura; est autem alia ignorantia quae nescientia dicitur, et hoc modo multorum est [m] ignorantia, hanc autem sequitur consilium.

174

CAPUT II.

UTRUM DILECTIONE ELECTIVA DILIGATUR DEUS AB ANGELO.

Secundo quaeritur, si dilectio electiva est in angelis, utrum hac dilectione diligatur [n] Deus.

Et videtur quod sic: *a.* Sicut enim in homine est quod ex electione non recta potest diligere aliquid, quod non est Deus, pro Deo, et [o] quod non est vere [p] beatitudo, pro beatitudine, et ex opposito ex electione recta potest diligere quod vere Deus est, pro Deo, et quod vere beatitudo est, pro beatitudine [q], ita potuit esse in angelis ut angeli mali diligerent aliquid [r], quod non est vere beatitudo, pro beatitudine, et quod non est [s] vere Deus, pro Deo, secundum illum [t] modum secundum quem hoc, quod prae aliis diligitur, 'Deus' illi dicitur; e contra boni angeli, quod vere est beatitudo, pro beatitudine eligentes, diligerent et quod vere Deus est, pro Deo eligentes, diligerent; sed hoc non esset, si dilectio electiva non esset in angelis primitus institutis; ergo dilectio electiva fuit in angelis primitus institutis [u].

Sed videtur contrarium: 1. Dilectio enim electiva est illius cuius est electio; electio autem non est finis, sed eorum quae sunt ad finem: in hoc enim distinguitur electio a voluntate, quod voluntas est communiter et finis et eorum quae sunt ad finem, electio autem est [v] eorum quae sunt ad finem [x] [6]. Cum ergo Deus sit finis, non erit eius electio: nullus enim deliberat utrum velit Deum naturaliter; ergo dilectio electiva non est respectu Dei.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod est loqui de Deo secundum communem intentionem, secundum quam dicitur 'Deus' quod prae omnibus

---

[a] ST om. *v. p.*; V *et* pro *vel*. [b] RLCZ *a*. [c] Ita VT (interl.), alii om. [d] R *discretione*. [e] Ita V, alii add. *est*. [f] Ita V, alii om. [g] TZ om., in L est add. mg., in C add. interl. [h] V add. *non*. [i] C *vero*. [k] Codd. *angelis*; V *quod* pro *ex*. [l] V *pena* pro *q. p. e.* [m] Ita V, alii *erat*. [n] V *eligatur*. [o] Ita V, alii *vel*. [p] V om. [q] V om. *et ex opposito... beatitudine*. [r] T om. [s] RLCZ *esset*. [t] S *nullum*. [u] V om. *ergo... institutis*. [v] C om. [x] V om. *electio autem... finem*.

1 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 946).
2 Cf. Aristot., *Moral. Eudem.*, II, c. 10 (II, 204).
3 Cf. Damasc., loc. cit.
4 Loc. cit.
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 241-246.
6 Cf. Aristot., loc. cit.

diligitur et colitur: et in hac ratione non est eius electio [a] nec dilectio electiva. Alio vero modo dicitur Deus substantia conditiva omnium et regitiva et rationalis creaturae perfectiva [b] gratia et gloria: et secundum hunc [c] modum diligitur dilectione electiva ab angelis bonis. Hoc ergo modo, prout dilectio electiva non respicit rationem Dei communem, sed id quod subest rationi quod vere est illud vel non vere est illud, esse potuit dilectio electiva in eis [d].

CAPUT III. 175

UTRUM DILECTIONE ELECTIVA DILIGATUR DEUS AB ANGELO SUPER OMNIA [1].

Tertio quaeritur si Deus illa dilectione ab angelo prae se ipso diligatur [e].

Quod videtur 1. per hoc quod dicit Augustinus, in libro *De fide ad Petrum* [2]. Dicit enim: « Angelos aeternos creavit et in eis facultatem atque intelligentiam cognoscendae diligendaeque veritatis inseruit; quos etiam creavit ut prae se ipsis illum diligerent cuius se tales creatos opere cognovissent, cum eorum, ut tales fierent, nulla merita praecessissent. Ut autem haec dilectio haberet iustam et congruam laudem, voluntatis quoque eis tribuit libertatem, ut esset eis possibile sive ad eum, qui supra ipsos est, intentionem sanctae dilectionis erigere, sive ad se sive [f] ad ea, quae infra eos sunt, pravae cupiditatis semetipsos pondere declinare ». Ex quo accipitur quod Deus contulit angelis libertatem voluntatis, ut prae se ipsis ipsum diligerent; ergo ex libertate voluntatis prae se ipsis poterant Deum [g] diligere.

2. Item, angeli cognoverunt ex intelligentia sibi data Deum esse summe bonum et super omnia diligendum, se autem non summe bonos; voluntas ergo, ex hac ratione ordinata procedens, Deum praetulit dilectione vel praeferre potuit sibi et omni creaturae; ergo ex dilectione electiva, etiam si non adesset gratia gratum faciens, posset diligere Deum super omnia.

Contra: *a.* Caritatis est diligere Deum propter se et super omnia; caritas autem non est sine gratia gratum faciente; ergo liberum arbitrium non potest in illum actum sine gratia gratum faciente; non ergo ex dilectione electiva, quae est solius liberi arbitrii, potuit angelus diligere Deum prae se ipso.

b. Praeterea, rationis ex se non est [h] abnegare se, sed ex gratia fidei sive cognitionis consimilis fidei, quae scilicet rationem elevet super se; sed diligere Deum propter se et super omnia est ex fide vel ex cognitione consimili fidei; ergo non est angeli ex dilectione electiva, quae est solius liberi [i] arbitrii, diligere Deum propter se et super se ipsum.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod est quoddam diligere Deum propter se et prae se ipso, quod est ex gratia gratum faciente, cognitione deiformi existente [k] tamquam fundamento et [l] caritate tamquam forma, et istud non est ex solo libero arbitrio; hoc autem diligere procedit ex cognitione Dei ut creatoris, iustificatoris et glorificatoris [m] secundum quod ad gloriam pertinet visio Dei unius et trini, quia ad horum cognitionem non pervenitur sine gratia. Est autem aliud diligere Deum prae se [n] ipso et propter Deum, quod procedit ex cognitione Dei ut conferentis esse et conferentis [o] beatitudinem in hac generali ratione vel potentis conferre — nec dico conferentis esse per creationem vel conferentis beatitudinem per glorificationem, quia ad hoc non pervenitur sine gratia — et in hac [p] ratione potest liberum arbitrium in angelis [q] diligere Deum prae se.

[Ad obiecta]: 1. Et per hanc distinctionem possunt solvi obiecta. Illud autem, quod dicit Augustinus, intelligitur quod, licet data esset eis potentia ad diligendum Deum prae se, non tamen ' diligere Deum prae se ' [r], ut ibi accipitur, esset ex solo libero arbitrio. Et hoc patet per hoc quod dicitur in illa auctoritate: « ut esset eis possibile [s] sive ad eum [t], qui super eos est, intentionem [u] sanctae dilectionis erigere ».

2. Ad secundum [v] dicendum quod secundum illum modum, qui dictus est superius [3], poterat angelus ex libero arbitrio diligere Deum prae se: ex intelligentia enim sibi collata poterat cognoscere Deum esse summe [x] bonum et summe diligendum. Et est aliud de ratione ut est ratio quam de ratione ut [y] natura [4]. Ratio enim ut est ratio potest cognoscere Deum ut summe bonum in se, non tantum ut beneficum; natura vero sive ratio ut natura, si habet cognitionem naturalem vel appetitum naturalem, in se quodam modo reflectit.

---

[a] V *dilectio.* [b] V *perfectura.* [c] S om. [d] V add. *diligitur.* [e] V om. [f] VST *vel.* [g] Ita R, alii om. [h] L om. [i] R om. [k] V add. *et;* C *deformi* pro *deiformi.* [l] V *ex.* [m] Z *gubernatoris,* quod R corr. [n] C om. [o] T om. *e. e. c.* [p] L om. [q] C om. *i. a.* [r] VL om. *non... se;* S *ei* pro *ibi.* [s] S *passibile.* [t] STLCZ *eos.* [u] T *intentio in.* [v] Ita V, alii add. *vero* [x] R *summum.* [y] Ita V, alii om. *r. u.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 3, q. 1 (II, 124 sqq.).
2 Fulgent., c. 3, n. 31 (inter opp. Augustini, PL 40, 773).
3 Cf. hic, in *Solutione* et num. 174, *Solutio.*
4 Cf. Alex. Hal., *Summa,* I, p. 43, nota 3.

176

CAPUT IV.

UTRUM DILECTIONE ELECTIVA ANGELUS DILIGAT SE ET ALIUM ANGELUM.

Quarto quaeritur utrum angelus diligat se et alium angelum dilectione electiva sive rationali [a], secundum quod supra dictum est [1].

Et videtur quod non: 1. Quia dilectio rationalis [b] tendit in alterum ut sit dilectio [2]; ergo, cum ipse non sit alter a se, rationalis dilectio non tendit in se.

2. Praeterea, si alius angelus diligitur [c] ista dilectione, hoc est vel secundum quod participat cum ipso in natura vel in quantum participat cum ipso in [d] ratione imaginis divinae vel in quantum potest participare gratiam aut gloriam sive participat. Si secundum primum modum, non distinguetur [e] dilectio naturalis a rationali. Si modo secundo, hoc non videtur: non enim videtur quod ratio cognoscat se imaginem vel ad imaginem nisi ex aliqua gratia sibi [f] data; ergo per consequens non diligit se illa dilectione nisi ex aliqua gratia sibi data; ergo ratio ex se ipsa non habet dilectionem sui vel alterius angeli sub hac ratione. Sed nec tertio modo videtur, quia diligere se vel alium angelum ex consideratione participationis gratiae vel gloriae est ultra se; ergo angelus non diligit se dilectione rationali [g] ex consideratione istius participationis.

Contra: Sed videtur contrarium. *a.* Dei enim, cuius est summa dilectio, est diligere se; angelus ergo, si diligit se dilectione rationali sive intellectuali, in hoc [h] assimilatur Deo; sed multo maior est indivisio inter diligentem et dilectum, cum Deus diligit se, quia est summa indivisio, quam sit inter diligentem et dilectum, cum angelus diligit se; ergo non repugnat dilectioni [i] rationali sive intellectuali quod angelus diligat se.

b. Praeterea, quod angelus diligat angelum, ad hoc inclinat natura et ad hoc inclinat gratia; ergo ratio, quae est media, sive intellectus ex cognitione sibi data ad hoc inclinat; ergo angelus diligit alium angelum dilectione huiusmodi.

Respondeo quod angelus et se ipsum et alium angelum diligit dilectione electiva.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem [k] dicendum quod illud verbum 'dilectio ut sit, semper in alterum tendit' excludit proprium et privatum amorem, et loquitur de dilectione gratuita, quae nunquam reflectitur in diligentem per praecisionem. Unde ex verbo illo non habetur quin et dilectio electiva et naturalis sit respectu diligentis [l]. — Praeterea, ut tactum est supra [3], angelus diligens se est alter in quantum diligit et in quantum diligitur, quia diligit suum esse, suam vitam, quae est altera ab ipso.

2. Ad aliud dicendum [4] quod angelus diligit alium angelum dilectione electiva, et ratione participationis eiusdem naturae et ratione qua participat cum ipso in ratione imaginis. — Ad illud quod obicitur quod tunc non distinguitur a dilectione naturali, dicendum quod non sequitur; idem enim, cum diversimode accipitur, potest esse ratio diversorum modorum diligendi, sicut in dilectione mercenaria et filiali: in utraque enim est bonitas prima ratio diligendi, sed in una est ratio ipsa bonitas in quantum est bonitas, in alia [m] ipsa bonitas in quantum est benefica. Similiter in proposito. Unde participatio [n] eiusdem naturae est ratio dilectionis naturalis, in quantum consideratur ut ens absolute: simile enim [o] natura movetur ad diligendum sibi simile, in quantum est simile, Eccli. 13, 19: *Omne animal diligit sibi simile.* Participatio autem eiusdem naturae, ut cadit sub iudicio debiti diligendi [p], est ratio dilectionis electivae: intellectus enim angeli [q], cognoscens aliquid esse simile alteri, iudicat [r] illud debere diligi ab illo, et ita conformitas sive participatio eiusdem [s] naturae, ut cadit [t] sub iudicio debiti diligendi, est ratio dilectionis electivae. Praeterea, conformitas in imagine fuit ratio diligendi dilectione electiva: cognoverunt enim [u], ad minus indistincte, quod erant conditi ad imaginem Dei, scilicet in quantum imago dicitur [5] « expressa similitudo ». Bene enim sciverunt naturali cognitione nullam creaturam Deo similiorem illis, sed gratia addita distinctius et clarius cognoverunt se esse ad imaginem, scientes per essentiae simplicitatem et distinctionem potentiarum naturalium sive habituum se expressissime [v], prout possibile fuit creaturae, ad [x] Dei imitationem, quantum ad unitatem essentiae et distinctionem personarum, conditos esse. Secundum igitur quod cognoverunt,

---

[a] C om. *s. r.* [b] VST *naturalis.* [c] R *diligit.* [d] VST om. [e] Ita V, alii *distingueretur.* [f] Ita L add. interl., alii om. [g] R *naturali.* [h] Z *hac.* [i] R *dilectio in.* [k] Ita V, alii om. [l] S add. *hoc.* [m] C add. *est.* [n] T *participatam.* [o] V *cum,* L *est.* [p] V *diligenti.* [q] S *angelo.* [r] TR *indicat.* [s] L *eius.* [t] LCZ *cadat.* [u] C om. [v] T *expressive.* [x] S om.

[1] Cf. supra, num. 174.
[2] Cf. supra, num. 165, n. 2.
[3] Cf. supra, num. 175.
[4] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 3, q. 2 (II, 127 sq.).
[5] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 414-416; II, p. 140, *Respondeo.*

dilexerunt: unde cognoscentes se esse ad imaginem Dei conditos, se mutuo dilexerunt dilectione electiva. — Ad id ergo quod obicitur quod 'naturali cognitione [a] sine gratia non cognoverunt se esse ad imaginem': dicendum quod, etsi non distincte cognoverunt, indistincte tamen [b], scientes nullam creaturam Deo similiorem illis, et ita illos expressissime ad imaginem Dei conditos esse.

TITULUS II.

DE ACTU POTENTIAE MOTIVAE EXTERIORIS ANGELI.

MEMBRUM I.

De motu angeli in se, non assumpto corpore.

Dicto de potentia motiva angeli et de actu eius interiori, consequenter dicendum est de actu exteriori, scilicet de motu locali.

Et primo, de motu eius, quo movetur in se, non assumpto corpore; secundo, de motu, quo movetur, assumpto corpore.

Quantum ad primum inquirendum [c] est de localitate angeli, deinde de motu eius locali.

CAPUT I.

DE LOCALITATE ANGELI.

Circa primum inquirenda sunt haec:
Primo, utrum sit in aliquo loco corporali;
secundo, utrum sit ubique;
tertio, utrum simul possit esse in pluribus locis.

ARTICULUS I. 177

Utrum angelus sit in aliquo loco corporali [1].

Circa primum sic: 1. Natura loci nobilior est locato [2]; sed spiritus angelicus nobilior est quocumque corpore; ergo non est angelus in aliquo loco corporali tamquam contentus ab eo.

2. Item, Sap. 1,7 dicitur de Spiritu increato quod *continet omnia;* sed constat quod spiritus angelicus, etsi creatus sit, plus tamen accedit ad naturam eius et [d] rationem, secundum quod est possibile [e] in creatura, quam aliquod corpus; ergo secundum viam istam plus competit ut spiritus creatus contineat corpus quam e converso.

3. Praeterea, corporis continentis ad contentum [f] est semper aliqua convenientia [3], sicut videmus in corporibus levibus quod, eo quod sunt levia, debetur eis [g] locus superior, sed gravibus, eo quod sunt gravia, debetur locus inferior: unde et corpora superiora naturaliter moventur sursum, inferiora deorsum, ita quod nec gravia naturaliter moventur sursum nec levia deorsum; sed angeli ad locum corporalem nulla videtur esse convenientia, immo indifferenter potest moveri [h], non solum circulariter, sicut corpus caeleste, sed etiam tam [i] sursum quam deorsum; videtur ergo quod [k] angelo non competat esse in loco corporali, cum corpori non assignetur aliquis locus corporalis nisi propter praedictam convenientiam, quae est naturaliter locati ad locans.

4. Praeterea, intelligamus per impossibile quod nullum esset corpus, constat quod adhuc posset esse angelus: non enim est de angelo sicut de anima, quae [l] ad minus videtur quantum ad exitum sui in esse indigere corpore; sed angelus de se est natura separatus.

5. Praeterea, nullo corpore creato potuit creari; videtur ergo quod nullo modo quoad eius esse dependeat a corpore, et ita videtur quod nulla

---

[a] V *dilectione;* R *sive* pro *sine.* [b] R add. *cognoverunt.* [c] L *querendum.* [d] V *per.* [e] V *impossibile.* [f] V om. *a. c.* [g] Ita V, alii om. [h] Ita V, alii *movere.* [i] S *tamen.* [k] Z om. [l] S *quod.*

[1] Cf. supra, num. 101-103; S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 1, a. 2, q. 3; p. 2, a. 2, q. 1 et p. 2, dub. 2 (II, 68, 75, 85).

[2] Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 2 (II, 286).

[3] Cf. Aristot., loc. cit., c. 4 (II, 290).

sit necessitas assignandi angelum esse in corpore, ut quod ei per se conveniat. — Si dicatur quod verum est quod hoc ei per se non convenit, sed per accidens, scilicet ratione suae [a] operationis, quod videtur dicere Damascenus[1] – hoc nihil est, quoniam constat quod, si dicatur esse in loco ratione suae operationis, hoc non est nisi ratione operationum corporalium aut ratione eorum [b] quae circa nos exercent, quoniam planum est quod ratione operationum, quas habet immediate in Deum, non est ipsum assignare esse in loco corporali; ergo secundum hoc circumscripta omni operatione corporali, quam circa nos exercet, non esset dicere ipsum esse in loco corporali: quod falsum est.

6. Praeterea, quid est dicere angelum esse in loco? Si hoc est solum dicere quia [c] est dum locus est, hoc nihil est, quoniam secundum hanc rationem omnia possent [d] dici esse in loco. Si autem diceretur esse in loco, quia loco est praesens et locus ei: sed hoc adhuc nihil est, quoniam hac via [e] est dicere Deum [f] esse ubique, et ita non diceretur alio modo angelus esse in loco quam dicatur Deus esse ubique: quod videtur falsum.

Respondeo: Bene concedimus quod habet esse in loco corporali, licet sit spiritus, aliter tamen quam corpus. Concedimus tamen quod non quantum ad proprietatem loci quae est salvare[2], quoniam corpus non est natum salvare spiritum, cum sine eo esse [g] possit; sed tamen possibile est ipsum esse in loco quoad proprietatem loci quae est continere vel definire[3]. Tamen valde dubitabile est quomodo hoc sit possibile, quoniam in corporibus videmus quod contenta corpora sunt possibilia [h] respectu continentium et per continentiam terminantur. Unde ipsum continens est corpus superius, secundum quod dicimus quod aqua continet terram, aër aquam, ignis aërem, caelum omnia elementa et etiam ipsa elementa [i] elementata et ponimus etiam ipsa corpora superiora, prout sunt continentia, esse sicut species respectu inferiorum contentorum[4]: unde in corporalibus semper ponimus aliquam [k] formalem naturam ex parte continentis, secundum quam est natum continere [l]. Sed non videtur possibile reperiri ex parte corporis, secundum quod dicitur continere angelum, aliquam naturam formalem [m] et ex parte angeli contenti aliquam naturam possibilem aut materialem [n]; propter hoc valde est dubitabile quomodo angelus possit contineri ab aliquo corpore. Propter quod intelligendum est quod aliter continetur corpus a corpore et aliter spiritus a corpore, quoniam, ut ostensum est[5], aliqua proprietas est in corpore superiori, secundum quam natum est continere corpus inferius; sed, licet in corpore sit aliqua proprietas secundum quam natum est continere angelum, non tamen dicimus quod sit proprietas corporalis ex parte corporis proveniens, sed potius est divinitus data. Secundum hoc etiam est aliqua proprietas angeli, secundum quam est natus contineri, ut iam videbitur[6]. Et hoc dicimus sine praeiudicio melioris sententiae, quoniam hoc non invenimus plane [o] determinatum in Sacra Scriptura nec a Sanctis nec ab expositoribus Sacrae Scripturae.

Ad hoc tamen magis explanandum notandum quod Deus de natura sua duo habet, scilicet quod omnia continet et quod sit ubique[7]; ista vero communicat creaturae secundum quod est possibile a creatura suscipi[8]. Rationem ergo continendi communicat creaturae; sed creatura spiritualis, quae est angelica, hanc non potuit suscipere, quoniam ipsi angeli [p] sunt ad invicem distincti quoad naturas suas nec ita ordinatur unus ad alium sicut ex parte corporum est. Similiter dicimus ex parte animarum. Congruit [q] ergo creaturae corporali, tamen [r] secundum quod est possibile, ut quod in Deo est secundum indivisionem, sit in creatura corporali per divisionem. Unde in Deo [s] est ista potentia quasi infinita, in creatura corporali quasi finita [t], quoniam, sicut dicit Philosophus[9]: « Omnis virtus unita plus est infinita quam virtus multiplicata ». Et praecipue congruit illi creaturae corporali, quae est composita in universo, — et hoc est ipsum universum: quod verum est, quia [u] ex se habet virtutem continendi et corpora et spiritus — et praecipue illi particulari creaturae quae nobilior est, sicut caelum, et aliis sicut est magis et minus secundum nobilitatem maiorem et minorem. Et ideo secundum hoc nobis videtur dicendum quod in corporali creatura est proprietas, tamen divinitus data, secundum quam [v] potest continere spiritus, licet hanc proprietatem non habeat ex parte illa

---

[a] V om. [b] VST *earum.* [c] T *qui.* [d] Z *anima posset* pro *o. p.*, quod L corr. [e] Z *hoc* pro *h. v.* [f] VST add. *non.* [g] Ita R, alii om. [h] V *passibilia.* [i] V om., R exp.; T om. *et etiam... elementata.* [k] L om. [l] Ita VR, alii *contineri*, L add. mg. *vel continere.* [m] C (corr.) *formaliter;* V *etiam* pro *et.* [n] R add. *et.* [o] C *plene.* [p] V *singuli.* [q] V *convenit.* [r] LCZ *tum.* [s] Ita V, alii *eo;* Z *iusta* pro *ista.* [t] T om. *q. f.* [u] L *quod.* [v] V om. *d. d. s. q.*

1 Cf. *De fide orthod.*, I, c. 13 et II, c. 3 (PG 94, 854, 870).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 4 (II, 288sq.).
3 Cf. Aristot., loc. cit.
4 Cf. Aristot., loc. cit.
5 Cf. parum supra, sub *Respondeo.*
6 Cf. hic, parum infra.
7 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 41-42.
8 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 44.
9 *Liber de causis*, § 16 (p. 179).

ex[a] qua est corpus; sed, secundum hoc quod dictum fuit[1], Deus non solum habet virtutem continendi omnia, sed etiam habet esse ubique, et hoc communicat creaturae secundum quod ei possibile est; sed esse ubique nulli creaturae potest convenire[b], sed solum esse hic, secundum quod dicit Ambrosius, in libro *De Spiritu Sancto*[2], quod « unaquaeque creatura certis limitibus et finibus definita est ». Et ita spiritus angelicus habet ad minus ex parte sua quod debeat definiri loco et quod sit hic ita quod non ibi, et ideo haec duo ei conferunt esse in loco. Ad hoc etiam valet quod videtur dicere Bernardus[c 3] quod unusquisque spiritus creatus habet aliquam ordinationem ad corpus: ex hac enim ordinatione potest habere quasi potestatem ad hoc ut possit contineri a corpore. Concedimus tamen quod non propter hoc sequitur quod, si[d] locus corporalis non esset, quod propter hoc angelus non esset; immo bene dicimus quod posset esse, etsi non esset in loco corporali, quoniam ab hac ratione continendi non dependet esse angeli, sed solum ab hac ratione continendi qua[e] dicimus quod Deus continet omnia: et verum est quod, nisi Deus contineret suo modo continendi, quod non haberet[4] esse. Et hoc est quod dicit Gregorius, in *Moralibus*[5], quod « omnia tenderent in non esse, nisi manu Conditoris tenerentur ».

[Ad obiecta]: 1-6. Et per hoc patet solutio ad omnia obiecta. Posset tamen dici quod non dicitur esse in loco nisi quia praesens est loco; et[f] tunc non oporteret esse aliquam dependentiam eius ad locum corporalem aut[g] ad corpus aliquod et tunc cessarent omnes illae oppositiones.

ARTICULUS II. 178

Utrum angelus sit ubique simul et semel[6].

Secundo quaeritur utrum angelus possit esse ubique simul et semel.

Quod non, videtur: *a.* Quia proprium est Dei esse ubique[7]; ergo[h] non convenit alicui creaturae.

b. Item, si conveniret angelo aliquando esse ubique, non posset moveri: motus enim est[i] ab uno loco ad alium; sed quod est ubique, praesens est omni loco; ergo non deest ei locus aliquis; ergo non movetur ad illum locum: motus enim est[k] ad obtinendum aliquid quod non[l] habet — hoc dico de motu recto — vel ad continuandum quod habet[m], sicut in motu circulari.

c. Praeterea, si esset ubique, haberet virtutem extensam ad omnem creaturam corporalem[n]; si ergo nullus angelus habet virtutem[o] extensam ad omnem creaturam corporalem, non potest esse ubique simul.

Contrarium autem[p] **videtur** 1. per hoc quod anima, quae est in corpore suo, ubique est in corpore suo, sicut dicit Augustinus[8]: est enim per vitam in omni parte corporis, et non est per vitam in aliquo nisi ubi ipsa[q] est unita, cum sit vita corporis vel vivificans corpus; cum ergo angelus aliquis[r] possit esse minister ad movendum caelum illud primum[s], penes quod determinatur[t] motus diurnus et secundum illud moveantur alii caeli et consequenter fiat mutatio in elementis et elementatis, habebit operationem per ministerium in iis, et « ibi est, ubi operatur[9] »; ergo potest esse ubique in toto illo corpore.

[Solutio]: Ad quod dicendum[u] quod non potest esse ubique simul.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem in contrarium dicendum quod, licet possit[v] ex ministerio aliquod caelum movere, non tamen est per totum illud caelum: non enim unitur ei sicut forma materiae aut perfectio subiecto, sed coniungitur sicut motor moto. Motor autem indivisibilis potest movere corpus quod est divisibile[x], etiam cum est separatum[y] per essentiam ab ipso, et si esset in aliqua parte ipsius tamquam in loco, posset alias partes movere, sicut motor qui est in una parte navis.

Sed adhuc posset obici quod indifferenter se habet ad omnem locum nec plus est in uno quam in alio; ergo, si est in uno, pari

---

[a] V *de.* [b] T *communicare.* [c] T om. [d] T om. [e] V *quam.* [f] T om. [g] R *ut;* T om. *ad,* in L est add. mg. [h] S *quod.* [i] CZ om. [k] T om. *non... est.* [l] C exp. [m] C om. *hoc dico... habet.* [n] VST om. [o] V add. *corporalem.* [p] Ita V, alii *ad contrarium* pro *c. a.* [q] S *ipsi.* [r] S *aliquid.* [s] V add. *per.* [t] R *determinatus.* [u] S add. *est.* [v] RLCZ *posset.* [x] Z *indivisibile.* [y] L *separatio.*

1 Cf. hic, parum supra.
2 Lib. I, c. 7, n. 81 (PL 16, 723). Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 2, a. 2, q. (II, 79a).
3 Cf. *In Cant.*, sermo 5, n. 1 (PL 183, 799).
4 Nempe angelus.
5 Cf. lib. XVI, c. 37, n. 45 (PL 75, 1143).
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 2, a. 2, q. 2 (II, 78sqq.).
7 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 44; S. Bonav., I *Sent.*. d. 37, p. 1, a. 2, q. 1 (I, 642sq.).
8 Cf. *De spiritu et anima,* c. 20 (inter opp. Augustini PL 40, 794); *Epist. 166,* c. 2, n. 4 (PL 33, 722).
9 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).

ratione est in quolibet; ergo ubique. — Respondeo quod sic est angelus indifferenter ad omnem locum quod ex natura non determinatur ei aliquis locus, ut sursum vel deorsum; tamen, cum nunc[a] est vel cum operatur, praesens est huic loco et continetur ab illo ita quod non ab alio, et hoc est quia determinatae est virtutis, ad differentiam Dei, cuius est infinita virtus[b].

179 ARTICULUS III.

Utrum angelus simul possit esse in pluribus locis[1].

Tertio quaeritur utrum simul possit esse in pluribus locis.

Circa quod sic: 1. In ordine universi nobilior est substantia angeli quam sit anima, eo quod angelus ex natura sua est substantia separata a corpore, anima vero substantia corpori unita aut unibilis; sed anima potest esse simul in pluribus locis: unde dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[2], quod «tota est in qualibet parte corporis»; ergo multo magis angelus poterit esse simul in pluribus locis.

2. Si dicatur quod, licet[c] anima secundum se tota sit in qualibet parte corporis, tamen[d] non propter hoc debet dici quod sit simul in pluribus locis, sed in loco partibili[e], quoniam ratio locandi proprie debetur toti corpori, sed partibus corporis non[f] debetur nisi prout sunt in toto, et ideo non habent rationem locandi differentem a ratione quae est in toto; et eodem modo conceditur de angelo quod bene possibile est ipsum esse in uno loco partibili: verbi gratia, si debeat subvertere Sodomam[3], dicemus ipsum esse in Sodoma sicut in loco uno, qui tamen locus est partibilis – contra: si angelus mittatur[g] ad subversionem Sodomae, constat quod aequaliter debet subvertere unam partem sicut et aliam; ergo aut erit aequaliter in qualibet parte aut in nulla; sed non potest poni quod in nulla, quoniam tunc non subverteret; ergo in omni. — Minor patet: quoniam non est de angelo, quando debet subvertere aliquam civitatem aut aliquid huiusmodi operari, sicut de nauta cum debet movere navem, qui in una parte navis potest sedere vel movere[h] et tamen totam navem movere, et hoc est quoniam motus navis quasi dependet ex motu huius partis, et ideo plus habet ordinationem[i] ad hanc partem quam ad aliam[k]; sed non est sic de angelo, immo ordinationem[l] habet ad partem quamlibet. Nec etiam de ipso est ut de rege qui, existens in una parte regni, potest regere totum regnum, quoniam potestas eius[m] plus dependet ex una parte quam ex alia, reliquas etiam partes regit mediantibus aliquibus ministris; sed, licet fortassis angelus ad unam partem caeli empyrei[n] determinatam sibi magis se habeat quam ad aliam, non tamen sic est respectu locorum inferiorum. Et ita videtur quod sequatur conclusio praedicta.

Respondeo: Dicimus quod angelus non est nisi in uno loco partibili, secundum quod ipsum ponimus in loco ratione suae essentiae. Nihilominus tamen potest movere quoddam corpus magnum et tamen in unica parte esse, sed eius virtus et operatio extendit[o] se ad quamlibet partem eius, ut cuilibet parti dicatur praesens per effectum suae operationis. Secundum hoc potest intelligi quod dicit Damascenus[4] quod «ibi est ubi operatur», non quod oporteat ipsum esse per essentiam in quacumque parte operatur, sed solum per effectum suae operationis, secundum quod sua virtus potest se extendere. Quaedam enim corpora possunt movere corpora etiam per essentiam[p] a se distincta, sicut adamas ferrum, et multo magis potest esse hoc in spiritibus angelicis. Unde secundum hoc[q] dicimus quod per essentiam non est [nisi] in uno loco[r] etiam in partibili.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad id quod obicitur in contrarium per simile de anima, respondeo quod non est simile. Anima enim non solum unitur corpori ut motor mobili, sed etiam ut perfectio perfectibili[5], et sic fit una natura ex anima et corpore: et ideo est in toto corpore sicut perfectio in suo perfectibili toto, nec hoc habet ratione qua dicitur motor. Sed angelus solum unitur corpori sicut motor mobili, et ideo non oportet quod in toto corpore locetur[s] per essentiam, sed solum quod in una parte, et ad reliquas partes extendatur

---

[a] S *non*, C *hic*. [b] Ita V, alii om. [c] C om. [d] R om. [e] R *particulari*. [f] T *ideo*. [g] T *mutatur*. [h] Z *manere*. [i] T *ordinem*. [k] Z *illam*, quod C corr. [l] T *ordinem* pro *l. o.* [m] Ita V, alii om. [n] R om. [o] Ita V, alii *extendet*. [p] V om. *p. e.* [q] V om. *s. h.* [r] Ita V, alii om. [s] V vacat.

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 1, a. 2, qq. 3 et 4 (II, 80 sqq.).

[2] Cap. 20 (inter opp. Augustini PL 40, 794). Cf. *Epist. 166*, c. 2, n. 4 (PL 33, 722); *Contra epist. fundamenti*, c. 16, n. 20 (PL 42, 185); *De immort. animae*, c. 16, n. 25 (PL 32, 1034).

[3] Cf. Gen. 19, 13.

[4] *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).

[5] Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 1 (III, 444).

sua virtus et operatio, ut dictum est [1]. Et generaliter nunquam oportet quod si aliqua duo uniantur, quod ubicumque sit unum, quod alterum, nisi fiat una natura ex ipsis. Unde, licet humana natura sit unita divinae et divina natura sit ubique, non propter hoc oportet quod humana, quoniam non uniuntur in unitate naturae, sed solum personae [2].

CAPUT II.

DE MOTU LOCALI ANGELI.

Consequenter quaeritur de motu angeli:
Primo, utrum angelus moveatur localiter;
secundo, utrum in movendo necesse sit pertransire medium;
tertio, utrum in se vel ex se habeat moveri localiter aut ad hoc quod sic [a] moveatur necesse sit ipsum assumere corpus.

ARTICULUS I. 180

Utrum angelus moveatur localiter [3].

Circa primum sic: I. Primo, videtur quod angelus localiter moveatur. *a.* Et primo ex hoc quod dicitur ad Hebr. 1,14: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi;* huiusmodi autem missio expletur [b] per motum localem.

b. Hoc idem patet ex hoc quod dicit Ioannes Damascenus [4]: « Cum sunt in caelo empyreo, non sunt in terra; cum ad terram a Deo mittuntur, non remanent in caelo ».

c. Item, Gregorius [5], super illud Luc. 1,19: *Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum* etc.: « Cum ad nos veniunt angeli, exterius sic implent ministerium ut tamen ante Deum interius per contemplationem assistant »; et ita ut prius. Et ad hoc possunt adduci plures auctoritates tam ex textu Bibliae [c] quam ex expositoribus Sacrae Scripturae.

d. Hoc idem per rationem potest ostendi, quia [d] solius Creatoris est esse ubique, creaturae vero est [e] definiri loco. Quod etiam patet de angelo: quia, ut dictum est [6], cum est in caelo, non est in terra: simul enim non est in pluribus locis. Ponamus ergo quod sit in caelo et praecipiatur ei aliquid operari in terra: tunc planum est quod non potest esse in terra nisi per motum; et necesse est quod ibi sit, quoniam necesse est ut [f] ibi sit ubi operatur [7]; ergo planum est quod necesse est ipsum moveri localiter.

Contra: 1. Omnis motus est propter indigentiam sui ipsius vel alterius [8] et ponitur exemplum de caelo quod, etsi propter indigentiam sui non moveatur, quoniam est corpus perfectissimum, movetur tamen, sicut dicit Philosophus [9], propter continuationem generationis inferiorum; sed angelus non habet necesse moveri propter indigentiam sui vel alterius; ergo etc. — Probatio minoris: Propter indigentiam sui non movetur, cum sit iam beatificatus et ita ultimam perfectionem habet, cum qua non potest habere aliquam indigentiam; ergo movetur propter indigentiam alterius; et hoc videtur per hoc quod dicitur Hebr. 1,14: *Omnes sunt administratorii spiritus, missi propter eos* etc. [g]. Sed contra videtur quod si nunquam esset indigentia hominis reparanda [h] per motum angeli, quod adhuc nihilominus posset habere angelus necessitatem ad movendum. Ponamus ergo quod adhuc praecipiat ei Dominus moveri, et cum suo motu non perficiatur aliqua indigentia creaturae et tamen [i] habeat necesse obedire, patet quod necesse habet moveri; quare etc.

2. Praeterea, videtur quod propter sui ipsius indigentiam moveatur. Constat enim quod per suum motum est in aliquo loco, in quo non erat prius antequam moveretur; ergo est in ipso aliquid innovatum; ergo aliquid acquisitum, quo, ut videtur, antequam moveretur, indigebat, aut frustra movetur; quare etc.

3. Si dicatur quod verum est quod propter indigentiam sui ipsius movetur [k], sed non propter indigentiam quae modo sit in ipso, cum sit iam beatificatus, sed propter indigentiam quae fuit — et hoc dicitur secundum opinionem illorum qui dicunt quod angeli modo merentur gloriam, quam

---

[a] T om. [b] V *ministerium non expletur*, S *missio non expletur*, T *missio non expletur nisi* pro *m. e.* [c] VL *biblice.* [d] RLCZ *quod.* [e] C om. [f] L om., RC *quod.* [g] V om. [h] C *reparandi.* [i] Ita, V alii *cum.* [k] Ita VR, alii om.

1 Cf. supra, sub *Respondeo.*
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 69b, *ad 2.*
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 2, a. 2, q. 1 (I, 657 sqq.).
4 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).
5 Cf. *In Evang.*, hom. 34, n. 13 (PL 76, 1255).
6 Cf. sub litt. *b.*
7 Cf. Damasc., loc. cit.
8 Cf. Aristot., *De animal. incessu*, c. 6 (III, 307).
9 Cf. *De gener. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 465).

iam obtinuerunt: unde non merentur habendum, sed potius iam habitum — contra: praemium redditur propter[a] meritum; ergo meritum naturaliter antecedit praemium; ergo angeli prius meruerunt gloriam, quam modo obtinent, quam eam obtinuerunt; quare etc. — Item, mali angeli simul sunt aversi a Deo et boni conversi; sed mali sufficienter meruerunt poenam per hoc quod sunt aversi: unde propter illam aversionem[b] puniti sunt postmodum aeternaliter; ergo boni per hoc quod sunt conversi meruerunt gloriam, quam modo obtinent; ergo ex tunc habuerunt perfectionem in merito et in praemio, quoniam illa conversio fuit gratuita; sed quantulacumque conversio, dummodo gratuita sit, sufficit ad obtinendam gloriam; planum est ergo quod post[c] huiusmodi conversionem non habuerunt angeli indigentiam nec ex parte meriti nec ex parte praemii. Ergo postmodum non moventur[d] propter indigentiam prius habitam reparandam. — Item, omne quod movetur propter aliquid, habito illo, quiescit[1]; si ergo motus angeli non movetur nisi propter obtentum gloriae, videtur[e] quod, obtenta gloria, non deberet[f] ulterius moveri, quoniam post obtentum gloriae non videtur aliquid esse in eo reparandum, quoniam tunc non esset beatificatus. Ex quo adhuc apparet quod non potest poni ipsum moveri propter reparationem indigentiae quam prius habuit, cum sit iam sufficienter reparata.

II. Item, occasione huius motus quaeritur utrum motus semper indigentiae attestetur, ut sequatur 'hoc movetur, ergo[g] est indigens'.

Quod videtur per definitionem motus quam ponit Philosophus, quae est[2]: « Motus est actus mobilis imperfectus ».

Sed contra: *a.* Constat quod in corporibus glorificatis attestatur agilitas perfectioni, aut aliter non diceretur dos agilitas; sed agilitas dicit potentiam huiusmodi corporum ad movendum localiter; sed constat quod plus est perfecta potentia, cum est sub suo actu, quam[h] sit secundum se; sed actus praedictae potentiae est motus huiusmodi corporum secundum huiusmodi agilitatem; ergo planum est quod motus corporum glorificatorum attestatur perfectioni et non indigentiae; ergo multo magis motus spirituum.

Sed contra: 1. Quia[i] Deus est ubique, ideo dicitur non moveri. Nec est contrarium quod dicit Augustinus, *Ad Orosium*[3], quod « Deus movet se sine tempore et sine loco »: hoc enim solum est dictum secundum similitudinem quamdam. Quod ergo dicitur creatura moveri localiter, hoc est quia deest ei ut sit in illo loco ad quem movetur; ergo est in eo indigentia quoad hoc, et ita omnis motus est propter indigentiam.

Solutio: Concedimus quod angelus movetur de loco ad locum.

[Ad obiecta]: 1. Ad id quod obicitur in contrarium, dicimus quod in creatura potest determinari indigentia dupliciter: uno modo, ut dicat diminutionem respectu perfectionis quae est in solo Deo, et sic bene concedimus quod in qualibet creatura, etiam in quocumque statu, est indigentia: haec enim perfectioni debitae creaturae, secundum quod est[k] creatura, non opponitur; alio modo, ut dicat diminutionem contra[l] perfectionem ultimam creaturae, secundum quod dicimus quod angeli boni ultima perfectione perficiuntur: et sic dicimus quod nec in angelis nec in corporibus glorificatis est indigentia; unde nec motus eorum est propter indigentiam quae suae perfectioni opponatur: nec enim, quando moventur, inveniunt in medio resistentiam, immo tam cito sunt ubi volunt esse. Et verum est quod, si aliter esset, quod in ipsis quoad motum eorum esset indigentia, quae suae perfectioni opponitur. Dicimus ergo de angelis quod moventur propter reparandam indigentiam quae est in nobis; et in hoc[m], licet non mereantur praemium principale, merentur tamen secundarium: sicut praelatus in[n] regendo sibi subditos non acquirit praemium principale, sed[o] secundarium; et hoc praemium bene merentur angeli, licet iam sint beati, usque ad diem iudicii. Nec tamen est propter hoc in ipsis indigentia quae opponatur suae perfectioni, ut supra ostensum est[4]. Tamen bene concedimus quod, etsi non moverentur[p] propter reparandam indigentiam, quae est in nobis, sed solum ut[q] obedirent Deo praecipienti[r], quod adhuc mererentur[s] praemium secundarium, quod tamen esset alterius generis a praedicto praemio secundario[t]: illud enim posset dici aureola, istud non. Unde bene concedimus quod in sola conversione ad Deum meruerunt praemium primum et postmodum non merentur nisi secundarium, nondum tamen habitum antequam mereantur, sed post meritum habendum, et concedimus ea quae ad hoc obiecta erant.

2-3. Et[u] per hoc possunt solvi omnia quaesita.

---

[a] V *citra.* [b] T *conversionem.* [c] Ita V, alii *propter.* [d] LZ *movetur.* [e] L *videntur.* [f] RLCZ *debent.* [g] V add. *hoc.* [h] R add. *cum.* [i] V *quod.* [k] C add. *in.* [l] R *circa.* [m] R om. *i. h.*, Z om. *e. i. h.* [n] LC om. [o] R *licet.* [p] V *moveantur.* [q] RLCZ om.; T om. *solum.* [r] L *precipitati.* [s] CZ *merentur.* [t] Z om. [u] R om.

[1] Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 9 et *De caelo*, I, c. 9 (II, 363, 383).

[2] *Phys.*, VIII, c. 5 (II, 352).

[3] *Dialog. quaest. 65*, q. 40 (inter opp. Augustini PL 40, 746). Cf. *De Gen. ad litt.*, VIII, c. 20 (PL 34, 388).

[4] Cf. hic, parum supra.

ARTICULUS II. 181

Utrum necesse sit angelum moveri per medium [1].

Secundo quaeritur utrum necesse sit ipsum moveri per medium.

Quod videtur: *a.* Quoniam mobile ratione sui motus non potest comparari nisi ad terminum a quo et ad terminum ad quem aut ad spatium intermedium [a 2]. Supposito ergo ex praedictis quod angelus moveatur secundum locum, necesse est [b] quod dicatur hoc comparatione ad aliquem praedictorum locorum. Sed constat quod non comparatione ad terminum a quo, quoniam in illo termino fuit non-motus; ergo comparatione ad hunc non potest habere rationem motus, cum quiescere et moveri sint opposita [3]. Similiter nec in comparatione ad [c] terminum ad quem, quoniam, cum est mobile in hoc loco, iam est mutatum vel motum; sed moveri et esse motum opponuntur; ergo, si dicatur moveri, necesse est quod hoc sit in [d] spatio intermedio, et ita necesse est ipsum pertransire medium. — Et quod ita necesse sit secundum hanc [e] rationem, adhuc evidentius apparet: quoniam ipsum 'moveri' medium est inter non-motum esse, secundum quod respicit terminum a quo, et ipsum motum esse in termino ad quem; quare secundum hoc, sicut ipsum non-motum esse est [f] in termino a quo et ipsum motum esse in termino ad quem, sic erit ipsum moveri in spatio intermedio.

b. Ad idem: Motus localis et locus sese consequuntur, ita quod quidquid dicitur esse [g] in loco dicitur moveri localiter, et ideo dicit Philosophus [4] quod, nisi esset motus, non quaereretur locus; sed locus comparatur ad locatum aut sicut ipsum circumscribens aut sicut salvans aut sicut terminans aut sicut in quo locatum [h] quiescit [5]. Sed constat quod locus angeli essentialis non comparatur ad ipsum sicut circumscribens, quoniam iste modus essendi in loco solum [i] corporibus competit; nec sicut salvans ipsum [k], quoniam sine loco corporali posset esse angelus; sed bene videtur locus comparari ad angelum sicut in quo est angelus [l] sicut in suo terminante aut sicut in eo in quo quiescit. Intelligamus ergo quod angelus sit in aliquo loco ut in quo quiescat [m], et debeat postmodum esse in aliquo ad quem necesse sit terminari suum motum, quia constat quod in illo non potest esse nisi per motum. Si ergo dicatur angelus moveri, constat quod hoc non est dum est [n] in termino a quo, in quo est sicut in quo [o] quiescat, quoniam dum est in hoc termino, adhuc habet potentiam movendi nec adhuc actualiter movetur aut motus [p] est; similiter nec cum [q] iam est in termino ad quem, quoniam iam motus est aut mutatus. Ista ergo potentia ad movendum, quam habebat dum erat in termino a quo, non reducitur ad actum nisi dum est in spatio intermedio; quare, ut prius, videtur quod necesse sit ipsum moveri per spatium [r] medium, et ita necesse est pertransire medium.

Contra: 1. Est quoddam corpus rarum vel densum, quod movetur dividendo medium. Est aliud corpus nec rarum nec densum, sed nobilius, ut lumen, quod suo loco movetur orbiculariter, extra autem movetur motu recto, non dividendo medium, ut radius. Unde non proprie dicitur quoad hoc dividere medium, secundum quod dicit Augustinus, in libro *Sex Quaestionum* [6]: « Non citius pervenit radius ad propinquiora [s] loca quam ad remotiora, sed fit repente immutatio [t] in medio et extremo »; sed corpus rectum pertransit medium dividendo, et est dicere suum motum tardum vel velocem [7]; sed constat quod spiritus angelicus adhuc in nobiliore conditione participat motum localem quam etiam [u] corpus quodcumque; quare si unum est corpus quod movetur pertranseundo [v] medium et dividendo, aliud [x], quod, etsi pertranseundo, non tamen ipsum dividendo, sed [y] quasi repente et in tempore imperceptibili fit mutatio in medio et extremo: videtur quod spiritus angelicus moveatur de loco ad locum non [z] pertranseundo medium.

2. Item, Augustinus, *Ad Orosium* [8]: « Deus movet corpora per loca et tempora, spiritus non per loca, sed per tempora ». Si ergo dicatur movere spiritus per oppositionem ad corpora quoad hoc quod est moveri per loca, et constat quod,

---

[a] Ita V, alii *eius medium.* [b] S om. [c] C exp. [d] V om. [e] Ita V, L *illam,* alii *istam;* V om. *adhuc.* [f] VR om. [g] T om. [h] V *localiter.* [i] RC *solis.* [k] C om. [l] S om. *comparari... angelus.* [m] T *quiescit.* [n] L om. [o] S om. [p] Ita STZ (corr.), alii *motum.* [q] Z *dum.* [r] V om. [s] R *propiora.* [t] Z *mutatio.* [u] T om. [v] S *transeundo.* [x] S *illud.* [y] V *et,* C *scilicet;* SL om. *et.* [z] C om.

1 Cf. supra, p. 137, *ad 2;* S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 2, a. 2, qq. 2 et 3 (I, 650 sqq.).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, V, c. 1 (II, 308).
3 Cf. Aristot., loc. cit., c. 2 (II, 311).
4 *Phys.*, IV, c. 4 (II, 289).
5 Cf. Aristot., loc. cit. (II, 288).
6 Quaestio 1, n. 5 (PL 33, 372).
7 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 7 (II, 356).
8 *Dialog. quaest. 65,* q. 40 (inter opp. Augustini PL 40, 746); cf. *De Gen. ad litt.*, VIII, c. 20 (PL 34, 388).

sicut corpora moventur de loco ad locum, sic et spiritus: ergo, cum dicantur spiritus non [a] moveri per loca, hoc non potest esse nisi quia movendo de loco ad locum non pertranseunt medium; quoad hoc enim quod est moveri de loco ad locum, non est oppositio inter corpora et spiritus quoad motum secundum locum. — Sed ut habeatur [b] intellectus huius auctoritatis, obicitur contra [c] eam: Quoniam, sicut dicit Philosophus[1], motus localis primus est inter omnes motus, et ideo ipso desinente desinunt omnes alii motus; sed ex una parte auctoritatis habetur quod motus localis non est in angelis, quia dicitur ibi [d] quod « Deus movet spiritus, non per loca »; quare videtur quod ei non conveniat aliquis motus. Quid est ergo quod postmodum dicitur quod ei convenit moveri « per tempus », cum constet 'moveri per tempus' [e] esse quoddam moveri?

[Solutio]: Ad quod dicendum quod, cum angelus movetur localiter, movetur per medium. Notandum tamen quod moveri per medium dicitur dupliciter: uno modo quando una pars eius quod movetur est in una parte loci et alia in alia parte; sic fit motus per commensurationem mobilis et magnitudinis, et sic angelus non dicitur moveri per medium, sed solummodo corpus, cum angelus non habeat partem et partem nec commetiatur se partibus loci sicut corpus; alio modo dicitur moveri per medium quod, licet non sit secundum unam partem sui in termino a quo, secundum aliam in termino ad quem, nec sit [f] motus per commensurationem mobilis et loci sive magnitudinis, respicit tamen et terminum a quo et terminum ad quem: et hoc modo dicitur angelus moveri per medium; unde, cum est in illo medio spatio, non est in illo loco a quo recedit nec in illo ad quem tendit, sed habet relationem ad utrumque terminum, licet pars eius non sit in uno termino et pars in alio.

Sed tunc quaeritur quare necesse sit angelo pertransire medium in motu suo. Ad quod respondeo [g] quod hoc exigitur ratione motus localis: oportet enim in motu locali et generaliter in omni motu differente a mutatione [h] ibi esse rationem medii differentem a ratione terminorum, scilicet termini a quo et termini ad quem, quod non oportet in mutatione, sed, cum mutatum est, statim est in altero termino, scilicet in termino ad quem, nec oportet ibi esse medium differens ab extremo sive a termino. Quia ergo in motu oportet de necessitate esse rationem medii differentem ab utroque termino, ideo, cum angelus movetur localiter, necesse est quod moveatur per medium, quia alio [i] modo non posset intelligi moveri localiter.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur in contrarium, dicendum quod, licet nobilior sit spiritus angelicus quam lux corporalis, nihilominus in hoc conveniunt quod utrumque movetur per medium, quia hoc exigitur, non ex parte eius quod movetur, sed ex parte ipsius motus, in quo necesse est rationem medii esse differentem ab [k] utroque termino. In hoc tamen abundat in nobilitate spiritus angelicus a luce corporali, quia in motu suo non est secundum unam partem sui in termino a [l] quo, secundum aliam in termino ad quem, sicut lux, cum pertransit, quae commetitur se partibus loci.

2. Ad illud vero quod dicit Augustinus quod « Deus [m] movet spiritus per tempora [n] et non per loca »: dicendum quod hoc non intelligitur de motu locali, sed de motu interiori, quo [o] movetur secundum cognitionem [p] vel affectionem.

182 ARTICULUS III.

Utrum angelus ex se habeat moveri localiter[2].

Tertio quaeritur utrum angelus ex se moveatur localiter vel, cum movetur, necesse sit ipsum assumere corpus.

Quod autem necesse sit ipsum assumere corpus, videtur: 1. Ex verbis B. [q] Bernardi, *Super Cantica Canticorum*[3]. Probat [r] enim hoc ibi, dicens: « Non est discurrere nec de loco ad locum transire nisi corporum »; sed propria passio alicuius subiecti non convenit alii subiecto nisi secundum convenientiam quam habet ad illud; cum ergo moveri de loco ad locum sit propria passio corporis, non convenit angelo nisi secundum [s] convenientiam quam habet ad corpus; sed non potest habere convenientiam ad corpus in [t] movendo nisi ipsum assumendo, quoniam ei non unitur per essentiam sicut anima corpori unita est; ergo videtur quod non possit moveri nisi assumat corpus. Sed ad hoc manifestandum multum prolixe procedit B. Bernardus[4] et [u]

---

[a] C om. [b] S *habeat*. [c] R *circa*. [d] Ita V, alii om. [e] VST om. *p. t.* [f] Ita VT, S *sic*, alii *fit*. [g] R *respondendum*, V *ex* pro *hoc*. [h] RLCZ add. *quod oportet*. [i] V *aliquo*. [k] R *in*. [l] S om. [m] V om. *q. D.* [n] Ita R, alii *tempus*. [o] R *que*. [p] VRCZ *cogitationem*. [q] V om. [r] V *probas*. [s] L om. [t] T om. [u] S om.

[1] Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 7 (II, 356).
[2] Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 2, dub. 2 (I, 664).
[3] *Sermo 5*, n. 2 (PL 183, 799).
[4] Loc. cit.

distinguit ibi quatuor spiritus: unum increatum et tres creatos, scilicet spiritum brutorum et hominum et angelorum, et [a] manifestat quod solus spiritus increatus corpore non indiget, alii vero indigent. Et videtur plane dicere quod angelus non movetur nisi assumpto corpore. Haec [b] sunt verba eius [1]: « Quatuor genera spirituum nota sunt nobis, pecoris, noster [c], angelicus et qui condidit illos. Non est ex omnibus, cui propter se sive propter alium sive propter utrumquè necessarium corpus non sit corporisve similitudo, excepto dumtaxat illo cui omnis tam corporalis quam spiritualis creatura merito confitetur et dicit [2]: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et primum quidem ita corpore egere constat, ut nec subsistere absque illo utcumque [d] possit; simul quoque et vivificare desinit et vivere ille spiritus, quando moritur pecus; verum [e] nos vivimus quidem post corpus ». Et infra: « Habet igitur corpus necessarium spiritualis creatura quae nos sumus ». Et infra: « Iam quod supercaelestes spiritus corporibus egeant, illa maxime certos nos facit vera et vere divina sententia: *Nonne,* ait [f] [3], *sunt administratorii spiritus?* etc. Quonam ergo [g] modo implent ministerium suum sine [h] corpore, praesertim apud viventes in corpore? Denique non est discurrere nec de loco ad locum transire nisi corporum: quod facere frequenter angelos tam indubitata quam nota probat auctoritas. Hinc est quod visi [i] sunt Patribus et ad eos intraverunt et manducaverunt et pedes laverunt [4]. Itaque inferior superiorque spiritus propriis corporibus egent, sed tantum quibus iuvent [k], non etiam iuventur; at [l] pecus quidem ex debito servitutis et ad usus tantum corporalium temporaliumque necessitatum iuvando servit, ideoque ille spiritus et cum tempore transit et cum corpore deficit ». Ex quo plane apparet propositum.

[Solutio]: 1. Ad quod dicimus quod sicut differenter est dicere corpora et spiritus esse in loco — corpora enim sunt in loco per circumscriptionem — similiter, cum transeunt de loco ad locum, circumscribuntur loco per quem transeunt, ita quod totum commetitur se toti et pars parti. Et hoc est verum quod moveri est proprie corporum solum nec spiritibus, nisi ex ordinatione ad corpus, competit hoc moveri; unde eis in natura sua nec secundum se convenit, sed solum per accidens; sicut dicimus quod corpus humanum localiter movetur, quod et anima rationalis movetur moto corpore, similiter dicimus quod movetur corpus, quod assumit angelus, et ipse per accidens [m]. Et de hoc modo movendi loquitur Bernardus, in praedicta homilia. Unde bene verum est quod angelus requirit corpus ad hoc ut sic moveatur, hoc tamen potius propter nostram indigentiam quam ipsius. Angelus enim non solum iuvat nos in operationibus spiritualibus, sed etiam in corporalibus, et quoad has propter nos indiget assumere corpus ad hoc ut sic moveatur. Et ex verbis B. Bernardi patet quod de hoc modo movendi loquitur: « Hinc est quod visi sunt Patribus » etc.; huiusmodi enim operationes non possent exercere nisi mediante corpore. Sed creati spiritus proprie dicuntur esse in loco definitione, non [n] circumscriptione [5] — quod corporibus [o] non convenit, sed solum [p] circumscriptione — et sic, quantum est de natura sua, respondet eis moveri de loco ad locum sine corpore [q] sive corporis assumptione. Et hoc patet. Animae enim separatae possunt moveri non assumendo corpus, quoniam aut alienum corpus assumerent aut suum: alienum non videtur competere; de suo videmus quod non assumunt, cum iaceant in sepulcris. Quare multo magis spiritus angelici possunt moveri sine assumptione corporis, cum ex se et ex natura sua sint [r] spiritus separati nec videantur dependere aliquo modo a corpore aut aliquam relationem habere ad ipsum.

---

[a] V add. *tunc.* [b] V om. [c] R *nostri.* [d] Ita Z, alii *utrumque;* S om. *illo.* [e] T *unde.* [f] Z add. mg. *omnes.* [g] S *quoniam hoc* pro *q. e.* [h] S *non.* [i] VS *nisi,* quod T corr. [k] C *vivent.* [l] SR *ac.* [m] Z om. *e. i. p. a.* [n] L om. [o] Z *corporalibus.* [p] VST add. *quod,* quod L exp. [q] V om. *s. c.* [r] S *sicut.*

1 Loc. cit., n. 1 (PL 183, 798sq.), ubi et duo loci sequentes.
2 Psalm. 15, 2.
3 Hebr. 1, 14.
4 Cf. Gen. 18, 3sqq.
5 Cf. supra, p. 97b, *Solutio* et p. 230a, *Respondeo.*

MEMBRUM II.

De motu angeli assumpto corpore.

Dicto de motu angeli secundum se ipsum, dicendum est de motu eius, assumpto corpore:

Primo ergo dicendum est [a] de assumptione corporis;

secundo, de actibus quos exercet per corpus.

CAPUT I.

DE ASSUMPTIONE CORPORIS.

Ad maiorem autem [b] evidentiam primo quaeritur utrum de natura sua habeat angelus [c] corpus aut potius secundum suam [d] naturam sit substantia separata a corpore;

secundo, utrum indigeat quoad aliquam operationem vel non;

tertio [e], quid hic dicatur assumere et secundum quem intellectum;

quarto, de quo corpore assumat corpus, aut de superiori, scilicet caelesti, aut [f] de inferiori, ut est corpus aëreum;

quinto, utrum angelus illud corpus organizet vel etiam organizatum assumat;

sexto, utrum assumat quoad omnem actum corporis vel non quoad omnem;

septimo de assumptione corporis facta quando Dominus in Veteri Testamento Patriarchis apparuit, utrum facta fuit a Domino vel ab angelo.

183

ARTICULUS I.

Utrum angelus de natura sua habeat corpus [1].

Ad primum sic: Videtur quod angelus de natura sua sit substantia a corpore separata. *a.* Constat enim quod substantiae ordinantur in universo secundum maiorem nobilitatem et minorem, quae in ipsis attenditur secundum maiorem assimilationem ad Deum [g]. Et hoc patet decurrendo in omnibus substantiis: prius enim sunt substantiae incorporeae quam corporeae, et inter incorporeas [h] prius angelus quam anima, et anima rationalis quam sensibilis et vegetabilis; similiter inter corporeas prius est substantia caelestis quam elementa ultimo elementata. Sed constat quod est [i] substantia incorporea quae nullo modo est a corpore separata aut separabilis, ut [k] vegetabilis et sensibilis; alia est, quae, etsi sit corpori unita, tamen est ab eo separabilis, ut anima rationalis, et [l] postquam est separata, per naturam habet dependentiam ad corpus. Sed licet substantiae vegetabilis et sensibilis sit assimilatio cum Deo quoad naturam incorporei, non tamen perfecte, quoniam Deus de natura sua est omnino separatus a corpore.

b. Item, licet substantiae rationalis ad Deum adhuc sit maior assimilatio quoad hoc quod est non solum substantia incorporea, sed etiam a corpore separabilis, non tamen est [m] omnino perfecta assimilatio secundum quod est possibile in creatura, quoniam non repugnat creaturae quin possit inveniri aliqua substantia incorporea quae de natura sua sit separata a corpore, ut [n] sic sit perfecta eius assimilatio cum Deo, aut [o] aliter esset imperfectio in universo. Aut ergo ipsa est angelus aut aliqua substantia supra angelum ordinata in universo; sed planum est [p] quod non potest poni secundo modo; ergo oportet ponere quod primo, et ita habetur propositum, scilicet quod angelus est substantia incorporea de natura sua a corpore separata [2].

Contra: 1. Augustinus, *Super Genesim ad litteram*, III libro [3], et recitatur II *Sententiarum*, dist. 8, cap. 1 [4]: « Daemones aërea dicuntur animalia, quia corporum aëreorum natura vigent [q] nec per mortem dissolvuntur, quia praevalet in eis elementum aptius ad patiendum ». Sed omne animal de natura sua est corporeum; ergo daemones de natura sua sunt corporei; sed eiusdem naturae sunt boni et mali; ergo

---

[a] S om. [b] R om. [c] Ita V, alii om. [d] S *ipsam*, L om. [e] S *item tertio*. [f] Ita V, alii *vel*. [g] ST add. *et hoc patet decurrendo per Deum*. [h] S *corporeas*, R *corporeos*; codd. *primo* pro *prius*. [i] Z add. *quedam*. [k] S *in*, R *aut*, quod Z corr. [l] V om. [m] V *et*. [n] S *et*. [o] V om. [p] T om. [q] R *viget*.

[1] Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 8, c. 1 (p. 340); supra, p. 138, *ad 7*; Alex. Hal., supra, p. 127, nota 7; S. Bonav., II *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 210 sqq.).

[2] Pro argumentis *a* et *b* cf. supra, num. 104.

[3] Cap. 10, n. 14 (PL 34, 284) et *De civit. Dei*, VIII, c. 16 (PL 41, 241).

[4] Pag. 340.

tam boni angeli[a] quam mali de natura sua[b] sunt corporei.

2. Item, Augustinus, VIII *De civitate Dei*[1], comparat tres substantias ad invicem, deos scilicet, daemones et homines, et dicit quod ii, scilicet daemones, sunt « genere[c] animalia, animo passiva, mente rationalia, tempore aeterna, corpore aërea ». Sed homines sunt genere animalia, animo passiva, corpore[d] terrestria, duratione temporalia; daemones vero sunt « genere animalia, mente rationalia, animo passiva, corpore aërea, duratione aeterna ». Postmodum dicit quod duo sunt communia omnibus, scilicet[e] quod sunt « genere animalia, mente rationalia ». Ergo daemones sunt genere animalia, et ita ut prius.

3. Item, Augustinus, in libro *De Trinitate*[2]: Quaerendum est in illis corporalibus formis[f] visis « utrum ad hoc opus creatura formata sit, in qua Deus, sicut tunc[g] oportuisse iudicavit, humanis ostenderetur[h] aspectibus, an angeli, qui iam erant, ita mittebantur ut ex persona Dei loquerentur, assumentes corporalem speciem de creatura corporea in usum[i] ministerii sui, aut ipsum corpus suum, cui non subduntur[k], sed subditum regunt, mutantes atque vertentes in species, quas vellent accommodatas atque aptas actionibus suis, secundum attributam sibi a Creatore potentiam ». Et hoc recitatur II *Sententiarum*, dist. 8[3]. Ex hac ergo distinctione videtur quod angeli sint corporei.

Responsio: Concedimus[l], sicut ostendebatur[4], quod angeli de natura sua sunt substantiae separatae a corporibus.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur[m] de Augustino, dicendum quod illud non dicit asserendo, sed magis procedit ex suppositione. Volebat ibi ostendere quod daemones, quia permittuntur tentare homines, habitant in hoc aëre caliginoso, deferentes tamen secum suam poenam gehennalem, secundum quod manifestat Beda[5]. Et ad hoc ostendendum vult dicere quod habetur argumentum, si ita esset, quod daemones essent corpora[n] aërea, sicut quidam[6] voluerunt: quoniam, si sic esset, magis congrueret quod in praedicto aëre habitarent. Et ita patet quod non asserit ipsos esse corpora[o] aërea.

2. Ad secundum dicimus quod Augustinus illud dicit recitando opinionem Platonicorum, non asserendo.

3. Ad tertium dicimus similiter quod illud dixit[p] Augustinus disputando, nec ibi illam quaestionem, prout ad angelos pertinet, disputavit, sed potius dixit[q] quod non pertinet hoc ad suum propositum, sed solum vult determinare quomodo Dominus[r] apparuit in Veteri Testamento et utrum indifferenter secundum omnes personas, et utrum assumebat corpus vel apparebat per angelos assumentes corpus et in illo corpore sanctis Patribus loquebatur.

ARTICULUS II. 184

Utrum angelus indigeat corpore ad operationem[7].

Secundo quaeritur utrum angelus[s] indigeat corpore quoad aliquam operationem vel non.

Ad quod sic: 1. Non potest dici quod angelus frustra assumat corpus[t]; omnes enim operationes angelorum aut debentur eis in se aut in relatione ad Deum aut in relatione ad nos. Ratione primarum operationum non potest dici quod corpore indigeat, cum sit incorporeus de natura sua, ut supra ostensum est[8]; similiter nec ratione secundarum, quoniam assistere, laudare Deum et huiusmodi operationes nullam relationem habent ad corpus; similiter nec ratione tertiarum, quoniam operationes, quae debentur ei[u] comparatione ad nos, aut debentur ei quoad intellectum aut quoad affectum. Quoad eas quae debentur quoad intellectum, constat quod non indiget[v] corpore — quod patet et de natura agentis et de natura recipientis: substantia enim intellectiva potest communicare quod intelligit sine corpore, et similiter potest recipere[x] — similiter nec quoad eas quae debentur ei secundum affectum, sicut est custodire, purgare[y] et huiusmodi.

Contrarium plane habetur a Bernardo, in 5 homilia *Super Cantica*[9], ubi distinguit quatuor spiritus, quorum unus est angelicus, qui est[z] corpore indigens, sicut dictum est in praecedenti disputatione[10].

---

[a] V om. [b] LC om., in Z est add. mg. [c] S *genera.* [d] ST *corporea.* [e] L *iis,* C add. interl. *iis;* V *duo* pro *quod sunt.* [f] Z om. [g] Codd. *ratio;* VSTRC *indicavit* pro *iudicavit.* [h] V *indicaretur,* L *ostendere.* [i] V *risum.* [k] S *subdividitur.* [l] Ita Z, alii add. *quod.* [m] Ita V, alii *obicit.* [n] RZ *corpore.* [o] LCZ *corpore,* quod R corr., V om. *ipsos.* [p] Ita V, T om., alii *dicit* [q] Ita V, alii *dicit.* [r] T *differentia.* [s] Ita V, alii om. [t] Ita V, alii om. [u] RC *eis.* [v] LRCZ *indigent.* [x] R add. *et.* [y] LC *pugnare,* quod RZ corr. [z] STLRZ add. *in.*

1 Cap. 16 (PL 41, 241).
2 Libr. III, c. 1, n. 4 (PL 42, 870).
3 Cap. 3 (p. 342).
4 Cf. supra, sub litt. *a-b.*
5 Cf. *In Epist. Iacobi,* 3, 6 (PL 93, 27); cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 6, a. 2, q. 1 (II, 164sq.).
6 Nempe Apuleius.
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 8, p. 1, a. 1, q. 2 (II, 212sq.).
8 Cf. supra, num. 183.
9 Cf. *Sermo* 5, n. 1 (PL 183, 798sq.).
10 Cf. supra, p. 237, nota 1.

Respondeo 1. quod assumit solummodo corpus propter operationes quas exercet in nobis: unde necessitas est ex parte nostri, non ex parte sui. Et verum est adhuc quod non est necessitas aliqua ad hoc ut [a] imprimat intellectivae aut imaginativae, sed solum prout debet imprimere in sensitiva, ut visui aut auditui. — Et per hoc solvitur quod obiciebatur.

Item, quaedam congruentia est ratione custoditionis: non enim solum custodit nos, faciendo nos proficere in bono, sed custodiendo nos a malo. Daemones enim multotiens assumunt corpus ut nobis noceant; et ipsi angeli, assumptis corporibus, convenientius possunt eos [b] reprimere. Unde post corporis assumptionem est ibi quaedam congruentia.

185 ARTICULUS III.

Quid dicatur angelus assumere.

Tertio quaeritur quid dicatur assumere.

a. Constat enim quod, quando spiritus angelicus assumit corpus, quod ei unitur; sed spiritus [c] non videtur posse uniri corpori nisi aut sicut perfectio perfectibili aut sicut motor mobili: iis enim duobus modis unitur corpori; sed constat quod primo modo non unitur corpori [d]; ergo secundo; et ita videtur quod pro tanto debeat dici quod angelus assumit corpus, quoniam unitur ei sicut motor mobili.

Sed tunc obicitur: 1. Si pro tanto dicatur assumere, tunc dicetur assumere quodcumque corpus quod est ab ipso motum, et ita si moveat unam magnam turrim, tunc diceremus assumere ipsum [e] corpus illud; quod falsum est. Dicit enim Augustinus, in libro *De civitate Dei* [1], plane quod angeli ex natura et potestate divina habent potestatem ad movendum omnia corpora, sed non dicuntur assumere omnia corpora [f] ab ipsis mota.

2. Forte dicetur quod dicuntur assumere illa corpora, in quibus loquuntur et in quibus exercent huiusmodi operationes sensibiles. — Sed adhuc videtur esse hoc falsum: quoniam angelus locutus est in Zacharia, secundum quod dicitur Zach. 1, 14: *Et* [g] *dixit ad me angelus quiloquebatur in me;* ergo secundum hoc oportet dicere quod angelus assumpsit corpus Zachariae: quod falsum est.

Respondeo, 1. secundum quod potest extrahi ex verbis Augustini, in libro *De Trinitate* [2], quod ista assumptio est sumptio corporalis creaturae sibi coniunctae vel quasi unius cum creatura spirituali, ad manifestationem ipsius creaturae spiritualis vel ad demonstrationem [h] divinam. Et nota quod dicitur 'quasi unius vel quasi coniuncti' [i], quoniam angeli ad suum corpus non est unio sicut perfectionis ad suum perfectibile, sed sicut motoris ad mobile [3]. Item, additur 'ad demonstrationem divinam', propter apparitiones factas in Veteri Testamento in quibus Dominus locutus est sanctis Patribus, tamen mediante angelo assumente corpus; et ita aliquando invenitur scriptum quod apparuit Dominus, aliquando quod apparuit [k] angelus. Ex hoc patet quod non assumit omne corpus quod movet, sed solum quod movet [l] ad sui manifestationem vel [m] manifestationem divinam.

2. Et ad illud [n] quod obicitur quod 'deberet dici assumpsisse Zachariam, cum in eo locutus est': dicendum quod non oportet, quia Dominus angelo inspiravit et angelus Prophetae, et tunc anima, sic ab angelo mota, movit corpus ad exprimendum voce illud inspiratum, et ita loqui non convenit angelo nisi per causam, non per essentiam.

186 ARTICULUS IV.

De quo corpore angelus assumat corpus [4].

Quarto quaeritur de quo corpore assumat corpus.

Ad quod sic: 1. Videtur enim quod de empyreo [5], vel dicatur quare [o] non. — Praeterea, videtur quod magis congruat quod assumant de caelesti quam de alio, quoniam illud corpus inter omnia corpora [p] magis congruit naturae eorum. Unde etiam dicit Augustinus, in libro *Super*

---

[a] V om. [b] R om. [c] V om. [d] C om., V om. *unitur.* [e] L add. *illud.* [f] V om. [g] T om. [h] S *manifestationem.* [i] V *coniuncte.* [k] V om. *a. q. a.* [l] V om. *s. s. q. m.* [m] R add. *ad.* [n] Ita V, alii om. *a. i.* [o] V *quod.* [p] R om.

1 Cf. lib. XXI, c. 6 (PL 41, 717).

2 Cf. lib. I, c. 7, n. 13; II, c. 17, n. 32; c. 18, n. 35; III, c. 1, n. 14; c. 4, n. 10; c. 10 per totum (PL 42, 853, 866, 868, 870, 874, 879-881).

3 Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 1 (III, 444).

4 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 8, p. 1, a. 2, q. 2 (II, 216 sqq.).

5 Cf. Pseudo-Beda, Quaestio 9 (PL 93, 463).

Genesim ad litteram[1], quod daemones, quibus ante peccatum congruebat locus caelestis, quantum erat de prima sua natura, post peccatum ceciderunt ab eo [a] in hunc aërem et de illo sumunt corpora ad tentandum. Si ergo bonis adhuc debetur caelum [b] empyreum tamquam locus, patet quod hoc corpus magis congruit naturae eorum: nec mirum, cum hoc sit proprie continens eos; patet ergo quod magis congruit eis [c] quod de caelesti corpore assumant sibi corpus [d] quam de aliquo alio.

2. Praeterea, videtur quod non congruat ipsum assumere corpus de aëre, sed solum de caelesti corpore, quoniam angelus movetur repente, hoc est in tempore imperceptibili; igitur magis illi competit corpus illud quod citius movetur; ergo magis congruit corpus caeleste quam aëreum, cum [e] multo maioris sit agilitatis quam corpus aëreum [f]; quantum ergo de congruitate magis competit quod assumat corpus de caelo quam de aëre.

3. Item, hoc idem videtur per hoc quod, cum angelus apparuit Petro in carcere[2], *lumen refulsit;* sed lumen pertinet ad caeleste corpus; ergo etc. Similiter potest argui ex quibusdam apparitionibus Veteris Testamenti.

Contra: *a.* Constat quod necesse est, quando angelus assumit corpus de aliquo corpore, quod corpus assumptum dividatur ab eo a quo assumitur; sed impossibile est [g] quod aliquod corpus dividatur a corpore caelesti, maxime ab empyreo, etiam secundum quod ponunt philosophi[3] ponentes nullo modo esse possibile sectionem vel divisionem fieri ab huiusmodi corporibus; quare impossibile est quod assumat [h] corpus de corpore caelesti.

b. Praeterea, partes eius densantur ad hoc ut sit visibile: quod non esset in ipso possibile nisi esset alterabile et mutabile; cum ergo corpus caeleste de se sit invisibile et corpus assumptum ab angelo sit visibile, necesse esset quod, si assumeret de corpore caelesti, quod partes eius consererentur et ita esset mutabile illud corpus et alterabile: quod est impossibile, et maxime de empyreo; si enim illud corpus non est mobile motu locali, multo magis nec motu alterationis, cum motus localis dignior sit et prior inter omnes motus[4], et illud corpus est corpus [i] dignissimum.

c. Praeterea, plane dicit Philosophus[5] quod ille motus est prior, ita quod ubi deest et omnes alii desunt, non tamen ubi est, necesse est [k] quod alii sint; patet ergo quod non assumunt corpora de corpore caelesti, sed tantum de aëre. — Sed tunc quaeritur quae est differentia inter bonos et malos, quoniam mali de eodem assumunt.

d. Item, dicit Gregorius[6] Abraham angelos non potuisse videre nisi corpus ex aëre assumpsissent: non enim apparerent et corpus sumerent nisi corpus solidum ex caelesti elemento haberent.

e. Praeterea, hoc potest convenire eorum agilitati, secundum quod dictum est supra[7]. — Sed in [l] contrarium adhuc obicitur per hoc quod dicit Beda, in libro *De natura rerum*[8], dicens: « Caelum superioris circuli, proprio discretum termino et aequalibus spatiis collocatum, virtutes continet angelicas, quae, ad nos exeuntes, aetherea corpora sumunt, ut possint hominibus in edendo similari [m], eademque reversae deponunt ».

f. Praeterea, non videtur quod hoc repugnet agilitati eorum, quoniam, secundum Augustinum[9], homo habet tantum posse supra suum corpus quod potest secundum aliquam partem sui facere aliquid quod videtur omnino contrarium naturae suae. Et de hoc ponit tria exempla: primum est, quod fuit homo tantae agilitatis, qui totam capillaturam suam potuit vertere ante faciem suam, ita quod posterior pars capitis remaneret nuda; aliud exemplum est de alio homine, qui poterat movere aures suas versus oculos suos, quemadmodum facit pullus equinus; tertium exemplum est, quod alius homo fuit qui a parte posteriori poterat vocem formare et loqui, nec erat ille sonus turpis. Et tamen illa tria videntur contraria naturae corporis humani. Cum ergo homo sic possit circa corpus suum, multo magis videtur quod angeli, qui sunt maioris agilitatis, possunt facere ut corpus aëreum assumptum tantae sit agilitatis ut congruat motui angeli.

Respondeo quod assumit corpus de [n] aëre. Sed duplex est pars aëris, scilicet superior, quae purior est [o], quae proprie dicitur aether, et inferior, quae non est ita pura, quae proprie dicitur [p] aër: et secundum hoc [q] distinguuntur duo caeli, scilicet aethereum et aëreum. Et secundum hoc

---

[a] T om. *a. e.* [b] T om. [c] Ita V, alii om. [d] V *corpora.* [e] L om. [f] C om. *cum... aëreum.* [g] STLZ om. [h] L *assumant.* [i] V om. [k] R om. [l] T om. [m] L *simulari.* [n] C *ex.* [o] C om. [p] S om. *aether... dicitur.* [q] S om.

1 Cf. lib. III, c. 10, n. 14-15; XI, c. 26, n. 33 (PL 34, 285, 443).
2 Cf. Act. 12, 7.
3 Cf. Aristot., *De caelo*, I, cc. 3 et 10 sqq. (II, 369 et 383 sqq.).
4 Aristot., *Phys.*, VIII, c. 7 (II, 356).
5 Loc. cit.
6 Cf. *Moral.*, XXVIII, c. 1, n. 7 (PL 76, 450).
7 Cf. supra, n. 2.
8 Cap. 7 (PL 90, 200).
9 Cf. *De civit. Dei*, XIV, c. 24, n. 2 (PL 41, 432).

dicimus quod boni angeli de aethere assumunt corpora [a], sed mali potius de aëre, ut istis utamur secundum nomina propria; aether vero bene [b] potest densari et rarefieri ut fiat visibile.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum in contrarium dicendum [c] quod, licet angelus conditus esset in caelo empyreo et ita illud corpus videretur in genere corporum magis conveniens, non tamen conveniens est [d] ut assumatur in ministerium, cum mittitur ad nos: corpus enim aethereum convenit mutationi qualicumque, quod non videtur de corpore caelesti sive de empyreo.

2. Ad secundum dicendum quod, licet corpus caeleste sit magis agile aethere vel aëre, tamen istud videtur magis conveniens ministerio, non propter motum tantum, sed ad formationem; potestatem autem habet angelus super huiusmodi corpus, ut citissime faciat moveri.

3. Ad tertium dicendum [e] quod luminositas, quae ostensa est in apparitionibus [f] bonorum angelorum, non repugnat quin assumat corpus de aethere: aether enim, licet de se non habeat lumen, recipit tamen lumen a caelesti corpore, et ita aether sic illuminatus potest esse materia corporis in quo angelus apparet, et ita potest lux apparere, cum angelus bonus se demonstrat.

Quocumque autem [g] modo sit, sive assumat de aethere sive [h] de aëre sive de caelesti corpore, nihil circa hoc temere [i] definiendum, sed Sanctorum auctoritatibus adhaerendum.

187 ARTICULUS V.

Utrum angelus corpus assumptum organizet vel organizatum assumat.

Quinto quaeritur de modo assumendi vel faciendi illud corpus; cum enim sit organizatum, quaeritur utrum angelus organizet illud.

Et videtur quod sic: *a.* Augustinus, in libro *De civitate Dei* [2]: « In angelo est vita, quae continet, sentit et intelligit ». Sicut ergo anima tenet corpus suum in quantum est organizatum, qua discedente dissolvitur et pereunt organa, sic angelus videtur continere corpus assumptum ne dissolvatur et habet angelus virtutem praeparandi illud corpus ad hoc ut aptum sit motui suo; et hoc videtur esse [k] organizare, quia non est aptum motui [l] quo illud movet, utpote locutioni [m], nisi sit organizatum; ergo angelus habet potestatem organizandi illud.

Contra: 1. Anima non organizat corpus suum, sed organizato utitur; ergo similiter nec angelus.

2. Item, si organizaret, cum organizare sit formam ultimam dare — organizatio enim est ultima perfectio corporis in quantum corpus, non dico in quantum animatum — dare autem ultimam formam sit creare [3], secundum hoc angelus diceretur creator: quod est contra Augustinum [4], qui dicit quod « angeli non debent dici creatores », licet aliquid administrarent ad hoc ut aliquid creetur, sicut nec agricolae segetum dicuntur creatores: quamvis enim aliquid operentur [n] praeparando ad recipiendum formam ultimam, tamen formam ultimam non dant. Et [o] ponit Augustinus exemplum de formatione Evae de costa Adae, quae ministerio angelorum praeparata est. Et habetur hoc [p] II libro, dist. 18, cap. *Solet quaeri* [5].

Solutio: Dicimus quod [q] angelus praeparat huiusmodi corpus assumptum, secundum quod pertinet ad sui manifestationem faciendam, formatio autem ultima est Dei.

[Ad obiecta]: 1. Ad id quod obicitur [r] de anima dicendum quod non est simile. Anima enim creando infunditur et infundendo creatur; non potest autem [s] infundi nisi in corpore iam organizato, quia organizatio est ultima dispositio, quae est quasi necessitas ad animam; unde prius est organizari quam organizatum esse, et ita, cum [t] corpus organizatur, anima nondum est: unde nec potest organizare, sed habet naturam [u] subministrantem in organizando corpus; sed angelus, cum corpus assumit, iam est, et ideo [v] potest ipsemet praeparare.

2. Ad aliud [x] dicendum quod, licet angelus distinguat aliquo modo organa, non tamen proprie dicitur creator, quia non facit de non-ente ens, quod Creatoris est tantum, sed de non sic existente sic existens, supponendo materiam, quae non supponitur in creatione, ut de raro densum et huiusmodi, quod [y] potest convenire alii.

---

[a] R *corpus.* [b] R om. [c] Ita V, alii add. *est.* [d] Ita V, alii om. [e] Ita V, alii add. *est.* [f] C *operationibus.* [g] T *alio.* [h] Ita VR, alii *vel.* [i] C om. [k] CZ om. [l] R *moveri.* [m] R *locutivum.* [n] T om. [o] Z *quod.* [p] C add. interl. *in.* [q] V om. [r] Ita V, alii *obicit.* [s] T om. [t] Z *dum.* [u] V *manifestari*, S *natura.* [v] Z *non* pro *e. i.* [x] T *illud.* [y] V *quia.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 214 sqq.).

[2] Lib. VIII, c. 6 (PL 41, 231).

[3] Cf. supra, num. 48.

[4] *De Gen. ad litt.*, IX, c. 15, n. 26 et 28 (PL 34, 403-404). Cf. *De civit. Dei*, XII, c. 24 et 25 (PL 41, 373 sq.); *De Trinit.*, III, c. 8, n. 13 (PL 42, 876).

[5] Lombard., II *Sent.*, d. 18, c. 4 (p. 389).

ARTICULUS VI. 188

Utrum angelus assumat corpus ad omnem actum corporis [1].

Sexto quaeritur de usu corporis assumpti, I. utrum angelus moveatur corpore assumpto, utpote corpore humano, ad omnem actum, in quantum huiusmodi corpus est.

Videtur quod sic: 1. Utitur enim corpore quantum ad actum loquendi, qui attenditur quoad rationalem [a]; utitur etiam eo quoad actum comedendi, qui attestatur animationi, sicut potest probari [b] auctoritate Scripturae [c] in pluribus locis [2]. Fiat ergo argumentum a maiori [d] sic: Angelus potest uti corpore assumpto ad dictos actus, qui nobiliores sunt aliis; ergo multo magis ad omnes alios, qui minus digni sunt [e].

2. Item, posterius non est sine priori [3]; sed vivere est actus prior quam loqui vel comedere; ergo illi [f] non sunt sine isto; cum ergo angelus utatur corpore ad locutionem et comestionem, ergo videtur quod eo possit uti ad vivificationem, ita scilicet ut illud vivificet.

Quod si concedatur, videtur hoc esse falsum: *a.* Non enim videtur vivere corpus assumptum ab angelo, quia non [g] ab eo assumitur similiter ad [h] plures actus tali corpori competentes, sed solum quoad illos, qui valent ad angeli manifestationem vel Dei demonstrationem, propter quae etiam corpus assumit [4]: huiusmodi enim sunt [i] loqui et comedere. Per comedere enim volebant angeli ostendere suam potestatem, quia comedebant potestative, non ex indigentia vel necessitate, sicut nos; unde per praedictos actus se magis manifestabant.

b. Praeterea, quia per hos maiorem familiaritatem exhibebant [k] illis quibus apparebant, sicut per dormire, sentire etc., ideo potius ad hos actus utebantur corpore assumpto quam ad alios. Et hoc est quod dicit Augustinus, XIII [l] *De civitate Dei* [5]: « Hoc faciebant angeli [m] visibiliter et tractabiliter apparentes [n], non quia indigebant, sed quia volebant et poterant [o] ut hominibus congruerent sui ministerii quadam humanitate, fecerunt. Nec phantastice angelos edisse credendum est, quando eos in hospitio homines susceperunt », sicut dicitur Gen. 18 et 19.

[Ad obiecta]: 1-2. Per hoc etiam quod dictum est « non quia indigebant, sed quia volebant », patet solutio ad obiecta, quae procedebant ac si huiusmodi actus essent ex natura vel necessitate, non voluntate. Ubi enim aliquid habetur non natura, sed voluntate, potest haberi posterius sine priori; illud autem argumentum non erat a maiori, quia non magis videtur [p] quod debeat uti corpore assumpto quoad alios [q] actus quam ad loquendum et comedendum. Quod patet, si inspiciantur praedicta.

II. Sed oritur hic quaestio quare Abraham angelis sibi apparentibus cibos obtulit [6], cum sciret angelos cibo non indigere et illos intelligeret esse angelos: quod patet, quia eos adoravit.

Ad quod dicendum quod Abraham primo putavit eos esse homines et ideo cibo indigere, propter quod cibos obtulit, sed postmodum percepit eos esse angelos.

Sed obicitur quia prius adoravit quam cibos offerret [r], ut patet Gen. 18, 2; ergo prius intellexit eos esse angelos. — Ad quod dicendum: illa adoratio non fuit latria, quae Deo offertur, nec etiam dulia quae angelis, sed dulia quae offertur hominibus reverentiae causa. Sic autem adoravit Abraham, cum putaret eos [s] esse homines, quia eos vidit in reverenda persona; sed postmodum intellexit eos vere angelos esse et etiam Deum in eis apparuisse: unde « Trinitatem in unitate cognovit », ut dicit Augustinus, in libro [t] *De Trinitate* [7]. Unde de ipso cantatur [8]: « Tres vidit et unum adoravit », cum scilicet dixit [9]: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.*

---

[a] R *rationale.* [b] T om. [c] Z add. *sicut.* [d] Codd. *minori.* [e] S om. [f] Z *illa.* [g] Ita V, alii om. [h] Ita V, alii om. [i] V om., R *est.* [k] R om.; L om. *quibus.* [l] V add. *libro.* [m] V om. [n] Codd. *apparentibus.* [o] V om. *e. p.*; L *in* pro *ut.* [p] ST *movetur*; V *quia* pro *quod.* [q] T *aliquos.* [r] Z *afferret.* [s] R *ipsos.* [t] Ita V, alii om. *l. l.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 3, q. 1 (II, 219sq.).
2 Cf. Gen. 18, 9 et 19, 3; Tob. 7, 17 et 8, 1.
3 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 11 (II, 300).
4 Cf. supra, num. 185.
5 Cap. 22 (PL 41, 395). Cf. *Sermo 362*, c. 11, n. 11, (PL 39, 1618).
6 Cf. Gen. 18, 5sq.
7 Lib. II, c. 11, n. 20 (PL 42, 858).
8 Cf. Brev. Rom., Dom. Quinquages., Nocturni I, Resp. 2.
9 Gen. 18, 27.

189 ARTICULUS VII.

Utrum angelus faceret species corporales in quibus Dominus apparuit in Veteri Testamento [1].

Septimo quaeritur de speciebus corporalibus, in quibus legitur Dominus apparuisse ante incarnationem. Et quaeritur I. utrum huiusmodi species faceret angelus an ipse Deus immediate.

Videtur quod ipse Deus: 1. Cum enim illae species fierent propter Dei apparitionem et Deus sufficiebat ad faciendum eas per [a] se sine angelo, videtur superfluere operatio angeli, quia ubi sufficit unum agens, videtur superfluere [b] alterum; ergo illas faciebat ipse Deus.

Contra: *a.* Augustinus, in libro [c] *De Trinitate* [2]: « Antiquis Patribus ante incarnationem Salvatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces istae aut species corporales per angelos fiebant aut ipsis agentibus aliquid ex persona Dei, sicut Prophetas [d] solere ostendimus, sive assumentibus ex creatura quod ipsi non essent, ubi Deus figurate demonstraretur ».

II. Item, quaeritur unde est hoc quod ante diluvium semper legitur Dominus apparuisse in se [3], sed post diluvium, ante incarnationem, ubicumque legitur Dominus apparuisse, legitur quod apparuit in angelo [4]: quod perpenditur ex hoc quod ibidem vel praemittitur vel subiungitur de apparitione angeli; unde aliquando dicit Scriptura angelum esse locutum [5], aliquando Deum [6].

Solutio [e]: **I.** Ad primum dicimus quod ista operatio dictarum specierum et [f] Deo attribuitur et angelo, sed differenter, scilicet Deo per auctoritatem, angelo per ministerium. Et, licet Deus, quantum in se est, non indigeat ministerio [g], tamen congruit [h] eius nobilitati et dignitati ut ministrent ei angeli in huiusmodi inferioribus; unde Gal. 3, 19: *Lex ordinata est per angelos in manu Mediatoris.*

II. Ad aliud dicendum quod imminente diluvio *omnis caro corruperat viam suam* et Dominus diluvium immisit in poenam illius corruptionis, sicut dicitur Gen. 6, 12, et ideo ex tunc Dominus minorem familiaritatem habuit cum natura humana. Ad quod innuendum, post diluvium non legitur apparuisse in se, sed in angelo, ut notaretur elongatio Dei ab homine facta per illam corruptionem; sed ante tempus diluvii bene legitur apparuisse sine mentione facta de angelo, ad notandum quod non ita esset elongatus ab homine per peccatum. — Vel illud potest solvi referendo ad tempus incarnationis, quando apparuit Dominus in *angelo magni consilii* [7], hoc est in Filio suo, ut dicatur quod post [i] apparitionem Domini in se, scilicet qua legitur apparuisse in se, non facta mentione de angelo, legitur consequenter apparuisse in angelo, ut per hoc innueretur quod appropinquabat tempus illud in quo appareret in *angelo magni consilii,* scilicet tempus incarnationis.

CAPUT II.

DE ACTIBUS ANGELI PER CORPUS ASSUMPTUM.

Habita consideratione de assumptione corporum ab angelis, sequitur consideratio de motu facto in corpore per angelum; et quia duplex motus distinguitur ex parte animae — quidam enim est ad animam sicut per organa sensibilia, quidam vero ab anima, et ille duplex est: est enim [k] totius corporis et ille dicitur motus localis; est alius particularis, qui est cum organa moventur ad locutionem faciendam vel operationem — de utroque [l] autem quaerendum est.

---

[a] V *propter.* [b] Z om. *operatio... superfluere.* [c] Ita V, alii om. *l. I.* [d] Ita V, alii *prophetias.* [e] Ita V, alii om. [f] VC om. [g] Ita V, alii *ministro.* [h] V *convenit.* [i] Codd. *propter.* [k] Z add. mg. *motus.* [l] R *utraque.*

[1] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 517; S. Bonav., I *Sent.*, d. 16, a. 1, q. 1 (I, 279) et II, d. 10, a. 3, q. 2 (II, 273).

[2] Lib. III, c. 11, n. 27 (PL 42, 886).

[3] Cf. Gen. 3, 8; 4, 16; 7, 16.

[4] Cf. Gen. 16, 7 et 13; 18, 1sqq.

[5] Cf. Gen. 16, 9; 21, 17; 22, 11; Exod. 33, 11.

[6] Cf. Gen. 17, 1, 9 et 15.

[7] Isai. 9, 6 iuxta Septuaginta; cf. Introit. Missae III in Nativ. Domini.

ARTICULUS I. 190

An motus sensitivus sit in corpore assumpto ab angelo [1].

Quaeritur [a] ergo primo si motus sensitivus sit in corpore assumpto ab angelo, utpote ad audiendum vel videndum vel gustandum.

Et videtur quod sic: 1. Si enim organa sunt determinata in corpore illo, ut oculi, aures et huiusmodi, et exterius sunt illa quae conveniunt immutationi sensibili, ergo in effectu potest fieri immutatio sensibilis et ita sensus.

2. Praeterea, sicut locutio vel percussio potest fieri per huiusmodi organa, quare similiter non fieret visio vel auditio?

Sed contrarium videtur: *a.* Si enim vis intellectiva in homine sufficienter cognosceret res sensibiles per se sine adiutorio sensuum, non essent sibi necessarii [b] huiusmodi sensus; ergo, cum vis intellectiva angelica sufficienter cognoscat per [c] se res sensibiles, non est aliqua necessitas sensuum; ergo superflue ponerentur virtutes sensibiles in organis illis.

b. Praeterea, sensus attestatur vitae sensibili, vita autem sensibilis ipsi essentiae animae; ergo deficiente principio deficit in eis sensus.

[Solutio]: Ad quod [d] videtur dicendum, sine praeiudicio melioris sententiae, quod non est in huiusmodi organis sensus proprie dictus, sed si est, dicitur ibi esse illud sentire, de quo dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei* [2], quod angeli praeter hoc quod intelligunt, sentiunt; sed non credo unum fieri ex potentia sensibili et organo et quod non aliter fiat immutatio in organo tali quam illo modo quo fit [e] resultatio in speculo: in speculo enim resultat similitudo sensibilis, sed non est vis sensibilis unita quae illam formam accipiat et per illam [f] de re iudicet [g]. Nec oportet quod, si sit forma similis organis sensibilibus, quod propter hoc sint organa sensibilia: oculus enim, qui amisit usum videndi, nihilominus formam oculi tenet. Nec oportet quod, si fiat locutio vel [h] huiusmodi operatio, quae est quasi ab intra ad extra, quae fiunt ad aliquid significandum vel operandum in nobis, quod propter hoc fiat visio vel auditio vel huiusmodi aliquid, quod fit quasi ab extra ad intra, cum ipsis angelis virtute intellectiva sufficienter innotescant quae sensibus a [i] nobis cognoscuntur sive comprehenduntur.

ARTICULUS II. 191

Utrum in corpore assumpto sit vera comestio [3].

Deinde quaeri potest ex parte comestionis, si est ibi vera comestio.

Quod autem sit [k], **videtur** *a.* per hoc [l] quod dicit Augustinus, in libro *De sex quaestionibus* [m] *contra paganos* [4]: « Legimus angelos sumpsisse escas, non ficte aut phantastice, sed manifestissima veritate ».

b. Praeterea, Gregorius, in *Moralibus* [n], libro XXVIII [5]: « Cibos cum Abraham angeli non caperent, nisi propter nos solidum aliquid ex caelesti elemento gustarent ».

c. Praeterea, si non vere sumerent [o] cibos, ad quid facerent quod Abraham eis cibos praepararet? Numquid volebant ei illudere? Quod non est credendum.

Quod autem non fuerit vera comestio, sic obicitur 1. per hoc quod dicitur Tob. 12, 19: *Ego videbar* [p] *vobis comedere, sed ego invisibili cibo utor;* ergo, sicut apparet ex iis, videtur quod ibi tantum esset apparentia comestionis: nam si esset ibi veritas, non dixisset: *Ego videbar,* sed 'ego [q] comedebam'.

2. Item, si vere comedebatur, cibus traiciebatur in ventrem, et numquid per secessum exiit [6]? quod nefas est de angelis credere, sicut habetur in libro *De collationibus* [r] *sanctorum* [7]. — Item, in angelis nulla est necessitas incorporationis; comestio autem est propter incorporationem; ergo non fuit vera comestio.

Respondeo quod vera fuit comestio. Sed duplex est veritas comestionis: vel propter necessitatem

---

[a] Ita V, ST *querendum,* alii *querendum est.* [b] R *necessario,* L *necessarius.* [c] S om. [d] S add. *hoc.* [e] V *sit.* [f] V *illa.* [g] V *indicet,* T *se* pro *re.* [h] Z *sive.* [i] VST om. [k] L *sic.* [l] V *huiusmodi.* [m] RLCZ *sex questionum* pro *D. s. q.* [n] RLCZ add. *in.* [o] L *sumeret.* [p] V *iubebat.* [q] C add. *non.* [r] VSTR *collectionibus,* quod C corr.

1 Cf. C. Bonav., II *Sent.,* d. 8, p. 1, a. 3, q. 3 (II, 221 sqq.).
2 Lib. VIII, c. 6 (PL 41, 231).
3 Cf. S. Bonav., loc. cit. (II, 221b et 222a).
4 Quaestio 1, n. 6 (PL 33, 372).
5 Cap. 1, n. 7 (PL 76, 450).
6 Cf. Matth. 15, 17.
7 Cf. Cassian., *Collat.,* VIII, c. 21 (PL 49, 755).

comedentis, et sic non fuit ibi comestio; vel propter potestatem ostendendam et familiaritatem habendam cum quibus comedebant, et secundum hoc vera est comestio. Unde Augustinus[1]: « Potestate comedebant, non necessitate », et ponit exemplum de radio consumente aquam et de terra absorbente: radius enim sua potestate consumit, sed terra propter[a] suam necessitatem absorbet.

[Ad obiecta]: 1. Per[b] hoc possunt solvi quae obiecta sunt. Quod enim dicitur[c] Tob. 12,19: *Videbar vobis,* exponitur[2]: « Ex necessitate scilicet[d] comedere, sed meus cibus est caelestis, quo utor ». Erat ergo ibi apparentia comestionis ex indigentia, sed veritas comestionis potestative.

2. Ad secundum vero dicendum quod, licet esset ibi veritas comestionis quoad masticationem[e], non tamen quoad proiectionem in ventrem oportebat fieri vel quoad incorporationem, cum haec ad indigentiam pertineant.

192 ARTICULUS III.

Utrum motus ille fiat subito vel in tempore.

Deinde quaeritur de motu procedente a spirituali substantia, qui est motus localis totius corporis. Et quaeritur si corpus illud, quod assumitur[f], sit de aëre vel de aethere[3], ut dicit Gregorius, in *Moralibus*[4]: « Nisi[g] angeli quidam nobis[h] interna nuntiantes ad tempus ex aëre corpora sumerent[i], exterioribus nostris obtutibus non apparerent ».

1. Ex quo accipitur quod corpus assumptum ab angelis est de aëre; aër vero densatus habet tempus sibi determinatum in motu maius[k] quam aër rarefactus, et aër rarefactus maius habet tempus in suo motu quam habeat ignis, ignis vero non repente fertur sursum, sed in tempore visibili; ergo corpus assumptum ab angelo movetur in tempore visibili maiori vel minori; ergo et angelus, qui movetur assumpto corpore; non ergo repente est angelus ubi vult, sed secundum corporis, quod fert, determinationem.

Sed videtur contrarium: *a.* Quia[l] in corporibus, ubi est motus naturalis vel violentus et additur virtus adiuvantis ad hunc motum vel illum, tanto est motus velocior quanto maior est virtus adiuvans; ergo, cum virtus angeli[m] sit improportionalis[n] cuicumque virtuti corporali, erit effectus improportionalis et ita corpus motum citissime movebitur; ergo repente.

Respondeo ad hoc quod ita citissime movebitur, quantum permittet[o] natura eius corporis quod movetur et quanta est intensio virtutis ex parte moventis. Unde non sic movebitur corpus illud sicut si suae naturae relictum esset: tunc enim in sensibili tempore moveretur[p], nunc autem movetur[q] secundum virtutem angeli influentis ei virtutem, et ita nobis insensibiliter.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet solutio ad obiectum: nam procedit ac si corpus assumptum tantum propria virtute moveretur.

193 ARTICULUS IV.

Utrum angelus possit formare sensibilem vocem sine debito organo[5].

Deinde quaeritur de motu locutionis quo movetur lingua assumpti corporis. Quaeritur ergo utrum, non existente debito organo ad formandum vocem, posset angelus formare sensibilem vocem.

Quod videtur *a.* per hoc quod angelus formavit vocem in asina Balaam[6], lingua autem eius non fuit debitum instrumentum ad formandum locutionem; ergo eadem ratione in corpore assumpto, licet non habeat debitum organum, potest formari locutio ab angelo.

b. Item, dicit B. Gregorius[7]: « Aliquando loquitur Dominus per angelum caelestibus substantiis, aliquando terrenis »; et ponit[r] exemplum de caelestibus, cum vox facta est de nube[8]: *Hic*

---

[a] T om. [b] R *Et per.* [c] L om. [d] R om. [e] Z *manifestationem.* [f] Ita V, alii *assumit;* L *fit* pro *sit.* [g] R *ubi.* [h] C om. [i] Z *assumerent.* [k] VR *magis.* [l] R om. [m] S *angelis.* [n] ST *proportionalis.* [o] T *permittit.* [p] STCZ *moventur.* [q] C *moventur.* [r] Z *ponitur.*

1 *De sex quaest. c. paganos,* q. 1, n. 6 (PL 33, 372).
2 *Glossa interl.,* in h. l., ap. Lyran.
3 Cf. supra, p. 241b, *Respondeo.*
4 Cf. *Moral.,* XXVIII, c. 1, n. 7 (PL 76, 450).
5 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 2, dub. 1 (II, 85).
6 Cf. Num. 22, 28.
7 *Moral.,* XXVIII, c. 1, n. 8 (PL 76, 450).
8 Matth. 17, 5.

est Filius meus dilectus; formatio ergo illius in aëre facta est ministerio angeli; quod si est, ergo angeli habent potestatem ad formandum vocem sive locutionem sensibilem sine organo; ergo non est necesse corpus assumptum habere organum locutionis.

Contra: 1. Omnis operatio animalis fit mediante instrumento corporeo; sed locutio est operatio animalis; ergo non fit sine instrumento sive organo corporeo; ergo angelus in formando locutionem indiget huiusmodi instrumento.

2. Item, locutio est actus virtutis rationalis [1]; sed solum convenit 'rationale' hominibus et non angelis, cum 'rationale' sit propria differentia hominis; ergo locutio convenit tantum homini et non angelo.

3. Item, locutio est vox articulata [2]; sed vox articulata non fit sine instrumento apto ad articulationem vocis; ergo ad formationem locutionis indiget angelus [a] debito instrumento.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod angelus habet potestatem formandi locutionem in aëre, etiam sine instrumento vel sine instrumento [b] ad hoc determinato.

Ad obiecta in contrarium dicendum [c] 1. quod, cum locutio est operatio animalis, requirit instrumentum corporeum; cum autem est operatio angeli, qui secundum se est substantia separata a corpore, non requiritur instrumentum corporeum, sed determinata materia. Quod enim agit anima, quae coniuncta est corporeo organo, per organum, et [d] hoc facit spiritus separatus sine organo vel organo [e] ad hoc determinato: et hoc, quia superior substantia hoc uno potest facere quod inferior mediantibus multis.

2. Ad secundum [f] dicendum est quod, licet locutio sit proprie actus rationalis, nihilominus superiori substantiae convenit, quae hoc agit [g] intellectu quod inferior agit [h] ratione. Solent tamen uti Sancti nomine 'rationis' non tantum in hominibus, sed etiam in angelis: et ita sicut locutio est communis, ita rationis intentio est communis.

3. Ad tertium dicendum quod, licet locutio sit vox articulata, articulatio [i] autem fiat per vocem, labia et dentes, quae sunt instrumenta vocalia [3] quae faciunt quamdam in aëre impressionem, angelus autem non habeat ista instrumenta, aliquando nihilominus easdem impressiones potest facere quas anima facit mediantibus huiusmodi instrumentis; potest etiam angelus in corpore assumpto habere consimilia instrumenta ad formationem locutionis, sed non est necesse. Si enim erat formata vox ab asina Balaam ministerio angelico, non propter hoc oportuit, sicut dicit Glossa [4] ibi, quod anima asinae mutaretur in rationalem nec oportuit quod instrumentum vocale mutaretur [k] in instrumentum humanum. Ea autem quae sunt supra rationem nostram magis oportet ex Scripturis, quantum docent [l], accipere quam indiscrete perscrutari.

TITULUS III.

DE MISSIONE ANGELI.

Dictum est iam de motu angeli secundum se et de iis quae fiunt ab angelo mediante corpore assumpto. Quia vero missio est a Deo vel [m] ab angelo ad aliquod ministerium peragendum mediante motu, dicendum est consequenter de missione angelorum. Circa quam quaeritur:

Primo, utrum missio angelorum sit a Deo tantum an etiam unus angelus mittat alium;

secundo, quaeritur, ex parte missorum, utrum tam boni quam mali mittantur a Deo vel etiam boni a bono angelo, mali a malo;

tertio, utrum boni de singulis ordinibus mittantur an de alio ordine mittantur angeli, de alio non;

quarto, ad quid principaliter mittantur;

et utrum ad diversa officia diversi, an singuli ad eadem.

---

[a] S add. *in*, V *de habito* pro *debito*. [b] S om. *v. s. i.* [c] Ita V, alii add. *est*. [d] RC om. [e] VR om. *v. o.* [f] Ita V, alii add. *vero*. [g] L *agitur*. [h] C *facit*. [i] V *articulus*. [k] S om. *nec oportuit... mutaretur*. [l] V *docet*. [m] Ita V, alii om. *a. D. v.*

1 Cf. Aristot., *De animal. hist.*, IV, c. 9 (III, 73).
2 Cf. Aristot., loc. cit. (III, 71).
3 Cf. Aristot., loc. cit.
4 *Ordin., In Num.*, c. 22, 28 (PL 113, 421).

194 CAPUT I.

UTRUM MISSIO SIT TANTUM A DEO [1].

Circa primum sic obicitur: 1. Videtur quod a Deo solo sit missio, cum mitti [a] sit spirituum, qui [b] dicuntur *administratorii* [2]; *administratorii* [c] autem *spiritus* sive ministri dicuntur Dei, non unus angelus [d] alterius; ergo missio est tantum a Deo.

2. Item, mittere est habentis auctoritatem; cum ergo angeli non habeant auctoritatem respectu aliorum angelorum, non est angelorum [e] mittere.

3. Praeterea, unus angelus non dicitur angelus alterius angeli, sed angelus Dei; angelorum autem est mitti; non ergo angelus mittitur ab alio angelo, sed a Deo solo. — Quod etiam videtur per hoc quod dicitur in Psalmo [3]: *Qui facit angelos spiritus;* et alibi [4]: *Benedicite Domino, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.*

Sed contrarium videtur, quod non tantum mittatur angelus a Deo, sed etiam ab alio angelo: *a.* Per hoc quod dicit Gregorius, in *Moralibus* [5], arguens ex verbis Zachariae prophetae. Dicitur enim ibi [6] quod *angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur et alius angelus egrediebatur in occursum eius et dixit ad eum: Loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem.* Ex quo accipitur quod angelus mittit. Unde dicit: « In conspectu Conditoris angelica ministeria ordinata sunt, ut pro communi felicitate beatitudinis opificem suum videntes gaudeant, cum [f] pro dispositione dignitatis alii aliis subministrant; ad Prophetam angelus angelum mittit, et quem secum gaudere de Deo communiter conspicit, et docet et erigit, quia eum per superiorem scientiam virtute cognitionis et [g] praestantiorem gratiam culmine potestatis excedit ». Ex iis manifeste [h] colligitur quod angelus angelum mittit; non ergo angelus [i] tantum mittitur a Deo.

b. Item, per simile potest argui. Sic enim disponuntur officia sub rege terreno, ut ille, qui mittitur, non tantum a rege mittatur, sed etiam ab iis qui superiora habent officia; ergo a simili est de Rege caelesti, ubi ordinatissima sunt omnia, quod unus inferior mittitur [k] a superiori; non ergo tantum a Deo mittitur angelus.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod angelus tantum a Deo mittitur auctoritate: etsi enim unus angelus mittat alium, totum refertur ad auctoritatem divinam. Quod autem unus mittat alium, dicit Gregorius [7]: « Dum angelus dicit ad angelum [l] ' *curre et loquere* [8] ', dubium non est quia alius alium [m] mittit. Minora vero et [n] inferiora [9] sunt quae mittuntur, maiora vero et superiora quae mittunt ».

[Ad obiecta]: 1-2. Per hoc ergo [o] possunt solvi quae obiecta sunt. Concedendum enim est quod angeli sunt ministri Dei et ab eo auctoritate [p] mittuntur, ab aliis [q] vero quadam potestate collata, proprie autem dicuntur ministri Dei. Si vero invenitur quod ministrent superioribus angelis, hoc est extenso vocabulo: totum enim ministerium ad auctoritatem divinam refertur.

3. Ad illud [r] quod obicitur quod ' angeli non dicuntur angeli respectu aliorum angelorum, sed respectu Dei, et ita nec ab eis mitti ': dicendum [s] quod angeli dicuntur eo quod nuntiant hominibus divinam voluntatem; ratio autem missionis respicit potestatem, quia est potestas principalis et [t] secundaria. Ab habente potestatem principalem dicitur missio et ab habente secundariam, in relatione tamen ad habentem potestatem principalem.

195 CAPUT II.

UTRUM TAM BONI QUAM MALI ANGELI A DEO MITTANTUR [10].

Deinde quaeritur utrum mittantur tam boni quam mali angeli [u] a Domino.

Et videtur quod mali non mittantur: 1. « Malorum enim officium est tentare », sicut habetur [11]

---

[a] R add. *solum.* [b] T *cum.* [c] Ita V, S om., alii *ministratorii.* [d] T *singulus.* [e] V *inest angelo* pro *e. a.* [f] STLRZ *tamen.* [g] VST om. [h] V om. [i] T om. *angelum... angelus.* [k] Ita V, alii *mittetur.* [l] C *alium.* [m] R add. *non.* [n] S om. [o] RLCZ *etiam.* [p] V *auctore.* [q] S *iis.* [r] Ita V, alii *aliud.* [s] Ita V, alii add. *est.* [t] S om. [u] Ita V, alii om.

[1] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 517; S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 1, q. 1 et dub. 2 (II, 259sqq., 273).
[2] Hebr. 1, 14.
[3] Psalm. 103, 4.
[4] Psalm. 102, 21.
[5] Lib. XXVIII, c. 1, n. 9 (PL 76, 451).
[6] Zach. 2, 3-4.
[7] *In Evang.*, II, hom. 35, n. 13 (PL 76, 1255).
[8] Zach. 2, 4.
[9] Sabaudi *agmina.*
[10] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 1, q. 2 (II, 261 sqq.).
[11] Lombard., in h. l. (PL 192, 297).

super illud I Thessal. 3,5: *Ne forte tentet nos* [a] *is, qui tentat;* tentatio autem eorum est ad deceptionem vel peccatum, Deus autem non mittit ad seducendum; ergo angeli mali [b] non mittuntur ab eo.

2. Item, malorum angelorum intentio est perdere animas, Dei autem est salvare; cum ergo cognoscat Deus intentionem eorum, non congruit eius bonitati eos mittere, scilicet malos angelos.

3. Item, Dei, cum sit summe bonus, est conservare res in esse; sed mali angeli intendunt [c] interfectionem et obdurationem: interfectionem, ut primogenitorum, et obdurationem, ut Pharaonis et Aegyptiorum [d] [1]; ergo, cum hoc cognoscat Dominus, non mittit malos angelos.

Sed contrarium videtur *a.* per hoc quod dicitur III Reg. ultimo, 19-22, ubi dicitur quod *exercitus caeli* stabat *a dextris et a sinistris,* scilicet [e] boni angeli et mali, *et ait Dominus: Quis decipiet Achab? Egressus est autem spiritus coram Domino et ait: Ego decipiam eum. Cui ait Dominus: In quo? Et ait: Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum.* Cum ergo angelus, qui venit ad decipiendum, sit malus, et missus esset — quod significat hoc verbum: '*Egredere et fac ita*' — mittuntur mali angeli a Domino.

b. Item, hoc idem accipitur super illud Psalmi [2]: *Immissiones per angelos malos,* ubi dicit Glossa [3] quod mali angeli mittuntur.

c. Item, super illud Matth. 8,31 [4]: *Mitte nos in porcos* etc., « per porcos [f] significantur mali sive luxuriosi, in quos mittuntur ». Ergo missio talium fit a Domino.

d. Item, Gregorius, in *Moralibus,* libro II [5], ubi loquitur de bonis angelis et malis, dicit: « Sicut a bonis angelis in hac vita laborantibus auxilium pietatis impenditur, ita isti, occultae eius iustitiae nesciendo servientes, ministerium exequi reprobationis conantur: non enim ministrant [g] Deo soli, qui adiuvent [h] boni, sed etiam mali, qui probent, non solum qui redeuntes a culpa sublevent, sed etiam qui redire nolentes gravent [i] ».

Respondeo quod angeli mali mittuntur a Deo.

[Ad obiecta]: 1. Ad [k] primum dicendum quod, licet sit contraria intentio ipsius diaboli intentioni divinae quantum ad hoc quod haec est mala et illa bona, nihilominus utitur Dominus tentatione diaboli ad bonum. Tentatio enim qua tentavit diabolus Iob, quantum fuit de voluntate [l] diaboli, fuit ad seducendum, sed illam ordinavit Dominus ad bonum, ut patientia Iob probaretur. Missio ergo Domini [m] respicit ordinationem potestatis ad tentandum, quae est sub potestate divina, non ordinem ad voluntatem Dei, sed eius malam voluntatem ordinat [n] Dominus ad bonum.

a. Ad aliud dicendum quod illud quod dixit Dominus mendaci [o] spiritui quod egrederetur et ita faceret, non dat intelligere quod Dominus mittat malignum spiritum ad fallendum, secundum [p] quod fallacia culpam dicit ex parte eius qui fallitur vel secundum quod dicit culpam ex parte fallentis, sed secundum quod deceptio dicit poenam ex parte eius qui decipitur. Et hoc patet per hoc quod dicitur in Glossa, super illud [q]: *Quis decipiet Achab?* Interlinearis [6]: « Quod exigebant merita eius ». Deceptio ergo in decepto poena fuit propter merita ipsius, deceptio autem ex parte decipientis culpa fuit, et ad illam non misit Dominus nisi in hoc quod permisit; potestatem quidem non contulit, sed malam voluntatem permisit; in qua etiam mala voluntate serviunt etiam ipsi mali angeli Domino, secundum quod dicit B. Gregorius [7]: « Voluntas electorum spirituum divinae deservit [r] potestati, et [s] reproborum sensus, suae serviens malitiae [t], iudicio omnipotentis obtemperat ».

2. Ad tertium dicendum quod, licet Deus cognoscat intentionem malam diaboli, ex qua sequitur seductio vel perditio, nihilominus tamen ipsum non propter malum, ad quod inclinatur diabolus, mittit, sed propter bonum quod ex illo elicit Deus.

3. Ad quartum vero [u] quod obicitur de interfectione primogenitorum et obduratione Aegyptiorum: dicendum [v], quod aliter mali angeli illa faciebant et [x] aliter Deus. Mali enim angeli peccabant illud appetendo et ex appetitu faciendo, Deus autem iuste operatus est ipsis malis propter peccata poenam infligendo. Unde in Glossa [8] dicitur super illud [9]: *Immissiones per angelos malos:* « Possumus sine dubitatione malis angelis attribuere mortes pecorum, mortes primitivorum et obdurationem Aegyptiorum; hanc enim iniquissimam et malignissimam obstinationem [y] Deus cum facere dicitur, non instigando et inspirando, sed deserendo facit, ut illi *operentur in filiis diffidentiae* [z] [10] quod Deus debite iusteque permittit ».

---

[a] T om. *t. n.* [b] ST om. [c] Z add. *ad.* [d] Ita R, alii *huiusmodi* pro *o. u. P. e. A.* [e] L om. [f] LZ *portas.* [g] Z *ministrando.* [h] V *adiuvant.* [i] C *gravant.* [k] V *respondeo ad.* [l] V add. *ipsius.* [m] C om., S *autem.* [n] Ita V, alii *ordinet.* [o] V *mendacii.* [p] Z *sed.* [q] STLCZ *illo,* L *qui* pro *quis.* [r] R *servit.* [s] R *ut.* [t] S add. *et.* [u] Ita V, alii add. *dicendum.* [v] Ita V, alii om. [x] S om. [y] T *estimationem;* R *tamen* pro *cum.* [z] T *differentie.*

1 Cf. Exod. 12, 29; 14, 4 sqq.
2 Psalm. 77, 54.
3 Lombardi, in h. l. (PL 191, 739).
4 Cf. Gregor. M., *Moral.,* II, c. 20, n. 38 (PL 75, 573 sq.).
5 Cap. 20, n. 38 (PL 75, 573 sq.).
6 Apud Lyran., in h. l.
7 Cf. loc. cit. (PL 75, 574).
8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 740).
9 Psalm. 77, 54.
10 Cf. Ephes. 2, 2.

c. Ad id vero quod obicitur de missione in porcos, dicendum [a] quod illa missio, secundum quod per porcos designantur peccatores, non aliud est quam ordinatio potestatis ad puniendum et permissio voluntatis ad seducendum. « Per malos enim angelos », sicut dicitur in Glossa [b] [1] super illud: *Immissiones per angelos malos*, « punit Deus bonos et malos homines, sed bonos [c] tantum corporalibus poenis, malos autem non tantum corporalibus, sed spiritualibus ».

196 CAPUT III.

UTRUM BONI ANGELI DE SINGULIS ORDINIBUS MITTANTUR [2].

Deinde potest quaeri utrum omnes angeli mittantur de quovis ordine an de quodam ordine mittantur, de quodam non [d].

Et videtur quod non mittantur de superioribus ordinibus: 1. Dicit enim Gregorius [3], recitans sententiam Dionysii [4]: « Superiora agmina ab intimis nunquam recedunt, quia ea, quae praeeminent, usum exterioris ministerii non habent ».

2. Praeterea, inferiores ordines [e] dicuntur angeli et archangeli; sed angelorum et archangelorum est mitti sub hac ratione; ergo, cum nullus alius ordo rationem missionis dicat, non videtur quod superiores angeli mittantur: non enim Seraphim vel Cherubim vel Throni rationem missionis determinant.

3. Item, Dan. 7, 10: *Millia millium ministrabant ei et decies millies* [f] *centena millia assistebant ei.* Ergo videtur quod quidam sunt assistentes et alii sunt ministrantes.

4. Item, super illud Ezech. 1, 26: *Similitudo throni,* Glossa [5]: « Cum angeli saepe ad nuntiandum [g] quaedam hominibus exeunt, Throni missi ad ministerium nunquam leguntur ».

Sed contrarium videtur *a.* per hoc quod dicitur Isai. 6, 6: *Volavit ad me unus de Seraphim;* super quod dicit B. Gregorius [6]: « In hac Prophetae sententia vult intelligi quoniam [h] ii spiritus, qui mittuntur, eorum vocabulum percipiunt quorum officium gerunt, quia ut peccata locutionis incendat [i], angelus, qui de altari carbonem portat, Seraphim dicitur, quod incendium interpretatur ».

b. Praeterea, in quibusdam locis, quaedam per Cherubim, quaedam per Seraphim agit Dominus.

c. Item, ad Hebr. 1, 14: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi* etc.

d. Item, diversi sunt effectus respondentes diversis officiis; cum ergo officio Cherubim et Seraphim respondeant diversi effectus, mittentur non tantum de inferiori ordine, sed et [k] de superiori.

Respondeo per hoc quod dicit B. [l] Gregorius [7]: « Utrum per se hoc faciant superiores angeli an per subiectą agmina agatur, nos affirmare nolumus, quod certis testimoniis non approbatur ». Ex hoc accipit Magister, in *Sententiis* [8], quod ponit duplicem opinionem: unam illorum qui dicunt quod omnes mittuntur, sive sint de superioribus sive de mediis sive de inferioribus [m] immediate; alii vero dicunt quod superiores nuntiant inferioribus, inferiores vero nuntiant hominibus, et illi per se dicuntur mitti.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod dicit Gregorius quod « ii qui praeeminent usum exterioris officii non habent »: respondent illi qui sustinent quod omnes [n] mittuntur, faciendo vim in hoc quod dicitur « exterioris ». Nam est quoddam officium exterius, ad quod deputati sunt [o] angeli de inferioribus et mediis ordinibus, ut est nuntiare, punire et similia officia; est aliud officium interius, ut purgare et illuminare et huiusmodi, et ad hoc deputati sunt illi qui sunt [p] de superiori ordine, ut purgatio Isaiae facta ministerio Seraphim [9]. Non negatur ergo [q] quin illi qui [r] praeeminent habeant usum alicuius officii, sed quia non habent usum [s] exterioris officii, quia ad tales actus exteriores non leguntur missi in Scriptura.

2. Ad aliud dicendum quod ratio missionis non appropriatur angelis et archangelis, sed ratio missionis ad nuntiandum: ut archangeli dicantur, qui maiora nuntient [t], angeli qui minora [10]. Unde

---

[a] Ita V, alii add. *est.* [b] T om. *i. G.* [c] V om. [d] ST om. *d. q. n.* [e] Z om. [f] TLRC *millia,* S exp. [g] Ita V, LCZ *nuntiandi,* STR *nuntianda* pro *a. n.* [h] R *quod.* [i] L *intendat.* [k] Ita V, R *etiam,* alii om. [l] V om. [m] L om. *s. d. m. s. d. i.* [n] L om. [o] V om. [p] S om. *q. s.* [q] R om. [r] Ita VS, alii *illa que* pro *i. q.* [s] S om. *alicuius... usum;* L om. *sed quia... officii.* [t] V *nuntiant.*

[1] Lombardi, in h. l. (PL 191, 740).

[2] Cf. Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 5, c. 33 (PL 176, 262); Lombard., II *Sent.*, d. 10, c. 1 (p. 351); S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 1, q. 2 (II, 261 sqq.).

[3] *In Evang.*, hom. 34, n. 12 (PL 76, 1254).

[4] Cf. *De cael. hier.*, cc. 7, § 1 (PG 3, 206 PL 122, 1050).

[5] *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Gregorio M., *In Ezech.*, hom. 8, n. 20 (PL 76, 862).

[6] Loc. cit.

[7] Loc. cit., n. 13 (PL 76, 1254 sq.).

[8] Lib. II, d. 10, c. 1 (p. 351); cf. Hugo de S. Vict., loc. cit.

[9] Cf. Isai. 6, 6; cf. supra, p. 143, *ad 3.*

[10] Cf. Gregor. M., loc. cit., n. 8 (PL 76, 1250).

non oportet propter hoc quod alii non mittantur ad alia officia.

3. Similiter, cum dicitur: *Millia millium ministrabant*[a] etc., non innuitur per hoc quod illi, qui sunt assistentes, non sint ministrantes vel e converso, sed innuitur duplex officium conveniens omnibus angelis, scilicet assistere et ministrare.

4. Ad illud quod obicitur quod Throni non leguntur missi: dicendum quod, licet[b] non legatur in Scriptura de missione Thronorum specialiter, nihilominus potest[c] eis convenire ratio missionis; et hoc accipitur ex hoc quod dicit Apostolus generaliter de omnibus quod *omnes sunt in ministerium missi.*

CAPUT IV. 197

AD QUID PRINCIPALITER MITTANTUR ANGELI [1].

Quarto quaeritur ad quid mittantur principaliter.

Et videtur 1. Apostolus innuere, cum dicit ad Heb. 1,14: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Ergo finis missionis videtur esse[d] propter salutem humani generis.

Sed hoc non videtur per simile: *a.* Numquid rex terrenus ita ordinat familiam suam aut regnum suum ut finem nobilium ministrorum ponat in minus nobilibus? Immo, e converso, quod minus nobiles ponuntur ad serviendum[e] magis nobilibus. Ergo, cum angeli sint nobiliores ministri, non constituitur eorum finis in hominibus. In quo ergo ponitur eorum finis? Aut ut sibi aliquid acquirant vel ut divinam peragant voluntatem. Et videtur quod principaliter ut divinam peragant[f] voluntatem sive iussionem: in eo enim principalis finis actionis est constituendus qui[g] est principium et finis.

[Solutio]: 1. Quod concedendum est. Unde quod dicit Apostolus quod *propter eos*[h] *qui hereditatem capiunt salutis,* non ponit finem ultimum, sed utilitatem ex parte hominum assignat, quae ordinata est ad ulteriorem finem.

CAPUT V. 198

UTRUM SINGULI ANGELI MITTANTUR AD DETERMINATA OFFICIA [2].

Deinde quaeritur de officiis I. utrum singuli mittantur ad determinata officia explenda[i] an singuli indifferenter ad omnia.

Et videtur quod singuli mittantur ad determinata officia: 1. Sic[k] enim est in regno terreno quod distincta sunt officia et diversi ministri ad diversa officia mittuntur; hoc etiam exigit conveniens ordinatio; relinquitur ergo quod angeli diversi ad diversa mittuntur officia.

Sed videtur contrarium: *a.* Quia dona sunt communia, ut dicit B. Gregorius [3]. Unde non est tantum istius ordinis, qui dicitur angelorum, annuntiare secreta, sed etiam[l] aliorum ordinum; similiter non est tantum illius ordinis, qui dicitur Throni, quod Deus in illis sedeat et sua iudicia determinet, sed dicitur in Psalmo [4]: *Qui sedes super Cherubim,* et sic de aliis. Unde B. Gregorius [5]: « Sic in illa superna civitate specialia quaedam sunt singulorum, ut tamen[m] sint omnium; et quod quisque habet in se in parte, hoc totum in alio possidet[n] ». Ergo singuli ad omnia officia sunt parati.

Respondeo: Videtur quod singuli prompti sint[o] ad omnia officia; sed quia quaedam sunt per appropriationem quorumdam, ideo videtur quod illi ad illa frequentius mittantur, et si alii de alio[p] ordine ad illud mittuntur, quoad hoc accipiunt illam rationem.

II. Huius rei gratia quaeritur quare, cum ex angelis unus ordo conficiatur, nihilominus omnes de quocumque ordine 'angeli' dicuntur.

Respondeo: Unus ordo angeli dicuntur[q], quia illorum est nuntiare minora, sicut dicit Gregorius [6], et sic eis appropriatur. Est autem alia ratio[r] communis mitti ad officium explendum vel secretum nuntiandum, secundum quod dicitur in Psalmo [7]: *Qui facit angelos suos spiritus,* id est « spiritus suos facit angelos [8] ». Sic est ordinanda sententia.

---

[a] T *monstrabant.* [b] C om. [c] C *ponit.* [d] C om. [e] R *deserviendum.* [f] T om. [g] C *quod.* [h] T om. [i] Z *explananda;* LC *aut* pro *an.* [k] S *si.* [l] R *huiusmodi.* [m] R *cum.* [n] V *prepossidet.* [o] LC om. [p] VST *quo.* [q] ST om. *R. u. o. a. d.* [r] LZ *rationis.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 2, qq. 1 et 2 (II, 263 sqq.).
2 Cf. S. Bonav., loc. cit., dub. 3 (II, 274).
3 Cf. *In Evang.*, hom. 34, n. 14 (PL 76, 1255).
4 Psalm. 79, 2; cf. Psalm. 98, 1.
5 Loc. cit.
6 Cf. *In Evang.*, hom. 34, n. 8 (PL 76, 1250).
7 Psalm. 103, 4.
8 Cf. *Glossa* Lombardi, in h. l. (PL 191, 929), ex Augustino, in h. l. (PL 37, 1353).

QUAESTIO III.

DE PRAESIDENTIA ANGELORUM.

TITULUS I.

DE PRAESIDENTIA ANGELI SUPER ANGELUM.

Finita parte quae est de consideratione potentiae motivae et motus interioris et exterioris in angelo, consequenter dicendum est, adiuvante Domino, de praesidentia angelica. Praesunt autem angeli angelis, praesunt hominibus, praesunt etiam quibusdam corporalibus creaturis.

CAPUT I.

DE IPSA PRAESIDENTIA.

Primo ergo quaeritur utrum angeli ex natura primitus instituta habeant quod alii aliis praesint; secundo, utrum angeli boni ex gratia aliis praesint; tertio, utrum angeli mali aliis angelis malis praesint vel usurpatione potentiae vel ordinatione divinae iustitiae.

199

ARTICULUS I.

Utrum angeli ex natura primitus instituta aliis praesint [1].

Ad primum sic: *a.* Sicut natura primitus instituta omnes homines fecit pares, sed per corruptionem [a] peccati consequenter servitus est introducta et ita necessaria fuit praelatio [2], ita videtur fuisse in angelis; ergo sic erat in angelis quod nullus angelus alteri praefuit.

b. Praeterea, si praeesse esset de prima ordinatione angelicae naturae, cum natura angelica esset in sua maxima completione, esset ista praelatio; sed completio naturae omnimoda erit in gloria: tunc [b] autem cessabit omnis praelatio; non ergo de prima ordinatione naturae fuit praelatio in angelis.

Contrarium videtur 1. per hoc quod dicit Gregorius [3]: « Dum Lucifer [c] cunctis angelorum agminibus praelatus fuit, eorum comparatione clarior fuit ». Et iterum alibi [4]: « Praelatum ceteris legionibus tanta species illum pulcriorem reddidit, quanta illum supposita multitudo decoravit ». Et alibi [5]: « Consideret igitur homo quid ipse, si superbiat, de elationis suae culpa passurus sit, si superbiendo Deus illi parcere noluit quem creando in gloria tantae virtutis elevavit. Consideret quid in terra elatus mereatur, si et praelatus [d] angelis angelus in caelo prosternitur ». Ex quibus colligitur quod praelatio erat in angelis a principio, cum ipse [e] Lucifer aliis angelis praelatus diceretur.

Responsio videtur ad hoc quod praelatio dicitur dupliciter: vel praeeminentia in donis gratuitis

---

[a] V *post correctionem* pro *p. c.* [b] S *nunc.* [c] LRCZ om. [d] Z *prelatis,* S om. *angelus.* [e] S *et cum specie* pro *c. l.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 241, nota 8.
2 Cf. supra, num. 113; S. Bonav., II *Sent.*, d. 9, a. 1, q. 8 (II, 255sq.).
3 *Moral.*, XXXIII, c. 23, n. 48 (PL 76, 665sq.).
4 Loc. cit., n. 47 (PL 76, 665).
5 Loc. cit., n. 49 (PL 76, 666).

vel naturalibus, et secundum hoc fuit praelatio a principio in angelis; unde Gregorius[1]: « Tantum primum angelum reliquis angelis eminentiorem fecit ». Dicitur iterum praelatio praeeminentia ad imperandum iure, et secundum hunc modum non credo quod praelatio esset a principio in angelis, sed omnes suberant Deo tantum quantum ad imperium.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc potest [a] responderi ad obiecta. Nam praelatio, de qua loquitur Gregorius, est de praeeminentia in donis; aliam vero affectavit[2] indebite, et ideo iuste cecidit.

ARTICULUS II. 200

Utrum angeli boni ex gratia aliis praesint.

Deinde quaeritur utrum angelus praesit angelo per gratiam, et loquimur de bonis.

Et videtur quod non: 1. Quia [b] in statu gloriae nulla erit praelatio angeli ad angelum vel hominis ad angelum, I Cor. 15,24: *Cum evacuaverit omnem potestatem;* ergo, cum angeli boni sint in statu gloriae, angelus non praeest ad dominandum vel imperandum angelis [c].

Sed contrarium videtur *a.* per hoc quod dicit Gregorius[3]: « Hominibus angeli [d], angelis archangeli, Deus autem omnibus praeest ». Ergo si angeli praesunt [e] in hac via hominibus et Deus omnibus, relinquitur quod et angelis archangeli.

b. Item, eius est imperare cuius est mittere; sed, sicut dicit Gregorius[4], « angelus angelum mittit »; ergo angelus angelo imperat; ergo praeest ei ad imperandum.

c. Item, unus ordo est etiam Dominatio; sed dominari est subiectos quosque [f] possidere. Unde Gregorius[5]: « Dominari est subiectos quosque [g] possidere; ea [h] ergo angelorum agmina, quae mira potentia praeeminent, pro eo quod eis cetera ad obediendum subiecta sunt, Dominationes vocantur ». Ergo in angelis est praeesse ad dominandum vel imperandum.

[Solutio]: Ad quod videtur respondendum [i], sine praeiudicio melioris sententiae, quod [k] angeli, dum adhuc mittuntur propter salutem hominum, praesunt alii aliis ad imperandum, quod tamen imperium derivatur a summo imperio, penes quod residet auctoritas[6].

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem in contrarium, dicendum quod [l] non est hoc contrarium quod angeli iam sunt in statu gloriae. Quod enim dicitur: *Evacuabit omnem potestatem,* intelligendum est post diem iudicii, quando cessabit omnis praelatio[7] et dominabitur solus Deus et imperabit: tunc enim officium ministrantium, quod nunc habent, non erit necessarium. Quoad hoc etiam quod fruuntur, non est necessaria in eis praelatio, sed ex parte illa qua ad nos mittuntur.

ARTICULUS III. 201

Utrum mali angeli aliis malis angelis praesint[8].

Deinde quaeritur de malis angelis utrum sibi invicem praesint.

Et videtur quod non: 1. Si enim hoc non [m] habuerunt ex natura, nec [n] hoc meruerunt ex culpa: ex culpa enim venit servitus, sed non dominatio aut praesidentia; ergo in angelis malis non est praesidentia ad imperandum.

2. Praeterea, non est hoc de exigentia divinae iustitiae. Nam si hoc esset, unus alii subiceretur ad torquendum secundum quod plus vel minus deliquit: secundum hoc [o], cum maxime angelus, qui dictus fuit Lucifer, maxime [p] peccaverit et adhuc peccet, ille omnibus subiceretur; sed hoc non est verum, immo dicitur aliorum princeps; ergo non est praelatio in eis de exigentia divinae iustitiae.

---

[a] R *posset.* [b] Ita V, R *nam,* alii om.. [c] Ita Z corr. mg., alii *hominibus.* [d] RLCZ *angelus.* [e] Ita R, alii *prefuerunt.* [f] RC *quoscumque.* [g] C *quoscumque,* T om. *q. p.* [h] C *eo.* [i] Ita R, alii *responsio.* [k] T *sententieque* pro *s. q.* [l] R om., T om. *hoc.* [m] V om. [n] L *nisi.* [o] R add. *ergo.* [p] V add. *cum.*

1 *Moral.,* XXIII, c. 23, n. 47 (PL 76, 664).
2 Nempe Lucifer.
3 *Moral.,* IV, c. 29, n. 55 (PL 75, 665).
4 *Moral.,* XXVIII, c. 1, n. 9 (PL 76, 451).
5 *In Evang.,* hom. 34, n. 10 (PL 76, 1251sq.).
6 Cf. supra, num. 194.
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 9, a. 1, q. 6 (II, 251sqq.).
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 6, a. 3, q. 2 (II, 168sq.).

Sed contrarium videtur *a.* per hoc quod dicit Adamantius, Ios. 11,19: *Omnes bellando cepit,* Glossa[a1]: « Non est putandum[b] quod unus fornicationis spiritus seducat eum qui in Britannia[c] fornicatur, et illum qui in India vel in aliis locis, neque unum esse spiritum irae qui in diversis locis[d] diversos homines agitet; sed puto magis spiritum fornicationis esse unum, et innumeros qui[e] in hoc ei officio pareant et per singulos homines diversos spiritus sub ipso principe militantes, qui ad huiusmodi eos peccata sollicitent. Similiter iracundiae principem unum esse arbitror et innumeros sub ipso, et idem de ceteris peccatis. Ideo non unus principatus dicitur ab Apostolo[2], sed plures, contra quos nobis pugna est ».

b. Item, I Cor. 15,24: *Cum evacuaverit,* Glossa[3]: « Dum durat mundus, daemones daemonibus praesunt ». Ergo unus malus angelus praeest alii.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod daemones praesunt daemonibus ante diem iudicii[4].

Ad obiectum 1-2. in contrarium dicendum quod, licet ex natura non esset ista praelatio, tamen quaedam inclinatio sive dispositio ad illam est ex natura, eo quod ille qui praeest eminentior est aliis in naturalibus. Nec est haec praeeminentia eis ex meritis, sicut dictum est[5], sed praesunt alii aliis tamquam in ministerio tentandi vel puniendi, sicut inter carcerarios vel tortores unus alii praeest ut expleatur iustitia[f]. Est tamen quaedam voluntaria subiectio prout minores concordant cum voluntate maiorum in maleficiis, sicut est in latronibus, qui voluntarie[g] subiciuntur uni tamquam inter eos principanti. Sic[h] est in daemonibus et multo amplius: quia enim consenserunt ei voluntarie in maleficio, ex iustitia Dei in poenam ordinatum est ut subsint ei tamquam participes in poena et coadiutores ad puniendum.

CAPUT II.

DE ACTU ANGELORUM PRAESIDENTIUM QUI EST REVELARE.

Habito de praesidentia angeli super angelum, sequitur de actu qui pertinet ad praesidentes; actus autem ille est revelare quod apud se est. Potest[i] ergo quaeri:

Utrum necessaria sit ista revelatio quae fit mediantibus angelis;

deinde, si revelatio sit a natura angelica;

tertio, quomodo fiat revelatio.

202

ARTICULUS I.

Utrum necessaria sit ista revelatio.

Quod non sit necessaria revelatio mediantibus angelis, videtur: 1. Eo quod unusquisque angelus tenet imaginem sive similitudinem Dei et non alterius angeli; cum ergo revelatio fiat a summa sapientia ipsi angelo, in quantum tenet imaginem eius, quod autem factum est ad imaginem Dei nulla interposita creatura formatur[6], erit revelatio immediate a Deo, et ita non est necessarium quod mediantibus superioribus angelis fiat revelatio inferioribus angelis.

Contra: *a.* In *Commento super Hierarchiam*[7]: « Superiores revelant inferioribus secundum ea quae noverunt a Deo ».

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod superiores revelant inferioribus.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem in contrarium, dicendum quod, licet dicatur, in libro *De anima et spiritu*[8], quod ita facta est anima ad imaginem Dei[k] ut nulla interposita creatura formetur, et eodem modo posset dici de angelo vel multo magis, nihilominus tamen angelus potest formari quoad revelationem mediante alio angelo. Sed est quaedam formatio per gratiam gratum facientem, et illa non requirit mediationem creaturae: unde in illa non est angelus superior mediator respectu inferioris. Est alia formatio quantum ad cognitionem, et haec dicitur

---

[a] V *omnino.* [b] Ita V, alii *putandus.* [c] Ita V, alii *Britaniis.* [d] R om. *neque... locis.* [e] Z *quia.* [f] Z add. *divina.* [g] CZ *voluntate,* quod L corr. [h] L *sicut.* [i] T *preterea.* [k] R om.

1 *Ordin.*, ap. Lyran., in h. l.
2 Cf. Ephes. 6, 12.
3 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 547).
4 Cf. supra, p. 253b, *ad 1.*
5 Cf. supra, num. 199-200.
6 Cf. Augustin., *83 Quaestion.*, q. 40, n. 4 (PL 40, 33); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 31, *ad 3.*
7 Cf. Scot. Eriugena, *In hier. cael.*, c. 8, § 2 (PL 122, 198); Maxim. Conf., *Schol. in De cael. hier.*, c. 10, § 2 (PG 4, 90).
8 Cf. cap. 48 (PL 40, 814); cf. nota 6.

dupliciter: vel ratione formae ultimae vel ratione[a] dispositionis ad formam ultimam. Sicut ergo dicitur Matth. 23,8: *Unus est Magister vester*, nihilominus sunt et plures, et sicut dicit Augustinus, in libro[b] *De Magistro*[1], illi plures magistri non sunt nisi disponentes, summus autem Magister dat perfectionem, I Cor. 3,6: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*, ita in angelis videtur quod superiores disponunt, summa vero sapientia ultimam perfectionem cognitionis dat: unde revelare dicuntur ministerio, non auctoritate.

Articulus II. 203

Utrum illa revelatio sit a natura angelica.

Secundo quaeritur si revelatio sit a natura angelica.

Et videtur quod non sit a natura: 1. Revelatio enim nihil aliud videtur esse quam illuminatio; sed illuminatio non est in angelis nisi per gratiam; ergo nec revelatio.

Contra: *a.* Loqui est in angelis, etiam si non adesset gratia: loquuntur enim boni bonis et[c] mali malis, sicut dicit B. Gregorius[2]; sed loqui ponit revelare cum quodam addito: revelare enim[d] est dare cognitionem, loqui vero[e] dare cognitionem mediante signo; ergo revelare est in angelis, etsi non adsit gratia.

b. Item, Ioannes Damascenus[3]: « Qui eminent, inferioribus tradunt cognitionem secundum eminentiam ordinis et naturae »; sed tradere cognitionem non est aliud quam revelare; ergo revelatio fit ipsis inferioribus angelis a superioribus secundum conditionem naturae.

[Solutio]: Ad quod dicendum[4] quod revelatio potest esse de iis quae superiores angeli accipiunt in ipso Verbo, in quo vident ea quae sibi revelat Verbum: et secundum hunc modum revelatio est a gratia et bene dicitur idem quod illuminatio[5]. Alio vero modo dicitur revelatio eorum quae sibi nota sunt secundum se et sunt incognita alii: et secundum hunc modum revelant superiores angeli inferioribus ea de quibus plus noverunt quam inferiores, eo quod maius est posse eorum quam inferiorum.

Articulus III. 204

Quomodo fiat haec revelatio.

Tertio quaeritur quomodo fiat revelatio, utrum scilicet per medium vel sine medio.

Et videtur quod non sine medio: 1. Hoc enim videtur esse solius Dei. Dicit enim Bernardus[6] quod « solus Deus per se ipsum coniungitur spiritualibus creaturis ». Si ergo angelus revelat angelo, hoc erit per medium; medium autem vel est corporale vel[f] spirituale; corporale non potest esse, cum extrema sint spiritualia; si vero est spirituale, aut est substantia aut[g] accidens; substantia autem non est: non enim est nisi triplex substantia spiritualis, divina, angelica et[h] humana; sed nulla istarum est hic medium: non enim inter angelum et angelum est Deus medium secundum naturam, nec inter angelum et angelum anima, nec inter angelum et angelum alius angelus; medium ergo illud est accidens; sed nullum accidens est quod non sit in aliquo subiecto; ergo illud accidens vel erit in uno angelo vel in alio: in tertia enim substantia esse non potest; sed si est in altero angelo, non computatur ut medium, sed extremum; ergo revelatio huiusmodi non fit per medium.

[Solutio]: Ad quod dicendum[7] quod huiusmodi revelatio fit per medium et per medium spirituale, non tamen est medium sicut est inter visibile et ipsum visum, nec semper est medium signum sive nutus intelligibilis, sed ipsa communicatio speciei intelligibilis, quae est in revelante et eo cui revelatur.

---

[a] T om. *f. u. v. r.* [b] Ita V, alii *dicitur in libro Augustini* pro *d. A. l. l.* [c] L om. [d] L *vero.* [e] T om. [f] C add. *est.* [g] R add. *est.* [h] Z om.

1 Cf. cap. 12 (PL 32, 1216sq.).
2 Cf. *Moral.*, II, c. 7, nn. 8-10 (PL 75, 558sq.).
3 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 871).
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 11, dub. 2 et d. 23, a. 2, q. 1 (II, 289, 538b).
5 Cf. supra, num. 123.
6 *In Cant.*, sermo 5, n. 8 et sermo 6, n. 1 (PL 183, 802sq.).
7 Cf. supra, num. 146; S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 3, q. 1, *ad 5* (II, 270).

TITULUS II.

DE PRAESIDENTIA ANGELORUM SUPER ANIMAS.

Consequenter dicendum est de praesidentia angelorum super ipsas animas sive respectu animarum. Est autem una praesidentia super partem sensitivam sive respectu sensitivae, altera respectu intellectivae cognitivae, tertia respectu intellectivae motivae.

MEMBRUM I.

De praesidentia angeli super partem sensitivam animae.

Primo ergo dicendum de illa praesidentia quae est respectu sensitivae secundum [a] visiones quae fiunt in ea.

Primo ergo quaeritur utrum [b] angelus habeat hanc potestatem ratione naturae [c] suae;

secundo, si sit fallacia in ista visione, quae fit mediantibus bonis angelis, dico autem bonos natura;

tertio, quomodo fiat illa visio;

quarto, de quibus.

205

CAPUT I.

UTRUM ANGELUS HABEAT POTESTATEM IN SENSITIVAM ANIMAE [1].

Circa primum sic: I. *a.* Angelus malus potest super huiusmodi partem, cum tentat in somno; multo autem potentior est angelus bonus quam sit angelus malus; ergo angelus bonus potest super huiusmodi partem.

b. Praeterea, Gregorius [2]: « Nisi aliquando somnia ex mysterio [d] revelationis orirentur, Ioseph praeferendum se fratribus somno non videret [3], nec Mariae sponsum, ut ablato puero in Aegyptum fugeret, per somnium angelus admoneret [e 4] ».

c. Item, dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [5]: « Oraculum est, cum in somnis aliqua gravis persona vel etiam Deus eventurum aliquid aperte vel non eventurum, faciendum vel devitandum denuntiat. Visio autem est, cum quis videt quod eodem modo quo apparuerat, eveniet ». Sed huiusmodi apparitiones fiunt mediante angelo aliquando, sed nonnisi mediante angelo [f] bono: non enim sunt ad illudendum; ergo angeli boni habent posse super sensitivam interiorem.

d. Praeterea, habent aliquod posse super intellectivam consulendo vel revelando; sed intellectiva potentior est et excellentior sensitiva; ergo angeli boni habent potestatem [g] super ipsam potentiam animae sensitivam interiorem.

II. Potest etiam quaeri utrum possint super potentiam animae sensitivam exteriorem.

Quod videtur *a.* ex comparatione malorum spirituum. Sicut enim dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [6]: « Malignus spiritus, sensibus nostris immixtus, infestat animae sanctitatem lucemque mentis obnubilat; serpit hoc malum per omnes aditus sensuales ». Si ergo malignus spiritus posse habet super partem sensitivam exteriorem, multo fortius bonus angelus.

Contrarium autem [h] **videtur:** 1. Eo quod nulla variatio fieri videtur in sensu exteriori per operationem angeli, praeter illam immutationem quae fit secundum naturam.

[Solutio]: I-II. Ad quod dicendum quod angelus bonus habet posse super sensitivam exteriorem et interiorem, non tamen habet posse ex se, ut faciat ea quae sunt contraria naturae, sed ut per subiecta naturae moveat sensum interiorem vel exteriorem.

---

[a] V *vel.* [b] V om. [c] R *essentie.* [d] VTLC *ministerio.* [e] V *non moveret.* [f] C om. [g] T om. *h. p.* [h] Ita V, alii *cuius contrarium* pro *c. a.*

[1] Cf. supra, p. 163, *ad 5;* S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 2, q. 2 (II, 264 sqq.).

[2] *Moral.*, VIII, c. 24, n. 42 (PL 75, 827).

[3] Cf. Gen. 37, 9.

[4] Cf. Matth. 2, 13.

[5] Cap. 25 (inter opp. Augustini PL 40, 798).

[6] Quaest. 12 (PL 40, 14).

CAPUT II. 206

UTRUM SIT FALLACIA IN ISTA VISIONE.

Secundo quaeritur si sit fallacia in ista visione.

Et videtur quod sic: 1. Angelus enim bonus ex natura potuit falli in sua visione, sicut deceptus erat Lucifer; si ergo in se potuit falli, non potuit dare [a] perfectiorem statum iis qui recipiunt visionem ab eo; cum ergo vis imaginativa animae recipiat visionem ab angelo bono secundum naturam, in visione imaginaria vel spirituali poterit falli.

Contra: *a.* Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [1]: « Cum a [b] bono spiritu assumitur anima, falli non potest ».

b. Item, humanum spiritum aliquando bonus, aliquando malus assumit spiritus, nec facile discerni potest a quo spiritu assumatur nisi quia bonus instruit, malus fallit.

c. Ex ratione visionis idem videtur, et loquitur de visione quae fit in [c] imaginaria, quae [d] « visio est cum id quod quis videt, eo modo quo apparuerit, eveniet [2] ». Ex quibus colligitur quod in huiusmodi visione anima non fallitur.

[Solutio]: Respondendum est ad hoc quod bonus angelus dicitur dupliciter: vel ratione bonitatis naturae, et hoc modo si imprimeret visionem, posset imprimere visionem non tantum veracem [e], sed etiam fallacem, magis tamen inclinaretur ad veracem. Si vero fiat sermo de bono angelo ratione status in quo modo est, non imprimit visionem fallacem: et hoc modo intelligitur bonus angelus, cum dicitur [f]: « Cum a bono spiritu assumitur anima, falli non potest ». Et licet [g], ut dicitur ibidem [3], « aliquando in visione spirituali anima fallatur, quoniam ea quae videt aliquando vera sunt, aliquando falsa, aliquando perturbata, aliquando tranquilla, ipsa autem [h] vera aliquando futuris similia sunt omnino aperte [i] dicta, aliquando obscuris significationibus tecta »: nihilominus, cum bonus angelus imprimit huiusmodi visionem, imprimit eam ut veram, sive sub aperta ratione sive sub obscura significatione.

CAPUT III. 207

QUOMODO FIAT ILLA VISIO.

Tertio quaeritur quomodo fiat [k] visio illa. Et exponit B. Augustinus, in XII [l] *Super Genesim ad litteram* [4]: « Sancti angeli miris [m] modis visa sua facili quadam ac praepotenti unitione vel mixtione nostra esse faciunt et visionem suam quodam ineffabili modo in spiritu nostro informant ».

1. Potest ergo quaeri de hoc quod dicit quod « visa sua faciunt esse nostra ». Numquid sicut speculum oppositum visui, ut [n] non aliud faciat angelus quam offerat speciem sive similitudinem? Quod si sic esset, eo modo quo est [o] apud angelum, esset apud imaginativam; sed hoc est falsum: nam apud angelum est intellectualiter, apud vim imaginativam sensibiliter. Nec videtur sic esse sicut angelus facit visa sua apud alium angelum: utrobique enim est visum [p] intelligibile secundum eumdem modum. Quo ergo modo illud visum, quod est intelligibile apud angelum, fit sensibile apud spiritum imaginarium [q]?

2. Item, dicit quod « quadam unitione [r] praepotenti vel mixtione faciunt » ista. Numquid ipse angelus unitur cum ipsa anima secundum illam vim? Vel unio dicitur esse ratione effectus: ratione enim essentiae non potest dici, cum nihil unum fiat ex angelo et anima; si vero est ratione effectus, numquid potest angelus speciem unire sive similitudinem cum virtute imaginativa [s], quae prius nunquam fuit in illa? Quod [t] non videtur: illa enim unio per sensus exteriores fit in sensu interiori.

3. Item, dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [5], quod « ipsi significativas similitudines in spiritu nostro [u] discernunt ». Ratione cuius quaeritur utrum huiusmodi visiones fiant aliquando non ad significandum aliquid.

---

[a] Z *stare*. [b] RLCZ om. [c] Z om., in T est add. interl. [d] V *in*. [e] L add. *semper*. [f] V om. *c. d.* [g] T om. [h] C om. [i] R *a parte*. [k] Z *fuit*, quod L corr., C *fit*. [l] LRZ add. *Gen.* [m] VST *multis*. [n] L *et*, C om. [o] R *esset*. [p] R *visu* pro *e. v.* [q] T *imaginativum*. [r] S *unione*. [s] VS *imaginaria*. [t] V om. [u] R *meo*.

1 Cap. 24 (inter opp. Augustini PL 40, 797).
2 Loc. cit. (PL 40, 798).
3 Loc. cit. (PL 40, 797).
4 Cap. 30, n. 58 (PL 34, 479).
5 Loc. cit.

4. Praeterea, angelus habet posse huiusmodi super animam ut suas visiones ei imprimat. Numquid anima habet huiusmodi posse ut suas visiones imprimat in angelo?

Respondeo [a]: 1. Ad primum dicendum quod, licet visum intelligibile sit apud intellectum angelicum, potest tamen esse sensibile apud vim imaginativam cui imprimitur: recipiens enim recipit secundum suam possibilitatem, non secundum modum ipsius agentis qui imprimit [1]; et ideo non est talis receptio qualis est in visu a speculo sive a re [b] visibili, nec talis qualis est in intellectu ab alio intellectu.

2. Ad secundum [c] dicendum quod unitio illa est quantum ad [d] effectum, non quantum ad essentiam: effectus autem in hoc attenditur quoad coniunctionem similitudinum, quae sunt in imaginativa, ad quam coniunctionem excitat spiritus angelicus. Quo autem modo hoc fit [e], sicut dicit Augustinus, *Super Genesim* [2], « scire [f] difficillimum est et explicare operosissimum ».

3. Ad tertium vero dicendum quod in ipsa [g] vi imaginativa aliquando fiunt huiusmodi apparitiones per spiritum angelicum, « et tunc aliquid eventurum vel non eventurum [h], faciendum vel devitandum denuntiatur »; unde ad aliquid significandum fit huiusmodi apparitio. Unde Augustinus [3]: « Cum bonus spiritus arripit [i] fideles, mysteria loquentes aut accedente intelligentia [k] veros Prophetas aut ad tempus quod per eos oportet ostendi [l] videntes atque narrantes facit ». Non sic autem est, cum a corpore causa existit.

4. Ad quartum dicendum [m] quod aliud est de angelo et de anima, secundum quod dicit Augustinus [4]: « Interest hoc quod illi nostras [5], si nolumus, noverunt, nos autem ipsorum, nisi ostenderint, nosse non possumus, quia sic eas [n], ut opinor, habent in potestate occultare spiritualibus modis, quemadmodum nos quibusdam interiectis obstaculis nostra corpora, ne ab aliorum oculis videantur, abscondimus ». Unde aliter est de angelo et de anima rationali: anima enim nostra recipit ab angelo et non e converso.

208

CAPUT IV.

DE QUIBUS FIAT ILLA VISIO.

Quarto quaeritur [o] de quibus fiat visio, utrum de iis quae fiunt cursu naturae an de iis quae fiunt cursu voluntario.

Et videtur quod non de iis quae fiunt cursu naturali: 1. Illa enim possunt ex naturali cognitione apprehendere; de iis vero, quae fiunt cursu voluntario, non videtur esse huiusmodi visio, quia nec illa multotiens cognoscuntur ab angelis, et sunt maximae incertitudinis antequam fiant.

Respondeo: 1. Est triplex cursus [p] rerum, sicut dicit Anselmus [6], « naturalis, mirabilis et voluntarius ». In iis, scilicet mirabilibus et voluntariis [q], quaedam occulta contingit esse, quae per se sunt providentiae divinae, et de huiusmodi, secundum quod accipiunt boni angeli a Deo, sub figuris sensibilibus possunt visiones imprimere.

MEMBRUM II.

De praesidentia angeli super partem intellectivam animae.

Determinata [r] parte quae est de praesidentia angeli super partem sensitivam, sequitur de praesidentia eius super partem [s] intellectivam cognitivam.

Primo ergo quaerendum est utrum habeant huiusmodi posse;

secundo, ad quid sit illud posse, utrum ad immittere cogitationes vel incendere;

tertio, utrum dicantur incentores [t] cogitationum tantum an [u] affectionum principaliter;

quarto, quomodo dicantur incendere [v] cogitationes bonas.

---

[a] Ita V, alii om. [b] R *aere* pro *a. r.* [c] Ita V, alii add. *vero.* [d] C om. [e] VSTR *sit.* [f] C om. [g] L *ipsi* pro *i. i.* [h] S om. *v. n. e.* [i] ST *accipit.* [k] V *intellectiva;* L *veras* pro *veros.* [l] V *offendi.* [m] Ita C, alii add. *est.* [n] LZ *eos;* V om. *ut.* [o] V *obicitur.* [p] V om. [q] VST add. *aut.* [r] Ita VC, alii *terminata.* [s] V om. *sensitivam... partem.* [t] STC *intentores.* [u] V *aut.* [v] SC *intendere.*

1 Cf. *Lib. de causis*, § 9 (p. 174).
2 Lib. XII, c. 22, n. 48 (PL 34, 473).
3 Loc. cit., c. 19, n. 41 (PL 34, 470).
4 Loc. cit., c. 22, n. 48 (PL 34, 473).
5 Subaudi *cogitationes.*
6 Cf. *De conceptu virg.*, c. 11 (PL 158, 446).

CAPUT I. 209

UTRUM ANGELI HABEANT POTESTATEM SUPER INTELLECTIVAM ANIMAE.

Ad primum sic: I. 1. Dicit Augustinus[1] quod anima rationalis ita facta est ad imaginem Dei, ut nulla interposita creatura formetur; sed angelus est creatura; ergo eo mediante non formatur anima [a].

2. Praeterea, anima rationalis, in quantum huiusmodi, est ad imaginem Dei; « imago autem est similitudo expressa[2] »; ergo imago, per quam reformatur, inest ei [b] immediate a Deo; sed haec est imago similitudinis in cognitione; ergo talis non datur mediante angelo.

Contra: *a.* Sicut [c] daemones habent quod possunt excitare intellectum ad malam cogitationem, ita boni habent quod possint excitare ad bonam.

b. Item, Hieronymus[3]: « Angeli hominibus auxilium tribuunt, ministrantes eis [d] salutem et annuntiantes eis dona largissima »; sed annuntiando [e] dona, habent posse super intellectum; ergo angeli habent posse super intellectum [f].

[Solutio]: Ad quod dicendum quod habent aliquod [g] posse, sicut dicit Augustinus, *Super Genesim*[4].

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [h] obiectum autem in contrarium dicendum [i] quod anima non formatur ab angelo formatione gratiae vel gloriae, sed formationem, si quam habet [k], ex habilitatione dispositionis habet.

2. Ad [l] idem facit illud quod secundo obiciebatur: imago enim similitudinis, quae fit per dilectionem vel per [m] cognitionem gratuitam, non datur [n] mediante angelo.

II. Sed adhuc quaeritur utrum tale habeant posse quod necesse sit animam recipere.

Quod videtur: 1. Superior enim substantia non agit in inferiorem sine aliquo effectu in [o] inferiori: ut sol, in aërem cum agit, diversas in eo facit impressiones, et similiter est de igne; restat ergo quod aliquis effectus necessario erit [p] in intellectu rationali ex ipsa actione angelica.

Contra: *a.* Dicit Damascenus[5], loquens de malis angelis: « Violentiam inferre non praevalent: in nobis enim est suscipere vel non suscipere immissiones eorum [q] »; sed immissiones dicuntur illae actiones; ergo in [r] intellectu humano est suscipere vel non suscipere actionem angelicam sive effectum actionis angelicae; ergo similiter in bonis angelis est [s].

[Solutio]: Ad quod dicunt quod in [t] intellectu humano est suscipere effectum actionis angelicae vel non suscipere.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem in contrarium dicunt quod non est simile de substantia habente liberam voluntatem et de substantia quae habet appetitum naturalem tantum. Ubi enim est substantia quae habet appetitum naturalem, non requiritur nisi dispositio per quam habilitetur sine omni impedimento ad recipiendum actionem sui agentis; ubi autem est libera voluntas, etsi non sit aliud impedimentum, sufficit quod non [u] adsit voluntas ad capiendum ab agente creato. Secus autem [v] est de agente increato, qui potest immutare voluntatem rationalem secundum quod vult et nihilominus remanebit libera. — Aliter potest dici quod secus est de affectu humano et intellectu. Intellectus enim humani est suscipere necessario effectum actionis angelicae, nisi contingat quod ex vehementi inclinatione ad aliud [x] totaliter conversus fuerit ad idem; affectus autem sive voluntatis non est suscipere necessario propter eius absolutam libertatem. Et de hoc intelligitur quod dicit Damascenus quod « violentiam inferre non praevalent ».

CAPUT II. 210

UTRUM ANGELUS POSSIT IMMITTERE COGITATIONES VEL INCENDERE[6].

Secundo quaeritur de actu ipsius potentiae angelicae in ipsam intellectivam potentiam, I. utrum ille actus sit immittere an incendere [y].

Et videtur quod ille actus sit immittere: 1. Per hoc quod dicit Damascenus[7]: « In nobis est suscipere vel non suscipere [z] eorum immissiones ».

---

[a] Ita ST, alii om.; V om. *eo.* [b] ST om. [c] LC *si*, quod RZ corr. [d] LRCZ *ei*, V om. *salutem.* [e] Z *annunciantes.* [f] VC *ergo... intellectum.* [g] V *aliquid.* [h] Ita V, alii om. [i] Ita S, alii add. *est.* [k] V om. [l] L add. *illud.* [m] Z om. [n] V *dant.* [o] L om. [p] C *est.* [q] R om. [r] S om. [s] RLC *erit*, Z *fuit*, quod L corr. [t] L om.; V om. *est.* [u] V om. [v] Z om. [x] V *illud.* [y] S *intendere*; V *aut* pro *an.* [z] TL om. *v. n. s.*

1 Cf. *83 Quaest.*, q. 40, n. 4 (PL 40, 33). Pro nn. 1 et 2 cf. supra, p. 228, *ad 2.*
2 Cf. Gregor. M., *In Evang.*, hom. 34 (PL 76, 1250).
3 *De Spiritu Sancto*, n. 7 (PL 23, 109).
4 Lib. XII, c. 13, n. 28 (PL 34, 464 sq.).
5 *De fide orthod.*, II, c. 4 (PG 94, 878).
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 8, p. 2, a. 1, q. 4 (II, 230 sq.).
7 Loc. cit.

Si enim mali angeli immittunt cogitationes malas, eadem ratione et[a] boni immittunt cogitationes bonas.

2. Similiter super illud Iob 19, 9: *Spoliavit me gloria mea,* Glossa[1]: « Maligni spiritus in afflictorum cordibus cogitationes suas immittere non desistunt ». Et Ioannes Damascenus[2]: « Omnis malitia et immundae passiones ex ipsis excogitatae[b] sunt et immittere homini concessi sunt ». Si ergo sic[c] est ex parte malorum respectu malarum cogitationum, videtur[d] sic esse ex parte bonorum respectu bonarum cogitationum.

Sed e contra[e] **videtur:** *a.* Si daemones incentores sunt, non immissores malarum cogitationum — sicut dicit Beda[3]: « Diabolus non est immissor malarum cogitationum, sed incentor », et iterum Osee 5, 4, super illud: *Ut revertantur ad Dominum*[f][4]: « Obstinati in malo non cogitabunt reverti ad Dominum ut poeniteant, sed quod male cogitaverunt perficient[g] et hoc ideo quia spiritus malignus est vitiorum incentor » — si ergo mali dicuntur esse incentores et non immissores malarum cogitationum, multo fortius boni non dicentur[h] immissores bonarum cogitationum, sed incentores tantum.

II. Huius etiam gratia quaeritur quare in Scriptura invenitur quod daemones mittunt in cor cogitationes malas, sicut habetur Ioan. 13, 2: *Cum misisset Satanas in cor eius,* quare non invenitur in Scriptura quod boni angeli mittant in cor cogitationes bonas.

III. Praeterea, quaeritur quae sit differentia inter 'immittere' cogitationes et 'incendere'.

Videtur enim quod incendere sit immittere: nam immittere est intus[i] mittere ab extra, incendere autem est speciem ignis mittere in aliquam materiam susceptibilem; ergo qui incendit, immittit.

[Solutio]: I. Ad quod dicendum quod[k] boni angeli non sunt immissores bonarum cogitationum, etsi aliquo modo possint dici incentores. Si vero inveniatur de malis angelis quod sint immissores vel quod immissionem faciant, non accipitur ibi proprie immissio, sed communiter, prout dicitur quod qui incendit, immittit.

II. Ad secundum[l] dicendum quod aliter est de bonis cogitationibus et malis et de bonis angelis et malis. Daemones enim dicuntur immissores aliquando vel immissionem facere malarum cogitationum, in quantum malae sunt, non quia necessario inducant vel potestatem habeant inducendi necessario, sed quia movent ad hoc; nec malum ad aliud principium reducitur in suggestione quam ad ipsum diabolum. Non sic autem est de bono: licet enim bonus angelus moveat intellectum ad bonum aliquo modo, non tamen prima causa[m] boni est in angelo bono, sed in Deo[n]; et ideo attribuitur ei immissio cogitationis bonae, non angelo, in Sacra Scriptura.

Ad id vero quod dicitur in Psalmo[5]: *Immittet angelus Domini,* id est « immissionem faciet », dicit Glossa[6]: « Sed attendendum est quod illa immissio non dicitur esse cogitationis bonae, in quantum bona est », sed immittere dicitur ibi mittere custodiam intra et extra. Et hoc patet per hoc quod dicitur[o][7]: *In circuitu timentium eum;* unde alia translatio[8] habet: *Circumdat angelus Domini*[p] *in gyro timentes se.*

III. Ad id vero quod quaeritur de differentia immissionis et incendii, secundum quod Deo attribuitur 'immittere', angelo vero 'incendere': dicendum[q] quod immissio bonae cogitationis est factio bonae cogitationis; incensio vero est quaedam excitatio sive habilitatio intellectus ad cogitationem bonam. Aliud enim[r] est igne ignire ligna, et aliud est siccare[s] ligna ut igniantur; angeli autem boni non faciunt cogitationes bonas in[t] intellectu, sed removent impedimenta ut bonae cogitationes a Deo fiant in[u] intellectu: unde angelos incendere non est aliud quam incensibile[v] praeparare.

211

CAPUT III.

UTRUM ANGELI DICANTUR INCENTORES COGITATIONUM TANTUM AN ETIAM AFFECTIONUM[9].

Tertio quaeritur utrum dicantur incentores cogitationum tantum an etiam affectionum.

Et videtur quod possint incendere affectionem sive voluntatem: 1. Cum enim maius sit

---

[a] R om. [b] T *excogitande.* [c] V om. [d] V *vel.* [e] T *contra* pro *e. c.* [f] RC *domum;* V *obstinant,* S *obstinari* pro *obstinati.* [g] Z *perficiant.* [h] T *diceretur,* Z *dicerentur.* [i] ST *intro.* [k] ST om. [l] Ita V, alii add. *vero.* [m] V *est a.* [n] Z om. *s. i. D.* [o] V *dicit.* [p] V *Dominus* pro *a. D.* [q] Ita R, alii add. *est.* [r] V om. [s] V *secare.* [t] L om. [u] V *neque.* [v] T *insensibile.*

1 *Ordin.*, ap. Lyran., in h. l.
2 *De fide orthod.*, II, c. 4 (PG 94, 878).
3 *Expos. in Evang. S. Marci,* II, c. 7 (PL 92, 201); ex Isidoro, *Sent.*, III, c. 5, n. 7 (PL 83, 661).
4 *Glossa ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
5 Psalm. 33, 8.
6 Lombardi, in h. l. (PL 191, 340).
7 Psalm. 33, 8.
8 Nempe Hieronymi iuxta hebraicam veritatem (PL 28, 1152).
9 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 8, p. 2, a. 1, qq. 4 et 5 (II, 231 sq.).

posse angeli quam praedicatoris, praedicator autem potest accendere voluntatem ad bonum per praedicationem, unde [a] Hebr. 1, 14, super illud [1]: *Qui facit angelos suos* [b] *spiritus et ministros suos flammam ignis,* Glossa [c 2]: « *Ministros suos flammam ignis facit* [d], quia ministri Ecclesiae ignis sunt, dum spiritu fervent et vitia nostra urunt: foenum enim tuum incendunt ». Ergo angeli possunt incendere voluntatem.

2. Item, quemadmodum se habet illuminare ad intellectum, ita accendere ad affectum; sed sic est in [e] inferioribus quod causa illuminationis est causa accensionis; ergo sic erit in superioribus [f]; cum ergo angeli boni illuminent intellectum, per consequens accendent affectum.

Contra: *a.* Si accensibile adiungatur accensivo, necessario fit accensio; sed non necessario inducitur voluntas bona per operationem angeli; ergo angelus bonus non accendit voluntatem bonam.

b. Item, Bernardus, in libro *De libero arbitrio* [3]: « Voluntas est potentissimum in anima, et in hoc gerit immediate similitudinem divinae voluntatis ». Nihil ergo potest super voluntatem rationalem nisi ipse Deus; non ergo angeli sunt incentores [g] bonarum voluntatum: quod enim incendit, posse habet super illud quod incenditur.

[Solutio]: Ad quod dicendum [h 4] quod incendere dicitur dupliciter: uno modo ipsam speciem ignis praebere, et sic spiritualiter Deus est incentor bonae voluntatis: praebet enim speciem ignis spiritualis, scilicet caritatis, ipsi voluntati; ipse enim est [i] qui dicit [5]: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Incendere vero alio modo dicitur materiam accensibilem disponere, et sic nihil prohibet angelum mediante cogitatione disponere voluntatem, primo modo [k] non.

[Ad obiecta]: 2. Ad obiectum autem in contrarium, dicendum est quod aliud est de accensione et [l] illuminatione materiali, et aliud [m] de illuminatione et accensione spirituali. Illa enim fit secundum cursum naturae, in qua accensio sequitur illuminationem necessario; hic autem nulla necessitas [n] est: in ipsa enim anima est consentire vel non consentire. Nec hoc modo dicitur angelus incendere sicut ignis incendit lignum quod est praeparatum incensioni: unde ex operatione angeli non est necessaria accensio animae rationalis.

1. Ex [o] hoc patet responsio ad alia, quia praedicatores non accendunt nisi praeparando.

CAPUT IV. 212

QUOMODO ANGELI DICANTUR INCENDERE COGITATIONES BONAS.

Quarto quaeritur quomodo dicantur [p] incendere cogitationes bonas, utrum secundum operationem interiorem factam in ipsis phantasmatibus aut secundum operationem factam in ipsis [q] speciebus abstractis.

Et videtur 1. quod non secundum [r] operationem factam in ipsis phantasmatibus: talis enim [s] operatio fit in dormientibus, in quibus non est huiusmodi incensio.

2. Nec secundum operationem factam in ipsis speciebus: non enim possunt angeli coniungere vel disiungere species existentes apud intellectum humanum. — Praeterea, super illud [6]: *Manus tuae fecerunt me,* Glossa [7]: « Dicitur angelus intellectum dare homini [t] ut dicitur quis dare lumen domui, cui fenestram facit, cum eam non sua luce [u] penetret vel illustret ». Ergo illud ' incendere cogitationem ' [v] non videtur aliud esse nisi removere impedimentum [x]. Sed quomodo removet impedimentum? — Item, Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [8]: « Malignus spiritus, cum a Deo permittitur, obstruit quibusdam nebulis meatus intelligentiae [y], per quam pandere lumen rationis radius aeternae lucis solet ».

[Solutio]: Ad hoc potest dici quod, ut dictum est [9], incensio bonarum cogitationum est excitatio sive habilitatio intellectus ad illas. Et hoc potest esse pluribus modis, scilicet operando aliqua in phantasmatibus sive circa phantasmata et informando quodam modo spiritum et cognitivam expediendo per remotionem impedimentorum:

---

[a] RLCZ add. *ad.* [b] L om. [c] R om. *qui... Glossa.* [d] L om. [e] T om. [f] V *inferioribus.* [g] RC *incensores;* S *voluptatum* pro *voluntatum.* [h] V add. *est.* [i] VSL om., in T est add. interl. [k] V *ergo.* [l] Z *in,* V add. *de.* [m] V add. *est.* [n] C *voluntas.* [o] T *et ex.* [p] Z *dicatur.* [q] LCZ om. [r] L om. [s] R *autem.* [t] V *bonum.* [u] S *vice.* [v] V *cognitionem.* [x] V *impedimenta.* [y] V *intellective.*

1 Psalm. 103, 5.
2 Cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 929), ex Augustino, in h. l. (PL 37, 1349).
3 Cf. De hoc textu cf. S. Bonav., II *Sent.*, p. 115, nota 6.
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 10, a. 2, q. 1 (II, 263 sq.).
5 Luc. 12, 49.
6 Iob 10, 8.
7 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
8 Quaest. 12 (PL 40, 14).
9 Cf. supra, num. 211, *Solutio.*

operatur enim aliqua in phantasmatibus sive circa phantasmata. — Quod patere potest sic: Sensibilia, gignendo similitudines [a] suas de se et immittentes eas per sensus, imprimunt eas in organo sensus communis sive in phantasmate; ex qua impressione efficitur quod anima intelligat illud cuius impressio relinquitur in [b] phantasmate sive in [c] organo sensus communis, eo quod virtutes inferiores cognitivae [d] deserviunt intellectivae ut [e] a quibus accipit intellectiva [f] per maiorem abstractionem. Consimili modo angelus potest imprimere consimiles species illis quas facerent sensibilia, si essent praesentia, per ipsos [g] sensus, et hoc possunt in dormientibus et vigilantibus. Et sic secundum hanc viam facere potest ut repraesentetur intellectui unde [h] habilitetur et excitetur intellectus ad bonas cogitationes, sicut supra dictum est [1]; eo quod angelus bonus habet posse super sensitivam interiorem et exteriorem, habet ex hac parte posse habilitare et [i] excitare intellectivam, et hoc ad cogitandum bona.

[Ad obiecta]: 1. Ad id quod obicitur quod 'operatio facta in phantasmate [k] est [sicut] operatio facta in dormientibus': dicendum [l] quod et sic et aliter. Quod autem aliter, dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [2]; postquam enim locutus est [m] de revelationibus quae fiunt ab angelis in somnis dormientibus, subdit: « Vigilantibus etiam occulto [n] quodam instinctu ingestas esse cogitationes, quas divinarent [o], novimus, sicut Caiphas pontifex prophetavit [3], cum eius intentio voluntatem prophetandi non haberet ». Adhuc [p] intelligendum est quod angelus habilitat ad bonam cogitationem [q], informando ipsum spiritum sive ipsam intellectivam aliter quam per viam phantasiae, scilicet per immediatam irradiationem sive communicationem suarum visionum. Ut enim dicit Augustinus, *Super Genesim*, XII [4]: « Sancti angeli visionem suam quodam ineffabili modo in spiritu nostro infundunt, et visa sua quadam [a] praepotenti unitione nostra esse faciunt ». Quod aliquo modo tali exemplo patere potest: spirituales creaturae, sicut angeli et animae, specula sunt spiritualia, sicut dicit Dionysius, in libro *De divinis nominibus* [5]; unde sicut speculo materiali obiecto alii speculo materiali species resultantes [b] in uno gignunt se in alio, ita potest esse, licet similitudine distante, quod speculum spirituale [c], scilicet angelus, obicit se animae, quo existente, visa sive species existentes in ipso angelo relinquuntur in anima sive accipiuntur ab illa, quae quidem [d] visa habilitant et excitant intellectivam ad bonam cogitationem [e].

2. Ad id igitur quod obicitur quod 'angeli non possunt coniungere vel disiungere [f] species existentes apud humanum intellectum': dicendum quod coniungere possunt aliquo modo, species sive visa offerendo, ut dictum est [6]. Adhuc intelligendum est [g] quod, sicut dicitur Sap. 9,15: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* [h]. Ex corruptione igitur ista est [i] facilitas in anima sive pronitas ad minus ordinatas cogitationes, secundum quod dicitur Gen. 8,21: *Proni sunt sensus hominis ab adolescentia sua* [k] *in malum*. Praeterea, ut dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [l 7]: « Malignus spiritus [m] obstruit meatus intelligentiae, per quos pandere lumen rationis radius aeternae lucis solet ». Ratione corruptionis contractae in anima et obtenebrationis ex [n] obstructione meatus intelligentiae impeditur anima ne erigat se ad bonas cogitationes. Contra haec duo impedimenta dupliciter expedit angelus bonus animam, scilicet illuminando ad intuitionem spiritualium, ex quibus intuitis excitatur ad bonas cogitationes, ut iam dictum est [8], et arcendo contrarias potestates ab illatione [o] impedimentorum [p] huiusmodi.

---

[a] L *gignere dessimilitudines* pro *g. s.* [b] S om. [c] S om. [d] RLZ *cogitative.* [e] Ita V, alii *et;* V om. *intellectivae.* [f] L om. *a. i.* [g] S *suos.* [h] Z *ut.* [i] S om. [k] V *fantasmata.* [l] V add. *est.* [m] S om. [n] V add. *etiam.* [o] V *dirivarent.* [p] V *ad hoc* pro *a. h.;* RLCZ om. *est.* [q] V *cognitionem.*

[a] V *quodammodo.* [b] Ita V, alii *resultate.* [c] V om. [d] T *quidam.* [e] V *cognitionem.* [f] S om. *v. d.* [g] T om. [h] RLC *cogitatione,* quod Z corr.; Z om. *ex corruptione.* [i] LCZ om., in R est add. interl. [k] Ita V, alii om. [l] V add. *quando.* [m] V om.; L *abstruit* pro *obstruit.* [n] V om., T *et.* [o] V *oblatione,* ST *adulatione* pro *a. i.* [p] Ita V, S add. *et,* alii add. *ab.*

1 Cf. supra, num. 211, *Solutio.*
2 Cap. 24 (inter opp. Augustini PL 40, 797).
3 Cf. Ioan. 11, 51.
4 Cap. 30, n. 58 (PL 34, 479).
5 Cf. c. 4, § 22 (PG 3, 724, PL 122, 1141); cf. supra, p. 139, nota 5.
6 Cf. hic, *ad 1.*
7 Quaest. 12 (PL 40, 14).
8 Cf. hic, *ad 1.*

MEMBRUM III.

De praesidentia angeli super motivam sive de custodia angelica.

Dicto de praesidentia qua praeest angelus super potentiam sensitivam et intellectivam, consequenter dicendum est [a] de praesidentia qua praeest angelus super motivam, quae attenditur circa custodiam. Quaerendum est ergo de custodia angelica.

Primo ergo [b] quaeritur utrum angelus habeat potestatem [c] custodiendi hominem secundum animam;

secundo, supposito quod habeat, an habeat a natura vel [d] a gratia;

tertio, utrum unus angelus superior habeat potestatem custodiendi inferiorem vel [e] determinetur circa homines;

quarto, si custodia angelorum sit respectu hominum, utrum respectu omnium;

quinto, utrum angelus deputatus ad custodiam aliquando recedat propter peccata hominis custodiendi;

sexto, utrum aliquando angelus peccet ex negligentia circa [f] custodiam hominis, sicut praelatus.

CAPUT I. 213

UTRUM ANGELUS HABEAT POTESTATEM CUSTODIENDI HOMINEM SECUNDUM ANIMAM [1].

Quaeritur ergo in primis utrum angelus habeat potestatem custodiendi hominem secundum animam.

Quod autem custodiat [g], probatur *a.* per auctoritates Sacrae [h] Scripturae. Matth. 18, 10: *Angeli eorum semper vident faciem Patris;* et planius habetur in Glossa [2], quae dicit: « Magna est dignitas animarum, ut unaquaeque ab ortu suae nativitatis in sui custodiam habeat angelum sibi [i] deputatum »; unde [k], Isai. 62, 6: *Super muros tuos [l], Ierusalem, constitui custodes* [m]; item, Eccli. 17, 14: *In unaquaque gente praeposuit rectores,* id est angelos.

b. Item, quamdiu puer parvulus est et facilis ad casum secundum corpus, indiget manuductore, quousque scilicet veniat ad aetatem perfectam, in qua fortis est et sufficiens sibi; ergo similiter videtur quod secundum animam homo, quamdiu debilis est et facilis ad casum spiritualem, indiget custode sive manuductore spirituali, quousque veniat [n] ad aetatem perfectam [3]. Et huic [o] concordat Apostolus, Gal. 3, 24: *Lex paedagogus noster fuit in Christo.* Haec autem perfecta aetas non habetur, quamdiu homo est in via; ergo quamdiu est in via sive in statu viae, semper eget custode; huiusmodi autem custos non videtur nisi angelus; ergo etc.

c. Item, I Cor. 15, 24: *Cum evacuaverit omnem principatum,* Glossa [4]: « Tunc, id est in futuro, omnis praelatio cessabit, qua [p] angeli angelis et animabus praesunt ». Si ergo haec cessatio tunc est, manifestum [q] est quod modo est huiusmodi praelatio; angeli ergo praesunt animabus, et non apparet in quo nisi in custodia; ergo etc.

Contra: Videtur quod non congruat homini habere angelum custodem. 1. Augustinus, in libro *83 Quaestionum,* 23 quaest. [5]: « Mentem factam [r] [ad] imaginem Dei dicunt, quae, nulla interposita substantia, a prima veritate formatur ». Ergo nec interposito angelo; sed custos, in quantum huiusmodi, praeponitur custodito; ergo angelus non est custos animae, saltem quantum ad mentem.

2. Item, Iob 7, 20: *Quid faciam tibi [s], o custos hominum?* ita dicit Iob ad Deum; Deus ergo est custos hominum; ideo Psalm. [6]: *Nisi Dominus custodierit civitatem* etc.; cum igitur Deus sit sufficientissimus, non videtur quod ponatur alius custos.

3. Item, sicut homo gerit imaginem Dei ratione bonitatis et sapientiae, ita [t] ratione potentiae. Unde

---

[a] R om. [b] S om. [c] Ita C, alii *potentiam.* [d] V *an;* R om. *a.* [e] L *et.* [f] S *quam.* [g] Ita V, alii *custodiant.* [h] R om. [i] Ita R, alii om. [k] Ita V, alii *item.* [l] V om. [m] Z om. *unde... custodes.* [n] S *veniet.* [o] VL *huc.* [p] Z *quia;* S om. *angeli.* [q] T *rerum;* Z om. *est.* [r] Codd. *sanctam.* [s] RLCZ add. *etc.;* S om. *o.* [t] T add. *et.*

1 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 11, c. 1 (p. 353); S. Bonav., II *Sent.,* d. 11, a. 1, q. 1 (II, 276 sqq.).

2 *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 146), ex Hieronymo, *In Matth.,* III, c. 18 (PL 26, 130).

3 Cf. Origen., *In Num.,* hom. 20, n. 3 (PG 12, 733).

4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1679).

5 Quaest. 40, n. 4 (PL 40, 33).

6 Psalm. 126, 1.

Gen. 1, 26, postquam dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* statim subiungitur de potentia: *Et praesit piscibus*[a]. Sed inter imaginem et id cuius est imago, nihil interponitur; ergo inter hominem, in quantum gerit imaginem Dei in potentia cognoscendi, et Deum nihil est medium, immo immediate est sub Dei potestate; sed custos[b] habet potestatem super custoditum; ergo angelus non est custos hominis sive non habet potestatem custodiendi.

4. Si dicatur quod angelus praeest homini ut custos ex parte cognitivae, quia instruit[c] eum et docet in multis, sed non praeest ex parte motivae, quia non dat ei[d] suam perfectionem quae est gratia, sed Deus immediate, et sic intelligitur supra posita[e] auctoritas Augustini, in libro[f] *83 Quaestionum*[1] – sed contra hoc est quod sequitur in auctoritate: « ab ipsa veritate formatur », ut fiat vis in verbo: veritas enim, in quantum huiusmodi, respicit cognitivam et non motivam; ergo ista auctoritas intelligitur de immediatione Dei ad mentem quoad cognitivam.

5. Praeterea, sicut homo est imago Dei quoad potentiam motivam, ita et secundum cognitivam; ergo secundum utramque nihil est medium inter mentem et Deum; ergo nec angelus.

6. Item, hoc dicit Augustinus, in libro *De quantitate animae*[2], ubi loquitur de anima, dicit quod « nihil inter omnia est propinquius ».

7. Item, dicit Augustinus, *Super Genesim*[3], quod sicut « agricolae non dicuntur creatores frugum, quamvis multas praeparationes faciant ad producendas fruges, ita nec angeli dicuntur creatores », quia scilicet nulli rei dant formam ultimam, quamvis saepe ad formam ultimam sua operatione praeparent et disponant[g]. Sicut ergo angelus non dat motivae potentiae suam perfectionem vel formam completivam vel gratiam sive amorem summae bonitatis, ita nec potentiae cognitivae dat[h] suam perfectionem vel completionem, id est summae virtutis[i] cognitionem, sed utrique potentiae datur perfectio a Deo immediate; ergo quoad hoc aequaliter se habent immediate ad[k] Deum ambae potentiae.

8. Praeterea, sicut angelus operatione sua praeparat et disponit cognitivam ad suam completionem instruendo et docendo, ita videtur disponere motivam consulendo de fugiendis et agendis et excitando sive inflammando ad[l] amorem summae bonitatis; ergo quoad hoc sunt aequales huiusmodi potentiae; ergo qua ratione dicetur habere potentiam super cognitivam, eadem ratione et[m] super motivam.

9. Item, Augustinus, in libro *83 Quaestionum*[4]: « Perfecta ratio, quae virtus vocatur, utitur primo se ipsa ad intelligendum Deum ut ipso fruatur, ceteris rationabilibus ad societatem, utitur animantibus irrationabilibus ad[n] eminentiam, utitur corporalibus vivificandis ad beneficentiam, utitur quibusdam assumendis vel respuendis ad beatitudinem, quibusdam tolerandis ad patientiam, quibusdam ordinandis ad iustitiam; utitur etiam iis, a quibus abstinet, ad patientiam ». Ex iis patet quod anima utitur angelis.

10. Idem autem Augustinus, in libro *De Trinitate*[5], definit 'uti' sic: « Uti est assumere aliquid in voluntatis facultatem[o] » propter id quo fruendum est. Ex hoc quod dicit « assumere in facultatem voluntatis[p] » videtur quod illud, quod utitur, superius sit eo quo utitur in quantum huiusmodi. Arguitur ergo sic: Omne, quod utitur alio, superius est eo in quantum[q] huiusmodi; sed anima utitur angelis[r]; ergo superior est eis in quantum huiusmodi; ergo angelus non habet potestatem super animam.

11. Item, « utitur ceteris rationabilibus ad societatem »; ubi autem[s] est societas, ibi est paritas, et non praeeminentia; ergo inter animam et angelum non est praeeminentia, et inde ut prius.

Solutio: Dicimus cum primo positis auctoritatibus et rationibus quod angeli habent potestatem custodiendi animas et eas custodiunt.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum quod obicit de immediatione, quae habetur in auctoritate Augustini, solet dici quod mens communiter accepta duplicem habet vim[6]: superiorem, quae dicitur intelligentia, qua[t] cognoscit Creatorem, et de hac intelligitur auctoritas Augustini, et inferiorem, scilicet intellectum, qua[u] cognoscit creaturas, et de hac non intelligitur[v], et quoad istam verum est quod habet angelum custodem. — Sed aliter videtur dicendum quod secundum utramque vim habet[x] custodiam angeli secundum aliquam rationem custodiae; verum est tamen quod secundum quod[y] plus descendunt potentiae, secundum hoc plus est ibi de ratione custodiae.

4. Ad auctoritatem ergo Augustini respondeo[z] faciendo vim in hoc quod dicitur « formatur »:

---

[a] R add. *maris.* [b] C add. *Dei.* [c] T *instituit.* [d] Ita VZ, alii *eis.* [e] C *dicta;* R *predicta* pro *s. p.* [f] Ita V, alii om. *i. l.* [g] Ita V, alii *preparant et disponunt* pro *p. e. d.;* RLCZ *sic* pro *sicut.* [h] Ita ST, alii *dant.* [i] V *ditatis.* [k] L add. *hoc.* [l] Ita V, alii *in;* L *et* pro *sive.* [m] R om. [n] S om. *i. a.* [o] Codd. *voluntatem facultatis* pro *v. f.;* RC *quod* pro *quo.* [p] V *voluntatem facultatis* pro *f. v.* [q] R add. *est.* [r] C *angelus.* [s] Codd. *enim;* V *irrationalibus* pro *rationabilibus.* [t] S *quia.* [u] VZ *quo;* STC om. *s. i.* [v] Ita L, alii *intelligit.* [x] R *habent.* [y] Z om., in L est add. mg.; T om. *tamen.* [z] C *Augustini dicendum* pro *e. A. r.*

[1] Cf. supra, p. 263, nota 4.
[2] Cap. 34, n. 77 (PL 32, 1077).
[3] Lib. IX, c. 15, nn. 26-28 (PL 34, 403sq.).
[4] Quaest. 30 (PL 40, 20).
[5] Lib. X, c. 11, n. 17 (PL 42, 982).
[6] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 28, *Solutio.*

dicimus quod quaelibet vis animae, et motiva et cognitiva et superior et inferior, immediate « a prima veritate formatur », scilicet forma ultima, id est perficitur ultima completione. Nihilominus tamen angeli habent potentiam praeparandi [a] et disponendi aliquo modo quamlibet animae potentiam ad suam ultimam completionem, et quoad hanc potentiam vel [b] potestatem habent ipsi custodire. Illud plane habetur in Glossa super illud [1]: *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me,* ubi dicitur: « Solus Deus dat intellectum, etsi aliquando mediante angelo, ut Danieli, cui dixit angelus [2]: *Ego veni tibi intellectum dare; Deus* tamen, qui *lux est* [3], per se ipsum illuminat pias mentes, etsi aliquando utitur ministerio angelorum: ita enim dicitur *intellectum dare* homini [c] ut quisque dicitur dare lumen domui, cui [d] fenestram facit, cum eam [e] sua luce non illustret [4] ».

3. Ad aliud quod obicitur [f] de imagine quae est in homine ratione potentiae, dicendum [g] [5] quod, cum dicitur: *Praesit piscibus* etc., non loquitur ibi nisi [h] de potestate hominis super corporales creaturas, ut patet ex textu. Unde ista [i] potentia, quae est in homine secundum quod est ad imaginem Dei, non dicitur qua [k] possit super angelum, sed [l] super irrationales creaturas; unde non obstat quin angelus habeat aliquam potestatem super eum. Si autem ista potentia esset talis quod per eam posset se [m] homo custodire et regere, non habens indigentiam ut custodiatur, valeret ratio ista; sed non sic est, quia homo semper indiget, dum est in via. — Ad hoc quod obicitur [n] quod 'inter imaginem [o] et id cuius est imago, nihil est medium': solvendum est [p] per praedicta, dicendo quod nihil est medium quoad perfectionem ultimam, est tamen aliquod medium praeparans et [q] disponens eamdem imaginem adhuc informem ad suam ultimam perfectionem.

2. Dicimus etiam quod animam custodit et Deus et angelus, sed differenter: Deus quidem auctoritate, angelus [r] ministerio, secundum illud Hebr. 1,14: *Omnes sunt administratorii spiritus* etc. Et, licet Deus sit sufficiens ad custodiendum sine ministerio, angelus tamen custodit propter servandum ordinem rerum, cuiusmodi ordo est Dei ad angelum et angeli ad hominem, sicut patebit in sequenti Problemate [6]. Simili enim modo posset obici quoniam Deus omnia faceret [a] per se et nihil mediante natura vel angelo, cum ad omnia sufficiat Deus; sed non oportet hoc, quia, licet sit sufficiens, non tamen tollit [b] ordinem rerum.

9-11. Ad aliud quod obicitur [c] de eo quod est 'uti', respondetur quod 'uti aliquo' dupliciter est: aut tamquam instrumento, quemadmodum artifex utitur securi, et sic verum est quod utens superius est eo quo utitur; aut [d] tamquam patrono vel adiutorio, sicut quis utitur advocato, et sic non oportet quod utens sit superius [e], immo potest [f] esse inferius, et sic utitur anima angelo; unde non ex hoc sequitur quod sit superior eo. — Aliter dicendum [g] accipiendo intellectum auctoritatis Augustini, quia [h] revera, secundum quod ipse dicit, anima [i] ad intelligendum Deum, id est ad deveniendum [k] in Dei cognitionem, utitur omni creatura, quia sicut prima et summa bonitas habet aliquam sui similitudinem in creatura [l] quae ad ipsam ducit [m], ita summa veritas habet aliquam sui similitudinem [n] quae ad se ducit: unde quoad hoc omnis creatura habet rationem intelligibilis; sed praeter hoc rationalis creatura non solum habet rationem intelligibilis, sed insuper habet [o] rationem intellectivi, scilicet anima et angelus. Dicimus ergo quod anima, in quantum habet rationem intellectivi, utitur ceteris omnibus, in quantum intelligibilia sunt, ad deveniendum in cognitionem Creatoris: unde utitur etiam angelo. Nec ideo sequitur quod [p] sit superior, quia « se ipsa utitur » hoc modo, secundum quod dicit eadem auctoritas, nec ideo superior est se ipsa; vel si sequatur quod nobilior sit quoad hoc, quia videlicet intellectivum ut huiusmodi nobilius est intelligibili ut huiusmodi, non tamen sequitur quod simpliciter nobilior sit, quia non solum habet angelus naturam intelligibilis, sed etiam intellectivi, sicut et anima; unde anima utitur eo [q] intelligendo eum et ipse utitur ea [r] intelligendo eam: unde quoad hoc est paritas. Et hoc est quod dicit auctoritas praedicta: « Utitur ceteris rationabilibus ad societatem », quia invicem se intelligunt et utrumque utroque utitur hac via. Nec [s] tamen per hoc excluditur potestas custodiae in angelo, quia [t] secundum aliam viam est ibi praeeminentia, ut iam patebit [7].

---

[a] R om. [b] S *et.* [c] L om. [d] ST *et,* alii *cum.* [e] V *tamen,* T *gratiam.* [f] Ita V, alii *obicit.* [g] V add. *est.* [h] L om. [i] V *ipsa,* S *ita.* [k] L (corr.) C *quia.* [l] S *et.* [m] S *posse* pro *p. s.* et om. *et.* [n] Ita V, alii *obicit.* [o] V *imaginationem.* [p] Ita V, alii om. [q] C *vel.* [r] Ita V, alii add. *quidem.*

[a] C *fecit.* [b] V *tenet.* [c] Ita V, alii *obicit.* [d] L om. [e] V repet. [f] T *potens.* [g] V add. *est.* [h] V om. [i] V add. *est.* [k] R om. *i. e. a. d.* [l] C om. *i. c.* [m] S *dicit.* [n] C om. *in creatura... similitudinem;* R om. *sui.* [o] L *etiam* pro *i. h.* [p] TRZ *quia.* [q] TRL add. *in.* [r] Ita VS, alii add. *in.* [s] S om. [t] V *quod.*

1 Iob 10,8 et Psalm. 118, 73; *Glossa* Lombardi, *In Psalm.* 118, 73 (PL 191, 1081).
2 Dan. 9, 22sq.
3 I Ioan. 1, 5.
4 Cf. supra, num. 212, n. 2.
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 161.
6 Cf. infra, num. 214.
7 Cf. infra, num. 214.

214 CAPUT II.

UTRUM A NATURA VEL A GRATIA HABEAT ANGELUS CUSTODIRE HOMINEM.

Quaeritur postea, supposito quod angelus habeat potestatem custodiendi homines, utrum hoc habeat a natura vel a [a] gratia.

1. Si dicatur quod a natura – contra: si circumscribantur omnia gratuita ab angelo, tunc sicut anima est vertibilis in bonum et malum, ita angelus, in malum scilicet per se, in bonum cum adiutorio gratiae; ergo quoad hoc debilis est sicut et anima; sed nemo sapiens alicui parvulo debili daret custodem alium debilem, immo fortem daret debili; ergo, cum Deus sit summe sapiens, angelum ita debilem et ita vertibilem non dabit pro custode, cum ipse, prout sic vertibilis est, videatur indigere custode.

2. Item [b], angelus ita vertibilis est in malum, circumscripta gratia, quod si cadit in malum, non resurgit, homo vero [c] ita est vertibilis quod resurgit; ergo quoad hoc magis videtur angelus impotens vel deficiens; ergo quoad hoc minus videtur quod angelus debeat dari custos homini quam homo angelo.

3. Item, si hoc esset ex natura, cum in daemonibus remanserint naturalia, secundum hoc deberent dici custodes, quia quod a natura inest [d], omni inest in quantum tale.

4. Item, Num. 18, 26, super illud: *Quidquid offerunt primitivorum* etc., in Magna Glossa Origenis [1], quae sic incipit: *Offerunt angeli,* ubi multum loquitur de potestate angelorum super homines, in fine dicit sic: « Pro merito alius princeps multorum esse ponitur, alius principatui subiectus ». Et ponit [e] exemplum de bonis servis, quibus pro diversitate meritorum datur [f] potestas, alii super decem civitates, alii super quinque [2]. Ex hoc quod dicit « pro merito » videtur quod ex gratia sit huiusmodi praelatio, non ex natura. Item, hoc videtur ex [g] exemplo quod ponit [h], quia potestas collata servis fidelibus non est naturae, sed gratiae vel gloriae; ergo similiter potestas angeli super animam in [i] custodiendo non est ex natura, sed ex gratia.

5. Item, si haec potestas debetur angelo ex natura, quaeritur ex qua natura. Si dicatur quod anima est substantia unita vel unibilis corpori, angelus substantia separata, unde magis potens et superior est, cuius etiam signum est quod animae separatae non datur angelus in custodiam [k] – contra: si unio vel unitas esset [l] causa essentialis quare indigeret [m] custodia, secundum hoc indiguisset Christus custodia, cum anima eius corpori uniretur; et hoc falsum est, ut post videbitur [3].

Solutio: Dicimus quod potestas custodiendi est in angelis, non ex unico principio, sed ex duplici, scilicet ex [n] natura et gratia, differenter tamen: quia ex natura tamquam a primo principio, ex gratia vero tamquam a [o] proximo principio et completivo. Dona [p] enim naturalia, quae habet angelus in excellentia respectu animae — sunt ista quatuor attributa, de quibus II *Sententiarum,* dist. 3 [4], scilicet simplicitas essentiae, discretio personalis, perspicacitas intelligentiae [q], libertas arbitrii — sunt quasi dispositio naturalis in angelo ad custodiendam animam. Sed non sufficit haec excellentia naturae, sed [r] super hanc additur gratia quasi complementum, non autem quaecumque gratia, sed gratia confirmationis. Omnes enim boni angeli simul confirmati sunt in gratia, sicut mali in peccato: unde quoad hoc quod sunt sic confirmati, sunt quasi stantes; animae autem non sic confirmantur simul, sed successive: unde omnes usque ad suam confirmationem sunt vel lapsae vel labiles. Ex hoc ergo quod quaelibet anima puri hominis, dum est in statu viae, vel lapsa est vel est labilis, angeli autem boni propter suam [s] confirmationem nec lapsi nec labiles, accipitur ratio huiusmodi potestatis custodiendi, quae est in angelis respectu animarum, quia quoad hoc fortes sunt, animae autem rationales debiles.

CAPUT III.

215 UTRUM ANGELUS SUPERIOR HABEAT POTESTATEM CUSTODIENDI ANGELUM INFERIOREM [5].

Tertio [t] quaeritur I. utrum angelus habeat hanc potestatem, scilicet custodiendi, respectu alterius angeli.

Videtur quod sic: 1. Custodia enim [u] angeli respectu hominis videtur attendi penes istos respectus 'illuminare, purgare, perficere', qui proprie

[a] RC om.; S om. *hoc.* [b] C add. *cum.* [c] V *tertio.* [d] V om. [e] S *exponit* pro *e. p.* [f] Ita V, alii *dabitur.* [g] VT om. [h] S *ponitur.* [i] Z om.; V om. *est.* [k] Ita V, alii *custodia.* [l] C *est.* [m] VC *indiget.* [n] V om. [o] RCZ om. [p] V *bona.* [q] V *intellective.* [r] V om. [s] Ita V, alii om. [t] V *sexto.* [u] V *est.*

[1] *In Num.*, hom. 11, n. 4 (PG 12, 650), ap. Lyran., in h. l.
[2] Cf. Luc. 19, 17 et 19.
[3] Cf. infra, num. 217.
[4] Cap. 1 (p. 317). Cf. supra, num. 111.
[5] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 11, a. 1, q. 2, *ad 2* (II, 280a).

sunt angelorum, ut dicit Dionysius[1]; sed hos actus habet unus angelus respectu alterius; ergo et rationem custodiae habet.

2. Item, dicit Dionysius[2] quod in hierarchia humana, qui praesunt aliis, eorum sunt custodes; ergo similiter videtur in hierarchia angelica quod qui praesunt aliis angelis, eorum sint custodes, et ita superiores dicuntur custodire inferiores.

3. Idem [a] videtur per Origenem, qui versus finem praedictae Glossae[3] Num. 18,26 dicit sic: « Mihi videtur quod inter angelos alii principatum et potestatem habeant [b] super alios, alii subiaceant [c] et obtemperent potestati ». Hoc idem dicit Augustinus, *Super Genesim*[4], quod superiores praesunt inferioribus et boni malis, et ita videntur habere potestatem et dominium super illos [d].

Ex iis omnibus habetur quod praesunt angeli angelis. Quaeritur ergo: aut [e] custodire idem est quod praeesse vel dominari aut ultra praeesse aliquid importat, ex parte dico custodientis. Si [f] idem importat, habetur propositum, scilicet quod angeli angelos custodiunt; si ultra importat aliquid, quaeritur quid est illud.

Solutio [g]: Dicimus quod angeli non habent hanc potestatem custodiendi respectu aliorum [h] angelorum.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur [i] primo de hoc [k] quod est illuminare etc., dicimus quod ex alia ratione sumuntur isti actus 'illuminare, purgare, perficere', et ex alia sumitur actus qui est custodire. Isti enim actus, illuminare etc., sequuntur praeesse, quia praeest natura et gratia[5], et quia haec praelatio bene est in angelo respectu angeli, ideo similiter et isti actus[6]; custodire autem, etsi non sit nisi in eo qui praeest natura et gratia, ut supra habitum est [l][7], tamen non sequitur illum immediate, sed mediate. Illi enim praelationi secundum naturam et gratiam additur quaedam potestas qua angelus potest promovere ad bonum et retrahere a malo, disponendo dico, non efficiendo, et hanc potestatem immediate sequitur ratio custodiae sive ab hac potestate immediate [m] sumitur ratio custodiae. Et quia hanc potestatem sic retrahendi vel promovendi non habet nisi respectu [n] naturae quae impediri potest vel promoveri, ideo [o] nec custodire habet nisi huiusmodi naturam; sed angeli non sunt tales, quia omnes boni confirmati sunt in bono, et sic non possunt impediri a bono nec declinare ad malum, e contra omnes mali confirmati sunt in malo: unde quoad hoc non possunt retrahi a malo nec promoveri ad bonum. Ideo respectu aliorum angelorum non habent angeli potestatem custodiendi, sed respectu animarum [p] quae in statu viae sunt [q] et possunt impediri a bono et promoveri in bonum et cadere in malum et resurgere.

2-3. Ex iis patet solutio ad omnia obiecta et ad id quod quaerebatur quid addit custodire ultra praeesse et etiam quid addit ultra illuminare. Sicut enim si essent duo in homine, quorum unum sequeretur hominem ratione generis, in eo scilicet quod est animal, et alterum sequeretur ratione speciei, scilicet in eo quod est homo, ista duo non essent eadem, ita suo modo se habent 'illuminare, purgare, perficere' ad custodire; unde non sunt idem, nec ubicumque et respectu cuiuscumque sunt isti tres actus, est custodire, sicut nec [r] ubicumque est natura generis, est natura speciei, sed potius e converso.

II. Sed ex dictis oritur quaestio de anima separata. Secundum enim praedicta videtur quod non indigeat custodia angelorum, cum non possit promoveri ad bonum, quia iam non est locus [s] merendi, nec etiam retrahi a malo.

Contra hoc 1. videtur dicere saepe Gregorius, in *Dialogo*[8], quod aderant angeli saepe animabus sanctis separatis et deferebant eas saepe in paradisum; et [t] Bernardus[9] similiter; et idem legimus in legenda B. Martini[10].

2. Praeterea, Luc. 16,22 dicitur quod anima Lazari portabatur ab [u] angelis Dei.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod proprie non est ibi ratio custodiae secundum quod hic accipitur, quia custodia, ut [v] saepe dictum est[11], respicit prohibitionem a malo culpae vel promotionem ad bonum gratiae; sed circa animam separatam neutrum exercent angeli: anima enim, ex quo separata est, unitur suo benefactori nisi sit aliquod purgabile. Unde non est ibi custodia nisi secundum rationem aliam custodiae, ut dicantur angeli, qui eam deportant, custodire eam [x] ab aliquo poenali nocumento, quia non statim cum est separata, est

---

[a] RLCZ *item*. [b] RLCZ om. [c] V *superiaceant*. [d] S *illas*. [e] Z (corr.) *an*. [f] L *sed*, quod Z corr. [g] V *secundo*. [h] S om. [i] Ita V, alii *obicit*; V om. *illud*. [k] Z *eo*. [l] T om. [m] VST *mediate*. [n] V *idem*. [o] V *ita*. [p] Ita R, alii *anime*. [q] Ita R, alii *est*. [r] STRZ *non*. [s] VS add. *videndi*, quod T exp. [t] V om. [u] L om. [v] RLCZ add. *hic*. [x] V *illam*.

1 *De cael. hier.*, c. 3, § 2 (PG 3, 166, PL 122, 1045).
2 Respicit potius doctrinam in toto opere *De cael. hier.*, quam textum determinatum. Cf. etiam S. Bonav., II *Sent.*, d. 11, a. 1, q. 2, *ad 3* (II, 279a).
3 Cf. supra, p. 266, nota 1 (PG 12, 649).
4 Lib. XI, c. 22, n. 29 (PL 34, 441).
5 Cf. supra, num. 199 et 200.
6 Cf. supra, num. 202 et 203.
7 Cf. supra, num. 214.
8 Cf. lib. II, c. 35 (PL 66, 198); IV, cc. 7 et 19 (PL 77, 332, 352).
9 Cf. *In Psalm. Qui habitat, sermo* 13, n. 1 (PL 183, 236).
10 Cf. Offic. S. Martini (11 nov.) lectio VI et Resp. 7 ad Matut.
11 Cf. hic, *ad 1*.

in loco [a] competenti suae beatitudini: unde congruit ut [b] angeli, qui iam sunt in loco beatitudini convenienti [c], eam ad locum sibi competentem deferant. Non tamen dicimus quod ibi sit indigentia vel necessitas ex parte animae, sed solum [d] quaedam congruitas, sicut in statu viae dicimus esse.

[Ad obiecta]: Ad illud quod obicitur [e] [1] quod in angelis sit custodia per necessitatem quantum ad talem deportationem per [f] simile quod ponit Dionysius de hierarchia angelica et humana: dicendum quod non est simile. In hierarchia enim angelica omnes sunt completi et confirmati: unde non indigent custodia. Unde sic est ordinata custodia [g] angelica quod quando fuit [h] imperfectio in inferioribus, fuit in superioribus, et quando fuit [i] completio in superioribus, fuit in inferioribus; unde nunquam potuit ibi esse ratio custodiae. Sed in humana hierarchia, quamvis omnes sint incompleti completione patriae, tamen praelatus habet completionem viae [k] respectu subditorum; unde Ioan. 10, 4 dicitur quod praecedere debet oves: et ratione huius habet rationem custodiae.

CAPUT IV.

UTRUM CUSTODIA ANGELICA SIT CIRCA OMNES HOMINES.

Consequentur quaeritur, supposito quod ratio custodiae determinetur respectu hominum, utrum determinetur respectu omnium hominum.

Primo ergo quaeritur utrum Adam in statu ante peccatum indigeret custodia angelica;

secundo, utrum Christus habuerit custodiam angelicam;

tertio, utrum parvuli, qui statim post Baptismum moriuntur, habuerint custodiam angelicam;

quarto, utrum Antichristus habebit [l] custodiam angelicam.

216

ARTICULUS I.

Utrum Adam ante peccatum indigeret custodia angelica [2].

Circa primum sic: 1. Custodia angelica est [m] propter supplendos defectus; sed in Adam [n] in statu innocentiae nullus erat defectus; ergo non necesse habebat custodiri [o]. — Media patet per hoc quod dicitur II libro *Sententiarum*, 25 dist., *Et notari possunt* [3] etc.: « Ante peccatum ad malum nil impellebat, non habuit infirmitatem ad malum et habuit adiutorium ad bonum; tunc sine errore ratio iudicare et voluntas sine difficultate bonum appetere poterat ».

Si hoc concedatur contra: *a.* Ante peccatum angelus malus tentavit hominem, et, si perstitisset, angelus iste fuisset ei in exercitium, quia [p] homo fecisset suum bonum ex diaboli tentatione et per eam plus meruisset quam si non tentaretur; ergo competebat ut e contrario haberet angelum bonum ad custodiam, iuxta illud Eccli. 33, 15: *Contra bonum malum et contra vitam mors, et sic intuere in omnibus operibus Altissimi unum contra unum et duo contra duo.*

b. Item, in nobis sic est in statu naturae corruptae quod contra illud quod interius inclinat ad malum, scilicet fomitem, est semper interius [q] inclinans e contrario ad bonum, scilicet synderesis: sic videtur [quod] exterius contra illud quod semper [r] inclinat ad malum vel trahit, scilicet diabolum, est retrahens a malo et trahens ad bonum, scilicet angelus bonus; sed in primo statu, quamvis non esset inclinans ad malum interius, erat tamen inclinans exterius, ut patet ex eventu; ergo iuxta nunc dictam sententiam, quae habetur in [s] Eccli. 33, 15, indigebat Adam quodam exterius inclinante vel [t] promovente ad bonum.

c. Item, Matth. 18, 10, super illud: *Angeli eorum*, Glossa [4]: « Magna dignitas animarum ut unaquaeque ab ortu nativitatis suae habeat angelum sibi ad custodiam [u] deputatum »; ita autem se habebat creatio ad primum hominem, sicut nunc nativitas ad posteros; cum igitur non minus esset digna anima primi hominis quam posteriorum [v], sed potius dignior, constat quod non defuit ei haec custodia ab instanti creationis.

d. Item, angelus datur ad custodiam propter retractionem [x] a malo; sed quamvis anima Adae

---

[a] VSTRZ add. *sibi*, quod L expunxit. [b] C *quod*. [c] R *competenti*. [d] R om. [e] Ita V, alii *obicit*. [f] Ita LC, alii om. [g] V om. *unde... custodia*. [h] V *fuerit*. [i] V *fuerit*. [k] V *patrie*. [l] Ita V, alii *habeat*; R *Christus* pro *Antichristus*. [m] V om. [n] R add. *et*. [o] R *custodire*. [p] LCZ *quod*, quod R corr. [q] Ita V, alii *intrinsecum*. [r] L *super*. [s] RLCZ om. [t] R *et*. [u] Ita V, alii om. *s. a. c.* [v] S *posterior*. [x] ST *retractationem*.

[1] Cf. supra, p. 267a, n. 2.
[2] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 11, a. 1, q. 2 (II, 279 sq).
[3] Cap. 6 (p. 431).
[4] *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 146), ex Hieronymo, *In Matth.*, III, c. 18 (PL 26, 130); cf. Lombard., II *Sent.*, d. 11, c. 1 (p. 354).

posset stare, tamen habuit possibilitatem cadendi; ergo quoad hoc, scilicet ne caderet, indiguit custodia angelica, quamvis non tantum sicut nos.

e. Praeterea, habuit possibilitatem proficiendi in bono, non dico potestatem, quia non per se, sed adiutorio gratiae proficeret, quamvis per se cadere posset.

Solutio: Dicimus [a] quod primi parentes in primo statu indiguerunt custodia angelica. Et huius est ratio quod [b], licet in primis parentibus fuerit tunc rectitudo naturae, non tamen rectitudo [c] illa fuit inflexibilis, immo anima primo creata est vertibilis ad utrumlibet [d], scilicet bonum et malum, nec si [e] vertatur in unum, statim confirmatur, immo adhuc potest regredi. Licet autem angelus similiter vertibilis fuerit in utrumlibet de natura sua, tamen ubi vertitur, in eo stat et confirmatur sine regressu. Et propter hoc in bonis qui steterunt est natura stans per gratiam, et propter huiusmodi stabilitatem habet potestatem revocandi naturam lapsam, revocabilem tamen, scilicet animam sicut nunc [f] est, vel etiam conservandi ipsam naturam labilem ne labatur, ne scilicet ad libertatem sequatur lapsus. Et hoc modo fuit ratio custodiae ex parte angeli respectu hominis, scilicet in primo statu.

[Ad obiecta]: 1. Ad id [g] quod contra obicitur [h] quod homo nullum defectum habuerit tunc: dicimus quod, etsi [i] nullum habuerit defectum, habuit tamen defectibilitatem, et propter hoc, ne ad defectibilitatem sequeretur defectus vel actus deficiendi, indiguit custodia; cum autem anima venerit ad statum, in quo non erit nec defectus nec defectibilitas, scilicet ad statum gloriae, non indigebit, sicut supra proximo explanatum est [1].

a-e. Alia argumenta, quae probant propositum, possumus concedere, tamen sunt ibi quaedam explananda. Dicimus enim quod iste malus angelus, qui primo tentavit hominem, non proprie fuit ad exercitium, sed ad deceptionem secundum intentionem suam. Sicut enim dicit Augustinus, *Super Genesim* [2]: « Exercitium proprie est ut probetur aliqua virtus », id est probata ostendatur; probatio autem huiusmodi [k] non est proprie nisi ubi est difficultas, secundum quod ars non est nisi circa difficile. In primo autem statu non erat difficultas: licet enim corpus esset [l] mortale et corruptibile [m], non tamen erat mortuum vel corruptum, secundum quod dicitur Rom. 8, 10: *Corpus quidem propter peccatum mortuum est.* Unde, licet anima ex comparatione ad corpus minus expedita esset ad bonum, non tamen proprie difficultatem habuit, immo difficultas est poena peccati, et ideo non fuit ibi proprie exercitium. Sed [n] post peccatum, quia revocabilis est natura animae, datur ad exercitium: quamvis enim diabolus intendat decipere per tentationes, tamen Deus non intendit ut ille decipiat, sed ut homo exercitetur [o]; unde malum opus diaboli [p] ordinat in bonum, sicut etiam fomes secundum [q] se ordinat in malum, sed Deus hoc ordinat in [r] bonum, quoniam per eum homo exercitatur: exercitari autem est de malo facere profectum suum. Est ergo is ordo, quoniam prius dabatur angelus homini ad custodiam tantum, scilicet in primo statu; secundo datur [s] bonus ad custodiam, malus ad exercitium, scilicet in statu naturae lapsae; in tertio statu, scilicet gloriae [t], nec sic nec sic dabitur.

ARTICULUS II. 217

Utrum Christus habuerit custodiam angelicam [3].

Secundo quaeritur utrum Christus habuerit custodiam angelicam.

Videtur quod sic: 1. Psalm. [4]: *Angelis suis mandavit de te* etc. Et accipitur hoc idem Luc. 4, 10, et dicit Glossa [5]: « Hoc intelligitur de membris. Quod si de Christo intelligitur, advertere [u] debuit diabolus quod sequitur: *Super aspidem* etc. ». Unde Glossa relinquere videtur quod hoc possit intelligi de Christo; ergo habuit angelorum custodiam.

2. Idem [v] videtur per saepe dictam auctoritatem Hieronymi [6]: « Magna est dignitas animarum ut unaquaeque ab ortu nativitatis suae [x] habeat angelum sibi delegatum ». Ergo [et] anima Christi, cum non minus digna sit, sed magis.

---

[a] T om. [b] RLCZ *quia.* [c] V om. *n. n. t. r.* [d] S *utrumque.* [e] L *sic.* [f] V *non.* [g] V *hoc.* [h] Ita V, alii *obicit.* [i] V *si.* [k] V om. [l] LZ *esse,* quod R corr. [m] ST *incorruptibile.* [n] T *licet.* [o] L *exercetur.* [p] R *diabolus.* [q] S om. [r] Ita V, alii *ad.* [s] V om. [t] ST add. *id est.* [u] Ita V, alii *avertere.* [v] RC *item.* [x] R om.

1 Cf. supra, p. 267b, II.
2 Lib. XI, c. 6, n. 8 (PL 34, 432).
3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 4, c. 3 (f. 48d); S. Bonav., II *Sent.,* d. 11, a. 1, q. 3 et dub. 1 (II, 280 et 289).
4 Psalm. 90, 11.
5 *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 254), ex Beda, in h. l. (PL 92, 369).
6 *In Matth.,* III, c. 18 (PL 26, 130).

3. Item, Christus ex parte corporis mortalis erat et passibilis [a]; unde in hoc *minoratus* [b] *est ab angelis,* ut [c] dicitur in Psalmo [1], et repetitur [d] ad Hebr. 2,9. Similiter, etsi Christus in una parte animae frueretur, tamen secundum aliam tristabatur, ut dicitur Matth. 26,38: *Tristis est anima mea* etc. Unde secundum illam partem compassibilis erat, et quoad illam similiter minor erat secundum quod huiusmodi; ergo angelus habuit potestatem custodiendi eum.

4. Huic [e] etiam concordat illud Luc. 22,43: *Adstitit angelus Domini, confortans eum;* confortans enim ut huiusmodi praeponitur confortato. Item, super illud Luc. 22,43 dicit Beda [2]: « In testimonium utriusque naturae et angelus eum confortasse et angelus ei ministrasse describitur, quoniam qui fuit Deus ante saecula, factus est homo in fine saeculorum, qui priusquam per gloriam resurrectionis exaltaretur, divinitate super angelos fuit, sed tamen *minoratus est* ab angelis: ex qua parte morti subiacuit ». Ex hac auctoritate primo arguitur ex hoc quod dicitur « in testimonium utriusque naturae »: cum enim ministerium sit in testimonium divinae naturae, ergo confortatio fuit in documentum humanae naturae; ergo secundum humanam naturam videtur habuisse custodem. Secundo arguitur ex secunda parte, qua dicitur « priusquam per [f] gloriam resurrectionis » etc., quasi diceret: ante resurrectionem secundum humanitatem erat minor angelis; et inde ut prius.

5. Item, Tob. 6,2, super illud: *Piscis volebat devorare Tobiam,* Glossa [3]: « Diabolus usque [g] ad crucem secutus est Christum ». Unde ex hoc videtur quod Christus habuit angelum malum exercitatorem [h]. Quod etiam patuit in tentationibus, Matth. 4,4-10 et [i] Luc. 4,1-13; ergo e contra debuit habere angelum bonum ad custodiam, secundum illud Eccli. 33,15: *Contra bonum malum* etc.

Contra: *a.* In Christo fuit divinitas unita non solum toti animae, sed etiam carni; ergo sufficiebat ad totam naturam humanam custodiendam et dirigendam prout opus erat; ergo frustra daretur angelus. Si enim alicui animae adesset unus angelus per unionem, non daretur ei alius ad custodiam; cum igitur divinitas potentior sit in infinitum omni angelo, Christo non dabatur [k] angelus [l], cum habeat sibi unitam divinitatem: nihil enim frustra fit in operibus Creatoris.

b. Item, ab instanti conceptionis fuit *plenus gratiae et veritatis* [m], ut dicitur Ioan. 1,14: *gratiae* [n] quoad partem motivam, *veritatis* [o] quoad cognitivam; et sic plenitudo erat quoad omnem potentiam animae, talis, inquam, plenitudo quod non plus poterat proficere. Unde dicitur Ioan. 3,34: *Datus est ei spiritus non ad mensuram.* Nec iterum poterat cadere, quia non habuit possibilitatem ad peccatum. Ergo videtur quod frustra daretur ei angelus ad custodiam. Nec obstat illud quod dictum est Luc. 2,52, quod *proficiebat sapientia et gratia,* quia hoc quod dicitur *sapientia et gratia* intelligitur non in se, sed in hominum cognitione. Sic ergo patet quod ex parte animae non indiguit custode. Item, nec ex parte corporis, quia posito [p] quod etiam angelus aliquod nocumentum corporis prohiberet, non tamen debebat dici custos, quia nobiliorem secum habebat, scilicet divinitatem, cui haec potius attribuuntur.

Solutio: Propter illud quod dicitur Luc. 22,43 et illud quod dicit Beda super hoc [4], concedimus quod Christus habuit angelos in ministerium; dicimus tamen quod non habuit angelum in custodiam. Custodia enim semper respicit indigentiam vel defectum sive defectibilitatem, ut supra habitum est [5]; defectibilitatem vel [q] defectum dico non solum poenae, sed etiam culpae. Unde, quia Christus nullum defectum vel defectibilitatem [r] culpae habuit, ideo nec custodiam habuit; sed ministerium non connotat huiusmodi defectum. Concedimus etiam quod, in quantum erat passibilis, minor erat angelis, sed non ideo sequitur quod angelus custodiret eum, quia 'custodire', ultra praeesse et ultra hoc quod est prohibere a nocumento, connotat in custodito quod habeat naturam lapsam vel labilem, in custodiente autem naturam stantem; in Christo autem non erat lapsa natura nec labilis.

[Ad obiecta]: 4. Ad id quod obicitur [s] de confortatione, dicendum [t] quod duplex est confortatio. Quaedam est [u] potestativa, et de hac forte bene sequitur quod qui confortat, custodit: sed haec [v] non fuit in Christo. Alia est ministerialis, et de illa intelligitur illud Luc. 22,43, et [x] de hac non sequitur quod qui confortat, custodit. Et est exemplum de serviente [y] qui dicitur confortare dominum suum, non potestative, sed ministerialiter, dicendo [z] scilicet aliqua excitantia eum ad confortationem. Unde non est exponendum,

---

[a] L *impossibilis.* [b] Ita ST, alii *minoritas.* [c] RLCZ *et.* [d] RC *reperitur.* [e] T *hinc.* [f] L om. [g] C om. [h] L *excitatorem.* [i] L om. [k] Ita ST, alii *dabitur.* [l] Z add. mg. *ad custodiam.* [m] Z *gratia et veritate* pro *g. e. v.* [n] Z *gratia.* [o] Z *veritate.* [p] T *preposito.* [q] Z *sive,* C om. *ut... vel.* [r] ST *debilitatem.* [s] V (corr.) STC *obicit.* [t] S add. *est.* [u] S *autem est,* L (corr.) *enim est,* RZ *enim.* [v] VST *hoc,* quod Z corr. [x] L om. [y] T *servitute.* [z] VST om.

[1] Psalm. 8, 6.
[2] *Expos. in Luc.,* VI, c. 22 (PL 92, 603).
[3] *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 728), ex Beda, in h. l. (PL 91, 928).
[4] Cf. supra, n. 4.
[5] Cf. supra, p. 267b, *Solutio.*

ut quidam[1] dicunt, '*apparuit angelus Domini confortans eum*', id est « ad modum confortantis se habens », quia secundum hoc fuisset ibi simulatio; sed vera fuit confortatio, ministerialis tamen[a], non potestativa.

a. Ad hoc quod obicitur[b] quod 'divinitas[c] sufficiebat ad omnia': dicimus quod vere divinitas sufficiebat ad omnia tamquam potestate vel auctoritate et etiam ad confortationem potestativam, sed non ideo[d] tollebat ministerium nec congruum erat quod tolleret.

b. Per hoc nunc ultimo dictum patet responsio ad obiecta nunc ultimo posita, non quia non concludant verum, sed quia per ea aeque posset probari quod non habuit angelum in ministerium.

1-4. Per alia praedicta patet responsio. Ad primum[e] argumentum et quartum, quod fit de textu Psalmi et est in[f] Glossa Luc. 4,10: *Ut custodiant te* etc., dicimus[g] quod illud non potest totum intelligi de Christo; quod potest intelligi per hoc quod sequitur: *Ne forte offendas* etc. Per lapidem enim ibi[h] intelligitur Christus, secundum quod dicitur Isai. 8,14: *Erit in lapidem offensionis* etc.; constat autem quod Christus ad se ipsum non potest offendere, immo nec ad alium, quia ibi intelligitur offensio peccati; unde dicimus quod illa series tota non de Christo, sed de membris eius intelligitur. Unde super illud Matth. 4,6 dicit Glossa[2]: « Quod bene de membris intelligitur, diabolus male interpretatus est de capite ». Quod ergo dicit Glossa « quod si de Christo intelligitur » etc., quasi per hoc relinquens quod de Christo possit intelligi, dicimus quod hoc dicit propter hoc quod in parte de Christo possit intelligi, scilicet quoad illud quod sequitur: *Super aspidem* etc., quod tamen fraudulenter diabolus subticebat. Unde ita dicit Glossa[3]: « Haec prophetia est, non de Christo, sed de viro sancto. Quod si de Christo esset, meminisse debuerat eius quod sequitur: *Super aspidem* etc. Sed de auxilio angelorum quasi ad infirmum loquitur, de sua conculcatione quasi tergiversator[i] tacet ». Similiter quod sequitur[4]: *In manibus portabunt te,* potest de Christo intelligi quoad ascensionem. Unde Glossa[5]: « Manibus angelorum sublatus est Christus in caelis, non quia sine eis rueret, sed quia obsequebantur Regi, et melior est qui portatur quam iumentum portans ». Quod autem dicitur ibi: *Ut custodiant te in omnibus viis tuis,* de Christo non potest intelligi pro se, sed pro membris suis, sicut etiam dicunt aliqui intelligi illud quod dicitur Luc. 22,43: *Adstitit angelus Domini, confortans eum.* Unde Beda[6], in fine Glossae[k] magnae supra positae[7], sic[l] dicit: « Si autem plaudat haereticus et[m] infirmum affirmet cui opus fuerit angeli confortantis auxilio, meminerit Creatorem creaturae praesidio non eguisse. Sed quomodo[n] contristatus est et[o] confortatus? Propter nos contristatus est et confortatus ».

5. Ad ultimo[p] obiectum de angelo qui videtur ei datus ad[q] exercitium: dicimus quod non sequitur 'si fuit ei angelus malus quasi ad exercitium, quod propter hoc daretur ei angelus bonus ad custodiam', sed bene sequitur quod ad custodiam vel ad[r] ministerium, et verum est quod ad ministerium fuit ei; et verum est quod angeli boni habent potestatem cohibendo malos et malorum potestatem et[s] cohibendo ministrant. Non tamen hoc fuit ex indigentia quae esset in Christo, sed ex quadam congruitate. Unde Matth. 4,11: *Accesserunt angeli et ministrabant ei.* Dicimus tamen amplius quod non fuit angelus malus deputatus Christo ad exercitium. Exercitium enim, ut dictum est[8], est[t] circa difficile sicut ars; Christus autem[u], etsi assumpsit quasdam poenalitates, non tamen assumpsit ignorantiam ex parte intellectus aut difficultatem ex parte affectus; unde, quia non erat in eo difficultas, ideo nec exercitium, quia exercitium[v] proprie respicit naturam corruptam corruptione vitiosa: ex hac enim corruptione[x] est difficultas de qua loquimur.

Sed tunc quaerimus: Si non est datus iste angelus ad exercitium, ad quid ergo? — Respondeo: Sicut dicit ibi Glossa[9], tentatus est Christus, ut in eo tentatorem vincere discamus. Unde tentatus est pro nobis, non pro se. Et notandum[y] quod est tentatio intra: et sic non fuit Christus tentatus et quoad hanc proprie est exercitium; et est tentatio extra: et hac fuit Christus tentatus, secundum duplicem viam, scilicet via cupiditatis, Matth. 4 et Lucae 4, via timoris in passione, quia habuit timorem mortis secundum sensualitatem. Unde ad instructionem nostram voluit habere malum angelum, non vere exercitatorem.

---

[a] V om. [b] Ita V, L om. *q. o.*, alii *obicit.* [c] T *deitas.* [d] Z *omnino.* [e] Ita R (corr.), alii *tertium.* [f] Ita R (corr.), alii *et* pro *P. e. e. i.* [g] S add. *etiam.* [h] Z om. [i] S vacat. [k] Z om. [l] S *sicut,* quod T corr. [m] S om. [n] Z *quoniam.* [o] L om. [p] RLCZ *ultimum.* [q] S om. [r] T om.; V om. *sed... custodiam.* [s] T om. [t] VRZ Z om., in C est add. interl. [u] V *etiam.* [v] L om. *q. e.* [x] L om. *vitiosa... corruptione.* [y] Ita V, alii add. *est.*

1 Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 49a).

2 Cf. *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 85), ex Beda, *Expos. in Matth.*, I, c. 4 (inter opp. Bedae, PL 92, 19).

3 *Ordin., In Luc.*, 4, 10 (PL 114, 254), ex Beda, *Expos. in Luc.*, I, c. 4 (PL 92, 369).

4 Psalm. 90, 12.

5 Lombardi, in h. l. (PL 191, 853).

6 *Expos. in Luc.*, VI, c. 22 (PL 92, 603).

7 Cf. supra, p. 270, n. 4.

8 Cf. supra, p. 269b, *ad a-e.*

9 Cf. *Ordin., In Matth.*, c. 4, 3, ap. Lyran., ex Gregorio M., *In Evang.*, hom. 16, n. 1 (PL 76, 1135).

2. Ad illud quod obicitur ex auctoritate Hieronymi, dicimus quod illa auctoritas accipitur tantum de animabus illorum hominum qui ab Adam descenderunt [a] seminaliter vel originaliter. Quod notatur, cum dicitur « unaquaeque ab ortu [b] nativitatis suae », faciendo vim in verbo; Christus autem non sic, id est non originaliter vel seminaliter descendit ab Adam, sed solum [c] per corpulentam substantiam: unde non indiguit angelo custode sicut alii.

218 ARTICULUS III.

Utrum parvuli, statim post Baptismum mortui, habuerint custodiam angelicam [1].

Tertio [d] quaeritur utrum parvulis detur custodia angelica.

Videtur quod sic: *a.* Per auctoritatem supra positam [2], quae est super [e] Matth. 18, 10, quae dicit quod « unaquaeque anima ab ortu nativitatis [f] » etc.

Contra: 1. Videtur quod non indigeant custodia, et loquamur de illis qui statim post Baptismum vel paulo post moriuntur. Constat enim quod illi nondum [g] possunt deficere per culpam nec in melius proficere [h] per bonum opus, cum nondum habeant usum rationis; ergo, cum custodia sit vel ad faciendum proficere vel ad cavendum defectum, videtur quod tempore illo non indigeant custodia sive quod frustra esset ibi custos. Item, ex parte corporis idem videtur, quia statim anima separatur, et sic corpori inanimato non competit custodia.

2. Item, si parvulus ante usum liberi arbitrii indiget custodia ratione dignitatis animae, eadem ratione videtur indigere in utero materno; si ergo tunc non indiget, ut videtur, ergo eadem ratione nec post ortum, donec habeat usum rationis.

Solutio: Dicimus quod parvuli habent angelum custodem, secundum quod dicit auctoritas, « ab ortu nativitatis » etc., et intelligitur tum de nativitate quae est ex utero, tum de nativitate quae est in utero. Accipitur autem ratio huius custodiae tum ex parte angeli custodientis, tum ex parte hominis custoditi [i]. Ex parte angeli est ratio meritum: meretur enim praemium accidentale ex custodia huiusmodi. Ex parte vero parvuli accipitur ratio tum ex parte corporis, ut scilicet bonus angelus custodiat corpus pueri a vexatione contrariae potestatis, tum ex parte animae, et hoc dupliciter, quia sumitur ratio ex parte animae secundum se et ex coniunctione animae ad corpus. Ex parte animae in se, quia quam cito anima creatur, vertibilis est sive ad bonum sive ad malum et potest proficere non tunc, sed postmodum, et ideo datur ei custos angelus non pro tempore isto, id est non ut tunc faciat eam proficere vel retrahere a malo, sed ut ordinet eam et disponat et habilitet [k] ad hoc ut postmodum proficiat, quando tempus erit utendi ratione. Ex parte autem animae prout coniungitur corpori, potest accipi ratio custodiae in parvulo, quia anima, quam cito unitur corpori, corrumpitur corruptione vitiosa et exinde [l] contrahit corruptionem; unde anima, quam cito coniuncta est corpori, semper procedit in aliqua habilitatione sive ad bonum sive ad malum, quamvis non sit nota huiusmodi habilitatio, et ad huiusmodi habilitationem bonam iuvat [m] et ordinat angelus bonus, qui datur ei custos, sicut forte illa corruptio, quam contrahebat ex corpore, iuvabat ad habilitandum ad malum.

[Ad obiecta]: 1. Per nunc dicta patet responsio ad id quod primo obicitur [n], quod scilicet parvulus non potest nec proficere nec deficere: etsi non potest pro isto tempore, potest pro consequenti, et ad hoc habilitat angelus. Praeterea, sciendum quod anima, quam cito unitur corpori, non est ita otiosa in corpore quod non faciat nisi [o] vitam vel sensum; immo, cum anima rationalis plus potens sit quam sensibilis vel vegetabilis, et istae, quam cito sunt, aliquem actum habent in corpore — quia vegetabilis facit in eo vitam vel vivere, sensibilis sensum vel sentire — multo magis ergo anima rationalis aliquem actum ibi habet, quam cito infunditur, quamvis iste actus non sit nobis notus: et quantum ad illum actum vel respectu illius actus potest attendi custodia angeli.

2. Quod etiam angeli ita habeant potestatem super animam [p] dum adhuc puer est in utero, potest persuaderi a simili vel a minori sic [q]: constat enim quod corpora superiora tunc aliquam potestatem habent supra corpus pueri; ergo similiter angeli, qui sunt lux spiritualis superior, habent potestatem super animas, quae sunt lux spiritualis inferior.

---

[a] S *descendunt.* [b] S om. *a. o.* [c] R om. [d] Codd. *quinto.* [e] VST *supra.* [f] R add. *sue;* V om. *etc.* [g] R *non.* [h] T *perficere* [i] T *custodiendi.* [k] C add. *eum.* [l] L *inde.* [m] V add. *et quia iuvat;* ST om. *bonam.* [n] Ita V, alii *obiciebatur.* [o] Ita S, alii *ibi.* [p] Ita V, alii *animas.* [q] Z *sicut,* quod L corr.; Z om. *enim.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 11, dub. 1 (II, 289).

[2] Cf. supra, p. 269, nota 6.

ARTICULUS IV. 219

Utrum Antichristus habebit custodiam angelicam [1].

Consequenter quaeritur de Antichristo utrum habebit [a] angelum deputatum in custodiam.

Et videtur quod non: 1. Dicit enim [b] Damascenus [2] quod carebit praesidio angelorum; sed angelus custodiens est praesidium custoditi; ergo carebit custodia angelorum.

2. Item, sicut dictum est [3], quia Christus non potuit decidere in malum culpae nec proficere in bonum, non indiguit custodia angelorum; sed e contra Antichristus ita adhaerebit malo quod non revocabitur ab eo nec etiam proficiet [c] in bono; ergo nullus esset [d] effectus custodiae; cum ergo nihil otiosum fiat a summa sapientia, non habebit angelum in custodiam.

3. Item, videtur quod nec ad exercitium: Quia exercitare [e] est de malo elicere bonum, utpote de tentatione diaboli; sed hoc non faciet Antichristus; ergo nullus erit ibi [f] effectus custodiae nec [g] exercitii; ergo nullo modo habebit angelum sibi deputatum.

4. Item, quia Christus plenus erat Deo, non indigebat custodia angeli; ergo e contra Antichristus, quia plenus erit [h] diabolo, non habebit angelum. — Probatio mediae: II Thessal. 2,9: *Cuius adventus secundum operationem Satanae,* Glossa [4]: « Diabolo cooperante, qui illum totum possidebit ». Item, Damascenus [5]: « Ex fornicatione genitus suscipiet omnem actum Satanae; praesciens enim Deus iniquitatem suae futurae voluntatis, concedit in eo habitare [i] diabolum ». Si ergo nihil supervacuum est in operibus Dei, videtur quod non det ei angelum custodem.

Contra: *a.* Hieronymus [k 6]: « Unaquaeque anima ab instanti nativitatis habet angelum sibi delegatum ». Ergo angelum custodem habebit anima Antichristi.

b. Item, Eccli. 33,15: *Contra malum bonum;* ergo [l] contra maius malum necessarium est contraponi maius bonum; sed in Antichristo maior erit invalescentia angeli mali quam in alio homine; ergo magis necessarius erit ei [m] angelus bonus ad custodiam in resistendo [n] malo.

c. Item, medicus corporalis, etsi infirmus habet infirmitatem incurabilem, non tamen penitus dimittit eum, sed adhuc dat ei aliqua [o] ad mitigationem morbi, ut prolongetur vita eius; ergo similiter nec medicus spiritualis penitus dimittit infirmum suum, etsi incurabilis ei videatur; huiusmodi autem medicus est bonus angelus; unde [p] super illud Ierem. 51,9: *Curavimus Babylonem,* Glossa [7]: « Angeli sunt medici sub magno Medico constituti, volentes animas nostras a vitiis curare »; ergo angelus bonus non dimittet [q] Antichristum propter magnitudinem iniquitatis suae. Et hoc est contra illos [8] qui ponunt quod in principio habebit angelum custodem, sed post, cum viderit eum obstinatum, derelinquet [r] eum.

d. Item, non est in potestate daemonis dare ei ab instanti nativitatis usum liberi arbitrii; sed ante usum liberi arbitrii non demeretur praesidium bonorum angelorum; ergo tunc habebit angelum in custodiam.

Respondeo: Notandum quod multiplex est effectus custodiae angelicae circa animas: unus est ut proficiat anima in bonum gratiae; alius, ut non cadat in malum culpae; tertius est quod, si cadit, ut postmodum resurgat vel ne totiens cadat [s] vel non in tantum malum cadat. Dicimus ergo quod Antichristus habebit custodiam angelicam, non ad primos effectus, sed tantum ultimum, scilicet ut non totiens cadat quotiens caderet [t] sine angelo custode vel ut [u] non in tantum malum cadat [v] in quantum caderet sine angelo custode. Nulli enim viatori, in quantum viator est, deficit misericordia Dei, quae est in dando angelum custodem.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum, scilicet quod 'carebit [x] praesidio angelorum': respondeo quod Damascenus loquitur tantum de bonis angelis. Et hoc patet, quia praesidium, quod est in exercitando, non dicitur praesidium mali angeli, sed Dei, quia diabolus non intendit in hoc iuvare, sed decipere; unde, cum dicit « carebit praesidio angelorum », patet quod intelligit tantum de bonis. Sed notandum quod praesidium potest accipi dupliciter: vel communiter, scilicet

---

[a] TR *habuit,* LCZ *habuerit.* [b] L om. [c] Z *proficit,* quod LR corr. [d] Ita V, alii *est.* [e] Ita S, alii *exercitari.* [f] V om. [g] Z *vel.* [h] T *erat,* quod S corr. [i] S *habilitare.* [k] R om. [l] R *et.* [m] Ita V, alii om.; ST *est* pro *erit.* [n] RZ add. *a,* quod L exp. [o] Z *aliquam.* [p] RLCZ *ut.* [q] Ita V, alii *dimittit.* [r] Ita LR, alii *derelinquit.* [s] LZ *cadant,* quod C corr. [t] V *caderent.* [u] TC om. [v] R om. [x] L add. *in.*

1 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 4, c. 3 (f. 49ab); S. Bonav., II *Sent.,* d. 11, a. 2, q. 1, *ad 1-4* (II, 283).
2 Cf. *De fide orthod.,* IV, c. 26 (PG 94, 1218).
3 Cf. supra, p. 270b, *Solutio.*
4 Lombardi, in h. l. (PL 192, 520).
5 Loc. cit.
6 *In Matth.,* III, c. 18 (PL 26, 130).
7 *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran., ex Origene, *In Ierem.,* hom. 21, n. 12 (PG 13, 541).
8 Inter quos Guil. Altissiod., loc. cit. (f. 49b).

pro adiutorio quocumque, et sic non est verum quod carebit praesidio, id est adiutorio angelico, immo habebit, ut patuit iam [1]. Vel praesidium potest accipi proprie, secundum quod praesidium dicitur a praesidendo, et sic intelligit Damascenus. Illi enim [a] proprie praesidere dicitur angelus bonus, qui movetur ad nutum eius; sic autem non erit in Antichristo, immo potius movebitur ad nutum diaboli et nullo modo acquiescet angelo bono.

2-4. Ad illud quod obicitur [b] per contrarium de Christo, dicimus quod non est similis plenitudo Dei in Christo et diaboli in Antichristo. Christus enim dicitur plenus Deo, quia in isto homine humana natura unitur divinae in unitate personae, secundum illud Col. 2,9: *In eo habitat plenitudo divinitatis corporaliter;* non sic unitur diabolus Antichristo, quia daemon in nullo homine sive in nulla anima est, sed per operationem et suggestionem, et non per essentiam: unde Antichristus dicitur plenus diabolo, non plenitudine essentiae, sed plenitudine [c] dominii, quia inclinabitur eius voluntas ad nutum diaboli. Et sic intelligitur quod dicit Glossa quod « illum totum possidebit », et id quod dicit Damascenus quod « suscipiet omnem actum Satanae ». Sed nota quod dicit « omnem » quoad genera singulorum, non quoad singula generum.

220 CAPUT V.

UTRUM ANGELUS ALIQUANDO RECEDAT PROPTER PECCATA HOMINIS CUSTODIENDI [2].

Deinde quaeritur utrum angelus deputatus ad custodiam aliquando recedat propter peccata eius cui deputatus est.

Quod videtur: 1. Per illud Ierem. 51,9: *Derelinquamus eam, et eat unusquisque in terram suam.* Hoc intelligitur de bonis angelis; quod patet per hoc quod dicitur ibi [3]: *Curavimus* [d] *Babylonem* etc.; boni enim « angeli sunt medici », ut dicitur [e] ibi [4], et non mali.

2. Item, Glossa, ibidem [5]: « Cave ne quando relinquat te medicus vel angelus Dei. Si enim derelinquerit, patet quod abscessio medici condemnatio tua sit ».

3. Item, Augustinus [6]: « Angelos repellimus, cum eorum consilio non acquiescimus, et videntes se [f] operam perdere dicunt: *Relinquamus eam* ».

4. Item, *Reversus est ad me angelus* [7]; super hoc dicit Hieronymus [8]: « Infructuosa est anima quae non habet Deum hospitem nec praesidium angelorum ».

5. Item, super illud idem [9]: Sciendum est « quotienscumque humana fragilitas suae relinquitur imbecillitati, Dei auxilium et angelorum eius [g] ab ea recedere ».

6. Item, Isai. 5,5: *Auferam sepem ab ea,* Glossa [10]: « id est custodiam angelorum ».

Contra: *a.* Ferventior est bonus angelus in custodiendo et iuvando quam malus in nocendo; sed malus angelus etiam in cruce Christo non defuit [h], sicut habetur super Tob. 6 [i 11], immo quasi semper sequebatur eum, expectans quo modo posset ei nocere; ergo multo fortius bonus angelus nulli homini quantumcumque malo deest, sed semper adest, expectans si quo modo possit eum iuvare usque ad mortem.

b. Item, quanto quis peior est et miserior, tanto magis misericordia indiget; cum igitur Deus in ira sua non ita [k] contineat misericordias suas [12], sed semper miseretur, cum eius sit hoc proprium, ergo etiam tunc non [l] amovet custodiam angelicam, sed praestat ut prius.

c. Item, medicus corporalis si non desperet de aegroto, non derelinquit eum; ergo nec medicus spiritualis, scilicet angelus bonus; sed de nemine desperandum est, dum est [m] in via, dicit auctoritas [13]; ergo neminem debet dimittere.

d. Praeterea, cum desperat medicus corporalis de perfecta sanitate, tamen non omnino adhuc dimittit aegrotum, quamdiu vivit, sed semper aliquid operatur circa eum, saltem ad mitigationem morbi et ad vitae prolongationem; ergo etiam si desperet angelus bonus, non debet omnino dimittere, sed semper circa eum

---

[a] V om. [b] Ita V, alii *obicit.* [c] T om. *s. p.* [d] R *curamus.* [e] R *dicit.* [f] Ita V, alii om. [g] R om. [h] V *deficit.* [i] L *ultimam,* quod Z corr. [k] R om. [l] S om. [m] V om. *d. e.*

1 Cf. sub *Respondeo.*
2 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 4, c. 5 (f. 49c); S. Bonav., II *Sent.,* d. 11, a. 2, q. 1 (II, 282sqq.).
3 Ierem. 51, 9. 4 Cf. supra, p. 273, sub litt. *c.*
5 *Glossa* Rabani, in h. l. (PL 111, 1164), ubi et sequens, ex Origene, *In Ierem.,* hom. 21, n. 12 (PG 13, 542).
6 Rectius Origenes, loc. cit.; cf. Lyran., in h. l.; S. Bonav., *Opp. omnia,* II, 282, nota 3.
7 Zachar. 4, 1.
8 Cf. *In Zachar.,* I, c. 4 (PL 25, 1441), ad sensum, sed verbotenus *In Ierem.,* III, c. 17, 6 (PL 24, 788).
9 Hieronym., *In Zachar.,* I, c. 4 (PL 25, 1441).
10 *Interlin.,* in h. l., ap. Lyran.
11 Cf. supra, p. 270, nota 3.
12 Cf. Psalm. 76, 10.
13 Cf. Augustin., *Retract.,* I, c. 19, n. 7 (PL 32, 616); *De verbis Domini,* sermo 71, c. 13, n. 21 (PL 38, 456); Lombard., II *Sent.,* d. 43, c. un. (p. 535sq.).

aliquid operari [a] ne saltem invalescat aegritudo spiritualis.

Solutio: Notandum quod multiplex est effectus angeli custodientis circa animam hominis custoditi [1]. Unus [est] effectus eius in anima quoad potentiam speculativam, scilicet illuminare eam quoad aliqua [b] occulta: et quoad hunc effectum verum est quod aliquando recedit angelus, quia non semper illuminat, quia aliquando tangit Spiritus corda Prophetarum, aliquando non tangit; et sic intelligitur angelus recessisse, de quo Zach. 4,1: *Reversus est angelus.* Est alius effectus angeli custodientis in anima hominis custoditi quoad potentiam motivam, et hic est quadruplex, sicut habitum est supra, in solutione praecedentis Problematis [2]; et verum est quod semper angelus aliquem illorum effectuum operatur circa animam, saltem ultimum, quod est prohibere ne in tantum malum cadat. Unde dicimus quod nunquam relinquit [c] hominem, cui deputatus est, quoad omnem effectum. Et sic intelliguntur rationes [3] quae hoc probant.

Praeterea, sciendum quod, etsi non semper habeantur effectus priores [d], utpote promovere in bonum vel prohibere a malo, tamen per [e] ipsum angelum non stat, sed per hominem nolentem acquiescere, et propter hoc dicitur derelinquere [f] quoad istos effectus, quia, licet faciat quod in se est, tamen hos effectus circa animam non habet. Et sic intelliguntur omnes auctoritates [4] ex quibus videtur relinqui quod angeli relinquunt homines quibus deputati sunt.

[Ad obiecta]: 1. Unde quod dicitur Ierem. 51,9: *Derelinquamus eam,* intelligitur [5] de illis qui desperati sunt, quia iam in illis tollitur illud per quod debet esse medicina: poenitentia enim medicina est ad revocandum vel [g] suscitandum hominem a morbo spirituali; cum igitur impoenitens est quis, iam est ad modum aegroti respuentis medicinam a medico, et ideo medicus eum relinquit quantum ad hunc effectum qui est revocare a morbo, quia quoad hoc non assumit [h] eum in curam; similiter est hic.

4. Ad auctoritatem Hieronymi quae [i] dicit: « Infructuosa res est anima quae non habet » etc. [k], potest solvi specialiter [l] per hoc quod dicitur « praesidium », faciendo vim in vocabulo, ut dictum est [6]: praesidium enim a praesidendo dicitur; praesidium ergo angelorum habet qui movetur ad nutum eorum; non sic faciunt peccatores. Unde secundum hoc nullus peccator, in quantum talis, habet praesidium angelorum, accipiendo ita proprie, et talium, in quantum huiusmodi, « infructuosa est anima », loquendo de fructu vitae aeternae, quia hunc effectum non habent tales, in quantum tales sunt, nec in eis habet angelus hunc effectum.

CAPUT VI.

UTRUM ALIQUANDO ANGELUS PECCET CIRCA CUSTODIAM HOMINIS.

Sequitur de conditionibus ex parte angelorum custodientium.

Primo ergo quaeritur utrum angeli aliquando [m] negligant vel negligere possint circa custodiam;

secundo, utrum velint praescitum salvari vel tristentur de eius [n] damnatione [o];

tertio, utrum angelus resistat alii angelo custodienti.

ARTICULUS I. 221

Utrum aliquando angeli negligant circa custodiam.

Ad primum sic: 1. Num. 18,12: *Quidquid offerunt primitiarum,* Glossa Origenis [7]: « Trahuntur angeli in iudicium, utrum ex ipsorum [p] negligentia aut ex hominum ignavia tot lapsi sunt »; sed hoc nihil esset dictu [q] nisi in angelis esset vel [r] posset esse negligentia; ergo videtur quod in angelis sit negligentia vel possit esse.

2. Item [s], Num. 25,3: *Initiatus est Beelphegor,* Glossa [8]: « Praeest angelus bonus, qui pro bene gestis laudatur et pro delictis culpatur ».

Contra: *a.* Dionysius [9]: « Non angelorum rectos principatus accusari contingit de [t] gentium ad non existentia erratione, sed ad illa propriis inflexionibus ».

---

[a] T *adoperari* pro *a. o.* [b] V *alia.* [c] Z *relinquet.* [d] Ita V, alii *potiores.* [e] S *propter.* [f] L *delinquere.* [g] Z add. *ad;* ST *renovandum* pro *revocandum.* [h] S add. *ad.* [i] Z *qui.* [k] R om. [l] V add. *etc.* [m] R om. [n] Ita V, alii om. [o] Z add. al. manu *presciti.* [p] R *eorum.* [q] Z *dictum.* [r] SL *ut.* [s] T *in libro.* [t] V *ad.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 11, a. 11, q. 1 (II, 284).
2 Cf. supra, p. 273b, *Respondeo,* et num. 213.
3 Sub *a-d.* 4 Sub 1-6.
5 Cf. *Glossa ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Origene, *In Ierem.*, hom. 21 (PG 13, 542).
6 Cf. supra, p. 274a.
7 *In Num.*, hom. 11, n. 4 (PG 12, 647), ap. Lyran., in h. l.
8 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Origene, *In Num.*, hom. 20, n. 3 (PG 12, 733).
9 *De cael. hier.*, c. 9, § 3 (PG 3, 259, PL 122, 1057).

Solutio: Dicimus quod non est negligentia in angelis, quia faciunt quidquid in se est circa illos[a] quibus deputantur nec aliquid omittunt de contingentibus.

[Ad obiecta]: 1. Ad id quod obicitur[b] de Glossa illa « trahuntur in iudicium » etc., respondeo: « trahuntur in iudicium », non ut ipsi ex hoc iudicentur, sed ut ipsi homines eorum testimonio iudicentur. Unde Origenes ibi loquitur per quamdam similitudinem, quasi diceret: venient ambo in iudicium, scilicet angeli et homines quibus deputati sunt[c], et manifestum erit angelos non fuisse circa eos[d] negligentes. Unde gravius iudicabuntur homines qui eis fuerunt inobedientes ex ignavia sua. Unde[e] super illud Mich. 5,1: *Contende adversus montes,* Glossa[1]: « Montes sunt *administratorii spiritus,* quibus promissa est procuratio humanarum rerum; adversus hos iubetur contendere iudicio, ut[f] si illi montes vel colles inventi fuerint non bene procurasse populum, videatur si vel culpa Dei sit[g], qui non idoneos eos praeposuit[h], vel ipsorum angelorum, si non egerint quae ad officium eorum pertinebant, vel populi, qui bonis praelatis obedire contempsit; et cum nec in Deo nec in angelis culpa possit[i] inveniri, restat quod in populo inveniatur et iuste puniatur ». Et hoc est etiam[k] quod dicit Glossa, super illud Num. 25, 4: *Tolle cunctos principes,* dicit Glossa[2]: « Si princeps, id est angelus, commonuit et locutus est in corde meo dumtaxat, in quo meam conscientiam revocat a peccato, et ego, spretis eius monitis et[l] conscientiae retinaculo, in peccatis prorupi, duplicabitur mihi poena pro contemptu monitoris et facinoris[m] commissi ».

2. Ad aliam Glossam quae dicit « pro delictis culpatur », dicimus quod, etsi pro ista parte amputata[n] sive falsa sit haec Glossa[o], tamen potest intelligi 'culpatur', id est non tantum vel in tot laudatur vel[p] non pro tot, quia laudem habet angelus pro unoquoque ab eo custodito et[q] sic salvato, et[r] quanto plures sunt salvati de eis quorum curam gessit, tanto in pluribus sive pro pluribus habet gloriam, loquendo de gloria accidentali, sicut est de homine praelato aliis faciente quod in se est, tamen etsi non omnes salventur, nihilominus habet suum praemium pro suo ministerio, sed non tantum sive pro tot.

222 ARTICULUS II.

Utrum angelus custodiens velit praescitum custoditum salvari vel tristetur de damnatione eius[3].

Deinde quaeritur utrum angelus custodiens velit praescitum custoditum, scilicet quem scit damnari, esse salvandum vel tristetur de damnatione eius.

I. Quod autem velit ipsum salvari, videtur: *a.* Nam custos tenetur velle profectum[s] eius quem custodit et salutem.

b. Item, vult suam operationem non esse irritam; sed operatur ad hoc ut iste praescitus salvetur; ergo vult ipsum salvari.

Contra: 1. Scit voluntatem Dei esse ut iste damnetur — ponatur quod illud[t] reveletur ei — sed tenetur conformare voluntatem suam voluntati divinae; ergo tenetur velle quod iste[u] damnetur. — Praeterea, ex hoc videtur quod teneatur relinquere eum, id est non apponere curam circa eum.

2. Si dicatur quod angelus ex voluntate gratiae, qua tenetur conformare voluntatem suam[v] voluntati divinae, vult eum esse damnandum, nihilominus tamen voluntate naturae, qua ei cooperatur[x] suo modo tamquam eius custos, vult eum esse salvandum – contra: custodire est a natura et a[y] gratia[4], et voluntas similiter[z], qua vult damnationem, est a gratia: hoc constat; ergo oppositae sunt in eo voluntates et ex eodem principio.

II. Item[5], quaeritur utrum angeli tristentur ex damnatione hominum quibus deputantur[6].

Et videtur quod sic: 1. Nam delectantur, cum iustificantur; ergo tristantur, cum peccant.

2. Item, Isai. 33,7: *Angeli pacis amare flebunt,* Glossa[7]: « De perditione suae gentis ». Ergo etc.

Contra: *a.* Tristitia poena est; poena autem non est nisi eius cui inest vel infuit vel inesse potest

---

[a] Ita V, alii *eos.* [b] Ita V, alii *quod ergo obicit* pro *A. i. q. o.* [c] L om. [d] LC *eum,* quod RZ corr. [e] RLC *ut,* quod Z corr. [f] L *et.* [g] Z *culpandi sint* pro *c. D. s.* [h] V *proposuit.* [i] V om. [k] V add. *illud.* [l] S om. [m] L *motoris* pro *m. e. f.* [n] Ita V, alii *apuntata;* S *secunda* pro *falsa.* [o] V add. *ista.* [p] RLCZ *et.* [q] S om. [r] S om. [s] VT *perfectum.* [t] V *iste.* [u] RLCZ *ille.* [v] T om. [x] Ita C, alii *comparatur.* [y] RLZ om. [z] L om.

1 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.

2 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Origene, *In Num.*, hom. 20, n. 4 (PG 12, 736).

3 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 4, c. 2 (f. 48c); S. Bonav., II *Sent.*, d. 11, a. 2, q. 3 (II, 286 sqq.).

4 Cf. supra, num. 214.

5 Sequentia usque ad *non contristantur* (p. 277a) verbotenus occurrunt ap. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 87d).

6 Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., c. 7 (f. 50a).

7 *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran.

peccatum; sed in angelis bonis nec est nec infuit nec inesse [a] potest peccatum; ergo in eis non potest esse tristitia.

b. Item, super illud Dan. 10,13: *Princeps Persarum* etc., Glossa[1]: « Angelicos spiritus recte milites dicimus, quia contra aëreas potestates eos decertare non ignoramus »; hoc autem non labore, sed imperio peragunt [b], et similiter sine dolore; ergo non contristantur.

Solutio: I. 1. Dicimus quod [c], quamvis alicui angelo reveletur damnatio eius cui deputatus est [d], tamen non revelatur ei quantitas damnationis, scilicet quanta futura est eius damnatio: hoc enim est de secretissimis Dei. Unde quamvis eum damnandum esse sciat per revelationem et sic scit se nihil profecturum [e] circa eum quantum ad hoc quod [f] salvetur, tamen quia nescit quanta futura est eius damnatio, ideo nescit an profecturus sit circa eum quantum ad hoc quod minor sit eius poena sive damnatio. Unde adhuc curam apponit circa eum nec derelinquit eum ex toto. Nec dissonat [g] hoc a voluntate [h] divina. Unde quamvis non operetur circa eum ad trahendum eum ad salutem, tamen operatur ad retrahendum eum a maiore [i] damnatione, quam scilicet incurreret nisi angelus custodiret eum.

2. Ad hoc ergo quod obicitur quod 'ex eodem principio velit angelus contraria': dicimus quod revera ex principio, quod est gratia, provenit utrumque. Sed dicimus quod duplex est gratia in angelis, scilicet quaedam fixa et quaedam influens [k], scilicet continue vel quasi de novo [2]. Gratia influens est gratia qua nunc revelatur ei de novo damnatio illius hominis: et secundum hanc [l] vult quod Deus vult [m] absolute, id est vult damnationem huius hominis secundum quod ei revelatur. Gratia autem fixa est gratia quae data est ei in confirmatione [n], qua habet potestatem custodiendi et custodit, et secundum hanc adhuc habet duplicem respectum: unum respectum habet ad hominem, quem custodire habet, et secundum hunc respectum dicimus quod vellet salutem illius; alium respectum habet ad Deum, secundum quod per illam gratiam fruitur Deo et legit in speculo aeterno quid Deus vult fieri: et secundum hoc tenetur voluntatem suam conformare voluntati divinae. Unde sicut Deus vult hunc damnari et ipsi angelo revelat hoc, ita ipse angelus vult ipsum damnari; nec est hic oppositio in volendo opposita secundum diversos respectus.

II. Ad [3] hoc quod quaeritur utrum angeli tristentur de damnatione praesciti, dicendum quod in angelis non est tristitia, sicut habetur super illud ad Rom. 8,22: *Omnis creatura* etc., Glossa[4]: « Etsi nos adiuvant angeli, hoc sine labore agere credendi sunt, ne miseri aestimentur ».

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum dicendum quod non sequitur; sequeretur autem si essent illis aliqua causa peccati, sicut sunt aliqua occasio vel etiam dispositio ad bonam voluntatem; sunt autem dispositio ad bonam voluntatem, non ad peccatum, sed tota causa est in ipso peccante.

2. Ad aliud quod dicitur Isai. 33,7: *Angeli pacis amare flebunt:* dicendum quod istud [o] intelligitur moraliter de praelatis, qui sunt nuntii reconciliationis, sicut dicit Glossa[5].

ARTICULUS III. 223

Utrum unus angelus custodiens resistat alii custodienti [6].

Deinde quaeritur utrum unus angelus custodiens resistat alii bono angelo custodienti.

Quod non, videtur: *a.* Quia, cum uterque ministret sub Deo, habent concordes voluntates, quia si alter exequatur quod Deus iniungit, alter resistere non debet.

Contra [p]: 1. Dan. 10,13: *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus,* ita dicit angelus Danieli oranti pro liberatione populi. — Quod autem de bono angelo intelligendum sit, videtur per Glossam Gregorii [7] ibi: « Est adhuc », inquit, « quod in eodem populo sub iugo Persarum purgetur; unde [q] de ereptione illius princeps mihi iure contradicit »; sed malus angelus nihil iure facit; erit ergo bonus angelus. — Contra: Glossa Hieronymi [8] quae sic incipit: « Videtur mihi » etc., ubi ita dicit: « Isti [r] sunt principes de quibus Paulus, I Cor. 2,6-8: *Sapientiam loquimur inter*

---

[a] R *esse.* [b] R *agunt.* [c] R om. [d] S om. [e] V *profuturum.* [f] Z *ut.* [g] R *disponat.* [h] TL *auctoritate* pro *a. v.*, quod Z corr. [i] RLCZ *minore;* S om. *quam.* [k] Z *fluens.* [l] RL *hunc.* [m] L om. *q. D. v.* [n] V *confirmationem.* [o] V *hoc.* [p] L *E contra.* [q] T om. [r] R *ibi.*

1 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 11, dub. 2 (II, 290).
3 Sequentia usque ad *dicit Glossa,* verbotenus occurrunt ap. Philip. Grev., *Summa,* II (f. 87d-88a).
4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1445).
5 Cf. Origen., *In Isai.*, X, c. 23, 7 (PL 24, 365).
6 Sequentia usque *a Domino purgetur* (p. 278a) verbotenus occurrunt ap. Philip. Grev., *Summa,* II (f. 88a); cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 4, c. 7 (f. 50a).
7 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Gregorio M., *Moral.*, XVII, c. 12, n. 17 (PL 76, 19).
8 *In Daniel.*, c. 10 (PL 25, 555), ap. Lyran., in h. l.

perfectos, quam nullus principum huius mundi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent». — Et Glossa Gregorii[1] super eumdem locum: «Angelicos spiritus recte milites dicimus, quia decertare eos[a] contra aëreas potestates non ignoramus; quae tamen certamina non labore, sed[b] imperio peragunt, quia quidquid agere contra immundos spiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis possunt».

2. Item, si *princeps Persarum* iuste restitit, ergo iniuste Gabriel populum[c] liberare volebat.

Respondeo: Intelligendum est de malo angelo. Quod autem dicitur 'iure[d] restitisse', hoc est comparatione habita ad merita populi qui nondum erat purgatus, sed non quantum ad intentionem eius qui non intendebat populi purgationem, sed oppressionem. Simile habetur Isai. 10, 5-7: *Virga furoris mei Assur* etc., *ipse autem non sic aestimabit, sed cor eius erit ad conterendum.* Gabriel autem non peccabat volens liberationem populi[e]: licet enim non esset liberandus quantum ad exigentiam meritorum, tamen quantum ad merita[f] precum, scilicet Danielis, de misericordia decebat[g] hoc fieri. De hoc Glossa Gregorii[2]: «Precum merita exigunt ut Israeliticus populus a iugo captivitatis suae eruatur[h], sed adhuc est in eodem quod iugo Persarum a Domino purgetur». Haec opinio videtur esse secundum Hieronymum[3].

Notandum tamen quod, secundum Gregorium, *princeps* iste dicitur angelus bonus. Ad hoc autem quod quaeritur qualiter angelus bonus dicitur resistere angelo bono, sic respondet B. Gregorius[4]: «Sublimes spiritus eisdem gentibus principantes nequaquam pro iniuste agentibus decertant[i], sed eorum facta iuste[k] iudicantes examinant. Cumque[l] uniuscuiusque gentis culpa vel[m] iustitia ad supernae curiae consilium ducitur, eiusdem gentis praepositus vel obtinuisse vel non obtinuisse perhibetur[n], quorum tamen omnium victoria est sui[o] super se opificis voluntas summa: quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent[p], nunquam volunt, eosdem quoque angelicos spiritus decertare contra potestates aëreas non ignoramus». Recte ergo dicitur quod contra se angeli veniunt, quia subiectarum sibi gentium merita contradicunt. Aliquo ergo modo resistunt boni bonis, quando scilicet merita populi contradicunt. Unde oratio Danielis merebatur liberationem populi, sed merita populi exigebant ut adhuc in captivitate detinerentur, quia nondum erant sufficienter purgati; et ideo quantum ad hoc dicebantur certare angeli, qui tamen[q] concordabant in voluntate Dei. Angelus vero bonus dicitur resistere angelo malo, quando coarctat potestatem eius ne impediat; angelus vero malus dicitur resistere angelo bono, quando illud, quod intendit angelus bonus, nititur malus angelus impedire.

Et sic differenter intelligitur resistentia, secundum quod *princeps* dicitur angelus malus secundum opinionem Hieronymi, et secundum quod dicitur angelus bonus secundum opinionem[r] Gregorii.

---

[a] Ita V, alii om. [b] S om. [c] C *ipsum.* [d] V *iuste.* [e] L om. [f] V *multa.* [g] V *dicebat*, quod L corr. [h] RLCZ *exuatur.* [i] V *determinant*, quod L corr. [k] L om. [l] S *cum.* [m] S om. [n] V *prohibetur.* [o] S *sive.* [p] Ita Z add. mg., alii om. *n. v.* [q] Z *cum.* [r] T om. *Hieronymi... opinionem*, C om. *bonus.*

1 *Moral.*, XVII, c. 13, n. 19 (PL 76, 20), ap. Lyran., in h. l.
2 *Moral.*, XVII, c. 13, n. 17 (PL 76, 19), ap. Lyran., in h. l.
3 *In Daniel.*, c. 11 (PL 25, 555sqq.).
4 *Moral.*, XVII, c. 13, nn. 17 et 19 (PL 76, 20).

TITULUS III.

DE PRAESIDENTIA ANGELI SUPER CREATURAM CORPORALEM SEU DE MIRACULIS ET MIRABILIBUS.

Post tractatum de praesidentia angeli respectu creaturae spiritualis, qua scilicet praeest angelus angelo et animae, dicendum est [a] de praesidentia qua praeest angelus respectu corporalis creaturae, sicut dicit Origenes [1] super illud Num. 22,27: *Cum vidisset asina angelum.* Dicit enim sic: « Opus est mundo angelis qui praesint [b] super bestias et praesint animalium nativitati et virgultorum plantationumque [c] et ceterarum rerum incrementis, et qui praesint operibus sanctis, qui aeternae lucis intellectum et occultorum Dei agnitionem et rerum divinarum scientiam doceant. Vide ergo ne inter angelos inveniaris qui bestiis praesunt, si beluinam duxeris vitam » etc.

Haec autem praesidentia ostenditur in miraculis sive mirabilibus, quae fiunt ministerio angelorum. Unde dicit Augustinus, super illud Eph. 3,9: *Quae sit dispensatio sacramenti* etc., in Glossa [2]: « Sic causae omnium quae, ad Christi adventum praenuntiandum [d], in rerum natura praeter usitatum [e] cursum mirabiliter facta sunt, in Deo sunt [f], quae ministrantibus angelis facta esse creduntur ».

Dicendum est ergo de miraculis et mirabilibus. Et primo de iis quae sunt, deinde [g] de iis quae videntur. Et de iis quae sunt a bonis primo, deinde de iis quae sunt a malis.

MEMBRUM I.

De miraculis [3].

Primo ergo quaerendum est quae sit ratio miraculi et quae differentia miraculi et mirabilis [h] et signi et [i] virtutis;

secundo, cui conveniat miraculum: an operi creationis vel [k] gubernationis vel incarnationis et ita de aliis;

tertio, quia [l] miraculum dicitur fieri contra naturam, quaeritur [m] utrum aliquid fiat a Deo contra naturam;

quarto, de causis miraculi;

quinto, de rationibus secundum quas [n] fiunt miracula [o];

sexto, secundum motum cuius virtutis dicuntur impetrari miracula.

CAPUT I. 224

QUID SIT MIRACULUM [4].

Quaeritur ergo primo quid sit miraculum. Ponit [p] autem hanc descriptionem Augustinus, in libro *De utilitate credendi* [5]: « Miraculum est arduum aliquid et insolitum [q] supra spem et facultatem existens admirantis ».

I. Potest ergo quaeri de differentiis positis in [r] ratione miraculi.

1. Videtur enim quod illud quod est « arduum » sit [s] « supra facultatem admirantis ».

---

[a] Z om. [b] RLCZ *presunt*, item infra. [c] T *plantationum*. [d] Z *pronuntiandum*. [e] Z add. mg. *nature*. [f] R exp. [g] STLZ *demum*. [h] V om. *e. m.* [i] V om. [k] R *an*. [l] VST *queritur*. [m] V *et*. [n] Ita VZ, alii *que*. [o] V *miraculis*. [p] V *ponitur*. [q] R *non solitum* pro *e. i.* [r] RC add. *definitione vel*. [s] L om.

1 *In Num.*, hom 14, n. 2 (PG 12, 680).
2 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Augustino, *De Gen. ad litt.*, IX, c. 18, n. 35 (PL 34, 407sq.).
3 Cf. Philip. Grevius, *Summa*, II (f. 88d-89a).
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 152-154; S. Bonav., II *Sent.*, d. 18, a. 1, q. 2, *ad 5 et 6*, et III, d. 37, a. 2, q. 2, *ad 4* (II, 437sq., III, 873).
5 Cap. 16, n. 34 (PL, 42, 90).

2. Item, multa miracula frequenter eveniunt [a]; non ergo dicuntur insolita. Item, raro evenit eclipsis solis; ergo est insolitum et arduum; ergo est miraculum.

3. Praeterea, si speraret aliquis fidelis quod de aliquo morbo virtute divina curaretur, numquid propter hoc non [b] esset miraculum? cum miraculum dicatur « arduum et insolitum supra spem » etc.

4. Praeterea, dicitur quod miraculum est « supra facultatem admirantis ». Quaeritur quid dicatur ibi 'facultas'. Numquid supra rationem eius vel supra [c] potestatem?

Respondeo: Quatuor ponuntur conditiones, quarum duae primae respiciunt rem miraculi, duae ultimae rationem miraculi [d] in quantum est miraculum. Nam « arduum » dicitur supra potestatem naturae, « insolitum », quod est contra solitum cursum naturae; quando [e] autem haec duo concurrunt, tunc dicitur res miraculi secundum veritatem. Cum autem est « supra spem » ex parte affectivae et « facultatem admirantis » ex [f] parte cognitivae et operativae, tunc est in ratione miraculi: ratio enim miraculi dicitur in comparatione ad nos.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc possunt solvi obiecta: quia secundum hoc aliud [g] est « arduum » secundum rationem et ens « supra facultatem admirantis », licet contingat eidem inesse.

2. Ad secundum dicendum quod non dicitur « insolitum » tantum, quia raro evenit — sic enim eclipsis solis diceretur miraculum — sed quia contra consuetum cursum naturae, etsi frequenter, eveniat [h].

3. Ad tertium dicendum quod, licet speraret fidelis sanitatem consequi virtute divina, nihilominus esset miraculum curatio aegritudinis incurabilis, quia spes illa non surgebat ex proprio motu virtutis tantum [i], sed ex fide quae innititur omnipotentiae divinae; et cum dicitur quod est « supra spem », intelligitur virtutis humanae. Unde Augustinus, in libro *De utilitate credendi* [1]: « Quaedam sunt quae solam admirationem [k], quaedam vero magnam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi praeter ipsum spectaculum, miratur tantummodo; si quis autem gravi et desperato morbo affectus, mox ut iussum [l] fuerit convalescat, admirationem sanitatis suae sanantis etiam caritate [m] superabit. Talia facta sunt eo tempore quo Deus in vero homine, quantum satis [n] erat, hominibus apparebat ».

4. Ad ultimum dicendum quod « supra facultatem admirantis » potest dici supra rationem et potestatem: hoc enim intelligitur per 'esse super facultatem' et per 'admirationem'.

II. Deinde quaeritur de differentia mirabilis et miraculi et virtutis et [o] signi et prodigii [2].

[Solutio]: Dicendum [p] quod unum et idem dicitur miraculum, mirabile et signum et virtus, sed comparatione ad diversa. Nam virtus dicitur respectu principii a quo, mirabile vero respectu eius in quo et cui fit, signum vero respectu eius ad quod [q]: signum enim est ad demonstrandum virtutem divinae sapientiae.

III. Item [3], quaeritur quae sit differentia inter illa tria, quae dicuntur II Cor. 12,12: *Signa apostolatus mei* [r] *facta sunt super vos in omni patientia, signis et* [s] *prodigiis et virtutibus*; Glossa [4]: « Haec tria distinguuntur ut intelligas quod virtus est genus signorum et prodigiorum »; sed « signa et prodigia sunt in iis quae [t] sunt contra naturam »; ergo virtus similiter in iis quae sunt contra naturam.

Contra: *a.* Glossa ibi: « Virtus in iis quae non contra naturam, ut per impositionem manuum et orationem a morbo hominem liberare [u] ».

[Solutio]: Ad quod dicendum [v] quod signum accipitur dupliciter, similiter et prodigium. Dicitur enim signum minus miraculum, prodigium maius; unde Glossa: « *In signis et prodigiis*, id est in maioribus et minoribus miraculis ». Secundo modo dicitur signum, quod in quolibet tempore aliquid significat, prodigium, quod in in futuro tantum; et ita signum est genus vel superius ad prodigium. Virtus autem tripliciter accipitur: dicitur enim virtus habitus mentis; item virtus est [x] genus ad omne miraculum, et sic [y] ad signum et prodigium; unde Glossa: « Nomine virtutis omne miraculum accipias »; et supra: « Haec tria distinguuntur, ut intelligas quod virtus est genus signorum et prodigiorum »; tertio modo dicitur « virtus in iis quae non contra [z] naturam, ut per impositionem manuum » etc. Et sic dividitur contra miraculum.

---

[a] Codd. *veniunt*. [b] R om. [c] RC om. [d] Ita T (add. interl.), alii om. [e] V om. [f] R *a*. [g] S om. *h. a*. [h] Codd. *eveniant*. [i] L om. [k] R *administrationem*. [l] V *visum*. [m] V *caritatem*. [n] RLCZ *in quantum sat* pro *q. s*. [o] S om. [p] V *Et dicendum*. [q] L add. mg. poster. *miraculum*; C *vero* pro *enim*. [r] Ita Z, alii *apostoli* pro *a. m*. [s] RC om. [t] L add. mg. *non*. [u] VR (corr.) *liberari*. [v] Ita VR, alii add. *est*. [z] Ita VSZ (interl.), alii om. [y] V add. *et*. [x] V om.

[1] Cap. 16 (PL 42, 90).

[2] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, a. 3, q. 1 (II, 346a); III *Sent.*, d. 30, a. 1, q. 4, *ad 3* (III, 665).

[3] Omnia sequentia usque ad finem huius num. III verbotenus occurrunt ap. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 90d).

[4] Lombardi, in h. l. (PL 192, 86), ubi et sequentia.

CAPUT II.

CUI CONVENIAT RATIO MIRACULI.

ARTICULUS I. 225

Utrum ratio miraculi conveniat operi creationis et gubernationis [1].

Secundo quaeritur cui conveniat ratio miraculi, scilicet utrum operi creationis et [a] gubernationis.

Et videtur quod sic [2]: 1. Nam dicitur de mutatione aquae in vinum, Ioan. 2, in Glossa [3]: « Maior [b] virtus est in creatione caeli et terrae et gubernatione et quod quotidie aqua [c] pluviae per vites in vinum vertitur et quod ex parvo seminario fruges nascuntur ». Cum ergo pro miraculo 'virtus' accipiatur in Sacra Scriptura, sicut I Cor. 12,10: *Aliis per Spiritum datur operatio virtutum,* Glossa [4]: « Miraculorum », erit maius miraculum, et ita omne opus creationis et gubernationis et etiam generationis secundum naturam erit miraculosum, et ita videtur quod omnia huiusmodi opera sint miracula [d].

2. Praeterea, Augustinus, *Super Ioannem* [5], ubi agitur de quinque panibus, dicit: « Quia [e] miracula Dei, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt [f], ita ut nemo pene dignetur attendere opera Dei [g] mira et stupenda in quolibet seminis grano, secundum ipsam suam misericordiam magnam servavit sibi quaedam [h] quae faceret tempore opportuno praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non maiora, sed insolita videndo, stuperent quibus quotidiana viluerant ».

3. Item, ibidem: « Maius enim miraculum est gubernatio totius mundi quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus et tamen hoc nemo miratur: illud mirantur homines, non quia maius est, sed quia rarum est ».

4. Item, virtus est miraculum, sicut patet [i] in Glossa [6] I Cor. 12,10: *Aliis per Spiritum datur* etc.; igitur ubi maior virtus, maius miraculum; sed maior est virtus [k] in creatione caeli et terrae quam in mutatione aquae in vinum; ergo et [l] maius miraculum.

Contra: *a.* Super illud Rom. 11,24: *Contra naturam insertus es in bonam olivam,* Glossa [7]: « Dicitur humano more esse contra naturam, quod est contra solitum cursum naturae mortalibus notum ».

b. Item: « Non incongrue dicitur Deus facere contra naturam [m], quando facit contra id quod novimus in natura: hunc enim appellamus cognitum nobis [n] cursum solitumque [o] ordinem naturae, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur ».

[Solutio]: Ad quod dicendum quod, licet opera creationis sint ardua, non tamen sunt insolita, secundum quod insolitum dicitur quod est contra cursum naturae determinatum; quaedam etiam non sunt supra [p] facultatem admirantis: ratio enim ad quaedam potest attingere, quorum [q] rationem potest invenire.

Si obiciatur [8] de Eccl. 8,17: *Intellexi quod operum Dei nullam possit homo invenire rationem,* respondeo: sufficientem.

[Ad obiecta]: 1-3. Ad illud quod obicitur, dicendum [r] quod non sequitur, si minora opera, id est minus ostendentia virtutem Dei, sunt miracula, quod magis ostendentia sint magis miracula, quia miraculum non est nisi de iis quae sunt contra solitum cursum naturae; sed si in eodem genere entia magis ostenderent virtutem, tunc dicerentur magis [s] miraculosa.

4. Ad id quod obicitur 'idem esse virtutem et miraculum, et ideo si maior virtus, et maius miraculum': dicendum quod aliunde dicitur virtus, aliunde miraculum. Nam virtus dicitur respectu principii a quo, miraculum respectu eius cui fit [9]. Praeterea, omne miraculum est virtus, sed non [t] omnis virtus est miraculum [10]; et propter hoc non sequitur quod si sit maior virtus, quod sit maius miraculum. Dicitur autem maior virtus non ex

---

[a] V *vel.* [b] V add. *et.* [c] T add. *et.* [d] Ita VT, alii *miraculosa.* [e] Codd. *quod.* [f] S *valuerunt.* [g] T om. *o. D.* [h] R om. C om. [k] S om. *maius... virtus.* [l] S om. [m] C om. *c. n.* [n] Z om., C add. *vel.* [o] C *solitum quia,* quod R corr. [p] V *contra.* [q] T om. [r] Ita V, alii add. *est.* [s] C om., T om. *ostenderent... magis.* [t] Z om.

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 152.

2 Argumenta 1-4 et *a-b* verbotenus occurrunt ap. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 89ab).

3 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 363sq.).

4 *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran.

5 Tract. 24, n. 1 (PL 35, 1593), ubi et sequens; cf. tract. 9, n. 1 (PL 35, 1458).

6 Cf. supra, nota 3.

7 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1488), ubi et sequens, ex Augustino, *Contra Faust.*, XXVI, c. 3 (PL 42, 480).

8 A verbis *Si obiciatur* usque ad finem huius articuli *dico miraculum* (p. 282b) omnia verbotenus ap. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 89c.).

9 Cf. supra, num. 224, II.

10 Cf. supra, num. 224, III, *Solutio.*

parte Dei agentis, cui aeque facilia sunt magna ut[a] parva, sed quoad magnitudinem rei quae fit et de quo fit. Et quia maius est facere aliquid de nihilo quam de aliquo[b] et maioris virtutis res[c] est mundus quam[d] aliqua particula mundi, ideo dicitur maior virtus; sed creatio non est contra[e] aliquem naturae particularis cursum, similiter nec gubernatio, et ideo non dico miraculum.

226 ARTICULUS II.

Utrum ratio miraculi conveniat incarnationi.

Quaeritur etiam de opere[f] incarnationis an sit miraculum.

Videtur[1] **enim quod ei conveniat ratio miraculi**: 1. Est enim arduum et novum et quo nihil maius.

2. Praeterea, dicit Anselmus, in libro *De conceptu virginali*[2]: « Omnia quae fiunt, aut fiunt sola Dei voluntate aut natura secundum vim illi a Deo inditam aut voluntate creaturae; et ea quae nec natura nec voluntas facit, sed solus Deus, semper miranda sunt. Ex quo apparet quod tres sunt rerum cursus: mirabilis, naturalis et[g] voluntarius ». Cum igitur incarnatio non sit actus naturalis aut voluntarius voluntate creaturae, erit mirabilis, et ita opus incarnationis erit miraculum.

3. Praeterea, maior est distantia increati ad creatum quam huius speciei creatae quae est frumentum, ad illam quae est hordeum vel aliarum huiusmodi; sed si operante Deo fieret quod idem esset frumentum et hordeum, hoc diceretur miraculum; ergo illud magis dicetur miraculum, cum operante Deo factum est ut ille, qui erat Deus, esset homo.

Contra: *a.* Miracula sunt quae fiunt contra naturam particularem, non tantum supra, sicut quod caecus visum recipiat et similia; sed opus incarnationis non est huiusmodi: supra enim naturam est, sed non currit[h] contrario cursu cursui[i] naturae; ergo non est miraculosum.

b. Praeterea, terminatur ad illud cuius non est simile reperire in natura: verbi gratia, quod Deus sit homo et e converso; sed opus miraculosum terminatur ad opus conforme naturae: visus enim conformis[k] est in prius caeco et naturaliter vidente, similiter et vita in resuscitato[l]; restat ergo quod non est opus miraculosum.

c. Item, ad Rom. 11,24, in Glossa[3] super illud: *Insertus es* etc.[m] dicitur quod miraculum est quod fit contra naturam; sed incarnatio Filii Dei non fuit contra naturam; ergo non fuit miraculum. — Probatio minoris[n]: Si enim fuisset contra naturam, aut fuisset contra naturam[o] increatam aut[p] contra naturam creatam. Contra increatam non, quia ipsi nihil[q] est impossibile. Si contra creatam, hoc non videtur verum: constat enim quod natura[r] creata semper habuit in se obedientiam ad obediendum naturae increatae, nec ista obedientia repugnabat naturae creaturae, immo de natura creaturae erat ut obediens esset.

d. Praeterea, cum divina natura uniebatur humanae, nihil subtrahebatur humanae[s] naturae, immo in hoc meliorabatur et complebatur; ergo si completio creaturae non est contra naturam ipsius, patet quod non fuit incarnatio contra naturam creaturae; non fuit ergo miraculum.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod, licet opus incarnationis sit mirabile, non tamen miraculum proprie dictum: omne enim miraculum est mirabile, non e converso. Unde concedendum est quod est secundum cursum mirabilem, prout dicit Anselmus.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet solutio ad duo primo[t] obiecta. Nam insolitum, secundum quod ponitur in ratione miraculi, est[u] quod fit contra consuetum cursum naturae, et tale non est incarnatio.

2. Similiter ad illud quod dicit Anselmus. Nam concedendum est[v] quod incarnatio sit[x] secundum cursum mirabilem; sed mirabile comprehendit ea quae sunt supra naturam et ea quae sunt contra naturam, id est contra solitum cursum naturae; incarnatio autem, licet sit supra naturam, non est[y] contra cursum naturae, et ideo non est proprie miraculum.

3. Ad illud quod obicitur quod 'maior est distantia inter creatum et increatum' etc.: dicimus quod in creatura respectu creaturae est disparitas vel contrarietas ratione suarum formarum, et sicut haec forma distat ab illa, ita materia a materia

---

[a] Z *et.* [b] V *alio.* [c] V om. [d] Z add. *de.* [e] V *circa.* [f] RC *operatione.* [g] L om. [h] L om. [i] Z om. [k] C *conformationis.* [l] LC *et resuscitatio* pro *i. r.* [m] LCZ *et cum.* [n] Codd. *maioris.* [o] Z om. *a. f. c. n.* [p] V *vel.* [q] R *nec.* [r] Z *non.* [s] L om. *n. s. h.* [t] CZ *prima.* [u] S om. [v] Ita V, alii om. [x] Ita ST, alii *fit.* [y] RC *tamen.*

[1] Ap. Philip. Grev., loc. cit. (f. 89c) inveniuntur verbotenus argumenta *1, 2, a* et *b.*

[2] Cap. 11 (PL 158, 446).

[3] Cf. supra, p. 281, nota 7.

nec potuit esse materia huius materia illius sicut nec istius forma illius [a], et hoc est propter hoc [b] quod quaelibet istarum formarum numerat et distinguit materiam [c] suam totaliter a materia alterius. Non sic autem fuit in Creatore respectu creaturae: etsi enim diversa sit divinitatis et humanitatis natura, tamen est una hypostasis personae Dei in ipso, qui est Deus et homo, sine aliqua subtractione ab hac natura vel illa. Dicimus ergo quod quantum ad hoc non est tanta discrepantia inter Creatorem et creaturam quanta est inter duas creaturas.

ARTICULUS III. 227

Utrum ratio miraculi fuerit in costa Adae de qua facta est Eva [1].

Quaeritur similiter de costa Adae, de qua facta est Eva, utrum ibi fuerit miraculum vel non.

Et quod sic, videtur: 1. Nam illi mutationi [d] convenit tota ratio miraculi; nec potest dici quod ibi non fuerit ratio miraculi, quia non erat « insolitum », immo etiam erat in costa ordo ad contrarium eius quod factum est de ipsa.

2. Si dicatur quod illud non fuit « supra facultatem admirantis » – contra: aut enim dicitur miraculum esse supra facultatem vel supra rationem admirantis, quando ratio naturaliter non potest comprehendere illud aut quando nec naturaliter nec aliter [e]. Si hoc ultimo modo, tunc [f] nullum erit miraculum: non enim reperitur aliquod miraculum ad quod ratio non possit attingere saltem credendo [g] per fidem. Restat ergo quod dicetur esse miraculum supra facultatem sive supra rationem, quando est supra [h] illud quod naturaliter potest intelligere; sed constat quod illud non poterat naturaliter intelligere, quia ratio non poterat naturaliter ad hoc attingere quod de costa fieret mulier: hoc enim excedebat et corporalia et spiritualia, quae posset ratio comprehendere de se; ergo fuit « supra facultatem admirantis ».

[Solutio]: Ad quod dicendum quod revera non fuit illud miraculum, sed mirabile. Sed intelligendum, sicut dicit Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [2]: triplex est ratio exeundi res in esse. Et dicitur prima ratio causalis, et secundum hoc dicit Augustinus quod de primo creatis secundum rationem causalem sive secundum rationes causales potuerunt [i] omnia fieri quae postmodum facta sunt; haec ergo causalitas dicitur esse in ipso Deo, et non in ipsis creatis nisi materialiter [k], secundum quod de ipsis potest facere et ipsae sunt possibiles obedire. Est alia ratio, quae dicitur seminalis, secundum quam multa possunt fieri per angelorum occultas operationes et per motum corporum superiorum, sicut fiunt ranae et huiusmodi animalia, quae fiunt ex [l] putrefactione. Est autem tertia ratio respectu corporalis creaturae sicut naturae insitae ipsis rebus corporalibus creatis, secundum quod nos dicimus quod haec naturaliter producitur ab illa, ut granum ex grano et planta ex planta. Dicimus ergo quod nihil, quod fiat secundum rationem naturalem aut seminalem, est miraculum; sed omne miraculum fit secundum rationem causalem tantum, non tamen [m] convertitur ut omne quod fit secundum rationem causalem [n] sit miraculosum. Fieri enim secundum rationem causalem potuit aliquid dupliciter. Unde Augustinus, in [o] IX *Super Genesim ad litteram* [p] [3]: « Omnis iste naturae usitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundum quas et spiritus vitae, qui creatus est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodam modo, quos etiam mala voluntas non possit excedere, et elementa mundi huius corporei habent determinatam [q] vim qualitatemque suam quid unumquodque valeat vel non valeat, quid [r] de quo fieri possit vel non possit. Ex iis, velut primordiis rerum, omnia, quae gignuntur, suo quoque tempore exortus [s] processusque sumunt finesque [t] et decessiones sui cuiusque generis: unde fit [u] ut de grano tritici non nascatur faba vel de faba triticum vel de pecore homo vel de homine pecus. Super hunc autem motum cursumque rerum [v] naturalem potestas Creatoris habet apud se posse aliud de iis omnibus [x] facere quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id quod non in eis posuit ut [y] de iis fieri vel ab ipso possit. Neque enim potentia temeraria, sed sapiente virtute omnipotens est [z], et

---

[a] Ita V, alii *ista forma illa* pro *i. f. i.* [b] S om. [c] VT *naturam.* [d] C *illuminationi* pro *i. m.* [e] S om. *n. a.* [f] LZ add. *enim.* [g] T *credere Deo.* [h] Ita C, alii *super.* [i] RLC *poterunt;* V om. *omnia.* [k] Z *naturaliter.* [l] R add. *huiusmodi.* [m] V om. [n] Z om. *tantum... causalem,* in L est add. mg.; L (corr.) *miraculum* pro *miraculosum.* [o] V om. [p] R om. *a. l.* [q] ST *definitam.* [r] VST add. *unumquodque.* [s] V add. *processus.* [t] R *fines.* [u] RLCZ om. *u. f.* [v] RLCZ om. [x] RLCZ om.; Z *illud* pro *aliud.* [y] VST *possit vel* pro *p. u.* [z] LRZ om., in C est add. interl.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 18, a. 1, q. 2 (II, 434 sqq.).

2 Lib. V, c. 20, n. 41; c. 23, n. 44; VI, c. 8, n. 13; c. 10, n. 17; c. 11, n. 18; c. 15, n. 26; c. 18, n. 29; IX, c. 15, n. 28; c. 16, n. 30; c. 17, n. 32; c. 18, n. 33 (PL 34, 336 sqq. 405 sqq.). Cf. S. Bonav., II *Sent.*, p. 438, scholion.

3 Cap. 17, n. 32 (PL 34, 406).

hoc de unaquaque re in suo tempore facit quod ante [a] in ea fecit ut possit. Alius ergo est rerum modus, quod illa herba sic germinat, illa sic, illa aetas parit [b], illa non parit, homo loqui potest, pecus non potest. Horum et talium modorum rationes non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditae atque concreatae. Ut autem lignum excisum de terra, aridum, perpolitum [c], sine radice ulla, sine terra et aqua [d] repente floreat et fructum gignat [1], ut per iuventam [e] sterilis femina in senectute pariat [2], ut asina loquatur [3], et si [f] quid eiusmodi est, dedit quidem naturis quas creavit [g] ut [ex] eis et haec fieri possent ».

228 ARTICULUS IV.

Utrum ratio miraculi conveniat iustificationi [4].

Quaeritur [5] iterum de opere [h] iustificationis, utrum sit miraculosum [i].

Et videtur quod sic 1. per illud quod dicitur Eph. 3,7: *Secundum donum gratiae, quae data est mihi secundum operationem virtutis eius,* Glossa [6]: « Magna virtus eius [k] est, qua fecit quod persecutor esset [l] apostolus; hoc enim est ut quodlibet miraculum ».

2. Item, in Psalmo *Misericordias Domini,* super illud [7]: *Confitebuntur caeli mirabilia tua,* Glossa [8]: « In iustificatione impiorum quid laudas nisi mirabilia Dei? » Immo plus miraculo [m] videntur. Unde sequitur: « Laudas, quia surrexerunt mortui; plus lauda, quia redempti sunt perditi; vides hominem heri voraginem ebrietatis, hodie ornamentum sobrietatis » etc.

Contra: *a.* Non convenit ei ratio miraculi superius posita [9]: non enim est arduum et insolitum [n], non semper fit absque voluntate creaturae, immo cum, ut in adulto; unde Augustinus [10]: « Qui te creavit sine te, non te iustificat sine te ».

b. Item, quia ostensivum est misericordiae divinae principaliter, miraculum autem non, sed magis potentiae [11].

Ad obiecta autem respondendum 1. quod non dicitur 'miraculum' in prima obiectione, sed 'ut miraculum'. Sicut enim miraculum [o] est, cum de caeco fit videns, ita hic quasi cum de persecutore fit apostolus.

2. Ad secundum dicendum quod dicuntur esse 'plus miraculo' [p], hoc est quia illa mira sunt circa res nobiliores: vita enim gratiae nobilior et excellentior est vita naturae, quae ab ea perficitur. Unde Augustinus, *Super Genesim,* IX [12]: « Habet Deus in se ipso absconditas quorumdam factorum [q] causas, quas rebus conditis non inseruit, easque [r] implet, non illo opere providentiae quo naturas substituit ut sint, sed illo quo eas administrat, ut voluerit, qui condidit. Ibi est et [s] gratia, per quam salvi fiunt peccatores. Nam quod attinet ad naturam iniqua [t] sua voluntate depravatam, recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam, qua adiuvatur et instauratur. Neque enim desperandi sunt homines in illa sententia, in qua scriptum est [13]: *Omnes, qui ambulant in ea, non revertentur.* Dictum est enim secundum pondus iniquitatis suae, ut qui revertitur, non sibi tribuat, sed gratiae Dei, *non* [u] *ex operibus,* ne forte extollatur [14]. Propterea [v] *mysterium* gratiae huius [x] Apostolus *absconditum* dixit [15], non in mundo, in quo sunt absconditae causales rationes omnium rerum naturaliter oriturarum, sicut absconditus erat Levi in lumbis Abrahae, quando et ipse decimatus est [16], sed *in Deo, qui universa creavit* [y] [17]. Quam ob rem omnia, etiam quae ad hanc gratiam significandam non naturali motu rerum, sed mirabiliter facta sunt, eorum etiam absconditae causae in Deo fuerant ».

---

[a] VTL *autem.* [b] Z *perit,* item infra. [c] V *propolitum,* C *politum,* L *litum.* [d] V add. *et.* [e] ST om. *p. i.,* R exp.; Z *in iuventute* pro *p. i.*; V add. *ut.* [f] LCZ om., in R est add. interl. [g] VST *terminavit.* [h] C *operatione.* [i] C *miraculosa.* [k] R om. [l] ST *sit,* RLCZ *sic esset.* [m] V *miracula.* [n] LZ add. *et.* [o] S om. *s. e. m.* [p] V *miracula.* [q] VST *sanctorum.* [r] S *easdem.* [s] RC om. [t] RLCZ *iniquam.* [u] RLZ om., in C est add. interl.; T *nature* pro *ne.* [v] R *propter.* [x] RLCZ *eius.* [y] Z add. *et.*

1 Cf. Num. 17, 8.
2 Cf. Gen. 21, 2; Luc. 1, 36.
3 Cf. Num. 22, 28.
4 Cf. S. Bonav., IV *Sent.,* d. 17, p. 1, dub. 3 (IV, 433).
5 Sequentia et argumenta 1-2 verbotenus occurrunt ap. Phil. Grev., *Summa,* II (f. 90b); argum. *a* ibidem ad sensum.
6 Lombardi, in h. l. (PL 192, 188).
7 Psalm. 88, 6.
8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 820), ex Augustino, in h. l. (PL 37, 1123), ubi et sequens.
9 Cf. supra, p. 279a.
10 *Sermo* 169, c. 11, n. 13 (PL 38, 923).
11 Cf. infra, num. 232, *Solutio.*
12 Cap. 18, nn. 33-34 (PL 34, 406 sq.).
13 Prov. 2, 19.
14 Cf. Ephes. 2, 9.
15 Cf. Ephes. 3, 9.
16 Cf. Hebr. 7, 9-10.
17 Cf. Ephes. 3, 9.

ARTICULUS V. 229

Utrum ratio miraculi conveniat operi glorificationis vel resurrectionis.

Quaeritur [1] iterum de opere glorificationis vel resurrectionis, utrum sit miraculosum.

Et videtur quod sit secundum naturam, 1. per hoc [a] quod dicitur super illud [2]: *Posuerunt mortalia servorum* etc. [b] Glossa [3]: « Quasi quidquam eorum resurrectioni deperiret, cum ille ex occultis naturae sinibus totum redintegret ».

Quod autem sit miraculosum, videtur 2. ex praedicta auctoritate Anselmi [4].

3. Et praeterea [c], resurrectio terminatur ad vitam iteratam, non secundum cursum naturae, sed supra; quare erit miraculosa.

Contra: *a.* Sua species est quasi in infinitum nobilior specie quae sit [d] secundum naturam, scilicet claritas corporis, non similiter est in miraculis [e]; species autem quantum ad actum videndi non est melius in eo qui illuminatur.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod resurrectio nec est naturalis, quia non operatur ibi natura, nec miraculosa, quia non fit contra consuetum cursum naturae — cum natura sit possibilis et ex congruo disposita ad vitam gloriosam et immortalem [f] ex ordinatione quam habet corpus ad animam rationalem — sed est mirabilis, id est supra naturam, et est ad complementum.

[Ad obiecta]: 2. Nec concludit ex auctoritate Anselmi nisi quod sit mirabilis; mirabile autem commune est ad id quod est supra naturam et contra naturam.

1. Ad illud quod obicitur quod sit [g] naturalis per hoc quod dicit Glossa quod « ex naturae sinibus » etc.: dicendum quod 'ex' non dicit ibi aliquam rationem causae efficientis, sed materiae possibilis sive dispositae ex congruentia ad resurrectionem ex ordinatione quam habet corpus ad animam rationalem, et ideo non dicitur aliquo modo naturalis.

3. Ad hoc quod obicitur quod 'est [h] miraculosa, quia terminatur ad vitam iteratam non secundum cursum naturae': dicendum quod proprie iteratio vitae illius non est contra solitum cursum naturae [i], quia non iteratur vita mortalis, sed gloriosa, quae est completio naturae; operatio autem miraculosa terminatur ad aliquem actum conformem naturae.

CAPUT III. 230

UTRUM ALIQUID FIAT A DEO CONTRA NATURAM [5].

Consequenter quaeritur ratione eius quod dicitur quod miraculum est 'contra naturam', I. utrum aliquid fiat a Deo contra naturam [k].

Et videtur quod non 1. per illud quod habetur super illud ad Eph. 3,9: *Quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo,* Glossa [6]: « Nec contra causas, quas Deus voluntarie instituit, voluntate mutabili [l] aliquid facit ».

2. Item, super illud Rom. 11,24: *Contra naturam insertus es in bonam olivam,* Glossa [7]: « Deus, creator et conditor omnium naturarum, nihil facit contra naturam ».

Contra: *a.* Super illud [m] II Cor. 12,11-12: *Etsi nihil sim* [n], *tamen signa apostolatus mei* [o] *facta sunt super vos in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus,* Glossa [8]: « Signa et prodigia sunt in iis quae contra naturam fiunt, virtus in iis quae non contra naturam, ut per impositionem manus et orationem hominem a morbo liberare ».

b. Item, super illud Rom. 11,24: *Contra naturam insertus es in bonam olivam,* Glossa [9]: « Dicitur humano more '*contra naturam*' quod est contra naturae cursum mortalibus notum, sicut est illud ut surculus fructus radicis ferat. Id enim *contra naturam* dicit Apostolus, quod est contra consuetudinem naturae quam notitia humana comprehendit ».

---

[a] Ita V, alii *illud.* [b] C om. [c] Z add. *nature.* [d] Ita V, alii *fit.* [e] VS *mirabilis;* S om. *in.* [f] V *immortalitatem.* [g] S om. [h] RLCZ om. [i] C om. *dicendum... naturae.* [k] R om. *utrum... naturam,* in C est add. interl. [l] T *mirabili.* [m] R om. *s. i.* [n] V *simus.* [o] Ita Z (corr.), alii *apostoli* pro *a. m.*

[1] Sequentia et argumenta 1-3 verbotenus occurrunt ap. Phil. Grev., *Summa,* II (f. 89cd). [2] Psalm. 78, 2.

[3] Lombardi, in h. l. (PL 191, 753), ex Augustino, in h. l. (PL 36, 1043). [4] Cf. supra, p. 282, n. 2.

[5] In hoc capite omnia verbotenus occurrunt ap. Phil. Grev., *Summa,* II (f. 90a-b) usque ad *obedientiam creatura* (p. 286b). Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 152; S. Bonav., II *Sent.,* d. 36, a. 3, q. 3, *ad 3* (II, 853).

[6] Lombardi, in h. l. (PL 192, 190), ex Augustino, *De Gen. ad litt.,* IX, c. 18, n. 34 (PL 34, 407).

[7] Lombardi, in h. l. (PL 191, 1488), ex Augustino, *Contra Faust.,* XXVI, c. 3 (PL 42, 480).

[8] *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 568), et Lombardi, in h. l. (PL 192, 86).

[9] Lombardi, in h. l. (PL 191, 1488), ubi et sequens, ex Augustino, *Contra Faustum,* XXVI, c. 3 (PL 42, 480sq.).

c. Item, in eadem [a] Glossa: « Non incongrue dicitur Deus aliquid facere contra naturam, quando facit contra id quod novimus in natura. Hanc enim appellamus cognitum nobis cursum solitumque naturae, contra quem cum Deus aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur ».

II. Item, cum de ratione miraculi [b] sit fieri contra naturam, quaeritur utrum quidquid fit [c] contra naturam sit miraculum.

Quod si dicatur – contra: monstra enim fiunt contra naturam, et tamen non sunt miracula [d].

Et est responsio I. 1. quod natura dicitur multipliciter. Dicitur enim quandoque naturalis cursus hominibus notus, ut in praedicta auctoritate dicitur [1]: « Humano more » etc. Quandoque dicitur natura possibilitas quaedam naturae, quam dedit ei Deus ut ex ea sit quod ipse vult, et sic accipitur in Glossa super illud ad [e] Rom. 11,24: « *Contra naturam insertus es* etc., Glossa [2]: « Id naturae est cuique rei quod de ea Deus facit, a quo omnis modus, numerus et ordo naturae »; et II *Sententiarum*, 18 [3]: « Dedit autem Deus naturis ut ex eis hoc fieri posset, non ut motu naturali haberent », et ponit exemplum de virga arida et de costa. Quandoque [f] dicitur natura summa lex naturae, scilicet ipse Deus, super illud ad Rom. 11,24: *Contra naturam insertus es* [g] *in bonam olivam*, Glossa [4]: « Contra illam summam naturae legem a notitia remotam sive impiorum sive infirmorum tam Deus nullo modo facit quam contra se ipsum non facit ». — Sic ergo patet quod, secundum quod accipitur ultimo modo, nihil contra naturam facit. Similiter nec secundum quod modo medio, quia id naturae est in re quod de ea hoc possit facere. Secundum autem primum modum dicitur facere contra [h] naturam; unde illud [5]: « Non incongrue dicitur facere Deus contra naturam, quando facit contra id quod novimus in natura » etc.

II. Ad aliud respondeo quod monstra non sunt miracula, licet fiant contra naturam secundum quod errat in opere suo [i]: unde, licet sint contra naturam, tamen a natura sunt per errorem naturae. Miracula autem ab alio principio fiunt quam sit natura, scilicet a superiori et [k] prima natura, cui debet obedientiam creatura.

III. Quaeritur [6] an sit differentia inter facere contra naturam et praeter et supra, et si est, quae sit [7].

a. Quandoque enim invenimus aliqua fieri praeter naturam, ut 18 dist. II libri *Sententiarum*, cap. *Omnium rerum* [8], ubi dicitur: « Super [l] hunc naturalem cursum habet apud se de omnibus posse facere » etc.; alia vero praeter naturam, quorum causae sunt in Deo, ut ad [m] Eph. 3,9, super illud: *Quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo*, Glossa [9]: « Sic causae omnium, quae ad Christi adventum praenuntiandum in rerum natura praeter usitatum cursum mirabiliter facta sunt, in Deo sunt » etc. Quandoque dicitur aliquid fieri contra naturam, ad Rom. 11,24: *Contra naturam insertus es in bonam olivam*, Glossa [10]: « Dicitur humano more fieri contra naturam » etc. Ergo aliqua differentia dicitur esse inter fieri contra naturam et praeter et supra.

Contra: 1. Illa [n], de quibus ponit exemplum quod fiunt contra naturam, sunt illa quae dicuntur fieri contra naturam et supra [o] naturam; ergo nulla est differentia.

Respondeo: Quandoque accipitur 'praeter' pro 'contra' et 'supra' [p], ut in praedictis, et sic nulla est differentia. Quandoque ita distinguuntur haec nomina, quod diversa sunt. Verbi gratia [q], opus incarnationis dicitur proprie supra naturam, sed non proprie contra, quia illud quod dicitur fieri contra naturam, currit contrario cursu [r] cursui naturae, ut quod caecus visum recipiat: cursus enim naturae est ut de privatione ad habitum non fiat regressus [11], contra cursum est ut fiat; istud autem, scilicet Deum fieri hominem, non est tale. Praeter naturam autem dicuntur proprie fieri quae habent aliquid simile in ordine naturae et habent aliquam convenientiam in natura et aliquam differentiam: vegetabilia enim ordinantur ad [s] sensibilia et habent continuationem, secundum Philosophum [12], ut in porcelio [13] [t] et in ave quae de arbore nascitur [14], quod continuare dicitur

---

[a] RLC *eodem*. [b] V *mirabilis*. [c] RLCZ *sit*. [d] V *mirabilia*. [e] RLCZ om. [f] C add. *autem*; R om. *de*. [g] S *eis*. [h] R *secundum*. [i] S om. [k] T om. [l] L *supra*. [m] V om. [n] Ita V, alli add. *autem*. [o] RLC *super*. [p] RLCZ *super*. [q] STZ om., L add. *ut*. [r] V om.; T om. *cursui*. [s] Ita V, alii *ante*. [t] V *porcero*, S *porce* (sequit. lacuna), TLZ *porceto*, R *porcello*, C *procervo*.

1 Cf. supra, p. 285, nota 9.
2 Cf. supra, p. 285, nota 7.
3 Lombard., c. 6 (p. 391).
4 Loc. cit.
5 Cf. supra, sub litt. *c*.
6 Sequentia usque ad *proposito casu* (p. 287b) verbotenus occurrunt ap. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 90cd).
7 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 154.
8 Lombard., c. 6 (p. 391).
9 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Augustino, *De Gen. ad litt.*, IX, c. 18, n. 35 (PL 34, 407 sq.).
10 Cf. supra, p. 285, nota 9.
11 Cf. Aristot., *De categor.*, c. 8 (I, 20).
12 Cf. *De partib. animal.*, IV, c. 5 (II, 281).
13 Species ostrei, quod movetur « a loco suo et habet simile radicibus ex quibus crescit ex terra ». Cf. Albert. M., *De animal.*, V, tr. 2, c. 2, n. 66 (ed. Stadler, in *Beiträge Baeumker*, XV, p. 436).
14 Alludit ad anatem nigram, gallice *macreuse*, de qua iam tunc famosa erat legenda; cf. Vincent. Belvac., *Specul. natur.*, XVI, c. 40 (ed. Duaci 1624, col. 1181).

animalia et vegetabilia: secundum enim quod haeret saxo [a] et non vivit si separetur, habet [b] commune cum vegetabili quod non vivit separatum a terra; secundum quod motum habet retrahendi et exeundi, cum animalibus. Fit ergo progressus de vegetabili ad sensibile et non e converso. Quod ergo de virgis facti sunt serpentes, videtur esse de iis quae fiunt praeter naturam proprie, et non contra; fieri autem de serpente virgam non est simile, sed est omnino contra naturam. Unde Exod. 7 de mutatione virgarum in serpentes, Glossa Augustini [1]: « Insunt rebus corporeis per omnia elementa mundi quaedam occultae seminariae rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, prorumpunt in species debitas suis modis et finibus. Nec dicuntur, qui faciunt, animalium creatores, sicut nec agricolae segetum vel arborum vel huiusmodi, quamvis praebeant quasdam visibiles opportunitates et causas nascendi ». Illud igitur in quo iuvant [c] seminales rationes, licet per aliquid aliud excitentur, non dicitur [d] fieri contra naturam, sed praeter, ut in proposito casu.

CAPUT IV.

DE CAUSIS MIRACULI.

Sequitur de causis miraculi [e]:
Primo, de causa finali;
secundo, de [f] efficiente;
tertio, de materiali;
quarto, de formali sive de modo.

ARTICULUS I. 231

De causa finali miraculi [2].

Circa primum quaeritur ad quid sit miraculum. Arguitur autem quod non sit ad aliquem finem secundum naturam, cum sit opus supra naturam: quare finis erit supra naturam; omne autem opus supra naturam, cum sit Dei tantum, erit aut ad demonstrationem divinae potentiae aut sapientiae aut bonitatis principaliter: haec enim trinitas est secundum quam res procedit a Deo.

Et videtur [g] 1. quod ostendant principaliter potentiam. Dicitur enim in Glossa, super illud Psalmi *Exaltabo te, Domine Deus meus* [h] *Rex*, ibi [3]: *Ut notam faciant filiis* [i] *hominum potentiam tuam*, Glossa [4]: « Nota facta [k] est potentia, quando Apostoli virtutes fecerunt ». — Ad idem I Cor. 1, 22: *Iudaei signa quaerunt*, Glossa [5]: « Signa potentiae ».

2. Quod autem sint ad ostensionem [l] sapientiae, videtur. Dicit enim Augustinus [6], super [m] opera sex dierum: « Non potentia temeraria, sed sapientiae virtute omnipotens est, et hoc de unaquaque re suo tempore facit, quod ante [n] in ea fecit ut possit ». Ex hoc accipitur quod principaliter ostendant virtutem [o] sapientiae.

3. Quod autem ostendant [p] virtutem bonitatis, ostenditur ex Glossa super illud [7]: *Mirabilia testimonia tua*, Glossa [8]: « Perhibent testimonium Deo bonitatis et magnitudinis caelum et terra et omnia visibilia opera; quare si quaedam [q] mortalibus usu viluerunt, sunt tamen admiratione digna ».

Quod autem sint principaliter ad fidem in nobis confirmandam sive imprimendam, videtur *a.* ex Glossa super illud *Confitebor tibi* [r] *in toto corde meo*, ibi [9]: *Ut det illis hereditatem gentium*, Glossa [10]: « Haec fuit intentio miraculorum quae Christus fecit, ut crederent gentes ». — Item, Col. 1, 29, in fine: *In quo laboro et certo secundum operationem qua operatur in me cum virtute*, Glossa [11]: « Miraculorum, id est certo contra perfidos adiuvantibus me signis virtutum »; et post: « Laboribus meo adiungit miracula ad confirmationem ».

[Solutio]: Ad quod dicendum quod utilitas miraculorum quoad hominem fuit ad fidem adstruendam [12]. Per ea enim quae erant supra naturam et contra cursum naturae solitum oportuit fidem confirmari, quae est de iis quae sunt supra intelligentiam, ut sic apud sensibiles homines per

---

[a] V *habet sensum* pro *h. s.*; RLC *adheret* pro *h. s.*; RLC *adheret* pro *haeret*. [b] C add. *esse*. [c] C *vivant*. [d] Codd. *dicuntur*. [e] Z *mirabilis*. [f] T om. [g] LC *videntur*, quod RZ corr. [h] V om.; R om. *ibi*. [i] RL *filii*. [k] V om. *G. n. f.* [l] V add. *potentie*. [m] V add. *omnia*. [n] LZ *autem*; S om. *quod*, in mg. *quando*. [o] SL *virtute*. [p] R *ostendat*. [q] R *quodam*, quod L corr. [r] C om.

1 *In Heptat.*, II, q. 21 (PL 34, 602).
2 Omnia quae sequuntur in art. 1-3 verbotenus occurrunt ap. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 90d-91b et 93ab). Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 7, a. 2, q. 3 (II, 203) et III *Sent.*, d. 1, a. 2, q. 2, *ad 3* (III, 26).
3 Psalm. 144, 12.
4 Haymonis, in h. l. (PL 116, 691).
5 *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran.
6 *De Gen. ad litt.*, IX, c. 17, n. 32 (PL 34, 406).
7 Psalm. 118, 129.
8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1108), ex Augustino, *Enarr. in Psalm. 118*, sermo 27, n. 1 (PL 37, 1580).
9 Psalm. 110, 7.
10 Lombardi, in h. l. (PL 191, 100b).
11 Lombardi, in h. l. (PL 192, 268), ubi et sequens.
12 Cf. infra, num. 242.

id quod viderent, fieret manuductio intelligentiae ad ea quae videntur rationi solitae obviare, et [a] miraculo, quod videret exterior oculus fieri supra naturam, excitaretur interior oculus, scilicet intellectus, ad comprehendendum ea quae sunt supra rationem; et cum utentes intellectu intelligerent haec fieri virtute divina, extenderent intellectum suum ad maiora, quae scilicet pertinent ad articulos fidei, ut crederent scilicet ea virtute divina esse facta. Sed, cum miracula sint ad hanc utilitatem hominis, principaliter et primo sunt ad ostensionem virtuosae sapientiae. Sicut enim opera creationis et gubernationis ostendunt magnitudinem potentiae, ita opera miraculosa demonstrant, cum creaturis sit insita potentia obedientiae, quid, ex quo et ad quid et quando faciendum est: quod ad sapientiam pertinet. Sicut [b] enim dicimus hominem sapientem, qui novit occultas naturas reducere in actum, ita Deum summe sapientem dicimus, qui novit occultissimam potentiam obedientiae ratione finis optati in actum reducere. Licet ergo ostendatur potentia vel bonitas, hoc non est principaliter, sed quoad dispositionem in finem bonitas, quoad potentiam materialem potentia, quoad utrumque insimul coordinatum [c] notatur sapientia: et in [d] hoc dicitur miraculum. Potest ergo sic definiri miraculum ex parte rei: Miraculum est opus occultas naturas in actum reducens ad ostensionem sapientiae virtuosae.

232

ARTICULUS II.

De causa efficiente miraculi [1].

Secundo quaeritur de causa efficiente. Quaeritur ergo utrum haec opera sint solius Creatoris an Creatoris simul et creaturae.

Et videtur quod sint creaturae et non tantum Creatoris. 1. I Cor. 12, 10: *Aliis datur operatio virtutum,* Glossa [2]: « Miraculorum ».

2. Item, Augustinus, in libro *83 Quaestionum,* quaest. 80 [3]: « Aliter magi faciunt miracula, aliter boni christiani, aliter mali; magi per privatos contractus, boni christiani per publicam iustitiam, mali per signa publicae iustitiae ». Si ergo istis convenit facere miracula [e], non soli Deo conveniet, sed et aliis saltem ministerio.

3. Item, Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [4]: « Probabiliter creditur, sicut illud semen, cui est promissum, dispositum est in manu Mediatoris per angelos, sic omnia, quae ad ipsius seminis adventum annuntiandum vel praenuntiandum [f] in rerum natura praeter cursum naturae solitum mirabiliter facta sunt, ministrantibus angelis esse facta ». Ergo angelis convenit cooperari operationi miraculorum saltem ministrando; non ergo soli Deo convenit facere miracula.

Contra: *a.* Anselmus [g], in libro *De conceptu virginali* [5]: « Mirabilis cursus est supra voluntatem et naturam creaturae et de iis quae solus Deus facit ».

[Solutio]: Ad quod dicendum quod miracula ministerio fieri dupliciter potest dici. Facere enim Deum aliquo ministrante potest intelligi ita ut ille ministrans sit medius [h] inter Deum facientem et factum, sicut movens motum medium est inter primum movens et ultimum motum: ut, cum Deus operatur per liberum arbitrium motum vel per naturam aliquam, movens ipsa ad faciendum aliquid [i] tunc natura vel liberum arbitrium sunt sicut moventia mota inter Deum facientem et factum; et hoc modo dicimus nos [k] quod nunquam fiunt miracula [l] ministerio: et sic intelligitur auctoritas Anselmi. Alio modo potest dici miraculum fieri ministerio, non ut ministri intelligantur medii, scilicet [m] motores, sed ut intelligantur sicut praeparatorii vel disponentes ad hoc ut miraculum fiat, non ut intelligatur dispositio media inter Deum et miraculum quod debet fieri; sed sicut possemus dicere quod aliquis sanctus rogat Dominum et Dominus, precibus eius inclinatus, facit quod ipse petit, vel aliquis etiam malus christianus invocat nomen Domini et Dominus facit ob reverentiam nominis sui, vel aliquid huiusmodi, et sic bene fiunt miracula ministerio, sed illud ministerium non facit mediationem nec tollit immediationem Dei facientis et miraculi [n] facti: et sic loquitur auctoritas Augustini. Quod autem hic determinatur, debet intelligi in miraculis omnino subito factis, quae plene [o] dicenda sunt miracula, sicut infra [6] patebit ex distinctione modorum faciendi miracula, quia in multis miraculis angeli cooperantur disponendo sive praeparando materiam fiendi [p] miraculi.

---

[a] L om. [b] V *sic.* [c] V *coordinata;* T *notat,* LC *vocatur* pro *notatur.* [d] Z om. [e] Z add. *mala.* [f] Codd. *pronunciandum.* [g] S *Augustinus.* [h] RZ *medium.* [i] Ita V, alii *aliqua et.* [k] Z om. [l] V *mirabilia.* [m] L om. [n] LZ add. *et.* [o] RLCZ *plane.* [p] T *faciendi.*

[1] Cf. S. Bonav., IV *Sent.,* d. 5, a. 3, q. 1, *ad 6* et d. 10, p. 2, dub. 2, et d. 43, a. 1, q. 6, *ad 6* (IV, 129, 238, 895).

[2] *Interlin.,* in h. l., ap. Lyran.

[3] Quaest. 79, n. 4 (PL 40, 92).

[4] Lib. IX, c. 18, n. 35 (PL 34, 407 sq.).

[5] Cap. 11 (PL 158, 446), ad sensum.

[6] Cf. infra, p. 298b, II.

ARTICULUS III. 233

De causa materiali miraculi [1].

Deinde quaeritur de causa materiali miraculi utrum de omni re possit fieri miraculum vel mirabile.

Quod videtur: *a.* Quia de corpore Christi fit miraculum vel mirabile, ut quod sit in pluribus altaribus; similiter de humana natura, quod unita est divinae. Cum ergo fiat de iis [a] mirabile vel miraculum [b], multo fortius de inferioribus creaturis, cum magis sint transmutabiles; ergo de omni re potest fieri miraculum vel mirabile.

b. Item, obedientia est in omni re respectu Creatoris, et secundum hoc currit mirabile; ergo [c] etc.

Contra: 1. Ministerio angelorum fiunt mirabilia vel miracula; ergo in angelis non fiunt ista; similiter videtur idem in animabus; ergo tantum in corporalibus videntur fieri miracula vel mirabilia.

2. Praeterea, in materia est transmutatio formarum secundum naturam ratione obedientiae materiae; cum ergo miraculum fiat contra naturam, non dicitur contra obedientiam creaturae, sed contra [d] solitum cursum quo natura operatur [2]; ergo non fit miraculum vel mirabile ex omni re, quia non ex materia.

Respondeo quod aliud est de mirabili et aliud de miraculo. Mirabile autem potest fieri in omni creatura ab Omnipotente: aliquid enim [e] potest fieri supra virtutem creaturae in creatura ab ipso Creatore. Miraculum autem dicitur contra solitum cursum naturae corporalis: ibi enim fit a superna virtute aliquid contra solitum cursum naturae. Unde miraculum non potest esse de omni re.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc [f] vero quod obicitur quod in angelis non fiunt miracula, concedendum est, cum sint ministri in rebus corporalibus aliquibus, per quos dispositio fit ad miracula.

2. Ad secundum vero dicendum quod aliud est fieri contra naturam quae dicitur materia et aliud contra naturam quae dicitur forma, secundum quod est principium motus et status; miraculum enim fit contra naturam quae dicitur forma, non contra naturam quae est materia primitus ordinata, possibilis ad formas quae sunt cursu naturae et quae sunt cursu mirabili.

ARTICULUS IV. 234

De causa formali miraculi.

Sequitur de causa formali, scilicet quibus [3] modis fiat multiplicatio miraculorum.

Ad quod dicendum quod miraculum fit aut cum transmutatione [g] formarum substantialium [h] aut sine transmutatione substantialium. Si cum [i] transmutatione substantialium [k], quae non invenitur in rerum natura, alia [l] tunc erit secundum quod de costa facta est mulier, Gen. 2, 22, de uxore Loth statua salis, Gen. 19, 26, de virgis serpentes, Exod. 7, 10-12. Si sine transmutatione substantialium, tunc erit aut per modum eductionis, ut de petra aqua, Num. 20, 11, mel et oleum, Deuter. 32, 13; aut per modum multiplicationis, ut in quinque panibus, Ioan. 6, 9-13, et in oleo Elisei, IV Reg. 4, 2-7; aut fit ex hoc, non quia ex hoc fieri sit semper [m] miraculum, sed quia fieri ex hoc sine medio sit miraculum, ut quod Dominus mutavit aquam in vinum, Ioan. 2, 3-10: constat enim quod aqua per multa media in vitibus convertitur in vinum, et habetur in Glossa [4] Ioan. 2; aut quia ex hoc secundum aliquem novum modum, ut quod panis mutatur in corpus Christi, mutatis substantialibus, manentibus accidentalibus, et in hoc duplex miraculum. Aut attenditur miraculum secundum ordinem, cum contrarius ordo inveniatur in natura, et hoc aut facta transmutatione substantialium aut sine. Si facta transmutatione, tunc est sicut serpentes redierunt in virgas, quia vegetabilia sunt quasi materialia ad animalia [5]. Si sine transmutatione, tunc fit aut in simpliciter ente, et tunc fit sicut quando [n] sol reversus est decem lineis, Isai. 38, 8; aut in vegetabili, ut in arida virga quae floruit, Num. 17, 8; aut in animali, ut quando de caeco fit videns et surdus audiens et tandem quod mortuus suscitatur; aut quia nunc [o], et hoc respicit tempus, ut in tenebris quae factae sunt in passione Domini [6], quia tunc factae sunt, cum non solent fieri secundum cursum naturae.

---

[a] Ita V, alii om. *f. d. t.* [b] RLCZ add. *sit incarnatio qua fit unio hec.* [c] T om. [d] Ita V, alii om.; C om. *cursum.* [e] V *tamen*, ST *cum*; L om. *fieri.* [f] V *id.* [g] Ita V, L *per transmutationem*, alii *secundum transmutationem* pro *c. t.* [h] ST *transubstantialium.* [i] ST *sicut* pro *s. c.* [k] V om. *s. c. t. s.* [l] Ita V, RLCZ *et*, ST om. [m] Z om. [n] Z add. *sicut*, quod L exp. [o] V *unus.*

1 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 42, a. 1, q. 3 *ad 1* (I, 755).
2 Cf. supra, num. 230.
3 Sequentia usque ad finem huius articuli verbotenus occurrunt ap. Phil. Grev., *Summa*, II (f. 93ab).
4 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Augustino, *In Ioan.*, tr. 9, n. 1 (PL 35, 1458).
5 Cf. supra, p. 286, nota 12.
6 Cf. Matth. 27, 45.

CAPUT V.

DE RATIONIBUS SECUNDUM QUAS FIUNT MIRACULA [1].

Deinde quaeritur de rationibus secundum quas habent fieri miracula. Quaerit enim [a] Augustinus [2] an ratio, quam Deus primis operibus concreavit [b], id haberet ut secundum ipsam ex viri latere fieri feminam necesse foret.

Quaeritur ergo [c] utrum idem sit ratio naturalis et seminalis vel non;

similiter utrum seminalis et [d] causalis;

et utrum primordiales sint in rebus sive in Deo;

item, quot sunt genera [e] rationum.

235 ARTICULUS I.

Utrum idem sit ratio naturalis et seminalis.

Quod ratio naturalis et seminalis idem sint [f], videtur 1. per hoc quod dicit Augustinus, *Super Genesim* [3]. Dicit enim [g] quod « omnis iste usitatissimus naturae cursus habet quasdam naturales leges, secundum quas spiritus vitae, qui creatus est, habet quosdam appetitus determinatos; super hunc autem cursum naturalem potestas Creatoris habet apud se posse de omnibus iis facere aliud quam eorum quasi [h] seminales rationes habent ». Et ita videtur idem dicere naturalem rationem et seminalem.

2. Item, nonne naturalis ratio est cum ex grano producitur granum vel cum ex herba spica? et haec est seminalis; ergo idem [i] videntur esse.

Contra: *a.* Augustinus, IV *Super Genesim* [4]: « Hoc, quod nunc temporalibus intervallis ea moveri videmus ad peragenda ea quae suo generi competunt, ex illis insitis rationibus venit quas tamquam seminaliter sparsit [k] Deus in actu condendi, cum *dixit et facta sunt* [5] ». Videtur ergo dicere quod seminales sunt illae quae sunt conditae in operibus sex dierum, et ex illis sunt deductae naturales.

[**Solutio**]: Ad quod videtur dicendum quod seminalis ratio videtur dici dupliciter, secundum quod dicit Augustinus, VI *Super Genesim* [6]: « Aliter in [l] rebus, quae secundum causas simul creatas, non [m] iam simul, sed suo tempore creantur, sicut foenum est exortum; aliter in seminibus, in quibus rursus primordiales causae repetuntur de rebus ductae, quae secundum causas, quas [n] primo condidit, extiterant [o], velut herba ex terra, semen ex herba ». Unde bis tangitur in principio Geneseos. Primo [p] enim dicitur [7]: *Protulit terra herbam virentem et facientem semen iuxta genus suum;* deinde dicitur 2 [q], 4-5: *Istae sunt generationes caeli et terrae, in die qua fecit Deus caelum et terram et omne* [r] *virgultum agri, antequam oriretur in terra, et omne* [s] *virgultum regionis, priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus super terram, et homo non erat qui operaretur terram* etc. [t] Videtur enim dicere duplicem seminalem rationem: unam, secundum quam primo fiebant; aliam, secundum quam nunc fiunt, et haec dicitur naturalis.

236 ARTICULUS II.

Utrum idem sit ratio seminalis et causalis.

Deinde quaeritur utrum idem sit seminalis et causalis.

Quod [u] videtur 1. per hoc quod dicit Augustinus, *Super Genesim*, IV [8]: « Ex illis insitis rationibus, quas tamquam seminaliter sparsit ».

2. Item, Augustinus [9]: « Omnium rerum causas, quae corporaliter visibiliterque nascuntur [v], occulta quaedam semina in corporeis huius mundi elementis latent, quae Deus originaliter eis indidit ». Et post sequitur: « Incrementa et formarum distinctiones ab originalibus, ut ita dicam,

---

[a] V *autem.* [b] V *communicavit.* [c] R om. [d] C *vel.* [e] S *in genere.* [f] Ita VT, alii om. [g] V om. [h] VST *quod.* [i] T om. [k] LC *semper sit.* [l] S om. [m] T add. *autem;* VS *duo* pro *suo.* [n] L om., Z *que.* [o] Z *excitarent.* [p] V add. *ibi.* [q] Ita Z, alii *sexto.* [r] Ita LC (corr.) Z, alii *omnem.* [s] Z *omnem.* [t] RLC om.; Z om. *t. e.* [u] C *et.* [v] L *noscuntur.*

[1] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 153; S. Bonav., II *Sent.*, d. 18, a. 1, qq. 2 et 3 (II, 434sqq.).
[2] Cf. *De Gen. ad litt.*, IX, c. 18, n. 34 (PL 34, 407).
[3] Lib. IX, c. 17, n. 32 (PL 34, 406).
[4] Cap. 33, n. 51 (PL 34, 318).
[5] Psalm. 32, 9.
[6] Cap. 10, n. 17 (PL 34, 346).
[7] Gen. 1, 12.
[8] Cap. 33, n. 51 (PL 34, 318).
[9] Cf. *De Trinit.*, III, c. 8, n. 13 (PL 42, 875sq.), ubi et sequens; *De Gen. ad litt.*, IX, c. 17, n. 32 (PL 34, 406).

regulis ». Sed quid aliud sunt originales regulae [a] nisi causales rationes? Ergo idem sunt causales rationes et seminales.

Contra: *a.* Rationes seminales non sunt ad facienda miracula; sed causales rationes sunt ad facienda miracula [b]; ergo non est idem ratio seminalis et causalis.

[Solutio]: Ad quod dicendum [c] quod proprie sumendo non est idem ratio causalis et seminalis; large autem sumendo 'causalem' omnis seminalis est causalis, sed non omnis causalis ratio est seminalis. Unde proprie facta distinctione possumus dicere quod naturalis ratio refertur ad formam, ut quod granum ex grano et ita de aliis, seminalis vero ad materiam dispositam, ut quod [d] fit ex putrefactione dicitur ex [e] ratione seminali esse, sicut ranae et huiusmodi res [f] fiunt ex seminalibus rationibus quae sunt in elementis nec tamen [g] dicuntur ex naturalibus proprie dictis, sed communiter; causalis vero ad efficientem, et dicitur esse in Deo, qui est causa efficiens ad ea quae mirabiliter producuntur ab ipso.

ARTICULUS III. 237

Utrum rationes causales primordiales sint in rebus aut tantum in Deo.

Deinde quaeritur utrum causales rationes sive primordiales sint in rebus primo conditis ab ipso [h] aut tantum in Deo.

Et videtur quod in rebus: *a.* Quia [i], *Super Genesim,* VI [1]: « Quaeri merito potest, causales illae [k] rationes, quas mundo indidit, cum primum simul omnia creavit, quomodo sunt institutae? » Ergo videtur quod causales rationes sint in mundo, id est in primis operibus conditis.

Contra: 1. Augustinus, *Super Genesim,* VI [2]: « Habet in se quasdam quorumdam factorum causas absconditas in se ipso, quas rebus creatis non inseruit ». Ergo sunt absconditae causales rationes in Deo, non in rebus.

[Solutio]: Ad hoc videtur dicendum quod dicuntur causales rationes duobus modis. Uno modo communiter, et sic causalis ratio dicitur eorum quae fiunt a Deo mediante natura. Unde dicit Augustinus, in eodem libro [3]: « *Mysterium* gratiae *absconditum* dixit [l] in mundo [4], in quo sunt absconditae rationes causales omnium rerum naturaliter oriturarum ». Si vero [m] causalis ratio approprietur, dicitur [n] esse in Deo respectu eorum quae sunt [o] supra naturam, non mediante opere naturae.

ARTICULUS IV. 238

Quot sunt genera rationum [5].

Deinde quaeritur quot sunt genera rationum.

Ad quod potest responderi per hoc quod elicitur ex verbis B. [p] Augustini, *Super Genesim* [6]. Dicit enim sic: « Aliter in Verbo Dei [q] sunt, ubi ista non facta, sed aeterna [r] sunt »; et secundum hoc dicuntur incommutabiles rationes, prout dicitur, *Super Genesim,* VI [7]: « Aliter se habent omnium rerum incommutabiles rationes in [s] Verbo Dei, aliter opera a quibus die septimo requievit [t], aliter ista quae ex illis operatur ». Item [8], « aliter sunt in elementis mundi, ubi omnia simul facta futura [u] sunt »; et secundum hoc videtur esse ratio causalis sive primordialis in mundo indita. « Aliter in rebus, quae secundum causas simul creatas, non iam simul, sed suo tempore quaeque creantur [v], sicut foenum fuit primo exortum », et secundum hoc videtur dici [x] seminalis vel materialis. « Aliter in seminibus, in quibus rursus quasi primordiales causae repetuntur de rebus ductae, quae [y] secundum causas, quas condidit, extiterant [z], sicut quod herba est ex terra, semen ex herba ». Ex hoc uno modo dicitur naturalis, alio modo seminalis: ratione materiae aptatae, seminalis; ratione naturae agentis, naturalis.

---

[a] Codd. *naturae.* [b] C om. *sed... miracula.* [c] T add. *est.* [d] V add. *bene.* [e] V *eiusdem.* [f] C add. interl. *que;* RC *ut* pro *sicut.* [g] T add. *etiam.* [h] V *a Deo* pro *a. i.* [i] RLCZ om. [k] S om. [l] SL *dixerit.* [m] S *ergo.* [n] S om. [o] V *fiunt;* R *ope* pro *opere.* [p] RLCZ om. [q] T *dicta.* [r] RLCZ add. *facta.* [s] V om. [t] L *quievit.* [u] V om. [v] RLCZ *quecumque causantur* pro *q. c.* [x] R om. [y] Z *que.* [z] Ita Z (corr.), alii *quas secundum causas condidit* pro *quae... extiterant.*

1 Augustin., cap. 14, n. 25 (PL 34, 349).
2 Potius IX, c. 18, n. 33 (PL 34, 406).
3 *De Gen. ad litt.,* IX, c. 18, n. 34 (PL 34, 407).
4 Cf. Col. 1, 26.
5 Cf. supra, num. 235, *Solutio.*
6 Lib. VI, c. 10, n. 17 (PL 34, 346).
7 Cf. cap. 5, nn. 7, 8 (PL 34, 342).
8 Cf. nota 6, ubi et sequentia.

239 ARTICULUS V.

Utrum rationes inditae sint rebus a principio creationis [1].

Deinde quaeritur utrum inditae sint [a] rationes a principio creationis, non solum ad opera quae fiunt secundum cursum naturae, sed etiam ad miraculosa, et utrum eadem sit possibilitas in specie ad omnia opera.

I. *a.* Creavit enim Deus in sex diebus perfectas res quoad genus et quoad speciem; ergo a principio erant [b] potentiae in specie determinatae [c] ad omnia fienda; ergo possibilitas ad opera [d] miraculosa erat [e] a principio creata.

Quod autem non sit [f], **videtur 1.** per hoc quod, si esset possibilitas, secundum eam esset potentia ad actum; cum ergo non sit possibile — sicut habetur I Cor. 1, 20, ubi dicitur quod [g] *stultam fecit Deus sapientiam huius mundi,* Glossa [2]: « Hanc stultam fecit Deus declarando esse possibile et faciendo quod illa impossibile iudicat » — non [h] erit illa potentia sive possibilitas a principio in materia.

2. Praeterea, dicit Damascenus, in principio III libri [3]: « Post assensum Virginis *Spiritus Sanctus supervenit* super ipsam secundum Domini sermonem quem *dixit angelus* [4], purgans ipsam [i] et virtutem tribuens susceptivam divini Verbi simul autem et generativam ». Ex quo relinquitur quod potentia ad opera miraculosa non fuit [k] a principio in materia. Si enim sic esset, quare non diceremus de virgis quod [l] possunt fieri serpentes et e converso?

Item, quod sint potentiae a [m] **principio ad opera miraculosa, videtur** *b.* per hoc quod dicit Augustinus, in *Hexaëmeron,* VI libro [5]: « Si in illis primis rerum causis, quas primitus Creator rerum instituit, non tantum posuit quod de limo erat formaturus hominem, sed quemadmodum facturus, utrum in matris utero an in forma iuvenili, procul dubio sic factum est ut illic praefixerat: neque enim contra suam dispositionem factum est. Si autem vim posuit ibi possibilitatis ut homo fieret, ut sic et sic fieri posset, ipsum autem modum quo facturus erat sibi [n] reservavit in sua voluntate, non in mundi constitutione contexuit, manifestum est non esse [factum] hominem contra illam rationem quae erat in prima rerum conditione, quia erat ibi sic fieri posse, quamvis non erat necesse sic fieri vel esse ». Ex quo relinquitur quod in materia est possibilitas ad opera miraculosa sive mirabilia.

II. Quod si est, aut ergo erat [a] eadem potentia ad haec opera et ad alia [b] quae sunt secundum cursum naturae aut alia.

Et videtur quod alia: 1. Quia [c] non est eadem potentia secundum naturam ad opera contraria naturae vel ad contrarium actum vel ad contrarium ordinem naturae; sed actus miraculosus est contrarii ordinis in fieri ordini naturae; ergo non est eadem potentia.

Quod autem sit eadem potentia, videtur *a.* per hoc quod dicit Augustinus [6]: Sunt causae seminales, « quas Deus mundo indidit, cum omnia primo creavit », et hae quaerunt tempus aptum et sunt ad naturalia. Sunt etiam causales sine temporis determinatione, sicut « Adam factus est in virili aetate [d] sine ullo progressu incrementorum », et hae sunt ad miracula. Verumtamen an causae tam ad miracula facienda [e] quam ad naturalia sint similiter rebus [f] insitae a principio, an causae ad miracula de novo factae sint in rebus, quaerit ibi Augustinus [7], et [g] dicit Augustinus quod « restat ut ad utrumque modum habiles sint creatae, sive ad istum quo usitatissime res discurrunt sive ad illum quo tanta miracula fiunt, sicut Deo placuit facere ». Ex quo relinquitur quod eadem possibilitas [h] ad haec opera et etiam ad illa fuit [i] in materia.

Solutio: Dicendum [k 8] quod potentia obedientiae ad omnia opera divina [l], sive mediante natura [m] principio sive [n] voluntate creaturae sive immediate creata, est a principio et est eadem potentia obedientiae ad omnia opera [o], sed non est potentia in eodem gradu ad haec opera et ad alia, sed ad alia [p] dicitur potentia in secundo gradu vel in tertio [q], ad opera vero miraculosa possibilitas tantum. Sed non sequitur quod potentia

---

[a] Ita V, alii *sunt.* [b] L *erat.* [c] LZ *determinare.* [d] V *omnia.* [e] V *erant.* [f] VR *sic.* [g] V om. [h] Z add. interl. *igitur.* [i] VST om. *p. i.* [k] Codd. *sunt.* [l] RLCZ om. [m] Ita V, alii *in.* [n] R *igitur.*
[a] Ita V, alii om. [b] RLCZ *illa.* [c] LCZ *quod;* V om. *est.* [d] V *virilitate* pro *v. a.* [e] Z *faciendi.* [f] V om. [g] RLCZ om. [h] VS *potestas;* T om. *opera.* [i] Ita V, alii *sunt.* [k] RLCZ add. *est.* [l] S *divine;* VL *sine* pro *sive.* [m] LC add. *sive,* quod RZ exp. [n] LZ *sine.* [o] C add. *divina.* [p] V *illa.* [q] R add. *gradu.*

[1] Totus hic articulus verbotenus occurrit ap. Philip. Grev., *Summa,* II (f. 92b-d).

[2] Lombardi, in h. l. (PL 191, 1543). Cf. Haymo, in h. l. (PL 117, 516).

[3] *De fide orthod.,* III, c. 2 (PG 94, 986).

[4] Cf. Luc. 1, 35.

[5] *De Gen. ad litt.,* VI, c. 15, n. 26 (PL 34, 350).

[6] Cf. *De Gen. ad litt.,* VI, c. 14 (PL 34, 349).

[7] Loc. cit.

[8] Respondet ad I et II.

sit ad actum, quia illa possibilitas est secundum obedientiam creaturae, de qua Deus potest facere quod vult, et est possibilitas passiva.

[Ad obiecta]: I. 2. Ad id vero quod obicitur de Ioanne Damasceno quod [a] 'potentia data est Virgini susceptiva et generativa, ergo prius non habebat': respondeo quod prius non habebat huiusmodi potentiam [b], sed tamen habebat possibilitatem modo quo iam [c] dictum est [1], ut de ipsa et in ipsa hoc faceret Deus. Potentia autem, quae data est, dicitur potentia aptata [d].

1. Et sic intelligendum est verbum illud [2] quod 'Deus de impossibili fecit possibile', id est de eo quod erat impossibile simpliciter, fecit possibile secundum potentiam aptatam. Et sic solvitur quod obici solet: 'de impossibili fecit possibile'. Aut enim loquitur de impossibili secundum naturam superiorem aut secundum naturam inferiorem: non superiorem, quia *nihil ei* [e] *impossibile* [3]; si de impossibili secundum naturam inferiorem, ergo de impossibili secundum naturam inferiorem [f] fecit possibile secundum naturam inferiorem; ergo hoc est factum possibile secundum naturam inferiorem et adhuc est possibile secundum huiusmodi naturam. Et dicendum est quod de impossibili simpliciter et ita secundum naturam aptatam fecit possibile secundum potentiam aptatam. Est enim potentia activa et est potentia susceptiva et est potentia aptata et [g] non aptata [h], et potentia activa est tam naturae inferioris quam superioris [i], susceptiva autem tantum naturae inferioris. Et verum est quod quidquid est Deo possibile secundum potentiam activam, est naturae possibile, non simpliciter, sed secundum potentiam susceptivam, et haec est dicta possibilitas, sed non secundum activam potentiam [k] nec secundum aptatam [4].

Et [l] per hoc patet solutio ad sequens, scilicet quod haec concedenda non est 'de virgis possunt fieri serpentes'; nec valet 'Deus de virgis potest facere serpentes etc., ergo' etc.; eodem modo 'de hac costa potest fieri mulier', nisi intelligatur quasi determinata comparatione principii, cuius est ratio causalis, scilicet Dei [m], ut cum dicitur 'pluit' vel 'tonat', determinatum intelligitur suppositum. Et hoc posset dici per auctoritatem Augustini, II *Sententiarum*, 18 [n], ibi: *Omnis cursus naturae* [5] etc., in fine: « Non habuit prima rerum conditio ut femina sic fieret, sed ut fieri posset », scilicet a Deo.

II. 1. Ad aliud quod dicitur quod 'non eadem est potentia per naturam ad actum naturae et ad contrarium actum naturae': respondeo quod potentia secundum naturam, ut est ratio seminalis et naturalis, est [o] tantum ad actum secundum naturam; ad illum autem actum qui est contra naturam non est per modum activae potentiae, sed per modum susceptivae, et ille actus fit in natura secundum rationem causalem, non secundum naturalem vel seminalem. Unde dicit Augustinus, in II *Sententiarum*, 18, ibi: *Omnium igitur rerum causae* [6] etc.: « Dedit Deus [p] naturis ut ex iis fieri possent, non ut naturali motu haberent ».

a. Ad id quod obicitur quod dicit Augustinus: « Restat ut ad utrumque habiles sint creatae », dicendum quod 'habiles' ibi large accipitur, id est possibiles, quia in se non sunt habiles nisi ad actum qui est secundum naturam.

CAPUT VI.

DE IMPETRATIONE MIRACULORUM.

ARTICULUS I. 240

Secundum motum cuius virtutis dicuntur impetrari miracula [7].

Deinde quaeritur cuius virtutis sit impetrare miracula.

Et videtur 1. quod secundum motum spei: Sicut enim dictum est supra [8] in definitione miraculi, « miraculum est aliquid arduum et insolitum, supra facultatem existens admirantis »; sed spes est in arduum; ergo secundum motum spei elicitur opus miraculosum. — Praeterea, spei est erigi ad ea quae sunt magnitudinis divinae; sed miracula proprie respiciunt magnitudinem divinam; ergo motus spei videtur maxime praeparatorius [q]

---

[a] V *que*. [b] L *impotentiam*. [c] R om. [d] V *apta*. [e] C *est*. [f] V om. *ergo... inferiorem*. [g] Z add. *potentia*. [h] R om. *e. n. a.*, in L est add. mg [i] Z om., L om. *autem*. [k] V om. [l] Ita VS, alii om. [m] VS *fidei* pro *s. D.*; Z om. *at*. [n] Z add. interl. *distinctione*. [o] Codd. *sunt*. [p] C add. *in*. [q] Z *speratorius*.

1 Cf. supra, in *Solutione*.
2 Cf. supra, p. 292a, n. 1.
3 Cf. Luc. 1, 37.
4 Cf. Alex. Hal., *Summa*, I, n. 151-153.
5 Lombard., II *Sent.*, d. 18, c. 6 (p. 391 sq.), ex Augustino, *De Gen. ad litt.*, IX, c. 17, n. 32 (PL 34, 406).
6 Loc. cit.
7 Totus hic articulus verbotenus occurrit ap. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 91bc). Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 7, p. 2, a. 2, q. 2, *ad 6* (II, 203); III *Sent.*, d. 27, a. 2, q. 1, *ad 4* (III, 604).
8 Cf. supra, num. 224.

ad opus miraculosum eliciendum. — Item, hoc idem videtur per illud Rom. 4,18: *Qui contra spem in spem credidit* etc., Glossa[1]: « Contra spem priorem secundum naturam in spem gratiae ex Dei potentia ».

2. Quod autem caritatis, videtur per hoc quod ob mutuam caritatem Dei et hominum factus est Filius Dei homo; hoc autem miraculum super omnia miracula [a]: caritas enim, sicut dicit Augustinus[2], traxit Christum de caelo ad terras; restat ergo [b] quod motus caritatis est principalis ut consequatur opus miraculosum.

Quod autem sit motus fidei, videtur *a.* per illud Matth. 9,22: *Confide, filia;* et Marc. 9,22: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti;* et Matth. 17,18: *Quare non potuimus eicere eum? Dicit eis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Transfer te, et transferet se.*

b. Item, hoc probatur per B. Virginem, Luc. 1,45: *Beata, quae credidisti;* Glossa[3]: « Apparet Mariam non dubitasse, sed credidisse, et ideo fructum consecutam esse ».

c. Item, per Saram, ad Hebr. 11,11: *Fide Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit* [c]; Glossa[4]: « Prius quidem risit, sed ex gaudio, nondum [d] tamen plena fide, sed post verbum angeli in fide solidata fuit ».

d. Item, per oppositum idem probatur, scilicet [e] per dubitationem Zachariae, super illud Luc. 1,18: *Quomodo fiet istud?* Glossa[5]: « Cur non fiunt mutae Sara et Maria sicut Zacharias? Sed Sara et Maria non dubitant faciendum quod promittitur, sed modum requirunt; Zacharias, qui negat se scire, negat se credere, ideo accepit signum tacendi, quia *signa non fidelibus, sed infidelibus*[6] fiunt; unde Matth. 17,16: *Generatio incredula* » etc.

[Solutio]: Ad quod dicendum [f] quod motus fidei principaliter est praeparatorius ad esse miraculorum, tamquam dispositio inclinans Deum ad huiusmodi opus, non quod Deus indigeat dispositione, sed nos respectu ipsius. Ratio autem videtur esse, quia per fidem homo, gratia cooperante, de se ipso facit quasi miracula, dum intelligentia super se et super omnes rationes per fidem elevatur.

[Ad obiecta]: 1-2. Quod autem obicitur [g] de motu spei vel caritatis, dicendum est quod illi [h] possunt esse cooperantes ut magis fiat vel efficacius.

241 ARTICULUS II.

Secundum quem articulum fiat miraculum[7].

Deinde quaeritur secundum quem [i] articulum fiat miraculum.

Videtur quod secundum illum qui est de omnipotentia, *a.* per verba illa quibus est usus angelus ad B. Virginem, Luc. 1,37: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum;* et ad Abraham, Gen. 18,14: *Numquid quidquam erit Deo difficile?* et in Psalmo 113,3: *Omnia quaecumque voluit fecit;* et ad Rom. 9,19: *Voluntati eius quis* [k] *resistet?*

b. Item, super illud Rom. 4,19: *Non consideravit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Sarae;* Glossa[8]: « Non sine causa haec et [l] alia contra naturam fecit Deus. Ideo enim talia fecit ut errorem auferret et se omnipotentem Deum omnium demonstraret. Aliqui enim inflati ratione mundi Deum neglexerunt; ideo quae mundo impossibilia sunt, Deus fecit, ut qui per haec crederent, salvarentur, Dei dominio mancipati ».

Sed videtur 1. quod potius ad articulum [m] incarnationis: Quia dicebant Apostoli, Act. 3,6: *In nomine Iesu Nazareni* etc.; et Marc. ultimo, 17: *In nomine meo daemonia eicient* etc.

2. Item, quia non est plena fides nisi haec, et pertinet ad plenam fidem; unde Hebr. 11,6: *Oportet accedentem credere* etc., Glossa[9]: « Sine hac fide nullus unquam potuit salvari, tamen [n] haec non sufficit ad salutem ».

3. Sed iterum videtur quod ad Spiritum Sanctum: Quia digitus Dei est, de quo magi, deficientes in tertio signo, dixerunt[10], Exod. 8,19: *Digitus Dei est hic;* et [o] Matth. 11,9: *Si in* [p] *digito Dei eicio daemonia;* et Luc. 11,20: *Si Spiritu Dei eicio daemonia.*

---

[a] T *mirabilia.* [b] Z *autem.* [c] R *accipit.* [d] C *non.* [e] S *id est.* [f] V add. *est.* [g] V *dicitur* pro *a. o.* [h] VS *ipsi.* [i] S om. [k] T *qui.* [l] V om. [m] V add *fidei.* [n] T *quando.* [o] Z om. [p] LC om., in R est add. interl.

1 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1375). Cf. Haymo, in h. l. (PL 117, 399).
2 Cf. *Enarr. in Psalm.* 122 (PL 37, 1630).
3 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
4 Lombardi, in h. l. (PL 192, 492).
5 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
6 I Cor. 14, 22.
7 Totus hic articulus verbotenus occurrit ap. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 92ab).
8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1377), ex Ambrosio, in h. l. (PL, 17, 87).
9 Lombardi, in h. l. (PL 192, 491).
10 Cf. Beda, *In Exod.*, 8, 19 (PL 91, 302); Rabanus, in h. l. (PL 108, 33); *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 207).

Solutio: Dicendum quod actus fidei ad faciendum miraculum principaliter respicit articulum de omnipotentia et primo qui primus occurrit in Symbolo: « Credo in Deum Patrem omnipotentem ».

[Ad obiecta]: 1. Ad id autem [a] quod Dominus dicit in Marc. ultimo, 17: *In nomine meo daemonia eicient* etc., et Apostoli similiter dicebant[1]: *In nomine Iesu* etc., dicendum [b] hoc esse ut manifestaretur fides, non solum Creatoris, sed [c] Redemptoris, quod maxime necessarium erat in Ecclesia primitiva; articulus etiam omnipotentiae est, quo credito facile consequitur fides aliorum, ut I [d] Cor. 14, 22, super illud: *Linguae sunt in signum, non fidelibus, sed infidelibus,* Glossa[2]: « Qui credunt omnia posse Deum ».

2. Ad aliud respondeo quod in opere miraculi est invenire quod pertinet ad totam Trinitatem. Nam efficientia pertinet ad Patris potentiam; modus faciendi, quod scilicet sapienter et ex occultis causis et huiusmodi, ad Filii sapientiam; dispositio in finem, ut quod fit [e] propter aliquam utilitatem, ad Spiritus Sancti bonitatem. Principalis tamen et primus respectus est ad omnipotentiam, quae appropriatur Patri.

3. Ad illud quod obicitur de Spiritu Sancto [f], qui est *digitus,* respondeo quod hoc non intelligebant magi, quia non noverunt [g] philosophi[3] nisi τὸ ἀγαθὸν et νοῦν, de Spiritu Sancto nihil noverunt, Act. 19, 2: *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus;* sed est sensus: *Digitus Dei hic est,* id est manifeste apparet quod opus Dei est [h]: digito enim demonstratio fit et manifestatio designatur.

ARTICULUS III. 242

An miracula fiant ad inducendam fidem[4].

Quaeritur iterum I. an [i] miracula fiant ad inducendam fidem.

Quod videtur *a.* per illud I Cor. 14, 22: *Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus:* [non] fidelibus, qui credunt omnia posse Deum, sed infidelibus « novitate miraculi ad fidem movendis[5] »; et per illud quod habetur super Psalmum[6]: *Ut det illis hereditatem gentium,* Glossa[7]: « Haec fuit intentio miraculorum quae Christus fecit, ut crederent gentes ».

Contra: 1. Col. 1, 29: *Certo* etc., Glossa[8]: « *Certo* contra perfidos adiuvantibus me signis virtutum, »; et post: « Labori meo adiungit Deus miracula ad confirmationem ». Ergo non tantum sunt ad inducendam fidem.

2. Praeterea, sicut non valet fides inducta rationibus et persuasa, ita non videtur valere inducta per miracula, quia humanus sensus, id est visus, praebet experimentum; sed « fides non habet meritum, cui humana ratio, id est humanus sensus [k], praebet experimentum[9] », sicut habetur super illud Hebr. 10, 20: *Per velamen* [l], *id est carnem suam;* et Ioan. 20, 29: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti* etc.; item, Ioan. 4, 48: *Nisi videritis signa et prodigia, non creditis,* Glossa[10]: « Infidelitas eius arguitur non credentis quod absens posset [m] curare, cum Deitas ubique sit, et e contrario laudatur centurio, Matth. 8, 8: *Dic tantum verbo, et sanabitur puer meus;* unde Dominus dixit[11]: *Non inveni tantam fidem in Israel* ».

Solutio: Dicendum [n] quod miraculum valet [o] ad utrumque, ita tamen quod non sit per modum medii, ut rationes ad inferendam [p] conclusionem, quia nullum medium intervenire debet nisi prima Veritas, cui propter se creditur. Tamen miracula possunt valere per modum dispositionis praeparativae ad introducendam [q] fidem, ut seta introducit filum: quae dispositiones sunt in aestimativa [r] tantum; sed fides immediate habet coniungi cum prima Veritate. Et hoc est quod dicit Richardus de S. Victore[12]: « Innumera miracula in iis quae [nonnisi] divinitus fieri possunt nobis fidem faciunt et dubitare non sinunt; utimur in eorum attestatione sive confirmatione signis pro argumentis, prodigiis pro experimentis. Utinam attenderent Iudaei, adverterent pagani cum quanta conscientiae securitate pro hac parte ad divinum

---

[a] C om. [b] Ita V, alii add. *est.* [c] V *et.* [d] Ita VR, alii add. *ad.* [e] VST *fuit,* L *sit.* [f] L om. [g] V *intellexerunt.* [h] R om. [i] L *utrum* pro *l. a.* [k] R *non* pro *l. e. h. s.* [l] L *revelamen.* [m] SR *possit.* [n] Ita V, alii add. *est.* [o] S *videt,* quod L corr. [p] V *infirmandam.* [q] R *inducendam.* [r] V *effectiva.*

1 Act. 3, 6 et 4, 10.

2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1168).

3 Cf. Alex. Hal., *Summa,* I, num. 10; Augustin., *In Heptat.,* II, n. 25 (PL 34, 604); Didym., *De Trinit.,* II, c. 27 et *De Spiritu Sancto,* n. 2 (PG 39, 759, 1034).

4 Cf. supra, num. 231. Sequentia usque ad *fieri possunt* (p. 296a) verbotenus occurrunt ap. Philip. Grev., *Summa,* II (f. 91cd).

5 *Glossa interlin.,* in h. l., ap. Lyran. Cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 1668).

6 Psalm. 110, 7.

7 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1006).

8 Lombardi, in h. l. (PL 192, 268), ubi et sequens.

9 Cf. Gregorius, *In Evang.,* hom. 26, n. 1 (PL 76, 1197).

10 Cf. *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 376).

11 Matth. 8, 10.

12 *De Trinit.,* I, c. 2 (PL 196, 891).

iudicium poterimus accedere! Nonne cum omni fiducia Deo poterimus dicere: Domine, si error est, a te ipso [a] decepti sumus? Nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae non nisi a te fieri possunt ».

II. Sed [1] iterum quaeritur an hoc pertineat ad fidem informem vel virtutem.

Et videtur quod non ad informem: 1. Quia *fides sine operibus* non solum infirma [b] est, sed *mortua,* ut habetur Iac. 2, 20 et [c] I Cor. 13, 2: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum.*

[Solutio]: Et dicendum quod non exigitur quod sit virtus. Quod probatur per illud [d] quod habetur Matth. 7, 22: *Multi dicent in illa die: Domine, nonne in nomine tuo daemonia eiecimus* [e]? etc., Glossa [2]: « Monet ne a talibus decipiantur, putantes ibi esse invisibilem sapientiam, ubi est visibile [f] miraculum ». Simile est in sacramento Baptismi, ubi sacerdos tamquam minister non facit nisi praeparationem quantum ad exteriora, sed solus Deus operatur quod est interius, scilicet remissionem culpae et impressionem caracteris; ibi autem non requiritur quantum ad substantiam sacramenti dignitas et bonitas [g] sacerdotis, quia aeque ministratur per indignum sicut per dignum. Eodem modo hic et in omnibus aliis quae sunt opera Dei. Et per hoc apparet quod opus Dei est et non hominis; homo autem invocat Dei virtutem in fide, licet non virtute, et Dominus operatur; et haec invocatio non est nisi quaedam praeparatio [h] sive praeparativa dispositio, et ideo non est magnum illi, licet magnum in se sit, quia opus Dei. Unde ibidem Glossa [3]: « Ecce non magni est virtutes operari ».

MEMBRUM II.

De miraculis magorum.

Sequitur quaestio de miraculis magorum et praestigiis [i]. Quaeritur ergo:

Primo, utrum facta sint secundum veritatem aut secundum [k] phantasiam;

secundo, utrum virtute humana vel aliqua superhumana, sicut divina vel angelica [l];

tertio, si secundum phantasiam, utrum in illa delusione esset immutatio virtutis cognoscitivae interioris vel exterioris vel cuius [m] alterius rei.

243

CAPUT I.

UTRUM MIRACULA MAGORUM FACTA SINT SECUNDUM VERITATEM [4].

Circa primum videtur I. quod illa miracula fuerunt secundum veritatem. *a.* Dicit enim Glossa Strabi, super illud Exod. 7, 11: *Vocavit Pharao sapientes,* quod daemones discurrunt per mundum et colligunt diversa semina, et ex eorum aptatione possunt prorumpere diversae species. Et haec sunt verba Glossae [5]: « Dum per incantationem daemonum malefici aliquid efficere conantur [n], discurrunt per mundum et semina subito eorum, de quibus hoc agitur, afferunt, sicque [o] ex illis, permittente Deo, novas species rerum producunt ». Si ergo secundum [p] ministerium daemonum operabantur magi, videtur quod [q] veritas fuerit in operationibus [r] illis.

b. Praeterea, dicitur Exod. 7, 10 quod cum proiecisset Aaron virgam, *versa est in colubrum,* et postea sequitur quod *fecerunt* [s] magi *per incantationes* suas *similiter;* si ergo mutatio virgae Aaron vera mutatio fuit in colubrum, et mutatio virgae magorum in dracones vera mutatio fuit, aut diceretur falso [t] quod [u] *similiter.*

c. Praeterea, ibidem [6] dicitur quod *devoravit virga Aaron virgas eorum.* Si ergo devorare [v] non convenit nisi vere [x] animato, videtur quod non fuerit phantasia sola [y] in mutatione virgarum magorum.

Contra: 1. Tempore Antichristi maior erit potestas diaboli quam nunc sit: tunc enim *solvetur* ipse, sicut dicitur Apoc. 20, 7, et etiam II Thessal. 2, 9, quod adventus Antichristi erit *secundum*

---

[a] T *poterimus decipi vel.* [b] V *informa.* [c] VST om. [d] V *hoc,* T *se.* [e] TZ *eiciemus.* [f] V *risibile.* [g] Z om. *e. b.* [h] Z *operatio.* [i] V *prestigiorum;* R add. *et.* [k] S om. [l] LRCZ *divinam vel angelicam* pro *d. v. a.* [m] V *unus;* S om. *e. v.* [n] T *teneatur.* [o] VS *sic.* [p] L om. [q] L om. *v. q.* [r] LC *operibus.* [s] L *ferunt.* [t] LR *ratio;* V *secundum diceretur* pro *d. f.* [u] C add. *non.* [v] Ita V, alii *devorari.* [x] Ita V, alii *vero.* [y] LCZ *solum.*

[1] Totus hic num. II verbotenus occurrit ap. Philip. Grev., *Summa,* II (f. 91d-92a).
[2] *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 111).
[3] Paschas., in h. l. (PL 120, 327).
[4] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 7, p. 2, a. 2, q. 2 (II, 200 sqq.).
[5] *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 203).
[6] Exod. 7, 12.

operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis[a]*;* sed tunc signa Satanae[b] fallacia erunt, et non vera, et hoc patet per hoc quod ibi dicitur '*signis et prodigiis mendacibus*'. Et etiam dicit[c] Augustinus, in libro *De civitate Dei*[1]: « Tunc *solvetur* ille Satanas et per illum Antichristum *in omni virtute,* licet mirabiliter, tamen mendaciter operabitur, et mortales sensus per mendacia decepturus ». Ex quo apparet quod mendaciter operabuntur daemones; sed constat quod per[d] virtutem Satanae operabantur magi — hoc enim appellat Augustinus « per privatos contractus », in libro *83 Quaestionum*[e] [2] — ergo maxime modo[f] non sunt miracula illa nisi phantastica.

2. Item, super illud Exod. 7, 11: *Vocavit Pharao sapientes,* in principio illius Glossae quae supra obiecta est[3], dicit[g] Strabus: « Sciendum[h] quod diabolicis figmentis spectantium oculos deludebant, ut res in sua natura manentes aliud viderentur[i] ». Ex quo videtur quod phantastica tantum erant illa miracula.

II. Item, quaeritur, cum magi ex virgis fecerunt serpentes, ministerio daemonum colligentes semina, utrum illud debuit dici miraculum.

Et videtur quod sic: 1. Si enim ex pluvia sive aqua naturaliter fiat vinum per putrefactionem in stipite, ponamus ita, tamen cum Deus subito de aqua fecit vinum, miraculum dicitur, Ioan. 2, 11; ergo[k] similiter, etsi naturalis esset ordo ut ex virgis illis magorum per appositionem seminum, per successionem temporum operante natura, tamen cum id subito factum est, videtur miraculum fuisse, saltem quantum ad modum faciendi: non enim videtur posse natura ad faciendum mutationem illam in non perspecto tempore; dicitur enim ibi[4] quod *versa est* virga Moysi *in colubrum* et statim subditur quod magi *fecerunt similiter* nec aliqua mora temporis legitur intercessisse in eorum operationibus.

Sed contra: *a.* Miracula sola[l] dicuntur illa quae contra naturam vel contra solitum cursum naturae fiunt; sed haec non fuerunt contra naturam facta[m]; ergo non fuerunt dicenda miracula. — Quod autem non fuerunt contra naturam facta, patet per auctoritatem Augustini, in libro *De mirabilibus Sacrae Scripturae*[5], ubi dicit: « Omnium eorum quae Deus fecit per Moysen et Aaron, nihil contra naturam factum est: ranae enim de aquis et sciniphes de pulvere oriuntur ».

b. Praeterea, in eodem libro[6] dicitur quod « aqua in sanguinem non contra naturam versa est, sed[n] quod in aliis rebus Deo iubente per tempus fieret, protinus efficitur ».

Solutio: I. Mutatio virgae Aaron in serpentem vere fuit facta, similiter et mutatio virgarum magorum in dracones vere facta est, et non phantastice tantum, sive[o] collectione seminum sive aliter, secundum quod vult Augustinus[7]. Et multum innititur Augustinus[8] illi verbo quod dicitur, quod[p] *devoravit virga Aaron* etc.; devoratio enim respectu phantasticorum tantum proprie non diceretur. Sed tamen obicit Augustinus contra se ipsum: si enim veri[q] fuerint dracones, quare ergo non dicit: *Devoravit virga Aaron* dracones *eorum,* immo dicit *virgas*? Ex hoc enim magis videtur quod fuerint phantastici dracones. Quod si diceretur, tunc etiam ipse contra obicit, quoniam si propter istud verbum diceretur quod non fuerint veri[r] dracones, eodem modo posset dici quod virga Moysi non est mutata in verum colubrum: dicitur enim quod *devoravit virga virgas;* et ideo concludit in fine quod istud dictum fuit materialiter et finaliter, quia videlicet ex virga Moysi factus est serpens sive coluber et in virgam rediit: unde et initialiter[s] et finaliter fuit virga; virgae similiter magorum mutatae sunt in dracones: unde initialiter[t] et materialiter potuerunt dici virgae. Utrum autem redierunt dracones in virgas, hoc non definimus; tamen si non redierint, potest exponi illud: *Devoravit virga Aaron virgas eorum,* id est abstulit eis potestatem redeundi in virgas, quia etsi aliquo modo esset ordo naturalis ut ex virgis fierent serpentes, non tamen erat[u] ordo naturalis in potestate daemonum ad regressum e converso, ut dracones redirent in virgas[9].

Dicimus[v] tamen quod in illis miraculis fuit mendacium. Sed, cum[x] in mendacio intelligantur haec duo, scilicet falsitas cum[y] intentione fallendi, non fuit ibi mendacium quantum ad falsitatem, sed quantum ad intentionem fallendi. Videbatur enim, et hoc forte etiam intendebant ipsi, quod[z]

---

[a] Z add. *sed tunc signa Satane in omni virtute et signis et prodigiis,* quod L exp. [b] RC add. *in omni virtute et signis et prodigiis;* VST *falsa* pro *fallacia.* [c] Ita V, alii om. [d] S om. [e] R om. [f] V om. [g] LRC add. *enim.* [h] Z add. *est.* [i] Z add. mg. *quam essent.* [k] RLCZ add. *et.* [l] T om. [m] Ita V, alii om. [n] VST *secundum;* RC *quid* pro *quod;* R om. *rebus.* [o] R *et non.* [p] R *et.* [q] R *vere.* [r] C om. [s] V *materialiter* pro *u. e. i.* [t] V *finaliter.* [u] S om. [v] T *dico.* [x] VS *si tamen* pro *s. c.*; T *tamen.* [y] VS om., in T est add. interl. [z] C *qui;* TCZ om. *etiam.*

1 Lib. XX, c. 19, n. 4 (PL 41, 687).
2 Quaest. 79, n. 4 (PL 40, 92).
3 Cf. supra, p. 296, nota 4.
4 Exod. 7, 10.
5 Lib. I, c. 19 (inter opp. Augustini PL 35, 2165).
6 Lib. I, c. 18 (PL 35, 2165).
7 Cf. *De Trinit.,* III, cc. 7, 8, 9 (PL 42, 875 sq); *In Heptat.,* II, q. 21 (PL 34, 602); *83 Quaest.,* q. 79, nn. 1 et 4 (PL 40, 90 sq.).
8 *In Heptat.,* II, q. 21 (PL 34, 602).
9 Cf. supra, p. 286, *Respondeo.*

opera sua iubente Domino procederent sicut et opera Moysi [1].

[Ad obiecta]: 1. Et quantum ad hoc erit mendacium in omnibus signis Antichristi: intendet enim decipere homines per miracula sua et facere credere non-divinum esse divinum. Et quantum ad hoc dicuntur [a] signa illa esse mendacia, II Thessal. 2, 9, et sic intelligitur quod dicit Augustinus quod « mendaciter operabitur ». Nihilominus tamen suberit veritas in miraculis eius aliquando [b] ex parte rei et aliquando falsitas; et propter hoc bene dicit Apostolus quod *in omni virtute* erit operatio Satanae in ipso tum [c] per immutationem veram, tum per illusionem solam.

2. Ad illud autem quod [d] obicitur de Glossa Strabi dicimus quod non dicit illud assertive, sed magis secundum opinionem vel quasi ex [e] argumento; et hoc patet ex eo quod ipse disiungit illam opinionem ab alia opinione [f] Augustini, quae dicit quod vera fuit mutatio: unde dicit quod « sic fuit vel sic ». Argumentum vero forte sumpsit ab eo quod dicebatur post quod *devoravit virga virgas,* et non dracones: diaboli enim non faciunt nisi quatenus permittuntur a Deo. Unde Augustinus [g], *De civitate Dei* [2]: « Sicut mali homines in terra, sic illi », scilicet daemones, « non omnia quae volunt, facere possunt nisi quantum illius ordinatione sinuntur, cuius iudicia plene nemo comprehendit, iuste nemo reprehendit ». Strabus autem forte non credebat quod hoc esset eis permissum, immo esset phantasticum tantum, sed hoc non credimus. In toto enim Exodo nihil legitur de huiusmodi phantasia, immo Exod. 8, 19 legitur quod, cum non possent [h] magi educere sciniphes, tunc dixerunt: *Digitus Dei est hic;* et ita cum non ante fecerint, credimus [i] magis cum Augustino quod ipsi vere fecerint serpentes et ranas quam illusorie tantum.

Ex iis potest videri differentia bonorum miraculorum et malorum. Mala enim miracula semper ad deceptionem sunt [k] et ad subversionem videntium; bona vero miracula dico quae [l], etsi fiant sive « per publicam iustitiam » sive « per signa publicae iustitiae [3] », sunt ad eruditionem Ecclesiae et credentium. Unde super illud Marci ultimo, 17: *Signa eos qui crediderint* etc., Glossa [4]: « Haec in exordio necessaria [m] fuerunt ut fides miraculis nutriretur, fide autem Ecclesiae iam confirmata, non sunt necessaria ». Est etiam [n] alia differentia inter haec et illa miracula, quoniam bona miracula omnia, quae in Veteri Lege facta sunt, signa fuerunt alicuius miraculi sive mirabilis fiendi in adventu [o] Christi, sicut sacramenta Veteris Legis signa fuerunt veritatis futurae in tempore gratiae — et hoc dicit Glossa [5] super illud Psalmi [6]: *Declaratio sermonum tuorum illuminat* [p] etc. — mala vero miracula nullius boni futuri [q] signa fuerunt secundum quod huiusmodi.

II. Quod [r] quaeritur postea utrum illa opera magorum [s] miracula dicenda sunt vel non: dicimus [t] quod miracula possunt dici quantum ad rem factam vel quantum ad modum faciendi solum. Quantum ad rem factam, et non solum [u] quantum ad modum faciendi, dicitur miraculum, quando suscipiens nullum ordinem naturalem habet ad suscipiendum, ut cum caecus fit videns vel cum virgo manens virgo parit. Quantum ad modum faciendi tantum et non quantum ad rem factam dicitur miraculum, cum id quod mutatur in alterum, habebat quemdam ordinem naturalem ad illud, etsi non posset fieri mutatio illa secundum naturam in tam parva mora sicut fit per miraculum, ut cum ex aqua fit vinum vel ex virgis serpentes: erat enim aquae possibilitas quaedam secundum naturam ut per temporis spatia posset mutari in vinum, et in virgis similiter ut possent mutari in serpentes temporis dilatione. Et sic loquuntur auctoritates Augustini, *De mirabilibus Sacrae Scripturae* [7], quod nihil eorum quae Deus fecit per Moysen et [v] Aaron contra naturam factum est, id est non [x] contra possibilitatem naturae quodammodo ordinatae ad illa, sed quantum ad modum faciendi, videlicet ut « protinus fiat quod per naturam fieret successive ». Sed adhuc iste modus faciendi dupliciter potest esse. Potest enim fieri subito, id est in instanti, et sic fit a divina virtute: et tunc est dicendum miraculum; vel potest fieri repente, id est in [y] tempore, sed quasi imperceptibili: et hoc modo revera non est miraculum dicendum sicut reliquum vel praecedens, sed mirabile tantum. Verumtamen, quia non possumus distinguere quando huiusmodi fiunt repente vel subito, ideo confundimus nomen miraculi ad utraque, ut dicamus tum haec quae fiunt repente, tum illa

---

[a] Z *dicentur,* quod L corr. [b] T om. [c] Ita RLC, alii *tamen,* item infra; T *Christo* pro *ipso.* [d] Ita V, alii *quod autem* pro *A. i. a. q.* [e] S om. [f] VST om. *a. a. o.* [g] T add. *in libro.* [h] T om. [i] R add. *ita.* [k] Z *fiunt.* [l] Ita V, alii om. [m] Codd. *in ecclesia.* [n] R *autem.* [o] R *adventum.* [p] T add. *et intellectum.* [q] Ita V, alii *futura.* [r] Ita R, alii om. [s] R add. *Pharaonis.* [t] V *Et dicimus.* [u] R om., in Z est add. mg. [v] R *vel.* [x] L exp., C om. [y] L om., V om. *sed.*

1 Cf. Raban., *In Exod.*, in h. l. (PL 108, 33).
2 Lib. II, c. 23, n. 2 (PL 41, 71).
3 Augustin., *83 Quaest.*, q. 79, n. 4 (PL 40, 92). Cf. supra, num. 231.
4 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 244), ex Beda, in h. l. (PL 92, 299 sq.).
5 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1169).
6 Psalm. 118, 140.
7 Cf. lib. I, c. 19 (inter opp. Augustini PL 35, 2165).

quae fiunt subito, miracula, sicut etiam dicimus miracula illa quae sunt quantum ad rem factam, de quibus diximus prius [1]. Et secundum hoc communiter accepto miraculo ad has tres differentias, dividit Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [2], quod quaedam miracula « fiunt per publicam iustitiam », quaedam « per signa publicae iustitiae », quaedam « per privatos contractus [a] ». Tamen si vellemus stricte et proprie accipere miracula, sola illa [b] possent dici miracula [c] quae subito facit Dominus: in illis enim nulla est praeparatio requisita ante; absque enim ullo [d] adminiculo mutat Deus res subito, cum vult; in miraculis autem [e] magorum requirebatur quaedam praeparatio, sicut collectio vel aptatio [f] seminum vel aliquid huiusmodi, et ideo non ita vere sunt miracula.

CAPUT II. 244

QUID FACIANT DAEMONES IN IIS MIRACULIS.

Quaeritur postea quid faciant daemones in iis miraculis, utrum scilicet praeparent [g] tantum materiam ad formae receptionem et formam non inducant aut cum praeparatione materiae inducant etiam formam novam.

Quod autem faciant utrumque, videtur: 1. Constat enim quod plus potest angelus, sive bonus sive malus, quam possit natura inferior istorum corruptibilium; sed constat quod natura inferior non solum praeparat materiam, sed etiam formam inducit — falsa enim [h] fuit illa opinio [3] quae ponebat formas naturales omnino a datore extra, quia secundum [i] hoc non esset differentia naturae [k] disponentis ad formam pure naturalem et disponentis ad animam rationalem, si [l] haec esset a datore extra sicut et illa — ergo et diabolus in suis operibus miraculosis non solum inducet materiam, sed etiam inducet formam miraculosam.

Sed contra est: *a.* Quoniam de angelis, sive bonis sive malis, vult dicere Augustinus quod ipsi creatores non sunt. Unde, III *De Trinitate* [4], dicit: « Sicut nec parentes dicimus creatores hominum nec agricolas frugum, quamvis eorum extrinsecus adhibitis motibus ista creanda Dei virtus interius operetur, ita non solum malos, sed nec bonos angelos fas est putare creatores, sed pro subtilitate sui sensus et corporis semina ista rerum nobis occultiora noverunt et ea per congruas contemperationes elementorum latenter spargunt atque ita gignendarum rerum atque accelerandorum incrementorum praebent [m] occasiones ». Et accipit hic Augustinus 'creare' pro inductione formae ultimae; quod patet per hoc quod dicit « praebent [n] occasiones gignendarum rerum »: creationi enim proprie dictae nulla praebetur occasio vel adminiculum. Si ergo dicit quod angeli non sunt creatores, hoc modo dicta creatione sicut diximus, patet quod non inducunt angeli, neque boni neque mali, formam aliquam in re aliqua.

Solutio: 1. Dicimus quod daemones praeparant materiam tantum nec formam inducunt. Nec est simile de angelo et de natura. Etsi [o] enim angelus plus possit simpliciter quam natura istorum corruptibilium, tamen in eo quod est [p] inducere formam similem in specie vel [q] in genere formae ipsius agentis, plus potest natura quam angelus. Hoc enim fuit inditum naturae ut secundum vim propagativam posset inducere formam similem in genere vel in specie ipsi [r] agenti, inducere dico in ipso suscipiente; angelo autem nihil tale inditum est ut vel simile sibi vel etiam simile illi circa quod agit, possit inducere in aliquod suscipiens. Unde ista ratio peccat secundum quid et simpliciter. Etsi enim simpliciter plus potest angelus, non tamen quoad hoc. Tamen [s] simpliciter loquendo plus dicitur posse angelus quam natura, quia in plura potest; et etiam in ipsa dispositione materiae respectu formae inducendae plus potest quam natura posset quantum ad duo [t]: potest enim accelerare materiam ex collectione seminum et congregatione ex diversis locis, quod non posset natura; potest etiam accelerare dispositiones illas, ut citius [u] producatur forma ultima quam produceretur si relinqueretur sibi ipsi in operando. Et sic fuit in draconibus magorum. Unde [v] draco sive serpens potuit fieri tripliciter: vel ex putrefactione per operationem solis [x] agentis vel alicuius corporis supercaelestis, et haec operatio dicitur pure naturalis; etsi non sit agens homogeneum, id est quod agat secundum similitudinem formae in genere vel in specie, tamen agens universale, sicut ipse sol vel huiusmodi,

---

[a] V *actus*, Z *contractos*. [b] Ita V, alii om. [c] S om. *sola... miracula*. [d] T om. [e] C *enim*. [f] R *optatio*. [g] VLR *prepararent*. [h] T om. [i] V *si*; RC *quoniam* pro *quia*. [k] V *neque*. [l] Ita VT, alii *sed*. [m] LR *prebentur*. [n] Z om. [o] Z *si*. [p] T om. [q] R *et*. [r] V *Christi*. [s] C *unde*. [t] R add. mg. *plus*. [u] L *cuius*. [v] L om. [x] R *solum*.

1 Cf. hic, parum supra.
2 Quaest. 79, n. 4 (PL 40, 92).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 7, p. 2, dub. 3 (II, 207).
4 Cap. 8 (PL 42, 876).

gerit ibi vicem similis vel operantis secundum huiusmodi similitudinem. Est alius modus producendi serpentem repente, et hic est mirabilis, et hic fuit in miraculis magorum per operationem Satanae; non tamen dicitur hic modus creatio, quia nec subito fit nec [a] ex nihilo. Est tertius modus, quo fit subito, et tunc est plene miraculum quod fit virtute divina, sicut fuit [b] in signo Moysi.

Sed obicitur, quia super illud Psalmi [1]: *Immissiones per angelos malos,* ibi [c] dicit Glossa [2] quod « ea, quae mirabiliter facta sunt, malis angelis tribuere non audemus ». Quod si verum est [d], mali angeli nulla mirabilia sive miracula [e] debent dici [f] facere. — Ad quod dicendum quod quaedam sunt miracula maioris dignitatis, quaedam minoris. Et appellamus maioris dignitatis, quae fiunt ad probationem vel exercitium iustorum specialiter; et si haec ita fiant, tunc possumus dicere quod bonis angelis attribuenda sunt et non malis. Miracula vero minoris dignitatis appellantur, cum fiunt signa quaedam ministerio [g] creaturae tantum ad inferendam poenam aliquam iis qui meruerunt; et dico 'tantum' ad excludendum alium respectum, sicut iam videbitur [3]. De illis ergo quae sunt minoris dignitatis, loquitur Augustinus [4]; de illis autem [h] quae sunt maioris dignitatis loquitur Glossa, et non de illis quae sunt minoris dignitatis: illa enim bene attribuuntur malis angelis, sicut videlicet operatio draconum et ranarum in signis magorum. Et hoc expresse dicit eadem Glossa [5]. Dicit enim: « Possumus enim sine dubitatione malis angelis attribuere mortes pecorum, mortes primogenitorum et obdurationes Aegyptiorum ». Unde sicut ista operatio intra fuit a malis angelis, ita et poenae exhibitae pro ea extra fuerunt ab eisdem daemonibus: talia autem fuerunt illa miracula quae nos attribuimus malis angelis.

Nec obstat solutioni isti [i] de subversione Sodomorum, Gen. 19. Posset enim obici quod ibi fuit poena inflicta peccatoribus, tamen non per angelos malos facta sunt signa illa, sicut dicit Glossa [k] ibidem. — Ad quod dicimus quod signa illa, etsi fuerint peccatoribus inflicta, non tamen erat status illorum signorum, ut videlicet esset ordo signorum illorum ad culpam praecedentem tantum; immo ulterius fuerunt illa ad probationem ipsius [l] Loth et suorum et [m] exercitium et [n] instructionem: et quantum ad hoc fuerunt signa maioris dignitatis, et ideo debuerunt fieri per bonos angelos et non per malos.

Quod autem in eisdem subiectis creaturis fiant per angelos bonos signa maioris dignitatis et per malos minoris, non est admirandum. Dicit enim ibi Glossa quod « sicut bonus homo et malus homo [o] utuntur eisdem signis visibilibus, scilicet terra, aqua, aëre et igne, unusquisque pro modo suo, ita boni et mali angeli utuntur eisdem, prout cuique [p] opus est et potestas: quae potestas maior est [q] angelis quam hominibus et angelis bonis quam malis ». Unde ex hoc patet quod boni et mali angeli [r] differenter possunt operari circa istas creaturas secundum maiorem et minorem potestatem ipsis datam, et etiam secundum quod a Deo adiuvantur vel permittuntur differenter.

245

CAPUT III.

QUID IMMUTENT DAEMONES IN MIRABILIBUS FACTIS SECUNDUM PHANTASIAM TANTUM [6].

Viso quomodo fiant miracula [s] magorum, quando fiunt secundum veritatem, consequenter quaeritur de mirabilibus factis secundum delusionem tantum et phantasiam.

I. 1. Aut ergo in huiusmodi illusionibus fit mutatio ex parte rei visibilis aut ex parte videntis. Si ex parte visibilis, aut in qualitate: ut quod est album faciat diabolus esse nigrum; vel [t] in quantitate: ut quod est magnum faciat parvum; vel in substantia: ut quod est homo faciat [u] asinum; vel secundum situm: ut quod est Parisius faciat esse Romae; tunc in iis non est phantasia tantum, immo veritas. Si ergo dicitur delusio phantastica apparitio tantum, non erit ibi mutatio ex parte [v] visibilis. — Si ex parte videntis, tunc aut erit immutatio ex parte virtutis intra aut in ipso organo extra aut ponetur defectus solummodo virtutis organi, ut non possit comprehendere quod obiectum est [x], ut cum propter debilitatem visus apparet una candela duae. Si est immutatio organi, utpote quod immutat ipse diabolus humores

---

[a] LC om.; V om. *fit.* [b] R *fit.* [c] V om.; T repet. *malos.* [d] S om. [e] Ita T, alii *miraculum.* [f] Z *deberent* pro *d. d.* [g] R *ministeria.* [h] Ita V, alii *ergo.* [i] C *illi.* [k] V *Augustinus.* [l] ST *illius.* [m] V om. [n] Z om. [o] RLCZ om. [p] V *quisque.* [q] V add. *quam.* [r] VST om. [s] V *mirabilia.* [t] Z *et.* [u] T om. *parvum... faciat.* [v] L add. *sensibilis.* [x] L om.

1 Psalm. 77, 49,
2 Lombardi, in h. l. (PL 191, 740).
3 Cf. hic, parum infra.
4 Cf. supra, p. 299a, sub litt. *a.*
5 Lombardi, loc. cit., ubi et sequentia.
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 8, p. 2, a. 1, q. 3 (II, 227 sqq.).

oculi videntis vel tunicas oculi, ut non possit[a] rem videre sicut est, tunc, cum[b] ipsum organum visus sit res nobilior quam res obiecta extra aut saltem aeque nobilis, sicut dicebatur vere miraculum et non phantasia tantum, quando immutabat rem obiectam extra, ita dicetur vere miraculum et non phantasia, quando immutabat organum. — Et eodem modo potest obici, si dicatur quod non immutat organum, sed virtutem, et hoc sive dicatur de virtute quae est intra secundum quod huiusmodi sive de virtute prout est coniuncta organo extra. Cum enim huiusmodi virtutes nobiliores sint quam ipsa organa, adhuc nobilior erit immutatio earum secundum veritatem quam immutatio[c] organi sive rerum extra obiectarum. — Si autem ponatur ibi purus defectus, sive organi sive virtutis, tunc sicut nullum est miraculum, cum[d] visus debilis credit duas candelas esse ubi est una tantum, ita nullum erit omnino ponendum miraculum in delusionibus daemonum.

Sed contra: *a.* Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[1], et similiter potest haberi ex libro *De civitate Dei*[2], ubi ita dicit: « Quaedam mulierculae post Satanam[e] conversae, illusionibus et phantasmatibus seductae, credunt se et confitentur nocturnis horis cum Diana, paganorum dea, et cum Herodiade et[f] innumera mulierum multitudine equitare earumque illusionibus[g] earumque iussionibus obtemperare. Ipse namque Satanas, qui *transfigurat*[h] *se in angelum lucis*[3], cum mentem cuiusque mulierculae ceperit[i] et hanc sibi per infidelitatem subiugaverit, illico diversarum personarum species ostendit[k], et mentem, quam captivam tenet, in somnis[l] deludens, modo laeta, modo tristia, modo cognitas, modo incognitas personas ostendens, per devia quaeque deducit. Et cum[m] solus hoc patitur spiritus infidelis, ut non[n] in animo, sed in corpore opinatur venire, idcirco nimis stultus et hebes est qui haec omnia quae in spiritu sunt, accidere[o] arbitratur in corpore ». Si ergo ita facit diabolus in ipsa imaginativa dormientium quaedam mira, sicut dicit Augustinus[4] ante praedictam auctoritatem, et hoc deludendo imaginativam, quae potentior est quam sensus extra, videtur quod et mira quaedam per delusionem possit facere in sensu extra.

II. Occasione etiam huius quaeritur ulterius utrum diaboli, cum ita deludunt imaginativam, offerant formas novas imaginativae vel non solum offerant, sed etiam imprimant, aut si non imprimunt novas, saltem impressas transforment.

1. Si offerunt tantum et non imprimunt, ergo, cum ad solam oblationem speciei non sequatur cognitio, immo oportet fieri unionem speciei cognoscibilis ad cognoscitivum ad hoc ut fiat cognitio, ubi autem non est cognitio, non est iudicium, ubi autem non est[p] iudicium, non est delusio: tunc nulla esset delusio in operibus eorum.

2. Si dicatur quod ipsas imaginationi[q] imprimunt sive etiam impressas transformant, eadem obiectio est: tunc enim possent in imaginativam. Quod enim imprimit, potest in illud in quod imprimit, et quod transformat, potest in eo in quo[r] transformat. — Sed non videtur quod possint in imaginativam daemones: eadem enim substantia est rationalis animae et sensitivae, et dico[s] 'sensitivam' quae comprehendit et[t] imaginativam et omnes huiusmodi potentias, sicut dicitur in libro *De hebdomadibus*[5] et *De ecclesiasticis dogmatibus*[6]. Si ergo daemones non possunt in rationalem, nec in imaginativam.

Solutio: I. Dicimus quod quaedam delusiones fiunt[u] absque daemonibus, sola agitatione hominum ostendentium et occultantium, sicut est[v] in transiectoribus. Aliquando etiam sine aliqua virtute daemonis est aliqua delusio virtute quorumdam corporum mineralium, quae qui habent, possunt secundum quamdam virtutem, huiusmodi corporibus inditam, rem ostendere sive apparere facere[x] non sicut est; et tunc revera[y] non est falsitas ex parte rei visae quin aliquid sit quod videtur, non tamen est eo modo quo videtur. Est autem tertius modus delusionis qui fit per daemones: habent enim daemones quamdam potestatem ex ordine naturae super quasdam res inferiores, quam possunt exercere circa istas res quantum Dominus permittit, et tunc apparet res non sicut est: et haec delusio; et si sit delusio quantum ad modum videndi, subiacet tamen veritas rei visae, sicut dicebatur prius de corporibus mineralibus: sed hoc fit virtute daemoniaca quod ibi fiebat virtute naturali indita illi corpori. Sed adhuc proprie huiusmodi illusio facta a daemone non dicitur praestigium: praestigium enim proprie dicitur illa illusio daemonis quae non habet causam ex parte mutationis rei, sed solummodo ex parte cognoscentis, qui deluditur sive

---

[a] Z *possint.* [b] T *est,* quod Z corr.; L om. *ipsum.* [c] VSTLC *mutatio.* [d] L *quod.* [e] LRCZ *satan.* [f] R add. *cum.* [g] RZ om. *e. i.* [h] STRZ *transfiguravit.* [i] Ita V, alii *ceperint.* [k] Ita V, alii om. [l] V *somnio.* [m] V *non.* [n] V *ideo.* [o] V *accipere;* VSTR *arbitrantur* pro *arbitratur.* [p] T om.; V om. *u. a. n. e. i.* [q] RZ *in imaginativa.* [r] V *quod.* [s] T *dic.* [t] V om.; R om. *omnes.* [u] C *sunt.* [v] T om. [x] Ita RZ, alii om. [y] C *reverentia;* V om. *falsitas.*

1 Cap. 28 (inter opp. Augustini PL 40, 799).
2 Cf. lib. XVIII, c. 18 (PL 41, 575).
3 Cf. II Cor. 11, 14.
4 Cf. *De spiritu et anima,* c. 28 (PL 40, 798).
5 Cf. Gilb. Porretan., in hunc librum (PL 64, 1321).
6 Gennad., cap. 15 (inter opp. Augustini PL 42, 1216).

quantum ad organum sive quantum ad virtutem. Ad intelligendum ergo quomodo fiat haec delusio, sciendum est quod sensibile dicitur [a] dupliciter: per se et per accidens; et per se dupliciter [b]: proprium et commune. Dicimus ergo quod in proprio sensibili non fallitur visus bene dispositus: unde quod est album, semper iudicabit visus album; sed in communi sensibili et in sensibili per accidens bene potest falli et intra et extra et ipsum organum, et hoc per virtutem diaboli efficientis, sicut iam videbitur [1].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod [c] quaeritur 'utrum immutet [d] tunicas vel humores oculi' etc.: dicimus quod non, sed potest diabolus multis modis formare formas et illas offerre oculis sive sensui, sensus autem obiectas, volens, nolens, apprehendit. Unde sicut, velim, nolim, video vel cognosco album, cum est obiectum debito modo visui meo, et [e] hoc existente organo in debito statu, ita et ipse visus species, quas offert diabolus, apprehendit. Nec tamen debet dici quod diabolus uniat eas, immo naturaliter, ex quo oblatae sunt visui debito modo, sensus unit se illis vel illas sibi et ulterius iudicat de illis et fallitur [f] ulterius in iudicando [g] ipsum sensibile per accidens, cum propter formam, quae solebat esse huius rei, iudicat esse hanc rem ubi videt talem formam, et secundum diversas oblationes vel secundum diversas mutationes formae oblatae [h] iudicat semper alia et alia, et sic deluditur, secundum quod dicebat Augustinus, in auctoritate praedicta [2]: « Modo laeta, modo tristia [i], modo cognitas, modo incognitas personas » etc. Et potest haec delusio dupliciter fieri, utpote in corpore extra, sicut est cum deluduntur oculi corporei, vel in spiritu, sicut est cum [k] deluditur imaginatio, secundum quod dicebatur in fine auctoritatis praedictae: « Hoc solus patitur infidelis spiritus » etc. Et ibi appellatur 'spiritus' imaginatio, sicut et visio imaginaria [l] appellatur visio spiritualis, quando dividit Augustinus [3] tria genera visionum: corporalem, spiritualem et [m] intellectualem. Cum autem deluditur ista imaginatio, fit delatio ipsarum formarum oblatarum extra per quosdam spiritus usque ad ipsam, qui spiritus sunt quodam modo connaturales et propinqui ipsi imaginativae.

II. Ad illud ergo quod [n] quaeritur 'utrum diabolus habeat potestatem in ipsam imaginativam', dicimus [o]: quamvis quidam dixerint quod sic potest offerre ipsi sicut diximus, sed imprimere non potest, tamen dicimus adhuc quod, etsi imprimere non possit in [p] imaginativa attingendo per se [q] ad illam, potest tamen quaedam facere in corpore, ad quae sequitur impressio vel transformatio impressorum in imaginativa, ut cum resolvitur fumus colericus ascendens [r] ad cerebrum, potest imprimi in imaginativa forma ignis vel possunt transformari formae, quae erant ibi, in formas igneorum [s] vel huiusmodi, non quia diabolus haec fecerit imprimendo neque etiam corpus dicendum est impressisse istas species in imaginativa, sed expressae sunt illi ex individua concomitantia eius ad corpus; unde, quia sese concomitantur individualiter, connaturale est ut quando corpus sic patitur, et ipsa tunc tales impressiones habeat, secundum quod habetur a Philosopho [4] quod anima corrumpitur sive mutatur quodam interius corrupto sive mutato.

246 CAPUT IV.

UTRUM BONI PLUS POSSINT FACERE MIRACULA QUAM MALI.

Quaeritur etiam utrum boni plus possint facere miracula quam mali.

Et quod sic videtur: 1. Constat enim quod ratione naturae non sunt inferiores boni malis; ratione autem gratiae constat quod melioris conditionis sunt boni quam mali; ergo videtur quod tantum vel aeque boni possint sicut mali.

Sed contra: *a.* Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [5]: « Intelligimus [t] quaedam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt ».

[Solutio]: 1. Ad hoc ultimum solvit ibidem [6] dicens quod « non ideo potioris loci apud Deum arbitrandi sunt » esse scelerati quam iusti: « non enim acceptiores erant apud Deum magi Pharaonis quam populus [u] Israël, quia non poterat ille populus facere quod illi faciebant, quamvis Moyses in virtute Dei maiora potuerit ». Unde revera mali non possent illa facere nisi permissi; boni autem,

---

[a] T om. [b] Z add. *per.* [c] Ita V, alii *Quod ergo* pro *A. i. e. q.* [d] Ita RZ, alii *mutet.* [e] Z *id est.* [f] R *fallit.* [g] RZ *videndo;* S om. *in.* [h] T *oblato;* R *super* pro *semper.* [i] V *tristitia,* quod L corr. [k] S om.; T om. *est.* [l] VST *imaginativa.* [m] Ita V, alii om. [n] Ita V, alii *quod queritur* pro *A. i. e. q.* [o] L add. *quod.* [p] S om. [q] R *usque* pro *p. s.;* T om. *tamen.* [r] V *in imaginativa.* [s] LC *igneas;* T *ignis* pro *huiusmodi.* [t] L *intelleximus.* [u] R *populi.*

[1] Hic, in immediate sequentibus.
[2] Cf. supra, p. 301, nota 1.
[3] Cf. *De Gen. ad litt.*, XII, cc. 6 et 7 (PL 34, 458sq.).
[4] Aristot., *De anima*, I, c. 4 (III, 440).
[5] Quaest. 79, n. 3 (PL 40, 92).
[6] Loc. cit., ubi et sequens.

si daretur a Domino, possent et illa et maiora facere; non tamen sine recta ordinatione Domini est quod eis non datur haec potestas sicut et malis. Unde subdens causam quare non detur eis, dicit: « Ideo non omnibus sanctis ista tribuuntur [a], ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes [b] in talibus factis esse maiora dona quam in operibus iustitiae quibus aeterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibet hinc gaudere discipulos, cum ait: *Nolite in hoc gaudere quoniam spiritus vobis subiecti sunt, sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis*, Luc. 10, 20 ». Nec ergo ratione naturae nec ratione gratiae fiunt ista miracula, sed ex virtute Dei. Quare autem non detur aliquando sanctis sicut et peccatoribus, ratio est iam dicta [1].

Ad hoc autem quod quaeritur utrum indifferenter circa res omnes possint facere mali [c] miracula: dicimus, sicut credimus, quod non. Etsi enim ratione naturae esset diabolus superior omnibus inferioribus creaturis, tamen per peccatum suum ita praecipitatus est ut non iam aequaliter possit in omnibus creaturis, sed quanto magis est ignobilior aliqua creatura inter ceteras, tanto magis exerceat [d] potestatem suam in illam; unde, quia ignobilissimi inter [e] omnia animantia videntur esse serpentes et huiusmodi, frequentius utitur illis et exercet sua mirabilia in huiusmodi [f]. Unde Augustinus, XI *Super Genesim ad litteram* [2]: « Gaudent daemones hanc potestatem sibi dari, ut ad incantationem hominum serpentes moveant, ut [g] quolibet modo fallant quos possunt ». Et assignat etiam congruitatem quare magis utuntur huiusmodi serpentibus, subdens: « Hoc [h] autem facere permittuntur ad primi facti [i] memoriam commendandam, quod sit eis quaedam cum hoc genere familiaritas ». Unde vult dicere quod in hoc quod modo decipiunt per miracula circa ista, commendatur memoria primi facti, scilicet quod ipsi deceperunt primum hominem per serpentem, quod debet homo memoriter retinere et etiam daemones memoriter tenent, cognoscentes in poena, qua [k] pro illa suggestione graviter affliguntur, quantum in illa prima tentatione sive primo facto commiserunt in culpa.

CAPUT V. 247

QUID SIT BONOS CHRISTIANOS POSSE FACERE MIRACULA PER PUBLICAM IUSTITIAM.

Quaeritur postea de illo verbo quod dicit Augustinus [3] quod « boni christiani faciunt miracula per publicam iustitiam », quid appelletur [l] ibi « iustitia publica ».

1. Aut enim quid creatum aut quid increatum. Si autem purum increatum et nihil ex parte creaturae, tunc quaeritur quare non possunt similiter mali christiani facere miracula per publicam iustitiam sicut et boni. Nec potest dici quod hoc est quia isti habent fidem formatam, illi vero non: iam enim tu [m] tangis aliquid creatum, et quantum ad hoc non dicebas tu quod boni facerent miracula. Si autem dicatur quod ista publica iustitia sit [n] quid creatum, tunc quaeritur quid sit illud. Si dicatur quod haec [o] sit fides formata, et hoc videtur accipi ex eo quod dicitur ad Hebr. 11, omnia illa mirabilia sive miracula Veteris Legis fide dicuntur facta.

Contra: *a.* Ostenditur auctoritate Augustini quod hoc non sit aliquid creatum. Dicit enim, in libro *83 Quaestionum*, quaest. 80 [4]: « Fit ut sancti Dei servi, quando eos hoc donum habere utile est », et loquitur de dono faciendi miracula, « secundum publicam [p] et quodam modo imperialem legem [q], hoc est summi Dei potestatem, imperent infimis [r] potestatibus ad quaedam visibilia facienda miracula: in illis enim ipse Deus imperat, cuius templum sunt ». Ex qua auctoritate patet quod istud quo miracula fiunt, sive [s] illa publica iustitia, est quiddam divinum et ita increatum.

b. Praeterea, ipse dicit [5] quod « boni christiani faciunt per publicam iustitiam, mali per signa publicae iustitiae »; sed illa signa, per [t] quae mali christiani faciunt miracula, sunt invocationes nominis divini [u] et huiusmodi, sicut vult Augustinus; sed haec non sunt signa nisi eius quod divinum est; ergo publica iustitia non fuit nisi quid divinum [v] et ita increatum.

Solutio [6]: Dicimus quod est quaedam privata potestas sive particularis, quae confertur unicuique creaturae in creatione sua secundum gradum

---

[a] L *tribuunt*; V *ita* pro *ista*. [b] ST *existentes*, quod L corr. [c] VT om. [d] LRCZ *exerceant*. [e] S *intra*. [f] T om. *frequentius... huiusmodi*. [g] C add. *in*. [h] Ita V, alii *hec*. [i] L *sive*. [k] V *quod*. [l] L *appellaretur*, R *appellatur*. [m] Z om. [n] VST *fuit*. [o] V *hoc*, T om. [p] S om. *s. p.*, V add. *iustitiam*. [q] R add. *et*, quod C exp. [r] Codd. *imperant infirmis* pro *i. i.* [s] L *summe*. [t] C *propter*. [u] RLCZ *Domini*. [v] L om. *ergo... divinum*.

1 Cf. hic, parum supra.
2 Cap. 28 (PL 34, 444), ubi et sequens.
3 *83 Quaest.*, q. 79, n. 4 (PL 40, 92).
4 Quaest. 79, n. 1 (PL 40, 91).
5 Cf. supra, nota 3.
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 7, p. 2, a. 2, q. 2, *ad 6* (II, 203).

suum, secundum quod dicimus quod [a] unus angelus plus potest quam alius, quia a creatione sua maiori potestate praeditus est [b] a Deo, et angelus [c] in genere plus quam homo et homo plus quam brutum et brutum plus quam vegetabile et sic de aliis. Et secundum hoc dicimus nos quod mali angeli etiam a sua creatione aliquam potestatem acceperunt super quasdam creaturas visibiles aliquo modo transmutandas vel disponendas, quam potestatem etiam non amiserunt cum [d] ceciderunt, et propter hoc aliquando propter illos qui utuntur illa potestate, confidentes et delectantes in illa, ut magis eos sibi obligent, faciunt illa quae possunt. Et hoc modo faciunt magi, de quibus dicit Augustinus [1] quod « faciunt per privatos contractus ». — Est autem alia potestas publica sive universalis, scilicet divina; et haec [e] dicitur « publica iustitia », quia [f] publice regit omnia; et haec influit super creaturas, et cum aliquis in ista confidit, virtute ipsius influentis fiunt miracula. Sed hoc potest dupliciter esse, scilicet quod ista publica iustitia influat ad faciendum miraculum: potest enim influere et super invocantem et super factum [g] pro quo invocatur, et hoc modo faciunt boni christiani miracula. Influit enim Dominus non solum potestatem suam super factum miraculum, sed etiam super bonum christianum quantum ad fidem formatam et quantum ad illud quod cum fide formata requiritur ad hoc ut bonus christianus faciat miracula: non enim sola fides formata sufficiebat, sed requirebatur aliqua [h] alia expedientia [2]. Et ideo in praedicta auctoritate Augustini non solum dicebatur « sancti Dei servi » — qui enim sancti sunt, non solum habent fidem formatam in praesenti — sed [i] addebatur ulterius « quando eos habere hoc donum utile est », et tunc fit miraculum per publicam iustitiam. Aliquando etiam influit iustitia publica super factum tantum et non super invocantem: et tunc nihilominus aliquando facit Dominus miraculum propter honorem nominis sui, licet non sit bonus christianus qui eum invocat; et tunc dicuntur [k] fieri miracula per signa publicae iustitiae. Revera enim huiusmodi invocans Deum non erat iustus, sed invocabat [l] Deum sicut et sancti qui faciebant miracula [m] « per publicam iustitiam »: et ideo huiusmodi dicuntur facere miracula per « signa publicae iustitiae ».

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quod 'si [n] publica iustitia dicit quid increatum tantum, poterunt [o] miracula facere per publicam iustitiam [p] mali sicut et boni': dicimus [q] quod hoc non sequitur. Boni enim christiani non dicebantur facere miracula per publicam iustitiam eo quod esset influxus super factum tantum, sed quia erat influxus ipsius in illos; cum autem mali faciunt miracula, non est influxus ipsius divinae potestatis sive publicae iustitiae, secundum quod iustitia est, in ipsos malos, immo super ipsum factum: et ideo non possunt dici facere miracula per publicam iustitiam sicut et boni.

---

[a] T om. [b] Z om. [c] V *angelis.* [d] Ita V, alii add. *etiam;* ST *reciderunt* pro *ceciderunt.* [e] V om. [f] V add. *publica iustitia.* [g] RLC *facto,* quod Z corr. [h] T om. [i] Z add. *etiam.* [k] R om. [l] C *invocabit.* [m] T om. [n] T om. [o] Ita VS, alii *poterant.* [p] T om. *dicit... iustitiam.* [q] L *dicamus.*

[1] Cf. supra, p. 303, nota 3.

[2] Cf. supra, num. 240.

INQUISITIO TERTIA

DE CREATURA CORPORALI

TRACTATUS PRIMUS

DE RERUM CORPORALIUM CREATIONE

QUAESTIO I.

DE CORPORALIUM CREATIONE IN COMMUNI.

Completo tractatu [a] de spirituali natura angelica, cum adiutorio Dei sequitur tractatus de substantia corporali; qui tractatus dividitur per creationem rerum corporalium, distinctionem, ornatum, multiplicationem.

Circa vero creationem quaedam consideranda sunt in communi, quaedam in particulari.

Circa considerationem in communi:

Primo, quaeritur utrum res corporales dicantur creari ratione materiae cum forma aut ratione materiae [b] informis — dico autem informem duobus modis: vel quia non habet formam vel quia habet in confusione quae dicitur chaos — si vero ratione materiae informis, quo illorum duorum modorum;

deinde, si est ratione materiae informis altero duorum modorum, utrum eadem [c] sit materia informis [d] caeli et terrae aut differenter [e] designetur;

tertio, quaeritur si res corporales sint simul creatae aut non simul;

quarto, utrum creatio fiat in die aut ante omnem diem.

---

[a] T add. *scilicet.* [b] S *modo;* V om. *cum... materiae,* in L est add. mg. [c] Z om. [d] V add. *ratione.* [e] Ita VZ, alii *differentes;* STRCZ *designentur* pro *designetur.*

248 CAPUT I.

UTRUM RES CORPORALES DICANTUR CREARI RATIONE MATERIAE INFORMIS [1].

Ad primum sic: 1. A perfecto agente perfectum opus et a perfectissimo perfectissimum; sed materia informis, cum est sine omni forma, est imperfectissimum; ergo non est perfectum opus prout huiusmodi; sed creatum [a] est perfectum opus, cum sit opus perfectissimi agentis, scilicet Dei; ergo materia non est creata sine omni forma.

2. Ad idem facit quod intelligentia creata, cum facit aliquid [b], non producit materiam sine omni forma, nec natura similiter, sed formam in materia; et haec sunt inferiora agentia et minoris virtutis; ergo nec Deus, qui est summum agens, creat rem corporalem ratione suae materiae informis.

3. Item, forma aliquo modo habet similitudinem cum Primo: Deus enim dicitur forma omnium exemplaris et quodam modo continens, sed nullatenus dicitur materia omnium [2]; ergo, cum creatio sit proprium opus Dei et extendat se ad rem corporalem, debet res corporalis dici creata potius ratione formae quam materiae.

4. Si vero forte dicatur quod creatio dicitur esse ratione materiae informis habentis in se formas rerum corporalium, sed per indistinctionem – contra hoc obicitur: confusio contraria est ordinationi; sed ordinatio attestatur sapientiae [3]; ergo summa ordinatio summae sapientiae; ergo a summa sapientia non procedunt immediate res sub confusione; non ergo materia cum [c] confusione rerum corporalium procedit a summa [d] sapientia.

5. Ad idem: Error reputatur in natura quando non est formarum distinctio, ut si procederet corpus humanum sine ordinata membrorum distinctione, ut caput esset inferius et pedes superius [e] et ita de aliis, vel non apparerent ibi membra; absit autem ponere errorem in opere divino; non ergo [f] creata est materia cum formarum confusione.

6. Praeterea, formae quaedam corporales sunt inter se repugnantes; si autem esset confusio formarum, essent contrariae formae simul, et ita continua pugna; sed pugna, sicut dicit Ioannes Damascenus [4], est principium dissolutionis; ergo ibi esset dissolutio; non ergo sic possent stare.

Ad contrarium sic argui potest: *a.* Creatio est exitus de non-esse in esse, cui immediatus est exitus de potentia materiali in actum; hoc autem est 'facere'; sed in operibus sex dierum est factio sive conditio; dicitur enim [5]: *Fiat lux, et facta est lux,* et ita de aliis; ergo ante non fuit nisi creatio; prius ergo creabatur de non-esse in esse aliquo modo materia, ut sit ordo de non-esse omnino in posse-esse, et deinde de posse-esse in esse actu, quod est esse per formam determinatum [g].

b. Item, Primum habet potentiam quantum ad omne; hoc autem nulli potest communicare, cum sit eius proprium [6]; illud ergo in creatura quod magis assimilatur ei in universalitate [h] potentiae, est materia, quae capax est omnium formarum [7]; ergo primus exitus a potentia divina videtur esse conditio materiae [i] ut capacis omnium formarum.

c. Item, Deus habet in se ideas et rationes omnium rerum, sicut accipitur ex libro *83 Quaestionum* [k 8]; rationes autem istae formae dicuntur; nihil autem in creaturis potest assimilari quoquo modo nisi quod habet in se continentiam omnium formarum corporalium in genere [l]; ergo, cum hoc sit materia sub indistinctione formarum, videtur convenienter huiusmodi fieri creatio.

d. Praeterea, distinctio non videtur esse nisi eius quod prius fuit confusum; si ergo assignatur ab expositoribus opus distinctionis formarum, praecessit ergo opus confusionis formarum in materia; hoc autem non est nisi in opere creationis; ergo etc.

[Solutio]: Ad quod respondendum [m] secundum diversas sententias Sanctorum [9]. Secundum enim sententiam Augustini [10] videtur quod creatio erat materiae cum forma perficienti eam, ita quod singulae res creatae essent in propriis materiebus et formis. Secundum autem sententiam Gregorii et aliorum videtur quod creata sit

---

[a] V add. *opus.* [b] Ita RZ, alii om. [c] T *non.* [d] C om. [e] Z *inferius.* [f] S om. [g] C *determinatam.* [h] V *virtute.* [i] T *modo.* [k] RZ add. *Augustini.* [l] T add. *cum.* [m] Ita V, alii add. *est.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 12, a. 1, qq. 1-3 (II, 293sqq.).
2 Cf. supra, num. 9-14. Alludit ad errorem Davidis de Dinanto. Cf. Duhem, *Le syst. du monde*, Paris 1917, V, 331sq.
3 Cf. Aristot., *Metaph.*, I, c. 2 (II, 470).
4 *De fide orthod.*, IV, c. 20 (PG 94, 1195).
5 Gen. 1, 3.
6 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 139.
7 Cf. Aristot., *Metaph.*, VII, c. 6 (II, 563); Avencebrol, *Fons vitae*, p. 3, n. 22 (ed. Baeumker p. 131).
8 Quaest. 46 (PL 40, 29sq.); cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 167, 175 et p. 259a, *Respondeo.*
9 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 12, c. 2 (p. 358sq.).
10 Cf. *De Gen. ad litt.*, I, c. 15, n. 29; IV, c. 7, n. 14 et VII, n. 41 (PL 34, 257, 301, 370).

in substantia materiae; unde dicit Gregorius[1]: « In substantia simul facta sunt quae de[a] eis habent originem, sed non in specie, quae sequentibus diebus ostensa est: sol et luna de caelo, virgulta et huiusmodi de terra ». Augustinus etiam, in libro *De Symbolo*[2], videtur hoc dicere: « Ordinatissimo Dei munere factum est ut[b] primo capacitas formarum fieret, postea formarentur quaecumque formata sunt ». Item, Augustinus, in XII *Confessionum*[3], uno modo sic exponit '*In principio creavit Deus caelum et terram*'[4]: « Deus[c] Verbo sibi coaeterno fecit[d] informem materiam creaturae corporalis, ubi confusum erat caelum et terra, quae nunc iam distincta et formata in huius mundi[e] mole sentimus ». Huic expositioni concordant quaedam Glossae[5] super principium Geneseos; item, super illud Psalmi[6]: *Ipse mandavit et creata sunt*, Glossa[7] dicit: « Informem materiam de nihilo ».

[Ad obiecta]: *a.* Si ergo teneatur prima sententia, respondendum est[f] ad obiecta, dicendo quod, licet intelligi posset exitus de non-esse omnino in posse-esse[g] et post de posse-[esse] in esse actu per formam, tamen simul utrumque factum est, ut simul crearetur forma cum materia, et hoc ut unita, ut opus Creatoris perfectum dicatur.

b. Ad secundum dicendum[h] quod, licet materia, in quantum est capax formarum[8], quamdam habeat similitudinem, sed multum remotam, respectu divinae potentiae[9], non tamen oportuit quod sic crearetur informis, sed magis conveniebat quod[i] esset capax in actu quam tantum in potentia.

c. Ad aliud dicendum[k] quod aliter est de formis in materia existentibus et de ideis quae sunt in Deo. In Deo enim sunt ideae nec sunt aliud quam ipse Deus, in creatura vero sunt formae et sunt aliud quam ipsa[10]. Propterea, non distingui, id est confundi formas, non convenit summae sapientiae disponenti, et ideo non in hoc habent[l] similitudinem respectu summae sapientiae, in qua nulla est distinctio.

d. Ad ultimum dicendum quod opus distinctionis potest dupliciter intelligi: uno modo ut prius esset[m] formarum confusio in materia et postmodum distinguerentur, et hoc non est secundum[a] hanc sententiam; alio modo ut distinctio referatur ad ordinationem[b] uniuscuiusque in suo loco; et licet haec opera, conditio sive creatio et distinctio, sint diversa, nihilominus secundum Augustinum simul erant. Unde, cum res corporales erant creatae vel conditae, simul erant[c] in propriis locis distinctae, licet unum naturaliter praeintelligatur alteri; et Scriptura, quae simul facta erant, non simul[d] potuit dicere et[e] voluit etiam ordinem naturae designare.

Secundum Hieronymum[11] autem et alios expositores, qui accipiunt diem[f] usitatiori modo sicut contingit[g] et quia de creatione fecit mentionem quasi ante omnem diem, videtur dici quod creatio dicitur esse ratione materiae informis[h], quae tamen aliquo modo haberet in se formas.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem obiectum in contrarium sic est respondendum quod a[i] perfectissimo agente processit perfectum opus ut in genere illo; non enim sistit ibi opus divinum, sed est ulterius ordinatum ad opus ulterius, quo dicebatur: *Fiat lux* etc. Si ergo requiritur omnimoda perfectio, requirenda est in ultimo opere[k] et non in initio operis: sicut si artifex facit domum, non est requirenda perfectio in initio sui operis, sed cum iam opus est consummatum. Creatio fuit opus respiciens initia operum divinorum. — Si vero obiciatur quod aeque facile est Deo totum opus in consummatione fecisse sicut primo sub quadam informitate et postea sub consummatione[l]: artifex enim si statim[m] posset unico actu consummare domum, non primo levigaret ligna et lapides poliret, sed statim[n] domum compleret: dicendum quod Domino est aeque facile, cui dicere facere[o] est vel, quod plus est, velle est facere[12], secundum quod dicitur in Psalmo[13]: *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit.* Nihilominus voluit in isto progressu ordinem rerum naturalem ostendere, ut primo sint principia condita, deinde ea quae aliquo modo ab iis[p] ducunt originem, sicut dicit Gregorius[14].

2. Ad secundum[q] dicendum quod in hoc ostenditur virtus agentis primi excellere virtutem agentis secundum naturam vel agentis creati

---

[a] V *in;* T om. *sunt.* [b] Ita Z in mg., alii om. *f. e. u.* [c] Ita V, alii *Dei.* [d] Ita V, alii add. *Deus.* [e] S *huiusmodi* pro *h. m.* [f] C om. [g] Ita VZ, alii om. [h] Ita V, alii add. *est.* [i] L om. [k] Ita V, alii add. *est.* [l] Ita V, alii *haberent.* [m] Ita VZ, alii om. [a] T om. [b] VC *ordinem.* [c] V om. *unde... erant.* [d] V om. *f. e. n. s.* [e] V om. [f] R om., in L est add. mg. [g] Z *convenit.* [h] V *et forme.* [i] L om.; V om. *est.* [k] R *genere.* [l] R *confirmatione.* [m] R om. [n] T om. [o] Z om. [p] RLCZ *ipsis;* V om. *quae.* [q] Ita V, alii add. *vero.*

1 *Moral.*, XXXII, c. 12, n. 16 (PL 76, 644).
2 *De fide et Symbolo*, c. 2, n. 2 (PL 40, 183).
3 Cap. 20 (PL 32, 836 sq.).
4 Gen. 1, 1.
5 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 67).
6 Psalm. 32, 9.
7 Lombardi, in h. l. (PL 191, 331).
8 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 183, *ad 2.*
9 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 57, *ad 5.*
10 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 175.
11 *In Epist. ad Tit.*, c. 1 (PL 26, 559); cf. Beda, *Hexaëm.*, I, in principio (PL 91, 13).
12 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 137, II et 140, II.
13 Psalm. 134, 6.
14 Cf. *Moral.*, XXXII, c. 12 (PL 76, 645).

secundum voluntatem, quia potest utroque modo res condere, et subito et successive, agens autem creatum nonnisi [a] successive. Et si hoc [b] perfectio est quod exit ab agente creato, multo magis est perfectio quod a Deo agente procedit, quod ad suum finem perducitur [c]: non enim agens creatum ab initio operis sui producit rem perfectam, sed cum est opus consummatum.

3. Ad tertium dicendum quod, licet forma habeat similitudinem cum Deo, qui forma dicitur [1], nihilominus et materia summae potentiae habet aliquam similitudinem, et ita voluit Dominus, ut utraque similitudo ostenderetur, et res creare [d] in materia et res creare [e] in propria forma sive specie distincta.

4. Ad id vero quod obicitur de confusione formarum, respondeo [f] quod est quaedam confusio opposita ordinationi [g], cum formae errore agentis imprimuntur in materia opere iam completo; sic autem non est hic, quia sic repugnat [h] summae sapientiae. Est autem alia confusio, cum nondum sunt res unaquaeque [i] in suo debito loco, qui [k] debetur formae distinctae: et secundum hoc in initio [l] operis non repugnat summae sapientiae. Est etiam [m] confusio quaedam latebra formarum in suis principiis: et secundum hoc 'esse formas in suis principiis originaliter' non repugnat sapientiae, immo ostendit sapientiam; quod enim formae elementatorum [n] sint in elementis originaliter, non repugnat sapientiae, sed ostendit sapientiam.

5. Ad aliud [o] dicendum quod iste modus essendi formarum non est per modum monstri, quod, cum factum est, vel habet diminutionem in partibus vel inordinationem.

6. Ad aliud dicendum quod iste modus essendi formas simul non facit continuam pugnam: continua enim pugna dicitur esse, cum formae sint in sua virtute ut possint agere et appropinquant sibi in situ.

249

CAPUT II.

UTRUM EADEM SIT INFORMIS MATERIA CAELI ET TERRAE [2].

Deinde quaeritur **I.** utrum eadem sit materia caeli et terrae vel non.

Et videtur quod eadem sit materia: 1. Quia generi in ratione respondet materia in natura, sicut differentiae respondet forma [3]; sed idem est genus omnium corporalium, superiorum et inferiorum: utrobique enim est substantia corporea; ergo eadem materia in natura sive in fieri.

2. Item, rari et densi eadem est materia [4], similiter gravis et levis, pari ratione luminosi et tenebrosi; sed luminosum est a parte caeli, tenebrosum a parte terrae; ergo eadem est materia caeli et terrae.

3. Item, divisio prima fuit lucis et tenebrarum [5]; sed, secundum Alcuinum [p] [6] et quosdam alios expositores [7], quae post erant divisa sive distincta prius erant in materia informi; ergo, cum lux et tenebrae inter se distinguerentur, prius erant in una materia informi; ergo una erat materia caeli et terrae.

4. Item, Augustinus, secundum unam expositionem sic exponit in Glossa super Genesim [8]: *Creavit caelum et terram* [9], id est [q] informem materiam utriusque; ergo videtur ex hoc dicere quod eadem sit utriusque materia informis.

5. Item, in materia est potentia receptiva plurium formarum [10] et [r] vestigium Dei [11], cuius est potentia factiva plurium; sed [s] universalior est potentia Dei in agendo quam haec in recipiendo; erit ergo materia corporalis receptiva formarum corporalium, quae fiunt a divina potentia agente; sicut ergo haec una est in agendo, ita videtur illa esse una in recipiendo; ergo erit una materia caeli et terrae.

6. Item, probat Philosophus [12] materiam corruptibilium esse incorruptibilem: nam si corrumperetur [t], nunquam esset status; si ergo materia corruptibilium est incorruptibilis, et materia incorruptibilium erit [u] incorruptibilis, quia si corruptibilis, esset aliquod principiorum rei incorruptibilis corruptibile; sed cuius aliquod principium

---

[a] L *non.* [b] C *Et hec* pro *E. s. h.* [c] VS *producitur.* [d] V *create,* item infra. [e] T om. *in... creare.* [f] R *responsio est.* [g] S *ordini.* [h] Ita VC, alii *repugnant.* [i] STLRC add. *confusio,* quod Z delev. [k] S add. *non.* [l] V *intentio* pro *i. i.* [m] Ita V, alii *autem.* [n] VL *elementorum.* [o] T *illud,* item infra. [p] T *aliqui non;* L om. *et.* [q] T *et* pro *i. e.* [r] Ita V, alii *ad.* [s] T om. [t] V *corruptibilis esset,* T *corruptibile.* [u] Ita C, alii om.

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 73b, III.
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 12, a. 2, q. 1 (II, 302sqq.).
3 Cf. Boeth., *De divisione* (PL 64, 879); Aristot., *Metaph.*, IV, c. 28 et VII, c. 6 (II, 532, 563).
4 Cf. Arist., *Phys.*, IV, c. 9 (II, 297).
5 Cf. Gen. 1, 4.
6 *Interrog. et respons. in Gen.*, nn. 19 et 28 (PL 100, 519).
7 Cf. Augustin., *De Gen. c. Manich.*, I, cc. 6 et 7; *De Gen. ad litt.*, I, c. 1 (PL 34, 178sq., 247); Beda, *In Gen.*, c. 1 et *Hexaëm.*, I, in initio (PL 91, 191, 15sq.).
8 Loc. cit.
9 Gen. 1, 1.
10 Cf. Aristot., *Metaph.*, VII, c. 6 (II, 563).
11 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 57b, *ad 5.*
12 *Phys.*, I, c. 9 et *Metaph.*, VII, c. 1 (II, 260, 558).

est corruptibile, ipsum est corruptibile [a]; ergo incorruptibile esset corruptibile; sed hoc stare non potest; ergo materia incorruptibilium est incorruptibilis. Si ergo utrobique materia [b] est incorruptibilis, quid prohibet unam esse materiam [c] utrorumque corporum? Sed corpora, quae ad caelum pertinent, dicuntur incorruptibilia, quae vero ad terram pertinent, ut [d] elementa, dicuntur corruptibilia; ergo eadem fuit materia caeli et terrae.

7. Item, dicit Philosophus [1]: « Impossibile est esse materiam absque magnitudine »; sed magnitudo non est sine corporeitate; ergo impossibile est eam esse absque [e] corporeitate; sed formam hanc possibile est esse communem caelo et terrae; ergo materiam [f] possibile est esse communem.

8. Item, aquarum superiorum et inferiorum una fuit materia, de qua dicebatur [2]: *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* sed ex aquis superioribus factum est caelum aqueum vel [g] crystallinum; ergo caelum crystallinum habuit materiam communem cum aquis inferioribus; sed illud caelum, cum sit superius, videtur esse [h] nobilius et simplicius quam firmamentum; ergo multo fortius firmamentum habebit materiam communem cum aquis inferioribus, et ita cum terra: terra enim communis est materia; ergo caeli [i] et terrae una est communis materia. — Item, sidera, quae sunt [k] in firmamento, habent communem materiam cum firmamento, cum sint fixa in eo; sed siderum, sicut dicit Gregorius [3], materia in caelo primitus creato designatur. Dicit enim: « Sol et luna et sidera quarto die facta in caelo perhibentur; sed quod quarto die processit in speciem, primo die in caeli substantia extitit per conditionem ». Ergo firmamentum habet suam materiam designatam in caelo primitus creato; sed firmamento et terrae, sicut dictum est [4], communis est materia; ergo caeli et terrae est una materia.

Contra: *a.* Illorum dicitur esse materia una quae sunt ad invicem transmutabilia vel quae in illa resolvuntur [5]; sed caelum et terra non sunt ad invicem transmutabilia nec unum in aliud tamquam in [l] principium materiale resolvitur, sicut elementata [m] in elementa; ergo non est eorum una materia.

b. Item, corruptibilium et incorruptibilium non est una materia [6]: in incorruptibilibus enim, cum sint perpetua, non differt posse et esse [7], in corruptibilibus autem differt posse et esse; ergo non est eadem materia, cum posse a potentia [n] materiae dicatur [8].

c. Item, si una esset materia utriusque et prius creatae erant [o] res in materia, non diceretur in principio nisi unum solum creatum; dicta autem sunt duo; ergo non est una materia utriusque.

d. Item, in caelo non est materia subiecta privationi [9]; in terra vero est materia [p] subiecta privationi; ergo non est eadem materia caeli et terrae.

e. Item, in caelo non est materia subiecta generationi et corruptioni [10]; in terra vero subiecta est generationi et corruptioni [q]; ergo non est una materia utrobique.

II. Huius etiam gratia quaeritur utrum, cum dicitur [11]: *In principio creavit Deus caelum et terram* [r], utrumque creatum est informe aut unum informe, scilicet terra, et alterum formatum, scilicet caelum [12].

Et videtur quod unum sit creatum informe et alterum formatum [s]: 1. De terra enim dicitur [13] quod *erat inanis et vacua*, in quo notatur informitas, de caelo autem non dicitur; ergo caelum in sua creatione iam formam habuit: nam si non habuisset, in suo genere diceretur vacuum, quemadmodum terra in suo genere dicitur vacua.

2. Item, « caelum », sicut dicit Strabus [14], « non visibile, sed [t] empyreum, non ab ardore, sed a splendore dicitur [u], quod statim sanctis angelis est repletum »; sed [v] constat quod non fuit repletum sanctis angelis antequam esset formatum; ergo statim fuit formatum; sed de terra non sic dicitur quod statim formas suas receperit; ergo unum creatum est ut informe, unde subditur [15]: *Congregentur aquae* etc., alterum vero formatum, scilicet caelum.

3. Item, licet legatur [16] de caelo, quod dicitur firmamentum, quod factum sit postea, vel de caelo aqueo, non legitur de caelo empyreo quod postea factum fuerit. Si enim diceretur quod nomine lucis intelligeretur, hoc stare non potest secundum

---

[a] C om. *sed cuius... corruptibile.* [b] LC *utroque modo* pro *u. m.* [c] R *essentiam* pro *e. m.*, L add. *et.* [d] Ita V, alii *vel.* [e] V *sine.* [f] R om. [g] RZ *et.* [h] V *etiam.* [i] Ita V, alii *celorum.* [k] T om., Z *fiunt*, quod R corr. [l] S om. [m] S *elementa.* [n] T *pena;* Z om. *materiae.* [o] S *erat.* [p] L *modo* pro *e. m.;* RC om. *est.* [q] V *correctioni* pro *e. c.* [r] T add. interl. *an;* L (corr.) *utrum utrumque eorum* pro *utrumque.* [s] L add. *scilicet.* [t] V *scilicet.* [u] Ita V, alii *splendore* pro *a. s. d.* [v] C om.

1 Cf. *De gener. et corrupt.*, I, c. 5 (II, 442).
2 Gen. 1, 2.
3 *Moral.*, XXXII, c. 12 (PL 76, 645).
4 Cf. hic, parum supra.
5 Cf. Aristot., *Metaph.*, VII, c. 5 (II, 562); Boeth., *De duab. nat.*, c. 6 (PL 64, 1349).
6 Cf. Aristot., *Metaph.*, II, c. 4 et VII, c. 4. (II, 496, 562).
7 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 5 (II, 278).
8 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 1 (II, 564).
9 Cf. Aristot., *De caelo*, I, c. 3 (II, 370).
10 Cf. Aristot., loc. cit.
11 Gen. 1, 1.
12 Cf. supra, num. 248.
13 Gen. 1, 2.
14 *Glossa ordin., In Gen.*, c. 1 (PL 113, 68).
15 Gen. 1, 9.
16 Gen. 1, 6.

expositionem Sanctorum[1], qui videntur dicere quod lux illa creata fuit in illa parte in qua sol; et ratio movens eos est quod lux illa per sui praesentiam et absentiam faciebat diem et noctem; hoc autem [a] non posset facere caelum empyreum, si nomine illius lucis designaretur: ex omni enim [b] parte circumdabat terram et circumdedit; ergo, cum non legamus [c] post factum, necesse est ut intelligamus factum cum dicitur[2]: *In principio creavit Deus caelum et terram* [d]; ergo unum creatum est in sua forma distincta, alterum non.

Contra: *a.* Sol et luna et sidera primo die dicuntur esse [e] condita per substantiam in caelo, sed postea formata per speciem; ergo caelum primo [f] die creatum fuit sub quadam informitate et postea per species distinctum.

b. Item, Strabus[3] plures distinguit caelos, etiam corporales; sed constat quod quorumdam forma infra [g] determinatur; ergo primo creatum est ut informe.

c. Item, Augustinus[4], prout per caelum intelligitur angelica natura, adhuc dicit quamdam designari informitatem, cuius formatio infra dicitur[5]: *Fiat lux* etc.; multo ergo fortius, si nomine caeli designatur corpus, magis debet informe [h] designari.

Solutio: I. Ad quod dicendum, sine praeiudicio melioris sententiae, quod non est una materia communis caeli et terrae.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem obiectum [i] respondendum [k] quod, licet sit unum genus omnium in Rationali Philosophia, non tamen eadem est materia: non enim semper [l] respondet materiae genus, licet dicamus genus [m] esse ad modum materiae, differentias ad modum formae; oporteret enim secundum hoc dicere quod eadem esset materia spirituum et corporum: quod non admittimus. Distinguunt ergo quod quaedam est materia subiecta motui et contrarietati: et haec est in elementis; et est quaedam subiecta motui, non contrarietati: et haec est [n] in supercaelestibus corporibus [o]; est tertia, quae nec est subiecta motui nec contrarietati, sed [p] tantum formae: et haec est in creaturis nobilioribus, ut spiritibus. Non ergo est communis materia spirituum et corporum nec corporum supercaelestium [q] et inferiorum secundum Philosophum. Oportet [r] autem nos, sequendo [s] expositiones Sanctorum, aliquatenus aliter dicere, ut non dicamus eamdem [a] materiam esse caeli et terrae, si [b] caeli nomine, sicut dicit Strabus, ibi tantum caelum [c] empyreum intelligatur. Si vero caeli nomine intelligantur firmamentum et sidera [d], distinguendum est. Nam materia communis potest dici, in qua fit [e] formarum ad invicem transmutatio, et secundum hunc modum non dicitur caeli et terrae communis materia: et sic loquitur Gregorius[6], cum distinguit caelum et ea quae ad caelum pertinent a terra et ab iis quae a terra producuntur. Si vero dicatur materia, in qua est formarum indistinctio [f] antequam distinguantur, secundum hoc communis [g] materia potuit esse caeli aquei et caeli quod dicitur firmamentum, et caelorum inferiorum, secundum Strabi distinctionem.

2. Ad obiectum [h] autem secundo ad hoc quod 'sit una materia communis omnium corporum': dicendum [i] quod non, secundum quod dicitur materia subiectum transmutationis formarum. Et [k] respondendum est ad hoc quod dicitur quod 'sicut rari et densi et gravis et levis una est materia, ita et luminosi et sui oppositi': dicendum quod non est simile. Rarum enim [l] et densum communicant [m] in materia transmutabili, et similiter grave et leve; luminosum autem et suum oppositum non, nisi dicatur lumen et tenebra secundum quod sunt in aqua et aëre, quae receptibilia [n] sunt utriusque; secundum autem quod luminositas est in caelo empyreo, opacitas autem in terra, non communicant [o] in materia transmutabili. — Dicunt tamen alii materiam quodam modo [p] esse unam et continuitatem habere a caelo empyreo usque ad terram. Sed non video qualiter hoc esse possit eo quod moveatur orbiculariter unum corpus, altero non moto orbiculariter, quod in eo continetur; hoc autem non accidit in continuis, quorum natura est una et homogenea.

3. Ad tertium dicendum quod divisio lucis a tenebris attenditur quantum ad vicissitudinem temporis, ut dies a nocte distingueretur, non quin prius vere [q] distinguerentur quibus haec primo competunt, scilicet caelum et terra: caelo enim competit luminositas, terrae opacitas; ab iis autem [r] dicuntur media, ut aër et aqua lucida vel tenebrosa. Et secundum alios expositores[7] illa lux, quae facta fuit, secundum sui revolutionem [s] distinguebat diem ac noctem.

---

[a] V om. [b] R om. [c] V *legimus.* [d] V *etc.* pro *e. t.* [e] T om. [f] C *prima.* [g] Z *intra.* [h] Ita V, alii *informis.* [i] Ita V, alii *obiectum autem* pro *p. a. o.* [k] Ita RZ, alii add. *est*; T om. *quod.* [l] L om. [m] T om. [n] T om. [o] S om. [p] V om. [q] RZ *supracelestium.* [r] Z *oporteret.* [s] VST *loquendo.*

[a] L *eam.* [b] T *sed.* [c] T om. [d] R *etc.* pro *e. s.* [e] C *sit.* [f] L *forma distinctio* pro *f. i.* [g] T add. *est*; VST *quod* pro *hoc.* [h] Ita C, alii *obiecta.* [i] Ita V, alii add. *est.* [k] T om. [l] T om. [m] V *communicat.* [n] L *receptiva.* [o] V *communicat.* [p] V om. *q. m.* [q] V om. [r] Z add. *que.* [s] Ita S (corr.) RC (corr.), alii *revelationem.*

1 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, I, c. 10 (PL 34, 253); Beda, *Hexaëm.*, I (PL 91, 17).
2 Gen. 1, 1.
3 *Glossa ordin., In Gen.*, c. 1 (PL 113, 68).
4 Loc. cit., c. 9, n. 17 (PL 34, 252).
5 Gen. 1, 3.
6 *Moral.*, XXXII, c. 12, n. 16 (PL 76, 645).
7 Cf. Beda, loc. cit.

4. Ad quartum dicendum [a] quod, cum per caelum et terram intelligitur materia utriusque, repetendum est ut dicatur materia caeli et materia terrae, ut sicut sunt duo corpora non ad invicem transmutabilia, ita differentem habeant materiam.

5. Ad quintum dicendum [b] quod, licet materia sit vestigium divinae potentiae, tamen hoc est secundum multiplicem imperfectionem et diminutionem. Divina enim potentia una est ad omnem formam fiendam, materia vero dividitur [c], ut una sit ad formas corporales sicut ad formas elementares, altera ad formas corporum supercaelestium, et ideo dixit [1] sub duplici nomine caeli et terrae. Item, divina potentia est activa, potentia vero materiae est receptiva. Item, in Deo est idem potentia et essentia, in [d] materia vero non est idem, cum sit creatura. Est ergo materia vestigium non coaequatum ei cuius est vestigium, sed in parte secundum diminutionem [e] respondet.

6. Ad sextum [f] dicendum [2] quod incorruptibile potest dici quod non potest desinere esse: et secundum hoc Deus est incorruptibilis, materia vero sive corporum caelestium [g] sive inferiorum corruptibilis est, ut creatura. Alio modo dicitur incorruptibile quod non corrumpitur [h]: et secundum hoc utraque [i] materia dicitur incorruptibilis; erit enim *caelum novum et terra nova* [3], nec tamen oportet propter hoc quod una sit [k] substantia materiae huius et illius. Tertio modo dicitur incorruptibile quod non est subiectum corruptionis: et hoc modo materia corporum supercaelestium dicitur incorruptibilis; in ea enim non transmutantur formae. Materia vero corporum elementorum non dicitur incorruptibilis isto modo, cum sit subiectum formarum transmutabilium; dicitur autem incorruptibilis, quia [l] non corrumpitur corruptione [m] formae quae fuit in ea.

7. Ad septimum dicendum quod, licet materia non spolietur a magnitudine, tamen distinguitur materia superiorum corporum et materia inferiorum, ut non dicatur unam esse materiam corporalem horum et illorum. Nec sequitur, si corporeitas [n] est forma una in genere, quod sit una in numero, prout materiam dicimus esse unam.

8. Ad octavum dicendum [o] quod non negatur aliquo modo unam materiam esse caeli aquei et terrae sive etiam firmamenti, sed non illo modo quo materia dicitur esse subiectum transmutationis formarum ad invicem.

II. Deinde respondendum est ad id quod quaerebatur utrum utrumque [a], caelum scilicet et terra, creata essent informia [b] aut unum formatum et alterum informe.

Respondeo [c] quod, secundum quod habetur in libro *De ecclesiasticis dogmatibus* [d] [4], angeli creati intelliguntur, cum creatum erat caelum; et ita videtur quod caelum empyreum creatum sit cum forma sua, quia statim [e] angelis est repletum [5]; nihilominus tamen potest dici informe, quia nondum acceperat formam firmamenti, et ita de aliis. Ratio autem propter quam dicitur *terra vacua,* caelum autem non, est [f] quia terra, sicut nunc habet ut fiant aliqua ex illa, non tunc habuit: nunc enim est quasi mater [6], quae est gravida multorum foetuum; caelum autem, licet post ornatum sit, non tamen dictum est vacuum respectu aliorum ex ipso nascentium, et ideo non dicitur de caelo sicut de terra.

Vel potest dici quod cum dicitur [7]: *In principio creavit Deus caelum et terram,* per *caelum et terram* [g] designatur materia informis, ex qua facta sunt caelum et terra, et quodam modo una. Unde Augustinus, *Contra Manichaeos* [8]: « Primo materia facta est confusa et informis [h], unde omnia fierent quae distincta atque formata sunt, quod credo a graecis ' chaos ' appellari; sic enim et alio loco invenimus [i] dictum in laudibus Dei [9]: *Qui fecisti mundum de materia informi,* quod aliqui codices [10] habent: *De materia invisa.* Et ideo rectissime creditur [k] Deus omnia de nihilo fecisse, quia etiam si omnia formata de prima materia facta sunt, haec [l] ipsa tamen materia de omnino nihilo facta est ». Item, infra [11]: « Informis igitur [m] illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo [n] caelum et terra, et dictum est: *In principio fecit Deus caelum et terram* [o], non quia hoc iam erat, sed quia hoc esse poterat; et caelum postea legitur factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes ibi dicamus esse radices et robur et ramos et fructus et folia, non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt, sic [p] dictum est: *In principio fecit* [q] *Deus caelum et terram,* quasi semen caeli et terrae, cum in confuso adhuc

---

[a] V add. *est.* [b] Ita VS, alii add. *est.* [c] L *dicitur.* [d] V om. [e] T add. *sonat vel.* [f] Ita V, alii add. *vero.* [g] RC *supercelestium.* [h] LC *corrumpatur.* [i] V *utriusque.* [k] Z om. [l] T *quod.* [m] RZ *ratione.* [n] S *corporei.* [o] Ita V, alii add. *est.*
[a] V om. [b] L *informata.* [c] V om., RCZ *respondendum.* [d] Z add. *et.* [e] Ita V, alii om. [f] Ita V, alii om. [g] L om. *p. c. e. t.* [h] L om. *ex qua... informis.* [i] STZ *diximus,* LRC *dicimus; modo* pro *loco.* [k] Z *illud dicitur;* V *certissime* pro *rectissime.* [l] VST *ex.* [m] R om. [n] R om. [o] V om. *et dictum... terram.* [p] RZ *sicut,* quod C corr. [q] C *creavit.*

1 Scilicet Gen. 1, 1.
2 Cf Aristot., *De caelo,* I, c 11 (II, 384 sq.).
3 II Petri, 3, 13.
4 Gennad., c. 10 (inter opp. Augustini PL 42, 1215).
5 Cf. supra, p. 309, nota 1.
6 Cf. Aristot., *De animal. gener.,* I, c. 2 et *De mundo,* c. 2 (III, 320, 628); *De plantis,* I, c. 6 (IV, 21).
7 Gen. 1, 1.
8 *De Gen. c. Manich.,* I, c. 5, n. 9 et c. 6 (PL 34, 178).
9 Sap. 11, 18, sec. Septuaginta.
10 Scil. Vulgata.
11 Augustin., loc. cit., c. 7, n. 11 (PL 34, 178).

esset caeli et terrae materia, sed quia certum erat inde futurum esse caelum et terram, iam et ipsa materia caelum et terra appellata est ». Item, infra [1]: « Hanc autem informem materiam etiam [a] terram invisibilem atque incompositam [b] voluit appellare, quia inter omnia elementa mundi terra videtur minus speciosa quam cetera; invisibilem autem dixit propter obscuritatem, et incompositam propter informitatem. Eamdem etiam materiam aquam appellavit, super quam *ferebatur spiritus Dei* [c], sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. Propterea vero non absurde etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quae in terra nascuntur, sive animalia sive arbores vel herba et si qua [d] similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri. Haec ergo nomina omnia, sive caelum et terra sive terra invisibilis sive terra incomposita et abyssus cum tenebris, sive aqua super quam *spiritus Dei* [e] *ferebatur*, nomina sunt informis materiae, ut res ignota notis vocabulis insinuaretur. Dicta [f] est ergo *caelum et terra*, quia inde [g] futurum erat caelum et terra. Dicta est terra invisibilis et incomposita et tenebrae [h] super abyssum, quia informis erat et nulla specie cerni aut tractari poterat, etiam si esset homo qui videret atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis et ductilis subiacebat operanti, ut de illa omnia formarentur. Sed sub iis nominibus omnibus [i] materia erat invisa et informis, de qua Deus condidit mundum ».

De empyreo autem non fit ibi mentio, nisi hoc sit cum dictum est [2]: *Fiat lux, et facta est lux.* Sed tunc oporteret [k] diem et noctem aliter dicere quam ex revolutione luminosi corporis [l] circa opacum, ut dies diceret distinctionem lucis a tenebris, nox autem e converso. Sed secundum hoc qualiter fieret primus dies et secundus? nisi propter differentiam rerum factarum, non propter revolutionem luminosi corporis circa terram.

Ad hoc autem quod una fuerit materia informis, non tamen omnino [m] sine forma, sed sine formarum corporalium distinctione, facit quod dicit Hugo de S. Victore [3], qui quaerit [n]: si mundus creatus est ex materia informi, sicut dicitur in libro Sapientiae [4], quare placuit Domino primo creare informe et postea formare, cum divinae potentiae sit aeque facile totum sub forma distincta condere. — Respondet [o]: « In ceteris rebus » a rationali creatura, scilicet intellectuali, « informis materia facta est ac deinde formata, ut eo ipso demonstraretur [a] quod ab ipso prius non existentia accepissent esse [b], sine quo formam et ordinem non poterant habere confusa. Eodem modo rationalis creatura quodam modo prius informis facta est et postmodum, ad Creatorem suum conversa, formanda erat; et ideo foris [c] prius est ei demonstrata [d] informis materia, post formata, ut quanta foret [e] inter esse et pulcrum esse distantia, discerneret [f]; per hoc admonita est ne contenta esset eo quod per conditionem acceperat, donec pulcrum esse ac beatum adipisceretur, quod per amoris conversionem [g] a Creatore acceptura erat ». — Item, quaerit [5] si omnino sine forma creata est. Et respondet [6]: « Non puto primam illarum rerum materiam ita informem esse ut nullam omnino formam habuerit; ita tamen informem appellari posse, quod in confusione et permixtione quadam subsistens, nondum [h] hanc, in qua nunc cernitur [i], dispositionem aptam et pulcram recepisset ». Hoc etiam videtur per hoc quod sequitur [7]: « Non est absurdum, si uno momento temporis cuncta creata sunt simul rerum visibilium et corporalium materia et invisibilium in [k] angelica [natura] essentia ».

Ex quibus omnibus colligitur quod creata est una materia omnium corporalium et visibilium; in quibus si contineatur caelum empyreum, non contradico: in iis enim nihil temere est definiendum.

[Ad obiecta]: I. Secundum hoc ergo respondendum esset ad obiecta in contrarium ex altera [l] parte.

a. Ad primum [m] quod, licet una esset materia informis caeli et terrae, non tamen sic esset una ut in ea fieret transmutatio formarum caeli et terrae.

b. Ad secundum dicendum quod, licet caelum sit incorruptibile [n], quia non corrumpitur, tamen posse in eo prius differebat ab esse: prius enim potuit esse in materia informi et deinde in forma distincta. Quod autem dicitur quod 'posse et esse non differunt [o] in perpetuis, in contingentibus autem differunt' [p], hoc est quia, cum sint perpetua, potentia est simul cum actu, licet in essentia differat [q], in contingentibus autem potentia est ante actum: ita in incorruptibilibus, cum iam esse [r] per formam acceperint [s], simul est esse et posse, in [t] incorruptibilibus vero, in quantum huiusmodi, potest esse 'posse' prius quam [u] 'esse'.

---

[a] L (corr.) C *et.* [b] V om. *a. i.* [c] R *Domini.* [d] STR *que,* quod L corr.; Z om. *si.* [e] Ita V, alii om.; Z *aquam* pro *quam,* quod C corr. [f] Ita V, alii *dictum;* V om. *est.* [g] ST *in;* Z *erant* pro *erat.* [h] V *tenebrosa.* [i] T om. [k] C *oportet.* [l] Ita V, alii om. [m] Z *divisio.* [n] T *queris.* [o] Ita VL, alii *respondeo.*

[a] V *dimitteretur.* [b] Ita V, alii *essentiam.* [c] V om., S *formis.* [d] V *eadem materia,* STCL *ea de materiata* pro *e. d.;* RZ *ea* pro *et.* [e] V *esset.* [f] V *discerneretur;* Z *monita* pro *admonita.* [g] S *amoris conversationem* pro *p. a. c.* [h] V *non dicunt.* [i] Z *creditur.* [k] V *et.* [l] R *alia.* [m] Ita V, alii om. *a. p.* [n] L *corruptibile.* [o] L *differant.* [p] LCZ *non,* S add. *enim.* [q] S om. [r] LCZ *essent.* [s] Ita V, alii *acceperunt;* LC exp., RZ om. *est.* [t] Ita C (corr.), alii om. [u] Z add. *est.*

1 Loc. cit., c. 7, n. 12 (PL 34, 179). 2 Gen. 1, 3.
3 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 3 (PL 176, 188sq.).
4 Cap. 11, 18.
5 Nempe Hugo de S. Victore.
6 Hugo de S. Vict., loc. cit., c. 4 (PL 176, 189).
7 Loc. cit., c. 5 (PL 176, 189).

c. Ad tertium[a] dicendum quod, licet duo nominentur, hoc non est quia tunc esset caelum et terra, sed quia post futura erant, secundum quod dicit Augustinus, *Contra Manichaeos*[1]. Unde non oportet propter hoc dicere duplicem esse materiam.

d. Ad quartum dicendum quod illa ratio[b] procedit secundum statum in quo modo est caelum et terra, non secundum statum in quo tunc fuerunt. Nunc[c] enim ex terra potest fieri aqua vel aer, non sic autem fit aliquid aliud ex materia caeli.

e. Similiter respondendum est ad quintum.

Ad hoc vero quod obicitur[2] quod 'si una[d] esset materia continua caeli et eorum quae sunt infra[e] caelum, moto illo et[f] illa moverentur': dicendum[g] quod vel in distinctione formarum facta est distinctio materiae[h] vel non sequitur quod si una esset materia, quod[i] continuitatem haberent materiae[k] ea quae fierent ex illa.

II. Ad illud vero quod quaeritur utrum utrumque esset informe vel non: respondeo[l] secundum hoc quod utrumque esset[m] informe, sed non similiter omnino: plus enim accedebat ad esse formae unum quam alterum, sed in hoc similiter quod informe erat, id est indistinctum. Sed, secundum Hugonem[n][3], terra erat ipsum terrae elementum, per caelum vero[o] mobilis confusio reliquorum trium; et loquitur secundum opinionem illorum qui dicebant omnia fieri ex quatuor elementis[4]. Sed huic opinioni non acquiescitur secundum philosophos[5]; nec secundum Augustinum[p][6] terra dicitur ibi elementum, sed elementorum materia.

CAPUT III. 250

UTRUM OMNES RES CORPORALES SINT SIMUL CREATAE[7].

Deinde procedendum est ad tertio quaesitum,
I. utrum scilicet[a] omnia essent simul creata.

Quod videtur *a.* per hoc quod dicitur Eccli. 18, 1: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.*

b. Item, dicitur in principio Gen. 2, 4: *Istae sunt generationes caeli et terrae in die quo creavit Deus caelum et terram;* ergo uno die; ergo simul.

Contra: 1. Mensura respondet mensurato[8]; sed res mensuratae in[b] sua natura erant ordinatae secundum prius et posterius[c]; ergo et mensurae secundum prius et posterius; si ergo creatum est firmamentum[d] et ea quae sunt in terra, secundum prius et posterius erunt creata.

2. Praeterea, facta erant in diversis diebus et ita in diversis temporibus, ut ordo in mensura responderet[e] ordini in mensurato; ergo pari ratione dicentur[f] creata secundum prius et posterius sicut facta. Si vero 'simul' dicat indifferentiam materiae, cum dicitur[g]: *Qui vivit in aeternum* etc., hoc non videtur, cum non unum dicatur creatum in principio, sed duo, et ita non omnia dicentur[h] simul creata, quia in una materia quae de non-esse prodiit in esse.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod 'simul' dicit indifferentiam[i] mensurae ex parte creatorum, quae tamen creata sunt in[k] duplici ratione materiae, scilicet caeli et terrae: ad hanc enim duplicem materiam omnia corporalia reducuntur. Differenter autem dicuntur materia: caelum enim dicitur materia ut in qua facta sunt, terra autem ut ex qua duxerunt[l] originem et adhuc ducunt.

[Ad obiecta]: 2. Ad obiectum autem dicendum quod non est simile de creatione et factione: factio enim respicit formas distinctas, ubi ordo designatur, et ita potest designari dies secundum quod dies est ex revolutione corporis[m] luminosi; creatio vero, ut distinguitur a factione[n], respicit materiam, et ita non dicitur ibi prius et posterius, quod respicit formam, sed 'simul'[o].

1. Nec oportet, si mensurata sunt ordinata in natura, quod propter hoc sit ordo ex parte mensurae: ad prius enim et posterius natura non sequitur prius et posterius in duratione[9]. Et sic patet responsio ad primo obiectum[p].

II. Deinde quaeritur si creatio fuit simul cum factione qua singula facta sunt.

Quod non, arguitur 1. ex hoc quod non simul omnia facta sunt secundum dierum distinctionem; et simul creata sunt; ergo creatio non fuit simul

---

[a] Ita V, alii add. *vero.* [b] S add. *enim.* [c] C *fuerant non* pro *f. n.* [d] S *summa* pro *s. u.* [e] V *intra.* [f] Ita V, alii om. [g] Ita V, alii add. *est.* [h] Ita V, alii *materierum.* [i] V add. *per.* [k] Ita V, alii *nature,* quod R exp.; STLCZ *ei* pro *ea;* LC *fieret* pro *fierent.* [l] RLCZ *respondendum.* [m] RLCZ om. [n] S *Augustinum.* [o] V om. [p] VST add. *quod.*

[a] Ita V, alii om. [b] L om. [c] Ita V, alii om. *s. p. e. p.* [d] L *firmitatum.* [e] V *respondet,* R *respondeat.* [f] Ita V, alii *dicerentur.* [g] V *dicit.* [h] Ita V, alii *dicantur;* V *creatum* pro *creata.* [i] S add. *mensuram* et om. *dicit.* [k] L *etiam.* [l] T *dixerunt.* [m] Ita V, alii om. [n] Ita VZ, alii *facere;* V add. *non.* [o] Z om. [p] V om. *Et sic... obiectum.*

1 Cf. supra, p. 311, nota 11.
2 Cf. supra, p. 310b, *ad 2.*
3 Loc. cit., c. 6 (PL 176, 190).
4 Quos refutat Aristot., *De caelo,* III, c. 7 (II, 420sq.); cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* II, cc. 1-6 (PL 34, 203sqq.).
5 Cf. Aristot., *De caelo,* I, c. 3 (II, 371).
6 Cf. *De Gen. c. Manich.,* I, c. 5, n. 9 (PL 34, 178); *Confess.,* XII, c. 20 (PL 32, 836).
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 12, a. 1, q. 2 (II, 295sqq.).
8 Cf. Aristot., *Metaph.,* IX, c. 1 (II, 575).
9 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 12, a. 1, q. 1, *ad 6* (II, 294).

cum factione. — Item, creatio fuit[a] ante omnem diem[1]; factio non ante omnem diem; ergo etc.

2. Si vero non simul, tunc quaeritur quanta fuerit distantia et[b] qua necessitate fuit mora.

[Solutio]: Respondet Hugo dicens[c 2]: «Mihi videtur, quantum conicere[d] valeo, inter creationem et dispositionem rerum ordinem quidem temporis, sed nullam fuisse moram interiectam, ita ut vere quidem dici possit hoc post illud factum fuisse, sed inter hoc factum et illud nullam omnino dilationem intervenisse».

III. Supposito igitur ex praedictis quod omnia facta sunt simul, prout scilicet est[e] differentia inter creationem et factionem, et secundum quod ly 'simul' dicit indifferentiam mensurae, non substantiae vel materiae, quaeritur de ista indifferentia mensurae, utrum scilicet sit partibilis vel impartibilis, et hoc est quaerere utrum omnia creata creata[f] sint in uno 'nunc' indivisibili aut in pluribus sive[g] singula in singulis 'nunc'. Et[h] non loquamur de potentia Dei — non enim est dubium quin Deus potuerit in uno 'nunc' creare omnia — sed de congruentia actionis, utrum scilicet congruentius crearet in uno 'nunc' quam in pluribus.

Videtur quod sic: *a.* Quia creatio est ad manifestationem potentiae divinae; sed magis manifestatur Dei potentia creando multa in uno 'nunc' quam multa in multis 'nunc': hoc per se patet; ergo creare multa[i] in uno 'nunc' multo magis congruebat potentiae divinae, id est[k] actioni eius quae est ex potentia.

b. Item, creata exeunt a Primo per assimilationem ad ipsum: unde congruit quod illo modo exeant quo maiorem habent assimilationem, prout competit creaturae; sed Primum est unicum et simplex et indivisum essentia et duratione; hoc totum non potest convenire[l] creaturae nisi per diminutionem; cum vero[m] exeunt multa a Primo in unico 'nunc', ibi est unitas in[n] duratione suo modo et est multitudo vel diversitas in essentia; si autem exirent multa in multis 'nunc', esset ibi diversitas et durationis et essentiae; ergo magis assimilantur creata Primo, si creantur in unico 'nunc' quam si in multis; ergo et illud magis congruit.

c. Item, singulare est quod concernit[o] hic et nunc, ut dicit Philosophus[3], universale autem vel commune, in quantum huiusmodi, non concernit hic et nunc. Loquamur ergo secundum opinionem Gregorii[4], quod omnia creata sunt simul in quadam communitate et universalitate, et non in[p] individuatione quae post secuta est; hoc enim est, quod dicit Gregorius[5]: «Omnia simul in substantia facta sunt, et non in specie»; ergo ipsis creatis sic in communitate se habentibus non competit diversitas in 'nunc', quae tamen[q] competeret, si crearentur in sua individuatione.

[Solutio]: Quod concedimus quod omnia creata sunt in unico 'nunc' et illud 'nunc' non est aeternitatis nec 'nunc' temporis, sed 'nunc' aevi[6]. Et hoc dicimus, tum quia magis manifestatur Dei potentia creando in uno 'nunc'[r] multa, tum quia creata hoc modo plus conveniunt cum Primo, sicut obiciebatur[7].

Sed adhuc obicitur: Quia maior adhuc videretur assimilatio si tantum unum in uno 'nunc' crearet quam si multa, quia tunc esset assimilatio et in essentia et in duratione. — Respondeo[s] quod verum est quod tunc magis sive maior esset assimilatio, sed non in tantum manifestaretur Dei potentia: unde adhuc plus congruit multa creari in uno 'nunc' quam unum in uno 'nunc'.

251

CAPUT IV.

UTRUM CREATIO CAELI ET TERRAE FUIT ANTE OMNEM DIEM[8].

Deinde quaeritur **I.** utrum creatio caeli et terrae fuit[t] ante omnem diem.

Quod non videtur 1. per hoc quod dicitur[u] Gen. 2,4: *Istae sunt generationes caeli et terrae, quando creatae sunt in die*[v] *quo fecit Deus caelum et terram.* Ergo *in die* fecit caelum et terram[x]; sed suum 'facere' nihil aliud est quam creare; ergo *in die* creavit.

2. Item, obicit Manichaeus[9]: Numquid creavit Deus in tenebris aliquid? Quod si creavit, erat in tenebris. Quomodo ergo *habitat*[y] *lucem inaccessibilem*[10]? Quod si habitat, in luce fecit omnia, ergo caelum etc.[z]; ergo *in die.*

---

[a] Ita V, alii om. [b] VT *in.* [c] Ita V, alii om.; STLC *respondeo* pro *respondet.* [d] R *convincere.* [e] Ita V, STL *sit*, RCZ *fit.* [f] V om., in Z est add. mg. [g] L add. *in.* [h] ST add. *nunc.* [i] Ita V, alii om.; LC *multa* pro *multo.* [k] Ita V, alii *et* pro *i. e.*; V om. *ex.* [l] V *communicare.* [m] V *ergo.* [n] RLCZ om. [o] Z *cernit*, quod LC corr.; T om. *est.* [p] Z om., in T est add. interl. [q] RLCZ add. *diversitas.* [r] Z add. *propter*, quod R exp.; C add. *tum.* [s] C *respondendum*; VZ *quia* pro *quod.* [t] L *sit*, C *fit*, Z *sint.* [u] R *dicit.* [v] R add. *in*; Z *qua* pro *quo.* [x] V om. *ergo... terram.* [y] R add. *Deus*, C add. *in.* [z] Z *et terram.*

1 Cf. infra, num. 251.
2 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 6 (PL 176, 192).
3 Cf. Aristot., *Anal. Post.*, I, c. 31 (I, 150).
4 Cf. supra, p. 307a.
5 *Moral.*, XXXII, c. 12, n. 16 (PL 76, 644).
6 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 70.
7 Parum supra, litt. *b.*
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 12, a. 2, q. 2 (II, 304sq.).
9 Cf. Augustin., *De Gen. c. Manich.*, I, c. 3, n. 6 (PL 34, 176).
10 I ad Tim. 6, 16.

Contra: *a.* Dies est praesentia lucis super terram; sed nondum facta erat[a] lux; ergo nondum fuit dies.

b. Item, Augustinus, XII *Confessionum*[1]: « Informem materiam fecisti ante omnem diem »; sed informis materia nomine caeli et terrae designatur[2]; ergo caelum et terra facta sunt ante omnem diem.

[Solutio]: 1. Ad quod[b] respondeo per hoc quod dicit Augustinus, *Super Genesim* V[3]: « Nunc autem[c] *est hic,* inquit, *liber creaturae caeli et terrae,* cum factus est dies, satis, ut opinor, ostendens non hic se ita commemorasse caelum et terram sicut in principio, antequam fieret dies, cum tenebrae essent super abyssum, sed quo modo factum est caelum et terra, cum factus est dies, id est iam formatis atque distinctis partibus et generibus, quibus universa creatura disposita atque composita reddit[d] hanc speciem, quae mundus vocatur ». Per quod[e] patet quod creare caelum et terram dicitur dupliciter: vel informem materiam facere vel per species et formas distinguere. Hoc ultimo modo dicitur dies, cum dicit: *In die* etc. Alio vero modo accipitur[f] in libro *Confessionum,* cum dicitur: « Informem materiam fecisti ante omnem diem ». Hugo[4]: « Illud primum momentum temporis, quo creata fuit[g] omnium visibilium et[h] invisibilium natura[i], neque nox fuit neque dies et tamen tempus fuit, quia mutabilitas fuit[k] ».

2. Ad illud vero quod obicitur 'Deum fecisse in luce, sicut habitat in luce': respondeo[l] quod lux dicitur vel lux intelligibilis quae ipse est, et in hac luce facit[m], vel lux corporalis, et in hac vel hac existente non creavit caelum et terram, cum dicatur[5]: *Tenebrae erant super faciem abyssi.*

II. Quaerit[n] etiam Hugo de caelo et terra creatis, ubi materies illa informis substitit[o]: an ubi modo formata subsistit an in alio loco vel minori[6].

[Solutio]: Ad quod respondeo[p], sine praeiudicio, quod ibi substitit[q] terra ubi nunc est; alia vero quae nomine caeli designantur[r] vel aquae circumquaque, ut non posset[s] terra apparere quod erat. Unde dicit Hugo[7]: « Erat terrenum hoc elementum medio eodemque imo[t] loco subsidens, ceteris in confusione permixtis, forma meliore praeditum, sed iisdem circumquaque in modum nebulae oppansis[u] ita involutum ut apparere non posset quod erat. Illa vero tria, sicut dictum est, adhuc in una confusione permixta sive potius in una permixtione confusa, circumquaque suspensa, eo usque in altum porrigebantur, quousque nunc summum corporeae creaturae pertingit[8]. Totum hoc spatium, quod a superficie terrae[v] medio iacentis loco usque ad extremum supremumque ambitus caeli limitem patet, illa nebula[x] et caligine replebatur ». Circa vero ista quae nihil certum habent ex Scriptura, nihil temere definiendum est.

QUAESTIO II.

DE CORPORALIUM CREATIONE IN SPECIALI.

Dicto de iis quae communiter pertinent ad creationem, consequenter dicendum est de iis quae pertinent specialiter.

CAPUT I. 252

QUID SIT 'IN PRINCIPIO'[9].

Et primo quaeritur de hoc quod dicitur[y][10]: *In principio,* quid vocetur 'principium'. Et[z] secundum Augustinum, in libro *Confessionum*[11], duplex est expositio, et hoc idem habetur in Glossa[12]: scilicet in Filio vel Verbo vel in principio temporis.

Secundum primam autem expositionem quaeritur. Videtur enim quod non debet supponere pro Filio: 1. Nam creare est commune toti Trinitati; Filius autem non in Filio creat nec Spiritus Sanctus in Filio.

2. Praeterea, *in principio* dicuntur creata, in

---

[a] Ita V, alii *est.* [b] V *hoc.* [c] Ita Z, alii *non* pro *n. a.* [d] Z *reddidit.* [e] C *hoc.* [f] Z *accipimus;* V om. *vero.* [g] Ita V, alii om. [h] L add. *in.* [i] V *materia.* [k] L om. [l] RZ *respondendum.* [m] V om. *e. i. h. l. f.* [n] SL *queritur.* [o] VTL *subsistit.* [p] RZ *respondendum.* [q] T *subsistit.* [r] L *designatur.* [s] R *possit;* VST *ubi* pro *unde..* [t] V om., alii *uno.* [u] V *expansis.* [v] V add. *pertingit.* [x] Ita V, alii *nebule.* [y] Z om. *d. h. q. d.* [z] V om.

1 Cap. 8 (PL 32, 829).
2 Cf. supra, p. 307a et num. 52 ac infra, num. 253.
3 Cap. 1 (PL 34, 321).
4 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 9 (PL 176, 194).
5 Gen. 1, 2.
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 12, a. 2, q. 3 (II, 305sq.).
7 Loc. cit., c. 6 (PL 176, 190).
8 Cf. Gundisal., *De process. mundi* (ed. Bülow, p. 36sqq.).
9 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 485-494; S. Bonav., II *Sent.*, d. 13, dub. 4 (II, 332sq.).
10 Gen. 1, 1.
11 Lib. XII, c. 20 (PL 32, 836).
12 *Ordin., In Gen.*, 1, 1 (PL 113, 67).

Verbo autem facta; dicitur enim [1]: *Dixit et facta sunt;* et Ioan. 1,3: *Omnia per ipsum facta sunt.* Quae differentia est?

Si vero sumatur pro [a] **principio temporis, non videtur verum:** *a.* Tempus enim concreatum est; tempus autem non est in sui initio, scilicet in instanti.

Respondeo [b]: 1. Ad primum dicendum quod, licet creare sit commune toti Trinitati, tamen hic potest appropriari, ut sit sensus: Deus Pater *in principio,* id est [c] in Filio, qui est principium de principio, *creavit.* Sicut enim cum dicitur [2]: *Omnia in sapientia fecisti,* sapientia, licet communiter dicatur de tribus personis, tamen appropriatur personae Filii et fit directio ad Patrem, sic et hic principium potest appropriari; Ioan. 8,25, dicit Filius de se: *Ego principium, qui et loquor vobis.*

2. Ad secundum dicendum quod principium aptatur creationi, Verbum vero ei quod est fieri, licet utrumque communiter respiciat utrumque, quia principium respicit actum primum, actus autem primus est producere res de nihilo: hoc enim convenit principio divino et nulli alteri. Unde si 'principium' respicit fieri [d] secundum quod appropriatur, hoc est secundum posterius, Verbum vero, cum sit declarativum et distinctivum [e], declaratio autem et distinctio formam aut speciem respiciunt, recte ubi agitur de formatione vel distinctione, usus est verbo 'dicendi' vel nomine 'Verbi', sicut habetur in Psalmo [3]: *Verbo Domini caeli firmati sunt.*

a. Ad ultimum dicendum quod, licet principium dicat initium temporis, nihilominus potest dici tempus esse creatum [4], id est quod mensurat mutationem [5]: nondum enim erat motus, mutatio autem poterat esse in initio temporis, deinde vero facto mobili factus est motus. Et si inveniatur motus esse coaequaevus materiae primae [6], dicendum est quod motus accipitur pro mutatione. Basilius tamen, in *Hexaëmeron* [7], aliter exponit dicens quod alia translatio habet *primo;* et secundum hoc est sensus: ante caelum et terram nihil creavit.

253

CAPUT II.

QUID DESIGNETUR NOMINE CAELI [8].

Deinde quaeritur de hoc [f] quod dicitur [9]: *Creavit caelum.*

1. Dividitur enim caelum contra terram, et loquitur de corporibus; ergo caelum non continebitur in nomine terrae. — Contra: Terrae nomine notatur materia informis, de qua fecit caelum [g] et terram; dicitur [10] enim *terra* [h] *inanis et vacua,* vel, secundum aliam litteram [11], *invisibilis et incomposita;* et hoc idem est quod terra; ergo caelum continetur in nomine terrae.

2. Item, dicitur in Psalmo [12]: *Caelum caeli Domino* etc. Ibi distinguit caelum et terram tamquam diversam habitationem et dicit quod « per caelum intelligitur caelum empyreum, quod statim sanctis angelis est repletum [13] »; sed constat quod angeli, sicut dicit Augustinus, creati erant simul cum materia informi. Unde dicit in libro *Confessionum* [14]: « Duo reperio, quae fecisti carentia temporibus, cum tamen neutrum tibi coaeternum sit: unum, quod ita formatum est, ut [i] sine ullo defectu contemplationis [k], sine ullo intervallo mutationis, quamvis mutabile, tamen non mutatum, tua aeternitate atque incommutabilitate [l] perfruatur; alterum quod ita informe [m] erat ut, ex qua forma in quam [n] formam vel motionis vel stationis mutaretur, quo tempori subderetur, non haberet ». Ergo angeli ad caelum pertinebant. Restat ergo quod nomine caeli intelligitur caelum [o] empyreum et angeli, et ita non videtur pertinere ad informem materiam, quae nomine caeli vel aquae designatur.

3. Item, videtur quod caelum empyreum, cum sit corpus, pertineat ad materiam informem. Caelum enim empyreum pars est mundi, prout mundus dicitur machina mundana; sed ex materia informi factus est mundus; ergo et caelum empyreum. — Item, dicit Hugo [15] quod per caelum intelligitur quidquid est mundi sensibilis praeter terram; unde dicit: « In altum porrigitur, quousque summum naturae corporeae pertingat ». Ergo caelum empyreum [p] continebatur in materia informi caeli.

---

[a] L *in.* [b] Ita V, alii om. [c] C *scilicet* pro *i. e.;* V om. *in.* [d] R om. [e] V *ad declarationem et distinctionem* pro *d. e. d.* [f] STLC *eo.* [g] T om. [h] Ita VT, alii add. *erat.* [i] Ita V, alii *et;* T om. *est.* [k] Ita VL, alii *contemplationi.* [l] S *commutabilitate.* [m] S *forme.* [n] Z *aliam.* [o] Ita V, alii om. [p] V om.

[1] Psalm. 32, 9.
[2] Psalm. 32, 6.
[3] Psalm. 103, 24.
[4] Cf. supra, num. 49.
[5] Cf. Aristot., *Phys.,* IV, c. 11 (II, 300).
[6] Cf. supra, num. 70.
[7] Cf. hom. 1, n. 6 (PG 29, 18): « ἐν κεφαλαίῳ ».
[8] Cf. Alex. Hal., supra, num. 52; S. Bonav., II *Sent.,* d. 12, dub. 1 (II, 306sq.).
[9] Gen. 1, 1.
[10] Gen. 1, 2.
[11] Scilicet Septuaginta.
[12] Psalm. 113, 16.
[13] Cf. Beda, *Hexaëm.,* I, in principio (PL 91, 13).
[14] Lib. XII, c. 12 (PL 32, 831).
[15] *De sacram. christ. fid.,* I, p. 1, c. 6 (PL 176, 190).

Contra: *a. Caelum caeli* dicitur empyreum caelum, quod statim sanctis angelis est repletum; sed eis non congruit habitatio informis iam formam habentibus; ergo illud [a] caelum erat formatum.

Respondeo [b]: 1. Ad primum dicendum quod, licet caelum [c] dividatur contra terram, id est materiam informem de qua haec fierent quae inter se dividuntur, nihilominus cum dicitur: *Terra erat inanis* etc., ibi caelum continetur sub informitate terrae [d]. Aliter enim quodam modo accipitur nomen terrae: primo [e] accipitur pro materia, in quantum ex ea futura erat terra; secundo vero accipitur communiter.

2. Ad secundum dicendum [f] quod caelum empyreum continetur nomine caeli, et sicut angeli quodam modo [g] informes dicebantur priusquam reciperent formam gratiae, quae nomine lucis designatur [1], ita et caelum empyreum poterat dici informe, quousque Dominus in formam perfectam redigeret, dicendo [2]: *Fiat lux* etc. Et secundum hoc nomine lucis non intelligitur tantum lux quae distinguit per sui revolutionem noctem et diem, sed etiam lux distincta a tenebris, quo modo [h] caelum empyreum est lux distincta: tenebrae enim hic fiunt in aëre, aqua et terra, ibi autem non.

3. Ad aliud dicendum [i] quod, licet pertineat caelum empyreum ad angelos, nihilominus tamen potuit aliquo modo ad materiam informem pertinere. Et sic videtur Hugo [3] sentire. In talibus autem nihil est temere definiendum.

CAPUT III. 254

QUID INTELLIGITUR NOMINE TERRAE.

Deinde quaeritur **I.** 1. ratione eius quod dicitur terra creata, quare non fit mentio de aliis elementis in creatione, cum sint nobiliora.

2. Praeterea, fit mentio de aqua et secundum unam expositionem [4] de aëre, de igne vero nulla fit mentio, cum sit inter elementa nobilissimum.

[Solutio]: Ad quod respondeo [k] quod, numeratis extremis corporibus, dat intelligere media. Et posset dici quod nomine caeli intelligitur ignis — est enim caelum igneum — et similiter aër [l] — est enim caelum aëreum — terra vero est alterum extremorum, aqua vero [m] tenet medium. Vel per terram et aquam, sicut dicit Augustinus, *Contra Manichaeos* [5], intelligitur materia informis, quae se habet ad omnia; nomine autem terrae et aquae nominantur, quia haec sunt nobis propinquiora et manifestiora.

II. 1. Sed quid est quod dicit terram esse *inanem et vacuam* vel *invisibilem et incompositam* secundum aliam translationem [6]? Nonne terra [n], id est materia, formas habuit, et ita non vacua fuit? — Item, 'inane' dicitur quod est sine soliditate; nonne terra tunc habuit soliditatem corporalem? — Item, visibilis erat, cum esset corpus; compositionem habebat, cum non esset simplex ut Deus, sed creatura; quare igitur dicitur *incomposita*? — Praeterea, erat ibi forma cum materia.

2. Item, quare [o] nomine *abyssi* designatur? Si enim abyssus idem est quod terra, sicut dicit Augustinus [7], quare potius dicitur [8] quod *tenebrae erant super faciem abyssi* quam super faciem terrae? — Item, quaeritur quare, si [p] idem est terra, abyssus et aqua, ita diversis nominibus nominentur?

Respondeo [q] [9]: 1. Ad primum dicendum quod '*inane*' dicitur respectu formae distinctae, '*vacuum*' vero [r] dicitur respectu ornatus. Similiter, secundum aliam translationem, '*invisibilis*' dicitur respectu formae sive speciei, secundum quam est delectatio in visu, '*incomposita*' vero dicitur, id est sine compositione, id est [s] ornatu. — Ad obiectum autem in contrarium respondeo dicendum [t] quod non dicitur '*inane*' quia non habebat soliditatem vel corpulentiam. Praeterea, '*vacua*' non dicitur quia nullam habuerit formam, sed quia non habuit formam replentem et ornantem eam. Item, '*invisibilis*' dicitur, non [u] quia non posset [v] videri, sed quia non poterat videri ut speciosa. Item, '*incomposita*' non dicitur quia non habuerit compositionem, sed quia non habuit decentiam ornatus.

2. Ad illud [x] quod obicitur de abysso et aliis nominibus quae coincidunt in eamdem rem, respondeo [y] [10] quod ex diversis rationibus materia informis tria sortitur vocabula. Est enim potentia

---

[a] V om. [b] Ita V, alii om. [c] Z om. [d] T om. *ibi... terrae.* [e] C add. *enim.* [f] Ita V, alii add. *est.* [g] S om. [h] V *quando,* L *quoniam,* C *quia* pro *q. m.* [i] Ita V, alii *vero dicendum est.* [k] RZ *respondendum.* [l] LC (correcti) *aëreum.* [m] V *autem.* [n] T om. [o] Ita V, alii *quid.* [p] T *quod* pro *q. s.;* L om. *quaeritur.* [q] Ita V, alii om.; T *dicitur* pro *dicendum.* [r] T om. [s] C *et sine* pro *i. e.* [t] Ita V, CZ *respondendum* pro *r. d.;* STL om. *dicendum,* R om. *respondeo,* [u] T om. [v] VLC *possit;* L *non* pro *sed.* [x] S om. [y] RZ *respondendum.*

1 Cf. supra, num. 105.
2 Gen. 1, 3.
3 Loc. cit.
4 Cf. Beda, *Hexaëm.*, I (PL 91, 15); Basil., *Hexaëm.*, hom. 1, n. 7 (PG 29, 18).
5 Cf. lib. I, c. 7, n. 12 (PL 34, 179).
6 Secundum Septuaginta.
7 Cf. *De Gen. ad litt.*, I, c. 9, n. 15 (PL 34, 252).
8 Gen. 1, 2.
9 Cf. supra, p. 311b sq.
10 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 12, dub. 1 (II, 307b).

materiae receptiva, quae deficit in genere potentiae respectu potentiae activae vel simpliciter vel secundum quid: et quantum ad hoc habet rationem terrae; terra enim inter omnia elementa minus habet de ratione activi. Item, dicitur 'abyssus', id est sine candore, quia sine specie et pulcritudine, ut ostendatur defectus ex parte speciositatis. Dicta est 'aqua', quia aqua est[a] male terminabilis proprio termino, bene alieno: ita materia bene terminabilis per formam et debitam dispositionem. Ex defectu ergo terminationis dicta est aqua, quia de facili ductilis et fluxibilis[b] subiacebat operanti, ut de ea omnia formarentur et a[c] primo agente daretur eidem[d] virtus per formam, species per distinctionem, terminatio per ornatum[e], a summa scilicet potentia, sapientia et bonitate.

255

CAPUT IV.

QUID EST DICTU 'TENEBRAE ERANT SUPER FACIEM ABYSSI'[1].

Deinde quaeritur de hoc quod dicitur[2]: *Tenebrae erant super faciem abyssi.*

1. Tenebra enim dicitur privatio luminis; privatio autem sequitur habitum[3]; lumen autem non praecessit; ergo non erant tenebrae.

2. Praeterea, quaeritur quare non dicitur tenebra creari[f] sicut et lumen consequenter fieri.

Respondeo: 1. Ad primum[g] quod tenebra antecedenter non dicit privationem luminis[h] ordine naturali[i] consequentis, sed negationem eius quod nondum factum est et est fiendum. Unde non est necesse prius fuisse lumen.

2. Ad secundum vero dicendum quod tenebra non dicitur creari vel fieri a Deo, quia ex privatione luminis consequitur; nec est aliquid simpliciter, sed defectus eius quod a Deo conditum est. Et hoc habetur per hoc quod dicit Augustinus, in libro *Contra epistolam fundamenti*[4]: « Silentium enim non est aliquid, sed defectus soni et[k] tenebra similiter; hic[l] autem nihil aliud dicitur nisi[m] quia nondum erat lumen ». Hugo[5] autem vult distinguere inter terram et abyssum et quod dicitur[6]: *Terra erat*[n] *inanis et vacua, et tenebrae erant* etc., ut quia « duo proposuerat supra, caelum scilicet[o] et terram, modo alia subiungit[p] duo, ut abyssus ad terram, tenebrae vero ad caelum referantur[q] ». Sed hoc non video expositionibus Sanctorum convenire.

256

CAPUT V.

QUID SIT DICTU 'SPIRITUS DOMINI FEREBATUR SUPER AQUAS'.

Deinde quaeritur ratione eius quod dicitur[7]: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

Potest enim quaeri quid nomine aquarum designetur et qualiter *spiritus Domini super* eas *ferebatur* et quare potius *super aquas* in hac ratione quam super terram.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod nomine aquarum notatur[r] materia receptibilis debitae formae et localitatis ei respondentis. Spiritus autem Domini magis dicitur ferri *super aquas,* quia bonitas Dei, quae appropriatur Spiritui Sancto, est principium huius terminationis per formam distinctam et locum determinatum.

Sed si quaeratur quare *super aquas*[s] potius dicitur ferri quam esse in aquis, cum Spiritus Dei sit ubique: respondeo quod loquitur de Spiritu Domini, qui superior est natura et[t] in ratione agentis, et sic agitur de illo, licet[u] in ratione quadam dicatur[v] continere[8] partes invicem quasi[x] esset intra.

---

[a] Ita V, T om. *q. a. e.*, alii om. *est.* [b] SLZ *fluxis.* [c] R *de.* [d] V *el*, L om. [e] V *terminus per ordinationem* pro *t. p. o.* [f] V om. [g] Ita V, alii om. *a. p.* [h] Ita V, alii om. [i] Ita V, alii add. *rei.* [k] RZ om. [l] RLCZ *hoc.* [m] Ita V, alii om. [n] T om. [o] T om. [p] ST *subiungitur.* [q] LR *referuntur.* [r] Z *denotatur.* [s] T om. *s. a.*; V *queritur* pro *quaeratur.* [t] RZ om. [u] VS *sed.* [v] V *qua dicitur* pro *q. d.*, R *dicat.* [x] VT *quod.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 12, dub. 2 (II, 307sq).
2 Gen. 1, 2.
3 Cf. Aristot., *De caelo*, II, c. 4 (II, 392).
4 Cap. 31 (PL 42, 197), ad sensum.
5 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 6 (PL 176, 191).
6 Gen. 1, 2.
7 Gen. 1, 2.
8 Cf. Sap. 1, 7.

TRACTATUS SECUNDUS

DE RERUM CORPORALIUM DISTINCTIONE ET ORNATU

SEU DE OPERE SEX DIERUM

QUAESTIO I.

DE CORPORALIUM DISTINCTIONE ET ORNATU IN COMMUNI.

Habita consideratione de rebus corporalibus quantum ad creationem, consequenter dicendum est de rebus corporalibus, quantum ad distinctionem vel ornatum sive factionem, quod generale est ad utrumque.

Et primo quaedam consideranda sunt in communi, deinde secundum distinctionem dierum in iis quae pertinent ad distinctionem vel ornatum rerum specialiter.

Consideranda autem in communi sunt haec:

Primo, utrum omnia facta essent in illo tempore in materia vel non;

secundo, si facta sunt in materia tunc, utrum in genere vel in specie sint omnia facta tunc vel non vel quaedam sic et quaedam non;

tertio, si naturalia facta sunt in genere et [a] in specie vel non;

quarto, si simul facta sunt vel non simul;

quinto, si non simul, sed in diebus differentibus, secundum quid fiebat tunc [b] dies et quare tot.

CAPUT I. 257

UTRUM TUNC OMNIA CORPORALIA FACTA SINT SIMUL RATIONE MATERIAE VEL NON.

Ad primum sic: *a.* Omnia creata sunt simul et hoc 'simul' est ratione materiae; creare autem est 'facere' sub communi ratione; ergo omnia facta sunt simul.

b. Ad idem facit quod dicit Augustinus, *Contra Manichaeos*[1], introducens auctoritatem de libro Sapientiae[2]: *Qu. fecisti mundum de materia invisa,* ubi nos habemus: *Qui creavit orbem terrarum de materia invisa;* ergo sicut dicuntur simul creata [c] in materia, sic dicentur [d] omnia facta tunc ratione materiae.

Contra: 1. Scriptura libri Geneseos et Psalmorum distinguit inter creare et facere. Psalm.[3]: *Dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt,* ut creatio respiciat ad exitum de non-esse in esse, factio autem respiciat ad formam in materia; non autem omnia tunc facta sunt in propria materia et [e] forma; ergo non omnia tunc dicuntur esse facta.

2. Praeterea, res mirabiles [f] non tunc factae sunt in sua forma, ut incarnatio non tunc facta fuit in sua forma, licet esset humana natura, et ita de aliis mirabilibus et artificialibus; ergo non omnia tunc erant facta.

[Solutio]: 1. Ad quod videtur dicendum quod, sive 'factum' [g] dicatur communiter ad creatum sive proprie, sicut distinguitur in libro Geneseos, omnia dicuntur facta simul ratione materiae; et quia materia non fuit denudata sive nuda a forma aliqua, dicuntur omnia esse facta, sed non in propria forma neque in numero, sed in aliqua forma, quae ratione materiae suae et ratione sui habuit [h] possibilitatem obedientiae ad omne quod voluit

---

[a] Ita R, alii *vel;* VST om. *in.* [b] R om. [c] V om. *de materia... creata.* [d] T *diceretur.* [e] S om. [f] V *mutabiles.* [g] S add. *est.* [h] C *habent.*

[1] Cf. *De Gen. c. Manich.*, I, cc. 5 et 6 (PL 34, 178). [2] Sap. 11, 18. [3] Psalm. 32, 9.

Deus facere de illa creatura. Unde Augustinus, post quaestionem motam super Genesim, dicit[1]: « Restat quod ad utrumque habiles sunt creatae [a] [sive] ad istum modum quo usitatissime temporalia transcurrunt sive ad illum quo rara et [b] mirabilia fiunt, sicut placuit Deo facere ». Factae ergo sunt res in materia et in aliqua forma, ut de qua possit Deus facere illud quod ei placuerit.

2. Ad hoc autem [c] quod dicitur de incarnatione, dicendum quod humana natura tunc facta est, quae habuit possibilitatem obedientiae, ut in [d] individuo, in quo placuit Deo [e], uniretur vel uniri posset divinae naturae; non est autem aliqua causa in creatura ut fiat, sed in Deo, cui nihil est impossibile. De artificialibus autem dicendum [f] quod ipsa tunc facta sunt in materia, quae tunc nuda fuit a forma.

258

CAPUT II.

UTRUM TUNC OMNIA CORPORALIA FACTA SINT IN GENERE VEL IN SPECIE.

Deinde supposito quod omnia corporalia facta fuerint in materia, quae tamen non fuit sine aliqua forma, et hoc est fieri in materia — unde dicit Hugo[2] nihil postea factum cuius materia, ut in corporibus, aut similitudo, ut in spiritibus, non praecesserit [g] — quaeritur tunc utrum omnia tunc dicantur facta in genere et in specie aut non.

Et videtur quod non: *a.* Multa enim facta sunt per artificium, multa etiam ex putrefactione, multa etiam [h] ex commixtione elementorum, multa ex copulatione rerum diversarum specierum, sicut accidit in burdone et consimilibus.

Contra: 1. Super illud[3]: *Requievit ab omni opere, quod patrarat,* Glossa[4]: « Quievit [i] a condendis generibus et speciebus »; ergo nullum genus novum vel nova species post condita est.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod non omnia facta sunt in genere aut in specie propria, ut artificialia et consimilia.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem in contrarium ex Glossa [k] dicendum quod quievit a generibus et speciebus quae erant causae ad producendum ista [l] naturalia et artificialia in suis propriis speciebus sufficienter sub ipso.

259

CAPUT III.

UTRUM OMNIA NATURALIA TUNC FACTA SINT IN GENERE ET IN SPECIE.

Deinde quaeritur si naturalia omnia tunc facta sunt in genere et [m] specie vel non.

Et videtur quod sic: *a.* De talibus enim [n] dictum est Eccli. 1,9-10: *Quid est quod futurum est? Ipsum quod fuit; nihil sub sole novum.*

b. Praeterea, *opera Dei perfecta* erant, sicut dicitur in Cantico Deuter.[5] et dicitur Gen. 2,1: *Perfecti sunt* [o] *caeli et terra et omnis ornatus eorum;* perfectum autem dicitur cui nihil deest[6]; ergo nihil defuit in caelo vel [p] in terra quantum ad ornatum; cum ergo genera et species rerum naturalium fuerint ad ornatum, omnia naturalia tunc facta sunt in generibus et [q] speciebus.

c. Item[7], *vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona;* sed 'valde bonum' dicitur in termino intensionis boni in suo genere; ergo res naturales tunc erant factae in suis generibus et speciebus: nam si aliquae non essent factae, non esset tunc positus terminus bonitatis in genere.

Contra: 1. Multa genera vermium producuntur ex cadaveribus animalium; sed nondum erant cadavera; ergo nondum [r] erant huiusmodi species. Similiter potest obici de iis quae fiunt ex [s] exhalationibus vaporum, cum nondum essent.

Respondeo [t]: 1. Videtur quod omnia facta sint [u], scilicet naturalia, in suis generibus et speciebus, id est principiis generationum suarum. Licet ergo

---

[a] VST *creature.* [b] R om. [c] V *secundum* pro *h. a.* [d] LZ om. [e] S add. *ut.* [f] Ita V, alii add. *est.* [g] V *precessisset.* [h] V om. [i] C *requievit.* [k] Ita V, ST *in Glossa,* alii *Glosse* pro *e. G.* [l] V *ita.* [m] T *vel.* [n] V om. [o] RZ om. [p] C *et.* [q] L om. [r] TRL *necdum.* [s] VT om. [t] RZ *respondendum.* [u] RLC *sunt.*

1 *De Gen. ad litt.,* VI, c. 14 (PL 34, 349).
2 Cf. *De sacram. christ. fid.,* I, p. 1, c. 6 (PL 176, 192).
3 Gen. 2, 2.
4 *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran., ex Augustino, *De Gen. ad litt.,* IV, c. 12, n. 22 (PL 34, 304).
5 Deuter. 32, 4.
6 Cf. Aristot., *Phys.,* III, c. 6 (II, 282).
7 Gen. 1, 31.

vermes tunc non essent et huiusmodi quae fiunt consequenter [a], nihilominus principia generationum erant, ut cum esset materia conveniens, producerentur in esse. Unde ista facta sunt materialiter et causaliter, non quod in se habeant naturam [b] producendi simile ex simili.

CAPUT IV. 260

UTRUM OMNIA NATURALIA SINT FACTA SIMUL IN GENERE VEL IN SPECIE [1].

Quarto quaeritur utrum omnia naturalia [c] sint facta simul in genere vel in [d] specie.

Quod videtur 1. per hoc quod dicit Augustinus, in libro *Confessionum* [2]: « Verbo tuo simul et sempiterne [e] dicis quae dicis nec aliter quam dicendo facis ». Ergo simul fecit; ergo ipsa sunt simul facta.

2. Praeterea, aequalis facilitatis est Deo simul omnia facere sicut simul [f] omnia creare; sed *simul omnia creavit* [3]; ergo simul omnia fecit, cum hoc magis congruat omnipotentiae.

3. Praeterea, ratio quare artifex unum facit post alterum est [g] quia non simul potest converti ad multa secundum eamdem partem omnino.

4. Praeterea, materia non est aptata, sed oportet eam aptari [h]: hoc autem imperfectionis est; in Deo autem est summa perfectio; ergo simul omnia fecit.

5. Praeterea, dicitur in Gen. 2, 4: *Istae sunt generationes caeli et terrae, in die quo fecit Deus caelum et terram;* ergo in una die fecit omnia; et pari ratione in uno 'nunc' vel in modico tempore.

Contra: *a.* In [i] Gen. [4] dicitur primus dies [k], secundus dies et ita de aliis; ergo plures erant dies; non ergo simul omnia sunt facta.

b. Item, Gregorius [5]: « Omnia simul creata sunt, quia [l] in materia simul facta sunt quae de eis habent originem, sed non in specie, quae sequentibus diebus est ostensa ».

c. Praeterea, videtur quod inter [m] Sanctos nullatenus deberet esse discrepantia opinionum quoad creationem, sed quoad factionem [n], Eccli. 18, 1: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul,* non dicit 'fecit'. — Item, nisi dictum fuisset primus dies, secundus et tertius, non esset diversitas opinionum, ut videtur; in hoc tantum est controversia quod quidam dicunt omnia in uno die esse facta [o], ut Augustinus [6], quidam in sex, ut Gregorius [7] et Hieronymus [8]; sed ante omnem diem fuit creatio, ut patet ex textu, Gen. 1, 1 dicitur: *In principio creavit Deus* [p] *caelum et terram;* satis autem [q] postmodum subiungit de prima die. — Item, Augustinus [9]: « Ubi nulla species, nullus ordo, nec etiam dies est [r] »; sed species et ordo primo dicuntur in factione lucis; sed ante hoc fuit creatio; ergo penes creationem nulla debet esse diversitas inter opiniones Sanctorum, quin scilicet dicant omnes quod omnia simul creata sunt. Sed de factione rerum potest esse controversia, et hoc designat Gregorius qui dicit omnia simul esse facta in substantia: fieri enim in substantia est fieri in materia, et hoc est creari. — Quod concedimus.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem [s] dicendum quod, licet simul sit 'dicere' quantum est ex parte dicentis, non tamen [t] est simul quantum est ex parte eius quod dicitur. Dicere enim sumitur multipliciter. Uno modo est [u] aeternum, secundum quod Pater dicit Filium; alio modo idem est quod creare, et secundum hoc ex parte eius quod dicitur non est simul, sed potest [v] esse secundum prius et posterius, et [x] sic accipitur hic secundum sententiam Sanctorum qui pluralitatem dierum ponunt ad litteram.

2. Ad secundum dicendum [10] quod, licet aequalis facilitatis sit simul creare et facere simul, prout creare distinguitur a facere, tamen creatio quia respicit materiam informem et 'facere' respicit formas in materia distinctas, in quibus potest esse [y] prius et posterius tempore sicut est prius et posterius natura, ideo dissimile est quantum est ex parte creati et facti. Et sicut [z] instruitur homo, ad quem ordinatae sunt corporales creaturae, in hoc quod prius condidit informe et post formavit et distinxit, ita instruitur in hoc, si fecit secundum prius et posterius in tempore.

---

[a] T add. *enim.* [b] L *naturis.* [c] T om. [d] R om. [e] V *sempiterno;* ST *in sempiterno* pro *e. s.* [f] V om. *o. f. s. s.* [g] Ita RL (mg.) C (interl.), alii om. [h] Ita V, alii *aptare.* [i] T *contrarium* pro *c. i.* [k] L add. *et.* [l] VST add. *non.* [m] V *in.* [n] S *affectionem.* [o] Ita V, alii om. *e. f.;* R *ut dicit* pro *ut.* [p] S om. [q] T om. *s. a.* [r] VT om. [s] Ita V, alii om. [t] V om. [u] L om. [v] S *post.* [x] T add. *etiam.* [y] T om. [z] RLCZ *sic.*

1 Cf. supra, num. 250, I.
2 Lib. XI, c. 7, n. 9 (PL 32, 813).
3 Eccli. 18, 1.
4 Cap. 1, 5, 8, 13 etc.
5 *Moral.*, XXXII, c. 12, n. 16 (PL 76, 644). De argumentis *b*, *c*, cf. supra, num. 248.
6 Cf. *De Gen. ad litt.*, I, c. 15, n. 29 (PL 34, 257).
7 Loc. cit.
8 *Adv. Iovin.*, I, n. 16 (PL 23, 255); cf. *In Epist. ad Tit.*, c. 1 (PL 26, 559).
9 Cf. *Confess.*, XII, c. 15, n. 21 (PL 32, 834).
10 Cf. supra, p. 307b, *ad 1;* S. Bonav., I *Sent.*, d. 42, dub. 2 (I, 760).

CAPUT V.

SECUNDUM QUID FIEBAT TUNC DIES ET QUARE TOT [1].

Quinto quaeritur secundum quid fiebat tunc [a] dies et quare tot.

Dicitur autem fieri dies dupliciter: vel ex praesentia lucis corporalis, sicut testantur Gregorius [b 2], Beda [3] et Hieronymus [4]; vel ex praesentia lucis spiritualis, sicut testatur Augustinus [5].

Primo ergo procedendum est secundum primam expositionem, scilicet secundum quod dies habet fieri ex praesentia lucis corporalis;

secundo, secundum secundam expositionem.

Circa primum primo quaeritur quae fuerit lux corporalis, ex cuius praesentia fiebat dies;

secundo, qualiter illa lux faciebat diem;

tertio, utrum illa lux sit adhuc an desierit esse facto sole;

quarto, si non desiit, sed mutatur in aliud, in quid mutata est;

quinto, utrum in uno die facta sunt illa opera, de quibus agitur Gen. 1, an pluribus diebus;

sexto, quare non dicitur nox facta esse sicut dies, cum dicitur [6]: *Factum est* [c] *vespere* etc.

261

ARTICULUS I.

Quae fuerit lux corporalis ex cuius praesentia fiebat dies.

Ad primum sic: Ex praesentia luminarium super terram vel absentia videtur fieri dies et nox: dies enim est latio solis super terram; sed, cum nondum erant luminaria, non poterant ita ferri super terram vel [d] subtus; ergo nec [e] ex eorum allatione [f] poterat fieri dies; sed quarto die primo facta sunt *luminaria,* ut patet Gen. 1, 16; ergo non fuit dies usque [g] ad tempus quarti diei; ergo male dicitur ibi primus dies [h] vel secundus vel tertius.

[Solutio]: Ad quod dicendum secundum istam opinionem quod lux ista [i] non fuit lux solis vel [k] aliorum luminarium, quia revera facta sunt quarto die, sed fuit quoddam corpus lucidum formatum ex praeiacenti materia, ex cuius praesentia super terram fiebat dies, ex occasu autem eius sub terra nox. Et hoc habetur plane in II libro *Sententiarum,* 13 dist., cap. *Si autem quaeritur qualiter lux illa* [l] *facta fuerit* [7] etc., et [m] accipitur a Beda [8], qui dicit quod nubecula lucida, quae hic vocatur lux, ab initio fecit diem et noctem: diem [n], cum apparebat, noctem, cum erat abscondita, et descendens ad occasum fecit vespere, et revocata ad ortum, mane. Et hoc est quod dicitur [9]: *Divisit lucem a tenebris.* Unde dicimus quod ab illustratione lucis huiusmodi fiebant tres primi dies sicut sequentes ab illustratione lucis solis.

262

ARTICULUS II.

Qualiter lux illa faciebat diem [10].

Secundo quaeritur qualiter lux illa faciebat diem.

1. Aut enim illa lux [o] erat sparsa circumquaque ex omni parte terrae [p] aut in aliqua parte magis coadunata quam in [q] alia. Si sparsa circumquaque, ergo ex omni parte illuminabat; ergo undique erat dies; ergo non erat distinctio diei [r] et noctis; quid ergo dicitur [11]: *Divisit lucem a tenebris*?

2. Si propter hoc dicatur quod erat coadunata lux illa magis in una parte illius corporis quam in [s] alia, et quando ista [t] pars illius in quo [u] erat lux ista coadunata, erat super terram, erat dies, quando vero occidebat sub terra, erat nox – contra: probatur quod erat sparsa. Nam quando dictum est [12]: *In principio creavit Deus caelum et terram,* ibi dicitur materia in confusione formarum corporalium, quae primo indistinctae

---

[a] Ita V, alii *ibi.* [b] S add. *et;* VT om. *et.* [c] STL om. [d] V *sed.* [e] V om. [f] VST *ablatione.* [g] Ita R, alii *donec.* [h] C om. [i] V *illa.* [k] V *sed.* [l] Ita V, alii *ista.* [m] Ita R, alii om. *e. e.* [n] V om. *e. n. d.* [o] C om. [p] VTR om. [q] Ita V, alii om. [r] Ita V, alii *dierum.* [s] T om. [t] SR *illa.* [u] R *qua.*

1 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 13, cc. 2-3 (p. 363 sqq.).
2 Cf. supra, p. 309a.
3 *Hexaëm.,* I (PL 91, 15).
4 Cf. supra, p. 307b.
5 Cf. *De Gen. ad litt.,* I, c. 3, n. 7 et IV, c. 21 (PL 34, 248, 311); *Contra Faustum,* XXII, cc. 9 et 10 (PL 42, 405).
6 Gen. 1, 5.
7 Cap. 2 (p. 363).
8 *Hexaëm.,* I, in principio (PL 91, 17); cf. Lombard., loc. cit. (p. 364).
9 Gen. 1, 4.
10 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 13, a. 1, q. 2 (II, 314 sqq.).
11 Gen. 1, 4.
12 Gen. 1, 1.

et post distinctae sunt; unde in se includebat lucem illam praedictam, quia terra habebat in se rationem opacitatis et luminositatis, sed post, cum facta est lux, divisa est actualiter opacitas a luminositate sive opacum a luminoso et cessit opacitas ex parte terrae, luminositas ex parte caeli. Et haec duo exiguntur ad hoc ut esset dies vel nox. Si enim non esset aliquod corpus potens proicere umbram, quod fit ratione opacitatis, non esset tenebra; ergo a simili, si opacitas [a], quae cessit in partem terrae, aequaliter erat ex omni parte terrae [b], videtur quod similiter luminositas, quae cessit in partem caeli, aequaliter erat ex omni parte; ergo lux praedicta sparsa erat; ergo restat, ut prius, quod per eam non erat distinctio diei et noctis.

3. Item, intelligamus quod nulla sit stella, sed tantum caelum uniforme per totum revolvatur circa corpora [c] inferiora: tunc non erit effectus generationis et corruptionis in inferioribus, quia iste effectus est in eis a planetis maxime et etiam ab aliis stellis secundum elongationem earum vel approximationem [1]; erit tamen effectus conservationis rerum in esse ab ipso caelo: iste enim effectus, qui est conservare in esse, uniformis est; unde bene est ab eo quod uniforme est. Cum igitur in tribus primis diebus nondum factae essent stellae, non erat generatio et corruptio in inferioribus, erat tamen in eis tunc conservatio, quia de factis tunc nihil deperiit, et non erat ponere a quo esset huiusmodi conservatio, a quo scilicet creato, nisi ab illa luce praedicta; lucis ergo illius erat conservare res iam entes [d]; sed non conservaret uniformiter nisi esset sparsa ex omni parte, quia non aeque distaret semper ab omnibus, si coadunata esset in aliqua [e] parte sicut sol; ergo non faciebat distinctionem diei et noctis.

Respondeo: Licet Augustinus [2] videatur dicere de luce spirituali, tamen supponamus ad praesens quod lux ista fuerit corporalis, sicut exponit Beda, Gregorius et Hieronymus. Dicimus ergo quod in principio, quando creatum est caelum et terra, in terra, quae erat materia omnium corporum mutabilium, continebantur per confusionem perspicuitas [f] et opacitas, postmodum vero, cum dictum est [3]: *Fiat lux* [g], divisa est actualiter perspicuitas ab opacitate, et tunc opacum, cum cessit ex parte terrae [h] propter sui resistentiam, quia scilicet non erat pervium luci, proiecit [i] umbram, perspicuum vero, quod cessit in partem superiorem, sui [k] giratione circa opacum fecit diem et noctem.

[Ad obiecta]: 1-3. Ad id quod obicitur quod 'lux ista sparsa erat et sic non poterat distinguere diem et noctem': dicimus quod revera lux erat sparsa, quia undique ex parte terrae erat illud perspicuum, tamen nihilominus erat magis coadunata in una parte quam in aliis. Unde dicimus quod illud corpus, in quo erat lux ista, duplicem habebat effectum: ratione enim perspicuitatis, quae [l] erat uniformis per totum, habebat effectum conservandi res corporales inferiores; ratione vero lucis, quae coadunata erat in aliqua parte illius corporis, habebat effectum declarandi et multiplicandi. Sicut enim dicit Augustinus, *Super Ioannem* [4], et Ambrosius, in *Hexaëmeron* [5], lux habet virtutem declarandi se et alia [m] et multiplicandi se et alia; sed postmodum, cum facti sunt planetae, secundum allationem [n] suam in obliquo [o] circulo secundum propinquius et remotius fuit generatio et corruptio in rebus. Bene [p] ergo concedimus quod lux, in eo quod sparsa erat, non faciebat diem et noctem, sed secundum quod coadunata [q]: utrumque enim erat ibi reperire, scilicet et sparsionem uno modo et coadunationem alio modo.

ARTICULUS III-IV. 263

Utrum lux ista sit adhuc an desierit facto sole et in quid mutata sit.

Tertio quaeritur utrum ista [r] lux sit adhuc an desierit esse facto sole, sicut videtur dicere quaedam opinio [6]. Dicit enim quod lux ista erat imperfecta sive diminuta respectu luminis solis et sole adveniente cessit in materiam ex qua ipsa facta erat.

1. Si dicatur quod desiit esse penitus, ex hoc videtur sequi inconveniens, scilicet quod Deus aliquid fecerit quod statim desineret esse, et sic non videretur summe sapiens.

2. Item, probatur adhuc quod non cessit soli, quia completius non cedit minus completo; sed

[a] T om. *non esset... opacitas.* [b] T om. [c] ST *opera.* [d] T *rem iam entem* pro *r. i. e.* [e] R *alia.* [f] V *perspicacitas*, item infra. [g] T add. *et facta est lux.* [h] C om. [i] T add. *autem.* [k] LCZ *sua.* [l] V *qui.* [m] R om. *s. e. a.* [n] V *lationem*, T *albationem.* [o] Ita LCZ (correcti in mg.), alii *aliquo.* [p] S *unde.* [q] SC *adunata*, quod L corr.; R add. *erat*, quod C exp. [r] S *stabat.*

1 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 464sq.); *Meteor.*, I, c. 2 (III, 552sq.).
2 Cf. supra, p. 322, nota 5.
3 Gen. 1, 3.
4 Cf. Alex. Hal., supra, p. 133, nota 8.
5 Cf. lib. I, c. 9, n. 33sq. (PL 14, 142sq.).
6 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 13, c. 5 (p. 366); S. Bonav., II *Sent.*, d. 13, dub. 2 (II, 331).

ista[a] lux completior erat luce solis; ergo non cessit luci solis. — Probatio mediae: Dicit Damascenus[1] quod opera primae diei et septimae completiora sunt operibus ceterorum dierum; ergo, cum ista lux esset opus primae diei, sol vero opus quartae diei, ista lux nobilior erat sole.

3. Item, a nobiliori causa nobilior est effectus; sed dies est effectus lucis[b]; ergo a nobiliori luce nobilior dies; sed primus dies est nobilior quarto; ergo a[c] nobiliore luce; ergo nobilior erat[d] lux praedicta luce solis.

4. Item, artifices isti inferiores non statim faciunt rem perfectam, sed per successionem procedunt operando ab incompleto ad completum, et hoc est propter sui insufficientiam; cum ergo Deus sit sufficientissimus Artifex, non est in eo ut procedat ab incompleto ad completum, sed statim facit[e] rem perfectam; cum ergo lux ista fuerit opus Dei, constat quod facta est in sua perfectione; ergo non cessit lumini solis tamquam incompletum completo, sicut ponit nunc dicta opinio.

5. Si dicatur quod adhuc manet, quaeritur tunc: aut ita manet quod[f] est sub eadem forma, in qua tunc erat, aut ita quod[g] mutatur in aliud vel quod ex ea aliquid factum est. Si dicatur quod sub eadem forma: ergo nunc simul[h] cum sole radiaret, quod tamen non videmus. Praeterea, cum esset ad idem opus ad quod sol, scilicet[i] ad distinguendum diem et noctem, videretur alterum illorum superfluere, cum unum sufficeret. — Si dicatur quod mutatur in aliud, quaeritur in quid? Si in solem, quia de ea factus est sol – contra hoc possunt adduci tres rationes nuper dictae[2]: quia completius non est materiale ad minus completum. Praeterea, si ex ea factus est sol, quaeritur unde factae sunt ceterae stellae; similiter si ex ea facta est luna vel alia stella, quaeritur ex quo factus est sol, et sic[k] potest quaeri de singulis. Propter[l] hoc dicitur quod illa lux divisa est ita quod ex una parte factus est sol, ex alia luna, ex alia et alia singulae stellae.

6. Sed tunc quaeritur in quo situ erat ante divisionem, utrum scilicet in inferiori aut[m] in superiori quam sol vel aliae stellae. Quoquo modo autem dicatur, oporteret in aliqua parte illius lucis fieri transmutationem secundum rectum; transmutatio autem secundum rectum non est naturaliter nisi ubi est natura levis vel gravis; ergo oporteret in illa luce esse naturam levis vel gravis aut[a] fieri violentiam circa eam, si moveretur secundum rectum: quorum utrumque est falsum[b]; ergo non videtur posse dividi modo praedicto.

7. Item, esto ita: altera pars[c] eius cedit in perfectionem Saturni, altera in perfectionem solis et sic de aliis. Cum ergo Saturnus sit supremus planetarum, levior ergo pars cedit in Saturnum; ergo secundum hoc Saturnus[d] citius moveretur quam reliqui planetae, sicut est in istis inferioribus: quod levius est, citius movetur, ut ignis quam aer; hoc autem est falsum, immo tardius videtur Saturnus moveri quam reliqui[e], quia non perficit cursum suum ante XXVIII annos[3].

[Solutio]: Ad quod dicendum quod ista lux non desiit esse secundum ipsa quae prius fuerant ad quemdam usum, scilicet conservationem rerum corruptibilium et multiplicationem et adhuc[f] ad ampliorem usum, scilicet ad generationem et corruptionem. Dicimus ergo quod ex ista luce per eius divisionem facta sunt omnia luminaria. Non tamen oportet ponere in ea[g] naturam gravis et levis, quia lux de natura sua est diffusiva sui: unde diffundit se undique, nisi habeat obstaculum, secundum rectum et secundum latus[h] et circulariter[4], sicut patet in lumine candelae in domo. Concedimus ergo quod, etsi in partibus eius non esset ponere gravius et levius[i], tamen ibi erat ponere simplicius et minus simplex, secundum quod plus vel minus[k] elongabatur ab iis inferioribus[l], sicut est etiam in elementis. Unde plus videtur secundum hoc esse de natura simplicitatis et perspicuitatis[m] in Saturno, qui est superior planeta, quam in aliis.

[Ad obiecta]: 7. Ad illud ergo quod[n] obicitur quod 'secundum hoc citius moveretur', dicimus quod si moverentur planetae motu proprio praeter motum suarum[o] sphaerarum, sicut posuit quidam philosophus[5], bene[p] posset hoc esse quod Saturnus citius moveretur; sed non sic est, immo sphaerarum motu moventur, sphaerae autem sphaeris[q] non citius moventur. — Quod autem obicitur quod Saturnus tardior est, intelligitur non quia grossius corpus sit nec quia tardior vel remissior sit motus eius, sed quia maius spatium describit pertranseundo quam alii, ideo plus exigit de tempore: sicut si aliquid moveretur[r] circa rotam et aliud[s] aeque cito moveretur circa axem, multo plus exigeret de tempore

[a] LCZ *illa.* [b] ST om., V om. *sed... lucis.* [c] V om. *e. a.* [d] Ita V, alii *est.* [e] V *fecit.* [f] V *adhuc manet* pro *i. m. q.* [g] V om. [h] V om. [i] T om. [k] T *sicut* pro *e. s.* [l] T *preterea.* [m] Z *vel.*
[a] Ita V, alii add. *scilicet.* [b] T *factum.* [c] V om. [d] Ita R, alii om. [e] R *alii.* [f] T *ad hunc est.* [g] L *eam.* [h] R *latum.* [i] T *levis;* S *sibi* pro *ibi.* [k] T om.; L *et* pro *vel.* [l] Z add. *et.* [m] Ita R, alii *perspicacitatis.* [n] Ita V, alii *quod ergo* pro *A. i. e. q.* [o] R om. [p] Z *unde.* [q] Ita V, alii om. [r] VS *movetur.* [s] RLCZ *aliquid.*

1 Cf. *De fide orthod.*, II, c. 7 (PG 94, 887).
2 Cf. hic, nn. 2, 3 et 4.
3 Cf. Beda, *De natura rerum*, c. 13 (PL 90, 211); Pseudo-Lincoln., *Summa philos.*, tr. 15, c. 20 (ed. Baur, p. 572).
4 Cf. Rob. Lincoln., *De luce* (ed. Baur, p. 51 sq.).
5 Scilicet Ptolomaeus. Cf. Duhem, *Le syst. du monde*, III, p. 407 sqq.; S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 2, a. 1, q. 2 (II, 353 sqq.).

ad perficiendum motum circuli quam illud quod [a] circa axem.

2-4. Ad id quod obicitur [b] de perfectione et nobilitate primae diei, dicimus quod revera lux illa facta est non diminuta, sed perfecta, secundum quod competebat usui ad quem tunc erat. Nec oportebat [c] aliquam transmutationem fieri circa eam [d] ad hoc ut ad illum usum esset, scilicet ad conservationem et declarationem, ut dictum est [1], sed propter ulteriorem usum, scilicet ut esset causa perfecta generationis et corruptionis in inferioribus, competebat ut ex ea fierent luminaria. Unde concedimus quod a Primo nihil egreditur incompletum et imperfectum, quod scilicet non sit sufficiens ad usum ad quem ordinatum est.

Sed adhuc restat obiectio prius facta: Si enim erat lux ista perfectior luce solis, ergo non erat materialis ad illam; perfectior autem erat, quia erat opus primi diei etc.

Solutio: Si consideremus istam lucem quoad suum effectum et solem quoad suum, circumscripto scilicet effectu illius lucis quem in se includit sol, dicimus quod effectus illius lucis [e] erat conservare res et declarare, solis autem effectus proprius est facere generationem et corruptionem: quod enim conservat et declarat, hoc accipit [f] ab ista luce. Secundum ergo hanc operationem [g] nobilior est effectus lucis quam solis, quia nobilius est conservare et declarare quam facere generationem et corruptionem: hoc patet; et ideo quoad hoc nobilior est [h] lux ista quam lux solis sive quam sol. Si vero [i] consideretur sol secundum quod in se includit effectum illius lucis et cum isto superaddit alium, sic est dicere quod perfectior [k] est sol et quoad hoc materialis est lux illa respectu istius [l]. Similiter dicendum est de aliis [m] planetis.

Et per [n] hoc patet solutio ad omnia obiecta.

ARTICULUS V. 264

Utrum uno die facta sint illa prima opera [2].

Quinto quaeritur utrum uno die facta sunt illa prima opera an in pluribus.

Videtur [o] **quod in pluribus**: *a.* Quia in textu [3] dicitur primus dies, secundus dies et [p] tertius et sic deinceps.

Contra: 1. Gen. 2,4: *Istae sunt generationes caeli et terrae in die quo fecit Deus caelum et terram* etc. Ergo unicus fuit dies in quo facta sunt illa prima opera. Similiter dicitur [q] in translatione Septuaginta: *Hic est liber creaturae caeli et terrae;* et subditur [r]: *Cum factus est dies,* non dicit 'cum facti sunt dies'.

Solutio secundum Augustini opinionem patebit infra [4], sed [s] secundum alios [5] potest dici quod hic est intellectus litterae Gen. 2,4: *In die,* id est in tempore, ut importet in se omnes dies. Et iste modus loquendi reperitur alibi in Scriptura [6].

ARTICULUS VI. 265

Quare non dicitur nox facta sicut dies [7].

Sexto quaeritur, cum prima die divisa sit lux a tenebris et dies a nocte, cum dicat Scriptura de divisione istorum et dicat etiam diem factum — dicit enim [t] [8]: *Factum est vespere et mane dies unus* — quare similiter non dicit noctem. Et quaestio est communis secundum utramque opinionem.

Respondeo: Hoc fuit quia dies, secundum quod huiusmodi, dicit positionem, sed nox, in quantum huiusmodi, dicit entis defectum; unde eius [u] proprie non est factio, sed potius defectio, et ideo inter facturas non computatur sicut dies. Tamen nox bene pertinet ad divisionem, quia privationes bene distinguunt inter entia, et ideo de [v] eius divisione a luce sive die loquitur Scriptura, non de factione.

Haec solutio similiter potest esse communis utrique opinioni. Tamen, secundum expositionem [x] Augustini, aliter dicendum est. Dicit enim sic [9]: « Dies iste, quem Deus primitus fecit, est cognitio angelorum praesentata [y] omnibus operibus Dei [z] hoc ordine praesentiae quo ordine scientiae ». Est autem duplex cognitio

---

[a] RLCZ om. [b] Ita VL, alii *obicit.* [c] R *oportet.* [d] V *ipsam.* [e] T om. *quem... lucis.* [f] LCZ *accepit.* [g] Ita C, alii *comparationem.* [h] L om. [i] C *ergo.* [k] V *perfectio.* [l] RLCZ *illius.* [m] R *illis.* [n] T om. [o] R *et videtur;* T *quod* pro *quia.* [p] L om. [q] T om. [r] C *subdit.* [s] C om. [t] T *etiam.* [u] V *unum enim* pro *u. e.* [v] V om. [x] V *opinionem* pro *s. e.* [y] V *presentie,* S *presentia.* [z] Ita V et R (corr.), alii *diei.*

1 Cf. supra, p. 324, *Solutio.*
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 12, a. 1, q. 2, *Solutio* (II, 296).
3 Cf. Gen. 1, 5, 8 etc.
4 Cf. infra, p. 326b.
5 Cf. supra, num. 252; *Glossa ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
6 Cf. Psalm. 19, 2 et 10; 26, 5; 40, 2; Matth. 24, 36; Luc. 12, 46; II Cor. 6, 2.
7 Cf. supra, num. 124 et 127.
8 Gen. 1, 5.
9 *De Gen. ad litt.*, IV, c. 35 (PL 34, 320).

angeli: quaedam matutina in Verbo, alia vespertina in rerum natura[1]; et in[a] utraque supponitur cognitio et dies, quia semper fit relatio creaturae ad ipsum facientem et praeponitur ab angelo cognitio quae[b] est in Verbo, cognitioni quae est in proprio genere[2]. Et ideo dicit Augustinus[3] quod « angeli creaturam in ipsa creatura sic sciunt, ut illi scientiae praeponant scientiam quae est in Verbo ». Si autem praeponerent cognitioni quae est in Verbo, illam quae est in proprio genere, tunc esset ibi nox, scilicet peccati, sed illa nox[c] non esset a Deo, sed ab angelo; non sic autem est, et ideo non[d] fit ibi mentio de noctis factura.

Iuxta hoc nota expositiones[e] eius quod dicitur ibi[4]: *Factum est vespere et mane*, diversas[f] secundum diversos expositores. Secundum Augustinum[g5] *vespere* dicitur cognitio creaturae in proprio genere, quae dicitur vespertina, quia sicut vespera declinat ad occasum vel ad tenebras, ita haec cognitio declinat ad non-esse, id est ad creaturam, quae de nihilo est. Secundum Bedam[6] et alios expositores dicendum quod illud luminosum corpus primo factum revolvebatur circa terram et determinabat[h] partes diei. *Mane* autem faciebat secundum quod de subtus accedebat ad horizonta[i] nostrum, *vespere* secundum quod declinabat ab horizonte[k] nostro ad inferiores partes, sicut et modo facit sol. Secundum alios[7] adhuc *mane* designat ibi principium vel initium rei fiendae, *vespere*[l] terminum rei factae.

Circa secundam expositionem[8], quae est Augustini, notandum quod secundum Augustinum[9] videtur quod illa lux fuerit radiatio super intellectum angeli ad cognoscendum in Verbo, et sic diceretur *mane;* vel in proprio genere, et sic *vespere.* Istae autem irradiationes[m] distinguuntur secundum operata. In opere[n] enim distinctionis erat triplex distinctio: lucis a tenebris, aquarum superiorum ab inferioribus et inferiorum ab arida, et sic tria operata. Similiter in ornatu erant tria: ornatus caeli, ornatus aëris et aquae[o] et ornatus terrae, et sic alii tres dies. Septimus[p] autem determinatur[q] secundum conservationem rerum factarum: non enim solum oportet producere, sed conservare.

QUAESTIO II.

DE RERUM CORPORALIUM DISTINCTIONE IN SPECIALI.

TITULUS I.

DE DISTINCTIONE LUCIS A TENEBRIS

SEU DE OPERE PRIMAE DIEI.

Dicto de opere distinctionis in generali, consequenter agendum est de ipsa in speciali. Et primo de opere primae diei, in quo[r] distincta est lux a tenebris. Et est prima consideratio de luce corporali; deinde de luce spirituali[s].

MEMBRUM I.

De luce corporali.

De luce[t] autem corporali, secundum quod erat coadunata, dictum est iam[10]; nunc autem agendum est de ipsa secundum quod erat sparsa.

---

[a] V om., R *ita;* S om. *et.* [b] T *qui.* [c] T om. [d] V om. [e] Ita V, alii *expositionem.* [f] Ita V, alii *diversam.* [g] R *Augustinus* pro *s. A.* [h] Z *terminabat.* [i] T *orizontum,* S *orizanta.* [k] S *orizante.* [l] Ita T, alii *vespera.* [m] T *radiationes.* [n] T *operatione.* [o] V om. *e. a.* [p] T *unus.* [q] S *determinatus.* [r] T add. *est.* [s] T om. *corporali... spirituali.* [t] T om. *D. l.*

1 Cf. supra, num. 123.
2 Cf. supra, num. 126.
3 *De Gen. ad litt.*, IV, c. 25 (PL 34, 313).
4 Gen. 1, 5.
5 Cf. supra, p. 169, *Responsio.*
6 Cf. *Hexaëm.*, I (PL 91, 17).
7 Cf. Hieronym., *In Isaiam,* II, c. 5 (PL 24, 82).
8 Cf. supra, p. 322a.
9 Cf. *De Gen. ad litt.*, IV, c. 22 (PL 34, 311.
10 Cf. supra, num. 262.

CAPUT I.

DE LUCE CORPORALI SPARSA IN CAELO EMPYREO.

Prima autem sparsio lucis corporalis fuit in caelo empyreo, de quo [a] quaeruntur haec:

Primo, an sit;
secundo, an sit corpus;
tertio, an sit caelum;
quarto, an moveatur;
quinto, de comparatione illius ad alios caelos.

ARTICULUS I. 266

An sit caelum empyreum [1].

Ad primum sic: Videtur quod illud, quod dicitur caelum empyreum, non sit: 1. Nihil enim fit sine causa a Deo [2]; sed huiusmodi caelum non videtur habere aliquam causam. Non enim fit [b] propter continuandam generationem et corruptionem in inferioribus, cum huius sit causa sufficiens firmamentum cum stellis et planetis [3]. Neque fit ad conservationem [c] in esse, cum causa conservationis in esse ipsorum corporum dicatur esse, secundum philosophos [4], in illa sphaera quae movetur motu diurno. Ergo non videtur causa esse ex comparatione ad corpora. Nec ex comparatione ad spiritus, cum spiritus natura sint separati a corporibus nec indigeant ipsa corporum continentia ad hoc quod sint.

2. Nec illa videtur esse causa quam [d] quidam [5] ponunt, dicentes quod ad coniunctionem animae et corporis requiritur lux: unde ad coniunctionem animae vegetabilis cum corpore exigitur [e] lumen quoddam proveniens ex firmamento sive caelo sidereo, ad coniunctionem vero [f] animae sensibilis cum corpore lumen proveniens ex caelo crystallino, ad coniunctionem vero animae rationalis cum corpore lumen proveniens ex caelo empyreo. Cum enim anima rationalis sit substantia incorporea, cognoscitiva, separabilis a corpore, si coniungitur corpori ex elementis composito, non requirit nisi tot media quot sunt media in genere, non quot sunt [g] media determinata in specie. Medium autem in genere inter corpus corruptibile compositum et incorporeum est corpus corruptibile simplex et corpus incorruptibile simplex [h] nec possibile est plura invenire media in genere; sed corpus corruptibile simplex est elementum, corpus incorruptibile simplex, id est non resolutum in alia corpora, est lux; ergo inter incorporeum et suum corpus non intercidunt nisi duo illa media in genere. Ex parte vero incorporei non intercidunt nisi duo inter animam rationalem et suum corpus: est enim [i] incorporeum motivum non-cognoscitivum et est incorporeum motivum cognoscitivum [k], sed non separabile; sic ergo ex parte incorporei non erunt [l] nisi sensibilis et vegetabilis.

3. Si vero acciperentur media secundum differentias in specie ex parte corporum, quot essent differentiae lucis inter elementum, quod est corpus corruptibile, simplex et incorporeum, tot acciperentur media; sed sunt differentiae lucis diversae secundum differentias sphaerarum; sphaerae autem ponuntur novem, secundum philosophos [6]: sphaerae [m] septem planetarum, sphaera stellarum quae dicuntur fixae et sphaera motus diurni, quae, secundum quosdam philosophos, dicitur esse alia a sphaera siderum [7]. Secundum hoc ergo, addito caelo empyreo, quod nullum illorum est, essent decem differentiae luminum, et ita essent decem media.

4. Praeterea, si determinantur media ex parte corporum inter incorporeum et corpus compositum, esset pari ratione lux, a caelo empyreo proveniens, medium inter animam vegetabilem et suum corpus vel animam sensibilem sicut inter animam rationalem et suum corpus. Incorporeum enim, licet corruptibile, nobilius est corpore [n], licet sit incorruptibile, id est quod non corrumpitur [o] nec secundum se nec secundum partem. Item, anima rationalis non est actus cuiusdam partis corporis nec est ita actus ut necessario operetur per corpus; ergo medium, quod sibi eligit inter ipsam et suum corpus, non est necessario

---

[a] T om. [b] Ita Z (mg.), V *est*, alii om. [c] R add. *rerum;* VS *sit* pro *fit*. [d] V *quando*. [e] ST om. [f] S *nec*. [g] V om. [h] R om. *e. c. i. s.*, in C est add. mg. [i] V om. [k] V om. [l] S *erit*. [m] R add. *autem*. [n] T *corruptibile*. [o] RZ *corrumpatur*.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 2, a. 1, q. 1 (II, 70 sqq.). Hic notetur error quartus, anno 1241 ab Universitate Parisiensi tempore Alexandri Hal. damnatus; cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 148, nota 2.

2 Cf. Aristot., *De caelo*, I, c. 4 (II, 372).

3 Cf. supra, p. 324b, *Solutio*.

4 Cf. Aristot., *Meteor.*, I, c. 14 (III, 572).

5 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, VII, c. 15, n. 21 et c. 19, n. 25 (PL 34, 363sq.); Avicenna, *De anima*, p. 4, c. 5 (fol. 21a).

6 Cf. Aristot., *Metaph.*, XI, c. 8 (II, 606 sqq.); Pseudo-Lincoln., *Summa philos.*, tr. 15, c. 2 (ed. Baur, p. 544 sq.).

7 Cf. supra, nota 5.

corpus, sed incorporeum quod est minoris nobilitatis; sic ergo non requirit aliquod lumen [a] proveniens ab empyreo.

5. Praeterea, tres dicuntur esse spiritus: naturalis, animalis et vitalis, et, secundum aliquem philosophum [1], dicuntur esse lumina, secundum medicos substantia aërea digesta in corde [2], nec aliud ponitur medium inter animam et corpus suum nisi spiritus [3]. Si ergo est substantia aërea, patet quod non requiritur ibi [b] medium aliquod a corpore caelesti, et ita nec ab empyreo, non solum quantum ad animam rationalem, sed etiam quantum ad alias. Si vero sunt lumina, constat quod inter se ordinem habent: nam sine vitali alii non operantur, vitalis autem medium est ad animam sensibilem et animalis similiter. Quicumque ergo illorum dicatur nobilior, erit [c] lumen illud, quod nobilius est, medium ad sensibilem, et ita lumen procedens ab empyreo, cum non sit medium ad sensibilem, ut dicitur, non [d] requiretur [ut] aliquod medium [e] ex illa parte inter animam rationalem et suum corpus.

6. Si forte [f] diceretur quod vitalis et animalis differunt secundum maiorem nobilitatem et minorem respectu animae vegetabilis et sensibilis - hoc non videtur verum: cum enim fit [g] immutatio in organo sensus, deinde pervenit immutatio ad spiritum animalem, ab illo vero ad partem sensibilem, a parte vero sensibili ad rationalem, nec plura ponuntur media, ergo non est necesse duplicem spiritum animalem ponere: unum, qui nihil operatur ad sensibilem, alterum qui operatur, et tunc tantum fit operatio utriusque spiritus, cum [h] transferri debet forma sensibilis usque ad intellectum: quod cum non inveniatur, non erit anima indigens alio spiritu quam illo qui ministrat animae sensibili, et ita non indiget aliquo lumine a caelo empyreo proveniente.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod caelum, quod dicitur empyreum, est, et propter aliquam causam. Causa vero illa non est ratione continuationis in generatione et corruptione vel continuationis [i] in esse rerum corruptibilium, sed ut compleatur universum in genere corporum secundum determinata extrema et medium ad ostensionem summae potentiae, sapientiae et bonitatis: extrema vero sunt luminosum in fine et opacum in fine; luminosum autem in fine dicitur empyreum. — Praeterea, licet spiritus separati a corporibus non indigeant quantum ad suum esse [k] aliquo corpore [l], tamen est congruentia alicuius corporis ad ipsos spiritus propter magnam convenientiam [4]. — Praeterea, spiritus rationales qui coniunguntur corporibus, cum pervenietur ad incorruptionem corporum [m], congruenter collocabuntur in corpore quod est ultimae nobilitatis in universo, eo quod habebunt corpora illa maximam nobilitatem et ante illam coniunctionem cum huiusmodi corporibus ibi propter meritum suum convenienter [n] collocantur.

267

ARTICULUS II.

Utrum caelum empyreum sit corpus.

Secundo quaeritur utrum caelum empyreum sit corpus.

Ad quod sic: 1. Omne continens simplicius est natura contento; sed caelum empyreum est continens angelos et animas sanctas [5]; cum ergo nullum corpus sit simplicius aut nobilius angelis et animabus sanctis, caelum empyreum non erit corpus.

Contra: *a.* Damascenus [6]: «Solus Deus est incircumscriptus, cetera circumscripta». Ergo circumscripti sunt [o] angeli et animae sanctae ubicumque operantur; ergo si non tantum hic inferius operantur, sed etiam superius, ubi contemplantur, ergo ibi circumscribuntur; ergo ibi sunt ut in loco; sed «locus est finis corporalis eius quod continetur [7]» vel [p] est in eo; ergo caelum empyreum est finis corporalis angelorum; ergo est corpus.

b. Item, perfectus est ordo in universitate corporum, qui attenditur secundum maximam nobilitatem et minimam; ergo si est corpus habens minimam nobilitatem, sicut corpus maxime abundans in opacitate, similiter erit aliquod corpus habens maximam nobilitatem, sicut corpus quod de natura sua habet luminositatem, et ita erit aliquod corpus uniforme in luminositate.

---

[a] T *bonum.* [b] S om. [c] V *et id.* [d] T *ut.* [e] V add. *etiam.* [f] V *vero.* [g] Ita RL, alii *sit.* [h] T *et.* [i] T om. *in generatione... continuationis.* [k] V add. *in.* [l] V *tempore,* quod R exp. [m] V add. *que.* [n] R *congruenter.* [o] T om. [p] R add. *eius quod.*

1 Cf. Alfred. Angl., *De motu cordis,* c. 10, n. 9 (p. 42); Costa ben Luca, *De differentia spiritus et animae,* c. 2 (ed. Barach, p. 130), teste B. Alb. M., *Summa theol.,* II, tr. 11, q. 51, n. 1 (t. 32, 538), dicit quod «spiritus in corpore discurrunt sicut luminaria in mundo et sunt instrumenta virtutis naturalis, vitalis et animalis».

2 Cf. Alfred. Angl., loc. cit., nn. 7-10 (p. 40sqq.).

3 Cf. Alfred. Angl., loc. cit., n. 3 (p. 39); Avencebrol, *Fons vitae,* tr. 3, nn. 2 et 51 (ed. Baeumker, p. 75 et 194).

4 Cf. supra, num. 101.

5 Cf. Strab., *In Gen.,* c. 1 (PL 113, 68sq.), ex Beda, *Hexaëm.,* I, in principio (PL 91, 14).

6 Cf. *De fide orthod.,* I, c. 13 (PG 94, 851), ubi et sequentia ad sensum.

7 Damasc., loc. cit. (PG 94, 850).

c. Item, plus est esse non motum quam motum, quia illo, scilicet non moveri, remunerabuntur quae nunc moventur; ergo aliquod corpus est luminosum uniforme, non motum; sed hoc non est caelum aqueum, quia illud est ex aqua: quod autem est ex aqua mobile est et mutabile; ergo est aliquod corpus super illud; sed [a] hoc non est nisi caelum empyreum; ergo caelum empyreum est corpus.

d. Item, dicit Damascenus [1] quod caelum est sine stellis, semper sphaeriforme, de quo dicitur [2]: *In principio creavit Deus caelum et terram* [b]. Sed hoc non est firmamentum, quia post dicitur [3]: *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* quas dividit firmamentum [4], et ita firmamentum fuit inferius eo; item, nec fuit caelum crystallinum, quia postmodum fuit divisio aquarum [5]. Ergo est caelum empyreum; ergo caelum empyreum est corpus sphaeriforme; ergo est [c] corpus.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod caelum empyreum est corpus. Est enim [d] quoddam caelum quod continet res corporales, sicut est caelum inferius, quoddam vero quod continet res incorporales sive [e] spirituales, sicut caelum superius.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum dicendum quod duplex est natura loci: loci enim est continere et salvare [6]. Caelo empyreo convenit continere respectu angelorum et aliorum spirituum, sed non salvare [7], quia si non esset caelum empyreum, adhuc starent: unde non dependet eorum esse ab esse illius. Sed hoc modo Spiritus Sanctus est continens [8] respectu spirituum creatorum, quia salvat eos: unde est continens ut salvans; caelum vero empyreum, quia continet substantiam angelorum in operatione, est continens solum et non salvans [9]. — Et quod obicitur quod continens simplicius est contento: dicendum [f] quod hoc non exigitur nisi ubi est utraque praedictarum conditionum, quod scilicet [g] contineat et salvet.

ARTICULUS III. 268

Utrum caelum empyreum moveatur [10].

Tertio quaeritur utrum caelum empyreum moveatur.

Et videtur quod sic: 1. Quia dicitur in Glossa [11], super illud [12]: *In aeternum, Domine, verbum tuum permanet in caelo:* « Caelum illud mutatur », in quo angeli sunt creati; aut ergo intelligitur de mutatione secundum situm vel secundum qualitatem vel secundum substantiam. Si secundum qualitatem vel secundum [h] substantiam: sed maior est illa mutatio quae est secundum qualitatem vel secundum [i] substantiam quam illa quae est secundum situm; ergo si mutatur secundum substantiam vel qualitatem, multo fortius secundum situm.

2. Item, si firmamentum et corpora inferiora merentur per motum suum — nam [k] consequuntur praemium per motum suum — et caelum empyreum similiter praemiabitur; ergo movetur ad illud praemium; ergo movetur [l].

3. Item, Rom. 8,20: *Omnis creatura subiecta* [m] *est vanitati,* ibi dicit Glossa [13] quod sol et luna post motum habebunt [n] statum in praemium; ergo si caelum empyreum similiter sit [o] praemiabile, videtur quod moveatur.

Quod autem non moveatur, videtur: *a.* Quia magis assimilatur Primo illud [p] quod non movetur quam illud [q] quod movetur; cum ergo non repugnet corpori luminoso non moveri [r], sed magis determinetur [s] ad hoc, videtur quod caelum empyreum non moveatur.

b. Item, spiritus, secundum quod sunt in caelo empyreo, sunt in quiete contemplationis; sed quando mittuntur ad nos, operantur, non tamen desistunt ab intimo contemplationis [t], ut dicit Gregorius [14]; ergo si eis est quies quando ibi sunt, convenit eis locus quietis; sed mobile non convenit esse locum quietis; ergo non movetur.

c. Praeterea, corpus luminosum est de natura sua et luminositas magis determinatur ad quietem quam ad motum; ergo non movetur. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc autem [u] quod dicitur in Glossa quod mutatur: dicendum quod hoc [v]

---

[a] L *ex.* [b] V *etc.* pro *e. t.* [c] R om. [d] RLCZ *et est* pro *E. e.* [e] R *et.* [f] R add. *est;* V om. *hoc.* [g] R om. [h] Ita V, alii om. [i] RLCZ om. [k] LCZ *non.* [l] V om. *ad... movetur.* [m] T om. [n] Ita R, alii *habebit.* [o] VST *fit.* [p] Ita R, alii om. [q] Ita R, alii om. [r] T *removeri.* [s] R *determinari.* [t] Z om. *sed quando... contemplationis.* [u] Ita V, alii om. [v] Ita V, R *illud,* alii *istud.*

1 *De fide orthod.*, II, c. 6 (PG 94, 879), ubi sequens docere dicuntur « qui foris sunt, sapientes, quae sunt Moysi sua facientes dogmata ». Ita iuxta versionem Burgondionis.
2 Gen. 1, 1. 3 Gen. 1, 2.
4 Cf. Gen. 1, 6. 5 Cf. Gen. 1, 7.
6 Cf. Aristot., *Phys.*, IV c. 4 (II, 288sq.).
7 Cf. supra, num. 102 et 103 et p. 230, *Respondeo* et Lombard., II *Sent.*, d. 2, c. 4 (p. 315sq.).
8 Cf. Sap. 1, 7.
9 Cf. supra, num. 177.
10 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 2, a. 1, q. 1, *ad 3* et *4* (II, 72).
11 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1088), ex Ambrosio, in h. l. (PL 15, 1362). 12 Psalm. 118, 89.
13 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1445).
14 Cf. *In Evang.*, hom. 34, n. 13 (PL 76, 1255).

intelligitur de illa mutatione quae erit in fine, secundum [a] quod mutabitur a minori luce in maiorem [b] completo ministerio angelorum; haec autem mutatio non est secundum naturam: unde non sequitur 'mutatur secundum qualitatem, ergo secundum situm' [c]; sed in inferioribus bene sequitur, in iis autem quae supra naturam, non.

2-3. Ad hoc quod obicitur quod meretur sicut et alia corpora, quia praemiabitur maiori luminositate: dicendum quod alia superiora corpora serviunt generationi et corruptioni in corporibus humanis; unde Iob 14, 12: *Non resurget homo, donec atteratur caelum;* quod ergo illa moventur, hoc est propter hominem. Unde non bene senserunt philosophi [d] [1] qui dixerunt illud corpus semper moveri: cum enim ordinetur ad finem, scilicet ad hominem, necesse est quod finem accipiat motus eius cum homine; sed sic non est de empyreo, in quo sunt angeli creati, quia contentivum est bonorum spirituum; unde secundum motum non ordinatur ad assequendum aliquid, sed per continentiam angelorum ordinatur ad hoc per ministerium angelorum, quia merentur ei quod assequatur illud.

Sed adhuc obicitur quod moveatur, quia aut est corpus grave, et sic movetur deorsum; aut leve, et sic sursum; aut nec grave nec leve, et sic movetur circulariter: et ita videtur quod moveatur. — Respondeo quod non sequitur. Nam deberet addere 'et est non uniforme': ad motum enim exiguntur hae differentiae 'dextrorsum, sinistrorsum'. Unde non sequitur 'non est grave nec leve, ergo movetur sphaeraliter sive circulariter', sed deberet inferre 'ergo si movetur, movetur circulariter'; sed, cum sit uniforme, et ita non sit in eo haec differentia 'dextrorsum [e], sinistrorsum', non est in eo [f] natura principii et medii, et ideo [g] non movetur.

269

ARTICULUS IV.

Utrum empyreum dicendum sit caelum.

Quarto quaeritur utrum empyreum dicendum sit caelum.

Quod videtur: *a.* «Caelum enim est continentia visibilium et invisibilium [h] creaturarum», sicut dicit Damascenus [2]; sed hoc nulli potest ita convenire sicut empyreo: continet enim angelos et animas sanctas et praeter hoc continet alia corpora; ergo dicendum est maxime caelum.

b. Item, in [i] Psalmo [3]: *Caelum caeli Domino; caelum,* secundum unam expositionem [4], dicitur empyreum; ergo dicitur *caelum caeli;* ergo dicitur istud caelum eminentius aliis.

c. Item, Deuter. 10, 14: *En Domini Dei tui caelum est et caelum caeli; caelum caeli* dicitur empyreum; ergo eminentissimum est caelum.

Quod autem non sit caelum secundum praedictam expositionem [k], videtur: 1. Cum enim dicitur «continentia visibilium et invisibilium», intelligitur generaliter et ita caelum empyreum dicitur continere Christum secundum animam et corpus. — Contra: Eph. 1, 21: *Ipsum dedit caput super omne quod nominatur in hoc saeculo et in futuro;* ergo est *super omne quod nominatur in hoc saeculo* [l]; sed caelum empyreum *nominatur in hoc saeculo* [m]; ergo est super caelum empyreum [n]; ergo non continetur ab illo. Et loquitur ibi, secundum unam expositionem [5], de Christo secundum humanam naturam.

2. Item, Isidorus [6]: «Caelum dicitur eo quod tamquam vas caelatum habeat lumina stellarum veluti signa»; sed hoc non habet empyreum; ergo non est dicendum caelum.

Respondeo quod empyreum 'caelum' est per eminentiam dictum.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem obiectum [o] dicendum [7] quod Christus secundum humanam naturam est super caelum empyreum dignitate, nihilominus humana natura Christi, id est anima et corpus, continetur ab illo localiter, definitive anima [p], circumscriptive corpus. Esse enim 'super' dicitur dupliciter: vel loco vel dignitate; Christus 'super' est dignitate, continetur loco.

2. Ad secundum dicendum quod loquitur [q] ibi non de caelo empyreo, sed de [r] sidereo, secundum opinionem philosophorum, qui non ascenderunt usque ad caelum empyreum nec usque ad caelum crystallinum [8], et sic etymologizat [9].

---

[a] R *sed.* [b] S add. *lucem.* [c] S om.; T om. *in.* [d] Z om. [e] T add. *et.* [f] T om. *i. e.* [g] Z *ita.* [h] S om. *e. i.* [i] V om. [k] Ita V, alii *rationem.* [l] V om. *ergo... saeculo.* [m] C om. *sed... saeculo.* [n] T om. *nominatur... empyreum.* [o] Ita V, alii *obiectum autem* pro *p. a. o.* [p] ST *vel,* V add. *vel,* R (corr.) *in anima.* [q] T *ibi.* [r] Ita VZ, alii om.

1 Cf. Aristot., *De caelo,* II, c. 4 (II, 392); Averroes, *In Metaph.,* XII, t. 37 (VIII, f. 150c); cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 98, *ad 12.*

2 *De fide orthod.,* II, c. 6 (PG 94, 879).

3 Psalm. 113, 25.

4 Strab., in h. l. (PL 113, 1036).

5 Lombardi, in h. l. (PL 192, 178).

6 *Etymol.,* III, c. 31, n. 1 (PL 82, 179).

7 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 2, p. 2, dub. 2 (II, 85b).

8 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 2, p. 2, a. 1, q. 1, *Respondeo* et d. 14, p. 2, a. 1, q. 3, *Respondeo* (II, 71b, 355b).

9 Scilicet Isidorus.

ARTICULUS V. 270

De comparatione caeli empyrei ad alios caelos.

Deinde quaeritur de comparatione huius caeli ad alios caelos. Quaeritur ergo utrum omnes caeli habeant aliquam naturam [a] communem, secundum quam dicantur caeli; et si sic, quae sit illa.

Quod autem habeant, videtur: Quia non erunt nisi duo genera locorum post diem iudicii, scilicet damnandorum [b] et salvandorum. Apoc. 21, 1: *Ecce ego creo caelum novum et terram novam;* et II Petri versus finem [1]: *Aer calore solvetur.* Sed eadem erit natura caeli tunc quae nunc, sed in melius mutabitur; erit ergo eadem natura secundum quam dicetur tunc caelum et nunc; sed tunc natura luminositatis erit in caelo, quia in terra erit contraria qualitas, scilicet opacitas; et si opacitas [c] est qualitas determinata damnatis, relinquitur quod perspicuum erit in loco opposito qualitas determinata; videtur ergo quod luminositas sit natura illa communis in qua communicant.

[Solutio] [2]: Et notandum quod si aer dicatur nunc poenalis, hoc est propter opacitatem quae est in inferiori parte, sed propter perspicuum dicitur caelum; cum ergo perspicuum sit illa natura communis, ergo quot modis dicetur perspicuum, tot modis [d] dicetur caelum. Sed perspicuum primo duas habet differentias, scilicet [e] dativum luminis et [f] receptivum: dativum luminis [g] ex parte superioris, receptivum ex parte inferioris. Unde in principio Gen., cum dicitur [3]: *In principio creavit Deus caelum et terram* [h], terra vocatur ibi [i] natura opaca, caelum luminosa, aqua receptivum utriusque. Sed dativum luminis potest esse tripliciter [k]: vel uniforme et sine motu vel non-uniforme et cum motu vel medium, scilicet uniforme et cum motu. Si omnino uniforme non-motum, sic est caelum empyreum; si omnino uniforme [l] motum, sic est caelum crystallinum [4]; si non omnino uniforme et motum, sic est caelum stellatum, quod non in omnibus partibus suis habet luminositatem aequalem. Quarta differentia non potuit esse, scilicet non-uniforme non-motum, quia si est non-uniforme, necesse est quod moveatur. Et ordo patet: dignius enim est quod est uniforme non-motum quam motum; item dignius est uniforme [m] motum quam non-uniforme [n] motum. — Si vero est receptivum luminositatis [o], habet in se lumen vel continue recipit. Si habet in se lumen, hoc est vel cum ardore vel sine ardore [p]. Si cum ardore, tunc est igneum; si vero habet luminositatem sine ardore, tunc est olympium. Et ordo istorum patet: prius enim est olympium quod [q] est supra igneum, quia magis participat de natura luminis quam igneum. Si vero est receptivum, ita quod continue recipiat, tunc vel est coniunctum inferiori parti, et sic est aëreum; vel superiori, et sic est aethereum, et patet ordo. Haec est ratio quare septem sunt. Aqua autem caelum esse non potuit, quia natura caeli est esse sursum, quod aquae non convenit; item, natura caeli est [r] ex omni parte circumdare, quod aquae non convenit.

CAPUT II.

DE LUCE CORPORALI COADUNATA.

Dictum est de luce sparsa quantum pertinet [s] ad primum [t] diem, adhuc autem [u] restat aliquid de luce coadunata, quod non fuit supra [5] determinatum.

ARTICULUS I. 271

Utrum Deus per totum diem fecerit lucem an in principio diei.

Cum enim in hoc [v] primo die facta sit lux et divisio [x] a tenebris, numquid per totum diem fecit lucem aut in principio diei?

1. Et constat quod in principio diei [fecit] et lucem sparsam et lucem coadunatam: nam aliter non inciperet facere diem; si autem faciebat diem per

---

[a] R *materiam.* [b] VST *damnatorum.* [c] V om. *e. s. o.* [d] Ita Z, alii om. *t. m.*; S om. *perspicuum.* [e] Ita V, alii *vel.* [f] Ita V, alii *vel.* [g] L om. *e. r. d. l.* [h] V *etc.* pro *e. t.* [i] L *nisi.* [k] Codd. *dupliciter.* [l] C add. *et.* [m] LC add. *non.* [n] T om. *non.* [o] R add. *vel.* [p] L om. *v. s. a.* [q] Ita V, alii *olympus qui* pro *o. q.*; R om. *est.* [r] V om. [s] Z *convenit.* [t] Ita RZ, alii *primam.* [u] R *etiam.* [v] V om. [x] V *divisa.*

1 Cap. 3, 10.
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 2, a. 1, q. 3, *Respondeo* (II, 355b sq.); Raban., *In Gen.*, I, cc. 1-6 (PL 107, 443 sqq.); Strab., *In Gen.*, c. 1, 1 (PL 113, 69), ex Beda, *In Gen.*, c. 1 (PL 91, 192).
3 Gen. 1, 1.
4 Cf. supra, p. 330b, *ad 2.*
5 Cf. supra, num. 262.

sui rotationem; ergo in principio diei facta est; cum ergo nihil aliud factum legatur in hoc die, videtur Dei bonitas quievisse in residuo huius diei, et ita non tantummodo die septimo requievit Deus.

2. Item, si in initio diei lux esset creata, tunc fecisset mane et vesperam; sed nunc [a] dictum est [1]: *Factum est vespere et mane dies unus;* ergo vespere praecessit; ergo non in initio diei facta est lux.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum [b] quod in primo die fecit lucem et continuavit opus suum totum faciendo: esse enim diei sicut temporis est in fieri, et ita non quievit ab opere. Eodem modo dicendum [c] est de secundo die et tertio, et sic de aliis usque ad septimum.

2. Ad hoc vero quod quaeritur utrum fecit lucem in initio diei, videtur dicendum quod lux creata sit in sua plenitudine, et post hoc [d] declinavit in vesperam, quia dictum est: *Factum est vespere et mane dies unus.* Unde Hugo [2]: « Quoniam naturaliter dies noctem praecedit et finem [e] diei vesperam dicimus, finem noctis auroram, constat quod aurora [f] ad diem praecedentem sit referenda ». Eodem modo dicendum est de conditione solis: sol enim conditus est in sua plena luce et perfecta, et post declinavit in occasum et deinde [g] iterum ortus est, et ita *factum est vespere et mane dies unus.*

272 ARTICULUS II.

Ubi sit condita lux coadunata et quare Deus a luce incepit opus suum.

Deinde quaeritur de illa luce coadunata I. ubi sit condita.

a. Si enim condita esset in loco firmamenti vel ubi modo est Saturnus et ita de aliis planetis, faceret multo longiorem diem per sui rotationem, cum non moveretur motu firmamenti, et ita longior esset primus dies et secundus et tertius quam quartus: quod est falsum; ergo in eodem loco, in quo nunc est sol, creata est lux illa.

[Solutio]: Quod videtur concedendum [3]. Et factio solis non videtur esse nisi aut maior coadunatio lucis aut illius lucis divisio per luminaria quae sunt planetae; de hoc infra [4] magis patebit [h], cum fiet sermo de quarto die.

II. Item, quaeritur quare [i] a luce incepit opus suum.

Respondet Basilius [5]: Quia lux est principium manifestandi se et alia. — Praeterea, in sacramentum, sicut [k] dicit Hugo [6], dicens [l]: « Ego puto magnum [m] sacramentum aliquod commendari, quia anima quamdiu in peccato est, quasi in quibusdam est tenebris et confusione, sed non potest evadere confusionem suam et ad ordinem iustitiae formamque disponi nisi illuminetur primum, ut possit videre mala sua et [n] discernere lucem a tenebris, id est virtutes [o] a vitiis, ut se disponat ad ordinem et conformet [p] veritati ».

MEMBRUM II.

De luce spirituali [7].

Habito de luce corporali, consequenter agendum est de luce spirituali, quae dicitur esse intelligentia angelica, cuius divisio facta est, cum dictum est [8]: *Divisit Deus lucem a tenebris* etc. Unde dicit Hugo [9]: « Mihi videtur eodem prorsus temporis momento quo visibiliter et corporaliter divisa est lux a tenebris, invisibiliter boni angeli discreti sunt a malis, illis in tenebris cadentibus et [q] istis ad lucem iustitiae conversis illuminatisque a luce ut lux [r] essent et non tenebrae ».

---

[a] VT *non*, LCZ *tunc.* [b] Ita V, alii add. *est.* [c] R om. [d] Ita R, alii add. *quod;* codd. *per* pro *post.* [e] Ita RZ (corr.), alii *finis.* [f] V om. *c. q. a.* [g] V *dictum est.* [h] S om. [i] T om. [k] R om. [l] R add. *sicut.* [m] Ita SR, alii add. *esse.* [n] L om. [o] VST *virtutem;* C om. *id est,* in R est add. interl. [p] Z *conformetur.* [q] S om. [r] T om.

1 Gen. 1, 5.
2 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 9 (PL 176, 194).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 13, dub. 2 (II, 331a).
4 Cf. infra, num. 287.
5 Cf. *In Hexaëm.*, II, n. 7 (PG 29, 43sqq.); cf. supra, p. 323, nota 4 et Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 141, nota 2.
6 Loc. cit., c. 12 (PL 176, 195).
7 Cf. supra, num. 100 et 105.
8 Gen. 1, 4.
9 Loc. cit., c. 10 (PL 176, 194).

CAPUT I. 273

AN VERBA 'FIAT LUX' INTELLIGANTUR DE NATURALI AN DE GRATUITA FACTIONE ANGELI.

Quaeritur ergo primo utrum, cum dicitur[1]: *Fiat lux* etc., ibi intelligatur prima factio angelicae creaturae, scilicet naturalis, quae communis est bonis et malis, aut gratuita, quae solum est bonorum.

Et videtur primo quod de factione naturali, quae communis est, intelligatur: 1. Dicit enim Augustinus[2] quod simul est creatio et distinctio rerum; sed ista distinctio angelorum, quae fuit per quorumdam confirmationem et per aliorum casum sive per conversionem [a] et aversionem [b], non simul fuit cum creatione, quia oportet prius angelum esse quam converti vel averti, non solum natura, sed etiam tempore vel duratione[3]; ergo ista distinctio, quam dicit Augustinus simul esse cum creatione, non intelligitur de factione gratuita, quae fuit in distinguendo bonos a malis, sed de factione naturali, quae communis est.

Contra [c]: *a.* Idem Augustinus[4] quaerit utrum per hoc quod facta est vespera intelligatur « peccatum rationalis creaturae », per hoc [d] quod factum est mane « eiusdem renovatio »; et subdit quod ista expositio « allegoricae prophetiae » est; ergo patet quod intelligitur de factione angelicae creaturae quae est per gratiam.

b. Item, ibidem[5]: « Non sicut nos ad participandam sapientiam proficiebant angeli, ut [e] *invisibilia Dei*[6] etc., qui ex quo facti sunt, ipsa aeternitate sancta et pia contemplatione perfruuntur »; perfrui autem non est [f] nisi bonorum; ergo nec factio ista de qua loquitur.

c. Item, per *mane* intelligitur cognitio in Verbo[7]; dies autem comprehendit mane et vespere; cum ergo mane illud, id est cognitio in Verbo, videatur tantum bonorum fuisse, ergo et dies, cuius [g] mane est pars; ergo iste dies, qui ibi determinatur, vel illa cognitio, quae per lucem intelligitur, cum dicitur: *Fiat lux*, tantum pertinet ad bonos angelos.

d. Item, quod intelligatur de factione gratuita, videtur per Augustinum, IV *Super Genesim*[8], qui sic dicit: « Tunc nox ad diem pertinet, non dies ad noctem, cum sublimes et sancti angeli id quod creaturam in ipsa creatura [h] noverunt, referunt ad illum in quo aeternas rationes, quibus creata est, contemplantur [i], eaque concordissima contemplatione sunt unus dies, quem fecit Dominus, cui coniungetur Ecclesia de hac peregrinatione liberata ».

[Solutio][9]: Ad quod dicendum [k] quod intelligitur de conditione gratuita, ut primo 'creati' essent, cum dicitur[10]: *Creavit caelum*, sicut vult Augustinus, in XI *Confessionum*[11], 'facti' autem, id est formati [l] formatione gratiae, cum conversi sunt per intellectum et affectum, et hoc intelligitur ibi [m][12]: *Fiat lux* etc.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem obiectum [n] in contrarium, dicendum quod creatio et factio simul erant secundum opinionem Augustini, hoc est indistanter. Vel hoc potuit intelligi de conditione prima quae est quantum ad esse.

a. Ad secundum dicendum [o] quod illud opinando vel [p] inquirendo dicit Augustinus. Quod patet per hoc quod ipsemet dicit, in IV libro *Super Genesim*[13]: « Nec quisquam arbitretur illud quod [q] dixi de luce spirituali et de condito die spirituali et angelica creatura et contemplatione quam habet in Verbo Dei et de cognitione qua in se ipsa cognoscitur, eiusque [r] relatione ad laudem incommutabilis veritatis, ubi prius ratio videbatur rei faciendae, quae cognita est facta, non iam proprie, sed quasi [s] figurate atque allegorice convenire [t] ad intelligendum diem et vesperam et mane, sed aliter quidem quam in hac consuetudine quotidianae [u] lucis huius et corporalis, non tamen tamquam [v] hic proprie, ibi figurate. Ubi enim melior et certior [x] lux, ibi verior etiam dies. Quare non et [y] verior vespera et verius mane? Nam si in istis diebus habet quamdam declinationem suam lux in

---

[a] V *conversationem.* [b] L om. *e. a.* [c] Codd. *item.* [d] T om. *quod facta... hoc.* [e] RLC add. *in.* [f] T om. [g] T add. *dies.* [h] T om. [i] Ita R, alii *contemplatur.* [k] T add. *est.* [l] C add. *et.* [m] LC *ubi dicitur.* [n] Ita V, alii *obiectum autem* pro *p. a. o.* [o] Ita V, alii *vero dicendum est.* [p] T *et.* [q] S om. [r] V *eiusdem.* [s] V om. [t] V *convertere.* [u] S om. [v] R *quasi.* [x] Z *iustior;* V add. *est.* [y] L om.

1 Gen. 1, 3.
2 Cf. *De Gen. ad litt.*, I, c. 15, n. 29 et IV, c. 33 (PL 34, 257, 317sq.); cf. supra p. 313b, II.
3 Cf. supra, num. 100.
4 *De Gen. ad litt.*, I, c. 17, nn. 33, 34 (PL 34, 258sq.).
5 *De Gen. ad litt.*, II, c. 8, n. 17 (PL 34, 270).
6 Rom. 1, 20.
7 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, IV, c. 29 (PL 34, 315).
8 Cap. 25 (PL 34, 313).
9 Cf. supra, num. 128.
10 Gen. 1, 1.
11 Cf. lib. XII, c. 7 (PL 32, 828).
12 Gen. 1, 3.
13 Cap. 28 (PL 34, 314sq.).

occasum, quam nomine[a] vesperae nuncupamus, et ad ortum iterum reditum, quem[b] mane dicimus; cur et illic vesperam non dicamus, cum creatura a contemplatione Creatoris despicitur[c], et mane, cum a cognitione creaturae in laudem Creatoris assurgitur? »

CAPUT II.

DE ORDINE VERBORUM GENESEOS 1,3-5.

274 ARTICULUS I.

De verbis 'Fiat lux' et 'Vidit Deus lucem quod esset bona' et 'Divisit Deus lucem et tenebras'.

Quaeritur secundo de ordine verborum.

I. Primo ergo quaeritur quare non dicitur: 'Fiat caelum et terra', sicut dicitur[1]: *Fiat lux* etc.

Respondeo, secundum Augustinum, *Super Genesim*[2], quod tam in opere creationis quam in opere conditionis sive factionis intelligitur tota Trinitas. Cum enim dicitur[3]: *In principio creavit Deus*[d], per hoc quod dicitur '*Deus*' intelligitur Pater, per 'principium' vero intelligitur Filius, qui est principium[e] de principio, Spiritus Sanctus intelligitur per hoc quod dicitur[4]: *Spiritus Domini ferebatur* etc. Similiter, cum dicitur[f 5]: *Dixit Deus: Fiat* etc.[g], per hoc quod dicitur '*Deus*' intelligitur Deus Pater, per hoc quod dicitur '*dixit*' intelligitur Filius, qui est Verbum, per hoc vero quod dicitur[6]: *Vidit Deus lucem, quod esset bona,* intelligitur Spiritus Sanctus, cui appropriatur bonitas. Quare vero in opere creationis ponitur principium, in opere distinctionis ponitur Verbum, dictum est supra[7].

II. 1. Item, quaeritur de hoc quod dicitur[8]: *Vidit Deus lucem quod esset bona,* quare non similiter dictum est in creatione: vidit Deus caelum et terram quod essent bona?

2. Item, quaeritur de hoc quod dicitur[h]: *Vidit.* Numquid enim prius non viderat[i]?

[Solutio]: 1. Ad primum respondet Augustinus, *Super Genesim ad litteram*[9], ita dicens: « Duo sunt propter quae amat Deus creaturam suam, scilicet ut sit et ut maneat. Ut ergo esset quod maneret, *spiritus Dei superferebatur*[k] *super aquam;* ut autem maneret, *vidit Deus quia bona est.* Et quod de luce dictum est[l], hoc de omnibus ».

2. Ad secundum[m] respondet Augustinus, in libro *Contra Manichaeos*[10], ita dicens: « Numquid quia placet ei, ideo non noverat bonum? Prorsus noverat intus in animo[n], ubi ars ipsa pulcrior est quam illa quae arte fabricantur. Sed quod videt artifex intus in arte, hoc probat foris in opere et hoc est perfectum quod artifici suo placet. *Vidit* ergo *Deus lucem quia bona est:* quibus verbis non ostenditur[o] eluxisse Deo quod bonum est, sed placuisse perfectum. Quid si dictum esset 'miratus est Deus lucem quia bona est'? Quantum clamarent, quantum litigarent! Admiratio enim revera de rebus insperatis nasci solet. Et tamen legunt isti et laudant in Evangelio Dominum nostrum Iesum Christum admiratum esse fidem credentium[11]. Quis autem illis fecerat ipsam fidem, nisi ille qui eam mirabatur? »

III. Item, quaeritur de hoc quod dicitur[12]: *Divisit Deus lucem et tenebras,* quare non superius dictae sunt tenebrae factae sicut dicuntur distinctae.

[Solutio]: Ad quod Augustinus, in libro[p] *Contra Manichaeos*[13], sic respondet: « Hic non dictum est 'fecit Deus tenebras', quia tenebra, sicut dictum est[14], lucis absentia est; distinctio tamen[q] facta est inter lucem et tenebras. Quemadmodum nos clamando facimus vocem, silentium autem non sonando facimus, quia cessatio vocis silentium est: distinguimus tamen[r] sensu quidem inter vocem et silentium et illud vocamus vocem, illud silentium. Quemadmodum ergo recte dicimur[s] facere silentium, sic recte multis divinarum[t] Scripturarum locis Deus dicitur facere tenebras[15], quia lucem quibus vult temporibus et locis vel non dat vel detrahit ».

---

[a] C add. *et.* [b] Ita VR, alii *quod.* [c] V *desistitur.* [d] R add. *celum et terram.* [e] T om. *vero... principium.* [f] T om. [g] C om. *similiter... etc.* [h] RL *dicit,* L om. *vidit.* [i] S *videatur.* [k] V *ferebatur,* S *non ferebatur.* [l] R add. *et.* [m] Ita V, alii add. *vero.* [n] T *anima.* [o] Codd. add. *non.* [p] Ita V, alii om. *i. l.* [q] Z *enim.* [r] R *autem.* [s] T om., SR *dicimus.* [t] T *divitiarum.*

1 Gen. 1, 3.
2 Lib. I, c. 6 (PL 34, 250sq.), ubi et sequens, ad sensum; cf. supra, p. 17, in *Solutione.*
3 Gen. 1, 1.
4 Gen. 1, 2.
5 Gen. 1, 3.
6 Gen. 1, 4.
7 Cf. supra, num. 252 et p. 17, *Solutio.*
8 Gen. 1, 4.
9 Lib. I, c. 8 (PL 34, 251).
10 *De Gen. c. Manich.,* I, c. 8 (PL 34, 179sq.).
11 Cf. Matth. 8, 10.
12 Gen. 1, 4.
13 Lib. I, c. 9, (PL, 34, 180); cf. supra, p. 7, *ad 6.*
14 Loc. cit., c. 4 (PL 34, 176).
15 Cf. Psalm. 17, 12; 103, 20; 104, 28; Isai. 45, 7.

De verbis 'Factum est vespere et mane dies unus'.

Item, quaeritur I. de hoc quod dicitur [a] [1]: *Factum est vespere et mane* etc.

Videtur enim 1. quod deberet mane praeordinari vesperi, quia nobilius est: nobilior enim est [b] cognitio in Verbo cognitione in propria natura, et ita prior est natura vel dignitate [c].

2. Item, prius naturaliter cognovit angelus in Verbo quam in propria natura; in proprio ergo genere mane praeordinari debet vesperi.

Respondeo: 1. Ibi accipit Augustinus [2] '*mane*' proprie pro [d] cognitione angeli, quae est de re facienda in quantum huiusmodi, et quia non cognovit se faciendum, ideo proprie non habuit cognitionem matutinam de se, sed de aliis [3]; '*vespere*' autem intelligit Augustinus pro cognitione de re facta in proprio genere, et hanc bene habuit angelus de se. Quia ergo angelus prius cognovit se factum quam cetera facienda, prius dico secundum naturam, ideo vespere ibi praeordinatur mane. Unde ibi est duplex modus ordinandi: unus quoad cognita, et sic ordinatur vespere ante mane, ut nunc [e] dictum est; alius quoad modos cognoscendi, et sic deberet praeordinari mane secundum quod probat obiectio prima.

2. Ad secundum dicendum quod revera cognovit se angelus in Verbo, sed non eo modo quo accipitur, quia non cognovit nec cognoscere potuit se faciendum, sed se iam existentem [f].

II. Item, quaeritur utrum unus erat dies aut plures.

Videtur quod unus: 1. Dies enim distinguitur, ut dictum est [4], secundum cognitionem angeli; sed constat quod, secundum Augustinum [5], omnia simul facta sunt; sed angelus non cognoscit per successionem sicut anima, sicut dicit Augustinus, supra [6]: « Non sicut nos [g] ad percipiendam sapientiam proficiebant » etc. Ergo si intelligit quaecumque sunt, ut videtur, ergo simul cognoscebat omnia, cum simul facta essent; ergo non erat nisi unicus dies.

Contra: *a.* Attingere ad multa simul, ita quod non ad unum post aliud, proprium est sapientiae increatae [7], de qua Sap. 7,24: *Attingit ubique propter sui* [h] *munditiam;* ergo non convenit angelo; sed attingere angeli est per cognitionem; ergo non simul multa cognoscit.

Solutio: Dicendum quod multi sunt dies spirituales, secundum Augustinum [8], et accipitur eorum distinctio a parte cognitorum, quae diversa erant in genere vel in specie et ordinem naturalem habebant [i]: unde propter praesentiam cognitionis significatae super res factas, computantur dies diversi. Accipitur etiam distinctio a parte cognitionis angelicae: sicut enim [k] nunc ultimo probatum est [9], non simul, id est non in uno 'nunc' simul, intelligebat multa, sed unum post aliud, quamvis omnia simul facta essent, nisi dicatur 'simul', id est repente, quia non apparet differentia inter cognitionem et cognitionem, sicut apparet in homine [10]: et hoc dicit Augustinus [11], ponens exemplum de visu nostro secundum opinionem quae dicit quod videmus extra mittentes [12]. Radius visibilis in ictu pertransit propinquiora et remotiora spatia simul, id est repente, non omnino aeque cito vel subito, quia impossibile est corpus aliquod subito pertransire. Et accipit illud pro concordantia I Thess. 4 [13]: *In ictu oculi* etc.; in diversis enim locis erunt corpora resurgentia et non aeque distabunt a loco iudicii et tamen *in ictu oculi*, id est repente, convenient. Multo autem maior celeritas est in cognitione angelica quam in huiusmodi corporibus vel quam in radio visibili. Unde dicit Augustinus [14]: « Si oculorum carnalium acies celeritate tantum potest, quid mentis acies humanae, quanto magis angelicae! » Unde multo magis ponendum est [l] quod repente multa cognoscit [m], non tamen subito, sed ibi est posterioritas de 'nunc' in cognoscendo unum ad 'nunc' in cognoscendo aliud et ob hoc est diversitas in diebus.

---

[a] V *dictum est.* [b] SL om. [c] V om. *et ita... dignitate.* [d] L om. [e] V *non;* T *et* pro *ut.* [f] V *existente.* [g] VST om., in LZ est add. mg., in C add. interl.; R *sic* pro *sicut,* quod L corr. [h] R *suam.* [i] R *habebunt.* [k] R om. [l] S om. [m] S *cognoscitur.*

1 Gen. 1, 5. 2 *De Gen. ad litt.*, IV, c. 25 (PL 34, 314).
3 Cf. supra, num. 125.
4 Cf. hic sub I et supra, num. 123.
5 Cf. loc. cit., c. 34, n. 53 (PL 34, 319).
6 Cf. supra, p. 333, sub litt. *b.*
7 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num 457.
8 Cf. loc. cit., c. 26 (PL 34, 314).
9 Cf. hic, sub litt. *a.* 10 Cf. supra, num. 141.
11 Cf. loc. cit., c. 34, nn. 54 et 55 (PL 34, 319).
12 Haec sententia fuit Empedoclis, Platonis et Academicorum. Cf. Plato, *Timaeus* (ed. Wrobel, p. 52sqq.); Aristot., *De sensu et sensibili*, c. 2 (III, 477); Augustin., loc. cit.; *De quantitate animae*, c. 30, nn. 60-61 (PL 32, 1069); *De Trinit.*, IX, c. 3 (PL 42, 962); Anselm., *De veritate*, c. 6 (PL 158, 474); Eadmer., *De S. Anselmi similitudinibus*, c. 51 (PL 159, 629sq.). De hac fuse agunt Pseudo-Lincoln., *Summa philos.*, tr. 13, cc. 14-19 (p. 499sqq.), Rog. Baco, *Op. maius*, p. 5, d. 7, cc. 2-4 (ed. J. Bridges, II, 49sqq.); item Olivi, *Quaest. in II Sent.*, q. 73 (ed. B. Jansen, S. I., *Bibl. Francisc. Scholast. medii aevi*, t. VI, p. 55sqq).
13 Rectius I Cor. 15, 52; cf. I Thess. 4, 16.
14 *De Gen. ad litt.*, IV, c. 34, n. 55 (PL 34, 320).

TITULUS II.

DE DISTINCTIONE AQUARUM SUPERIORUM AB INFERIORIBUS

SEU DE OPERE SECUNDAE DIEI.

Sequitur de opere secundae diei, in qua facta est divisio aquarum superiorum ab inferioribus et firmamenti in medio earum conditio. Dicendum est [a] ergo primo de aquis superioribus. Circa quas quaerendum est:

Primo, utrum sint aliquae aquae superiores quae sint super firmamentum, et dicatur firmamentum caelum stellatum [1]. Exponitur enim uno modo [2] firmamentum pro caelo aëreo, quod etiam dividit inter aquas quae sursum vaporaliter feruntur et aquas quae inferius congregantur;

secundo, utrum congregentur aquae superiores in modum orbis;

tertio, utrum moveantur orbiculariter;

quarto, qua necessitate constitutae sint super firmamentum;

quinto, qualiter dicatur esse caelum crystallinum.

276

CAPUT I.

AN ET QUID SINT AQUAE SUPERIORES [3].

Ad primum sic: I. 1. Augustinus, *Super Genesim,* II, in [b] Glossa [4]: « Exigit aquarum pondus ut super terram fluant vel in aërem vaporaliter ferantur. Nec [c] quis dicat omnipotentia Dei hoc fieri. Quo modo enim Deus naturas fecerit quaeritur, non quid [d] ex eis ad miraculum potentia Dei operetur ». Omnes ergo aquae vel feruntur super terram vel feruntur vaporaliter in aërem; ergo nullae aquae sunt super caelum stellatum.

2. Si dicatur quod de natura aquarum ibi non sunt, sed de omnipotentia Dei [e] – contra hoc est secunda pars auctoritatis [5]. Dicit enim: « Quo modo Deus naturas fecerit quaeritur, non quid ex [f] eis ad miraculum fecerit potentia Dei », quasi dicat: primo faciendo res, non fecit eas Deus miraculose, sed naturaliter, et post, illis naturaliter factis, fecit aliqua miraculosa praeter solitum cursum naturae faciendo. Quando ergo quaerimus opera sex dierum, quaerimus ordinem rerum naturalem; non ergo debet dici quod ibi sunt [g] omnipotentia Dei, sed secundum sapientiam ordinantem levia sursum, gravia deorsum; ergo hoc caelum crystallinum non erit ex aquis.

3. Si dicatur quod illae aquae non habent naturam ponderositatis – contra, Basilius [6]: « Aquas Deus disposuit propter solis [h] et aetheris calidissimum fervorem ». « Post firmamentum enim aether expansus est, et nisi superiaceret [i] aqua, inflammatum [k] esset a calore firmamentum: sol enim et luna et stellae in firmamento sunt [7] ». Videtur ergo quod aquae sint ibi graves.

4. Praeterea, « crystallus est aqua congelata in [l] summo [8] »; sed non potest habere congelationem nisi humidum, et non quodlibet humidum, sicut aëreum vel [m] oleum; ergo oportet quod sit aquosum; relinquitur ergo quod sit ibi humidum aquosum, et ita natura ponderosum.

5. Si dicatur quod non accipiuntur ibi aquae sicut hic infra, sed sicut ibi [9]: *Spiritus Domini ferebatur super aquas* – contra: divisio fuit aquarum tertia die [10], sed nonnisi illarum de quibus dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* sed illa aqua dicitur quaedam massa confusa,

---

[a] V om. [b] L om. [c] TC *ne.* [d] VST *numquid* pro *n. q.* [e] R add. *sed.* [f] Ita R add. interl., alii om. [g] VST *fuit,* R *fiunt.* [h] S *solum.* [i] C (corr.) Z *subiaceret.* [k] V *ita flammatum.* [l] V om. [m] Codd. *ut.*

1 Cf. Beda, *Hexaëm.,* I (PL 91, 18).
2 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* II, c. 1, n. 2 (PL 34, 263).
3 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 14, c. 4 (p. 369sq.); Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 7, c. 2 (f. 59ab); S. Bonav., II *Sent.,* d. 14, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 335sqq.).
4 *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran., ex Augustino, loc. cit.
5 Cf. nota praecedens.
6 Cf. *In Hexaëm.,* hom. 3, n. 7 (PG 12, 70sq.).
7 Damasc., *De fide orthod.,* II, c. 9 (PG 94, 902).
8 Damasc., loc. cit.; cf. Basil., loc. cit., n. 4 (PG 12, 62).
9 Gen. 1, 2.
10 Gen. 1, 6.

non tantum ex humidis, sed ex humido et sicco, frigido et calido, luce et tenebris, et ita [a] aqua importat ibi confusionem qualitatum et rei deferentis [b] eas [1]; dividere ergo aquas fuit dividere qualitates cum materia continente qualitates, ita quod aliqua materia cum aliquibus qualitatibus sit superius, alia inferius. Possumus ergo dicere quod 'dividere aquas ab aquis' est quod qualitas lucis cum materia fuit in parte superiori. Sed [c] hoc nullam habet dubitationem; Sancti vero circa hoc [d] dubitaverunt; ergo voluit plus Deus [e] dicere per illud scilicet [2]: *Dividat* [f] *aquas ab aquis* quam 'dividatur [g] natura lucis cum materia', id est ignis [h] vel luminosi, ab aquis.

II. Item [i], quaeritur utrum aquae illae quae sunt [k] super firmamentum habeant aliquam naturam [l] communem cum aquis inferioribus et quae sit illa natura communis [3].

Ad quod volunt quidam dicere quod habent commune [m] frigidum et humidum [4], per hanc rationem: caelum continet ignem, ignis aërem et aer aquam; ergo aqua similiter debuit circumdare terram ex omni parte; sed non potuit propter animantia quae sunt super terram; ergo necesse fuit illam [n] elevari alibi, ubi posset circumdare totam terram; ergo, cum elevatae sint super firmamentum, ibi habebunt naturam frigidi et humidi.

Alii volunt ostendere quod tantum sunt ibi secundum naturam humiditatis [5]: sic in aqua est frigiditas et humiditas; sed humiditas est fluxibilis et continuativa, quia terra, quae sicca est [o] [6], non haberet continuitatem sine aqua. — Et quod humidum sit continuativum sive coniunctivum, dicitur in medicina. Dicitur enim quod humiditas est glutinum membrorum. Constat autem quod secundum illam [p] proprietatem, secundum quam fluxibilis est [q], non sunt ibi aquae, quia sic fluerent deorsum; ergo remanent ibi secundum naturam continuationis. — Item, quod secundum naturam continuationis sint ibi, probatio: Quia hic [r] infra nobilior natura in humido est continuatio [s] vel coniunctio; sed, cum ibi elevetur super alienam naturam, non est nisi secundum proprietatem eius nobiliorem; relinquitur ergo quod humidum sit ibi secundum quod [t] coniunctivum. Sed quorum est coniunctio? Constat enim quod ibi est natura supercaelestium et inferiorum, et oportuit quod coniungerentur; unde necesse fuit ibi esse secundum hanc proprietatem.

Alii dicunt quod sunt ibi secundum naturam perspicui. Est autem perspicuum illud quod habet aliquam dispositionem ad accipiendum lucem per totum [7]. Sed istae qualitates ordinatae sunt, quia nihil est inordinatum a summa sapientia [8]; una ergo qualitas est [a] alia nobilior; sed secundum nobilissimam qualitatem ibi collocantur [b]. — Sed perspicuum est nobilissima. Probatio: Aqua enim cum terra et aëre et [c] caelo stellato et igneo habet convenientiam; sed caelum stellatum et igneum nobiliora sunt terra et aëre; ergo natura illa, secundum quam convenit cum caelo stellato, nobilior est quam illae secundum quas convenit cum aëre et terra; sed cum terra convenit per naturam frigidi, cum aëre per naturam humidi, cum caelo stellato per naturam perspicui; relinquitur ergo quod perspicuum erit nobilior forma inter formas aquae; ergo si aquae debeant esse superius et convenit eas esse ibi secundum naturam earum [d] nobiliorem, per naturam perspicui erunt ibi. — Ad idem: Perspicuum non est pura qualitas, quoniam admiscetur cum qualitatibus habentibus contrarium, sicut humido, gravi et sicco, calido; ergo alicubi est pura qualitas, quia ex ordinatione summae sapientiae est [e], si aliquid impurum sit alicubi, quod illud idem sit in sua puritate alibi; sed in omni corpore, inferiori aqueo caelo, est haec qualitas impura: in aqua enim cum frigido et humido, in aëre cum humido, in igne cum caliditate, et iterum in caelo stellato, quia ibi non est uniforme perspicuum; ergo locus huius quod dico 'perspicuum' [f], secundum quod pura natura est, erit supra caelum stellatum et infra empyreum [g]. In empyreo enim esse non potest, quia empyreum est dativum luminis, illud autem corpus, in quo est perspicuum purum, est [h] receptivum luminis; relinquitur ergo quod in caelo crystallino [i] sit perspicuum secundum suam puritatem; ergo aquae secundum hanc naturam, scilicet perspicuum, erunt ibi. — Item, II Petri ultimo, 10: *Elementa calore solventur*, et Glossa [9] ibi dicit quod duo elementa,

---

[a] V om.; R om. *aqua.* [b] SL *differentis.* [c] V add. *in.* [d] RLCZ add. *non.* [e] VSTR om. [f] Z *dividebat.* [g] Z *dividebatur.* [h] V *gravis.* [i] Z om. [k] T om.; Z *supra* pro *super.* [l] T *materiam.* [m] R om.; VST om. *h. c.* [n] R om. [o] L om. [p] L om. [q] C add. *et;* SLZ *fluxilis* pro *fluxibilis.* [r] V *sic.* [s] S *continuat.* [t] V om.

[a] Ita VT, alii om. [b] T *collocarentur.* [c] V *de.* [d] RLCZ *eorum.* [e] R add. *quod.* [f] V om. *ergo... perspicuum.* [g] V *imperium.* [h] ST *et.* [i] Ita R (corr.), alii *stellato.*

1 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt., lib. imperf.*, c. 10 (PL 34, 233 sq.); cf. supra, num. 256.
2 Gen. 1, 6.
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 335 sqq.).
4 Cf. Augustin., loc. cit., c. 8, n. 29 (PL 34, 232); *De Gen. ad litt.*, II, c. 5 (PL 34, 266 sq.).
5 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, II, c. 4 et c. 5, n. 9 (PL 34, 265 sq.).
6 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 3 (II, 456).
7 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 7 (III, 452).
8 Cf. Aristot., *Metaph.*, I, c. 2 (II, 470).
9 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.

scilicet aqua et ignis, absumentur [a], caelum autem et terra in melius commutabuntur. — Probatio autem quod impossibile est quod caelum crystallinum habeat aquas vel cum ponderositate vel frigiditate vel humiditate: Quia ille magnus ignis non ascendet [b] ultra quam ascendit aqua diluvii; sed aqua diluvii non ascendit ultra caelum aëreum; ergo neque ille ignis; ergo ille ignis [c] magnus non [d] poterit absumere illas qualitates si ponantur in caelo crystallino, scilicet gravitatem, frigiditatem [e], humiditatem; sed talis erit renovatio duorum elementorum quae manebunt, quod omnes qualitates contrarietatem habentes cedent in poenam damnandorum; si ergo essent in caelo crystallino [f] huiusmodi qualitates, cederent in poenam damnandorum; sed hoc non erit per magnum ignem, quia non poterit attingere, neque per naturam suam, quia quod in aliquo toto est per naturam suam non recedit ab eo. — Si dicatur quod dispositio divina separabit – contra: Ipsa non facit hoc in caelo stellato, quod inferius est, ut aliqua pars cedat in locum damnandorum; ergo multo fortius in caelo superiori non faciet divisionem. Restat ergo quod, si sunt [g] ibi aquae secundum has qualitates, frigidum [h], humidum, ponderosum [i], quod hoc non erit conveniens loco glorificandorum; ergo sic non sunt ibi. — Item, Augustinus, XIII *Confessionum* [1]: « Sunt aliae aquae immortales, a terrena corruptione separatae ». Ergo aquae illae sunt separatae a qualitatibus corruptibilibus; sed hae sunt qualitates habentes contrarietatem, et ita videtur quod illae aquae secundum hanc proprietatem, quae est perspicuum, sint [k] ibi.

Respondeo: Opinio circa hoc est; Sancti enim nihil certum definierunt. Unde opinando concedo conclusionem quod caelum aqueum vel [l] crystallinum sit ex luce sicut ex complemento sui et perspicuitate [m] tamquam ex dispositione materiali.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad hoc ergo quod dicit Augustinus: « Exigit aquarum pondus » etc., dicendum quod hoc verum est, quando aquae sunt habentes huiusmodi proprietates, ponderositatem, humiditatem et frigiditatem, sed has non habent ibi, sicut probatum est [2]. — Si autem obicitur ex hoc quod dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei* [3], quod sicut humidum est in cerebro et manet ibi, cum tamen sit superior pars corporis, ita humidum nihil prohibet esse ibi: dico quod non est simile. Aliter enim est de corpore nostro et [a] aliter de corpore [superiori: nostrum enim corpus commixtum est ex quatuor qualitatibus; unde non ordinantur membra nostra secundum ordinem qualitatum, sed secundum relationem ad animam, quae diversimode in diversis membris operatur. Hoc modo [b] non repugnat quod humidum sit in cerebro, quia anima operatur in cerebro operatione animali [4], quod [c] convenit in humido fieri, in corde autem spirituali operatione, in [d] inferiori parte naturali operatione; sed secundum has diversas operationes necesse est [e] habere differentes vires ministrantes operationibus [f] iis diversis. Receptivum autem formarum est humidum: unde, cum impressiones sensibiles fiant in cerebro, non est mirum ibi esse humidum; calidum vero in corde propter operationes spirituales; per calidum enim maxime est operatio spiritus: spiritus enim medium est inter corpus et animam [5]. In universo vero aliter est, quia corpora separata sunt et non sunt commixta: unde secundum qualitatum nobilitates ordinantur. Unde illud verbum non dicit asserendo Augustinus [g].

4. Ad hoc quod obicitur quod ‘ crystallus est congelatio humidi ’: dicendum quod caelum illud non dicitur crystallinum secundum omnem proprietatem [h] crystalli, sed secundum proprietatem hanc [i] quae est perspicuum; quando enim aqua congelata est, tota est perspicua, ideo ad designandum quod remansit ibi aqua secundum naturam perspicuitatis, dicitur crystallinum.

3. Ad hoc quod dicit Basilius quod ‘ aquas Deus disposuit propter solis [k] ferventissimum calorem ’ etc.: dico quod Saturnus est stella [l] frigida [6], sicut ibi contingit dicere frigidum, et hoc non est nisi aequivoce. Notandum autem [m] quod calidum quoddam est salvativum, ut calidum quod est in sole, et est quoddam calidum [n] destructivum, sicut [o] quando fit coadunatio radiorum, et accedit ad naturam ignis, sicut est [p] in speculo concavo, ubi [q], si fiat coadunatio radiorum, potest incendi stupa ex reflexione radiorum. Unde dico quod calor solis non est consumptivus, sed generativus — unde generantur ranae ex calore caelesti in vere — sed ratione radiorum, qui sunt ex reflexione, est consumptivus. Unde

---

[a] VR *absumuntur.* [b] R *ascendit.* [c] R om. *e. i. i.*, in L est add. mg. [d] R om. [e] L om. [f] Ita CZ (corr.), alii *stellato.* [g] Z *sint.* [h] RZ add. *et.* [i] T *humidum.* [k] VR *sunt.* [l] R *sive.* [m] V *perspicacitate.*
[a] RLCZ om. [b] RLCZ *ergo.* [c] R *quam.* [d] VS om. [e] S om. [f] R *operibus.* [g] Ita VR, alii add. *scilicet.* [h] T add. *hanc.* [i] V *cristalli.* [k] S *solum.* [l] V *aque;* T om. *est.* [m] Ita V, alii add. *est.* [n] Ita V, alii om. [o] V om., Z *ut.* [p] Ita V, R *apparet,* alii om. [q] Ita R, alii om. *c. u.;* V *scilicet* pro *si.*

1 Cap. 15, n. 18 (PL 32, 852).
2 Cf. hic, parum supra.
3 Lib. XI, c. 33 (PL 41, 348); cf. Alfr. Angl., *De motu cordis,* c. 15, n. 4 (ed. Baeumker, p. 80).
4 Cf. Alfr. Angl., *De motu cordis,* c. 10, n. 14 (p. 44).
5 Cf. Alfr. Angl., *De motu cordis,* c. 10, n. 3 (p. 39).
6 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* II, c. 5 (PL 34, 266).

dicendum quod opinio est ut intelligatur de aethere inferiori illa auctoritas, ut [a] firmamentum dicatur illud interstitium [b] quod est inter vapores qui sunt in aëre et aquas inferiores, et illi vapores [c] sunt medii inter nos et solis fervorem quem temperant aliquando.

CAPUT II. 277

UTRUM CONGREGENTUR AQUAE SUPERIORES IN MODUM ORBIS [1].

Secundo quaeritur utrum congregatae sint aquae superiores in modum orbis.

Quod videtur: *a.* Supponitur enim vacuum non esse [2]; ergo totum spatium a caelo empyreo usque ad caelum sidereum repletum est corpore.

b. Item, in superioribus est distinctio locorum quemadmodum et corporum. Verbi gratia: caelum empyreum non occupat locum siderei caeli nec e converso et ita de aliis, nec in parte nec in toto; minus enim nobile corpus non occupat locum nobilioris nec e converso in superioribus, quemadmodum hic inferius [d] accidit de aëre quod subintrat cavernas terrae. Cum ergo aquae superiores sint in medio caeli empyrei et caeli siderei, colligentur in orbem ex omni parte aut aliqua pars caeli empyrei vel caeli siderei occupabit aliquam partem spatii illius, scilicet caeli aquei; sed si occuparet aliquam partem spatii illius, non esset caelum empyreum ex omni parte sua orbiculare vel caelum sidereum; cum ergo utrumque sit orbiculare, nulla pars alterius corporis ingredietur spatium intermedium; ergo aquae superiores ex omni parte et quoad superius et quoad inferius occupabunt spatium intermedium; ergo colligentur in orbem: non enim intercipitur aliquod corpus minus nobile, ut ignis vel aether, cum minus nobile in superioribus non occupet locum nobilioris [e], secundum etiam ordinem locorum est ordo corporum in nobilitate [f] et e converso; erit ergo unus orbis medius inter caelum empyreum et [g] stellatum. — Quod autem aquae illae sint nobiliores in dignitate naturae quam firmamentum, videtur ex verbis Augustini, *Contra Manichaeos* [3]: « Quoniam materiam [h] illam dicebamus nomine aquae appellatam, credo firmamento caeli materiam corporalem rerum visibilium fuisse discretam. Cum enim sit caelum corpus pulcherrimum, omnis invisibilis [i] creatura excedit etiam pulcritudinem caeli, et ideo fortasse super caelum dicuntur esse aquae invisibiles, quae a paucis intelliguntur, non locorum sedibus, sed dignitate naturae superare caelum, quamquam nihil temere de hac re affirmandum est: obscura enim est et remota a sensibus hominum; sed [k] quoquo modo se habeat, antequam intelligatur, credenda est ».

Videtur autem contrarium quod non ex illis sit naturaliter orbiculare, sed si est, est [l] quod sit orbiculare [m] ex accidenti, sicut aqua in scypho rotundo. 1. Cum enim aquae ante divisionem, superiores scilicet et [n] inferiores, essent eiusdem naturae [4], facta divisione adhuc remanebunt consimilis naturae; sed aquae inferiores non constituunt naturaliter corpus orbiculare, sed accidentaliter, quia imitantur figuram continentis; ergo nec aquae superiores, cum sint consimilis naturae.

2. Praeterea, dicit Philosophus [5] quod corpori recto naturaliter debetur motus rectus: unde aquis inferioribus debetur motus rectus; et illae sunt consimilis naturae; ergo si colliguntur [o], colligentur in corpus rectum naturaliter, orbiculare accidentaliter.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod nihil in hac parte est definiendum, sed opinando, sine praeiudicio melioris sententiae, potest dici quod aquae illae colliguntur in corpus naturaliter orbiculare.

Ad obiectum 1. dicendum quod 'esse consimilis naturae' potest dici multipliciter: vel ita quod sint eiusdem naturae in specie, et hoc non videtur ex verbis Augustini; vel quod habeant aliquam convenientiam, ut utrobique inveniatur natura perspicui: sed aquae inferiores sunt corruptibiles, illae vero immortales, quae non corrumpuntur, sicut dicit Augustinus [6]. Si tamen sunt illae aquae consimilis naturae in specie, quoquo modo ibi sunt [p], divinae dispositioni relinquendum, sicut dicit Damascenus [7].

---

[a] S *in.* [b] VT *intestinum*, S om. [c] S add. *cum.* [d] R *in inferioribus.* [e] V *pernobilioris.* [f] SL *nobilitatem.* [g] R add. *celum.* [h] L *naturam*, quod C corr. [i] T *visibilis*, quod Z corr. [k] V *scilicet.* [l] VT om.; T *hoc* pro *si.* [m] S om. *sed si... orbiculare.* [n] L om. [o] V add. *et* [p] V *sint.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 341 sqq.).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, cc. 6-8 et *De caelo*, IV, c. 2 (II, 292 sqq., 425).
3 *De Gen. c. Manich.*, I, c. 11 (PL 34, 181).
4 Cf. supra, p. 337, II.
5 *Phys.*, VIII, c. 9 (II, 363).
6 Cf. supra, p. 338, nota 1.
7 Rectius Augustin.; cf. supra, nota 3.

278

CAPUT III.

UTRUM ILLAE AQUAE MOVEANTUR ORBICULARITER [1].

Tertio quaeritur utrum illud corpus moveatur orbiculariter.

Et videtur quod non: 1. Quia illud corpus fit ex aquis; sed aquae naturaliter feruntur deorsum; ergo et illud corpus naturaliter [a] fertur deorsum; ergo non movetur motu orbiculari, sed recto.

Contra: *a.* Istud corpus est nobilius quam sit firmamentum sive caelum stellatum, cum ordinetur supra illud; ergo movetur motu nobiliori; sed firmamentum movetur motu orbiculari; ergo multo fortius caelum aqueum, si movetur, movetur motu orbiculari.

Respondeo: Sine praeiudicio concedo quod movetur istud corpus motu orbiculari.

Ad obiectum 1. autem in contrarium dicendum quod aqua dicitur dupliciter [b]. Uno modo dicitur aqua elementum inferius coniunctum terrae: et huius [c] est motus rectus, naturaliter tendens deorsum, et [d] secundum hanc rationem aquae non dicitur caelum aqueum. Alio modo dicitur aqua communiter, scilicet materia corporum [2], non tantum inferiorum, sed etiam superiorum, secundum quod dicitur Gen. 1, 2: *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* et secundum hanc rationem dicitur illud [e] caelum aqueum, licet maioris sit iam [f] nobilitatis sive speciei nobilioris.

279

CAPUT IV.

QUA NECESSITATE CONSTITUTAE SINT ILLAE AQUAE SUPER FIRMAMENTUM.

Quarto quaeritur qua necessitate sint aquae super firmamentum sive caelum aqueum.

1. Cum enim sit multitudo caelorum, quodlibet [g] caelum habet suum locabile secundum suam naturam: empyreum angelos, firmamentum stellas, aëreum et aethereum volatilia [h], aqua aquatilia, terra animantia; ergo aqueum caelum suum locabile [i] debet habere; si ergo non habet, videtur natura supervacua.

2. Si dicatur quod est ad temperandum [k] calorem [3] – contra: solum humidum inflammabile est secundum quod potentiam habet ad siccum; relinquitur ergo, si caelum stellatum non habet naturam sicci, quia non habet naturam gravis vel levis [l], quod non habet naturam inflammabilem, et ita non indiget aliquo quod temperet eius calorem.

Sed videtur quod sit ad conservandum [m] esse in rebus generabilibus et corruptibilibus: *a.* Quia corpora citra caelum stellatum contrarietatem habent; sed unum contrarium corruptivum est alterius [4]; omnia ergo huiusmodi secundum qualitates sunt activa et passiva; ergo nullum horum est uniformiter horum salvativum. Item, neque stellatum, quia ibi est diversitas stellarum, quae secundum radiositatem habent maiorem conservationem unius rei quam alterius; ergo caelum [n] stellatum non est uniformiter horum conservativum. Ergo oportet aliud [o] esse quod uniformiter omnia conservat [p]; sed hoc non est empyreum, quia hoc est angelis deputatum et glorificatis corporibus [5], et non [q] ad actionem, quia nullum motum habet; ergo aqueum caelum, cum habeat motum uniformem, facit uniformitatem in inferioribus. — Quod autem moveatur, probatio [6]: *In principio creavit Deus* immobilia, scilicet *caelum,* quod non est motum, *et terram,* quae non secundum sui totalitatem movetur, et media natura fuit flexibilis et mutabilis [r] et insuper habens naturam fluxibilitatis. Cum autem dicitur [7]: *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* per *aquas* [s] designantur media quae habent naturam fluxibilitatis, quia omnis mutatio rerum debebat [t] fieri ex eis: principaliter enim fiunt mutationes circa naturam aquae et aëris, in terra autem nulla fit, nisi aer vel aqua ingrediatur. Sed dupliciter dicitur mutabile: vel quod [u] in propinqua dispositione est ad motum vel quod

---

[a] S om. *feruntur... naturaliter.* [b] VST *tripliciter.* [c] VST *hic.* [d] Z *ut.* [e] RCZ *istud.* [f] R om. [g] V *videtur quod omne.* [h] V add. *sicut.* [i] T *locale.* [k] L add. *calorum.* [l] Ita V, alii add. *videtur.* [m] VST *servandum.* [n] Ita VR, alii om. [o] V *aliquod.* [p] Z *conservet.* [q] T add. *est.* [r] V om. *e. m.* [s] L om *p. a.* [t] S *debeat.* [u] T *quia.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 1, a. 2, q. 1, *ad 3* (II, 342).
[2] Cf. supra, num. 256.
[3] Cf. supra, p. 336, n. 3.
[4] Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 8 (II, 359).
[5] Cf. supra, num. 102-103.
[6] Gen. 1, 1.
[7] Gen. 1, 2.

est motum; sed constat quod illud quod actu movetur, nobilius est eo quod mobile est: actus enim qui non corrumpit, nobilior est potentia — unde motus in mobili, non corrumpens subiectum suum, nobilior est subiecto, scilicet in quantum mobile est — illa ergo aquosa natura media duplicem habuit naturam: unam, quae semper fuit in motu [a], aliam, quae in [b] potentia fuit in motu; et ille qui actu semper est, nobilior est [c]; cum ergo caelum crystallinum et stellatum superiora corpora sint aliis corporibus mediis, relinquitur quod semper movebuntur.

b. Item, est motus diurnus qui conservat res in esse [1]; constat ergo quod ille erit alicuius corporis et nonnisi uniformis in toto et in parte; sed hoc non est caelum stellatum; ergo erit aqueum.

Respondeo: Concedo quod sic est. Et haec fuit utilitas et necessitas ponendi ipsum, quia, cum alia corpora sint principia generationis et corruptionis secundum diversitates motuum, illud [d] vero secundum conformitatem motus sui facit conservationem rerum in esse. Est enim quaedam continuitas inter caelos: unde, cum ipsum continue moveatur, movet [e] caelum proximum, et illud [f] ulterius proximum, et ita facit ea [g] quae potentia fuerunt ad motum, actu moveri, et ita conservativum est rerum in esse.

[**Ad obiecta**]: 1-2. Ad hoc quod obicitur de ornatu, dicendum [h] quod non est necesse quod [i] quodlibet caelum habeat [k] suum ornatum a se separatum, ut caelum olympium et igneum; eodem modo crystallinum non est necesse quod habeat ornatum a se separatum, sed necesse est quod alicuius sit utilitatis et [l] propter aliquid factum. In iis autem non est definiendum [m], sed quantum dicit Scriptura accipiendum. Unde B. [n] Augustinus [2]: « Quoquo modo [o] et qualeslibet aquae ibi sint, eas ibi [p] esse minime dubitamus: maior est huius Scripturae auctoritas quam omnis humani ingenii capacitas ».

CAPUT V. 280

QUALITER ILLAE AQUAE DICANTUR CAELUM CRYSTALLINUM.

Quinto quaeritur I. qualiter dicantur caelum.

Cum enim Scriptura Veteris vel Novi Testamenti non nominet aquas illas caelum [a] aquaeum nominaverunt, cum Scriptura Sacra semper dicat aquas *super caelos* [3]? Empyreum enim [b] dicitur *caelum caeli* [4], et firmamentum dicitur *caelum* et aether dicitur *caelum*, et ita de aliis.

Respondeo quod [c], cum caelum, quod est firmamentum, ex omni parte circumdet [d] terram, qua ratione sunt [e] aquae super unam partem eius, eadem ratione sunt super aliam, et ita indifferenter super omnem, et ita in modum caeli sunt expansae. Et videbant Sancti expositores [f] differentem naturam ab empyreo et firmamento: unde caelum intermedium nominaverunt [g], denominando a materia, aqueum, a dispositione vero materiali crystallinum, quia sicut crystallus habet perspicuitatem cum luce, ita et illud caelum, non quod sit ibi congelatio aquarum, sicut est in crystallo secundum cursum naturae [5].

II. Quaeritur etiam quare non fit mentio de hoc caelo ubi enumerantur caeli in principio Geneseos [6], e converso Deuter. 10, 14 enumeratur [h] cum aliis et non fit mentio de caelo Trinitatis.

Respondeo: Ordinando corpora secundum naturam corporum, ultimum [i] debet esse empyreum, quia caelum Trinitatis non est corpus [7]. Unde, quia in libro Deuteronomii loquitur [k] sensibilibus, de duobus caelis, scilicet de caelo aqueo et de caelo [l] angelorum, facit mentionem, quasi dicat: tu sensibilis es; si quaeris locum Dei, non quaeris nisi in sensibilibus et non in [m] insensibilibus. In principio autem [n] Geneseos non loquitur de caelo aqueo, quia illa ordinatio est secundum quam facti fuerunt [o] caeli, sed adhuc fuit aqua ibi sub natura possibilis, et [p] non fuit unumquodque dispositum secundum differentiam actualem. Unde non invenitur ibi de aqua quod sit caelum, quia aqua refertur ibi ad illas aquas quae habent possibilitatem ut ex eis fiant res.

Ex iis [q] quae dicta sunt patet situs caeli crystallini, quia proximo est [r] post empyreum.

---

[a] V *motus.* [b] V *etiam.* [c] VSTZ om. [d] Ita V, alii *ille.* [e] V *movetur.* [f] V *aliud.* [g] Ita V, alii om. [h] Ita V, alii add. *est.* [i] Ita V, alii om. [k] Ita V, S *haberet*, alii *habere.* [l] T add. *necessitatis vel utilitatis* pro *u. e.* [m] T add. *etiam.* [n] Ita R, alii om. *U. B.* [o] Ita V, alii *quomodo* pro *q. m.* [p] Z om, in L est add. interl.

[a] R om. [b] V *celum autem empyreum* pro *e. e.* [c] Ita V, alii *quia.* [d] Ita V, alii *circumdabat.* [e] Ita V, alii *essent*, item infra. [f] Ita V, alii om. *S. e.* [g] Ita V, alii *denominaverunt.* [h] TR *enumerantur.* [i] V *utrumque.* [k] V add. *de.* [l] L om. *e. d. c.*, R om. *de.* [m] VSTL om. [n] Ita V, R *vero*, L om., STCZ *enim.* [o] Z *sunt.* [p] V om. [q] R add. *ergo.* [r] Ita V, alii om.

1 Cf. Aristot., *Meteor.*, I, c. 14 (III, 572).
2 *De Gen. ad litt.*, II, c. 5 (PL 34, 267).
3 Cf. Psalm. 148, 4 et 103, 3.
4 Cf. Psalm. 113, 16.
5 Cf. supra, p. 337 sq.
6 Gen. 1, 2 et 7.
7 Cf. supra, p. 128, *ad 1.*

CAPUT VI.

DE ORDINE VERBORUM GENESEOS.

281

ARTICULUS I.

De verbis 'Dixit Deus' [1].

Deinde quaeritur [a], cum multotiens dictum sit [2]: *Dixit Deus,* utrum tot sint verba.

Quod videtur: 1. Factis enim respondent verba; sed diversa fuerunt [b] facta; ergo et diversa verba.

2. Item, quotiens dicit homo, totiens multiplicatur verbum; ergo a simili quotiens dicit Deus, tot sunt verba.

Contra: *a.* Iob 33,14: *Semel loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetit.*

b. Item, Verbum Dei est consubstantiale dicenti; sed non sunt plura consubstantialia; ergo non sunt plura verba.

Respondeo per hoc quod dicit Augustinus, *Super Genesim* [3]: «Unum Verbum ille quippe [c] genuit, in quo dixit omnia, priusquam facta sunt singula; sed eloquium scribentis descendens ad parvulorum capacitatem, dum insinuat sigillatim genera creaturarum, per singula respicit uniuscuiusque generis aeternam rationem in Verbo Dei nec illa repetita, ille [4] tamen repetit: *Et dixit Deus* ».

[Ad obiecta]: 1. Dicendum est ergo ad primum [d] quod unum est Verbum Dei quo dicuntur omnia, et illud non multiplicatur, licet multiplicentur facta per ipsum. 'Dicere' tamen sumitur multipliciter: nam aliquando accipitur pro generare, et sic est [e] unum 'dicere' sicut unum Verbum; aliquando accipitur pro 'creare', et sic, si successive creata sunt et facta, diversis factis respondent diversae dictiones ex parte eorum quae dicuntur; Verbum tamen quod dicit, id est creat, non multiplicatur: non enim ex parte dicentis est illa [f] multiplicatio.

2. Ad secundum dicendum [5] quod non est simile de Deo et [g] homine in dicendo. Verbum enim hominis est extrinsecum a substantia hominis: unde ex alia parte recipit multiplicationem; Verbum autem Dei est consubstantiale: unde non multiplicatur secundum substantiam.

282

ARTICULUS II.

De verbis 'Fecit Deus' [6].

Deinde quaeritur, cum in opere primae diei sit positum [7]: *Fiat lux, et facta est lux,* et non additum est: *Fecit Deus,* quare in opere secundae diei additum est [8]: *Fecit Deus.*

Videtur enim supervacuum. 1. Nam quod dicitur [9]: *Factum est,* completionem operis [h] significat, completioni autem nihil additur.

[Solutio]: Ad quod videtur sic respondere Augustinus dicens quod aliter fuit [i] de luce spirituali, scilicet angelica creatura, et aliter de firmamento. Nam angelica creatura cognovit in Verbo prius firmamentum, deinde in se ipso, tertio in proprio genere. Unde, cum dicitur: *Fiat, factum est* et *fecit,* triplex 'esse' [k] notatur: in Verbo, in cognitione angelica in qua cognoscebatur et in proprio genere. Unde [l] Augustinus, *Super Genesim* [10]: « Conditio caeli prius erat in Verbo Dei [m] secundum genitam Sapientiam; deinde facta est in creatura spirituali, hoc est in cognitione angelorum, secundum creatam in illis sapientiam; deinde [n] caelum factum est, ut esset etiam ipsa [caeli] creatura in genere proprio ». Non sic autem fuit de esse lucis spiritualis, scilicet angeli, ut primo esset in Deo et deinde in proprio genere, tertio esset in sui ipsius cognitione de faciendo.

Sed tunc obicitur secundum hoc: Quia [o] tunc in tertio die vel in quarto deberet esse consimilis [p] modus loquendi, qui non invenitur; ergo

[a] R om. [b] V *sunt.* [c] Codd. *qui.* [d] Ita V, alii om. *a. p.* [e] V om. [f] T add. *multiplicitas vel.* [g] T add. *de.* [h] R *operationis.* [i] T *fit.* [k] LC om. [l] Ita R, alii om. [m] S om. [n] Codd. add. *quod;* R om. *est.* [o] S *quod.* [p] R *similis.*

1 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 13, c. 6 (p. 367).
2 Gen. 1, 3, 6, 9 etc.
3 Lib. II, c. 6, n. 13 (PL 34, 268).
4 Nempe Moyses.
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 616, *ad 2.*
6 Cf. Lombard., loc. cit., c. 7 (p. 367 sq.).
7 Gen. 1, 3.
8 Gen. 1, 7.
9 Gen. 1, 7.
10 Lib. II, c. 8, n. 16 (PL 34, 269).

non est haec ratio. — Ad quod respondet Augustinus[1], utens translatione Septuaginta, dicens quod, etsi[a] haec verba non sint ibi, tamen ibi est aequipollens; unde ponit hanc litteram in tertio die: *Dixit Deus* et[b] *congregentur* et *factum est* et *congregatae sunt aquae.*

Sed adhuc posset obici contra hoc quod dicit Augustinus. Si enim esse in proprio genere esset commune omnibus sicut esse in Verbo, et esse in Verbo[c] per hoc quod dicitur '*fiat*' intelligatur, esse vero in proprio genere in prima die intelligatur per hoc '*et factum est*'[d]: ergo in secunda die similiter et in tertia; ergo per hoc quod dicitur '*et fecit*' oporteret intelligere esse in cognitione angeli; et ita is esset ordo, ut primo notaretur esse in Verbo, deinde in proprio genere, ultimo in angelica cognitione. — Sed[e] secundum hoc, sicut angelus cognovit in se firmamentum factum, ita in se cognovit se factum; ergo nulla est differentia. Ideo videtur quod, quia alius est modus loquendi in hac secunda die quam in aliis, propter hoc dico, sine praeiudicio melioris sententiae, quod in omnibus operibus intelligitur triplex esse vel tripliciter esse: esse[f] in Deo tamquam in principio, esse in proprio genere et esse ad ipsum in[g] quantum est finis, et ita notatur perfectio. Sed dupliciter est esse ad ipsum in quantum est finis: ut in se sit ad ipsum ut ad finem et ut rationalis creatura se et alia referat ad Deum tamquam[h] finem, et haec vocatur perfectio secunda. Ut ergo ostenderet quod haec perfectio secunda non fuit in rationali creatura angelica quoad omnem angelum, et hoc propter opera eorum quae fuerunt in secunda die[i], non dixit: 'vidit Deus quia bonum est', sed ut ostenderetur quod non defuit prima perfectio, prout res in se refertur ad Deum tamquam[k] finem, dictum est: *Et fecit Deus.* Unde Hugo[2]: « Fortasse, quia binarius signum est divisionis, qui primus[l] ab unitate discedit, sacramentum magnum commendatur. Et non sunt laudata[m] opera secunda, non quia bona non essent, sed quia malorum signum essent. Prima[n] enim opera fecit Deus et illa omnia valde bona erant, quibus nec inerat corruptio nec deerat perfectio. Sed venit deinde diabolus et homo et fecerunt ipsi[o] opera sua, et erant opera secunda post[p] prima, mala post bona. Et noluit Deus videre opera ista, quia mala erant, sed quae[q] per sapientiam vidit, per iudicium approbavit ».

Si vero obiciatur quod in aliis diebus non est dictum '*et fecit*', respondeo[r] quod in illo quod dictum est[3]: *Et vidit Deus quod esset bonum* etc., datur intelligi '*et fecit*'; perfectio enim secunda ponit primam et non e converso; et ideo, cum dicitur: *Vidit Deus quod esset bonum,* intelligitur '*et fecit*', in quo notatur prima perfectio.

ARTICULUS III. 283

De firmamento in medio aquarum[4].

Deinde quaeritur de ipso firmamento, quod factum est *in medio aquarum*[5], I. utrum ex eadem materia factum est.

Quod si factum est[s] ex eadem materia, quomodo dicitur firmamentum? cum natura aquae sit fluxibilis[t]? Si vero non ex eadem materia, sed ex alia, quomodo dictum est quod factum sit[u] *in medio*? medium enim communicat cum extremis.

II. Praeterea, quaeritur de figura firmamenti utrum sphaericam habeat figuram[6].

Et videtur quod sic[v] 1. per hoc quod orbiculariter movetur, et hoc ex ipsis stellis deprehenditur.

2. Praeterea, si posset ex omni parte radius oculi dirigi, notum esset quod ex omni parte convexum[x] videretur; sed, si hoc est, quid est quod dicitur in Psalmo[7]: *Extendens caelum sicut pellem,* alibi[8] vero, sicut dicit Augustinus, *Super Genesim*[9], ponitur quod caelum sit[y] sicut camera?

III. Praeterea, si firmamentum mobile est[z], quomodo dicitur quod est firmamentum? 'firmamenti' enim nomine firmum quid intelligi videtur.

[Solutio]: I. Ad quod dicendum quod caelum, quod dicitur firmamentum, videtur esse ex eadem materia informi de qua dicitur[10]: *Spiritus Domini*

---

[a] VC *si.* [b] Ita V, alii om. [c] T om. *e. e. i. V.*, in S est add. mg. [d] T om. [e] S *et.* [f] L om. [g] ST *ad.* [h] T add. *ad* et om. *haec.* [i] Ita VR, alii add. *unde.* [k] T add. *ad.* [l] R add. *est.* [m] R *laudanda.* [n] Ita ST, alii *primo.* [o] T *ipsa.* [p] T *prius.* [q] R *quia.* [r] RC *respondendum est.* [s] S om. *q. s. f. e.* [t] RLZ *fluxilis.* [u] ST *insitis*, R *est.* [v] VSLZ om. *q. s.* [x] VSTL *connexum*; R om. *est.* [y] Ita VR, alii om. [z] V om.

1 *De Gen. ad litt. lib. imperf.*, c. 10 et *De Gen. ad litt.*, II, c. 11 (PL 34, 233, 273).
2 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 20 (PL 176, 201); cf. Lombard., II *Sent.*, d. 14, c. 6 (p. 371).
3 Gen. 1, 10.
4 Cf. Lombard., loc. cit., c. 5 (p. 370 sq.).
5 Gen. 1, 6.
6 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, II, c. 9, n. 20 (PL 34, 270).
7 Psalm. 103, 2.
8 Isai. 40, 22, secundum Italam.
9 Loc. cit., n. 21 (PL 34, 271).
10 Gen. 1, 2.

ferebatur super aquas, non tamen ex eadem materia propria; immo sicut differt caelum crystallinum a firmamento et [a] aquae inferiores congregatae in unum locum differunt a firmamento, ita differunt propriae materiae horum singulorum.

II. 1. Ad secundum dicendum quod sphaericae est figurae, sicut attestantur philosophi [1] et deprehenderunt [b] hoc ex motu.

2. Quod autem dicitur esse sicut pellis, hoc non est sicut pellis extensa in rectum, sed sicut pellis vesicae [2], quae extenditur in convexum. Unde non est contrarium in illa littera [c] quam ponit Augustinus, quod 'extenditur sicut camera': camera enim contegit existentes in ea, ita caelum ex omni parte contegit [3].

III. Ad tertium dicendum quod non est contrarium firmamento esse mobile ex omni parte vel moveri: « firmamentum enim dicitur, non propter stationem, sed propter firmitatem et intransgressibilem terminum [d] aquarum superiorum [4] ».

IV. Deinde quaeritur propter hoc quod sequitur [5]: *Vocavit firmamentum caelum.* Potest enim quaeri. Si in principio dixit caelum informiter, sicut exponunt Sancti [6], nunc autem ut plene formatum, videtur quod nullum aliud sit caelum in forma perfecta nisi firmamentum, et ita nec caelum empyreum nec aqueum, cum tamen sint superiores caeli.

[Solutio]: Ad quod videtur dicendum quod sicut superius per caelum et terram, quae sunt magis sensibilia, voluit manuducere intellectum nostrum ad insensibilia, et non tantum ad alia sensibilia [e], ita cum nunc vocat firmamentum caelum, hoc non est ut excludatur intentio caeli ab empyreo, sed ut ostendat quod hoc est illud caelum de superioribus, quod primo apparet nobis; utrumque [f] autem, scilicet empyreum et aqueum, est nobis [g] invisibile: unde et illud [h] potest dici caelum, quod celat [7] nobis superiores caelos.

TITULUS III.

DE DISTINCTIONE AQUARUM INFERIORUM AB ARIDA

SEU DE OPERE TERTIAE DIEI.

284

CAPUT I.

DE ORDINE VERBORUM GENESEOS.

Sequitur de opere tertiae diei. 1. Et primo quaeritur propter quid, sicut in praecedentibus diebus dictum est '*fiat lux*' et '*fiat firmamentum*', hic [i] verbum 'fiendi' non ponitur. Numquid hoc est quia terra facta fuit prius et aquae similiter, cum dicitur [8]: *Creavit caelum et terram* et *spiritus Domini ferebatur super aquas*? Quod si esset, tunc caelum cum diceretur factum, non oporteret dicere: *Fiat firmamentum.* — Praeterea, tunc [k] locutus est de terra incomposita et invisibili, et ita de informi materia, similiter de aquis; unde necesse fuit [l] hic loqui de factura aquarum et terrae [m]?

2. Item, ornatus terrae et aquarum in duobus diebus distinguebatur sicut ornatus caeli [n]; per se deberent ergo duo dies spectare [o] ad factu-ram terrae et aquae.

3. Praeterea, caelum habet suum diem per se, in quo factum est; ergo pari ratione terra, quae est aliud extremum, debet habere suum diem per se, et similiter medium, scilicet aqua.

4. Praeterea, cum infra fiat mentio de ornatu aëris, quare similiter non fit mentio de factura aëris sicut de aquis?

5. Item, aquae erant per totum; quomodo ergo potuerunt [p] *congregari in unum*? cum non videamus aquam condensari in se, sicut est [q] de aëre.

6. Item, de aquis inferioribus dicitur quod *congregentur in locum unum* [9], de aquis autem superioribus non est hoc dictum, cum tamen et aquae superiores suum [r] haberent locum sicut et aquae inferiores.

---

[a] S om. [b] STR *deprehendunt.* [c] T om. [d] V *firmum.* [e] VST *visibilia.* [f] L *utrum.* [g] L add. *est.* [h] SRCZ *istud.* [i] VTRZ *hoc.* [k] S *nunc.* [l] V *necessavit* pro *n. f.* [m] VST *terra.* [n] S add. *et.* [o] V om., R *esse.* [p] V *poterunt.* [q] Z om., in L est add. mg. [r] RL om.

[1] Aristot., *De caelo*, II, c. 4 (II, 393).
[2] Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, II, c. 9, n. 22 (PL 34, 271).
[3] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 1, a. 2, q. 1, *ad 1* (II, 342).
[4] Augustin., loc. cit., c. 10 (PL, 34, 272).
[5] Gen. 1, 8.
[6] Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, I, c. 1, n. 2, c. 4 et II, c. 11 (PL 34, 247, 249, 272).
[7] Iuxta etymologiam erroneam, quam impugnat R. Baco, *Op. maius*, III, c. 7 (ed. Bridges, III, 109).
[8] Gen. 1, 1-2.
[9] Gen. 1, 9.

Solutio[a]: 1. Ad primum dicendum[1], secundum Augustinum[b 2], quod non fuit simile de aquis et[c] terra sicut de luce et firmamento. Cum enim factio ad speciem pertineat, lux autem et firmamentum speciem habeant valde distantem a materia informi, recte voluit hoc per verbum 'fiendi' demonstrari; aqua autem et terra, licet species receperint in tertio[d] die, tamen quia maxime accedunt ad materiam informem, quae prius dicta fuit nomine terrae vel aquarum, ideo voluit sub alio modo loquendi earum[e] facturam designare dicendo '*congregentur*', ut notetur quod prius erant in confusione, tunc[f] autem distinguerentur, et sic in unoquoque trium dierum una notaretur distinctio. Unde Augustinus, *Super Genesim*[3]: « Acceperunt haec duo species istas proprias et notissimas nobis et tractabiles, aqua mobilem, terra immobilem ». Et ideo de aquis dictum est: *Congregentur aquae,* de terra: *Et*[g] *appareat arida;* « aqua enim est labiliter fluxa, terra stabiliter fixa ».

2. Ad secundum[h] dicendum quod aliter fit distinctio dierum trium praecedentium et aliter trium subsequentium. Nam tres praecedentes sumuntur secundum triplicem distinctionem lucis a tenebris, aquarum superiorum ab inferioribus per medium firmamentum distinctarum et aquarum ab arida, id est terra; tres autem sequentes, qui pertinent ad ornatum, non sic. Cum enim lux primo resideret in caelo empyreo, caelum autem empyreum nullum habuit ornatum corporalem, sed spiritualem, scilicet angelos qui non ad factionem corporum pertinebant — non enim sunt ex caelo empyreo — propter hoc supposito isto ornatu, tacuit de illo in illis diebus[i], in quibus loquitur de ornatu connaturali. Sidera enim[k] ex eadem materia cum firmamento, natatilia ex aqua et volatilia, bestiae vero[l] ex terra et reptilia et homo similiter. Omisso[m] ergo caelo empyreo et aqueo, in diebus ornatus locutus est de firmamento, quod ponitur in genere ornabilis, et terra aliud extremum, aqua vero cum aëre medium, et secundum hoc fit distinctio dierum ex parte ornatus; hoc autem est, quia caelum empyreum, cum sit uniforme per totum et supremum corporum, non indiguit habere ornatum ex parte corporum, cum sit corpus perfectissimum ex parte corporum in prima compositione universi, sed habuit ornatum spiritualem: respectu enim illius habuit et habet perfectionem.

3. Ad tertium dicendum quod terra et aqua plus appropinquant sibi in materia et forma quam caelum cum altera[n] illarum: eadem est enim materia secundum transmutationem aquae et terrae; caeli autem materia est ingenerabilis et incorruptibilis[4], id est quae non corrumpetur nec secundum partem nec secundum totum[5]; et ideo in uno die coniunxit ista duo, quae in se invicem erant confusa.

4. Ad quartum[o] dicendum quod sub aëris ratione non fit mentio, sed sub ratione aquarum; et dicitur[6]: *Aves multiplicentur super terram,* non dicit 'in aëre', et ita sicut ibi tantum loquitur de aquis, ita et hic. — Si vero quaeratur quare non fit mentio de factura aëris sicut aquae et terrae: respondeo quod loquitur ut apprehendentibus[p] sensibilia, et ideo loquitur de aqua et terra quae videri[q] possunt; aer autem non videtur, et ideo non fit mentio nec in opere distinctionis nec[r] ornatus de aëre, sed totum notificat per caelum et terram et aquam; datur tamen[s] intelligi aëris distinctio a terra in distinctione aquarum: cum enim congregantur aquae, cum non sit vacuum, necesse est aliquod corpus replere spatium.

5. Ad id vero quod quinto obicitur, respondet Augustinus[t], *Contra Manichaeos*[7], quod « cum[u] dicitur[8]: *Congregetur aqua, quae sub caelo est, in congregationem unam,* hoc dicitur ut illa materia corporalis formetur in eam speciem quam habent istae[v] aquae visibiles: ipsa enim congregatio in unum[x] est aquarum formatio istarum quas videmus et tangimus: omnis enim forma ad unitatis regulam cogitur. Et quod dicitur: *Appareat arida,* quid aliud dici intelligendum est nisi ut illa materies accipiat visibilem formam, quam nunc[y] habet terra ista quam videmus et tangimus? Superius ergo quod nominabatur *terra invisibilis et incomposita,* materiae confusio et obscuritas nominabatur, et quod[z] nominabatur aqua, super quam *ferebatur spiritus Dei,* eadem rursus materia nominabatur. Nunc vero aqua ista et terra formantur ex illa materia, quae ipsis nominibus appellabatur antequam formas istas, quas nunc videmus, acciperet ». — Vel potest dici, sicut alii[9] sentiunt, quod illa

---

[a] Ita V, alii om. [b] V *sicut dicit Augustinus* pro *s. A.* [c] LC add. *de.* [d] VST *tertia.* [e] Ita C, alii *eorum.* [f] Ita VL (corr.) C, alii *nunc.* [g] Ita V, alii om. [h] Ita V, alii add. *vero.* [i] V *nullo in illis* pro *i. i. d.* [k] T *vero;* S om. *eadem.* [l] LZ add. *et,* quod R exp. [m] Z *emisso.* [n] RLCZ *altero.* [o] Ita V, alii add. *vero.* [p] V *apprehensibilibus.* [q] T add. *etiam.* [r] V om. *d. n.* [s] Z *autem.* [t] V add. *in libro;* STL *respondeo* pro *respondet.* [u] T om. [v] S *ut.* [x] Ita V, alii add. *ipsa.* [y] V *non.* [z] LCZ *etiam.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 2, dub. 1 (II, 365 sq.).
2 Cf. *De Gen. ad litt.*, II, c. 11 (PL 34, 272).
3 Loc. cit. (PL 34, 273), ubi et sequens.
4 Cf. Aristot., *De caelo,* I, cc. 3 et 10 sqq. (II, 370, 383 sqq.).
5 Cf. supra, p. 311a, *ad 6.*
6 Gen. 1, 22.
7 *De Gen. c. Manich.*, I, c. 12 (PL 34, 181 sq.).
8 Gen. 1, 9.
9 Cf. Beda, *Hexaëm.*, I (PL 91, 20).

congregatio fuit condensatio in parte una et rarefactio ex parte altera, ut ex parte aëris esset rarefactio et maioris loci occupatio, ex parte aquae densatio et minoris loci occupatio.

6. Ad sextum dicendum [a] quod de aquis inferioribus dictum est quod *congregentur,* quia minorem locum occupabant in specie aquae superiores, non quae magis dilatabantur. Hugo vero ad mysterium [b] refert; unde dicit [1]: « Est in illo, qui interius fabricatus est, mundo, quiddam huius operis formam et exemplar habens, ubi terra quaedam deorsum posita consistit sensualis natura hominis; caelum autem sursum puritas intelligentiae et quasi quodam immortalis vitae motu vegetata ratio. Duas vero tam [c] dissimiles in uno homine naturas magna quaedam desideriorum moles hinc inde fluctuantium et in contraria [d] motu saepe alterno tendentium oberrat, quia et aliud est quod subtus caro ex infirmitate pressa appetit, et aliud quod spiritus, sursum per contemplationem veritatis elevatus, intendit. Sed fit aliquotiens ut contrarii motus confusionem gignant, nisi ratio media interveniens dividat ab invicem et discernat voluntates et appetitus desideriaque diiudicet, quid sit videlicet quod ex carne deorsum trahit, quid quod ex spiritu in superna inhiat, summum illud et immortale bonum ambiens. Nam, cum ipsa ratio quasi quaedam iudicii censura in medio se collocat atque hinc supercaelestes aquas, illinc [e] autem eas, quae sub caelo sunt, separatim disponit, non potest inferior corruptela [f] superiorem partem animae inficere neque ipsa, quae sursum est, sinceritas ad ea, quae subter sunt, abiecta et vilia, sese inclinare ».

285

CAPUT II.

QUARE ORNATUS TERRAE NON PERTINEAT AD DIEM SEPARATUM.

Dixit *Deus* [g]: *Germinet terra* [2] etc. 1. Quaestio est propter quid iste ornatus terrae non [h] pertinet ad diem separatum, sicut est de animantibus formatis de terra.

2. Praeterea, sicut in primo die dicitur [3]: *Fiat* et *factum est* [i] et *vidit Deus quod esset bonum,* et in aliis diebus per aequipollentiam, praeterquam in secundo, ita et hic dicitur: *Germinet terra* etc. et post dicitur [4]: *Et factum est, et vidit Deus quod esset bonum.* Et ita videtur quod [k] ad unum diem separatum pertineat.

3. Forte dicetur, sicut dicit Augustinus [5], quod iste ornatus ad eumdem diem pertinet [l], quia herbae et arbores fixae sunt radicibus et ita connumerantur cum terra, non sic autem de animantibus, quae facta sunt in sexto die vel quinto die. — Sed obicitur in contrarium per ornatum factum in quarto die [m]: sol enim et luna et sidera facta sunt in quarto die et pertinent ad ornatum firmamenti et fixa sunt in firmamento, sicut dicunt philosophi [6]; ergo per praedictam rationem deberent in secundo die cum firmamento computari; sed non computantur; ergo non est haec ratio propter quam arbores et herbae sub uno die cum terra computentur.

[Solutio]: 1. Responderi potest vel secundum opinionem illorum qui dicunt sidera habere proprium motum, quam opinionem recitat Augustinus [7], vel si fixa sunt [n] in suo orbe, sicut dicit Philosophus [8], distinguendum est inter fixum et fixum. Est enim quoddam fixum, quod oritur ex illo cui est infixum, et est aliud fixum, quod factum est in illo cuius est ornatus. Primo modo [o] dicitur de herbis et arboribus [p], secundo modo dicitur de sideribus; unde primo dicitur: *Germinet terra* etc., secundo dicitur [q 9]: *Fiant luminaria in firmamento caeli* etc. Fixum ergo quod oritur ex [r] terra, sicut dicit Philosophus [10] quod terra est mater herbarum, computatur in eodem die cum illa [11], aliud vero fixum non computatur. Et licet dicatur [12] quod *terra producat reptile,* haec productio animantium est ut animantia accipiant materiam quodam modo elongatam ab ipsa terra: elementa enim commixta cum terra sunt materia animantium et ultra commixtionem habent quamdam aliam permixtionem; in herbis vero est

---

[a] Ita V, alii add. *est.* [b] T *ministerium,* quod LC corr. [c] S *tamen.* [d] RLCZ *contrario.* [e] VS *illic.* [f] V *corruptibilis.* [g] V *Dominus.* [h] S om. [i] R om. [k] R om. *t. v. q.* [l] LCZ *pertineat.* [m] T om. [n] T om. [o] T om. [p] R om. *e. a.* [q] Ita V, alii *dicit.* [r] T *de.*

1 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 1, c. 19 (PL 176, 200sq.).
2 Gen. 1, 11.
3 Gen. 1, 3-5.
4 Gen. 1, 11-12.
5 *De Gen. ad litt.,* II, c. 12 (PL 34, 273).
6 Cf. Aristot., *De caelo,* II, c. 7 (II, 397).
7 *De Gen. ad litt.,* II, c. 10 (PL 34, 271).
8 Loc. cit.
9 Gen. 1, 14.
10 *De plantis,* I, c. 7 (IV, 21).
11 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt., lib. imperf.,* c. 11, n. 25 (PL 34, 234).
12 Gen. 1, 24.

commixtio [a] et habent materiam propinquam terrae. Hoc autem est alterius considerationis.

2. Ad aliud dicendum [b] quod, licet dicatur hic per aequipollentiam: *Fecit* et *factum est* et *vidit quod esset bonum*, non tamen propter hoc debebat dici separatio diei, sed unum factum dupliciter approbatur. Terra enim fuit sub duplici ratione, cum apparuit: habebat enim propriam naturam, secundum quam dicebatur arida; habebat etiam cum humore commixtam, ratione cuius germinabat herbas etc., et sic unum factum dupliciter commendatur.

Sed quare [c] de mineralibus non est facta mentio [d], ut lapidibus et huiusmodi? Respondeo: Videtur quod [e] haec in terra latebant vel forte metalla et lapides pretiosi post [f] per operationem superiorum corporum, habentium efficaciam in terra, haec [g] produxerunt.

CAPUT III. 286

UTRUM TUNC PRODUCTAE SINT SPINAE ET ARBORES INFRUCTUOSAE [1].

Deinde quaeritur de hoc quod dicitur secundum aliam translationem [2]: *Germinet terra herbam pabuli.* Quaeritur enim de spinis, utrum tunc productae sunt [h], similiter de arboribus infructuosis.

Quod non, videtur 1. ex ipsa virtute litterae; dicitur enim *herbam pabuli,* similiter [i] *lignum faciens fructum secundum genus suum.*

[Solutio]: Ad quod respondet Augustinus [k], *Contra Manichaeos* [3], ita dicens: « Ergo dicendum est quod per [l] peccatum hominis terra maledicta sit, ut spinas pareret, non [m] ut ipsa poenas sentiret, quae sine sensu est, sed ut peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando a peccatis averti et ad Dei praecepta converti. Herbae autem venenosae ad poenam vel ad exercitium mortalium creatae sunt, et hoc totum propter peccatum, quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuosas vero arbores insultatur [n] hominibus, ut intelligant quam sit [o] erubescendum hominibus sine operibus bonis in agro Dei esse, hoc est in Ecclesia, et timeant ne deserat illos Deus, quia et ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergo hominis non est scriptum quod terra protulerit nisi *herbam pabuli* et ligna fructuosa; post peccatum vero [p] videmus multa horrida et infructuosa de terra nasci, credo propter eam causam quam diximus ». — Posset tamen dici aliter quod spinae et [q] habent iucunditatem ratione florum et fructuum et habent punctionem. Ratione ergo iucunditatis et fructuositatis possunt dici factae in tertio die, et ita videtur dicere Damascenus [4]; ratione vero punctionis et infructuositatis, post peccatum sic sunt conversae.

---

[a] Z *permixtio.* [b] Ita VT, alii add. *est;* ST *hoc* pro *licet.* [c] R *queritur.* [d] T add. *etiam.* [e] R *quia* pro *v. q.;* V add. *quia.* [f] T *vel.* [g] V om. [h] C *sint.* [i] T add. *etiam.* [k] V add. *in libro.* [l] T om. [m] S om. [n] T *insultura.* [o] T om. [p] V add. *hominis;* R om. *multa.* [q] TR om.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 2, dub. 2 (II, 366).
2 Gen. 1, 11, secundum Italam.
3 Lib. I, c. 13; cf. *De Gen. ad litt.*, III, c. 18 (PL 34, 182, 290 sq.).
4 *De fide orthod.*, II, c. 10 (PG 94, 910).

QUAESTIO III.

DE RERUM CORPORALIUM ORNATU IN SPECIALI.

TITULUS I.

DE ORNATU FIRMAMENTI

SEU DE OPERE QUARTAE DIEI.

Sequitur de iis quae pertinent ad ornatum. Ornatus autem est triplex secundum tria genera locorum: caelum et terram [a] et corpus medium, quod continet aërem et aquam.

Primo ergo agit de ornatu caeli;

secundo de ornatu corporis medii;

tertio, de ornatu corporis ultimi.

Sic enim ordinantur secundum gradum nobilitatis, et sic determinabantur in sua factione: primo firmamentum, quod dictum est caelum; deinde aqua in sua specie; tertio terra, quae dicta est arida.

Agit autem sic de ornatu caeli sive firmamenti:

Primo ostendit progressum luminarium, quae ad ornatum spectant, a sua causa, cum dicit [1]: *Fiant luminaria;*

secundo designat ea in proprio genere [2]: *Et factum est* [b];

tertio perfectionem secundum sua genera;

quarto comparationem ad finem.

Et possunt haec quatuor distingui secundum quatuor causas: primum ad efficientem, secundum ad materialem causam dispositam, tertium ad formam completam, quartum ad causam finalem.

Primo ergo ostendit facturam luminarium;

secundo, ad quem usum. Et ostendit multiplicem [c] usum: discretionem [d] diei ac noctis, signationem impressionum quarumdam inferiorum, distinctionem temporum, ornatum caeli.

287

CAPUT I.

DE FACTURA LUMINARIUM [3].

Primo ergo quaeritur de hoc quod in aliis diebus pertinentibus ad ornatum dicit [4]: *Producat* etc., in hac autem die [5]: *Fiant luminaria;* nec dicit 'ex firmamento', sed *in firmamento.* Ideo potest quaeri ex quo facta sunt luminaria tamquam ex propinqua materia.

[Solutio]: Ad quod facit quod lux, quae facta est in primo die, non desierit [e] esse [6]: haec [f] enim magis videtur conversa in luminaria, ut [g] quae prius distinguebat diem et [h] noctem, nunc ampliori modo usui [i] sit accommodata et eidem modo perfectiori, eo quod in ea sit [k] lumen perfectius et distinctius. Recte ergo videtur dictum quod luminaria sint facta [l] *in firmamento,* non 'ex firmamento', sicut dicitur in sequentibus [7]: *Producant aquae, producat terra.* Et est modus talis loquendi, quemadmodum si poneretur gemma pretiosa in anulo ad decorem anuli; unde infra sequitur [8]: *Et posuit ea in firmamento.*

---

[a] VST *terra.* [b] V om. [c] S *multipliciter.* [d] L *discretioni.* [e] L (corr.) C *desinet.* [f] SLC *hoc.* [g] T *et.* [h] R *aut.* [i] Z *visui.* [k] T *fit.* [l] R *perfecta.*

[1] Gen. 1, 14. [2] Gen. 1, 19. [3] Cf. supra, num. 272; Lombard., II *Sent.*, d. 14, c. 9 (p. 372); S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 2, dub. 3 (II, 366 sqq.). [4] Gen. 1, 24. [5] Gen. 1, 14. [6] Cf. supra, num. 263. [7] Gen. 1, 20, 24. [8] Gen. 1, 17.

In firmamento caeli[1]. De hoc quaeritur 1. quid dicatur hic *firmamentum*. Solemus enim dicere firmamentum in quo sunt stellae fixae; sed sic non potest accipi: nam loquitur hic de luminaribus[a], sole et luna; haec autem luminaria non sunt in firmamento, id est[b] caelo stellarum fixarum; ergo non sic potest accipi *firmamentum*.

2. Praeterea, ad quid dixit 'firmamentum caeli', non 'in caelo'?

[Solutio:] 1. Ad quod dicendum quod *firmamentum* accipitur hic pro toto corpore in quo sunt stellae fixae et quae dicuntur erraticae; unde continet haec octo[c] sphaeras secundum philosophos, scilicet caelum stellatum et caelos in quibus sunt septem planetae.

2. Ad aliud dicendum quod signanter dixit: *In firmamento caeli*, ut designaret illam partem caeli quae est supra caelum aethereum, id est in illa parte quae dividit aquas superiores et inferiores.

CAPUT II.

AD QUEM USUM FACTA SINT LUMINARIA.

ARTICULUS I. 288

De primo actu lucis.

Deinde sequitur[2]: *Ut luceant super terram*. Notatur hic primus[d] actus lucis et ad quid terminatur. Reflectitur enim radius lucis[e] ex resistentia terrae vel corporis terrestris et, licet luceat super aërem vel super aquam, tamen non dicitur hoc, quia virtus in suo ultimo determinatur et in illo alia dantur intelligi.

I. *Et praesint diei et nocti*[3]; alia littera habet[f][4]: *Sint in inchoationem diei et noctis.*

Ratione cuius obicitur: 1. Nonne ex praesentia solis super terram est dies, ex absentia eius est[g] nox? ergo sol est ad utrumque, cum per ipsum distinguatur vespere et mane.

2. Praeterea, contingit quod luna non semper lucet in nostro hemisphaerio in initio noctis; quid ergo erat dicere: *Et sint in inchoationem*[h] *diei et noctis*, tamquam luna esset in inchoationem[i] noctis semper lucens in nostro hemisphaerio?

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod nostra translatio apertius designat, quae dicit: *Ut praesint diei et nocti.* Sol enim praeest diei in lumine et luna praeest nocti; non quod semper luceat luna in nocte — cum enim coniungitur soli[k], non tunc apparet lumen eius — sed hoc est quia dominatio in die et in nocte quoad effectus maxime penes ista luminaria distinguitur, sed ipsa essentia noctis per defectum solis in nostro hemisphaerio determinatur.

2. Ad secundum dicendum[l] quod, sicut dicit Augustinus, per inchoationem designatur principium, nomine vero principii designatur principatus — sic enim est in graeco, quod dicitur[m] ἄρχειν — unde notatur principatus solis tamquam luminaris in die, et lunae tamquam luminaris[n] in nocte. Unde Augustinus, *Contra Manichaeos*[5]: « Si per inchoationem principium intelligas et [per] principium principatum, manifestum est quoniam sol per diem principatum tenet, luna per noctem, quia etsi cetera sidera tunc appareant, illa tamen suo fulgore[o] omnia superat et ideo princeps eorum rectissime dicitur ».

II. Adhuc etiam quaeritur de hoc quod dicitur[6] ut *dividant diem et noctem*, cum prius facta fuerit divisio diei et noctis.

[Solutio]: Ad quod dicit Augustinus, *Contra Manichaeos*, quod, licet prius fuerit divisio diei et noctis, non tamen per diversitatem luminarium, ut unum luceret de die, aliud de nocte. Unde dicit Augustinus, *Contra Manichaeos*[7]: « Sic[p] dictum est: *Dividant diem et noctem*, tamquam si diceretur: sic inter se dividant diem [et noctem] ut soli dies detur, nox vero lunae et sideribus ceteris; quae duo iam divisa erant, sed nondum inter sidera, ut iam certum esset de siderum[q] numero, quid[r] per diem, quid[s] per noctem appareret[t] hominibus ».

---

[a] T add. *scilicet.* [b] T add. *in.* [c] VSTZ *vij.* [d] L *primo.* [e] C *solis.* [f] R om. *l. h.* [g] T om. [h] SZ om. [i] RC *inchoatione.* [k] V *celi.* [l] Ita VT, alii add. *est;* L *sic* pro *sicut.* [m] T om. [n] S om. *in die... luminaris.* [o] R *fulgure.* [p] T *sicut.* [q] VT *desiderium* pro *d. s.* [r] V *qui.* [s] V *et.* [t] V *apparere*, S *apparet.*

1 Gen. 1, 17.
2 Gen. 1, 17.
3 Gen. 1, 18.
4 Secundum Italam.
5 Lib. I, c. 14, n. 22 (PL 34, 183sq.).
6 Gen. 1, 14.
7 Loc. cit., n. 23 (PL 34, 184).

289 ARTICULUS II.

Qualiter luminaria sint in signa [1].

Deinde quaeritur **I.** de hoc quod dicitur [2]: *Ut sint in tempora, dies et annos et signa.*

1. Qualiter enim sunt in signa? Nonne praeter solem et lunam et planetas sunt signa posita in caelo? Unde zodiacus signifer dicitur [3]. — Praeterea, nonne sunt signa plurima in caelo praeter illa duodecim, sicut dicunt [a] philosophi [4], quae vergunt ad austrum vel ad aquilonem? Quid est ergo quod dicitur de [b] sole et luna et planetis?

2. Item, si [c] sol et luna et planetae sunt signa eorum quae fiunt in [d] inferioribus, numquid determinant causas aliquorum? Et si sunt causae aliquorum [e] vel signa, quorum sunt causae vel signa? Numquid omnium?

Quod [f] **autem sint signa pluviae et siccitatis, caloris et frigoris, videtur** *a.* per hoc quod, cum sol appropinquat ad Cancrum, maior est fervor frequenter [g]: tunc enim est quasi super zenith [h] capitum nostrorum; cum autem vergit ad Capricornum, maior est intemperies frequenter. Eodem modo [i] magis videmus tonitrua fieri in vere vel aestate quam in hieme [k]. Dicit enim Philosophus, inquirens causam generationis et corruptionis, quod sol per sui allationem et ablationem causa est universalis horum [5], licet aliae sint causae particulares.

b. Praeterea [l], ex ratione causae arguitur. Causa enim est, cuius esse sequitur aliud per se, et non secundum accidens [6]; sed motum luminarium per se, et non secundum accidens, sequitur ista variatio secundum excellentiam frigoris, caloris etc.; ergo haec luminaria sunt causa horum. — Contra, Damascenus [7]: « Nos autem dicimus quoniam [m] non ipsa sunt causa alicuius eorum quae fiunt neque corruptionis alicuius eorum quae corrumpuntur; signa magis sunt imbrium et transmutationis [n] aëris ».

II. Item, supposito quod aliquo modo dicantur causae aliquorum in inferioribus, potest quaeri utrum omnium [8].

Et videtur 1. quod sit variatio in mineralibus secundum haec luminaria [9]. Unde dicunt secundum aspectum luminarium [o] metalla fieri diversa in diversis terris: quaedam enim abundant in auro, quaedam in argento etc. Similiter, manifestum est quod diversitas [p] plantarum est in diversis regionibus secundum aspectum istorum luminarium, maxime solis et lunae. Eodem modo diversitas in animalibus: quaedam enim plus abundant in una regione quam in alia; et unde hoc esset? nisi quod quaedam sunt calidiores aliis, quaedam frigidiores. In homine etiam videmus variationem: ex parte corporum quidam enim sunt unius coloris [q] magis, quidam alterius, quidam passibiliores, quidam minus passibiles; ex parte vero animae quidam [r] sunt irascibiliores, quidam temperatiores [s], quidam promptiores ad unum peccatum quam ad aliud. Ex quo videtur quod causatio istorum luminarium extendat se ad omnia inferiora.

Contra: *a.* Damascenus ponit rationes quod non sunt causae eorum quae sunt in nobis. Unde dicit [10]: « Nos dicimus quoniam signa quidem [t] ex ipsis sunt imbris et siccitatis [u], frigiditatis et caliditatis [v] et humiditatis et horum talium, nostrorum autem actuum nequaquam: nos enim liberi arbitrii a Conditore facti, nostrorum domini existimus actuum. Si enim ex astrorum allatione omnia agimus, secundum necessitatem agimus [x] quod agimus; quod autem necessitate fit, neque virtus neque malitia est; si autem neque virtutem neque malitiam habemus, nec laudibus nec vituperationibus, coronis vel tormentis existimus digni. Invenietur [y] autem et Deus iniustus, iis quidem bona, illis autem tribulationes dans. Sed neque gubernationem neque suarum creaturarum Deus faciet providentiam. Sed et rationale superfluum in nobis erit: nullius enim existentes actus domini, superflue consiliamur; rationale autem omnino consilii gratia nobis datum est: unde omne rationale et [z] arbitrio liberum est ».

[Solutio]: I. 1. Ad quod dicendum quod omnia signa, quae sunt in caelo, sunt vel principalia,

---

[a] T om. [b] S *in*. [c] V *sicut*. [d] T om. [e] V om. *et... aliquorum*. [f] VST *ea*. [g] V add. *sol dicitur esse in cancro quando est super capita*. [h] V *cervicem* et om. *enim*. [i] S om. [k] T add. *sol dicitur esse in zenith capitum quando est directe super capita*. [l] T om. [m] ST *quod*. [n] V *transmutationes*. [o] V *mineralium*. [p] S *diversionis*; L *planetarum* pro *plantarum*. [q] Ita VZ, alii *caloris*. [r] RLCZ add. *enim*; R om. *sunt*. [s] V *imperitiores*, T *imperatores*. [t] V *quedam*; R *quod* pro *quoniam*. [u] L add. *et*; Z om. *sunt*. [v] R om. *e. c.* [x] L om. *s. n. a.* [y] RLCZ *invenitur*. [z] V om.

1 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 14, c. 10 (p. 373); S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 2, dub. 4 (II, 369 sq.).
2 Gen. 1, 14.
3 Cf. Aristot., *De mundo*, c. 2 (III, 628).
4 Cf. Aristot., *Metaph.*, XI, c. 8 (II, 606 sqq.).
5 *De gener. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 465).
6 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3; *Metaph.*, IV, c. 2 (II, 264, 515).
7 *De fide orthod.*, II, c. 7 (PG 94, 894).
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 2, a. 2, q. 3 (II, 361 sqq.).
9 Cf. Robert. Lincoln., *De artib. liberal.* (ed. Baur, p. 6); S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 2, a. 1, q. 2, *ad 1* et *2* (II, 74).
10 Loc. cit.

quae sunt in zodiaco, vel vergentia ad austrum vel aquilonem, et omnia determinantur per stellas et vocantur imagines ex plurium stellarum coniunctione. Dicuntur autem signa, quia aliquam significationem praebent super ista inferiora. Similiter quinque planetae habent significationem aliquam secundum differentiam sui motus vel aspectus super ista inferiora, principaliter vero sol et luna sunt in [a] signa. Et ideo in alia translatione dicitur: *Fiant sidera in firmamento caeli,* ut per *sidera* haec omnia communiter intelligantur; in nostra vero translatione dicitur: *Fiant luminaria,* quod etiam commune est, licet magis specificet de sole et luna.

2. Ad aliud videtur dicendum [b], sine praeiudicio melioris sententiae, quod causa dicitur duobus modis. Uno modo illud quod infallibiliter et semper producit suum effectum vel ad minus sine quo non producitur effectus; alio vero modo dicitur causa illud quo mediante [c] pluries producitur effectus [d]. Primo modo non credo luminaria esse causam istorum effectuum: non enim semper secundum suam dispositionem hos effectus producunt; sine enim horum propria dispositione voluntas Dei, cum expedit, aliquando hos effectus producit, iis etiam existentibus in contraria dispositione. Secundo modo possunt dici causa, quia cooperantur ad generationem et corruptionem quarumdam rerum.

Per hoc potest solvi contrarietas inter Ioannem Damascenum et philosophos [e]. Damascenus enim loquitur de causa simpliciter, ipsi vero loquuntur de causa propinqua ut frequenter. Contingit enim siccitas in hieme et abundantia pluviarum in aestate et similiter contingit de calore et frigore.

II. Ad secundum dicendum [f] quod non omnium dicuntur signa vel causae, sed, sicut dicit Ioannes Damascenus, « signa sunt siccitatis, frigiditatis [g] » etc., non autem sunt signa eorum quae proprie sunt ab anima rationali, sicut dicit Ioannes Damascenus, in auctoritate supra dicta [1]. Unde, cum invenitur a [h] philosophis quod sunt signa iracundiae vel furoris vel furti et ita de quibusdam aliis passionibus [i]: respondeo quod, cum luminaria faciant immutationem in aëre et aliis corporibus, per hoc [k] etiam faciunt immutationem in nostris corporibus, anima vero rationalis inclinatur per liberum arbitrium ad sequendum immutationem factam in corpore: tunc possunt sequi dispositiones ex [l] parte animae, sed harum dispositionum causa est ipsa anima; non enim necesse est ipsam inclinari vel sequi impressiones vel passiones factas in corporibus [2].

ARTICULUS III. 290

Qualiter luminaria sint in distinctionem temporum.

Deinde quaeritur I. de hoc quod dicitur: *In tempora et dies,* cum tempus et dies praecesserit.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod tempora praecesserunt et dies, sed non erant luminaria quae ita manifeste discernerent dies [m] prius sicut tunc. Tempora vero possunt dici ver, aestas, autumnus et [n] hiems, quae per motum [o] solis discernuntur, quae prius non discernebantur; et hoc dicit Ioannes Damascenus [3]. Similiter solstitium aestivale et hiemale et aequinoctium vernale et autumnale per hoc distinguuntur. Dies etiam, licet prius haberent distinctionem, non tamen hanc habebant quam modo habent: modo enim longiores sunt dies [p] in aestate et breviores noctes, in hieme vero e converso. Et ideo recte dixit: *In tempora et dies.* De anno autem patet quod est annus solaris et annus lunaris, qui determinantur secundum motum luminarium solis et lunae. Unde Augustinus, *Contra Manichaeos* [4]: « *In signa et tempora* dictum est, ut per haec sidera tempora distinguantur et ab hominibus dignoscantur, quia si currant tempora et nullis distinguantur articulis, qui articuli per siderum cursus notantur, possunt quidem currere tempora atque praeterire, sed intelligi et discerni ab hominibus non possunt: sicut horae, quando nubilus [q] dies est, transeunt quidem et sua spatia peragunt, sed distingui a nobis et notari non possunt ».

Sed obicitur: Si luna fuit condita cum sole, propter quid annus lunaris non continet tot dies quot solaris? Annus enim solaris continet trecentos sexaginta quinque dies [r] cum quadrante: unde computantur in anno bisextili trecenti et sexaginta sex [s]; annus vero lunaris continet trecentos quinquaginta quatuor dies [5].

---

[a] T *etiam.* [b] R add. *quod.* [c] V *mediatur.* [d] Z om. *alio vero... effectus;* V *producuntur* pro *producitur.* [e] R *philosophum.* [f] Ita V, alii *vero dicendum est.* [g] VST om. [h] R *in.* [i] Ita L (corr.), alii *hominibus;* R *respondendum* pro *respondeo..* [k] T om. [l] R *a;* T om. *sequi.* [m] R om. [n] L om. [o] L *totum.* [p] T om. [q] S (corr.) *nubilosus.* [r] R om. [s] Z om. *cum quadrante... sex.*

1 Cf. supra, p. 350, nota 7.
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 308, *ad 4* et num. 216.
3 *De fide orthod.,* II, c. 7 (PG 94, 890).
4 Lib. I, c. 14, n. 21 (PL 34, 183).
5 Cf. Damasc., loc. cit. (PG 94, 898).

Ad quod respondendum[a] quod sol fuit conditus in quarta die mundi, luna vero condita fuit[b] perfecta sive plena, sicut dicit Damascenus[1]: « Decebat enim eam completam in lumine fieri ». Augustinus[2] tamen non hoc definit, scilicet quod[c] in plenilunio, sed quod perfecta sit[d] arguit, quia a perfectissimo Conditore condita. Cum ergo luna esset condita plena, sol autem in quarto die mundi, oportuit quod anticiparet cum sole undecim diebus, ut sic esset quintadecima[e] et sic esset[f] quasi in oppositione solis, et ex hoc processu temporis accidit quod annus lunaris excedebatur ab anno solari, sicut dicit Damascenus[3].

II. Deinde quaeritur de hoc quod sequitur[4]: *Fecit duo magna luminaria, maius* solis, *minus* lunae.

Sed obicitur quod aliqua alia luminaria sunt maiora luna, et hoc probant per distantiam corporum et apparitionem; quare ergo dixit de luna potius quam de aliquo alio luminari?

[Solutio]: Ad quod respondeo[g] per hoc quod dicitur: *Ut praeesset nocti.* Nullum enim[h] luminare, quantumcumque sit, in nocte tantum dominatur in illuminatione quantum luna dominatur[5]. Praeterea, propinquior est nobis: unde ampliorem inducit effectum et plures.

291 ARTICULUS IV.

De stellis et earum motu.

Deinde quaeritur **I.** de hoc quod additur: *Et stellas.* Quaeritur enim de quibus stellis intelligitur, utrum tantum de fixis an[i] de erraticis.

Et videtur quod de erraticis: *a.* Quia connumerat cum sole et luna.

E contra videtur de fixis: 1. Quia[k] dicitur[6] quod *posuit eas*[l] *in firmamento.*

[Solutio]: Ad quod respondeo[m] quod communiter loquitur de stellis, sive quae dicuntur fixae sive quae dicuntur erraticae.

[Ad obiecta]: 1. Ad id[n] quod dicitur posuisse eas *in firmamento,* dicendum quod *firmamentum* accipitur ibi pro tota parte quintae essentiae[7], quae continet omnia luminaria.

II. Sed adhuc quaeritur[o], ratione huius verbi '*posuit*', utrum luminaria moveantur suo motu an motu sui orbis[8].

1. Si enim positum dicitur illud quod est fixum, videtur quod non suo motu moveantur, sed motu suae sphaerae[9].

2. Praeterea, si proprio motu moverentur, aut dividerent corpus suae sphaerae aut non dividerent. Si non dividerent, tunc duo corpora simul essent in eodem loco: quod est inconveniens[10]. Si vero[p] dividerent, tunc reciperet[q] quinta essentia sectionem, quemadmodum aer et aqua, et ita esset corpus rarefactibile et densabile; sed quod tale est, corruptibile est; cum ergo superiora corpora de voluntate Dei sint quae non corrumpuntur, non rarefiunt nec densantur.

3. Praeterea, hoc attestatur plus habere de materia vel minus: nam rarum est quod plus habet de loco et minus de materia, densum e converso; ergo, cum haec non conveniant[r] illi corpori, non est illud corpus rarefactibile aut densabile. Restat ergo ex iis rationibus et aliis, quas ponit Philosophus, in libro *De caelo et mundo*[11], quod non moventur proprio motu, sed motu[s] sui orbis.

4. Praeterea, superfluum esset ponere ipsa per se moveri, cum nihil aliud facerent suo motu quam ea quae fiunt a motu orbium suorum.

a. **Alii** vero volunt ex opposito dicere quod si moverentur tantum motu sui orbis, aut moverentur orbes[t] motu firmamenti propter continuitatem: et tunc necesse esset quod planetae essent in una dispositione, cum firmamentum semper uno modo moveatur; aut quod[u] eorum orbes haberent proprium motum: et si habent[v] proprium motum, aut moventur ab oriente in occidentem sicut firmamentum, et tunc, cum secundum maiorem nobilitatem corporum et minorem sit motus naturalis, in qua distantia se haberent orbes planetarum a firmamento, in[x] illa sive secundum illam proportionaliter esset motus, et ita quam cito firmamentum, quod est superius et nobilius, fecisset suam revolutionem, tam cito alii orbes facerent suam et ita accideret idem

---

[a] STLZ *respondendo;* RL om. *sol,* in CZ est add. interl. [b] S *fit.* [c] T om. [d] VCZ *sic.* [e] R add. *die.* [f] V om. *e. s. e.* [g] RZ *respondendum;* R *hoc* pro *quod.* [h] RL om. [i] RC *aut.* [k] T *quod.* [l] Ita V, alii *ea.* [m] RCZ *respondendum.* [n] R om. [o] V add. *de.* [p] VST om. [q] T add. *mihi.* [r] V *hoc non communicat* pro *h. n. c.* [s] R om. *s. m.* [t] T add. *enim.* [u] S om. [v] R *haberent.* [x] S om.

1 *De fide orthod.,* II, c. 7 (PG 94, 895).
2 Cf. *De Gen. ad litt.,* II, c. 15, n. 30 et *De Gen. ad litt., lib. imperf.,* c. 13, n. 40 (PL 34, 276, 236).
3 Loc. cit. (PG 94, 898).
4 Gen. 1, 16, ubi et duo sequentes textus.
5 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* II, c. 16, n. 34 (PL 34, 277).
6 Gen. 1, 17.
7 Cf. Aristot., *De caelo,* I, c. 3 (II, 371).
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 14, p. 2, a. 1, q. 2 (II, 353 sq.).
9 Cf. Macrob., *In somn. Scipion.,* I, c. 17, circa finem.
10 Cf. Aristot., *Phys.,* IV, c. 1 (II, 285).
11 Lib. II, c. 8 (II, 397 sqq.).

quod prius. Restat ergo quod moveantur contra firmamentum. Sed si moventur e contrario, cum fortius motum vincat semper [a] minus potens, necesse est quod [b] firmamentum sua revolutione faciat illos orbes revolvi ab oriente in occidentem, et hoc apparet ex hoc quod sol in motu diurno revolvitur ab oriente in occidentem [c] et iterum revolvitur [d] ad orientem et ita de aliis. Nisi ergo aliquis esset proprius motus ipsorum cum hoc [e], non acciderent illae variationes quae modo accidunt: inveniuntur enim planetae in qualibet revolutione sub alio puncto quam fuerunt in praecedenti revolutione. Cum ergo hae variationes sint manifestae in planetis, necesse est aliquem proprium [f] motum orbium esse contra firmamentum. Quid est ergo quod dicitur [1]: *Posuit ea* [g] *in firmamento?* Immo in alio corpore posita sunt illa sidera, quod naturam habet [h] movendi e contrario ipsi firmamento.

b. Praeterea, secundum hoc tollerentur motus lunae, qui dicuntur differentes esse secundum astrologos [2], secundum [i] excentricum et epicyclum et alios circulos quos ipsi assignant; tollerentur etiam retrogradationes [k], progressiones et aliae variationes quae in illis assignantur, si motum proprium non habeant.

c. Nec hoc obstat quod dicitur quod caelum non recipit divisionem [3], et ita non possit planeta movere per spatium caeli: cum videatur radius moveri per aëra sine divisione aëris. Nec accidens potest esse, cum moveatur de loco ad locum, non moto aëre in quo est; nec est alia substantia quam corporea; ergo erit corpus motum per corpus aliud non divisum, quod non est aequalis spiritualitatis. Ita dicunt planetam, cum sit maioris [l] luminositatis, moveri per spatium corporis caeli, tamen caelo non diviso.

[Solutio]: Ad quod dicendum [4] quod, sive sic sive sic [m], posita sunt luminaria in firmamento secundum intentionem supra dictam, sive sint fixa in suo orbe sive per se mobilia. Perscrutatio autem horum relinquenda est eis qui circa talia [n] negotiantur, hoc supposito quod dicit Scriptura. Si vero altera pars per documenta [o] Sacrae Scripturae possit confirmari, illi parti est adhaerendum.

III. Et quia moventur orbiculariter corpora supra dicta, quaeri similiter solet utrum moveantur a se vel ab alio corpore vel ab aliquo incorporeo, quod non est necesse moveri [5].

Nullum autem corpus a se movetur [6], cum necesse sit distare substantiam moventis a substantia moti; nec ab aliquo [p] alio corpore: oportet enim statum esse; ergo ab incorporeo est primus motus [7]. Huius gratia ponebant quidam [8] superiora corpora esse animata, ut quemadmodum animalia moventur e diverso a principio naturae, quod est anima, ita e diverso moveantur illa corpora, quae, quantum est de sua natura vel figura, non plus moverentur ab oriente in occidentem quam e converso, nisi esset inclinatio motoris quo moventur sic vel sic. Alii [9] posuerunt intelligentias separatas, quibus moverentur ista corpora caelestia sic vel sic, et diversas esse, secundum quas diversi orbes moventur [q].

[Solutio]: Ad quod dicendum [r], secundum expositores Sacrae Scripturae, quod non dicenda sunt corpora animata. Unde Ioannes Damascenus [10]: « Nullus animatos caelos vel luminaria existimet: inanimati enim sunt et insensibiles [s]. Quare, etsi dicat divina Scriptura [11]: *Laetentur caeli et exultet terra,* eos, qui in caelo sunt, angelos, et qui in terra sunt, homines, ad laetitiam vocat. Novit autem Scriptura et [t] prosopopeia, id est personarum fictione, uti [u], ut de animatis et [v] inanimatis loqui, sicut illic [12]: *Mare vidit et fugit, Iordanis conversus est retrorsum. Quid est tibi, mare?* etc.; et montes et colles interrogantur sermones exultationis, sicut et nobis consuetum est dicere ' congregata est civitas ', non [x] aedificia significare volentibus, sed civitatis habitatores, *et caeli enarrant gloriam Dei* [13], non vocem, quae auribus sensibilibus auditur, emittentes [y], sed ex magnitudine Conditoris nobis virtutem ostendentes: quorum pulcritudinem excogitantes, factorem sicut optimum artificem admiramur et glorificamus ». Nec ex eis elicitur quod oporteat esse tot motores quot sunt orbes, qui moventur [14]: possunt enim ab uno motore recipere diversas inclinationes et maxime ab illo motore quem non est necesse agere secundum conditionem materiae.

---

[a] TRLC *super.* [b] Ita V, alii *ut.* [c] T om. *et hoc... occidentem,* in C est add. mg. [d] R *revolvit.* [e] R *hic,* L om.; L *prius* pro *proprius.* [f] VST om. [g] R *eas.* [h] LC *que naturam habent* pro *q. n. h.;* T om. *sidera.* [i] VST *vel.* [k] L add. mg. *et.* [l] V add. *luminaris.* [m] V om. *s. s.* [n] VR *hoc,* quod C corr. [o] V *documentum.* [p] Ita VR, alii om. *a. a.* [q] T *moverentur.* [r] Ita V, alii add. *est.* [s] S *sensibiles* pro *e. i.;* T *et* pro *etsi.* [t] V om., R om. *S. e.* [u] Z om., in L est add. mg. [v] V *de.* [x] V *ut.* [y] STZ *emittens.*

1 Gen. 1, 17.

2 Nempe Ptolomaeum; cf. Roger Baco, *Op. tert. fragm.* (ed. Duhem, p. 99sqq.); Duhem, *Le syst. du monde,* I, 467sqq.

3 Cf. Aristot., *De caelo,* II, cc. 7sq. (II, 397sqq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 14, p. 2, a. 1, q. 1 (II, 350sq.).

4 Cf. supra, p. 324, *ad 7.*

5 Cf. S. Bonav., II, *Sent.,* d. 14, p. 1, a. 3. q. 3 (II, 347sqq.).

6 Cf. Aristot., *Phys.,* VIII, c. 4 (II, 348).

7 Cf. Aristot., *Phys.,* VIII, c. 5 (II, 353).

8 Praesertim Neoplatonici, ut Plotinus, Iamblichus et Simplicius. Cf. Aristot., *De caelo,* II, c. 2 (II, 391); *De anima,* I, c. 3 (III, 437); Augustin., *De Gen. ad litt.,* II, c. 18 (PL 34, 279sq.); Duhem, loc. cit., IV, 422sqq.

9 Cf. Aristot., *Metaph.,* XI, c. 8 (II, 606sqq.); Pseudo-Lincoln., *Summa philos.,* tr. 15, c. 12 (p. 560sqq.).

10 *De fide orthod.,* II, c. 6 (PG 94, 886).

11 Psalm. 95, 11.

12 Psalm. 113, 3.

13 Psalm. 18, 1.

14 Cf. Aristot., *Metaph.,* XI, c. 8 (II, 606).

TITULUS II.

DE ORNATU NATURAE MEDIAE

SEU DE OPERE QUINTAE DIEI.

Dixit *quoque Deus* [1] etc. Deinde procedendum est ad ornatum quintae diei, qui ornatus est corporis medii inter caelum et terram. Et describit primo dispositionem agentis de faciendo; secundo est consideratio eius ut [a] est a causa propinqua sui generis; tertio notatur approbatio primi agentis. Et hoc est primo esse ab agente primo, deinde in proprio genere, tertio ut ordinatur ad finem summum, qui est *alpha* in ratione agentis et *omega* [2] in ratione finis, ut sic compleatur illud quod dicitur Prov. 16, 4: *Universa* [b] *propter semetipsum operatus est Dominus.*

292

CAPUT I.

DE VERBIS 'PRODUCANT AQUAE'.

Potest autem quaeri 1. cum faciat mentionem de aqua, ut [c] producat animantia aquarum, quare non facit mentionem de aëre, ut producat animantia aëris, scilicet [d] volatilia?

2. Item, cum aer et aqua suum habeant ornatum, [cur] et corpus ignis, quod dicitur, secundum Strabum [3], caelum olympium, et igneum non habeant suum ornatum? cum haec pertineant ad corpus medium: dictus enim erat ornatus caeli, propter quod recte [e] sequi videbatur ornatus ignis vel caeli ignei, quae sunt corpora proxima.

3. Item, aer habet duas differentias, quarum utraque dicta est caelum: et una est [f] caelum aethereum, altera aëreum [4]. Potest ergo quaeri quare caeli aetherei non dixit ornatum sicut caeli aërei.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod nomine aquae intelligitur aer, qui sua vicinitate habet humiditatem aquosam: unde aliquando rorat. Unde [g] Augustinus, *Contra Manichaeos* [5]: « Sciant omnes, quos haec movent [h], istum aërem nebulosum et humidum, in quo aves volant, a doctissimis hominibus [6], qui haec [i] diligenter inquirunt, cum aquis solere deputari. Concrescit [k] enim et crassus efficitur exhalationibus [l] et quasi vaporibus maris et terrae, et [m] de ipso humore pinguescit quodam modo ut volatus avium portare possit: ideo per noctes serenas [n] etiam rorat, cuius roris guttae [o] mane in herbis inveniuntur. Nam mons ille Macedoniae, qui Olympus vocatur, tantae altitudinis esse dicitur ut in eius cacumine nec ventus sentiatur nec nubes se colligant, quia excedit altitudine sua totum istum aërem humidum, in quo aves volant, et ideo neque aves ibi volare asseverantur. Quod ab eis proditum [p] dicitur qui per singulos annos solebant, nescio quorum sacrificiorum causa, memorati montis cacumen ascendere et aliquas notas [q] in pulvere scribere, quas integras alio anno inveniebant: quod fieri non posset, si ventum aut pluviam locus ille pateretur. Denique tenuitas [r] aëris, qui ibi erat, non eos [s] inspirabat: unde durare ibi non poterant, nisi spongias humectas naribus applicarent, unde crassiorem et spissiorem spiritum ducerent: ii [t] ergo indicaverunt se nullam avem in eo loco aliquando [u] vidisse ». Et in idem consonat quod dicit Augustinus, *Super Genesim* [7].

Sed si quaeratur quare illa communis origo magis nomine aquae quam nomine aëris intelligatur: dicendum quod aqua plus est [v] ordinata ad generationem animantium quam aer [8], licet in aëre multae fiant impressiones propter ascensum

---

[a] V *prout.* [b] T *universum.* [c] S *et.* [d] S *si.* [e] R om. [f] Ita V, alii *una* pro *e. u. e.* [g] V *inde.* [h] V *monent,* quod Z corr. [i] T *hoc.* [k] L *concuscit,* quod Z corr. [l] R *exaltationibus,* C *altationibus.* [m] V om. [n] Z *serenissimas.* [o] T add. *etiam.* [p] ST *preditum,* V *possitum,* RLZ *positum,* in LZ in mg. *proditum;* R *quia* pro *qui.* [q] L *notans.* [r] V *serenitas.* [s] RLCZ *eis.* [t] V *hiis,* alii *hic.* [u] S om. [v] T om.

1 Gen. 1, 20.
2 Cf. Apoc. 1, 8.
3 Cf. *Glossa ordin., In Gen.,* 1 (PL 113, 68).
4 Cf. supra, p. 317a; S. Bonav., II *Sent.,* d. 14, p. 2, a. 1, q. 3 (II, 356a).
5 Lib. I, c. 15 (PL 34, 184).
6 Cf. Aristot., *De mundo,* c. 6 (III, 640).
7 Lib. III, c. 2, n. 3; cf. *De Gen. lib. imperf.,* c. 14, n. 44 (PL 34, 280 et 238).
8 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* I, c. 5, n. 11 (PL 34, 250).

aquarum; commixtiones enim, ex [a] quibus fiunt generationes animantium, circa medium locum fiunt [1], et ideo rectius nomine 'aquae' designavit. — Praeterea, supra dictum est [2]: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, et deinceps dicit de congregatione aquarum [3]: *Ut appareat arida*, ideo continuando recte hic [b] nominavit aquam tamquam originem [c].

2. Ad secundum dicendum quod, licet ignis pertineat ad mediam naturam inter caelum et terram, non habuit ornatum distinctum nec secundum partem sui superiorem, quae dicitur olympium caelum, nec secundum inferiorem, quae dicitur caelum [d] igneum, quia non est locus in quo vivere possent animantia. Si enim non possunt vivere animantia in superiori parte aëris, quae dicitur aether, sicut dicit Augustinus, in [e] auctoritate supra dicta, eo quod ad ipsum non possint ascendere vapores et ita nulla sit [f] ibi commixtio, ergo nec possent ibi salvari, quia ex eisdem salvatur ex quibus generatur [4], multo fortius in caelo olympio vel igneo non esset huiusmodi ornatus. Praeterea, natura ignis est destruere alienum corpus quod destructibile est; unde non possunt ibi esse corpora aliena. Restat ergo quod ipsa lux in utroque caelo est ornatus corporis sui, sufficiens suo corpori ut, sicut caelum [g] aqueum nullum habet ornatum [h] corporum praeter suam perspicuitatem luminosam nec caelum empyreum [i] habet ornatum corporum praeter suam lucem [5], ita nec habent ista corpora in suo genere alium ornatum quam lucem.

3. Hoc idem potest dici de caelo aethereo: caelum enim aethereum habet suam perspicuitatem luminosam.

Sed posset quis quaerere quare non fiat aliqua mentio de igne sicut de aliis tribus elementis, implicite vel explicite. Respondeo [6] quod [k] datur intelligi secundum sui superiorem partem nomine caeli, secundum inferiorem vero partem nomine alterius extremi. Unde Augustinus, *Super Genesim*, III [7]: « Terrae nomine hoc totum universaliter significatur, donec perveniatur ad aridam, quae proprio nomine terra dicitur ».

CAPUT II. 293

DE VERBIS 'REPTILE ANIMAE VIVENTIS' ETC. [8].

Deinde quaeritur **I.** 1. de hoc quod dicitur [9]: *Producant aquae reptile animae viventis.* Cum reptilia dicantur illa quae sunt in terra; item, in aquis sunt multa quae non repunt, sed natant, ut sunt cete et huiusmodi magni pisces, quare non est dictum 'et omne natatile'?

2. Praeterea, qualiter producuntur ex aquis natatilia vel [l] volatilia? Nam ex iis producuntur, ex quibus salvantur [10]; salvantur autem [m] per elementa commixta.

Respondeo: 2. Haec productio erat ex [n] elementis commixtis; nihilominus tamen secundum dominans in ipsis magis fit hic sermo et ideo dixit: *Producant aquae* [11].

1. Ad aliud dicendum [o] [12] quod reptile dicitur quod toto corpore incumbit super corpus deferens, ad differentiam volatilium et gressibilium, quae se supportant vel in parte vel in toto. Unde natatile designatur per reptile: hic namque [p] sumitur reptile illud corpus in aquis, quod non habet pinnas [q] quibus secet aquam, sed pedibus tantum aquam dividit [13].

II. Deinde quaeritur propter quid dictum est: *Reptile animae viventis* [r], quasi esset aliud reptile quod non haberet [s] animam viventem.

[Solutio]: Ad quod dicendum [14] quod non additur ut differentia, sed ut sit sensus: '*reptile*', quod inter animam viventem habentia computatur. Hoc enim est quod, quantum est de modo motus, ignobilius est inter animantia: toto enim corpore incumbit super corpus deferens; non sic gressibilia, quae pedibus terram contingunt, nec volatilia, quae supportantur sui agilitate.

III. Deinde quaeritur propter quid dicitur: *Sub firmamento caeli* vel *secundum firmamentum caeli*, secundum translationem Septuaginta, et non dicitur, sicut [t] supra [15]: *In firmamento* vel *in* [u] *caelo.*

---

[a] T om. [b] S *hec.* [c] V *ordinem.* [d] Ita V, alii om. [e] T om. [f] RLZ *fit*, C om.; R *ideo* pro *ita.* [g] T om. [h] ST *cenatum.* [i] V add. *nullum.* [k] LZ repet. [l] ST *et.* [m] T om. [n] S *in.* [o] STLZ add. *est.* [p] Ita RC, alii *nam.* [q] V *prunas*, RCZ *pennas.* [r] SR *unientis.* [s] T *habet.* [t] Ita L, alii add. *sequitur*, quod L exp. [u] R *sic.*

1 Cf. Aristot., *De generat. et corrupt.*, II, c. 1 sqq. (II, 453 sqq.).
2 Gen. 1, 2.
3 Gen. 1, 9; cf. supra, num. 284.
4 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 8 (II, 463).
5 Cf. supra, p. 342, *ad 1 et 2.*
6 Cf. supra, num. 254, I; S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 1, a. 1, q. 2 (II, 338 sqq.).
7 Cap. 11, n. 16 (PL 34, 286), ad sensum.
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 15, dub. 1 et 2 (II, 388 sq.).
9 Gen. 1, 20.
10 Cf. supra, nota 4.
11 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, III, c. 7 (PL 34, 282 sq.).
12 Cf. Augustin., loc. cit., c. 8 (PL 34, 283 sq.).
13 Cf. Basil., *In Hexaëm.*, hom. 8 (PG 29, 170); Isidor., *Etymol.*, XII, c. 6, n. 2 (PL 82, 450).
14 Cf. Augustin., loc. cit., c. 8 (PL 34, 283 sq.).
15 Gen. 1, 14.

[Solutio]: Ad quod dicendum [1] quod per hoc vult ostendere minorem nobilitatem quoad quid volatilium quam luminarium, et quod motus volatilium est in medio inter caelum et terram; et ideo dictum est: *Sub firmamento* et *super terram.*

294

CAPUT III.

DE VERBIS 'FECIT DEUS CETE GRANDIA SECUNDUM SPECIES SUAS'.

Deinde quaeritur de hoc quod dicitur [2]: *Fecit Deus cete grandia* etc. *secundum species suas,* et alia littera habet [3]: *Secundum genus suum.*

Quaeritur 1. propter quid nunc [a] facit mentionem de genere aut de specie, non autem superius, cum dixit [4]: *Producant aquae* etc., cum tamen [b] ibi loquatur de factura volatilium et natatilium quae non erant sine genere aut specie.

2. Item, potest quaeri: Cum fiebat sermo de terrae nascentibus, locutus est de semine, dicens [c 5]: *Germinet terra herbam virentem et facientem semen* [d], et plura locutus est de semine in herbis et arboribus; cum autem locutus est de animalibus in aquis vel terra, non locutus est de semine, cum tamen et haec habeant semen, secundum quod procedit generatio.

3. Item, in nostra translatione dicitur: *Creavit Deus cete grandia,* cum tamen hic agatur de opere conditionis, supra vero dictum est de opere creationis.

4. Praeterea, in translatione Septuaginta non loquitur de genere, sed tantum de specie in animalibus quae sunt ex [e] aquis; in nostra vero translatione loquitur de speciebus, cum fit sermo de natatilibus [f].

[Solutio]: 1. Ad primum dicendum [g 6] quod, cum locutus est [h] de productione animalium in aquis vel aëre ex sua origine, non fit mentio de genere vel specie, quia aliud est trahere esse ex sua origine et aliud est ut sit principium fieri vel generationis in aliis. Licet ergo simul tempore accipiat esse et virtutem secundum quam aliud possit esse ex illo, tamen unum est naturaliter prius altero; et ad hoc designandum primo dixit sine distinctione: *Producant aquae* etc., secundo distinxit, dicens: *Creavit* vel *fecit secundum genus suum.* — Praeterea, ex parte materiae non est principium generationis, sed ex parte formae [7]; et ideo, cum locutus est de exitu secundum esse materiale, non locutus est de genere vel specie, deinde vero, cum locutus est de exitu secundum formam, locutus est de genere vel specie [i].

2. Ad aliud dicendum [k] quod aliud est de terrae nascentibus et animalibus. Nam in terrae nascentibus est [l] semper virtus seminis ut fiat aliud ex ipso; non sic est universaliter in animantibus [m] aquae vel terrae, sed vis seminativa est in elementis. Non enim [n] omnia, quae sunt in aquis, generantur ex sibi similibus secundum quod natura est principium ex similibus similia procreandi [8]; similiter nec [o] omnia quae sunt in terris: unde multa animalia moriuntur in hieme et post in aestate semen habent in ipsis elementis commixtis ut procreentur; herbae vero in terra vivunt secundum virtutem radicis, licet extra moriantur; et semina herbarum cadunt in terram et post multiplicantur tempore producente opportuno. Et hoc est quod dicit Augustinus, *Super Genesim* [9]: « Semen non ubique repetivit [p], cum tam herbis et lignis insit quam animalibus, etsi non omnibus. Observatum est enim [q] quaedam ita nasci ex aqua sive [r] terra ut sexus eorum nullus sit, et ideo semen eorum non sit [s] in eis, sed in elementis, ex quibus oriuntur. Hoc est ergo *secundum genus,* ubi et seminum vis et similitudo intelligitur succedentium de succedentibus, quia nihil eorum ita creatum est ut semel existeret vel permansurum vel nullo succedente decessurum ».

3. Ad tertium dicendum quod 'creare' in nostra translatione [t] accipitur pro 'facere'. Unde accipitur aliter 'creare' hic et cum dicitur [10]: *In principio creavit Deus caelum et terram.*

4. Ad quartum dicendum quod in nostra translatione quod dicitur '*species*' accipitur pro genere, id est [u] principio generandi. Vel forte propter multiplicationem [v] specierum in aquis dictum est: *Secundum species suas;* secundum autem volatilia quaedam, quae multae [x] sunt generationis in diversis partibus anni, dixit: *Secundum genus suum.* Magis autem videtur primo modo dicendum.

---

[a] RLCZ *non.* [b] T *autem.* [c] R om. [d] T add. *iuxta genus suum.* [e] L *in;* S om. *sunt.* [f] Codd. haec duo argumenta, 3 et 4, ordine inverso ponunt, sed solutio eorum illa aliter ponenda esse demonstrat. [g] T add. *est.* [h] S om. [i] T add. *scilicet.* [k] Ita V, alii add. *est.* [l] V *in.* [m] Z add. *vel.* [n] R *tamen.* [o] Ita V, alii add. *ea.* [p] Codd. *repetunt.* [q] ST *causa.* [r] RZ *sine.* [s] RLCZ *fit.* [t] C om. *i. n. t.* [u] T add. *in;* L *in* pro *i. e.* [v] Ita V, alii *multiplicitatem.* [x] VST *universe.*

1 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, III, c. 7, n. 10 (PL 34, 282).
2 Gen. 1, 21, sec. Septuaginta.
3 Scii. Itala.
4 Gen. 1, 20.
5 Gen. 1, 11.
6 Cf. Augustin., loc. cit. c. 12, n. 19 (PL 34, 287).
7 Cf. Aristot., *De generat. et corrupt.*, II, c. 9 (II, 464).
8 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 4 (II, 517).
9 Loc. cit.
10 Gen. 1, 1.

CAPUT IV. 295

DE VERBIS 'BENEDIXITQUE EIS DICENS: CRESCITE ET MULTIPLICAMINI' ET 'AVESQUE MULTIPLICENTUR'.

Deinde sequitur: *Benedixitque*[a] [1] etc. I. 1. Potest quaeri propter[b] quid facta est benedictio super ea quae sunt producta ex aquis, non autem primo super terrena animantia. Nam si benedictio fuit in crementó, quod pertinet ad augmentationem, et[c] in multiplicatione, quae ad generativam pertinet — et hoc videtur per hoc quod sequitur: *Crescite et multiplicamini* — videtur prima benedictio fuisse facienda super terrae animantia: nam[d] ibi est primum crementum et generatio.

2. Praeterea, cum animantia terrae crescant et multiplicentur super terram, sicut illa multiplicantur in aquis, propter quid non est facta benedictio animantium terrestrium sicut aquatilium?

[Solutio]: 1. Ad primum videtur respondere Augustinus[2], dicens quod terrae nascentia, quia non « habuerunt affectum propagandae prolis et sine sensu generabant, indigna videbantur benedictione »: ideo incepit benedictio ab[e] aquatilibus.

2. Ad secundum vero respondet[3] quod per benedictionem datam istis intelligi potuit benedictio dari illis, cum habeant similem rationem crementi et multiplicationis.

Sed contra primum potest obici: Licet enim praecedente sensu et appetitu sive[f] concomitante generent animalia, terrae nascentia non, numquid propter hoc carere deberent benedictione? cum consimilis sit effectus benedictionis utrobique.

Contra secundum vero obicitur[g]: Si enim haec esset ratio quia benedictio in priori daretur intelligi in posteriori, non oportuit tunc post benedictionem expressam in aquatilibus posuisse vel expressisse benedictionem de illo terrestri, quod est homo; sed expressa est; ergo et alia subest ratio.

II. Item quaeritur: Cum principium generationis unum sit natatilium et volatilium[h], scilicet aqua, propter quid fiat distinctio locorum ad inhabitandum? Dicit enim[4]: *Aves multiplicentur super terram,* innuens aërem locum habitationis, et supra dixit[5]: *Volatile super terram sub firmamento caeli,* vel quod acciperent volatilia originem ex aëre.

[Solutio]: Ad hoc respondet Hugo[6], dicens: « Quod quare[i] factum sit ut non ad similitudinem aliorum quae ad ornatum mundi elementorum creata sunt, ex ipso materiam sumerent, in quo locum[k] sortiri debuerunt, forte[l] quis ad ipsius elementi materiam referet. Duo sunt genera animantium quae ex una materia prodeunt, sed non unam mansionem sortiuntur: pisces in originali sede permanent[m], volatilia sursum tolluntur et sunt quasi supra id quod facta sunt[n]. Sic de una massa corruptibilis naturae et sua mutabilitate defluentis universa[o] generis humani propago trahitur, sed aliis deorsum in ea qua[p] nati sunt corruptione iuste relictis, alii sursum dono gratiae ad sortem caelestis patriae elevantur ».

III. Deinde quaeritur adhuc quare non dixit 'aves multiplicentur in aëre', cum ille sit locus habitationis volatilium.

[Solutio]: Ad quod dicendum[q] quod, licet [aer] sit locus volatilium ad movendum vel spatiandum, terra tamen dicitur locus super quo producuntur vel ea quae terrae radicitus adhaerent[r], ut arbores, et hoc est quia ibi quietem etiam[s] accipiunt et nutrimentum ut in pluribus, et ideo dicitur *super terram,* non in aëre vel in terra, sicut quaedam animalia generationem accipiunt in cavernis terrae.

---

[a] V add. *Deus.* [b] R om. [c] Ita V, alii om. [d] L *non.* [e] T *de.* [f] V om. [g] V om. *c. s. v. o.*; S om. *secundum.* [h] V om. *e. v.*; T om. *natatilium.* [i] R *quasi.* [k] Ita Z, alii *loco.* [l] Z add. interl. *si.* [m] T add. *et.* [n] L om. [o] ST *universi.* [p] L *que,* Z om. [q] STLZ add. *est.* [r] Ita V, alii *herent.* [s] R om.

1 Gen. 1, 22.
2 *De Gen. ad litt.*, III, c. 13 (PL 34, 288).
3 Augustin., loc. cit.
4 Gen. 1, 22.
5 Gen. 1, 20.
6 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, cc. 26 et 27 (PL 176, 203).

TITULUS III.

DE ORNATU TERRAE

SEU DE OPERE SEXTAE DIEI.

Dixit *quoque Deus: Producat terra* [1] etc. Sequitur ornatus qui factus est sexta die, in qua primo agit de animantibus terrestribus irrationalibus [a], deinde de animante rationali [2]: *Et ait: Faciamus hominem* etc. Et tangit tria, quae possunt reduci ad quatuor genera causarum. Cum enim dicitur: *Dixit Deus,* notatur causa efficiens; cum dicitur [b]: *Producat terra,* notatur [c] causa materialis; cum dicitur [d] [3]: *Et fecit Deus* etc., notatur causa formalis, secundum quam processit per conditionem a Deo; causa finalis, cum dicitur [4]: *Et vidit Deus* etc. Hoc idem posset prius esse dictum in aquatilibus. Vel possumus praedicto modo in tria distinguere: secundum esse a causa et in proprio genere et referri ad causam tamquam finem [5].

MEMBRUM I.

De animantibus terrestribus irrationalibus.

296

CAPUT I.

DE VERBIS 'PRODUCAT TERRA' ETC.

Potest autem quaeri 1. propter quid dictum est singulariter de terra, et hic, cum loquitur de animalibus, et supra, cum loquebatur de terrae nascentibus, non sic autem dictum est singulariter de aqua, sed pluraliter [6]: *Producant aquae,* cum tamen secundum diversitatem terrarum sit diversitas productionum in animalibus.

2. Item, cum dictum est de terrae nascentibus, dictum est [e] [7]: *Germinet terra* etc., cum autem dictum est de animantibus, dictum est [8]: *Producat terra* etc.

3. Praeterea, tria genera notat terrestrium, scilicet reptilia, iumenta et bestias. Propter quid designat illa sub illis tribus rationibus? Cum omnia sint propter hominem, propter quid dicuntur quaedam iumenta? Omnia enim sunt ut homo eliciat ex illis utilitatem aliquam.

4. Praeterea, in translatione Septuaginta additur: *Quadrupedia et reptilia et pecora et feras,* et ita unum membrum videtur superadditum. Similiter ferae pecora dicuntur; quare ergo e diverso dividuntur? Similiter pecora et quadrupedia non recte dividuntur [f].

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum [g] quod singulariter dicitur de terra, pluraliter de aquis, ut notetur aquarum in suis receptaculis distinctio; terrae vero est continuitas, licet pluraliter dicantur terrae propter regionum diversitatem [h].

2. Ad secundum vero dicendum [i] quod de terrae nascentibus dictum est *'germinet':* germen enim est in radice quae adhaeret terrae; productio vero dicitur, id est procul ductio, quia animantia a terra separantur, et ideo alia translatio habet [9]: *Eiciat terra,* id est extra se iaciat [k], quasi separatum ab ipsa.

3. Ad tertium [l] dicendum quod tria genera enumerat, quae sic distinguuntur, ut iumenta dicantur quae sunt in adiutorium homini ad laborandum in terra — unde iumentum dicitur quasi iuvamentum [10]; iuvamentum vero accipitur hic non [m] tantum in equis — reptilia vero et bestiae terrae sunt quae sunt ad terrorem. Unde dicit Augustinus [11] quod quaedam sunt utilia, quaedam deterrentia. — Vel aliter: eorum, quae sunt in adiutorium ad laborandum, quaedam sunt reptilia, quaedam [n] gressibilia, et illa dicuntur bestiae terrae.

---

[a] TZ *irrationabilibus* [b] Ita V, alii om. *c. d.* [c] Ita V, alii om. [d] Ita V, alii om. *c. d.* [e] R om. *d. e.*, in C est add. mg. [f] L om. *similiter... dividuntur.* [g] T add. *est;* Z *hoc* pro praeced. *quod.* [h] Ita V, alii *diversitates.* [i] Ita V, alii add. *est.* [k] VSR *iaceat,* quod LC corr.; LC *id est* pro *quasi;* T *separatim* pro *separatum.* [l] Ita VR, alii add. *vero;* S *terra* pro *tria.* [m] Ita Z add. interl., alii om. [n] V add. *sunt.*

1 Gen. 1, 24.
2 Gen. 1, 26.
3 Gen. 1, 25.
4 Gen. 1, 25.
5 Cf. supra, p. 343a.
6 Gen. 1, 20.
7 Gen. 1, 11.
8 Gen. 1, 24.
9 Scilicet Itala.
10 Cf. Isidor., *Etymol.*, XII, c. 1, n. 7 (PL 82, 425).
11 Cf. *De Gen. c. Manich.*, I, c. 16, n. 26 (PL 34, 185).

4. Ad quartum [a] dicendum [1] quod hoc membrum '*quadrupedia*' non ponit differentiam contra alia tria, sed connumeratur cum [b] reptilibus, propter hoc quod reptilia multorum sunt pedum, et ita partem ponit pro toto, ut intelligantur multipedia. Et hoc patet per hoc quod, cum iterum resumit illa membra, non ponit differentiam quadrupedum, sed tantum ponit differentiam reptilium. — Vel potest dici quod illud est commune ad illa tria: quadrupedia enim quaedam sunt reptilia, quaedam vero [c] pecora sive iumenta; cum autem dicitur [d] '*pecora*' in translatione Septuaginta, ad illa fit coarctatio quae [e] sunt in adiutorium hominum [2].

CAPUT II. 297

DE MINUTISSIMIS ANIMANTIBUS [3].

Deinde I. quaerit Augustinus de minutissimis animantibus utrum omnia facta essent in operibus sex dierum an ex consequentibus rerum mortalium corruptionibus [f], sicut modo apparet fieri, et tamen est Deus omnium creator [g].

[Solutio]: Unde Augustinus, *Super Genesim* [4]: « Inest omnibus quoddam naturae sui generis decus sic [h] ut in iis maior sit admiratio considerantibus et laus uberior omnipotentis Artificis, qui *omnia in sapientia fecit* [5], qui *a fine usque ad finem* pertendens [i] et *suaviter cuncta disponens* [6], nec ea ipsa rerum novissima [k], quae pro sui generis ordine dissolvuntur et quarum dissolutionem ex poena nostrae mortalitatis horremus, reliquit informia, sed creat minima corpore, acuta sensu animantia, ut maiori attentione stupeamus agilitatem muscae volantis quam magnitudinem iumenti gradientis, ampliusque miremur opera formicarum quam onera camelorum. Et possunt [l] quidem dici ea minutissima, quae vel ex aquis vel ex terra oriuntur, tunc creata, in quibus illa non absurde intelliguntur quae nascuntur ex iis quae terra germinante orta sunt et quia praecesserant conditionem non solum animalium, sed etiam luminarium; unde illo die, quo apparuit arida, exorta sunt, ut potius ad supplementum habitationis [m] quam ad numerum habitatorum pertinere intelligerentur. Cetera vero quae de animalium gignuntur corporibus et maxime mortuorum, absurdissimum est dicere tunc creata cum animalia ipsa [n] creata sunt, nisi quia inerat iam omnibus animatis corporibus vis quaedam naturalis et quasi praeseminata et quodam modo liciata [o] [7] primordia futurorum animalium, quae de corruptionibus [p] talium corporum pro suo quaeque genere ac differentiis erant exoritura, per administrationem ineffabilem omnia movente incommutabili Creatore ».

II. Quaerit etiam [q] Manichaeus [8]: « Quid opus erat ut tam multa animalia Deus faceret, sive in aquis sive in terra, quae hominibus non sunt necessaria, multa etiam perniciosa et immunda? »

[Solutio]: Ad quod respondeo [r], secundum Augustinum, *Contra Manichaeos* [9], quoniam « ista omnia pulcra sunt Conditori et Artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem [s] universitatis, cui summa lege dominatur. Si enim in [t] alicuius opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta quorum causas ignorat et, si multum [u] est insipiens, superflua putat. Iam vero si in fornacem incautus ceciderit aut ferramento aliquo, cum id male tractat, se ipsum vulneraverit, etiam perniciosa et noxia existimat ibi esse multa, quorum tamen usum quoniam [v] novit artifex, insipientiam eius irridet et, verba inepta non curans, officinam suam instanter exercet. Et tamen tam stulti sunt [x] homines ut apud artificem [hominem non] audeant vituperare quae ignorant, sed cum ea viderint, credant necessaria, propter aliquos usus instituta; in hoc autem mundo, cuius conditor et administrator praedicatur Deus, audent [y] multa reprehendere quorum causas non vident, et in operibus atque instrumentis Artificis volunt se videri scire quod nesciunt. Ego vero fateor me nescire quare ranae creatae sunt aut muscae aut vermiculi; video tamen omnia in suo genere pulcra esse, quamvis propter nostra peccata multa nobis videantur adversa. Non enim [z] alicuius hominis corpus et membra considero, ubi non mensuras et numerum et [a] ordinem inveniam ad unitatem pertinere. Quae omnia unde veniant, non

---

[a] Ita VS, alii add. *vero*. [b] C om. [c] Ita V, alii om. [d] Ita V, alii *dicit*. [e] V om. [f] LC (corr.) *corporibus*; V *conventientibus* pro *consequentibus*. [g] R *creatorum*. [h] Ita LC (mg.), alii om. [i] V *tendens*. [k] S *notissima*. [l] RLCZ *potest*. [m] S *habitatoris*. [n] Z *ipso*; R om. *sunt*. [o] VL *initiata*, Z *nunciata*. [p] V *corruptibilibus*. [q] R *ergo*. [r] CZ *respondendum*, R *respondet*. [s] Z add. *suam*. [t] C om. [u] Z *simul cum* pro *s. m.* [v] T om. [x] S *habet*. [y] V *audeat*. [z] Codd. add. *cum*. [a] Ita VZ (interl.), alii om.; R *mensurans* pro *mensuras*.

1 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, III, c. 11, n. 17 (PL 34, 286).
2 Cf. Augustin., loc., cit., n. 16 (PL 34, 286).
3 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 15, c. 4 (p. 375); cf. supra, num. 95.
4 Lib. III, c. 14 (PL 34, 288 sq.).
5 Psalm. 103, 24.
6 Sap. 8, 1.
7 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, XXII, c. 14 (PL 41, 778).
8 Cf. Augustin., *De Gen. c. Manich.*, I, c. 16 (PL 34, 185).
9 Loc. cit.; cf. supra, num. 75-86 et 95.

intelligo nisi a summa mensura et[a] numero et ordine, quae in ipsa Dei sublimitate atque incommutabili et aeterna veritate consistunt. Adversus utilia non habent quid dicant. De perniciosis autem vel[b] punimur vel exercemur vel terremur, ut non istam vitam[c] periculis subditam, sed aliam meliorem, ubi summa est securitas, diligamus et desideremus et eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis autem quid nobis est quaerere? Si tibi displicet quod non prosunt, placeat quod non obsunt[d], quia etsi domui nostrae non sunt necessaria, eis tamen completur huius universitatis integritas, quae multo maior est quam domus nostra et multo melior. Hanc enim multo melius administrat Deus quam unusquisque nostrum[e] domum suam. Usurpa ergo utilia, cave perniciosa, relinque superflua; in[f] omnibus tamen, cum mensuras et numeros et ordinem vides, artificem quaere, nec alium invenies nisi ubi summa mensura et summus numerus et summus ordo, id est Deum, de quo verissime dictum est, quod *omnia in mensura et numero et*[g] *pondere disposuerit*[1] ». De hoc Ioannes Damascenus sic ait[2]: « Eduxit terra, Conditore iubente, genera omnia animalium[h] et reptilium et ferarum et iumentorum; omnia quidem ad hominis optimum usum, sed horum haec quidem ad escam, puta cervos, oves, dorcades et quae talia; alia vero ad ministerium, puta camelos, equos, asinos et quae talia; alia vero ad iucunditatem, puta simias et[i] volucrum psitacos, picas et quae talia. Sed et plantarum et herbarum[k] hae quidem fructiferae et comestibiles, aliae vero odoriferae et floridae, ad iucunditatem nobis tributae, puta rosae et quae talia, aliae vero ad aegritudinum sanationem. Non enim est neque animal neque planta, in quo non operationem quamdam, hominum utilitati et usui conferentem, Conditor imposuerit ».

MEMBRUM II.

De animante rationali.

Faciamus *hominem*[3] etc. Primo loquitur de homine secundum se, deinde de homine in universo, cum dicitur[4]: *Vidit Deus* etc. De ipso autem in se agit dupliciter: vel ut ostendatur in esse[l], vel in conservatione, cum dicitur[5]: *Dixit Deus: Ecce dedi vobis* etc. In esse vero dupliciter: aut prout consideratur in egressu a causa aut prout consideratur in proprio genere; et hoc ultimum notatur, cum dicitur[6]: *Et creavit Deus* etc., primum vero[m], cum dicitur[7]: *Faciamus*. Vel unum pertinet ad deliberationem sive dispositionem de faciendo, alterum vero ad ipsum fieri. Et hoc est in omni[n] rationaliter operante, ad differentiam naturae quae non prius eligit quam operatur. In prima vero parte primo notatur esse eius in comparatione ad Deum, deinde in comparatione ad creaturas irrationales subiectas[o]. Unde primo ad superius, deinde ad inferius, cum dicitur[8]: *Ut praesit piscibus* etc.

298

CAPUT I.

CUR DICITUR IN PLURALI 'FACIAMUS' ET QUARE DUPLICATUR OPUS SEXTAE DIEI[9].

Potest autem quaeri 1. de hoc quod modus loquendi mutatus est, cum prius in tertia persona dictum sit[10]: *Fiat* etc., nunc[p] autem dicitur: *Faciamus*[q].

2. Praeterea dicit nunc pluraliter, prius autem singulariter.

3. Praeterea[r], quare distinguit opus sexti diei in duo, non coniungendo facturam sive conditionem hominis[s] cum aliis animalibus terrestribus.

[Solutio]: 1. Ad primum dicitur quod in prima persona loquitur, ut ostenderetur facere personam potentem loqui ad suam similitudinem; in aliis vero locutus est in tertia persona, ut ostensio fiat conditionis eius rei de qua fit sermo, non quae habet potestatem propriam loquendi.

2. Praeterea, dirigitur hic sermo ad alias personas, ut ostendatur quod homo factus est ad

---

[a] R om. [b] S om. [c] T add. *periculosis.* [d] V *absunt;* R *si* pro *etsi.* [e] T *vestrum.* [f] L *que.* [g] V om. [h] R *omnium* pro *o. a.* [i] S om.; V om. *psitacos.* [k] Z add. *et.* [l] VSR om. *i. e.*, in LCZ est add. mg., in T add. interl. [m] Z add. interl. *non.* [n] Z *causa;* T om. *est.* [o] R *subitas;* V *rationales* pro *irrationales.* [p] R *hic;* V om. *autem;* V *est* pro *sit.* [q] R add. *etc.* [r] R om. [s] STRL add. *non coniungendo,* quod CZ exp.

1 Sap. 11, 21.
2 *De fide orthod.*, II, c. 10 (PG 94, 907).
3 Gen. 1, 26.
4 Gen. 1, 31.
5 Gen. 1, 29.
6 Gen. 1, 27.
7 Gen. 1, 26.
8 Gen. 1, 26.
9 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 16, cc. 1-4 (p. 379sqq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 16, dub. 1 (II, 406).
10 Gen. 1, 3, 6 etc.

imaginem Trinitatis, quod non est alterius creaturae. Singulariter vero loquitur, non quod solus Pater fecerit alias creaturas, cum indivisa sint [a] opera Trinitatis, sed ut ostendatur habere quamdam similitudinem in esse, ut ab ente primo, quod indivisibile est in essentia, fiant entia [b] vel fiat unumquodque ens.

3. Ad tertium dicendum [c 1] quod non coniunxit conditionem hominis cum aliis animantibus terrestribus, ut ostenderet nobilitatem huius creaturae super alias. Licet enim conveniat cum aliis animalibus in hoc quod habet [d] animam sensibilem, excellit tamen in hoc [e] quod habet animam rationalem.

CAPUT II. 299

AN VOX 'FACIAMUS' DIRIGATUR AD ANGELOS VEL AD FILIUM VEL AD SPIRITUM SANCTUM.

Sed adhuc quaeritur, cum pluraliter dicatur '*faciamus*', utrum ad angelos factus sit sermo: nulla enim natura alia videtur fuisse nisi angelus praeter Deum.

Sed illud obviat *a.* quod non indiget Deus in creatione hominis adiutorio angelorum plus quam in conditione alterius creaturae; non ergo propter hoc dicitur: *Faciamus.*

b. Praeterea, sequitur [2]: *Faciamus ad imaginem nostram;* nulla autem est imago una [f] Dei et angelorum.

c. Praeterea, illud obviat quod sequitur [3]: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam,* et alia est littera [4]: *Creavit Deus ad imaginem Dei;* non ergo, cum dicitur '*faciamus*' vel '*nostram*', ad angelos fit sermo, sicut dicunt quidam haeretici [5], sed trium personarum est sermo.

Sed obicitur: 1. Sicut homo est ad imaginem Dei, ita [g] aliae creaturae sunt in vestigium Trinitatis; tamen non dicitur pluraliter in aliis '*faciamus*' nec videtur Trinitas designari expresse.

[Solutio]: 1. Ad quod videtur dicendum quod utrobique exprimitur Trinitas, sed in conditione vestigii obscure et implicite Trinitas designatur, in conditione vero imaginis expresse. Dictum enim [h] est superius [6]: *Dixit Deus,* in quo intelligitur Pater dicens et [i] Verbum quo *dixit et facta sunt,* Spiritus autem Sanctus intelligitur, cum dicitur [7]: *Vidit Deus quod esset bonum;* vel sub [k] alia ratione, sicut cum dictum est [8]: *Et fecit Deus,* scilicet in secundo die, ubi nomine perfectionis intelligitur Spiritus Sanctus [9]. Hic autem expresse pluralitas personarum exprimitur, cum dicitur: *Faciamus;* et recte, quia vestigium est similitudo obscura, imago vero est « similitudo expressa [10] ».

CAPUT III. 300

AN IMAGO IN HOMINE SUPPONAT CREATUM VEL INCREATUM.

Deinde quaeritur: 1. Cum dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* utrum 'imago' creatum an [l] increatum supponat? Si vero increatum et singulariter: cum nihil increatum et [m] singulariter et communiter dictum sit nisi divina essentia, supponit ergo essentiam divinam; ergo idem est ac si diceretur 'ad essentiam [n] nostram'; sed, si homo factus esset ad essentiam Dei, oppositio notaretur: nam in eo quod esset ad essentiam, esset Deus, in eo quod esset factus, non esset Deus; ergo non idem est esse ad imaginem quod esse ad essentiam. — Neque supponit aliquid creatum: nihil enim creatum in hoc genere dignius est rationali creatura; ergo non supponeret aliud quam ipsum hominem; tunc ergo sensus esset 'faciamus hominem ad se ipsum'. Nec sic potest dici: sicut filius est imago patris, ut Abel ad imaginem Adae, quia homo; sic enim rediret, ut diceretur quilibet [o] homo Deus.

2. Item, cum homo conditus sit ad imaginem Dei [p], eo quod habeat memoriam, intelligentiam, voluntatem, propter quid non est dictum in primo die, ubi agitur [q] de conditione angeli: 'Faciamus lucem vel angelum ad imaginem nostram'?

3. Praeterea, vult Augustinus quod in hoc sit ad imaginem Dei, quia praeest piscibus etc. Unde dicit, III *Super Genesim* [11]: « Non est [r]

---

[a] T om. [b] V om. [c] Ita V, alii *vero dicendum est.* [d] T om. [e] C *eo.* [f] T om. [g] C om. [h] V om. [i] R om. [k] L om. [l] V *aut.* [m] Ita VR, STCZ om.; L om. *c. n. i. e. s.,* in R est add. mg. [n] C *esse natura* pro *a. e.;* RLCZ om. *ad.* [o] STRZ *quislibet,* quod LC corr. [p] Ita ST, alii om. [q] R add. *primo;* T om. *ubi.* [r] S om.

1 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* III, c. 20, n. 30 (PL 34, 292).
2 Gen. 1, 26.
3 Gen. 1, 27.
4 Scilicet Itala.
5 Nempe Iudaei et Photinus eiusque sequaces, in Concilio Sirmiano (an. 351) damnati. Cf. Hilar., *De Synodis,* n. 38 (PL 10, 510 sq.); Cyrill. Alex., *Contra Iulian.,* I (PG 76, 535 sqq.); Augustin., *De civit. Dei,* XVI, c. 6 (PL 41, 484).
6 Gen. 1, 3, 6 etc.
7 Gen. 1, 10.
8 Gen. 1, 7.
9 Cf. supra, num. 274, I et p. 343b.
10 Cf. Augustin., *83 Quaestion.,* q. 74 (PL 40, 86); cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 604a.
11 Cap. 20 (PL 34, 292); cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 162.

praetereundum quia, cum dixisset: *Ad imaginem nostram,* statim [a] subiunxit [1]: *Et habeat potestatem piscium maris et volatilium caeli* [b] et ceterorum animantium rationis expertium, ut videlicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, quo irrationalibus [c] animalibus antecellit ». Sed hoc non videtur verum: nam intellecto homine non cum ratione istius potentiae, nihilominus esset ad imaginem Dei, sicut ipse ostendit, in libro *De Trinitate* [2], ubi investigat quod secundum mentem et [d] intelligentiam et [e] voluntatem est haec imago accipienda.

Solutio [f]: 1. Ad primum dicendum quod imago [g] uno modo potest supponere increatum, alio modo creatum. Secundum quod supponit increatum, dicit essentiam divinam in ratione mentis, intelligentiae et [h] voluntatis, et tunc imago dicitur ' ad cuius imitationem fit aliud ' [3], et sumitur pro exemplari. Nec ex hoc sequitur quod homo sit Deus, sed quod habeat memoriam, intelligentiam et voluntatem, in quibus imitatur essentiam increatam. Si vero supponat [i] creatum, tunc est sensus: conditus est homo, ut in hac ratione trinitatis virium imitetur summam Trinitatem. Sic [k] ergo supponitur trinitas creata, quae ad imaginem summae Trinitatis est condita. Nec ex hoc sequitur ' ergo creatus est ad se ipsum ': nam sub hac ratione dicit respectum ad summam Trinitatem, in quam tendit.

2. Ad secundum vero dicendum [l] quod de homine dictum est, non de angelo, licet angelus gerat illam imaginem Dei prout est [m] *signaculum similitudinis* [4] Dei. Nam, sicut dicit Gregorius Nyssenus [n 5]: « Homo totius creaturae dominus, ad imaginem sui Conditoris effectus, nihil aliud indicat nisi quod mox in eo regia natura formata sit. Sicut enim iuxta humanam consuetudinem, qui principum imagines fingunt, non solum impressionem formae eius imitantur, verum etiam amictu picturae regiam exprimunt dignitatem, et imago ipsa iam pro consuetudine dicitur Imperator, sic et humana substantia, quoniam ad aliorum regimen [o] condebatur, propter Regis universorum similitudinem velut imago animata componitur, pro picturae velamine vestita est virtute, pro sceptro beatitudine et immortalitate sustollitur, pro regali serto iustitiae corona decoratur ». Idem [p] dicit Damascenus [6]: « Conditurus erat Deus hominem secundum propriam imaginem et similitudinem velut quemdam regem [q] et principem terrae et omnium quae sunt in ea ». In idem videtur Augustinus consentire, *Contra Manichaeos* [7]. Et hoc confirmat per [r] hoc quod statim, cum dixit *'ad imaginem'*, subiungit: *Praesit piscibus* etc. Licet ergo angelus principetur iis terrenis, tamen non sic conditus est ut tamquam rex corporalium creaturarum constitueretur quemadmodum homo: potest ergo dici ad imaginem uno modo, alio vero modo non ad imaginem. De hoc inferius dicetur diffusius in proprio Tractatu [8]. Addit etiam Gregorius [9] quod [s] non tantum homo dignior est animantibus aliisque terrae nascentibus secundum animam, sed secundum corpus.

3. Ad ultimum vero dicendum [t] quod 'esse ad imaginem ' potest uno modo abstrahi ab illa potentia, in quantum convenit cum angelis secundum trinitatem interiorem; alio vero [u] modo non abstrahitur, in quantum secundum potentiam istam, sapientiam et bonitatem determinatur.

301

CAPUT IV.

CUR DICITUR SINGULARITER 'AD IMAGINEM DEI CREAVIT ILLUM'.

Adhuc etiam quaeritur propter quid dicitur [10]: *Ad imaginem Dei creavit illum,* postquam dictum est [11]: *Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam.*

[Solutio]: Ad quod dicendum [12] quod primo dixit pluraliter, ut exprimeretur Trinitas personaliter [v], secundo singulariter, ut exprimeretur unitas essentiae: uti imago responderet unitati essentiae in Trinitate personarum. Sed unitas essentiae est in duplici ratione: in quantum est forma exemplaris et in quantum est finis; et ideo exprimendo exemplarem dixit: *Creavit Deus ad imaginem suam;* exprimendo conversionem iterum ad ipsam tamquam ad [x] finem dicitur: *Ad imaginem Dei creavit illum.* Et hoc est quod dicitur in [y] Eccli. 17, 1-2: *Secundum imaginem Dei fecit illum et iterum convertit illum* [z] *in ipsam,* ubi loquitur de conditione primi hominis.

---

[a] Ita STZ (mg.), alii om. [b] C om. *e. v. c.*; S om. *piscium.* [c] Ita V, alii *irrationabilibus.* [d] R om. [e] R om. [f] Ita V, alii om. [g] Ita V, alii om. [h] S om.; ST *re* pro *ratione.* [i] LZ *supponit;* RLZ *creatum* pro *creatum.* [k] V *si.* [l] Ita V, alii add. *est.* [m] T om. [n] Codd. *Nizazenus.* [o] L *regnum.* [p] V *item.* [q] S *rem.* [r] S *quod.* [s] T om. [t] Ita V, alii add. *est.* [u] V om. [v] Ita V, alii om. [x] Ita L (interl.) C, alii om. [y] V om. [z] R om.

1 Gen. 1, 26.
2 Cf. lib. XIV, c. 8, n. 11 (PL 42, 1044).
3 Cf. Aristot., *Topic.*, VI, c. 2 (I, 236).
4 Ezech. 28, 12; cf. supra, p. 140b.
5 *De hominis opificio,* c. 4 (PG 44, 135).
6 *De fide orthod.*, II, c. 11 (PL 94, 910 sq.).
7 *De Gen. c. Manich.*, I, c. 17, n. 28; cf. *De Gen. ad litt.*, III, c. 20, n. 30 (PL 34, 186, 292).
8 Cf. infra, num. 336-343.
9 Loc. cit., c. 2 (PG 44, 131 sq.).
10 Gen. 1, 27.
11 Gen. 1, 27.
12 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, III, c. 19 (PL 34, 291).

CAPUT V. 302

QUARE DICITUR CREATUS HOMO IN DISTINCTIONE SEXUS.

Deinde sequitur[1]: *Masculum et feminam creavit illos.*

Quaeritur primo: 1. Cum hic loquatur de homine secundum rationem, secundum quam conditus est ad imaginem Dei, et hoc est secundum eminentiorem partem animae, secundum autem illam non dicitur masculus vel femina, quare de discretione sexus hic agit?

2. Praeterea, nondum erat formatus homo [a] de limo terrae, nondum erat formata Eva de latere viri. Ad quid facta est ergo ista distinctio? Propter quid ergo hic de masculo et femina facit [b] mentionem?

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum[2] est quod, licet secundum alteram et alteram rationem accipiatur esse ad imaginem et sexum distingui, nihilominus hic [c] facta est mentio de distinctione sexus, ut ostendatur quod conditio imaginis non sit propria masculi, sed utriusque, licet dicat Apostolus[3]: *Vir est imago Dei, mulier est gloria viri;* sed ipse accipit ibi imaginem propter hoc quod homo fuit quodam modo principium omnium hominum; etiam Eva fuit formata [d] de latere eius, et ita quamdam [e] imaginem tenet Dei, qui est principium omnis creaturae, sicut in Glossa[4] habetur ibi. Non sic autem fuit de muliere, et ideo non dicebatur imago.

2. Ad aliud dicendum [f] quod, licet nondum esset expressa formatio viri et mulieris secundum corpus, nihilominus per quamdam anticipationem [g] dictum est de corpore mulieris; sed de corpore viri, secundum Augustinum[5], fuit facta conditio in operibus sextae diei, licet postea exprimeretur: non enim spiritus rationalis sive anima condita fuit sine corpore, sed creando infundebatur; sed ut ostenderetur de quo factum est corpus, quaedam deinceps facta est expressio.

CAPUT VI.

DE ORDINE VERBORUM GENESEOS 1, 28-31.

ARTICULUS I. 303

De verbis 'Crescite et multiplicamini'.

Et *benedixit illis* [h] *dicens: Crescite et multiplicamini*[6] etc.

Quaeritur I. de coniunctione viri et feminae utrum fuit ante peccatum[7].

Et obicitur [i] **sic**: 1. « Concubitus », sicut dicit Augustinus[8], « non est nisi mortalium corporum ».

2. Si enim immortalia essent corpora, non esset decisio sicut nec [k] decisio a sole et luna et huiusmodi corporibus: quae enim corpora recipiunt diminutionem, recipiunt per consequens corruptionem; sed ante peccatum habebant corpora immortalia; ergo non fuit necessaria coniunctio maris et feminae.

3. Praeterea, sufficienter salvaretur species in illis duobus individuis; ergo, cum generatio sit ad conservationem speciei [l], non erat necessaria generatio et ita nec coniunctio.

4. Item, homo [m] habet quodam modo communem naturam cum animalibus ex una parte, ex alia parte cum angelis; sed secundum illud commune quod habet cum animalibus est generatio sive coniunctio ad generandum, secundum autem illud quod commune est cum angelis non est generatio, sed multiplicatio per alium modum ad completionem numeri electorum; si ergo homo [n] in statu innocentiae esset confirmatus sicut angelus, non esset in illo statu generatio, sed alia multiplicatio. — Item, hoc arguunt ex hoc quod non erat coitus maris et feminae nisi postquam peccaverunt[9]: ex quo apparet tunc introduci primo necessitatem generationis.

5. Item, in Matth. 22, 29-30 legitur qualiter Dominus respondit Sadducaeis: *Erratis, nescientes Scripturas: in resurrectione* [o] *neque nubent neque* [p] *nubentur, sed erunt sicut angeli Dei.* Quid ergo

---

[a] LZ om. [b] S *fecit.* [c] S om. [d] R om. [e] R om. [f] Ita V, alii *vero dicendum est.* [g] V *participationem.* [h] L om. [i] L *ostenditur;* R om. *concubitus.* [k] V *nature.* [l] T om. *a. c. s.;* V *necessario* pro *necessaria.* [m] R *modo.* [n] T om. [o] R add. *enim.* [p] R om.

1 Gen. 1, 27.
2 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, III, c. 22 (PL 34, 293); S. Bonav., II *Sent.*, d. 16, a. 2, q. 2 (II, 403sq.).
3 I Cor. 11, 7. 4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1631).
5 Cf. loc. cit. et lib. VI, c. 2 (PL 34, 339sq.).
6 Gen. 1, 28.
7 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 20, cc. 1-2 p. 398sq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 20, a. 1, q. 1 (II, 477sqq).
8 *De bono coniugali*, c. 2 (PL 40, 373); cf. *De Gen. ad litt.*, III, c. 21 (PL 34, 293).
9 Cf. Gregor. Nyssen., *De homin. opificio*, cc. 17 et 22 (PG 44, 189 et 206).

aliud innuitur nisi quod in resurrectione revocabuntur homines ad statum innocentiae et multo nobiliorem [a]? Quantum ergo de statu innocentiae, si homo esset confirmatus, non videretur nisi quod homo duceret vitam angelicam.

6. Item, de homine, postquam peccavit, dictum est [1]: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus;* per quod innuitur quod homo, postquam peccavit, declinavit ad ea quae erant communia cum iumentis [b]. — Item, ad idem [c] Gregorius Nyssenus [2]: « Vere iumento similis factus est homo, qui hanc animalem generationem in sua natura suscepit propter conversionis casum, qui ei ex formatione [d] materiae contigit ».

Contra: *a.* Constat quod ante peccatum habuerunt virtutem generativam; et a potentia poterat egredi actus sine libidine, cum libido sit poena peccati; ergo in statu innocentiae manentes poterant generare.

b. Item, si multiplicatio fieret alio modo, ad quid esset discretio sexus? cum discretio sexus per se ordinetur ad coniunctionem et coniunctio [e] ad generationem filiorum ad cultum Dei.

c. Item, cum corpus adhuc esset animale, non spirituale, secundum quod dicitur I Cor. 15, 46: *Prius quod animale, deinde quod spirituale,* ad animale vero pertinet generatio; restat ergo quod, si mansissent in statu innocentiae, esset generatio.

d. Item, Augustinus [f], *De civitate Dei* [3]: « Quisquis dicit non fuisse coituros nec generaturos, nisi [g] peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem hominum necessarium fuisse peccatum [h]? Si enim non peccando soli remanerent, quia, sicut putant, nisi peccassent, generare non possent, profecto ut non soli essent duo iusti homines, sed multi, necessarium peccatum fuit. Quod si credere absurdum est, illud potius est credendum quod sanctorum numerus quantum supplendae sufficit illi beatissimae civitati, tantus existeret, etsi [i] nemo peccasset, quousque filii huius saeculi generant et generantur. Et ideo illae nuptiae dignae felicitate paradisi, si [k] peccatum non fuisset, et diligendam prolem gignerent et pudendam libidinem non haberent ».

Ex quibus omnibus concluditur quod esset coniunctio maris et feminae, etiam si non peccassent, ut [l] multiplicaretur numerus praedestinatorum. — Quod concedimus [4].

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem in contrarium respondeo [m] quod, cum dicitur 'concubitus est mortalium', intelligendum est illorum qui de natura habuerunt possibilitatem moriendi, licet nunquam morerentur. Unde Adam, licet esset immortalis, id est potens non mori, tamen erat mortalis, id est potens mori, id est possibilis [5]. Non autem dicitur quod concubitus necessario sit mortalium, id est eorum qui habent necessitatem moriendi.

2. Ad secundum dicendum [n] [6] quod, licet haberent corpora immortalia quae nunquam morti essent subiecta, nihilominus posset in eis esse decisio seminis ex vi sementiva [o]. Nec ex hoc sequeretur [p] corruptio: licet enim de corpore diminueretur [q], non tamen esset illa diminutio, secundum quam dicimus quod post augmentum corporis esset diminutio, quae senium induceret et consequenter dissolutionem.

3. Ad tertium dicendum quod, licet posset species hominis salvari in illis duabus personis conditis, non tamen sic salvaretur ut fieret multiplicatio praedestinatorum usque ad determinatum numerum, sicut dicit Augustinus quod « sanctorum numerus, quantum complendae sufficit illi beatissimae civitati, tunc existeret, etsi nemo peccasset, quantus nunc per Dei gratiam colligitur de multitudine peccatorum quousque filii huius saeculi [r] generant et generantur ».

4. Ad quartum dicendum quod, licet generare sit ex parte naturae communis [s] cum brutis, non tamen generare filios ad cultum Dei [7]: generatio enim respicit conservationem speciei, et sic est commune; respicit etiam multiplicationem rerum speciei ad cultum Dei, et sic non est commune, sed proprium; et hoc modo esset hominis, si stetisset in statu innocentiae.

5. Ad quintum dicendum quod differens erit status gloriae, quando *neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli* [t] *Dei,* a statu innocentiae etiam confirmato. Multo enim nobilior erit, ubi non erit nutrimentum corporale necessarium nec generatio, sicut fuisset in statu innocentiae: in statu enim [u] innocentiae primo esset corpus animale, in statu vero gloriae esset corpus spirituale. Unde resurrectio gloriosa non revocat ad statum primum innocentiae, sed perducit ad nobiliorem.

6. Ad ultimum dicendum quod, licet illud: *Homo cum in honore esset* etc. intelligatur de statu post peccatum, in quo est generatio libidinosa,

---

[a] V *nobilior.* [b] Codd. hoc argumentum, *Item, de homine... iumentis,* ponunt ante n. 5, sed erronee, ut ex solutione patet. [c] T om. *a. i.* [d] Ita VTL (corr.) C (corr.), alii *conformatione.* [e] L om. *e. c.* [f] V add. *in libro.* [g] V *nec.* [h] T om. [i] V *etiamsi.* [k] Z *etsi.* [l] T *et.* [m] RC *respondendum.* [n] Ita V, alii *vero dicendum est.* [o] V *seminativa.* [p] Ita V, alii *sequetur.* [q] Ita LC (correcti), V *minuentur,* STZ *minueretur.* [r] Codd. *lucis;* V om. *huius.* [s] T add. *est.* [t] T *singuli* pro *s. a.* [u] T om.

1 Psalm. 48, 13.
2 Cf. *De hominis opificio,* c. 17 (PG 44, 191).
3 Lib. XIV, c. 23, nn. 1, 2 (PL 41, 430).
4 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 20, c. 1 (p. 398).
5 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* III, c. 21, n. 33 (PL 34, 293); Lombard., II *Sent.,* d. 19, c. 6 (p. 396 sq.).
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 20, a. 1, q. 2 (II, 479 sq.).
7 Cf. Augustin., *De nupt. et concup.,* I, c. 4 (PL 44, 416).

nihilominus ante peccatum conveniebat aliquo modo cum iumentis: in quantum enim homo habuit corpus animale, et secundum hoc posset generare sine peccato.

II. Deinde quaeritur ratione eius quod supra[1] posuit quasi quinque differentias, scilicet pisces, volatilia, bestias et creaturam super terram et reptile quod movetur in terra, hic[2] autem non ponit nisi tres differentias.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod[a] supra designavit secundum differentias mobilium sive motuum in locis: unde quinque erunt. Nam sunt mobilia in aqua, quae suum habent motum; mobilia in aëre, quae suum; mobilia vero in terra quaedam sunt ambulantia in silvis[b], quaedam in agris[c] et haec significantur per iumenta sive per creaturam quae movetur super terram, quaedam vero repunt super terram. Alia vero divisio accipitur secundum differentias locorum, scilicet aëris et aquae et terrae: ut aëris sint volatilia, aquae pisces, animantia terrae deputentur ipsi terrae.

ARTICULUS II. 304

De verbis 'Ecce dedi vobis escam'.

Dixitque Deus: Ecce dedi vobis escam[3] etc. **I.** Hic potest quaeri 1. quare post conditionem hominis recapitulat omnia vitam habentia ad hominem referendo sive ordinando, non autem facit mentionem de luminaribus, cum tamen et ipsa propter hominem facta sint.

2. Praeterea, cum omnia vitam habentia in quantum huiusmodi consimiliter ad hominem referantur, propter quid distincte agit de terrae nascentibus et animalibus secundum quod[d] ad hominem ordinantur[e].

3. De tertio quaeritur: sicut[f] prius dixit de productione terrae nascentium quam animantium, quare non prius haec ad hominem retulit, sed posterius; prius enim dixit[4]: *Dominamini piscibus* etc. et post sequitur: *Ecce dedi vobis* etc.

Solutio: 1. Ad primum[g] dicendum quod de ordine luminarium non facit hic mentionem, non quia non ordinentur ad hominem, sed quia non ordinata sunt[h] secundum subiectionem. Hic autem loquitur de ordine subiectionis, quo subiecta fuerunt animantia et terrae nascentia homini; sed luminaria non sic, sed subiciuntur Deo, ut secundum nutum eius moveantur, referuntur autem[i] ad hominem in hoc quod dicitur[5]: *Erunt in signa et tempora* etc.

2. Ad secundum dicendum quod, licet conveniant animantia cum terrae nascentibus in vita, nihilominus distinguuntur in hoc quod animantia superaddunt perfectionem animae sensibilis: unde et animantia dicuntur; terrae vero nascentia, licet animam habeant vegetabilem, non dicuntur animantia: non enim animam habent secundum acceptionem sumptam communiter, sed dicitur a Philosopho[6] pars partis animae eo quod non percipitur motus aliquis localis; et ideo aliter ordinantur ad hominem terrae nascentia quam animantia: nam terrae nascentia ordinantur ad utrumque, animantia ad hominem tantum. Unde Gregorius Nyssenus[7]: « Post gramina et animantia factus est[k] homo quadam via ad perfectionem, consequenter natura proficiens »: omnium namque specierum crescentis et sensibilis homo participat.

3. Ad tertium dicendum[l] quod ordo mutatus est in fieri ipsarum rerum et in relatione ipsarum ad hominem, quia progressus in fieri erat secundum imperfectum et perfectum quousque ad perfectionem esset deventum, ordo vero in subiectione ad hominem a magis perfecto tendit ad minus perfectum; animantia enim subiciuntur homini, terrae nascentia homini[m] et animantibus, et ideo dixit: *Ecce dedi vobis in escam et cunctis animantibus terrae.*

II. Sed adhuc restat quaestio quare non loquitur hic de piscibus, et praeter hoc[n] volatilia interserit inter animantia terrae et ea quae moventur in terra, in quibus est anima vivens, cum haec dicantur animantia terrae.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod de piscibus non facit mentionem distincte, quia nutrimentum suum accipiunt in aqua, licet aliqui pisces nutriantur ex iis quae sunt in terra; sed illa, de quibus hic facit mentionem, nutriuntur ex iis quae de terra ortum habent, ut volatilia et cetera quae moventur in terra[o].

Ad aliud vero dicendum[8] est quod differentia est inter animantia terrae et ea quae moventur in terra. Per animantia enim terrae ambulantia designantur, per ea vero quae moventur in terra, reptilia. Et hoc patet in alia translatione[9]: *Et omni reptili repenti*[p] *super terram, quod habet spiritum vitae.* Ordinantur ergo ea secundum nobilius et minus nobile et in quantum plus[q] prosunt homini.

---

[a] S om. [b] T *silvas.* [c] T *agros.* [d] Z add. *hec.* [e] STLC *ordinentur.* [f] Ita V, alii *si;* R *terra* pro *tertio.* [g] Ita, V, alii *ad quod* pro *S. a. p.* [h] T om. [i] C *enim.* [k] T om. [l] Ita V, alii add. *est.* [m] ST om. *t. n. h.,* in L est add. mg. [n] RZ add. *hec.* [o] T om. *i. t.* [p] Z *repetenti.* [q] Z om.

1 Gen. 1, 26. 2 Gen. 1, 28.
3 Gen. 1, 29. 4 Gen. 1, 28.
5 Gen. 1, 14; cf. supra, num. 289-290.
6 Aristot., *Ethica ad Nicom.*, I, c. 13 (II, 13).
7 *De anima et resurrect.* c. 2 (PG 46, 59).
8 Cf. supra, num. 293, II. 9 Gen. 1, 26.

III. Sed adhuc quaeritur de hoc quod hic data sunt terrae nascentia in escam homini, infra vero, nono [1], ipsa animantia, et non hic, cum tamen utraque natura materialis sit [a] et possibilis sit [b] ad nutrimentum respectu hominis, in statu tamen innocentiae non est data esca nisi de terrae nascentibus.

Respondeo: Quanto maior erat [c] fortitudo viventis, tanto competebat cibus austerior, quanto vero erat maior fragilitas, tanto cibus ad nutrimentum competentior, ut fieret infirmitatis relevatio. Et quod maior esset fragilitas post, patuit ex hoc quod abbreviata fuit vita hominis [d] post diluvium [2].

305

ARTICULUS III.

De verbis 'Factum est ita' et 'Vidit Deus cuncta quae fecerat' et 'Perfecti sunt caeli'.

I. Deinde quaeritur de hoc quod dicitur: *Et factum est ita* et non ponitur: *Fecit* etc. sicut in praecedentibus, vel aequipollens, sicut [e] in primo die, ubi dictum est consimiliter [f]; nam si sic intelligeretur: *Et factum est ita*, ut poneretur sicut in [g] praecedentibus, tunc esset sensus: vel creverunt [h] et multiplicati sunt vel ad primum ederunt de fructibus et herbis terrae [i], quorum neutrum adhuc intelligitur verum; restat ergo quod sensus erat: *Et factum est* in cognitione hominis quod homo habebat facultatem edendi de illis [3]. Et ideo attendendum est quod alius est modus loquendi hic et in primo die, et alius in aliis diebus, ut notetur lux esse facta quando data est [k] cognitio angelicae naturae, hic autem, cum data est cognitio humanae [l] creaturae, ut converteret se super illa quae erant ordinata ad ipsum.

II. *Vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona* [4].

1. Quaeritur quare non dixit sigillatim de homine: *Et vidit Deus quod esset bonum?* cum multo melior sit in genere suo rationalis creatura quam vegetabilis vel [m] sensibilis.

2. Item, quare hic post primam commendationem [n] in fine sexti diei dixit: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona?*

[Solutio]: 1. Ad primum respondet [o] Augustinus [5] multipliciter: quod non de homine dixit sigillatim, ut innueret quid futurum esset de homine sigillatim accepto, in universo tamen semper habuit bonitatem et habet. — Sed pari ratione dicendum esset de luce per quam significatur angelus, cum Deus praevideret peccatum ipsius. Ad quod responderi potest quod factura lucis, licet taceretur eius commendatio propter hanc rationem quoad angelos apostatas [p] [6], non tamen taceretur quoad stantes et quoad [q] commendationem corporalis lucis [r], non sic autem de homine, qui totus peccavit. — Aliam etiam assignat rationem quare tantum assignat bonum hominis in universitate: homo enim est quasi omnis creatura [7] et ideo, facta commendatione aliorum, commendatur homo in illis, et praeter hoc in universitate, eo [s] quod superaddit perfectionem universi respectu illorum.

2. Ad secundum dicendum [t] quod ad completionem singulorum conveniebat quamdam bonitatem universo attribuere, ut nihil remaneret quod non ordinaretur ad bonum. Unde Augustinus, IV libro *Super Genesim* [8]: « Deus, naturarum optimus conditor, peccantium vero iustissimus ordinator est, ut etiam si qua sigillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis [u] universitas pulcra sit ».

III. *Igitur perfecti sunt* [9] etc. Conclusio est ex praedictis.

Sed potest quaeri de qua perfectione loquitur, prima scilicet vel secunda, et quare dicit [v] pluraliter caelos, singulariter vero terram.

Respondeo: Perfectio designat conditionem horum et quantum ad materiam et quantum ad formam [10]. Quantum ad materiam, cum dictum est [11]: *In principio creavit* [x] etc.; quantum ad formam, cum dictum est [12]: *Fiat lux* etc. Caelos autem dixit pluraliter, terram singulariter, quia terra est ad modum centri, caeli [y] vero ad modum sphaerarum quae volvuntur circa [z] centrum; centrum vero est unum, plures vero sunt orbes circa idem centrum, maiores et minores; sic est etiam de caelis, ut circa terram sit caelorum diversitas, ut unum ab alio contineatur.

---

[a] Ita V, alii *est*. [b] Ita V, alii om. [c] LC *erit*. [d] R om. [e] Z *ut*. [f] Z *similiter*. [g] T *ex*. [h] V vacat. [i] ST om. [k] S om. [l] Ita LCZ correcti, alii *angelice*. [m] TR *et*. [n] VTLR *conditionem*, quod CZ corr. [o] ST *respondeo*. [p] VTLZ om., in C est add. mg., in Z add. interl. [q] Ita S, alii om. *s. e. q.* [r] CZ add. mg. *et etiam bonorum angelorum*. [s] Z om. [t] Ita V, T *vero dicendum est*, alii add. *est*. [u] Z *eius* pro *c. e.* [v] RC *dicitur*. [x] V add. *Deus*. [y] Z *celum*. [z] VST *ad*.

1 Gen. 9, 3.
2 Cf. Gen. 6, 3.
3 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, III, c. 23 (PL, 34, 294).
4 Gen. 1, 31.
5 Loc. cit., c. 24 (PL 34, 294 sq.).
6 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, XI, c. 20 (PL 41, 333); Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 20 (PL 176, 201); supra, p. 343b.
7 Cf. Gregor. M., *In Evang.*, hom. 29, n. 2 (PL 76, 1214).
8 Potius lib. III, c. 24, n. 37 (PL 34, 296).
9 Gen. 2, 1.
10 Cf. supra, p. 317, *ad 2*.
11 Gen. 1, 1.
12 Gen. 1, 3.

TRACTATUS TERTIUS

DE RERUM CORPORALIUM GUBERNATIONE MULTIPLICATIONE ET COLLOCATIONE

SEU DE OPERE SEPTIMAE DIEI

QUAESTIO I.

DE GUBERNATIONE RERUM CORPORALIUM.

Complevit *Deus die septimo* [1]. Completa consideratione de opere creationis et de opere distinctionis in [a] tribus diebus et ornatus in tribus [b] aliis sequentibus, sequitur consideratio de opere gubernationis, multiplicationis et collocationis [c]. Opus gubernationis notatur [d] in septimo die et innuitur opus multiplicationis per hoc quod ibidem dicitur quod *creavit Deus ut faceret* [2]: fecit enim res in propriis generibus et speciebus, ut [e] post multiplicaret, ubi necessaria erat multiplicatio.

CAPUT I. 306

DE VERBIS 'COMPLEVIT DEUS DIE SEPTIMO'.

Circa illud vero quod est septimi [f] diei I. primo quaeritur quare *septimo die complevit,* cum completio sive perfectio in sex diebus intelligeretur; unde praemissum est [e 3]: *Perfecti sunt caeli* etc.

Respondeo: Est completio secundum materiam et formam, et haec fuit in sex diebus [4]; et [g] est completio in fine, et haec intelligitur in septimo die secundum quod omnia opera [h] acceperunt quietem in eo qui est finis omnium [5], prout dicitur Prov. 16,4: *Universa propter semetipsum operatus est* [i] *Dominus.* Vel perfectio in sexto die fuit quantum ad genera et [k] species rerum [6], haec autem completio quantum ad gubernationem et multiplicationem.

II. Quaeritur etiam quare in [l] isto die non dicitur sicut in praecedentibus [7]: *Factum est vespere et mane dies* septimus. Numquid ista dies non [m] habuit mane nec vespere?

[Solutio]: Ideo ita videtur Augustinus [8] partiri dies istos, ut primus dies haberet vesperam et [n] non mane, medii [o] mane et vesperam, ultimus vero mane et non vesperam. Nam secundum quod dies designat cognitionem angelicae creaturae, angelica autem creatura non poterat cognoscere antequam esset, non poterat cognoscere [p] se faciendam in Verbo, quod ad mane pertinet, sed se factam in proprio genere [9]; et ita vespere habuit et computatur cum illo mane sequentis diei, quia cognovit in Verbo firmamentum faciendum et sic deinceps. Cum autem deventum est ad septimum diem, vespere eius fuit cognitio creaturarum sensibilium et ipsius hominis in proprio genere, mane vero pertinebat ad cognitionem gubernationis et continuationis rerum in esse per multiplicationem; et quia illud, quantum est de se, non habet finem, nisi cum adest voluntas Conditoris, ideo non habet vespere, sed mane. Unde Augustinus, *Super Genesim* [10]: « Etsi unaquaeque pars potest esse in toto cuius pars est, ipsum tamen totum non est nisi in illo a quo conditum est. Et ideo non absurde intelligitur, sexto die completo per eius vesperam, factum mane, quo significaretur non initium

[a] T om. [b] C om. [c] T add. *et.* [d] Z om.; T om. *in,* V add. *et.* [e] T *et.* [f] V *sexte.* [g] Ita RZ, alii om. [h] S om. [i] T om. [k] S om. *g. e.* [l] Ita V, alii om. [m] Z om. [n] Ita RZ, alii om. [o] LC *medius.* [p] T om. *a. e. n. p. c.*

1 Gen. 2, 2.
2 Gen. 2, 3.
3 Gen. 2, 1.
4 Cf. supra, num. 305, III.
5 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* IV, c. 17 (PL 34, 307).
6 Cf. Augustin., loc. cit., c. 12 (PL 34, 304).
7 Gen. 1, 5, 8 etc.
8 Loc. cit., c. 18 et cc. 23-32 (PL 34, 308, 312sqq.).
9 Cf. supra, num. 275, I.
10 Loc. cit., c. 18, n. 32 (PL 34, 308).

condendae alterius creaturae, sicut in ceteris, sed quo significaretur initium manendi et quiescendi totius quod conditum est in illius [a] quiete qui [b] condidit; quae quies Deo nec initium habet nec terminum, creaturae autem habet initium, sed non habet terminum [c], et ideo septimus dies coepit a mane, sed nullo [d] vespere terminatur [e] ». Unde, quia mane septimi diei computatur in sexto die [f], in septimo nulla fit mentio nec de mane nec de vespere: neque enim de initio vel fine alicuius creaturae distincte ibi agitur.

III. Si vero non ad diem spiritualem haec referamus, quid dicendum est de die septimo, qui sub alia forma designatur quam alii? Cum enim dies dicatur ad modum aliorum, dies autem fit secundum revolutionem alicuius lucis super terram, necesse est quod habeat mane et vesperam. Quare ergo non dicitur septimo die de mane et vespere sicut in praecedentibus?

[Solutio]: Ad quod videtur dicendum [1] quod, licet iste dies sicut et [g] praecedens habeat mane et vespere, tamen in isto die non fit expressio sicut in praecedentibus, ne credatur requies Dei in se ipso habere principium et finem sicut creaturae, de quibus actum est in aliis diebus, habuerunt principium et finem; et ideo dies dicitur sine aliqua distinctione, ut notetur plena illius requiei illuminatio, in qua nihil oritur, nihil occidit.

IV. Sed adhuc quaeritur: si dies septimus dicitur dies secundum unam rationem cum aliis, et alii dies conditi sint [h], ergo et iste conditus est, ergo aliquid conditum est in septimo die; qualiter ergo dicta sunt omnia facta esse in sex diebus et in septimo quievisse?

Respondeo [2]: Cum dicitur quievisse, intelligitur cessasse a condendis generibus et speciebus rerum; et huic non est contrarium quod diem condidit, quia haec est conditio secundum numerum; a rebus autem permanentibus quievit, sicut sunt genera et species rerum subsistentium.

V. 1. Sed quid est quod dicitur Ioan. 5, 17: *Pater meus usque modo operatur et ego operor?* Ergo non videtur quievisse ab omni opere.

2. Praeterea, non est quies aliqua Creatoris vel Conditoris summi in re [i] condita; ergo nihil est quod dicitur [3]: *In septimo* etc. [k], cum stabile nullatenus [l] quiescat in vano.

3. Item, dicitur quod cessavit *ab omni opere quod creavit ut faceret;* et illud 'facere' est operari; ergo non quievit ab omni opere.

Solutio: 1. Ad primum [m] dicendum quod illud operari, de quo dicitur Ioan. 5, 17, intelligitur de opere gubernationis et multiplicationis, non de opere conditionis generum et specierum, a quo scilicet quievit.

2. Ad secundum dicendum quod, licet quieverit ab opere iam dicto, non tamen in illo quievit, sed magis e converso opus quievit in eo [n] in quantum est finis. De hoc Augustinus, *Super Genesim* [4]: « Ipsa universitas creaturae, quae sex diebus consummata est, aliud habet in sua natura, aliud in suo ordine quo in Deo est, non [o] sicut Deus, sed tamen ita ut ei [p] quies propriae stabilitatis non sit nisi in illius quiete qui nihil praeter se appetit quo adepto requiescat. Et ideo dum ipse manet in se, quidquid ex illo est retorquet ad se, ut omnis creatura in se habeat naturae suae terminum [q], quo non sit quod ipse est, in illo autem quietis locum, quo servet quod [r] ipsa est ».

3. Ad tertium dicendum quod, cum dicitur: *Creavit ut faceret,* creare sumitur ibi pro condere [5]. Duplex autem est condere, scilicet in esse generis sui vel speciei et [s] in permanentia ratione multiplicationis individuorum, ubi necessaria est multiplicatio ad conservationem; condidit ergo Deus ut sic faceret, id est [t] multiplicaret ad conservationem.

307

CAPUT II.

QUARE DEUS BENEDIXIT DIEI SEPTIMO PRAE CETERIS [6].

Sequitur de hoc quod *benedixit diei septimo et sanctificavit illum* [7].

1. Potest enim quaeri quare data est huic diei benedictio, non autem aliqua, cum creavit caelum et terram vel cum fecit et ornavit aut cum, homine facto, consummavit.

2. Item quae est differentia inter benedictionem et sanctificationem, cum de benedictione fecerit mentionem in aliquibus diebus praecedentibus,

---

[a] V *alius.* [b] V add. *te.* [c] T om. *creaturae... terminum.* [d] V *in illo.* [e] LC (correcti) *terminabatur.* [f] Z add. *non;* L *septimo* pro *sexto.* [g] L om. [h] Ita V, alii *sunt.* [i] R om. *i. r.* [k] Ita RZ, alii om. [l] C *nullo modo.* [m] Ita V, alii *ad quod* pro *S. a. p.* [n] RZ *illo.* [o] VT *non est* pro *e. n.* [p] T om. [q] Codd. add. *in.* [r] Z *quo.* [s] T *vel.* [t] C *et* pro *i. e.*

1 Cf. Augustin., loc. cit., cc. 18 et 19 (PL 34, 308 sqq.).
2 Cf. Augustin., loc. cit., c. 20 (PL 34, 310). Cf. supra, num. 258-259; Lombard., II *Sent.*, d. 15, c. 7 (p. 377); S. Bonav., II *Sent.*, d. 15, a. 2, q. 3, *ad 2* (II, 387).
3 Gen 2, 2. 4 Loc. cit., c. 18, n. 34 (PL 34, 309).
5 Cf. Augustin., *De fide et Symbolo,* c. 4 (PL 40, 184); *Contra adversar. Legis et Proph.*, I, c. 23 (PL 42, 632 sq.).
6 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 15, cc. 9-10 (p. 378 sq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 15, dub. 5 (II, 390).
7 Gen. 2, 3.

ut in quinto et[a] sexto die, de sanctificatione vero non fecerit mentionem?

Respondeo, 1. secundum Augustinum, *Super Genesim*, quod non est data benedictio nec ante diem septimum[b] nec in die aliquo[c], quae benedictio sit cum sanctificatione, quia creaturae in se non sanctificantur, sed in ipso ad quem referenda sunt omnia bona[1], et hoc in hoc septimo die designatur, et ideo huic[d] solum diei datur benedictio. Unde Augustinus[2]: « Quia enim ex illo ita est quidquid ex illo est, ut illi debeat quod est, ipse autem nulli quod ex ipso est debeat quod beatus est, se[e] rebus, quas fecit diligendo, praeposuit[f], non sanctificans diem quo ea faciendo inchoavit nec illum quo ea perfecit, ne illis vel faciendis vel factis auctum[g] eius gaudium videretur, sed eum quo ab ipsis in se ipso requievit. Et ipse quidem nunquam ista requie caruit, sed nobis eam per diem septimum ostendit ».

2. Ad secundum dicendum[3] quod distingui potest inter benedictionem et sanctificationem, quia benedictio magis communis est quam sanctificatio. Nam est benedictio[h] temporalis, sicut quae consistit in rerum multiplicatione: et talis bene fuit in quinto die et sexto die[4]. Et est benedictio spiritualis, et illa est duplex[i]: gratiae, et in hac est appropriata benedictio homini; et est quietis aeternae, et haec recte dicitur hic benedictio cum[m] sanctificatione.

CAPUT III. 308

DE VERBIS 'HIC EST LIBER CREATURAE CAELI ET TERRAE'[5].

Hic *est liber creaturae caeli et terrae*[6]. Potest quaeri I. utrum sic accipiatur hic caelum et terra sicut supra, cum dicitur[7]: *In principio creavit Deus* etc.[8], an sic sicut cum fecit[9] firmamentum et distinxit aridam ab[p] aquis.

Et videtur quod primo modo 1. propter hoc quod dicit: *Creaturae caeli et terrae;* tunc enim creavit caelum et terram.

2. Praeterea, videtur illud ex hoc quod sequitur[8]: *Omne viride agri antequam esset super terram;* cum enim tertio die factum esset istud, et hoc est cum facta esset terra, non sic accipit[q] hic terram sicut in tertio die; ergo sic sicut in principio.

3. Item, cum factum est firmamentum et facta est terra, tunc erat dies; hic autem dicitur[9]: *Cum factus est dies,* id est cum fieret; ergo videtur potius ad primum referendum.

Sed videtur contrarium *a.* per hoc quod sequitur: *Cum factus est dies, fecit Deus caelum et terram.* Cum enim non simul factus est[r] sermo de die, cum crearet caelum et terram in principio, et fecit mentionem de die, cum fuit firmamentum secundo die et terra tertio die, relinquitur ergo quod sic accipit caelum et terram sicut cum facta sunt in diebus.

II. Praeterea, potest quaeri de hoc quod dicit: *Cum factus est dies.* Nullam enim mentionem fecit distincte de aliquo die, cum fecit caelum et terram: caelum enim factum est secundo die, terra tertio die[s]; ergo, cum dies non sit simul cum die, non facta sunt caelum et terra, cum factus est dies aut oportet hic intelligere diem communiter, ut simul fieret tempus[t] cum temporali.

III. Tertio quaeritur 1. quid nomine caeli et terrae datur intelligi, cum dicitur '*caelum et terram*', an tantum firmamentum et arida, quae duobus diebus facta sunt, an ipsa cum natura media, scilicet aquarum, quae simul factae sunt. Facta enim est divisio aquarum[u] superiorum ab inferioribus secundo die cum firmamento[10], in tertio est aquarum a terra divisio et in unum locum congregatio[11]. Si autem dantur intelligi per se, quare non fit mentio de aquis? Si enim aquae dantur intelligi per illa duo, multo fortius *viride agri* intelligi potuit, et tamen non[v] est expressum; ergo non[x] videtur per hoc intelligi.

2. Praeterea, numquid nomine caeli et terrae intelligitur lux quae facta est primo die, et ea quae facta sunt in illis ultimis diebus[12]? — Quod non[y] lux intelligatur, videtur per hoc quod dicitur:

---

[a] Z add. *in, quod V exp.* [b] Ita V, alii om. [c] T *diem aliquem* pro *d. a.*; RC *fit* pro *sit.* [d] Ita VZ (corr.), alii *hic*; RZ *significatur* pro *designatur.* [e] Z *si.* [f] C *proposuit.* [g] Ita RZ (corr.), alii *nec.* [h] Ita R, alii *actum.* [i] STLC add. *est.* [k] STLC *multiplicatio.* [l] VLC *dupliciter.* [m] LC *in.* [n] R *celum et terram;* C om. *Deus.* [o] Ita VT, alii *fuit;* Z om. *cum.* [p] L om. [q] Ita VT, alii *accepit.* [r] V om. [s] C om. *t. t. d.* [t] L om. [u] T om. *quae... aquarum.* [v] Ita V, alii om. [x] V om. [y] T *vero.*

1 Cf. supra, p. 368, *ad 2.*
2 *De Gen. ad litt.*, IV, c. 15 (PL 34, 306).
3 Cf. Augustin., loc. cit., c. 14 (PL 34, 305 sq.).
4 Cf. supra, num. 295, I.
5 Cf. supra, num. 251.
6 Gen. 2, 4.
7 Gen. 1, 1; cf. supra, num. 249, II et 284.
8 Gen. 2, 5.
9 Gen. 2, 4.
10 Cf. supra, num. 276.
11 Cf. supra, num. 284.
12 Cf. supra, num. 262.

Fecit caelum et terram, loquens de eo quod vocavit caelum: et hoc fuit firmamentum; unde dixit[1]: *Vocavit firmamentum caelum.* Non ergo[a] videtur intelligi lux illa per *caelum et terram.*

3. Praeterea, ea quae facta sunt in tribus ultimis diebus, non videntur intelligi. Nam non sunt facta antequam *viride agri* esset super terram; ergo non per *caelum et terram* intelliguntur.

Sed obviare videtur ut nomine caeli et terrae omnia quae facta sunt in illis diebus intelligantur. *a.* Nam, cum factus est dies, fecit caelum et terram; sed factio diei intelligitur in operibus sex dierum; ergo caelum et terra debent continere suis designationibus illa omnia.

b. Et praeterea, quare[b] recapitularet ipse ea quae in secundo die et tertio facta sunt et non illud quod in primo die factum est et ultimis tribus diebus?

Solutio[c]: I. 1. Ad primum dicendum[2] quod accipitur hic caelum et terra sicut facta sunt. Unde, cum dicitur: *Creaturae caeli et terrae,* aut simul intelligitur[d] creatio et factio aut nomine creaturae factura designatur.

2. Nec hoc obviat quod dicitur: *Et omne viride agri antequam esset,* quia illud post facturam terrae nominatur, licet in die eodem. Unde postquam facta est terra, dictum est[3]: *Germinet terra* etc., ut primo sit esse terrae et post germinatio ex ea.

3. Nec illud obviat quod dictum est: *Cum factus est dies;* aliter enim fiunt tempora et aliter fiunt res permanentes: temporum enim esse est cum fiunt, rerum vero permanentium esse non semper est cum fiunt[e]. Unde, cum dicitur: *Cum*[f] *factus est dies,* id est cum[g] fiunt dies, tunc caelum et terra facta sunt, quia in die facta sunt, sed creata ante diem, et ideo sermo ille, scilicet '*cum factus est dies*', ad hoc inducitur ut de factura caeli et terrae intelligatur.

II. Ad secundum vero dicendum dupliciter secundum expositionem Augustini[4]: aut quod nomine diei intelligatur unus dies repetitus, secundum quod fit expositio de die, id est de[h] cognitione angelica; aut dies accipitur ibi communiter et indistincte: quilibet enim dies factus est et simul cum temporali. Unde Augustinus, *Super Genesim*[5]: « Factae creaturae motibus coeperunt currere tempora. Unde[i] ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possint inveniri ante tempora. Motus enim si nullus[k] esset, vel corporalis vel spiritualis creaturae, quo per praesens praeteritis futura succederent, nullum esset tempus[l] omnino; moveri autem creatura non utique posset, si non esset; potius ergo tempus a creatura quam creatura coepit a tempore, utrumque autem a Deo[m]: *Ex ipso* enim et *per ipsum et in ipso sunt omnia*[6]. Nec sic accipiatur quod dictum est[n] 'tempus a creatura coepit', quasi tempus[o] creatura non sit, cum sit creaturae motus ex alio in aliud, consequentibus rebus secundum ordinationem[p] administrantis Dei cuncta quae creavit ».

III. 1-3. Ad tertium dicendum[q][7] quod nomine *caeli et terrae* intelligitur natura media, scilicet aquarum, et per extrema dat intelligere medium: medium enim simul factum est cum extremis. — Similiter per *caelum et terram* intelligitur et illud quod factum est primo die et[r] possunt intelligi ea quae facta sunt in tribus[s] ultimis diebus: alia enim, quae in sequentibus diebus[t], ad ornatum illorum referuntur. — Et, licet caelum per quamdam appropriationem[u] dicatur firmamentum[8], nihilominus caelum empyreum apud intelligentes nomine caeli etiam[v] intelligitur[9].

309

CAPUT IV.

DE VERBIS 'ANTEQUAM FOENUM AGRI EXORTUM ESSET'[10].

Deinde potest quaeri ratione eius quod dicitur[11]: *Antequam foenum agri exortum esset,* sicut habetur in translatione Septuaginta, nostra vero translatio habet: *Antequam virgultum agri oriretur in terra.* Aut enim hoc intelligitur de seminibus herbarum et fructuum sive lignorum aut de ipsis herbis et arboribus.

Quod ratione seminum, hoc videtur: 1. Cum enim[x] terra facta est, gravida erat seminum

---

[a] Ita RZ, alii om. [b] V om. [c] Ita V, alii om. [d] Z add. *et.* [e] T om. *rerum... fiunt.* [f] C om. [g] ST om.; V om. *unde cum... fiunt.* [h] Ita RZ, alii om. [i] V *ubi.* [k] L (corr.) C *nullius.* [l] T om. [m] T add. *autem.* [n] T om. [o] Z add. *a.* [p] VTCZ *ordinem.* [q] STLC add. *est.* [r] T om. [s] T add. *autem.* [t] VR om. *q. i. s. d.* [u] Ita V, ST om., R *proprietatem,* CZ *simtlitudine,* L (corr.) *stmilitudinem vel proprietatem.* [v] V om. [x] Ita RZ, alii om.

1 Gen. 1, 8.
2 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* V, cc. 1-3 (PL 34, 321 sq.), etiam pro solutione ad 2 et 3.
3 Gen. 1, 11.
4 Loc. cit., et c. 4 (PL 34, 323 sqq.); cf. supra, num. 275, II.
5 Loc. cit., c. 5, n. 12 (PL 34, 325).
6 Rom. 11, 36.
7 Cf. Augustin., loc. cit., c. 3 (PL 34, 322 sq.).
8 Cf. supra, p. 310b et num. 283, III.
9 Cf. supra, p. 317, *ad 2* et num. 269.
10 Cf. supra, num. 286.
11 Gen. 2, 5.

herbarum et[a] lignorum et ad facturam terrae hoc pertinebat; sed aliud est fieri terrae et aliud herbarum vel arborum[b] ex terra nascentium; ergo, cum in illo die non fieret nisi quod pertinebat ad terram gravidam foetuum, non aliud intelligitur, cum dicitur: *Antequam foenum agri oriretur,* nisi quod esset ratio seminalis in ipsa admixta cum aqua.

Sed videtur contrarium *a.* per hoc quod ibidem dicitur[1]: *Producat terra herbam pabuli* etc. Hoc enim non ad rationem seminalem tantum pertinet, sed etiam ad[c] formam herbarum et arborum; non ergo hoc fuit antequam foenum[d] agri exortum esset. Et hoc[e] ex verbis Augustini, *Super Genesim*[2], innuitur, cum dicitur: *Producat terra herbam pabuli, seminantem semen secundum genus suum et lignum*[f] *fructuosum.* Unde dicit: « Iis verbis[g] magis apparet semina orta esse ex herbis sive lignis, non autem illa ex seminibus, sed ex terra, praesertim quia et verba Dei sic se habent. Non enim ait: 'germinent semina in terra herbam foeni et lignum fructuosum', sed ait: *Germinet terra herbam foeni seminantem*[h] *semen,* ut semen ex herba, non herbam ex semine insinuaret ».

[Solutio]: Ad quod videtur respondendum[i] per hoc quod dicit Augustinus[3]: « Aliter nota est angelis creatura Dei et aliter nobis. Angelis enim primordialiter, ut ita dicam, vel originaliter, sicut eam Deus primitus condidit et post eam conditionem a[k] suis operibus requievit non condendo aliquid amplius; nobis autem secundum conditarum rerum administrationem iam per ordines[l] temporum secundum quam Deus iam illis rebus per senariam perfectionem consummatis usque modo operatur ». Ex quibus verbis datur intelligi quod, cum dicitur: *Germinet terra herbam virentem* etc., hoc attenditur quod[m] in opere conditionis herbarum et lignorum ex terra[n] non attenditur tantum seminum gravidatio, sed ipsarum specierum productio quae habebant in se rationem seminalem. Cum autem[o] dicitur: *Antequam foenum agri esset exortum,* hoc intelligitur secundum cursum naturae, quo modo herba ex semine producitur naturaliter et planta ex planta vel ex semine.

CAPUT V. 310

DE VERBIS 'NON ENIM PLUERAT' ET 'HOMO NON ERAT QUI OPERARETUR EAM'.

Deinde quaeritur ratione eius quod sequitur[4]: *Non enim pluerat Deus super terram: et homo non erat qui operaretur eam.*

Videtur enim per hoc quod intelligatur factura caeli et terrae cum herbis includi praeter ea quae erant in tribus diebus sequentibus. Nam si illa includerentur, tunc[p] iam erat homo, qui sexto die creatus est. Quod si sic dicatur, quaeritur[q] tunc ad quid dicatur[r]: *Nondum pluerat Deus super terram.* Hoc enim factum est post opera sex dierum.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod illud quod[s] dicitur: *Et*[t] *homo non erat qui operaretur terram,* negatio ad totum extenditur, ut sit sensus: 'nondum erat homo operatus terram', ut sic utrumque referatur ad ea quae facta sunt post opera sex dierum. Unde Augustinus, V *Super Genesim*[5]: « Tamquam si diceret 'non ea sic fecit Deus, quemadmodum nunc facit talia, cum pluit et cum operantur homines'. Haec enim iam per moras temporum fiunt, quae tunc non erant, cum *fecit omnia simul*[6], unde etiam tempora inciperent ».

---

[a] L om. [b] R *amborum.* [c] S *in.* [d] T om. [e] V om. [f] T add. *et.* [g] C add. *Augustinus.* [h] Codd. *ligni seminans* pro *f. s.*; L *omne* pro *semen;* ST *et* pro *ut.* [i] STL *responsio.* [k] Z om. [l] R *ordinem.* [m] V om. [n] Z *terre;* RZ *cum* pro *ex.* [o] T *igitur.* [p] L vacat. [q] Ita V, alii om. [r] Ita VT, alii *dicitur.* [s] T om. *i. q.* [t] LC *quod.*

1 Gen. 1, 11.
2 *De Gen. ad litt.*, V, c. 4, n. 9 (PL 34, 324).
3 Loc. cit., n. 10 (PL 34, 325).
4 Gen. 2, 5.
5 Cap. 6, n. 19 (PL 34, 328).
6 Eccli. 18, 1.

QUAESTIO II.

DE MULTIPLICATIONE ET COLLOCATIONE RERUM CORPORALIUM.

311

CAPUT I.

DE CAUSA MULTIPLICATIONIS TERRAE NASCENTIUM.

Fons *ascendebat de terra*[1] etc. I. Quaeritur hic, cum incipiat dicere de causa multiplicationis et collocatione hominis in paradiso, quare primo incipit ab origine ex parte aquae et non ex parte terrae.

[Solutio]: Ad quod respondet Augustinus, *Super Genesim*[2]: « Recte ab eo incepit [a] elemento, ex quo cuncta genera nascuntur vel animalium vel herbarum atque [b] lignorum, ut agant temporales numeros suos naturis propriis distributos. Omnia quippe primordia seminum, sive unde [c] omnis caro sive unde [d] omnia fruteta gignuntur, humida sunt et ex humore concrescunt ». Utrumque tamen datur intelligi: nam ea, quae fiunt, ex commixtione fiunt aquae et terrae, adiunctis aliis elementis; sed haec duo sunt manifestiora, ideo de iis duobus facit mentionem. Rationem etiam corpulentiae, non dico corporeitatis, accipiunt ab elementis istis principaliter, sed terra est unde plus accipiunt de materia, humor vero, qui est ex aqua, est [e] unde plus accipitur multiplicatio.

II. Sed quia duplex est humor — unus, qui descendit ex nubibus aëris, alius, qui oritur in terra — potest quaeri 1. quare causam multiplicationis designat penes humorem fontalem primo et non penes pluvialem, cum videamus modo manifestius causam multiplicationis esse ex humore pluviali quam fontali in universa terra.

2. Praeterea, cum fit [f] humor pluvialis, fit [g] minutatim terrae irrigatio [h]; unde magis videbatur convenire a principio.

[Solutio]: 1-2. Ad quod videtur dicendum quod, cum non legatur de pluvia nisi cum introductum est [i] diluvium[3], nec de arcu sive iride nisi in signum reconciliationis[4], videtur quodam modo in poenam primo [k] pluvia introducta; pluvia autem fit ex vapore aquoso [l] elevato in nubibus [m], in vapore autem est quaedam confusio elementorum: unde introductio vaporum videtur esse in signum confusionis creaturae humanae, quae iam venerat in confusionem [n] peccatorum: prius enim erat aer serenus in conditione operum primorum, sed post factus est nebulosus. Recte ergo primo [o] facta est multiplicatio ex humore fontali irrigante superficiem [p] terrae. — Si cui autem videtur prius fuisse pluvia, licet de hoc non faciat mentionem Sacra [q] Scriptura, nihilominus oportet ipsum intelligere primo quod [r] humor aquosus imbibatur terrae, antequam [s] fiat vaporum elevatio et consequenter pluviarum descensio. Quod enim dicitur ligatio aquarum, ut non pariter erumpant deorsum, non videtur ad primum statum referri.

III. Supposito autem ex Scriptura quod humor aquosus, qui in terra oritur, sit principium irrigationis primae, potest quaeri 1. quare dicitur esse fontalis, cum ex conditione operum [t] in sex diebus habeamus quod aquae inferiores congregatae sint et congregationes dictae sint maria[5]. Unde videtur quod irrigatio [u] totius terrae sit [v] ex istis maribus: mare enim accipitur communiter pro congregatione aquarum dulcium et amararum. Quid est ergo quod dicit: *Fons ascendebat* etc.?

2. Item, supposito quod fons secundum rationem aliquam fontis irrigaret, cum non videatur de alio fonte facere mentionem nisi de illo fonte paradisi, *qui dividitur in quatuor capita*[6], videtur impossibile quod totam superficiem terrae irrigaverit, cum non legatur de illis quatuor capitibus nisi quod per terras currant determinatas et illas irrigent[7], aliae vero sint [x] terrae ad quas non extenditur earum irrigatio. Si vero fuit alius fons maior illo, mirum est ubi modo sit: si enim obstrusus est propter peccatum primorum parentum[8], videretur alicubi in Scriptura fieri mentio de ista obstrusione.

---

[a] V *incipit.* [b] R *vel.* [c] Ita Z (add. interl.), alii om. [d] S om. [e] RZ om. [f] STRZ *sit.* [g] L *sit.* [h] T *rigatio.* [i] T om. [k] R *quod.* [l] R *aquose;* T om. *elevato.* [m] S add. *et.* [n] VSTL *confusione.* [o] LC om. [p] VC *super faciem.* [q] R om. [r] VT *quia.* [s] VST *quamquam.* [t] VST *operis.* [u] T *irrigationes.* [v] V *fit,* T *sint.* [x] RZ *sunt.*

1 Gen. 2, 6.
2 Lib. V, c. 7, n. 20 (PL 34, 328).
3 Cf. Gen. 7, 10; Remig. Altissiod., *In Gen.*, c. 2 (PL 131, 59).
4 Cf. Gen. 9, 13.
5 Cf. Gen. 1, 9-10.
6 Gen. 2, 10.
7 Gen. 2, 11-14.
8 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, V, c. 7, n. 21 (PL 34, 328).

3. Praeterea, multiplici genere peccati peccavit homo ante diluvium, et tamen non legitur quod ante diluvium fuerit aliud genus irrigationis; ergo relinquitur quod, si obstrusus esset, hoc non esset propter peccatum primorum parentum.

[Solutio]: Ad quod potest dici opinando secundum illud [a] quod introducit Augustinus [1], dicens quod potuit per fontem intelligi Oceanus, in quantum per diversas partes in ramis suis extenditur et diversi sunt meatus subterranei, per quos fiunt excolationes aquarum, cuius unus ramus fuit fons qui irrigabat paradisum. Et dicitur fons irrigare *superficiem terrae,* non quia [b] inundaverit super eam, sed quia [c] in maiori parte irrigavit [d]. Vel quia dixit: *Fons ascendebat* etc., et non dicitur [e] unus fons, potest intelligi ut [f] universaliter comprehendatur omnis fons sive aquarum ductus. Unde Augustinus, *Super Genesim* [2]: « Quod si ipsius abyssi magnitudinem, ea parte excepta quae [g] mare dicitur et evidenti amplitudine amaris [h] fluctibus terras ambit, in ea sola parte quam reconditis sinibus terra continet, unde se omnes fontes et omnes aquae diversis tractibus venisque [i] distribuunt et suis [k] quaeque locis erumpunt, 'fontem' voluit appellare Scriptura, non 'fontes', propter naturae unitatem; eumque [l] per innumerabiles vias antrorum atque rimarum ascendentem de terra et ubique dispertitis [m] quasi crinibus irrigantem omnem superficiem terrae, non continua specie tamquam maris aut stagni, sed sicut videmus ire aquas per alveos fluminum flexusque [n] rivorum et eorum excessu vicina perfundere, quis [o] non accipiat nisi qui contentioso spiritu laborat? » Et iterum ibidem [3]: « Pro numero plurali posuit singularem, ut intelligamus fontes multos per universam terram loca [p] vel regiones proprias [q] irrigantes, sicut dicitur 'miles' [r] et multi intelliguntur, sicut dicta est [s] locusta et rana in plagis quibus Aegyptii percussi sunt [4], cum esset innumerabilis locustarum numerus et ranarum; iam non diutius laboremus ». Quidam [5] autem putaverunt sic fieri irrigationem, quemadmodum Nilus quodam tempore [t] anni irrigat terram, ut aliquo tempore [u] effundatur super faciem [v] terrae, alio vero tempore contrahatur.

CAPUT II.

DE PARADISO ET IN EO CONTENTIS.

Plantaverat *Deus* [6] etc. Sicut [a] dicit Damascenus [7], « quia homo erat compositus ex visibili et invisibili creatura », praeparavit ei Deus locum deliciarum paradisum, qui quodam modo dictus [b] est intelligibilis, quodam modo sensibilis, sicut consentiunt Augustinus [8] et Damascenus [9], « promptuarium universi gaudii et exultationis [10] ». De quo paradiso et universis contentis in eo primo agitur; deinde de multiplicatione animantium rationalium et irrationalium [c], quod notatur ibi [11]: *Formatis igitur* etc., secundum quod ad Adam haec referuntur.

Primo ergo describitur paradisus;
secundo, ad quid homo in eo collocetur;
tertio, praecepta disciplinae ei traduntur, de quibus infra [12] agetur, cum de rationali creatura erit tractatus, quae componitur ex sensibili et intelligibili [d]. Hoc tantum sufficit hic ostendere quod pertinet ad creaturam corporalem.

ARTICULUS I. 312

Descriptio paradisi [13].

Quaeritur ergo de paradiso utrum tantum [e] sit sensibilis vel tantum intelligibilis vel quodam modo sensibilis [f], quodam modo intelligibilis [g].

Quod [h] enim sit intelligibilis, videtur [14] 1. per hoc quod dictum est a Domino latroni [15]: *Hodie mecum eris in paradiso,* et constat quod animae [i]

---

[a] T om. [b] Ita V, alii *quod.* [c] Ita V, alii *quod.* [d] RCZ *irrigaverit.* [e] V om. [f] Z *quod.* [g] Ita RZ, alii *quod.* [h] Codd. *aqua maris.* [i] V *verusque.* [k] T om. *e. s.* [l] Ita VR, alii *cumque.* [m] T om. [n] Codd. *fluxuque.* [o] T *qui.* [p] R *loci;* S om. *terram.* [q] S *proximas.* [r] V *nubes.* [s] T om. [t] S *parte;* ST *quidam* pro *quodam.* [u] L om. [v] Ita VC, alii *superficiem.*
[a] VST *sic.* [b] SR om. [c] L *irrationalis,* quod C corr. [d] Z add. *et.* [e] Ita RZ, alii om. [f] Z add. *et.* [g] V om. *vel quodam... intelligibilis.* [h] S *quia;* T om. *sit.* [i] LC *anima.*

1 Loc. cit., c. 10, n. 25 (PL 34, 329).
2 Loc. cit., n. 25 (PL 34, 330).
3 Loc. cit., n. 26 (PL 34, 330). 4 Psalm. 104, 34.
5 Cf. Petr. Comestor, *Hist. eccles., lib. Genes.*, c. 11 (PL 198, 1066); Augustin., loc. cit., n. 25 (PL 34, 329).
6 Gen. 2, 8.
7 *De fide orthod.*, II, c. 11 (PG 94, 910sq.).
8 *De Gen. ad litt.*, VIII, c. 1 (PL 34, 371).
9 Loc. cit. (PG 94, 915).
10 Damasc., loc. cit. (PG 94, 911). 11 Gen. 2, 19.
12 Cf. infra, ubi agitur de peccato primi hominis.
13 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, dub. 2 (II, 426sq.) et IV, d. 20, p. 2, dub. 2 (IV, 541).
14 Ita Philo et Origenes. Cf. Epiphan., *Anchoratus,* n. 54 (PG 43, 111) et Anast. Sinaïta, *In Hexaëm.*, VII (PG 89, 968). 15 Luc. 23, 43.

ipsius [a] latronis a dextris, cum esset spiritualis, et Christi animae similiter non promittebatur [b] delectatio corporalis, sed spiritualis; ergo nomine paradisi intelligitur locus spiritualis sive intelligibilis.

Sed contrarium videtur *a.* per hoc quod loquitur de plantatione, de arboribus et huiusmodi, quae omnia ad corporalem naturam referuntur; ergo paradisus locus erat corporalis.

b. Ad hoc facit quod dicit Isidorus [c], in libro *Etymologiarum* [1]: « Paradisus est locus in partibus Orientis constitutus, cuius vocabulum ex graeco in latinum vertitur hortus ».

[Solutio]: Respondet Ioannes Damascenus [d 2]: « Mihi videtur quod sicut homo sensibilis simul [e] et intelligibilis conditus est [f], sic et quod homo sacratissimum templum sensibile simul et intelligibile et [g] duplicem habens ostensionem. Corpore enim in [h] divinissima regione et superpulcra, sicut historice diximus, ditatus, anima vero in superiori et incomparabiliter pulcriori loco conversabatur, Deum habens inhabitantem et eum ferens gloriosum operatorium et eius circumamictus gratiam et solo dulcissimo fructu contemplationis lasciviens, velut quidam angelus alius, et hac nutritus, utique lignum vitae digne nominatum est ». Similiter Augustinus, *Super Genesim* [3]: « Tres de paradiso sunt generales sententiae. Una eorum qui tantummodo paradisum corporaliter intelligi volunt; alia eorum qui spiritualiter tantum [i]; alia eorum qui utroque modo paradisum accipiunt: alias corporaliter, alias spiritualiter. Breviter ergo ut dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam, ut homo factus de limo [k], quod utique corpus humanum est [l], in paradiso [m] collocatus intelligatur, ut quemadmodum [n] ipse Adam, etsi aliquid [o] aliud significat secundum id [p] quod eum *formam futuri* dixit esse Apostolus [4], homo tamen in propria natura expressius accipitur, ita et paradisus, in quo eum collocavit Deus, nihil aliud quam locus quidam intelligatur, terra scilicet ubi habitaret homo terrenus ».

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum autem dicendum quod paradisus multipliciter accipitur. Aliter enim accipitur, cum dicitur: *Hodie mecum eris* [q] etc. et cum dicitur: *Plantavit Deus* etc. Paradisus autem in sua generali ratione dicitur: 'ubicumque feliciter vivitur', sicut habetur ex libro Augustini, *Ad Dardanum* [5].

313 ARTICULUS II.

Ad quid homo collocatus fuerit in paradiso.

Deinde quaeritur **I.** de hoc [a] quod Adam primus positus est in paradiso *ut operaretur et custodiret illum* [b 6]. Numquid voluit Deus ut operaretur agriculturam?

Quod non, videtur: 1. Quia post peccatum damnavit ipsum ad laborem, ut habetur Gen. 3, 19: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.*

[Solutio]: Ad quod respondet Augustinus [7], dicens: « Ita sane arbitror [c] nisi videamus quosdam cum tanta voluptate agricolare [d], ut eis magna poena sit ad aliud advocari [e]. Quidquid ergo habet deliciarum agricultura, tunc [f] utique longe amplius erat quando nihil accidebat adversi vel terra [g] vel caelo. Non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis [h], cum ea, quae Deus creaverat, humani operis [i] adiutorio laetius feraciusque provenirent ».

II. Deinde quaeritur de hoc quod sequitur [8]: *Et custodiret illum.* Obicit enim sic Augustinus [9]: « Nullus vicinus metuebatur [k] invasor, sed nullus limitis perturbator, nullus fur, nullus aggressor. Quo modo ergo intellecturi sumus corporalem paradisum potuisse ab [l] homine corporaliter custodiri? » Sed nec ait [m] ut custodiret a bestiis, cum omnes bestiae essent ei subiectae. Praeterea, adducta ei erant animalia ut eis nomina imponeret [10].

[Solutio]: Ad quod respondeo per hoc quod dicit Augustinus in sequentibus, cum dicit [n 11]: « *Posuit eum, ut custodiret* paradisum sibi ipsi, ne

---

[a] Z om.; ST om. *et.* [b] Z *permittebatur,* quod C corr. [c] VST *Augustinus,* quod LC corr. [d] V add. *dicens;* R om. *quod;* ST *responsio* pro *respondet.* [e] V *sic.* [f] Ita V, alii om.; RZ *etiam* pro *et.* [g] L *ut.* [h] V *et.* [i] Ita V, alii om. *alia eorum... tantum.* [k] V om. [l] V om. [m] Ita V, alii add. *autem.* [n] Z add. *et;* V om. *ut.* [o] T *quid.* [p] R om.; T om. *eum.* [q] T add. *in paradiso.* [a] R *dicitur* pro *d. h.* [b] Ita V, alii om. [c] Z *arbitremus.* [d] VT *agriculture.* [e] RZ *vocari.* [f] S om. [g] VST *terre;* Z *in* pro *vel.* [h] V *voluptatis;* C *hilaratio* pro *exhilaratio.* [i] C *corporis;* codd. *veraciusque* pro *feraciusque.* [k] Z add. *et.* [l] RZ add. *omni;* VT *posuisse* pro *potuisse.* [m] VST om.; LC om. *ut.* [n] Ita V, alii *dixit.*

1 Lib. XIV, c. 3, n. 2 (PL 82, 496).
2 *De fide orthod.,* II, c. 11 (PG 94, 915).
3 Lib. VIII, c. 1 (PL 34, 371).
4 Rom. 5, 14.
5 *Epistola* 187, c. 2, n. 6 (PL 33, 831).
6 Gen. 2, 15.
7 *De Gen. ad litt.,* VIII, c. 8, n. 15 (PL 34, 379).
8 Gen. 2, 15.
9 *De Gen. ad litt.,* VIII, c. 10 (PL 34, 380).
10 Cf. Augustin., loc. cit., n. 21 (PL 34, 381).
11 Loc. cit., nn. 22 et 23 (PL 34, 381).

aliquid admitteret[a]. Denique accepit et praeceptum, ut sit per quod sibi custodiat paradisum, id est quo conservato non inde proiciatur. Recte enim quisque dicitur non custodisse rem suam, qui sic egit ut[b] amitteret eam, etiam si alteri salva sit qui eam vel[c] invenit vel accipere meruit. Est alius in iis verbis sensus, quem puto non immerito proponendum: ut ipsum hominem operaretur Deus et custodiret. Sicut enim operatur homo terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam atque fructuosam, sic Deus hominem multo magis, quem[d] ipse creavit ut homo sit, eumque[e] ipse operatur ut iustus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat ».

III. Deinde quaeritur propter quid, sicut dicit Augustinus[1], primo ponitur hic '*Dominus*' secundum translationem Septuaginta; in nostra enim translatione prius ponitur, scilicet ibi[2]: *Formavit igitur Dominus Deus hominem* etc.

[**Solutio**]: Ad quod dicendum quod per[f] hoc datur intelligi quod, cum posuit hominem in paradiso ad custodiendum eum, voluit rationem invenire, per quam posset se custodire, videlicet si maneret[g] sub dominatione Dei et eam sequeretur[h]. Quam cito enim appetiit non esse sub Dei[i] dominatione, tam cito meruit expelli a paradiso, nec operatus est paradisum, sed in sudore et labore[k] etc.

ARTICULUS III. 314

De ornatu paradisi[3].

Quaeritur etiam de ornatu paradisi, in quo positus erat. Dicitur[4] enim quod *Deus produxit de humo omne lignum pulcrum visu* etc. Et per quid fiebat multiplicatio, ostenditur per hoc quod sequitur[5]: *Fluvius egrediebatur* etc. Differentiae autem arborum tres notantur: lignum, quod fuit ad probationem obedientiae, et hoc est lignum scientiae boni et mali; lignum, quod fuit[l] ad sustentationem vitae per nutrimentum, et lignum[m] ad immortalitatem vitae, scilicet lignum vitae, quod erat in medio[n] paradisi. Possunt ergo ad litteram distingui ut unum respiceret[o] sustentationem corporis, alterum immortalitatem coniuncti, tertium[p] ad probationem obedientiae ex parte animae.

Potest autem quaeri de hoc quod dicitur: *Produxitque Deus de humo* etc. Numquid haec productio facta est, cum dictum est[6]: *Germinet terra herbam virentem et lignum faciens fructum?*

Quod videtur: 1. Nam ibi dicitur[7]: *Protulit terra*[q]. Si ergo terra dicitur ibi generaliter, intelligitur de paradiso et ita[r] tertio die fuit haec productio ligni paradisi et multo magis paradisi quam aliorum locorum, cum iste locus deputatus esset homini, si stetisset; non ergo congruebat quod alia pars terrae ornaretur herbis virentibus et lignis facientibus fructum et haec remaneret sine ornatu. Si vero tunc facta est haec productio et iste ornatus, ad quid ergo dicitur: *Produxit Deus de*[s] *humo* etc.?

2. Praeterea, cum herbae virentes sint ad ornatum terrae et in sustentationem vitae, sicut habetur sexto die, propter quid non fit mentio de utroque, sed[t] de altero illorum tantum, scilicet de ligno fructifero?

3. Praeterea, cum fructus non sit tantum delectabilis quoad visum vel gustum, sed quoad olfactum, quare non facit mentionem de delectatione[u] quoad olfactum? — Praeterea, *lignum vitae* positum erat *in medio paradisi*[8]. Nonne et illud erat in nutrimentum? Immo videtur quod tantum lignum istud sufficiebat: nam, cum lignum istud haberet hanc[v] virtutem ut homo in immortalitate corporis animalis conservaretur, non fuit necesse ut lignum aliud adiungeretur ad conservationem vitae.

4. Quaeritur autem propter quoddam verbum, quod habetur[x] in libro *De civitate Dei*[9]: « Tamquam cetera ligna essent alimento, istud esset sacramento ». In hoc enim innuitur quod fructus aliorum cedebant[y] in alimentum, non in sacramentum, fructus autem istius in sacramentum, non in[z] alimentum. Cum ergo fructus ligni vitae

---

[a] Ita RZ, alii *amitteret.* [b] T *nec;* L om. *etiam.* [c] Ita Z (add. interl.), alii om. [d] Z *quam,* quod R corr. [e] ST *enim,* V *sic enim,* LC *cum;* C om. *ipse.* [f] R om. [g] Ita V, alii *maneat.* [h] Ita V, alii *sequatur.* [i] Ita V, alii om. [k] S om. *e. l.* [l] S om. [m] V add. *ad quod fuit.* [n] T om. *i. m.* [o] C add. *ad.* [p] Z *alterum.* [q] V om. [r] T add. *in.* [s] L *in.* [t] S om. [u] L vacat. [v] T om., R *hac;* V om. *in.* [x] Ita V, alii *dicitur;* T add. *Augustinus.* [y] T *cadebant.* [z] Ita VZ (interl.), alii om.

1 Loc. cit., c. 11, n. 24 (PL 34, 382), ubi et sequens *Solutio*, ad sensum.
2 Gen. 2, 7.
3 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 17, c. 6 (p. 386 sq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, dub. 4 (II, 428).
4 Gen. 2, 9.
5 Gen. 2, 10.
6 Gen. 1, 11.
7 Gen. 1, 12.
8 Gen. 2, 9.
9 Lib. XIII, c. 20 (PL 41, 394).

sumebatur, nonne convertebatur in corpus hominis et ita erat alimentum? Aut si non convertebatur in corpus hominis[a], sicut est de medicina, quae tantum est medicina, non cibus, quo modo conservabatur corpus hominis ne veterasceret, si[b] statim in secessum emittebatur nec fiebat aliqua immutatio? — Praeterea, sicut dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei*[1], cum loquitur de paradiso spirituali, quod est Ecclesia, exponens illud Cant.[2]: *Emissiones tuae paradisus* etc., per lignum vitae significatur Christus, per ligna vero fructifera sancti, per lignum scientiae boni et mali liberum voluntatis arbitrium; ergo pari ratione cetera ligna paradisi erant sacramento sicut lignum vitae.

5. Praeterea, lignum vitae numquid habuit hanc vim ut qui gustaret ex eo immortalitatem corporis animalis consequeretur? Tunc homo post peccatum, si sumpsisset de ligno vitae, fieret immortalis. Et hoc videtur per hoc quod dicitur Gen. 3,22: *Videte ne forte sumat de ligno vitae et vivat in aeternum.* — Quod si est, in contrarium est quod in lege data a Domino habebatur[3] quod quocumque die comederet de ligno scientiae boni et mali, morte moreretur, id est subiectus esset mortalitati et ita necessitatem haberet moriendi; non ergo lignum vitae hunc habuit effectum.

6. Praeterea, nonne sic[c] dictum est *lignum scientiae boni et mali*, sicut dictum est *lignum*[d] *vitae*? Sed lignum vitae dicebatur ab effectu; ergo et lignum scientiae[e]; ergo et lignum illud habuit virtutem dandi scientiam. — Contra: Scientia est forma spiritualis; forma autem spiritualis non efficitur ex corpore; ergo[f], cum immortalitas efficeretur ex esu ligni vitae, non similiter accipitur appellatio hic et ibi.

7. Quaeritur propter quid de ligno vitae fuit expressum quod plantatum sit[g] *in medio paradisi*, de aliis autem nihil determinatur nisi[h] quod erant in paradiso?

8. Praeterea, quaeritur de ligno scientiae boni et mali utrum esset in medio paradisi; littera enim[i] ad utrumque videtur se habere. Dicitur enim[4]: *Lignum vitae in medio paradisi lignumque scientiae boni et mali.* Nam si ad proximum fit copulatio, tunc erat in medio paradisi cum ligno vitae; si vero non ad proximum, sed ad remotum, non datur intelligi nisi quod lignum scientiae boni et mali erat in paradiso cum lignis ad esum datis et cum ligno vitae.

Solutio[k]: 1. Ad primum dicendum[5] quod illud[l] dicitur per recapitulationem, ut describatur in quo loco voluptatis sit homo positus, non quod nunc primo facta sit productio ligni paradisi. Unde potest intelligi ut notetur ille modus productionis, quo, mediante humore naturali, Deus mediante natura ligna fructifera producit: et in hoc fit differentia ab illa productione quam fecit[m] Deus condendo ligna fructifera de terra. Et hoc videntur ista duo verba sonare[n] *terra*, sive *arida*, et *humus*. Supra[o] enim dictum est[6]: *Germinet terra herbam virentem*, hic vero dicitur[7]: *Formavit Deus de humo*. Humus enim[p] ab humore dicitur, ut notetur origo multiplicationis secundum modum istum ex[q] humore[8] et tamen differenter tunc et nunc: nunc enim secundum prius et posterius crescunt arbores, tunc autem producebantur ad completam quantitatem, Deo operante; supra autem designatur operatio divina nonnisi de terra materialiter.

2. Ad secundum[r] dicendum quod de herbis virentibus, licet sint ad delectationem visus et gustus, non fit mentio, quia intendit hic tangere illud genus rei, in cuius differentia fuit primo datum praeceptum et consequenter transgressio. Unde primo tangit differentias ligni et unde potuit esse ratio multiplicationis, scilicet ex fluvio paradisi, deinde ad quid collocatus[s] fuit in paradiso. Respiciens praedicta ligna, praeceptum affirmativum respiciebat lignum ad esum et lignum vitae, praeceptum vero negativum lignum scientiae boni et mali. Unde, cum supra concesserit ad esum tam herbas virentes quam fructus lignorum, hic addidit consequenter praeceptum circa fructus ligni, in quo innuitur quod magis aptabatur in cibum hominis a principio fructus ligni quam ipsae herbae, herbae vero magis in cibum animantium irrationalium.

3. Ad tertium dicendum quod de delectabili secundum duplicem sensum fit hic mentio, scilicet secundum visum et gustum: visus enim apprehendit de longe et discernit delectabile in nutrimento, gustus autem de prope sive per immediationem; olfactus enim est quasi consimilium[t] differentiarum cum gustu. — Vel ad praesignandum quod homo non tantum vigere debebat in olfactu, quantum in aliis sensibus[u]. Tactus

---

[a] Ita V, alii om. *i. c. h.* [b] VT *sed*; V *emittebat* pro *emittebatur*. [c] TR *sicut*. [d] ST add. *est*; R *sic* pro *sicut*. [e] Z add. *boni et mali*. [f] T om. [g] T om. [h] S om. *d. n.* [i] RZ *autem*. [k] Ita V, alii om. [l] Ita VT, alii *istud*. [m] Ita S, alii *facit*. [n] V add. *de*. [o] V om. *e. h. s.* [p] C om. [q] V *ab*. [r] Ita V, alii add. *vero*. [s] V *collatus*. [t] V *dissimilium*, L *consilium*. [u] V *sensibilibus*.

1 Loc. cit., c. 21 (PL 41, 395).
2 Cap. 4, 13.
3 Cf. Gen. 2, 17.
4 Gen. 2, 9.
5 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, VIII, c. 3, n. 6 (PL 34, 374).
6 Gen. 1, 11.
7 Gen. 2, 19.
8 Cf. Augustin., loc. cit., V, c. 7, n. 20 (PL 34, 328).

autem, licet ostendat[a] differentias rei nutribilis, non fuit hic enumeratus: sufficiebat enim gustus, qui est quidam tactus, sicut dicit Philosophus[1].

4. Ad quartum dicendum quod lignum vitae, ad hoc specialiter erat, sicut dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei*[2], « ne mors undecumque subreperet vel senectute confecta decursis spatiis temporum interirent[b] ». Nihilominus tamen erat in sacramentum et significationem ligni vitae, de quo dicitur in[c] Prov.[3]: *Lignum vitae est apprehendentibus eam.* — Si vero obicitur quod esset in alimentum, responderi potest[d] quod sicut medicina, in quantum huiusmodi, est ad praeservandum vel curandum, sic huiusmodi lignum fuit ad praeservandum contra defectum qui provenit ex agentibus extra. Nec haec[e] est principalis differentia inter alia ligna et istud quod cetera essent in alimentum, istud in sacramentum, nisi intelligamus quod hoc plus erat in sacramentum, cetera plus in alimentum.

5. Ad illud quod obicitur consequenter, dicendum[4] est quod lignum vitae ad hoc disponebat ut consequeretur immortalitas vitae in Adam sumente; sed hoc non fuit tota causa, sed causa intrinseca fuit vis contentiva ipsius animae quam habuit a Deo vita in statu innocentiae, extrinseca vero fuit esus ligni vitae. — Ad obiectum autem in contrarium dicendum quod, cum dicitur: *Videte ne forte sumat*[f] etc., datur intelligi quod, si[g] sibi subtraxit causam intrinsecam immortalitatis, iustum fuit ut ab eo subtraheretur causa extrinseca immortalitatis.

6. Ad id quod quaeritur de ligno scientiae boni et mali: dicendum[h] quod dictum est sic, quia in esu eius expertus est homo quantum sit malum inobedientiae et per oppositum quantum esset bonum obedientiae[5]; ab eventu ergo nomen accepit. Prius ergo poterat cognoscere bonum obedientiae et per privationem malum inobedientiae per simplicem notitiam, deinde vero cognoscere per poenae[i] experientiam.

7. Ad id quod obicitur de ligno vitae quod positum est *in medio paradisi,* potest dici quod hoc ad litteram congruebat ut ex omni parte facilior esset accessus. Et sicut primum receptivum vitae, scilicet corporalis, positum est in medio hominis sive animalis[k] habentis corpus, sic illud, ex quo accipiebatur vitae uniformitas, esset in medio lignorum nutrimento aptorum. In figura etiam est factum, scilicet ligni[l] vitae spiritualis, quod in medio fuit paradisi, id est[m] Ecclesiae: *Deus* enim *salutem operatus est in medio terrae*[6]; vel adhuc est secundum illud[7]: *Ubi duo vel tres congregati fuerint* etc.

8. Ad hoc quod quaeritur de ligno scientiae boni et mali utrum esset in medio, quia[n] ambigue videtur dicere Scriptura: responsio est[o] per hoc quod dicit Augustinus, in libro *De civitate Dei*[8]: « Adhuc[p] animalia corpora terrena gestabant[9], quae, licet senio non veterascerent, ut necessitate perducerentur ad mortem — qui status eis de ligno vitae, quod in medio paradiso cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia praestabatur — tamen et alios sumebant cibos praeter unam arborem quae fuerat interdicta ».

CAPUT III.

DE MULTIPLICATIONE ANIMANTIUM RATIONALIUM[10].

Dixit *quoque Deus: Non est bonum hominem esse solum*[11] etc.

Ostensa multiplicatione terrae nascentium in paradiso et[q] quoad causam, cum locutus est de fluvio, et quoad finem, cum dicitur[12]: *Ex omni ligno quod est in paradiso* etc., subditur de multiplicatione ex parte animantis rationalis. Et, quia multiplicatio est per simile in specie, hoc autem non inventum fuit in multiplicatione animantium — unde sequitur[13]: *Finxit Deus* etc., ubi nos habemus: *Formatis*[r] *de humo* etc. — sequitur formatio Evae de latere Adae, et in hoc concluditur pars ista quae est de multiplicatione.

---

[a] V *offendat.* [b] V *deterirent.* [c] Ita V, alii om. [d] L *respondeo potest dici* pro *r. p.* [e] V *autem.* [f] R om. [g] V om. [h] R add. *est.* [i] S *plene.* [k] Ita V, alii *animale.* [l] V *lignum.* [m] T *scilicet* pro *i. e.* [n] T *quod.* [o] Z *respondeo* pro *r. e.* [p] T *ad hec.* [q] V om. [r] V *formans.*

1 Aristot., *De anima,* II, c. 9 (III, 456).
2 Lib. XIII, c. 20 (PL 41, 394).
3 Cap. 3, 18.
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 19, dub. 4 et d. 29, dub. 4 (II, 474, 709).
5 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* VIII, c. 6 (PL 34, 377).
6 Psalm. 73, 12.
7 Matth. 18, 20.
8 Lib. XIII, c. 20 (PL 41, 394).
9 Nempe primi homines.
10 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 18, cc. 1-4 (p. 387 sqq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 18, a. 1, qq. 1 et 2 (II, 431 sqq.).
11 Gen. 2, 18.
12 Gen. 2, 16.
13 Gen. 2, 19.

315 ARTICULUS I.

De factione Evae [1].

Potest autem quaeri secundum [a] ordinem 1. primo propter quid dictum est: *Non est bonum hominem esse solum*, cum iam dixerit [2]: *Masculum et feminam creavit eos.*

2. Praeterea, nonne ratio speciei bene salvata esset [b] in illo solo, si [c] stetisset in immortalitate?

3. Praeterea, si oportuit multiplicationem fieri, quare non fuit facta ad modum quo multiplicatio [d] facta est in angelis, ut fierent duo mares a Deo vel plures sicut facti sunt angeli? Aeque enim participarent gloriam Dei, ad quam creati essent.

4. Item, quaeritur [e] quare non fecit virum de mare, sicut feminam de viro, et sic consequenter.

5. Item, si congruit facere masculum et feminam, quare feminam fecit de viro et non de limo terrae, sicut Adam? cum in hoc notaretur magis humiliatio hominis ex parte originis secundum materiam.

6. Si vero oportuit fieri [f] de aliqua parte viri, quare de latere plus quam de alia parte, cum sint nobiliores partes in homine et minus nobiles?

7. Si vero [g] de latere viri, cum sint partes aliae consimiles quam os et caro [h], os autem factum est ex osse, caro ex carne, unde ergo nervus [i] vel cartilago et ita de aliis partibus [k] consimilibus?

8. Item, cum sint partes officiales plurimae et partes consimiles dicuntur fieri secundum quamdam similitudinem, propter quid non partes officiales? Ex latere enim factus est pes, facta est manus et ita de aliis partibus officialibus sive organicis [l].

De modo autem formationis quaeritur utrum ministerio alicuius vel aliquorum Dominus operatus fuerit [3].

Iis autem [m] habitis procedendum est ad alia quae dicuntur de aliis animantibus.

Respondeo [n]: 1. Ad primum dicendum quod illud quod dicitur de masculo et femina, per anticipationem dictum est, non quia tunc simul facti [o] sint in operibus sex dierum, sed ut ostenderetur quod tam masculus quam femina, cum condebantur, ad imaginem Dei condebantur, quam imaginem non accipiebat mulier a viro, sed uterque a Deo, secundum spiritum, qui a Deo conditus est [4]. Videtur etiam [p] dicere Augustinus [5] de homine condito in operibus sex dierum quod « in illa prima conditione mundi, cum Deus omnia creavit [q] simul, homo factus est, qui esset futurus, ratio creandi hominis, non actio creati ». Et sequitur [r] [6]: « Aliter erant in mundi elementis, ubi omnia simul facta futura sunt, aliter in rebus quae secundum causas simul creatas, non iam simul, sed suo tempore creentur, ex [s] quibus Adam, cum formatus est ex limo et flatu Dei [t] animatus ».

2. Ad secundum dicendum quod, licet ratio speciei sufficienter possit salvari in uno homine immortalitatem habente, non tamen consecutus esset finis ultimus, propter quem condidit Deus hominem; ergo sicut si [u] esset unus solus angelus, posset participare gloriam, sed non sic glorificaretur divina potentia in uno participante sicut in multis. Si etiam loquamur pro statu angelorum post casum, congruebat ut esset multitudo hominum ad reparationem multitudinis [v] ruinae angelicae [7].

3. Ad aliud [x] dicendum quod non fuit facta multiplicatio ad modum multiplicationis in angelis, ut fieret multitudo [y] in masculino sexu a Deo, ita quod nullus ab alio: in hoc enim non ostenderetur homo conditus ad imaginem Trinitatis. In Trinitate enim persona una est ab altera et persona Spiritus Sancti ab utraque persona, scilicet Patris et Filii: unde ordo naturae ostenditur, sicut dicit Augustinus [8]; quod non fieret in homine, si omnes homines immediate conditi essent a Deo. Ut ergo significetur quod homo conditus est ad imaginem Trinitatis, recte dicitur multiplicatio in genere hominum ut unus sit ex alio et sic deinceps.

4. Ad id quod obicitur quod 'sicut femina formatur ex viro, sic posset [z] vir ex viro formari, si Deo placuisset et sic fieri multiplicatio secundum prius et posterius': respondeo quod, si sic

---

[a] RLCZ *per.* [b] TC *est.* [c] L *in;* S om. *in.* [d] T add. *est.* [e] Ita VT, alii om. [f] Ita V, alii om. [g] C *ergo.* [h] T om. *e. c.* [i] VT *vermis.* [k] C add. *et* [l] RZ *organis.* [m] Ita V, alii *enim.* [n] Ita V, alii om. [o] Ita V, alii *facte.* [p] R *autem.* [q] R add. *ut.* [r] V *sic.* [s] Z *in.* [t] Ita Z (corr.), alii *dicitur.* [u] Ita V, STRZ om.; LC om. *sicut.* [v] VRZ *multiplicationis.* [x] S *secundum.* [y] Z *multiplicatio.* [z] Ita V, alii add. *enim.*

1 Cf. supra, num. 227.
2 Gen. 1, 27.
3 Cf. infra, num. 316, IV.
4 Cf. supra, num. 302; Augustin., *De Gen. ad litt.*, III, c. 22 (PL 34, 294).
5 Loc. cit., VI, c. 9, n. 16 (PL 34, 346).
6 Loc. cit., c. 10 (PL 34, 346).
7 Cf. supra, num. 115.
8 Cf. *Contra Maximin.*, II, c. 14, n. 8 (PL 42, 775); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 320-327.

fieret, ordo naturae in parte ostenderetur, quoad hoc scilicet quod unus esset ab alio, sed non ostenderetur quod tertius ex duobus. Ut ergo totum servetur, mulier est ex viro, ex viro autem et muliere tertia procedit persona. Sed hoc advertendum est quod per quamdam antithesim est in creatura, secundum quod est in Creatore. In creatura enim [a] secunda persona procedit a prima non secundum generationem, tertia vero procedit secundum generationem ex utraque [b]; in divinis autem persona Filii procedit a Patre per generationem, persona Spiritus Sancti procedit a Patre et Filio non per generationem [1]. Et ratio huius videtur esse, quia [c] creatura deficit a Creatore: generatio enim est in creatura secundum [d] decisionem partis substantiae, in divinis vero est secundum totam substantiam [2], et ideo prima processio in divinis fuit generatio, secunda vero fuit [e] in humanis ut de parte utriusque fieret generatio, scilicet naturalis, mirabilis vero de parte substantiae alterius, sicut fuit Christus homo de B. Virgine, ut sic compleretur ordo secundum generationem de tota substantia: Filius a Patre in divinis, de parte [f] substantiae matris Christus homo de B. Virgine, de parte substantiae utriusque homo qui est naturaliter per generationem. In homine, qui tantum est homo, mirabilis productio praecedit [g] naturalem: mirabilis enim fuit illa quae fuit Evae de costa Adae; naturalis [h] Abel ab utroque. In Christo vero Deo et homine naturalis praecessit mirabilem [i]: nam Filius est a Patre secundum naturam, a Matre vero modo mirabili.

5. Ad id vero quod obicitur quod 'mulier fieri deberet potius de limo quam de aliqua parte viri': respondeo quod non ita convenienter. Facta enim [k] est de parte viri, ut ostenderetur quod sicut originem sumpsit ex [l] viro, ita debeat esse viro subdita [m] secundum conditionem naturae [3].

6. Ad id quod quaeritur 'quare de latere potius quam de alia parte': dicendum quod in hoc innuitur quod non tantum est subiectio mulieris ad virum, sed etiam quaedam paritas innuitur; solemus enim dicere quod est iuxta latus, in quantum huiusmodi, paritatem habere quamdam. Et dicit Augustinus [4]: « Propter coniunctionis ipsius vim commendandam hoc factum esse credamus ».

7. Ad hoc quod obicitur [n] 'quare caro de carne, et [o] os de osse, et non sic dicitur nervus de nervo et sic de aliis', respondeo: videtur [p] quod in latere sunt illa duo manifeste, et haec sunt quasi extrema partium consimilium: os tamquam fundamentum machinae humanae, caro cum cute aliud extremum; et in iis erat possibilitas materialis ad omnia fienda, non secundum [q] modum naturalem generationis, sed divinae formationis.

8. Ad id vero quod obicitur de partibus officialibus, dicendum [r] quod sicut os et caro habuerunt possibilitatem ut ex illis fierent aliae partes operatione divina, sic costa possibilitatem habuit [s] respectu aliarum partium officialium. Iste enim modus non fuit producendi simile ex simili, sed indifferenter simile membrum ex simili et dissimile ex dissimili.

ARTICULUS II. 316

De modo quo Deus fecit Evam.

Sed adhuc posset esse quaestio I. quare de Adam dormiente facta est mulier [t].

[Solutio]: Ad hoc respondet Augustinus, *Super Psalterium* [5], dicens quod dormiente Adam facta est [u] Eva de latere, et dormiente Christo de aqua et sanguine, quae de latere profluxerunt, profluxerunt [v] sacramenta, quibus formata est Ecclesia, quae per Evam significatur [x]: aqua in ablutionem, sanguis in redemptionem.

II. Sed quid est quod dicitur [6] quod pro costa *replevit carnem*? Quare non replevit costam pro costa?

[Solutio]: Ad quod dicendum quod in hoc notari poterat teneritudo compassionis quam habet vir ad mulierem, ut carnalis fiat per compassionem mulieris.

III. Quaestio est quare dictum est [7]: *Aedificavit*

---

[a] C om. [b] V add. *parte.* [c] V *quod.* [d] C *per.* [e] Ita V, alii om. [f] C *patre.* [g] VSTL *procedit.* [h] S *naturaliter.* [i] STZ *mirabile.* [k] C om. [l] Z *a.* [m] Ita S, alii om. [n] Ita V, alii *obicit.* [o] STLC *vel.* [p] T om. [q] T om. [r] Ita V, alii add. *est.* [s] R om. [t] T om. *sed adhuc... mulier.* [u] S om. [v] S om., R exp. [x] TRZ *significantur.*

1 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 295 sqq.
2 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 300.
3 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 18, c. 2 (p. 388).
4 *De Gen. ad litt.*, IX, c. 13 (PL 34, 402); cf. *De bono coniug.*, c. 1 (PL 40, 373).
5 *Enarr. in Psalm. 56*, n. 11, *in Psalm. 40*, n. 10 (PL 36, 668, 461) et *in Psalm. 103*, n. 6 (PL 37, 1381); cf. Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, cc. 35-36 (PL 176, 284).
6 Gen. 2, 21.
7 Gen. 2, 22.

Deus costam, cum de homine dictum est[1]: *Formavit Deus hominem de limo terrae.*

[Solutio]: Ad quod dicendum quod de homine dictum est: *Formavit Deus hominem de limo terrae,* quia, cum [a] esset limus, nondum venerat ad formam corporis humani vel in parte vel in toto; cum autem iam erat costa, iam aliquid formae corporis humani habebat, sed quasi aedificium parabatur a summo Artifice: pedes enim quasi rationem fundamenti tenent, costae quasi [b] latera aedificii sunt, caput vero gerit vicem tecti. Et succedit haec operatio, quae facta est de costa, illi quae fit ex limo, quarum utraque est a Deo immediate. Operatio artificis in artificialibus superadditur operationi naturae[2]: primo enim naturaliter producitur lignum et formatur, secundo ex lignis domus aedificatur. Quodam modo ergo [c] est similitudo, licet ex alia parte sit dissimilitudo.

IV. Deinde quaeritur de hoc quod dicitur[3]: *Aedificavit Deus.* Numquid Artifex summus fecit hoc mediantibus ministris aut per se ipsum?

[Solutio]: Ad quod respondet Augustinus, *Super Genesim,* IX, ita dicens[4]: « Quale ministerium Deo exhibuerunt angeli in illa mulieris formatione, quis audeat affirmare? Certissime tamen [d] dixerim supplementum illud carnis in costae locum ipsiusque feminae corpus et animam conformationemque membrorum, omnia viscera, sensus omnes et quidquid erat quo illa et creatura et homo et femina erat, nonnisi in illo opere Dei factum, quod Deus non per angelos, sed per se ipsum operatus est ».

CAPUT IV.

DE MULTIPLICATIONE ANIMANTIUM IRRATIONALIUM.

Ostensa multiplicatione ex parte hominis, additur multiplicatio facta ex parte animantium irrationalium, cum dicitur[5]: *Formatis de humo* etc. et alia translatio[6] habet: *Finxit Deus de humo,* et utrobique notatur nominum impositio et adductio eorum quibus nomen imponebatur.

317

ARTICULUS I.

De factione volatilium.

Sed quaeritur **I.** de hoc quod modo dicit volatilia formata de humo, supra vero in operibus quinti diei dictum est[7] quod *producant aquae reptile et volatile super terram.* Numquid haec est una productio differens ab illa, ut prima fieret de aquis, secunda fieret [e] de humo? Si vero productio elementati [f] facta est ex elementis nec fuit ibi aqua tantum nec terra tantum, sed aqua commixta terrae et e converso, et hoc nomine humi designatur, tunc ad minus quaeritur propter quid ibi plus nominavit aquam, hic vero plus nominavit [g] terram, humus vero est terra madefacta.

[Solutio]: Ad quod videtur dicendum[8] quod volatilia quaedam respiciunt naturam mediam, scilicet quae communis est aëri et aquae, ad nutrimentum acquirendum, sicut aves aquaticae, et quae in aëre pascuntur, ut hirundines; quaedam vero respiciunt naturam ultimam, scilicet terram, ad nutrimentum obtinendum: ex quo designatur quod, licet ex utraque [h] componantur, tamen plus aliquando respiciunt hoc principium, aliquando illud. Praeterea, aqua ex parte qua convenit cum aëre, magis fuit principium motus localis in eis, ex parte vero qua convenientiam habet cum terra, ut humus dicatur terra aquosa, magis fuit principium motus nutrimentalis; ideo dupliciter tetigit originem, ibi dicendo [i]: *Producant aquae* etc., hic vero: *Formatis de humo* etc.

II. Secundo quaeritur quare non est facta mentio de piscibus sicut de volatilibus.

Respondeo: Pisces ex aquis originem ducunt et in eis conservantur, volatilia autem, etsi [k] ex aquis originem duxerint, nunc amplius in terra vel super terram vitam ducunt et habitationem habent in arboribus vel super terram, quae scilicet arbores ad terram referuntur.

I. Respondet tamen Augustinus[9] quaestioni factae de volatilibus, sub distinctione [l], dicens uno modo quod humus non refertur ad utrumque,

---

[a] Z *dum.* [b] VCZ *enim.* [c] T om. [d] VR *cum.* [e] C om. [f] V *elementari.* [g] T om. *a. h. v. p. n.* [h] Ita VS, alii *utroque.* [i] S *ducendo.* [k] S *et.* [l] Ita VC, alii *disiunctione.*

1 Gen. 2, 7. 2 Cf. Aristot., *Phys.,* II, c. 8 (II, 271).
3 Gen. 2, 22.
4 Cap. 15, n. 28 (PL 34, 404); cf. Lombard., II *Sent.,* d. 18, c. 4 (p. 389).
5 Gen. 2, 19. 6 Scilicet Septuaginta.
7 Gen. 1, 20; cf. supra, num. 292-293, I.
8 Cf. S. Bonav., II, *Sent.,* d. 15, dub. 1 (II, 388sq.).
9 *De Gen. ad litt.,* IX, c. 1, n. 2 (PL 34, 393sq.).

ad[a] animantia scilicet terrae et volatilia, sed tantum ad alterum, alio vero modo ad utrumque. Cuius sunt haec verba: « Si quem[b] vero movet quare non dixit 'finxit Deus de terra omnes bestias agri et de aquis omnia volatilia caeli', videat duobus modis esse intelligendum: aut tacuisse nunc unde finxerit volatilia caeli, quia et[c] tacitum posset occurrere, ut non de[d] terra utrumque accipiatur Deum finxisse, sed tantummodo bestias agri, et volatilia caeli, etiam tacente Scriptura, intelligamus unde finxerit, velut qui sciamus in prima causalium rationum conditione ex aquis ea esse producta, aut terram universaliter sic[e] appellatam simul cum aquis, sicut appellata est in illo Psalmo[1], ubi caelestium laudibus terminatis[f] ad terram facta est conversio sermonis et dictum: *Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi* etc.[g] nec postea dictum est 'laudate Dominum de aquis' ».

II. Ad secundum[h] dicit quod tunc nomina imposita erant volatilibus, piscibus vero, secundum genera sua cognitis, successive nomina imposuisse, et ideo non fecit ibi mentionem de piscibus. Unde dicit Augustinus[2]: « Credendum est paulatim cognitis piscium generibus, nomina imposita, tunc autem pecoribus, cum pecora et bestiae et volatilia ad hominem adducta sunt, ut eis ad se congregatis gradatimque distinctis nomina imponeret[i], quibus etiam ipsis paulatim et[k] multo citius quam piscibus, si hoc factum non esset, posset nomina imponere ».

ARTICULUS II. 318

De adductione animalium ad Adam.

Deinde quaeritur de hoc quod dicitur[3]: *Et adduxit ea Dominus ad Adam.*

Numquid enim adducta sunt volatilia aut gressibilia, sicut venator adducit ad retia? Numquid hoc fecit aliquorum ministerio aut sola voce iussionis? Voce iussionis[l] non videtur, cum non habeant[m] huiusmodi animalia intellectum[n] ad percipiendum. Ministerio etiam non videtur: neque enim hominum, cum nondum adhuc esset multiplicatio; neque ministerio aliorum animantium: quorum enim ministerio tunc haec adducta essent?

[Solutio]: Ad quod videtur Augustinus[4] dicere: « Bestiae vel aves in suo genere obtemperant Deo, non rationali voluntatis arbitrio, sed sicut movet ille omnia temporibus opportunis, non ipse temporaliter motus, per angelica ministeria, quae capiunt in verbo eius quid quo tempore fieri debeat et, illo non temporaliter[o] moto, moventur ipsa temporaliter, ut in iis, quae sibi[p] subiecta sunt, iussa eius efficiant. Omnis enim anima viva[q], non solum rationalis sicut in hominibus, verum etiam irrationalis, sicut in pecoribus et volatilibus, visis[r] movetur; sed anima rationalis voluntatis arbitrio vel consentit visis vel non consentit[s], irrationalis autem non habet hoc iudicium, pro suo tamen genere atque natura [viso] aliquo tacta propellitur ».

Sed secundum hoc posset obici de piscibus, qui similiter obediunt. Quare ergo non dicitur[t] quod adduxit eos Deus[u]?

Ad hoc[v] dicendum quod in hoc innuitur[x] quod quaedam sunt animalia adducibilia ad hominem existentem super terram, sicut sunt volatilia et bestiae terrae, quae possunt vivere et conservari in terra; quaedam vero non, sicut pisces. Unde ex hoc colligitur quod haec adductio fuit localis, non tantum spiritualis, ut praesentarentur[y] intellectui suo; secundum hoc enim adductio posset fieri piscium sicut bestiarum aut volatilium: poterant enim praesentari cognitioni humanae haec sicut illa.

ARTICULUS III. 319

De nominibus quae Adam animalibus imposuit.

Praeterea, quaeritur I. de hoc quod dicitur[5]: *Omne quod vocavit Adam nomen animae viventis, ipsum est nomen eius.*

1. Non enim videtur hoc verum, immo multa est facta mutatio illorum nominum secundum diversitatem gentium, sicut apud nos apparet: quidam

---

[a] V *sed.* [b] L om. [c] V om., L *ad;* R *tactum* pro *tacitum;* C om. *caeli.* [d] V om. [e] V *sumet,* T *se.* [f] Ita VR (corr.), alii *terminans.* [g] RZ om.; V *et* pro *nec.* [h] Ita, V, alii add. *vero;* T *nunc* pro *tunc.* [i] R *poneret.* [k] RLCZ *est.* [l] L om. *v. i.* [m] V *haberent.* [n] V *intelligentiam.* [o] RLC *intemporaliter* pro *n. t.* [p] R om. [q] R *una.* [r] Codd. *iussis,* item infra. [s] S om. *v. v. n. c.* [t] Z *dixit.* [u] R *eosdem* pro *e. D.* [v] Z *quod.* [x] V *innueretur.* [y] Ita V, alii *presentaretur.*

1 Psalm. 148, 7.
2 Loc. cit., c. 12, n. 20 (PL 34, 401).
3 Gen. 2, 19.
4 Loc. cit., c. 14 (PL 34, 402).
5 Gen. 2, 19.

enim uno modo vocabulis propriis designant, quidam vero aliis.

[Solutio]: 1. Ad quod videtur respondere Augustinus[1] dicens quod, etsi modo facta sit mutatio apud eos qui fuerunt in divisione linguarum, tamen in primaria lingua, quae fuit apud omnes, haec nominum impositio potuit remansisse. — Vel aliter dicendum quod 'Adam' idem dicit quod 'homo', et secundum hoc est sensus: sicut homo vocavit[a], sic est nomen animantis, ut notetur quod hominis est imponere nomina. Unde Augustinus[2]: « Si linguae humanae consulantur[b], sic appellantur haec omnia quemadmodum eis homines loquendo[c] nomina posuerunt. Non solum haec quae sunt in aquis et terris, verum etiam ipsa aqua et caelum et terra et[d] quae videntur in caelo et quae non videntur, sed[e] creduntur, pro diversitate linguarum gentilium diversis nominibus appellantur. Unam sane linguam primitus fuisse didicimus, antequam superbia turris illius post diluvium fabricatae in diversos signorum sonos humanam divideret[f] societatem[3]. Quaecumque autem illa lingua fuerit, quid attinet quaerere? Illa certe tunc loquebatur Adam, et in ea lingua, si adhuc usque permanet, sunt voces articulatae, quibus primus homo animalibus, volatilibus et terrestribus nomina imposuit[4] ».

II. Potest etiam quaeri[g] quare dixerit hic nomina fuisse imposita viventibus[h], quare non herbis et arboribus, cum et haec nomina habeant et nominibus indiguerint ad designandum affectum et[i] communicandum intellectum.

Respondeo: Videtur[k] quod, licet iis sint modo nomina imposita, tamen[l] non dicitur de illis, ut notetur[m] quod non per se essent mobilia, ut se possent ei praesentare, sed radicitus terrae affixa: unde[n] per accessum hominis ad ipsa successive fiebat nominum impositio.

---

[a] T *notavit.* [b] V *consolantur.* [c] V om. [d] S om. [e] T add. *que.* [f] LC (correcti) *dividerent.* [g] V om. [h] Ita V, Z *viventis* alii *viventi.* [i] S om. [k] R om.; V om. *modo.* [l] Codd. *tunc.* [m] T *vocetur.* [n] T add. *enim.*

1 Cf. *De Gen. ad litt.*, IX, c. 12, n. 20 (PL 34, 400 sq.).
2 Loc. cit.
3 Cf. Gen. 11, 1-8.
4 Cf. Chrysostom., *In Gen.*, hom. 14, n. 5 (PG 53, 117).

INQUISITIO QUARTA

DE HOMINE

TRACTATUS PRIMUS

DE ANIMA RATIONALI

SECTIO I. — De anima secundum substantiam.

Adiuvante gratia Iesu Christi, post considerationem spiritualis substantiae, scilicet angeli, et corporalis, quae per caelum et terram designatur secundum unam expositionem [1], procedendum est ad considerationem hominis, qui est substantia composita ex spirituali sive intellectuali substantia, scilicet anima, et corpore.

Primo ergo dicendum est de anima, quia plus pertinet ad considerationem theologicam;

deinde, de corpore aliqua sunt dicenda, quantum ad hoc quod subiacet eidem speculationi;

tertio, de coniuncto.

De anima vero prima consideratio respicit substantiam sive essentiam eius;

secunda [a] vires eius et actus: hoc enim totum ad naturam animae refertur.

Circa substantiam autem animae quadruplex est consideratio:

Prima, an sit;

secunda, quid sit;

tertia, propter quid sit vel fiat;

quarta, quid insit.

Hoc est de entitate, quidditate [b], causalitate, essentiali proprietate sive dispositione. Dico autem essentiale secundo modo, non primo: hoc enim refertur ad quidditatem vel causalitatem [2].

---

[a] T add. *vero*. [b] L add. *et*.

[1] Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, I, c. 1, n. 2 (PL 34, 247). | [2] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 175, *Solutio*.

QUAESTIO I.

DE ANIMA SECUNDUM ENTITATEM ET QUIDDITATEM.

320

CAPUT I.

AN SIT ANIMA RATIONALIS.

Quod autem sit anima rationalis, de qua principaliter intendimus, scilicet anima hominis, accipitur ex actibus manifestis.

a. Actus enim praevii [a] sunt secundum rationem potentiis [1], potentiae vero ipsi essentiae. Ratiocinari enim, discernere verum a falso et bonum a malo, artes invenire et interpretari, libere velle et huiusmodi indicant aliquod [b] esse principium in homine quod non est in aliis [c] animantibus vel vitam habentibus.

b. Figura etiam corporis indicium est quod differens est forma quae perficit corpus humanum. Cum enim alia corpora animalium sint inclinata ad terram naturaliter, corpus humanum est [d] naturaliter erectum ad caelum: ex quo indicatur principium formale esse intrinsecum, quod ad superiora et caelestia ordinatur; hoc autem est anima rationalis sola comparatione aliarum; ergo anima rationalis est.

c. Ex ipsa etiam differentia membrorum hoc deprehenditur [e]: ex lingua, quae est instrumentum locutionis [2], ex [f] manu, quae est organum organorum [3], et huiusmodi. Unde Gregorius Nyssenus [4]: « Quod vero rectus est hominis habitus et ad caelum sese sustollens sursumque respiciens, et haec dona esse certissimum est, approbantia regiam potestatem. Denique quod solus ita formatus est ceterorumque omnium [g] prona sunt corpora et in deorsum proclivius inclinata, manifesta [h] differentia honoris eius ostenditur, dum constet illa quidem huius esse subiecta potentiae, hunc [i] autem supereminentis existere dignitatis. Nam aliis quidem omnibus anteriora membra corporis pedes sunt, in hominis autem [k] conditione haec membra manus effecta [l] sunt, quia rectitudini eius habitus unus egressus videbatur esse sufficiens, qui geminis pedibus standi constantiam cauta [m] provisione firmaret. Alias quoque ad usum rationis officia manus aptata sunt. Et si quis rationali naturae ministerium manuum proprium quid esse dixerit, minime delinquet: non solum enim ad hoc quod commune et promptum est intelligentiae nostrae respicio, quod scilicet litteris manus administratione signamus. Et quidem nec ista gratia rationalis impar est dignitatis quod litteris quidem loqui possumus et manibus [n] disputamus, in elementorum figuris nostrum reponentes eloquium ».

d. Ex ipsa etiam distinctione corporis secundum dexteram et sinistram [o], ante et retro, sursum et deorsum in corpore humano deprehenditur motor interior, qui est perfectio esse intellectualis: solum enim caelum et [p] corpus humanum habet hanc dispositionem [5]; unde utrumque [q] corpus habet motorem intellectualem sive rationalem.

e. Ex [r] ipsa etiam notitia naturali, qua nihil novit tantum quantum Deum esse et se, sicut dicit Augustinus [6], colligitur ipsam esse.

321

CAPUT II.

QUID SIT ANIMA SECUNDUM DEFINITIONEM [7].

Quo supposito, consequenter procedendum est [s] ad quidditatem sive definitionem. Sed quia definitionum eius quaedam pertinent ad aliam scientiam, quantum conveniunt huic scientiae disserendum est.

I. Definitur autem comparatione ad causam efficientem, cum dicitur [8]: « Anima est deiforme *spiraculum vitae* », et hoc accipitur ex eo [t] quod dicitur Gen. 2, 7: *Inspiravit in ipsum Deus spiraculum vitae.*

---

[a] VST *primi*; V *insunt* pro *sunt*. [b] V *aliud*. [c] Ita V, alii om. [d] T om. [e] Z *reprehenditur*. [f] Ita V, alii om. [g] Z *omnia*. [h] Ita VLC (corr.), alii *manifestata*. [i] RLZ *habent*. [k] V *vero*. [l] Ita Z, alii *effecte*. [m] RZ *tanta*. [n] Z *quibus*. [o] STL *dextrum et sinistrum* pro *d. e. s.* [p] V add. *terram*. [q] V *utrum*. [r] L *et*; V om. *etiam*. [s] T om. [t] C *hoc*.

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 569).
2 Cf. Aristot., *De animal. histor.*, IV, c. 9 (III, 71).
3 Cf. Aristot., *De partib. animal.*, IV, c. 10 (III, 290).
4 *De hom. opif.*, c. 8 (PG 44, 143).
5 Cf. Aristot., *De caelo*, II, c. 2 (II, 391); *De animal. incessu*, c. 4 (III, 306); supra, num. 291, III.
6 Cf. *De Gen. ad litt.*, VII, c. 21, n. 28 (PL 34, 366); *De Trinit.*, VIII, c. 6, n. 9 (PL 42, 953).
7 Cf. S. Bonav., *Breviloq.*, p. 2, c. 9 (V, 226b).
8 Cf. *De spiritu et anima*, c. 42 (inter opp. Augustini PL 40, 811); Augustin., *De Gen. ad litt.*, VII, cc. 1-3 (PL 34, 355sq.).

II. Definitur etiam in[a] comparatione ad corpus quod suscipit ipsam. Unde Augustinus, in libro[b] *De anima et spiritu*[1]: « Anima est substantia quaedam rationis particeps, regendo corpori accommodata ».

III. Definitur etiam[c] respectu utriusque a Cassiodoro[2], cum dicitur: « Anima est substantia spiritualis a Deo creata, propria sui corporis vivificatrix ».

IV. Definitur etiam comparatione ad suum finem, cum dicit Seneca[d][3]: « Anima est spiritus intellectualis, ad beatitudinem in se et in[e] corpore ordinatus ».

V. Definitur etiam comparatione ad vires, quibus agit in corpore, cum dicitur[4]: « Anima est spiritus intellectualis, rationalis, semper vivens, semper in motu, bonae malaeque voluntatis capax ». Haec autem definitio est[f] in libro *De anima et spiritu*[5], et consonat cum quadam ratione Ioannis Damasceni quae haec tangit.

VI. Definitur etiam[g] secundum quamdam convenientiam eius ad omne, secundum quod dicitur[6]: « Anima est omnium similitudo ». Quam[h] exponit Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[7], cum dicit: « Habet enim vires, quibus omnia comprehendit sive investigat et omnibus similis existit, cum sit una: similis est terrae per sensum, aquae per imaginationem[i], aëri per rationem, firmamento per intellectum, caelorum caelo per intelligentiam; similis est lapidibus per essentiam, arboribus per vitam, animalibus per sensum et imaginationem, hominibus per rationem, angelis per intellectum, Deo per intelligentiam ».

VII. Definitur etiam in quantum est separabilis a corpore[8]: « Anima est substantia spiritualis, simplex et indissolubilis, incorporea, passibilis ».

Contra[k] **istas definitiones posset obici** ad explanationem illarum.

I. Nam cum dicitur « deiforme » etc., nonne hoc totum posset convenire angelo? Deiformis enim est et spiratur a Domino[l] secundum rationem vitae.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod[m] « deiforme » dicitur ad differentiam animae irrationalis; « *spiraculum vitae* » dicitur ad differentiam[n] angeli: angelus enim, etsi spiratur a Deo ut vita, non tamen est *spiraculum vitae* corporis, et hoc modo intelligitur in definitione animae et distinguit[o] ab angelo[9].

II. Similiter potest[p] obici contra illam definitionem: « Anima est substantia incorporea » etc. Dicitur enim contrarium, ut videtur[q], in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*[10]: « Solus Deus est incorporeus, creaturas autem alias[r] dicimus corporeas ».

Respondeo: Corporeum dicitur dupliciter: vel absolute vel ratione alicuius conditionis sive respective. Si absolute, secundum hoc non est anima hominis corporea, immo incorporea; dicitur tamen corporea, quia aliquam habet circumscriptionem vel definitionem localem comparatione ad Deum, qui omnino[s] incircumscriptus est[11]. In hoc ergo quod dicitur « substantia », differt ab accidente; in hoc autem[t] quod « incorporea » dicitur, ab essentia[u] corporis quod habet trinam dimensionem; in hoc autem quod est « rationis particeps », differt ab irrationali; in hoc autem[v] quod est « regendo corpori accommodata », differt ab angelo, qui dicitur[12] substantia incorporea, rationis particeps, sed non regendo corpori accommodatur.

Sed obicitur: Nonne, cum angelus assumit corpus, regit illud? Ergo accommodatur corpori regendo; ergo [anima] non differt secundum hanc rationem ab angelo. — Respondeo quod est regere corpus dupliciter: vel ut per illud moveatur, et sic etiam convenit angelo ut[x] regat corpus[13]; vel ut per illud vivificetur, et sic convenit animae: ex hoc enim dicta est anima, quia corpus vivificat; non sic dicitur angelus.

Restat ad explanationem istius[y] definitionis ostendere animam esse substantiam et incorpoream.

Quod autem sit substantia, non tantum ut forma substantialis, sed ut quid ens in se[14], praeter hoc quod est actus corporis, ostenditur. *a*. Omne enim movens alterum per se distinctum

---

[a] S om. [b] Ita V, alii om. *i. l.* [c] VT *autem.* [d] Z *a Seneca cum dicit* pro *c. d. S.* [e] S om. [f] Z add. *intellectualis.* [g] L om. [h] R *secundum quod.* [i] VSTL *imaginem,* quod C corr. [k] Ita V, alii *circa.* [l] RZ *Deo.* [m] RZ om. [n] V om. *animae... differentiam;* S om. *spiraculum... angeli.* [o] R *distinguitur.* [p] C *posset;* STRLC *circa* pro *contra.* [q] Z *habetur.* [r] Z add. *omnes.* [s] T *omnia.* [t] V om. [u] LC (correcti) *ad differentiam* pro *a. e.* [v] V om. [x] L (interl.) C add. *sic.* [y] RZ *ipsius.*

1 Cap. 1 (inter opp. Augustini PL 40, 781); cf. Augustin., *De quantitate animae*, c. 13, n. 22 (PL, 32, 1048).
2 *De anima*, c. 2 (PL 70, 1283).
3 « Colligitur autem hec diffinitio a Seneca in quadam epistola », ut ait Phil. Grev., *Summa*, II (f. 34a). Cf. Seneca, *Epist.* 98, 2; Schneider, *Die Psychologie Alberts des Grossen*, p. II, in *Beitr. Baeumker*, IV, fasc. 6, p. 369, nota 3.
4 Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 12 (PG 94, 923); cf. Alcuinus, *De animae ratione*, c. 10 (PL 101, 643 sq.).
5 Cap. 8 (inter opp. Augustini PL 40, 784).
6 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 8 (III, 470).
7 Cap. 6 (PL 40, 783).
8 *De spir. et anima*, c. 24 (inter opp. Augustini PL 40, 796); cf. Damasc., loc. cit.
9 Cf. supra, num. 112.
10 Capp. 11-12 (PL 58, 984), ad sensum; cf. Damasc., loc. cit. (PG 94, 919).
11 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 38 et 39.
12 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 866).
13 Cf. supra, num. 187 et 188.
14 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, a. 2, q. 3, *ad 3* (II, 82).

est per essentiam ab illo[1]. Nam si non esset motum[a] per essentiam distinctum, se ipsum moveret: quod est impossibile, eo quod movens est actu, mobile vero in potentia respectu[b] ipsius[2]. Restat ergo quod movens per se est distinctum per essentiam a mobili; sed anima movet corpus; ergo est distincta per essentiam a corpore; ergo est substantia praeter substantiam corporis. — Forte diceret aliquis quod movens non exigit distinctionem a moto secundum essentiam, sed qualem habet forma respectu materiae. — Contra: Forma nullum habet actum nisi in materia[3]; et movens aliquem habet actum praeter id quod movetur; ergo non est tantum forma materiae. Et hoc patet per exemplum: igneitas enim non movet materiam cuius est actus, sed materiam aëris, ut[c] extrahat in actu quod fuit in potentia; eodem modo ponderosum quod movetur, a removente prohibens movetur et perducente ad suum locum. Restat ergo: cum[d] anima per se moveat corpus[e], erit aliquid praeter hoc quod est forma sive actus corporis[f][4]; ergo erit substantia simpliciter.

b. Item, anima se habet ad corpus sicut nauta ad navim[5]; sed nauta secundum substantiam dividitur a navi, cum movet navim et secundum accidens movetur[6]; ergo anima secundum substantiam dividitur a corpore, et, si movetur, secundum accidens movetur; ergo anima est substantia praeter corpus.

c. Item, forma, quae solum est esse materiae, in perficiendo totum perficit omnes partes materiae et consimili ratione[7], ut est dicere[g] 'quaelibet pars ignis[h] est ignis'; sed anima perficit totum cuius est anima, non consimili ratione; ergo non est tantum actus vel esse materiae. — Quod autem non perficiat anima unamquamque partem consimili[i] ratione, patet per hoc[k] quod nulla pars animalis est animal: nam in anulosis corporibus, de quibus magis videtur, nulla illarum dicitur animal, licet quaelibet per se habeat motum.

Quod autem sit incorporea, videtur: *a.* Quia nulla forma [corporea] est in diversis locis tota[l]; sed anima simul est in diversis partibus tota; ergo non est forma corporea, sed incorporea.

b. Praeterea, similitudines corporum sunt in anima, et non dimensive[8]: si enim essent dimensive[m], cum infinitae possint esse similitudines, anima[n] esset infinitae dimensionis; non ergo sunt ibi dimensive; ergo modo simplici; ergo necesse est ipsam esse incorpoream.

c. Item, omne corporeum habet partem extra partem[9]; sed anima in corpore non habet partem extra partem; ergo non est corporea; est igitur substantia incorporea.

III. Item, obicitur de definitione Cassiodori quod « anima est substantia spiritualis » etc.

1. Cum enim apponatur haec differentia « a Deo creata », respectu alicuius debet facere differentiam. Quaeritur ergo respectu cuius, cum quaelibet forma creaturae sit creata a Deo secundum quemdam modum, accipiendo creatum prout dicimus: quidquid est, vel est Creator vel creatura.

2. Praeterea, dicitur « propria substantia vivificatrix »; ergo aliquam substantiam habet a qua est vita corporis; et vita[o] est primus motus[10]; potest ergo quaeri quis est ille actus, per quem discernimus vitam habens[p] a non vivente.

Respondeo[q]: 1. Ad primum dicendum quod haec differentia « a Deo creata » ponitur ad excludendum errorem illorum qui dicebant animam esse de substantia Dei et maxime de anima rationali. Cum enim[r] *inspiravit* Deus *spiraculum vitae*[11], et non de aliena substantia, cum nullius indigeret, sicut nos spiramus de substantia aëris, inspiravit de substantia sua; ergo anima est de substantia Dei. Ad hunc[s] excludendum errorem, de quo infra dicetur[12], dicebatur anima esse « a Deo creata », ita ut[t] differentiam faceret respectu substantiae de Deo genitae, scilicet Filii, et de Deo procedentis, scilicet Spiritus Sancti.

2. Ad secundum dicendum quod in hoc discernitur vitam habens a non vivente, quia motus vitalis est in contrarium motui naturae. Videmus enim quod[u] secundum motum naturae grave fertur deorsum et leve sursum[13], secundum motum[v] vero nutrimenti grave fertur sursum, sicut apparet in plantis, et quod igneum est[x], ut cholera, fertur deorsum in animalibus, cum nutritur simile simili. Item, motu naturali fertur aliquid sursum vel deorsum vel orbiculariter[14]; sed motu animali fertur in ante vel retro vel dextrorsum vel sinistrorsum, sicut in animalibus[15];

[a] Ita LC, alii om.; V om. *ab illo... essentiam.* [b] Z om. [c] T om. [d] S *quod.* [e] RZ add. *quod.* [f] Ita LC, alii add. *ergo erit forma sive actus corporis,* [g] Z add. interl. *quod.* [h] V om.; ST om. *est ignis.* [i] V *a simili.* [k] T om. *p. h.* [l] L om. *l. t.* [m] Z om. *s. e. e. d.* [n] Ita V, alii *omnino.* [o] Z add. *corporis.* [p] Ita LC (correcti), alii *hominis.* [q] Ita V, alii om. [r] S om. [s] RLZ add. *ergo.* [t] RLCZ *quod.* [u] TZ om. [v] VST *modum.* [x] T om.

1 Cf. Aristot., *Phys.*, VII, c. 1 et VIII, c. 5 (II, 333, 350).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 5 (II, 350).
3 Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 4 (II, 348); *De anima*, II, c. 1 (III, 444).
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, a. 1, q. 2 (II, 414b).
5 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 1 (III, 445).
6 Cf. Aristot., *De anima*, I, c. 3 (III, 436 sq.).
7 Cf. Aristot., *De animal. hist.*, I, c. 1 (III, 1).
8 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 8 (III, 470).
9 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 1 (II, 285).
10 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 2 (III, 445).
11 Gen. 2, 7.
12 Cf. infra, num. 322.
13 Cf. Aristot., *De caelo*, I, c. 3 (II, 369).
14 Cf. Aristot., loc. cit. (II, 368).
15 Cf. Aristot., loc. cit., II, c. 2 (II, 390 sq.).

ergo discernitur motus vitalis a naturali. Item, secundum intellectum fit abstractio speciei a materia vel subiecto [1], secundum naturam vero non; ergo differentia est inter esse vitale et naturale, et ideo dicitur « propria substantia sui corporis vivificatrix ».

IV. Item, definitio illa, qua dicitur « anima est [a] spiritus intellectualis, ad beatitudinem in se et in corpore ordinatus », sic explanatur:

1. Primo ostenditur quod non est definitio conveniens omni animae: non enim convenit [b] animae brutali.

2. Secundo, quod supervacuum videtur quod sequitur, quod in corpore ordinata sit « ad beatitudinem »: beatitudo enim est gaudium de veritate summa; ad [c] gaudium autem de veritate summa non ordinatur ratione corporis; ergo non ordinatur ad beatitudinem.

3. Praeterea, si ponitur in definitione, ad differentiam [d] alicuius ponitur; quaeritur ergo ad [e] cuius.

Respondeo [f]: 1. Ad primum dicendum [g] quod definitio est propria animae rationalis, de qua nos hic intendimus; et licet quaedam aliae definitiones conveniant animae sensibili vel vegetabili, magis proprie conveniunt rationali.

2. Ad secundum dicendum quod beatitudo dicitur dupliciter: uno modo gaudium de summa veritate sive de veris et certis bonis gaudere: et sic convenit tantum animae; alio modo, sicut dicit Anselmus [2], beatitudinis partes sunt et ea quae pertinent ad perfectionem animae [h] et ea quae pertinent ad perfectionem corporis: et secundum hoc potest accipi quod dicitur in definitione supra posita [i]. — Vel potest dici quod anima ordinatur « in se et in corpore », ut notetur qualiter habet [k] anima primam stolam et secundam, quarum utraque ordinata est ad beatitudinem: primam habet ratione sui, secundam habet in corpore.

3. Et dicendum quod haec differentia « in corpore » distinguit inter animam rationalem et angelum [3]: angelus enim [l] est spiritus in se ordinatus ad beatitudinem, anima vero est [m] « spiritus in se et in corpore ad beatitudinem ordinatus ».

V. Deinde quaeritur ratione consequentis definitionis, in libro *De anima et spiritu:* « Anima est spiritus intellectualis, rationalis [n], semper vivens, semper in motu, bonae malaeque [o] voluntatis capax ».

1. Potest enim quaeri, cum haec differentia « intellectualis » sit apposita, ad quid apponitur quod dicitur « rationalis ».

2. Praeterea, « semper vivens » videtur communior esse differentia quam « intellectualis »; ergo praeponenda [a] esset.

3. Praeterea, quid est dictu quod « semper [b] est in motu »? Potest ergo [c] quaeri de quo motu intelligatur: non enim semper est in motu [d] locali, et ita de aliis motibus; non ergo bene dicitur « semper in motu ».

4. Praeterea, si motus eius dicitur voluntas, illa differentia intelligitur per hoc quod dicitur « bonae malaeque [e] voluntatis capax ».

[Solutio]: 1-4. Ad primum respondeo [f] quod duae differentiae [g] pertinent ad cognitionem et tres pertinent ad motum. Ad cognitionem enim pertinent hae duae differentiae « intellectualis » et « rationalis »; sed « intellectualis » communis est angelo, « rationalis » vero, proprie dicta, est propria [h] animae humanae secundum [i] quod rationis est ratiocinatio [4]. Ex altera vero parte sunt tres differentiae, quarum prima dicit continuam influentiam ad movendum [k] a Primo, scilicet Deo, secunda vero continuam motionem naturae, tertia motionem voluntatis. — Vel prima et secunda pertinent ad esse, tertia vero ad bene esse. Quae vero est ad [l] esse est sub duabus differentiis: nam prima quantum ad esse proprium, secunda quantum ad hoc quod potest influere super corpus, licet non semper influat ratione corruptibilitatis in corpore. Unde « semper in motu » dicitur, non quia semper moveat corpus, propter corporis defectum, sed quia semper moveret, si corpus semper sibi [m] coniunctum esset.

VI. Deinde quaeritur de hac definitione: « Anima est omnium [n] similitudo ».

1. Aut enim hoc intelligitur secundum esse aut secundum cognitionem. Si secundum cognitionem, secundum quod cognoscens speciem omnium habere potest, secundum hoc angelus est « omnium [o] similitudo »: potest enim habere omnium species, et ita per hoc assimilari. Si vero dicitur secundum esse, tunc diceretur anima omnis creatura [5] quemadmodum dicitur de homine in Evangelio [6]: *Praedicate Evangelium omni creaturae;* quod non invenimus.

---

[a] V *esse;* T add. *cum.* [b] Ita V, alii om. [c] LC om. [d] L om. *a. d.;* Z add. *respectu.* [e] Ita V, alii om.; L *quare* pro *quaeritur.* [f] Ita V, alii om. [g] STC add. *est.* [h] L om. [i] VST *supposita* pro *s. p.;* V *secundum* pro *potest.* [k] Z *habeat;* T om. *anima.* [l] S add. *non.* [m] S om. [n] Ita T add. mg., alii om. [o] RLZ *et male,* C *male.*

[a] T *proponenda.* [b] RLCZ om.; V *qui* pro *quid.* [c] TC om. [d] V om. *potest ergo... motu.* [e] L *et male.* [f] V add. *dicendum.* [g] V om. [h] VZ *proprie.* [i] VST *per.* [k] C om. *a. m.* [l] S add. *bene.* [m] Z om. [n] T add. *etiam.* [o] T om. *habere... omnium.*

1 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 8 (III, 470).
2 Cf. *Proslog.,* c. 25 (PL 158, 240 sq.).
3 Cf. supra, num. 112.
4 Cf. supra, num. 120.
5 Cf. Gregor. M., *In Evangel.,* hom. 29, n. 2 (PL 76, 1214).
6 Marc. 16, 15.

2. Praeterea, haberet tunc convenientiam in genere cum omnibus et ita cum corporeis substantiis.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum quod dicitur « omnium similitudo », sicut exponit [1], propter utrumque. Nam quod dicitur « similis est lapidibus per essentiam [a] » etc., hoc refertur ad convenientiam 'esse'; quod autem praemittit [b], quod « habet vires quibus omnia apprehendit », hoc pertinet ad assimilationem secundum cognitionem. Nec est simile de angelo [c], quia angelus non cognoscit omnia nisi intelligibiliter, anima vero cognoscit sensibilia sensibiliter, intelligibilia intelligibiliter [2].

2. Ad aliud dicendum est [d] quod, licet habeat convenientiam cum omnibus in genere, non tamen in omnibus: convenit enim cum substantiis corporeis inanimatis in esse, licet non in corporeitate, cum animatis in vita, cum sensibilibus in sensu, et ex parte incorporearum [e] cum angelis in intellectu, cum Deo [f], sive dicatur substantia sive supra substantiam, secundum Dionysium [3], in intelligentia. Nec oportet propter hoc quod dicatur 'omnis creatura' sicut homo, quia homo habet per quod convenit cum incorporeis ratione animae, cum corporeis ratione corporis [4]: quod non habet anima.

VII. Definitur iterum anima quod est « substantia spiritualis, simplex et indissolubilis, incorporea, passibilis atque mutabilis ».

Ratione cuius obicitur: 1. Ad quid ponuntur tot differentiae? Nam per hoc quod dicitur « spiritualis » videtur dare intellectum 'simplicis'.

2. Praeterea, « incorporea » est de primis differentiis; quare ergo [g] hic ponitur de ultimis?

3. Item, « passibilis » non videtur esse differentia, cum hoc non conveniat animae glorificatae, quae impassibilitatem habebit.

4. Similiter, « indissolubilis [h] » non videtur esse differentia, cum dissolubilitas conveniat omni creaturae.

Respondeo quod anima humana in medio est substantiae superioris, scilicet [i] angelicae, et inferiorum substantiarum. Respectu [k] inferiorum substantiarum ponitur illud quod dicitur « anima est substantia spiritualis » etc.; respectu vero superiorum dicitur « incorporea, passibilis atque mutabilis ». Nam in hoc quod dicitur « spiritualis », separatur a corpulenta quae est inferior; in hoc autem quod dicitur « simplex », separatur a substantia spirituali quae est composita, sicut est spiritus, qui dicitur naturalis aut vitalis in corpore [5]; per hoc autem quod dicitur « indissolubilis », separatur a vegetabili in plantis et sensibili in brutis, quarum utraque est substantia spiritualis, simplex, sed est dissolubilis. Ex alia parte « incorporea » est communis differentia animae et angelo, sed « passibile » separat: licet enim aliquo modo mali angeli possint pati et boni poterant de natura mutari, tamen non habent angeli hanc passibilitatem vel mutabilitatem ut corpore patiente compatiantur vel simul transmutentur. Et hoc est de quo loquitur hic, de hac passibilitate et mutabilitate [l] in ordine ad corpus proprium.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc patet qualiter respondendum [m] est ad primum [n] obiectum. Nam « spirituale », si coarctaretur ad spiritus incorporeos, simplicitatem quamdam importaret; sed hic accipitur communiter: unde « simplex » in illo genere superaddit.

2. Ad id vero quod obicitur de hac differentia « incorporea », dicendum quod, licet prima sit, ponendo animam in genere et definiendo per differentias specificas [o], non tamen est prima in hac definitione in qua ostenditur qualiter est invariabilis anima et qualiter variabilis.

3. Ad tertium dicendum quod « passibile » accipitur ex natura ordinata ad corpus et « mutabile » similiter [p]; passibile autem in daemonibus est in poenam, impassibile autem, quod convenit animae glorificatae, est ex gratia.

4. Ad quartum dicendum quod, licet anima, ut est creatura, possit desinere esse si [q] sibi relinqueretur, tamen « indissolubilis [r] » est, quia non habet unde dissolvatur, quia est separabilis a corpore: quod [s] non fuit in vegetabili plantarum et sensibili brutorum. Et ratio huius est, quia anima est ordinata ad summam immortalitatem, scilicet Deum, aliae vero ordinatae sunt ad corpus mortale, in quantum huiusmodi, sive corruptibile.

---

[a] R om. *p. e.*; T om. *hoc.* [b] Ita V, ST *pretermittit*, alii *premittitur.* [c] VSTC om. *d. a.* [d] V *quod dicendum* pro *a. d. e.* [e] Z *incorporea.* [f] T *de eo*; S om. *in.* [g] Ita V, alii om. [h] R *impassibilis*; VSTC *eius* pro *esse.* [i] RZ om. [k] RLZ add. *ergo.* [l] S om. *e. m.* [m] STC *responsio.* [n] Ita V, alii *primo.* [o] V *specificat.* [p] VST om. [q] ST *sed.* [r] Z *indissolubile*, quod L corr.; S om. *tamen.* [s] VZ *quia.*

1 Scilicet Augustinus, loc. cit. 2 Cf. supra, num. 119. 3 Cf. *De divin. nomin.*, c. 1, § 1 (PG 3, 587, PL 122, 1113: « superessentialis essentia »); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 339. 4 Cf. Augustin., *De divers. quaest. 83*, q. 67, n. 5 (PL 40, 68). 5 Cf. Alfred. Angl., *De motu cordis*, c. 10, n. 7 (p. 40).

QUAESTIO II.

DE ANIMA SECUNDUM CAUSAS.

TITULUS I.

DE CAUSA MATERIALI ANIMAE.

Visa quidditate animae secundum quod pertinet ad speculationem theologicam, sequitur de causalitate ipsius:

Et primo, de causalitate [a] materiali quoad fieri et etiam quoad esse;

deinde, de causa formali;

tertio, de efficiente;

quarto, de finali.

Tunc enim dicimus scire [b], cum causas cognoscimus [1].

Quantum autem [c] ad fieri:

Primo ostendendum est quod non sit de divina substantia, sicut quidam haeretici somniaverunt;

secundo, quod non est de materia spirituali;

tertio, quod non est de materia corporali, sicut quidam philosophi posuerunt, a veritate aberrantes [d], sed est creata a Deo, sicut supra habitum est [2].

MEMBRUM I. 322

Utrum anima sit de substantia Dei [3].

Quod anima [e] non sit vel fiat de Dei substantia vel de Deo, sic ostenditur: *a.* Si esset de substantia Dei, substantia Dei [f] vel esset ipsa anima vel pars animae, ita quod anima de substantia Dei produceretur. Si vero substantia Dei anima esset, non esset anima mutabilis a bonitate in malitiam, a veritate ad [g] errorem, a gaudio ad tristitiam: substantia enim [h] Dei incommutabilis est, sicut communis animi conceptio docet [i] [4]. Praeterea, diceretur tunc quod anima esset id ipsum quod Deus et ita unaquaeque anima, et ita una anima esset id ipsum quod alia: quae omnia [k] absurda sunt. Si vero substantia Dei esset sicut materia animae et alterum esset forma, cum forma sit nobilior materia, esset aliquid dignius Deo: quod cum sit impossibile, necesse est Dei substantiam non esse sicut materiam respectu creaturae; unde non est de substantia Dei ut de materia.

b. Praeterea, secundum materiam [l] fit rei transmutatio [5], si est in re mutabilitas; sed secundum substantiam Dei non est transmutatio sive in substantia Dei; ergo non est Dei substantia materia respectu animae; ergo non est de substantia Dei.

c. Item, non est anima genita de Deo vel procedens sicut Spiritus Sanctus: sic enim esset ipsum quod Deus; ergo est creata a Deo vel facta; sed dicit Augustinus, *De fide ad Petrum* [6]: « Non unius naturae possunt esse qui fecit et factum ». Non ergo anima est de substantia Dei sive de Deo, sed a Deo.

In [m] contrarium obiciunt quidam haeretici [7] sic [8]: 1. *Formavit Deus hominem de limo terrae et*

---

[a] VST om. *ipsius... causalitate.* [b] LZ add. *unumquodque.* [c] R om. [d] RLCZ *oberrantes.* [e] Ita V, alii om. [f] L om. *s. D.* [g] R *in.* [h] T om. [i] V *de eo.* [k] RLZ *omnino.* [l] V *naturam.* [m] C *item in*, Z *item.*

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, I, c. 3 (II, 471).

2 Cf. supra, p. 386b.

3 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 17, c. 2 (p. 383); S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, a. 1, q. 1 (II, 410sqq.).

4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 28-30.

5 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 9 et *Metaph.*, I, c. 3 (II, 297, 472).

6 S. Fulgent., c. 21 (inter opp. Augustini PL 40, 773).

7 Nempe Manichaei. Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, VII, c. 2 et *De Gen. c. Manich.*, II, c. 8, n. 11 (PL 34, 356sq., 202).

8 Gen. 2, 7.

inspiravit in eum[a] *spiraculum vitae*; sed *spiraculum vitae*[b] non est nisi anima; ergo inspiravit animam; ergo anima est spiritus vel flatus Dei; sed spiritus Dei non est nisi de Deo; ergo anima est de Deo[c].

2. Praeterea, Ioan. ultimo, 22: *Insufflavit in eos dicens: Accipite Spiritum* etc.; nihil aliud autem est spiritus quem insufflavit[d] nisi Spiritus procedens de substantia Dei, scilicet Patris et Filii[1]; ergo pari ratione, cum dicitur[2]: *Inspiravit* etc., dicetur flatus ille de substantia Dei.

3. Praeterea, non indiget Deus extrinseco ad hoc quod insufflet vel inspiret, sicut homo vel anima indiget elemento corporis supposito. Si autem non indigeret anima aliquo extrinseco ad spirandum, diceretur spirare de se ipsa; ergo pari ratione, immo multo excellentiori, si Deus non indiget alio extra se ad spirandum flatum in corpus, erit spiritus ille vel flatus de Deo vel de substantia Dei.

4. Item, lumen est de lumine sine diminutione luminis a quo est vel ex parte formae vel materiae, et ita sine omni diminutione, nec tamen hoc lumen est illud; ergo, cum divina virtus multo magis sit potens quam virtus luminis, ergo multo fortius[e] de Deo potest esse aliquis spiritus, qui non est eiusdem substantiae cum Deo, sine aliqua mutatione ex parte Dei[3].

5. Item[4], in genere corporeorum est accipere aliquod principium[f] materiale[5]; ergo in genere incorporeorum videtur quod possit accipi aliquod principium materiale; sed si hoc est, cum incorporeorum[g] non sit materiale corporeum[h], necesse est esse incorporeum; et quod est principium materiale est primum[i] in illo genere[6]; ergo illud erit principium in genere incorporeorum; ergo vel[k] creatum vel increatum; sed creatum non potest esse, cum de illo similiter possit quaeri; ergo necesse est esse increatum; ergo Deum; ergo de Deo est anima et aliae incorporeae substantiae. Et ista[l] fuit una haeresis[7] quae dicebat quod[m] quemadmodum hyle fuit materia corporum, ita Deus erat materia animarum.

[Solutio]: Ad quod dicendum[n] quod anima non est de Deo, sed est creata de[o] nihilo, sicut habetur ab Augustino[8] et aliis Sanctis [et] in pluribus locis Sacrae Scripturae[9]. Quod autem sit a Deo facta, habetur per hoc quod dicitur Eccle. ultimo, 7: *Revertatur pulvis in terram de qua sumptus est, et spiritus ad Deum qui dedit illum,* vel *fecit,* secundum aliam litteram[10]. Quod autem sit ex nihilo, evidentibus rationibus infra[11] colligetur.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem eorum[p] quae obiecta sunt, dicendum[q] quod, licet insufflatio illa spiritualis sit de Deo, qua Filius Dei insufflavit Spiritum Sanctum, quia flare Spiritum Sanctum est spirare ipsum, cum signo tamen aliquo visibili, qui flatus potuit dici corporalis et corporaliter[r] procedens ab ore Christi hominis[12], tamen, cum dicitur in Genesi quod Deus *insufflavit,* secundum litteram Septuaginta, vel *inspiravit,* non est[s] intelligendum quod sit flatus aliquis corporalis, sed nec spiritualis, qui sit de Deo vel de Dei substantia, sed a Deo de nihilo[13]. Hic enim loquitur de spiritu rationali creato, ibi[t] vero de Spiritu aeterno, increato, procedente invisibiliter in corda fidelium[u], licet aliquando esset signum aliquod ad ostensionem.

2-3. Ad secundum dicendum[14] quod, licet Deus non indigeat aliquo extra se ad[v] insufflandum vel inspirandum[x], sicut anima quae indiget elemento supposito, tamen non de se est ille flatus, sed de nihilo factus, et ideo dicitur Isai. 57, 16: *Omnem flatum ego feci;* et in 42, 5: *Haec dicit Dominus creans caelos et extendens eos, firmans terram et dans flatum populo qui est super terram, et spiritum omnibus calcantibus super eam.* Ex quibus colligitur quod anima est spiritus vel flatus a Deo creatus vel factus, non de ipso existens.

4. Ad id[y] quod obicitur quod 'lumen est de lumine sine diminutione subiecti a quo est,

---

[a] RLCZ *eo;* T add. *spiritum vel.* [b] S om. *s. s. v.* [c] T om. *ergo... Deo.* [d] STC *sufflavit.* [e] VSTC om. *m. f.* [f] STRZ *primum,* item infra; R *aliquid* pro *aliquod.* [g] Codd. *incorporeum.* [h] V *corporeo,* alii *corporum.* [i] V om. *m. e. p.* [k] T *et.* [l] VST *ita.* [m] STCZ om.; RZ *dicebatur* pro *dicebat.* [n] T add. *est.* [o] C *ex.* [p] Ita V, alii *ea vero* pro *p. a. e.* [q] Ita V, alii *respondeo.* [r] V om. *e. c.* [s] L om. [t] S *ubi.* [u] V *infidelium.* [v] V om. [x] VST *spirandum.* [y] Ita Z, alii add. *vero.*

1 Cf. *Glossa interl.*, in h. l., ap. Lyran., ex Augustino, in h. l. (PL 35, 1958).

2 Gen. 2, 7.

3 Cf. Augustin., *De Gen. c. Manich.*, I, c. 3 (PL 34, 176); *De haeres.*, c. 46 (PL 42, 34 sq.).

4 Sequitur argumentum Davidis de Dinantio, in libro *De tomis.* Cf. B. Albert. M., *Summa theol.*, p. I, tr. 4, q. 20, m. 2, q. incid. (t. 31, p. 140a) et p. II, tr. 12, q. 72, m. 4, a. 2 (t. 33, p. 42b); Augustin., *Contra Faust.*, XX, cc. 14-15 (PL 42, 379 sq.).

5 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 1 (II, 564).

6 Cf. Averroes, *Metaph.*, X, c. 1 (VIII, 118b).

7 Nempe Davidis de Dinantio. Cf. B. Albert. M., *Summa theol.*, p. II, tr. 12, q. 72, m. 4, a. 2 (t. 33, p. 42b); Augustin., *Contra Faust.*, XX, c. 15 (PL 42, 380 sq.).

8 Cf. *De Gen. ad litt.*, VII, c. 5 (PL 34, 358); *De anima*, I, c. 4 (PL 44, 477).

9 Cf. Psalm. 32, 15; Eccle. 12, 7; Sap. 15, 11; Hebr. 12, 9.

10 Secundum Septuaginta.

11 Cf. infra, num. 323-327.

12 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 744, *ad 6.*

13 Cf. Augustin., *De civit. Dei,* XII, c. 23 (PL 41, 373); *De anima,* I, c. 4, II, c. 4 (PL 44, 477, 512 sq.).

14 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, VII, c. 3, n. 5 (PL 34, 357).

et ita possit anima esse de Deo vel Dei substantia[1]: dicendum quod illa multiplicatio locum habet in formis habentibus communem materiam, quae in hoc habent[a] quamdam virtutem spiritualem ut possint se multiplicare et unum non erit alterum; ubi vero non est communis materia[b], nullatenus poterit esse multiplicatio vel pluralitas, ita quod unum non sit id quod alterum. Unde enim veniret pluralitas substantiae[c]? Non ab ipsa forma, quae una est; nec a materia[d], cum nulla sit; et ideo de Dei substantia non potest esse nisi quod Deus est: Filius enim Dei Deus est et[e] Spiritus Sanctus est de Deo et est Deus.

5. Ad ultimum dicendum[f] quod, licet reducantur omnia corporalia ad materiam, sicut habetur in expositione[1] eius quod dicitur[2]: *In principio creavit Deus caelum et terram*, non tamen sic est in spiritualibus et incorporeis substantiis, ut ad unam reducantur materiam, sed vel non reducuntur ad materiam vel distinguuntur[g] in materiebus. Et in hoc decepti erant illi haeretici[3] qui unam ponebant communem materiam spirituum: eo enim quod corporeitas removetur a spiritibus, eo removetur continuitas et per consequens inest discretio; ergo nec est unitas materiae: neque enim est unitas materiae[h], ut sic fiat unum ex altero. Restat ergo quod non est communis una materia in spiritibus, sicut haeretici posuerunt, tendentes[i] ad hoc quod omnia essent unum.

Sed adhuc obiciunt haeretici[4] sic: Constat quod anima est ad imaginem Dei sive imago Dei[k]; et non sicut haec figura est imago Herculis; ergo eo modo quo imago dicitur secundum Philosophum[5], cuius generatio est per imitationem; sed in generatione[l] est generatum de substantia generantis[m]; ergo anima est de substantia Dei. — Ad quod respondeo[n 6] per hoc quod dicit Augustinus, in libro *De decem chordis*[7], quod « aliter est imago tua in filio tuo, aliter in speculo. In speculo autem imago tua non est id quod tu; in filio[o] est imago tua secundum aequalitatem substantiae; in speculo autem quantum[p] longe est a substantia tua, et tamen est imago tua, quamvis non talis sicut in filio tuo secundum substantiam. Sic[q] in creatura non est hoc[r] imago Dei, quod[s] est in Filio, quia hoc est quod Pater, id est Verbum Dei[t], per quod *facta sunt omnia*[8]. Sicut enim[u] in nummo aliter est imago imperatoris et aliter est in filio[v], sic et tu nummus Dei es, ex hoc melior, quia cum intellectu et cum quadam vita nummus Dei es, ut scias etiam cuius imaginem geras et ad cuius imaginem factus sis: nam nummus nescit se habere imaginem imperatoris ».

MEMBRUM II.

Utrum anima sit de materia spirituali.

Supposito igitur quod animae non sint de substantia Dei, quaeritur si animae habeant materiam spiritualem ex qua fiant.

Et primo quaeritur de anima Adae;
secundo, de anima Evae;
tertio, de animabus parvulorum.

CAPUT I. 323

UTRUM ANIMA ADAE FACTA SIT EX MATERIA SPIRITUALI[9].

Quod autem anima Adae habuerit materiam spiritualem ex qua facta sit, videtur: 1. Cum enim anima creando infundatur et infundendo creetur[10], corpus autem Adae non fuit formatum, ut videtur, nisi post opera sex dierum, sicut apparet ex textu Gen.[11]: *Formavit hominem de limo terrae*, ergo nec[x] anima Adae fuit creata prius; ergo si creata fuit in operibus sex dierum, eo quod

---

[a] T om. [b] S add. *et.* [c] V om. [d] Ita LC (corr.), alii add. *est.* [e] L *vel.* [f] Ita V, C *vero dicendum,* alii *vero dicendum est.* [g] Z *distinguunt;* RC *vel* pro *et.* [h] V om. *neque... materiae.* [i] S *cedentes.* [k] Ita V, RLCZ *sicut imago* pro *s. i. D;* ST *sive* pro *sicut.* [l] S *generato;* T *mixtionem* pro *imitationem.* [m] Ita R, alii *generati.* [n] RLZ *respondendum;* T om. *per hoc,* L om. *per.* [o] RL add. *vero,* Z add. *vere;* VSTC om. *tua.* [p] V *multum.* [q] Ita ST, alii *sicut.* [r] V om. [s] V *que.* [t] S *dicitur.* [u] T om. [v] T add. *et;* L *vel* pro *et.* [x] C om.

1 Cf. supra, p. 310b, *ad 1.*
2 Gen. 1, 1.
3 Scilicet David de Dinantio, cuius argumentum vide ap. B. Alb. M., loc. cit. (t. 33, p. 42b).
4 Cf. supra, p. 390, nota 7.
5 *Topic.*, VI, c. 2 (I, 236).
6 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 417.
7 *Sermo 9*, c. 8, n. 9 (PL 38, 82); cf. *Sermo 52*, c. 6, n. 17 (PL 38, 361).
8 Ioan. 1, 3.
9 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, VII, cc. 6-9 et c. 22 (PL 34, 358sqq. et 366sq.); Lombard., II *Sent.*, d. 17, c. 2 (p. 383); S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, a. 1, q. 2 (II, 413sqq.).
10 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 17, c. 2 (p. 384).
11 Gen. 2, 7.

die septimo [a] Deus quievit ab omni opere suo quoad genera et species condendas et quoad materiam [1], oportuit quod anima Adae condita esset in operibus sex dierum vel ratione sui generis vel speciei vel ratione materiae suae. Sed non ratione generis tantum: non enim dicitur creatum genus sine specie nec species sine aliquo individuo. Quod si diceretur quod omnia iam creata erant, et ita genus: constat quod [b] non propter hoc condita erat ratio multiplicandi: non enim habetur quod plantae habeant potestatem multiplicandi nisi in rebus sui generis, similiter nec omnia bruta potestatem habent [c] multiplicandi nisi in rebus sui generis. Restat ergo quod non dicitur anima humana [d] creata propter creationem generis animae in plantis vel brutis; ergo oportuit quod aliqua ratio animae humanae condita esset vel materia; quod [e] si nulla ratio condita erat — non enim propter rationem angeli dicta est anima in sua ratione creari: secundum hoc enim haberet anima humana secundum esse suum dependentiam ab angelo — restat ergo quod anima humana non est condita vel creata [f] inter opera sex dierum nisi ratione materiae spiritualis; ergo, cum post facta sit, facta [g] est ex illa materia.

2. Praeterea, hoc videtur per simile, quia dicitur quod omnia corporalia condita erant in operibus sex dierum in sua materia [h] [2]; ergo pari ratione anima, cum non sit omnino simplex, condita fuit in sua materia; illa autem non est nisi spiritualis; ergo in materia spirituali.

Contra obicitur [i]: *a.* Augustinus [3]: Si illa materia spiritualis aliquando fuit in sua forma, cum esset incorporea, aut erat [k] cum ratione aut sine. Si sine ratione, ergo irrationalis; ex irrationali ergo facta est anima rationalis: quod est absurdum. Si vero erat cum ratione, iam formam habebat complentem; ergo non fiebat anima humana ex ipsa.

b. Praeterea, aliae res non tantum conditae erant in materia, sed in ratione formali: in hoc enim distinguitur 'facere' a 'creare' [4]; ergo anima humana condita est in ratione formali in opere sexti diei; sed non est ratio formalis nisi ipsa sit in sua forma condita; ergo anima Adae fuit [l] in sua forma condita; non ergo facta est ex materia.

Respondeo [m]: 1. Ad primum dicendum quod anima Adae, quae fuit prima anima, condita fuit in opere sexti diei [5] simpliciter perfecta. Unde non dicendum est quod tunc secundum materiam spiritualem fuerit ibi condita nec secundum rationem generis animae in plantis vel animantibus nec secundum [a] similitudinem in angelis [6], eo quod utrobique [b] est ratio spiritualis.

2. Ad hoc quod obicitur quod 'creata fuit post opus sex [c] dierum', sicut videtur ex superficie litterae, cum dicitur [7]: *Inspiravit in faciem eius* etc., respondeo quod non per hoc voluit intelligere quod [d] tunc primo esset anima condita, cum prius dixerit [8]: *Creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam,* et hoc est secundum animam. Non enim si materia animae creata diceretur, propter hoc convenienter dici posset quod anima creata est ad imaginem: nam imago attenditur secundum formam. Si vero attenditur [e] quod anima creando infunditur etc., dicendum est altero duorum modorum: vel [f] quod anima humana prius est condita et tunc est coniuncta sicut forma separabilis cum sua materia, cum dictum est: *Inspiravit* etc. [9], et tunc differentia esset in parte inter animam Adae et animas nostras quoad hoc quod nostrae creando infunduntur [g]. — Et si quaeratur quare anima [h] humana sic creata esset et post coniuncta, non autem ita dicatur de animabus brutorum: respondeo quod per hoc voluit Dominus designare differentiam animae humanae ad alias, quod ipsa est separabilis tamquam habens modum existendi per se, aliae autem animae non habent. — Vel potius dicendum [10] est quod sicut anima nostra creando infunditur, ita fuit de anima Adae. Unde in opere sexti diei formatus est homo de limo terrae et condita est anima et [i] creando infusa.

Si autem quaeratur ad quid tunc faciat mentionem post opera sex dierum: responderi potest quod expressio facta est ne crederetur sic esse creatum hominem sicut animalia, ut non haberet anima esse suum aliquo modo praeter corpus, quemadmodum nec habet [k] anima bruti [11]. Praeterea, ut ostenderetur per recapitulationem quod de homine specialiter erat sermo et de aliis propter ipsum, ut [l] expressione facta notaretur quod homo factus est [m] de limo terrae extra paradisum et positus [n] sit in deliciis paradisi ad operandum et custodiendum. In iis autem omnibus nihil temere asserendum, sed probabiliter secundum rationem Scripturarum dicendum.

---

[a] Ita V, alii om. *d. s.*; S om. *quievit.* [b] ST om. [c] Ita V, alii om. [d] V om. [e] VST *quia.* [f] L *in creata* pro *v. c.* [g] L *causata.* [h] Z om. *i. s. m.* [i] Ita V, alii *obicit.* [k] VS *erit,* L om., in Z est add. mg. [l] C *defuit* pro *A. f.* [m] Ita V, alii om.
[a] S *etiam.* [b] S *ubique.* [c] T om. [d] V *quia;* C om. *anima.* [e] V *attendatur.* [f] T *ut.* [g] C add. mg. *et infundendo creantur;* R *anime* pro *nostrae.* [h] T add. *autem.* [i] S *in,* quod T corr. [k] T om. [l] C add. *ex;* T om. *ipsum.* [m] RLZ om. [n] ST *penitus.*

1 Cf. supra, num. 306, IV.
2 Cf. supra, num. 248 et 257.
3 Cf. *De Gen. ad litt.,* VII, c. 9 (PL 34, 360).
4 Cf. supra, num. 21 et p. 314a.
5 Cf. supra, num. 298.
6 Cf. Augustin., loc. cit., c. 23 (PL 34, 368).
7 Gen. 2, 7.
8 Gen. 1, 27.
9 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* VII, cc. 24-28 (PL 34, 368sqq.).
10 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 17, a. 1, q. 3 (II, 416sqq.).
11 Cf. supra, p. 361, *ad 3.*

CAPUT II. 324

UTRUM ANIMA EVAE CREATA FUERIT IN OPERE SEXTI DIEI [1].

Deinde quaeritur de anima Evae utrum [a] fuerit creata in [b] opere sexti diei.

Quod videtur 1. per hoc quod dicitur [2]: *Creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam, masculum et feminam creavit eos.* Ergo non tantum conditus est Adam, sed et [c] Eva. Si vero Eva creata est, hoc non est nisi secundum animam: secundum enim corpus qualiter posset intelligi ut simul fierent Adam et Eva [d] secundum corpus et tamen unum corpus, scilicet Evae, esset de costa Adae? Si enim erat de costa formatum, tunc costa praecessit; quare Adam ante Evam est formatus; non ergo simul secundum corpus; ergo si erat ibi simultas, quod videtur per hoc quod sub quadam indistinctione dicitur, erat anima Evae condita in opere sexti diei.

Contra: *a.* Per supra dictam rationem [3] « Anima creando infunditur » etc.; ergo, cum corpus Evae sit de costa Adae, necesse fuit ut anima Evae posterius esset condita; ergo si corpus Evae formatum est post opera sex dierum, ergo et anima eius creata est post opera sex dierum.

Respondeo 1. quod, si [e] secundum rationem maris et feminae factus est homo in [f] operibus sex dierum, non tantum Adam factus [g] est secundum animam et corpus, sed et Eva similiter in opere sexti diei [h] [4], sed non simul in parte indivisibili diei illius, ut non sit contrarium quod dicitur consequenter quod Eva formata est de latere viri et quod dicitur in Eccli. [5]: *Creavit ex ipso adiutorium simile sibi,* et sic omnia illa dicerentur per recapitulationem quamdam ut maior fieret expressio [6]. Cum enim fecit plantas et herbas in opere tertii [i] diei, nonne tunc et ligna paradisi? Ergo pari ratione de aliis. — Vel potest dici quod Adam factus fuit [k] in operibus sexti diei, tamen secundum corpus, quia [l] Adam fuit ratio condendi humani generis: de latere enim eius facta est Eva, de ipso autem et Eva humanum genus, et ita fuit principium humani generis; propter hoc potuit includi in illis operibus, a quibus Deus requievit a [m] condendo rationes rerum. Et secundum hoc respondendum esset ad hoc quod dicitur [7]: *Masculum et feminam fecit eos,* id est [n] secundum corpus Adae materialiter, ex quo post formavit corpus Evae; vel fecit hominem ad hoc ut esset masculus et femina, et per illos [o] genus humanum multiplicaretur.

Aliqui [8] dicebant quod anima utriusque erat creata in opere sexti diei, ut esset sensus: *Masculum et feminam fecit eos,* id est animas condidit ad imaginem suam, tam maris quam feminae, corpora vero post formata, sicut recitat Scriptura. — Sed tunc quaeritur quare non dictum est de Eva, sicut de Adam: de Adam enim dicitur [p] [9]: *Formavit hominem de limo terrae et inspiravit* etc., de Eva vero nihil dicitur quoad coniunctionem animae cum corpore. Si vero anima Evae [q] esset per se primo creata et post suo corpori coniuncta, videretur [r] similiter dicendum; non autem similiter est dictum; aliter ergo videtur ratio eorum [s] ex parte Evae et ex parte Adae. Mihi verisimilius videtur dicendum secundum primum modum, salvo tamen iudicio melioris sententiae.

CAPUT III.

UTRUM ANIMA SIT EX ANIMA.

Deinde quaeritur de animabus nostris.

Et est prima [t] quaestio ratione vegetabilis in plantis;

secunda [u], ratione sensibilis in animalibus;

tertia et principalis [v] quaestio est de animabus rationalibus. Fuerunt enim quidam qui dicerent [x] animam esse ex anima sicut corpus est [y] ex corpore, et hoc extendebant ad animam rationalem.

Sed de aliis dicetur prius.

---

[a] S *lucrum.* [b] T add. *omni.* [c] Z om. [d] RZ *faceret Adam et Evam* pro *f. A. e. E.,* quod L corr. [e] T om. [f] VST *et.* [g] S om. [h] S om [i] C *sexte.* [k] RCZ *fuerit;* S om. *quod.* [l] T *quod.* [m] Ita V, alii om. [n] S *et* pro *i. e.* [o] Ita V, alii *illa.* [p] Ita V, alii add. *quod.* [q] T om. [r] VST *videtur.* [s] Ita VS, alii om. [t] Ita V, alii *primo;* R *questio de* pro *quaestio.* [u] Ita V, alii *secundo.* [v] Ita V, alii *tertio et principaliter* pro *i. e. p.;* RLCZ om. *quaestio est;* ST *ratio* pro *quaestio;* L *animalibus* pro *animabus.* [x] RLZ *dixerunt.* [y] V om.

1 Cf. supra, num. 302.
2 Gen. 1, 27.
3 Cf. supra, p. 392b.
4 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* VI, c. 2 (PL 34, 340).
5 Cap. 17, 5.
6 Augustin., loc. cit., VII, c. 28, n. 41 (PL 34, 370).
7 Gen. 1, 27.
8 Cf. Augustin., loc. cit., cc. 24-28 (PL 34, 368sqq.).
9 Gen. 2, 7.

325 ARTICULUS I.

Utrum in plantis anima vegetabilis sit ex vegetabili.

Quod autem anima sit ex anima, videtur tum [a] in plantis tum in quibusdam animalibus: 1. Cum enim descinditur planta a planta sive ab arbore, corpus decisum non est sine anima; sicut ergo pars corporis descinditur a toto corpore, ita anima partis corporis [b] erit ex anima totius corporis.

2. Praeterea, si totum corpus arboris fuerit [c] animatum, anima est per totum corpus sicut forma impressa; sed forma impressa [d] recipit divisionem secundum corporis divisionem; ergo anima erit ex anima.

3. Praeterea, supposito quod anima non dividatur secundum [e] partes, erit in qualibet parte; facta ergo decisione, erit tota in parte decisa et tota in eo a quo fit decisio sive separatio; cum ergo pars decisa non sit animata nisi per hoc quod fuit in corpore tota, erit anima partis [f] originem sumens ab anima totius.

4. Praeterea, in rebus quae fiunt secundum naturam, cum ignis est ex igne, dicimus formam in generato igne esse ex forma gignentis: natura enim [g] est principium ex similibus similia producendi [1]; ergo a simili, cum haec productio sit secundum naturam, dicetur anima ex anima esse.

Contra: Arguitur quod anima non est ex anima, sed tantum animatum ex animato. *a.* Et primo probatur quod anima non dividitur per divisionem corporis nec per se ipsam: solum enim illud quod habet partem extra partem, dividi potest [2]; ergo quod non habet partem extra partem nec per se nec per accidens [h] non potest dividi nec per se nec per accidens; sed anima est huiusmodi, cum sit substantia incorporea; ergo non potest dividi nec per se nec per accidens. — Forte diceret aliquis quod habet partem extra partem [i] secundum accidens, cum sit actus corporis, inseparabilis a corpore. — Contra: Cum sit actus corporis, non est in singulis partibus secundum diversas partes substantiae suae, sed totaliter secundum sui substantiam, quia tota est in qualibet parte sui [3]; ergo non dividitur secundum partes per accidens, eo quod est actus corporis; cum ergo [k] anima non dividatur per se vel per [l] accidens in partes, non est sui multiplicativa; ergo anima non erit ex anima.

b. Praeterea, in anguillis [m] et in huiusmodi corporibus, cum dividuntur, non dicitur anima esse ex anima, sed compositum, quod est divisibile in potentia, est divisum actu [4]; ergo, cum totum esset [n] animatum antequam descinderetur, non est ibi nisi multiplicatio actu eius quod fuit prius in potentia et non [o] est anima ex anima.

c. Item, anima erat una secundum substantiam in capite anguillae et in cauda et similiter in principali parte plantae et secundaria; ergo, cum divisa est cauda a capite nec [p] nova substantia animae ibi fiat, necesse erit quod [q] una substantia animae sit [r] in cauda decisa et in capite a quo separatur; ergo non dicetur quod anima sit ex anima, sed una multae, quia est in diversis substantiis. Numquid similiter est quod unum generatur ex altero, ut planta ex planta et animal ex animali?

[Solutio]: 1-4. Ad quod dicendum [s] quod divisio corporis animati in partes actu separatas non facit quod anima sit ex anima nec quod unum animatum sit ex alio vel de alio, sed quod est multum [t] in potentia, iam est multum in actu, et anima una est multorum et multae per accidens, sicut in divisione anguillae contingit et in corporibus anulosis [5]. Sed secus est in iis quae fiunt per generationem: ibi enim est dicere quod animatum est ex animato, et multae sunt animae secundum id quod sunt et secundum id quod sunt actus, quia animatum habet potestatem multiplicandi in multiplicatione sui susceptibilis naturaliter. — Differt autem in parte haec multiplicatio ab illa quae est in formis corporalibus, ut igneitate, quia ibi forma sequitur divisionem materiae utroque modo [u] ut possit per se subsistere, hic autem nonnisi uno modo, ut simpliciter substet: non enim cauda potest per se subsistere in animatione, licet ad horam, ignis vero divisus per se potest subsistere. Praeterea, igneitas partem habet extra partem in igne: unde et maior dicitur in maiori igne et minor in minori [6]; anima vero non sic: neque enim habet partem extra partem [v] nec est maior in maiori nec minor in minori. In hoc autem est

---

[a] VT *tamen* pro *tum*, item infra. [b] T om. [c] Ita V, alii *fuit*; Z *aeris* pro *arboris*. [d] L om. *s. f. i.* [e] RLCZ *per*. [f] T add. *igitur*. [g] S *contra natura* pro *n. e.* [h] V om. *nec... accidens.*, quod R exp. [i] ST om. *e. p.* [k] T om. [l] RLCZ *secundum*. [m] Ita V, alii *anguilla*. [n] C *esse*. [o] C *hoc*. [p] T add. *non*. [q] ST om. [r] RL *fit*; V *derisa* pro *decisa*. [s] Ita V, alii add. *est*. [t] VST *multa*, item infra. [u] R om. [v] VST om. *e. p.*

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 4 (II, 517).
2 Cf. Aristot., *De gener. et corrup.*, I, c. 2 (II, 436).
3 Cf. Augustin., *De Trinit.*, VI, c. 6, n. 8 (PL 42, 929); S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 2, a. un., q. 3 (I, 170sqq.).
4 Cf. Aristot., *De anima*, I, c. 5 (III, 443).
5 Cf. Aristot., loc. cit., c. 4 et II, c. 2 (III, 440, 446); *Metaph.*, VI, c. 16 (II, 556).
6 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, II, c. 8 (II, 463).

convenientia, quod utrobique est similium ex similibus productio: unde [a] animatum dicitur ex animato. Anima vero ex anima non ita proprie dicitur; quod si diceretur in plantis et [b] quibusdam animalibus, non tamen diceretur in omnibus: nullatenus enim [c] in homine, sicut infra [1] ostendetur.

ARTICULUS II. 326

Utrum in animalibus anima sensibilis sit ex sensibili [2].

Consequenter procedendum est ad inquisitionem originis animae in animalibus quae fiunt ex putrefactione, sicut in vermibus.

Dixerunt enim quidam [3] quod corpora caelestia inducunt animam sensibilem in huiusmodi animalibus. Alii [4] vero dixerunt quod spirituales substantiae, quae movent corpora caelestia, inducunt illam in huiusmodi corporibus. Tertii [5] vero dicunt eam esse a Deo creatam.

1. Primi vero inducuntur ad hoc quod [d] corpora supercaelestia per se sint [e] causae, quia secundum mutationem in superioribus factam fit mutatio sive generatio huiusmodi animalium [f]: unde in vere, cum sol accedit, tunc maxime generantur, similiter in aestate et autumno, minime autem in hieme [6]. — Sed contra est quod corporalis virtus non est principium rei incorporeae, cum res incorporea sit essentiae nobilioris virtute corporali; ergo non sunt supercaelestia corpora sufficiens principium generationis iam dictae qua [g] fiunt animae sensibiles.

2. Si vero dicatur quod substantiae spirituales, moventes corpora supercaelestia, sint [h] principia animarum, ita quod corpora caelestia disponunt materiam, sed perfectio inducitur a motore supercaelesti, et sic corporeum a corporeo et incorporeum ab incorporeo — contra hoc est quod dicunt Sancti solum Deum esse Creatorem [7]. Si vero huiusmodi animae producantur in esse a virtute supercaelesti incorporea, aut de nihilo fierent [i]: tunc diceretur creatrix illa virtus supercaelestis: quod est [k] impossibile; aut ex aliquo praeexistenti: illud non esset corporeum, cum ex corporeo incorporeum non producatur; si vero ex incorporeo, eadem est quaestio de illo et sic in infinitum. Nec ex se [l] naturaliter producit, cum [m] virtus incorporea caelestis sit separata a corpore, haec autem [n] est inseparabilis a corpore; non ergo producitur huiusmodi anima sensibilis a virtute incorporea supercaelesti quae sit creata.

3. Si vero dicatur ultimo propter iam dicta quod adaptatio est materiae a corporibus supercaelestibus vel ipsis mediantibus, sed anima sensibilis, quae est complementum, est a Deo — secundum hoc obicitur quod non erit verum quod solus intellectus, id est substantia habens intellectum, sit ab extrinseco, sicut habetur in libro *De animalibus* [8]. Praeterea, si esset ab extrinseco haec anima sensibilis, a nobiliori principio esset forma in iis quae fiunt putrefactione quam in iis quae fiunt generatione, et ita essent entia nobiliora: quod cum non sit, non erunt animae in huiusmodi corporibus immediate a Deo. Praeterea, quare non essent separabiles [o] huiusmodi animae? cum provenirent [p] ab extrinseco omnino nec dependerent [q] nisi a Deo quantum ad suum esse.

[Solutio]: 1-3. Ad quod potest responderi quod sicut in semine deciso secundum naturam est quidam motor incorporeus [9], quo mediante dispositio fit ad perfectionem quae est anima, ita in iis quae fiunt putrefactione est quidam motor incorporeus, quo mediante fit dispositio ad perfectionem quae est anima. Nec tamen ab illo motore creato dicitur creari, quia creatio est de nihilo, hic autem est [r] productio de existenti secundum quamdam similitudinem, licet remotam [s]. Si vero dicitur creari a Deo forma ultima, dispositio vero [t] sit materiae ab actione corporum supercaelestium [u], non propter hoc est nobilior forma in putrefacto quam in iis [v] quae fiunt secundum univocam rationem, quia [x] ibi dicitur fieri forma ultima a Deo disponente, movente naturali materiam. Sic enim videtur Augustinus dicere, in libro *De Trinitate* [10], cum ponit agricolam disponentem materiam, Deum autem [y] creatorem, id est conditorem formae, et motorem in supercaelestibus

[a] V om. *est... unde.* [b] T *in*, L add. mg. *in.* [c] Ita V, alii *autem.* [d] V *quia.* [e] V *sunt.* [f] V *in huiusmodi animalibus* pro *h. a.* [g] LCZ *quia.* [h] RLCZ *sunt*; Z *principium* pro *principia.* [i] Ita V, alii *fieret et.* [k] V *esset.* [l] V om. [m] V *et.* [n] S om. [o] R *sensibiles.* [p] Ita V, alii *proveniant.* [q] STR *dependent*, quod L corr. [r] V om. [s] V om. *l. r.* [t] Ita V, alii om.; LCZ *fit* pro *sit.* [u] Ita V, alii *celestium.* [v] Z *aliis*; V om. *quae fiunt.* [x] RLCZ add. *et.* [y] S om.

1 Cf. infra, num. 327.

2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 7, p. 2, a. 2, q. 1 et d. 15, a. 1, q. 1, ac dist. 31, a. 1, q. 1 (II, 196 sqq., 372 sqq., 742 sq.); Pseudo-Lincoln., *Summa philos.*, tr. 5, cc. 24-28 (p. 362 sqq.).

3 Cf. Aristoteles, *Phys.*, II, c. 2, (II, 262 sq.) et *Meteor.*, I, c. 2 (III, 552 sq.).

4 Cf. Plato, *Timaeus*, 41 (p. 45); Avicenna, *Metaph.*, IX, c. 5 (f. 105b sq.).

5 Cf. Averroes, *Metaph.*, text. 7 (f. 109a), et VII, text. 31 (f. 85b).

6 Cf. Aristot. *De gener. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 465); Augustin., *De Trinit.*, III, c. 9, n. 17 (PL 42, 878).

7 Cf. supra, num. 24.

8 Aristot., *De animal. generat.*, II, c. 3 (III, 351).

9 Cf. Aristot., loc. cit.

10 Lib. III, c. 8, n. 13 (PL 42, 876).

disponentem materiam [a], Deum autem formae conditorem. Nec propter hoc esset forma separabilis, quia non condidit eam Deus nisi dependentem in esse et operatione a susceptibili; non sic autem est in anima rationali. — Quod autem Philosophus dicit animam intellectivam esse ab extrinseco, hoc est non tantum propter agentem ultimum, qui est extrinsecus — sic enim est in formis primo creatis, quae tamen non sunt separabiles — sed hoc est quia non dependet suum esse ab intrinseca causa, sed tantum ab extrinseca causa. Fatendum est [b] ergo vel ultimam formam esse a motore creato, non tamen creari, sed fieri in existente per similitudinem remotam, vel a Deo creari, id est condi, dispositionem vero, tam in iis quae fiunt secundum univocam rationem quam non univocam, fieri ab agentibus creatis [1].

327 ARTICULUS III.

Utrum anima rationalis sit ex traduce [2].

Deinde proceditur ad originem animarum nostrarum rationalium, I. utrum possint dici esse [c] animae ex anima, et vocant [d] hunc modum essendi 'esse ex traduce'.

1. Quod quidam [3] adstruunt propter originale peccatum quod a patribus descendit ad filios; originale autem, cum sit peccatum, erit in anima, et ideo dicebant quod sicut de carne paterna caro pueri originaliter producitur, ita de gignentis anima, anima geniti deduci aestimetur.

Sed contra hoc obicitur, *a.* sicut obicit Hugo [4]: « Ratio prima est quod spirituali naturae non [e] convenit neque ex materia esse, quoniam essentialiter simplex est, sed neque materiam esse, quoniam, in unitatis suae simplicitate individue semper consistens, augeri vel multiplicari omnino non potest. Simplex enim natura propagationem non facit, ubi [f] ad id quod propagandum est ab eo a quo [g] propagandum est, pars sumi non potest, nisi totum transierit. Quod ergo unum est inter duo, si totum transierit, nihil ex eo remanet illi a quo est; si autem totum permanet, nihil confertur [h] illi ad quod est. Si igitur anima ex anima gignitur, sicut caro ex carne, dicant quo modo [i] simplex illa substantia aut tota in gignente remaneat, si in genitum transierit, aut tota in genitum transeat, si in gignente remanserit. Nisi forte omnes animas consubstantiales dicere velint et illam naturam simplicem in propagatione filiorum personaliter multiplicari, sed essentialiter non dividi, non attendentes quanta inconvenientia hanc assertionem sequantur [k], si una et eadem essentia simul beatitudini et [l] damnationi, gloriae et poenae addicta credatur. – Postremo, cum dicat auctoritas [5]: *Revertatur pulvis in terram de qua sumptus est et spiritus redeat* [m] *ad Dominum qui fecit illum,* manifeste ostenditur quod [n] non spiritus de spiritu, sed caro de carne transducatur materialiter. Quamvis enim nostra corpora primo loco materialiter de terra non [o] sint, idcirco tamen non [p] inconvenienter de terra sumpta esse dicuntur, quia primi hominis corpus, a quo nostra corpora materialiter descenderunt [q], de terra per materiam sumptum est. Quod, licet sub eodem [r] intellectu de spiritibus quoque nostris, etiam si [s] ex traduce esse crederentur, dici posset quod a Domino dati sunt in eo quod a Domino datus est ille primus spiritus, a quo per materiam descenderunt [t]: tamen in hoc probabilius constat animas ex traduce non esse, quod sicut in primo homine corpus de terra sumptum, spiritus vero a Domino datus legitur, ita etiam ratio expostulat ut in sequentibus quidem omnibus caro quidem de carne descendere, spiritus autem a Domino venire credatur. Propterea, cum in Lege scriptum sit [6]: *Si quis percusserit mulierem praegnantem et illa abortivum* [u] *fecerit, si non fuerit formatum, mulctetur pecunia, si autem formatum fuerit, reddat animam pro anima,* aperte declaratur quod [v], cum caro ex carne seminatur, anima similiter ex anima non trahitur. Si enim cum carne anima seminatur, quare in abortivo et non-formato anima pro anima non redderetur [x]? Cum igitur in abortivo tantum [y] formato anima pro anima reddi iubetur, quid nisi in eo [z] quod necdum formatum est, adhuc animam non esse ostenditur? ut videlicet,

---

[a] V om. [b] RLCZ om.; V om. *vel.* [c] RLCZ om. [d] Z *vocat.* [e] V om. [f] VTL *nisi.* [g] R *quod* pro *a. q.*; LC om. *a. q.* [h] V *confert.* [i] V *quando* pro *q. m.* [k] VSTZ *sequatur.* [l] S om. [m] S add. *et.* [n] STC *quia.* [o] R add. *sic.* [p] T om. [q] S *descendunt.* [r] Ita V, C *quocumque,* alii *quoque*; V *quia* pro *quod.* [s] V *ut,* alii *non*; RLZ *extraducte* pro *ex traduce,* item infra. [t] L *descendunt.* [u] VS *abortum.* [v] VSC *quia.* [x] Z *proredderetur,* quod L corr.; V om. *non.* [y] VST *tamen,* LCZ *tum,* R *et non.* [z] S *eum.*

1 Cf. Augustin., loc. cit., c. 9 (PL 42, 877 sqq.).
2 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 18, c. 7 (p. 392); S. Bonav., II *Sent.*, d. 18, a. 1, q. 3 (II, 451 sqq.).
3 Nempe Tertullianus, *De anima,* c. 19 (PL 2, 681 sq.); cf. Augustin., *Epist.* 166, *De origine animae ad Hieronym.* (PL 33, 720 sqq.); *De Gen. ad litt.,* X, cc. 25 et 26 (PL 34, 427 sq.).
4 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 7, c. 30 (PL 176, 299 sq.).
5 Eccle. 12, 7. Cf. Hieronym., in h. l. (PL 23, 1112).
6 Exod. 21, 22.

quemadmodum in primo homine prius corpus formatum, deinde animam infusam legimus, ita etiam in subsequentibus omnibus prius in vulva corpus humanum formari, deinde animam infundi credamus. Quod si cui forte mirum videatur quo modo paternum semen in vulva ante animationem vel crescere possit vel [a] vegetari vel etiam usque ad humani corporis effigiem promoveri, videat quo modo arbusta et plantae et germina universa, eiusmodi animam non habentia, sola viriditate vegetentur et crescant et [b] motu suo in formam proprio generi convenientem producantur. Iis igitur et huiuscemodi [c] rationibus probabile factum est animas ex traduce non esse, sed novas de nihilo creatas, novis quotidie corporibus, de paterno semine in vulva formatis, ad vivificationem infundi ».

b. Item, in libro *Quaestionum Veteris* [d] *Testamenti*[1]: « Inhonestum puto si dicantur animae [cum] corporibus generari ut [e] anima nascatur ex anima, quod nec ipsi animae competit [f], aut si certe singulae caelestes potestates factae sunt [g] et ex ipsis ceterae natae sunt, potest ex una Adae anima credibile [h] videri ceteras nasci. Sed non convenit, quia [i] soli Deo hoc possibile fuit ut simplex generaret nec ceteris concederetur. Quod tam mysticum [k] est in causa Salvatoris, ut non solum a solis Gentilibus [l] vel Iudaeis, verum etiam ab ipsis qui christianos se dicunt [m], incredibile putetur. Nam si eo tempore quo seminatur corpus, et anima generatur ex anima [n], de Adam costam legimus sublatam, non tamen animam natam ex anima; sed si costa secum habuit animam, iam non nata est, sed detracta in partem. Sed nec hoc scriptum est. Propheta enim Zacharias ait inter cetera[2]: *Qui* [o] *plasmavit*, inquit, *animam hominis in eum.* Nec Isaias ab [p] iis dissentiens, ait[3]: *Qui fecit et finxit te in utero.* Si ergo in utero fingitur, iam formato corpori [q] tribuitur. Cum enim omnia membra implet corporis, figurata dicitur in corpore, ut sicut aqua, cum sit sine effigie, missa tamen in vas [r], figurata videtur, ita et anima, cum sit [s] natura incorporea et simplex, formatur in corpus, singula membra vivificans ».

c. Item, in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*[4]: « Animae non cum corporibus seminantur, ut Luciferiani dicunt [t] ».

d. Item, Gen. 2, 23: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea;* et non est dictum quia anima sit de anima; per quod datur intelligi quod animae rationales non sunt de anima primi hominis nec originem habent secundum modum istum.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur de originali peccato, respondeo quod traductio originalis peccati non est per hunc modum, sed mediante carne corruptionem libidinosam secum deferente, anima vero, coniuncta carni sic [a] corruptae, trahit corruptionem secundum modum suum primo culpabilem et deinde poenalem, non quia anima parvuli sit de anima Adae, sed quia anima Adae [b] non servavit sibi et posteritati rectitudinem originalem.

2. Praeterea, si diceretur indifferenter de unaquaque anima rationali quod fieret de materia spirituali praeexistente, tunc obicit Augustinus, *Super Genesim*[5], quia illa anima aut est vivens aut non est vitam habens. Si non est vitam habens: quo modo ergo est materia viventis substantiae ut ex qua fiat? Si vero [c] est vivens: aut tantum vegetabili vita vel tantum sensibili aut vita rationali. Si tantum vegetabili, esset planta et anima rationalis fieret ex planta. Si vero [d] sensibili tantum, esset materia rationalis animae brutum. Si vero habet vitam animae rationalis, ergo esset anima, et ita pari ratione fieret hoc ex illo sicut e converso, cum esset aeque [e] completum. Non ergo anima rationalis facta est vel fit ex materia spirituali praeexistente; est ergo ex nihilo facta et ita creata.

II. Sed adhuc est quaestio utrum anima facta sit ex materia corporali praeiacente vel alia anima[6].

Quod primum non videtur: *a.* Quia corporeum minus nobile est in genere incorporeo; sed principium, in quantum huiusmodi, nobilius est eo cuius est principium vel ad minus aeque nobile; ergo incorporeum non habebit materiam corpoream ex qua [f] fiat.

b. Praeterea si materia esset corporea, aut forma similiter esset corporea aut incorporea. Si esset corporea, ergo non produceretur nisi corporeum compositum; non ergo anima, cum sit res incorporea. Si vero forma esset incorporea, compositum ex illis aut nec esset corporeum nec incorporeum in genere substantiae — quod est impossibile — aut compositum esset corporeum, et ita anima esset corporea, sicut homo qui componitur ex anima et corpore. Ergo non est possibile animam fieri ex materia corporali.

---

[a] Ita RC, alii *aut*. [b] V *in*. [c] Z add. *gratia*; RLZ om. *igitur*. [d] VST *novi*. [e] T add. *etiam*. [f] V *convenit*; R om. *animae*; C *terre pro certe*. [g] VSTC *sint*. [h] V *credi*, ST *creabile*. [i] L om., R *sed*, S add. *mg. hoc*. [k] VS *causa iusti cum*, T *tamen iusti cum pro t. m.* [l] S *gentibus*, quod V corr. [m] T *ducunt*, quod L corr. [n] V om. *e. a.*: L *costa* pro *costam*. [o] T add. *etiam*. [p] R *in*. [q] Ita R (corr.), alii *corpore*; Z om. *iam*. [r] Codd. *vasis*. [s] T om., S *fiat*. [t] V *dicuntur*.
[a] V *sicut*. [b] S om. *s. q. a. A.* [c] V *ergo*. [d] Codd. add. *ex*. [e] T om. [f] V *quo*.

1 Cap. 23 (inter opp. Augustini PL 35, 2229).
2 Zach. 12, 1.
3 Isai. 44, 2.
4 Gennad., c. 14 (PL 58, 984).
5 Lib. VII, c. 7 (PL 34, 359). Cf. supra, num. 828.
6 Cf. Augustin., loc. cit., cc. 9 et 12 (PL 34, 360 sq.).

TITULUS II.

DE CAUSA FORMALI, EFFICIENTE ET FINALI ANIMAE.

Dictum est de anima humana quod non est de [a] Dei substantia, sed a Deo, nec fit [b] de substantia corporali nec de intelligibili praeexistente [1].

328

CAPUT I.

UTRUM ANIMA HUMANA SIT COMPOSITA EX MATERIA ET FORMA [2].

Consequenter, quia est una consideratio inquirendi [c] utrum habeat causam formalem et utrum habeat causam materialem, secundum quod forma est illud quod cum materia constituit totum [3], restat inquirere si anima humana composita sit ex materia et forma: de illa enim est nostra intentio principalis.

Quod videtur *a.* per hoc quod dicit Boethius, in libro *De Trinitate* [4]: « In omni eo quod est citra Primum est hoc et hoc », et loquitur de iis quae sunt substantiae per se, ad differentiam formae et materiae, quia aliter esset abire in infinitum; sed anima humana est talis, quia est per se existens: quod patet ex separatione et ex [d] motu; ergo habet in se « hoc et hoc »; sed hoc non erit materia et materia vel forma et forma: alterum enim esset supervacuum; ergo erunt [e] illa duo materia et forma; ergo anima habet materiam et formam.

b. Item, Dionysius [5]: « Post monadem sequitur binarius »; sed prima monas est Deus; ergo cum sequatur primus binarius — et [f] non loquitur de binario composito ex illa unitate, sed de rebus se habentibus per modum numerorum: sic [g] enim dicit Boethius [6] quod omnia, quae sunt a prima arte, numerorum ratione videntur esse formata [h] — ergo, cum non sit nisi primus binarius [7] materiae et formae, erunt [i] substantiae spirituales quae immediate sunt post primam substantiam, quae est Deus, ut angelus et anima, habentes materiam et formam.

c. Item, nihil est agens et recipiens secundum idem in se omnino [8]; cum ergo agere conveniat formae et recipere materiae, erit anima humana habens utrumque, et ita composita; et haec ratio cum praedictis extendit [k] se ad alias animas.

d. Item, in anima humana est intellectus quo est omnia facere et quo est omnia fieri sive agens et possibilis [9], et iste non est ille; ergo, cum intellectus possibilis sit potentia respondens parti receptivae, intellectus agens parti activae, necesse est ante istam pluralitatem potentiarum [l] esse pluralitatem partium essentialium.

e. Item, omne agens, cuius actio non est [m] sua substantia, est agens non per se totum [n], sed per aliquid sui: et loquor de per se agentibus; sed omnis agentis praeter Deum est actio non sua substantia [10]; ergo animae; ergo anima habet aliquid sui per quod agit; ergo non est omnino simplex, sed composita.

f. Item, anima est movens corpus; et nihil idem secundum [o] substantiam est movens et motum [11]; ergo anima [p] est substantia praeter corpus et maxime humana; sed, cum ipsa sit substantia praeter corpus, habet quod patitur, sicut cum punitur, et quod agit, sicut cum convertit se super cognoscibilia; ergo, cum actio et passio dicant multiplicitatem oppositorum accidentium [q], necesse est oppositionem [r] principiorum praecedere.

Contra: 1. Augustinus, in libro *De quantitate animae* [12]: « Simplex natura animae dici potest, quia ex aliis naturis non est ».

2. Item, Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [13]: « Anima est substantia [s] spiritualis, simplex, indissolubilis ».

3. Item, omnis essentia nobilior est quam sua potentia vel ad minus aeque nobilis; sed intellectus

[a] T om., in R est add. interl. [b] V *sit.* [c] LCZ *inquirenda.* [d] R om. [e] STLC *erit.* [f] RLCZ om. [g] Z *sicut.* [h] V *forma.* [i] Ita V, alii *erant.* [k] S *contendit.* [l] V *personarum*; LCZ *ista* pro *istam.* [m] T add. *una.* [n] V *tantum.* [o] T add. *suam.* [p] Z add. *non.* [q] T *agentium.* [r] T *oppositum*; RLCZ *erit* pro *est.* [s] V om.

1 Cf. supra, num. 322-327.

2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 33 et supra, num. 59-63.

3 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 2 (II, 515).

4 Cap. 2 (PL 64, 1250).

5 Cf. *De div. nomin.*, c. 4, § 21 (PG 3, 722, PL 122, 1141); c. 13, § 2 (PG 3, 978, PL 122, 1119).

6 Cf. supra, num. 27 et 28.

7 Cf. Pseudo-Lincoln., *Summa philos.*, tr. 4, c. 8 (p. 310), ubi fuse de isto famoso binario agitur.

8 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 2 (III, 463).

9 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 5 (III, 468).

10 Cf. supra, num. 116-118.

11 Cf. Aristot., *Phys.*, VII, c. 1, VIII, c. 5 (II, 333, 350).

12 Cap. 1, n. 2 (PL 32, 1036), ad sensum.

13 Cap. 24 (inter opp. Augustini PL 40, 796).

est potentia animae et est simplex; ergo eius essentia erit simplex.

4. Item, anima humana [a] est ad imaginem Dei, sicut dicit Augustinus [1], quia [b] anima humana habet vires suas ad quamdam imaginem Trinitatis summae, ut sunt memoria, intelligentia et [c] voluntas: una mens, una essentia, una vita, sicut Pater et Filius et Spiritus Sanctus [d] sunt una essentia. Sicut ergo pluralitas personarum non repugnat simplicitati essentiae divinae [2], ita nec pluralitas virium repugnabit simplicitati animae humanae.

5. Item, si formam contingit esse simplicem, non compositam scilicet ex [e] materia et forma, et ibi esse statum, propter quid non potest anima humana esse simplex, non habens formam partem sui, sed quod ipsa sit forma?

6. Item, angelus et anima humana conveniunt in genere et differunt in specie [3]; sed [f] omnia sic convenientia et differentia habent genus et differentiam; ergo hanc compositionem habent, et propter hoc, licet habeant hanc compositionem, nihil prohibet simplicitatem habere. — Sed huic videtur obviare quod dicitur [4] illi compositioni rationali altera compositio [g] respondere in natura, scilicet quae est ex materia et forma. Aliqui [5] etiam volebant dicere quod anima habet compositionem in hoc tantum quod [h] ipsa est non se ipsa, sed dependens secundum esse suum a Deo, et ideo [i] dicatur in ea differre 'quod est' et 'quo est'. Sed nos [k] non inquirimus hic hanc differentiam: sic enim formae essent compositae, quae sunt creatae in materia; sed nos loquimur de compositione ex materia et forma, prout dicitur forma materiae non per se subsistere, sed in materia, animam vero per se subsistere, non tantum in materia, et ita formam non habere compositionem, sed animam. Eodem modo forma non movet suam materiam localiter, quia non est quid actu praeter suam materiam; anima vero movet ipsum corpus quod est perfectum ab ea, et ideo non dicitur tantum forma, sed in se substantia.

[Solutio] [6]: Ad quod dicendum quod anima humana dicitur composita ex forma et materia intellectuali. Nullatenus autem sic habet materiam et formam sicut dicuntur corpora habere materiam et formam, sive sint caelestia sive inferiora: materiae enim corporalis terminus est magnitudo [7], spiritualis autem materiae non est terminus; et ideo [l], in libro *De generatione,* dicit [m] Philosophus [8]: « Impossibile est materiam esse absque magnitudine », loquens de materia corporali.

Ad obiecta autem in contrarium respondendum: 1. Ad primum [n] quod simplex, cum dicitur de anima et de angelo, intelligitur in comparatione, scilicet ad corpora quae habent compositionem ex partibus quantitativis, prout dicitur quod corpus est ex corporibus ut est divisibile in infinitum; sed non dicitur simplex absolute: sic enim convenit Deo esse simplicem [9].

2. Ad illud quod dicit Augustinus animam esse indissolubilem et ita non compositam: dicendum [o] quod compositum est dissolubile secundum intellectum, sed non quod pars stet extra partem; sed anima dicitur indissolubilis, quia non desinit esse: fit enim ibi sermo de anima rationali, et ideo non est hoc de ratione animae.

3. Ad tertium dicendum quod, licet essentia dicatur nobilior quam sua potentia in hoc quod potentia dependet ab essentia et non e converso, non tamen in simplicitate opposita compositioni principiorum oportet esse nobiliorem [p], quia sicut intellectus est simplex comparatione ad vires sensibiles, ita anima simplex est comparatione ad sensibilem et vegetabilem.

4. Ad quartum dicendum quod, licet anima dicatur ad imaginem divinae [q] Trinitatis, quia pluralitas virium est unius essentiae, respondeo quod hoc [r] non est tota ratio, sed quia pluralitas est talium virium, memoriae, intelligentiae et voluntatis, quae sic se habent ut intelligentia sit a memoria et voluntas ab utroque. Secundum autem intellectum possibilem et agentem non est anima humana ad imaginem: non enim in Deo [s] est intellectus possibilis sive materialis. Et ideo recte loquendo, licet illa pluralitas non attestetur multiplicitati sive compositioni essentiae, haec pluralitas attestatur compositioni essentiae.

5. Ad quintum dicendum quod non est simile de forma et anima: forma enim, praeter hoc quod est materiae forma, non habet aliquam actualitatem; sed anima praeter hoc quod est anima, habet virtutem quamdam secundum quam dicitur [t] habere compositionem propriam, cui respondet agere et pati, etiam cum est separata.

---

[a] Z om. [b] S *quod.* [c] RLCZ om. [d] ST om. [e] T om. [f] VT add. *et.* [g] V om. [h] VSTC *quia.* [i] C *ita.* [k] RLCZ om. [l] V om. [m] Ita V, alii *dixit.* [n] Ita V, TC *dicendum,* SRLZ *dicendum est* pro *r. a. p.* [o] T add. *est.* [p] T *nobilitatem.* [q] Z om. [r] STC *hec.* [s] Z *idcirco* pro *i. D.* [t] ST *dicetur.*

1 *De Trinit.,* X, c. 12 et XIV, c. 8 (PL 42, 984, 1044).
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 82.
3 Cf. supra, num. 112.
4 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.,* I, c. 7 (II, 447).
5 Cf. supra, p. 75, *ad 2.*
6 Cf. supra, num. 106; S. Bonav., II *Sent.,* d. 17, a. 1, q. 2, *Respondeo* (II, 414sq.).
7 Cf. Aristot., *Metaph.,* II, c. 4 (II, 497).
8 *De gener. et corrupt.,* I, c. 5 (II, 442).
9 Cf. Damasc., *De fide orthod.,* II, c. 3 (PG 94, 867).

329

CAPUT II.

DE CAUSA EFFICIENTE ANIMAE.

Hoc habito, consequenter dicendum est de causa efficiente animae humanae et animae sensibilis propter errorem quorumdam qui deinceps [1] recitabitur et in parte supra [2] tangebatur.

I. Ostenditur autem quod anima non potest habere aliam causam efficientem quam Deum, licet quidam [3] vellent dicere angelicas intelligentias effectrices animarum rationalium [a], 1. ex hoc innuentes argumentum quod mediae sunt inter Deum et animam rationalem et habent posse [b] super eam consulendo, movendo [c] secundum aliquod genus motus. Sicut ergo videtur se habere actus ad actum, ita potentia [d] ad potentiam et substantia ad substantiam.

2. Praeterea, per lucem primo die factam intelligitur essentia angelica [4]; sed in luce corporali videmus quod ipsa est motor per quam fit aer ex aqua et mutua [e] elementorum conversio; si ergo sic se habet ipsa lux [f] spiritualis ad spirituales substantias, erit ipsa causans [g] esse in spiritualibus substantiis.

Sed obviat *a.* quod dicitur in Psalmo [5]: *Qui finxit sigillatim corda eorum*; fingere autem intelligitur facere, per *corda* autem intelliguntur animae; ergo anima humana habet Deum tamquam [h] causam efficientem.

b. Item, de sola anima humana dicitur [6]: *Inspiravit in ipsum spiraculum vitae;* ergo ipsa sola per praerogativam dicitur facta a Deo, non habens aliud principium, non quin aliae habeant causam ab ipso.

c. Item, in libro *De ecclesiasticis dogmatibus* [7]: « Animae hominum non cum [i] corporibus seminantur, sicut Luciferiani et Cyrillus et aliqui latinorum praesumptores affirmant, quasi naturae consequentia serviente. Sed dicimus corpus tantum per coniugii copulam seminari, creationem vero animae solum Creatorem omnium nosse [k], Dei vero iudicio coagulari in vulva atque formari corpus ac formato iam corpore animam creari et infundi, ut vivat in utero homo ex anima constans et corpore et egrediatur vivus [l] ex utero, plenus humana substantia ».

d. Item, anima rationalis, sicut supra habitum est [m 8], de nihilo creata est; ergo non potest habere aliquam creaturam efficientem, cum creaturae [n] sit esse de nihilo, et ita esse terminum creationis, non principium, sicut supra [o] habitum est [9].

e. Praeterea, anima rationalis, sicut angelica intelligentia, in hoc perficitur quod non habet finem, cum habeat principium; ergo neutra est ab altera [p], cum sint aequalis conditionis in esse.

[Solutio]: 1-2. Falsa est ergo sententia, immo error, cuiusdam philosophi [10] dicentis quod principium cuiuslibet motus qui est in mundo, est motus caeli, et cuiuslibet [q] animae cuiuscumque animati principium est anima caeli. Unde dicit quod omnes virtutes, quae proveniunt [r] a caelo ad mundum istum, sunt quatuor: prima est aptatrix compositionis et coniunctionis quae sufficit in compositione liquabilium; secunda dat animam augmentativam augmentabili; tertia dat animam vivam cuilibet vivo, et vocat animam vivam sensibilem; quarta [s] dat animam rationalem cuilibet loquenti. Haec vero omnia fiunt mediante luce [11] et mediante circuitu caeli super terram, et sicut si quiesceret cor a motu suo, quasi in ictu oculi moreretur homo et destruerentur motus eius, sic si motus caeli quiesceret [t] per punctum horae, periret mundus et destruerentur omnia, quae in ipso sunt, et sicut humanum corpus, constitutum ex membris, habet unam animam, ita caelum cum suis [u] contentis habet unam animam [v] quae dicitur anima mundi [12]. Non enim intelligit [x] quod ista corporalia facta sint [y] propter substantiam animae rationalis, quae est separabilis, et non e converso, nec quod tunc erit verissimum esse caeli et superiorum et ipsius hominis, cum nullus erit motus, sicut erit post iudicium, et quod [z] in homine est principium movendi secundum voluntatem, non dependens a motu caeli. Nullatenus ergo causam efficientem est ponere animae rationalis nisi Deum: nec

[a] V om. [b] V *potestatem*, S *post se*. [c] Z *monendo*. [d] C *potentiam*. [e] TRLCZ *mutuo*. [f] V om. [g] V *creans*. [h] Ita V, alii om. [i] V *in*, ST om. [k] Z add. mg. *et facere*. [l] Z *unius unus*. [m] T om. [n] V *creari*. [o] C om. [p] V *nec una*; C *sit* pro *sint*. [q] T om. *motus qui... cuiuslibet*; LCZ *cuiusquam* pro *cuiuscumque*. [r] V *perveniunt*; L om. *a caelo*. [s] Ita V, alii add. *vero*; R *cuiuslibet* pro *cuilibet*. [t] C om. [u] R *eius*. [v] L om.; C om. *ita... animam*. [x] Z *intelligitur*. [y] RLZ *fuerunt*; C *sunt* pro *f. s.* [z] V *quia*.

1 Cf. hic infra, nota 3.
2 Cf. supra, p. 386b et num. 322 et 326.
3 Nempe Seleuciani et Neoplatonici. Cf. Augustin., *De haeres.*, n. 59 (PL 42, 41); S. Bonav., II *Sent.*, d. 18, a. 2, q. 3 et d. 1, p. 1, a. 2, q. 2 (II, 452, 29).
4 Cf. supra, num. 278.
5 Psalm. 32, 15.
6 Gen. 2, 7.
7 Gennad., c. 14 (PL 58, 984).
8 Cf. supra, num. 327.
9 Cf. supra, num. 41-50.
10 Cf. Avicenna, *Metaph.*, IX, c. 2 (f. 102b sqq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 1, a. 3, q. 2, *Respondeo* (II, 348 sqq.).
11 Cf. supra, num. 266.
12 Cf. supra, num. 96.

angelum nec animam [a] mundi, nisi ipse Deus dicatur anima mundi. Unde, licet angelus rationem habeat aliquo modo movendi animam, non habet per modum imperii, sed per modum consilii [1]. Et sicut est in optione eius cui [b] consulitur, consentire vel non consentire, ita est in optione animae consentire vel non consentire angelo consulenti. Falsa autem est [c] positio antiquorum philosophorum [2], per quam pervenerunt ad hoc ut dicerent mediantibus intelligentiis fieri animas rationales, qua dicebant ab uno simplici non [d] provenire immediate nisi unum simplex [3]: unde intelligentia angelica fuit immediate a Deo, anima vero rationalis mediante angelo. Nec est simile de motore corporali ad sua mota et motore spirituali, qui est angelus, ad substantias spirituales, quia motor corporalis, qui est lux, movet corpora secundum naturam [4], motor vero spiritualis movet substantias spirituales, ut angelos inferiores vel animas rationales, excitando consensum, non compellendo vel necessitatem inducendo, sed quantum est voluntas divina, tantum possunt super [e] substantias inferiores spirituales [5].

Si vero quaeratur quare non dicitur anima rationalis ab anima tamquam efficienti, cum sit univoca [f] generatio in hominibus, quemadmodum est in brutis vel vegetabilibus sive aliis generabilibus: Respondendum est, secundum auctoritatem in libro *De ecclesiasticis dogmatibus* [6], quod unaquaeque anima rationalis quoad hoc consimilem habet modum procedendi in esse, ut sicut [g] anima Adae infusa est creando ipsi corpori formato de limo terrae, ita anima Petri infusa est creando corpori formato de semine viri; univocatio autem generationis non propter hoc est in homine quia anima sit ab anima, sed quia corpus consimile producitur, cui datur forma a Deo Creatore. In formis autem inseparabilibus [h] a materia aliter est, ut forma dependeat a forma secundum naturam, cum sit [i] operatio naturalis.

II. Consequenter dicendum [k] de causa efficiente in plantis et brutis, quam [l] non est ponendum esse corporalem [m], cum rei incorporeae non sit corpus causa efficiens: nobilius enim est efficiens effectu [7]. Unde lux corporalis non est causa efficiens in iis, licet disponens sit ex parte materiae, qua dispositione existente sufficienter consequitur forma. Sed sicut a principio creatae [n] sunt huiusmodi formae, ita deinceps mediante existenti aliquo sunt productae. Et ideo dicitur, in libro *De ecclesiasticis dogmatibus* [8]: « Solum hominem credimus habere animam substantivam, quae exuto corpore vivit et sensus suos atque ingenia vivaciter tenet neque cum corpore moritur, ut Arabs [9] asserit, neque postmodum interitura [o], sicut Zenon dicit, quia substantialiter vivit. Animalium vero animae non [p] sunt substantiae, sed cum carne ipsa carnis vivacitate nascuntur et cum carnis morte finiuntur, ideo nec ratione reguntur, sicut Plato et Alexander [10] putant, sed ad omnia incitamenta naturae inducuntur ».

CAPUT III. 330

DE CAUSA FINALI ANIMAE RATIONALIS [11].

Deinde quaeritur de causa finali animae rationalis.

Et videtur *a.* propter hoc quod dicitur, in *Enchiridion* [12], quod finis sit [q] reparatio ruinae angelicae. Et similiter dicit Anselmus, in libro *De casu diaboli* [13] et *Cur Deus homo* [14]; et videtur accipi ex illo verbo Deuter. [15]: *Statuit terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei,* secundum aliam [r] translationem [16].

Sed obicitur contra hoc: 1. Si enim haec [s] esset ratio finalis, non existente casu angelorum non esset creatio animarum rationalium; sed contrarium cernitur, cum alterius speciei sit ista essentia quam illa et congruebat Creatori ad perfectionem universitatis universitatem generum

---

[a] Ita V, alii *angelus nec anima* pro *a. n. a.* [b] R *cuius.* [c] RL om., in Z est add. interl. [d] VST *animo.* [e] T om. [f] VST *unica.* [g] T om. [h] V *separabilibus.* [i] VST *est,* quod C corr. [k] Ita V, alii add. *est.* [l] Z *quod.* [m] Z *incorporalem.* [n] V *condite.* [o] LCZ *interituram,* quod R corr. [p] VSTR om. *a. n.,* in LCZ est add. mg. [q] Z *est.* [r] Z *illam,* quod L corr. [s] V *hoc.*

1 Cf. supra, num. 209-212.
2 Cf. Augustin., *De civit. Dei,* XII, c. 26 (PL 41, 375).
3 Averroes, *In Metaph.,* XII, c. 4 (VIII, f. 153d); cf. supra, num. 54.
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 141, *ad 5.*
5 Cf. supra, num. 194.
6 Gennad., cc. 14 et 18 (PL 58, 984 sq.).
7 Cf. Avicenna, *Metaph.,* tr. 6, c. 3 (f. 92c).
8 Gennad., cc. 16 et 17 (PL 58, 984 sq.); cf. *De spiritu et anima,* c. 48 (PL 40, 815).
9 Cf. Euseb., *Hist. eccles.,* VI, c. 37 (PG 20, 598); Augustin., *De haeres.,* c. 83 (PL 42, 46).
10 De Platonicis cf. Nemes., *De nat. hom.,* c. 2 (PG 40, 583 sqq.).
11 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 1, p. 2, a. 2, q. 2 et d. 19, a. 1, q. 5 (II, 45 sq., 250 sq.).
12 Cap. 29 (PL 40, 246).
13 Cf. c. 5 (PL 158, 334).
14 Lib. I, cc. 16, 17 et 18 (PL 158, 381 sqq.).
15 Cap. 32, 8.
16 Scilicet Septuaginta.

et specierum condere, ut in quo manifestetur sapientia, potentia et bonitas Dei; ergo non est ille finis conditionis animae rationalis.

2. Praeterea, si esset finis principalis, aut ergo esset propter bonos angelos aut propter malos: non propter bonos, cum non indigeant reparatione; nec propter malos, cum impossibilis sit eorum reparatio.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod finis principalis est participatio beatitudinis [1], secundum quod dicitur I Tim. 2,4: *Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire;* finis vero secundarius est reparatio angelicae ruinae.

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum ergo primum respondendum [a] quod, cum sit finis secundarius, licet starent angeli et sic non minueretur numerus angelorum fruentium et [b] sic non esset finis secundarius hominum, nihilominus esset finis principalis.

2. Ad secundum dicendum [c] quod est finis principalis angelorum, et quantum ad hoc non fit reparatio angelicae ruinae; et est finis secundarius, scilicet delectatio [d] in multitudine consortii angelorum fruentium, et quantum ad hunc finem, sicut minuebatur numerus fruentium per numerum [malorum] angelorum, ita augetur per profectum bonorum hominum.

Assignat iterum Magister, in libro *Sententiarum* [2], finem animae rationalis, dicens quod creata est « ut intelligeret summam bonitatem et intelligendo amaret et amando possideret et possidendo frueretur ». Animae vero assignatur finis in tribus differentiis, ut scilicet laudaret, serviret et frueretur [3]. Alibi [4] etiam, secundum Augustinum [5], ut videret, laudaret atque [e] gauderet sive diligeret. Quarum differentiarum ratio sic potest attendi, ut 'intelligere' sit respectu primae veritatis et pertineat ad intelligentiam, 'amare' vero respectu summae bonitatis et pertineat ad voluntatem, 'possidere' vero sit respectu aeternitatis et pertineat ad mentem sive ad [f] memoriam, secundum quod trinitas est in anima penes intelligentiam [g], voluntatem et memoriam — quam memoriam quidam praemittunt duabus aliis, quidam subiungunt secundum diversam sui intentionem — 'frui' vero pertineat ad ipsam essentiam divinitatis vel ex tribus praedictis relinquatur [h] [6]. Tres autem differentiae sic possunt distingui, ut 'frui' pertineat ad actum cordis, 'servire' [i] ad actum operis exterioris, 'laudare' vero ad actum oris. Aliae vero tres differentiae sic distinguuntur, ut 'videre' pertineat ad actum rationis, 'amare' [k] ad actum voluntatis sive gaudere, 'laudare' vero ad actum sermonis, ut fiat protestatio summae maiestatis, sapientiae et bonitatis.

QUAESTIO III.

DE PROPRIETATIBUS ANIMAE.

TITULUS I.

DE PROPRIETATIBUS ANIMAE SECUNDUM ESSE ABSOLUTUM.

Determinatis [l] iis quae pertinent ad causalitatem ipsius animae [m], sequitur de iis quae insunt ei secundum esse absolutum primo;

deinde de iis, quae pertinent ad esse eius comparatum respectu corporis.

Primo ergo agendum est de simplicitate eius;

secundo, de unitate et pluralitate ipsius;

tertio, de simultate originis vel non simultate;

quarto, de localitate;

quinto, utrum sit ad imaginem et similitudinem divinam: et haec quaestio pertinet quasi ad qualitatem, praecedentes vero ad quantitatem;

sexto, de ordine eius [n] in universo.

---

[a] STC *respondeo.* [b] T om. [c] Ita V, STC *vero dicendum est,* RLZ *vero dicendum.* [d] LCZ *delectio.* [e] V *aut.* [f] Ita V, alii om. [g] V *intellectivam,* ST *intellectum.* [h] Z add. mg. *frui.* [i] Ita V, alii add. *vero.* [k] Ita V, alii add. *vero.* [l] Ita V, alii *terminatis.* [m] V add. *et.* [n] T om.; L om. *sexto.*

[1] Cf. supra, num. 14.
[2] Lib. II, d. 1, c. 4 (p. 309).
[3] Cf. Lombard., loc. cit.
[4] Cf. loc. cit. et c. 6 (p. 311).
[5] *De diligendo Deo,* c. 2 (PL 40, 850).
[6] Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* III, tr. 13, q. 1 (f. 214a sq.); S. Bonav., I *Sent.,* d. 1, a. 2, q. 1 (I, 36b).

CAPUT I. 331

UTRUM ANIMA SIT SIMPLEX AN COMPOSITA [1].

Circa simplicitatem vero, quae attenditur quantum ad partes quantitativas, quaeritur [a] utrum sit simplex an [b] composita.

Et videtur quod sit simplex: *a.* Quantitas enim terminus est corporis [2]; anima vero est substantia incorporea; ergo quantitate caret.

b. Item, Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [3]: « Si partes habere anima dicitur, ratione potius similitudinis quam veritate compositionis est intelligendum; simplex substantia est anima, nec aliud nec [c] minus est ratio in substantia quam anima ».

c. Item, omne quod recipitur, est in recipiente secundum modum recipientis [4]; cum ergo in anima sint species rerum corporalium et compositarum modo simplicitatis, ergo natura animae simplex est: ubi enim est una species, ibi et [d] alia.

d. Item, si anima esset quanta, maior esset in [e] maiori corpore et [f] minor in minori, et per consequens maiores corpore essent sapientiores et ingeniosiores; quod cum non sit, non erit anima composita, sed simplex.

Contra: 1. Anima tota [g] toti corpori infunditur ut perfectio perfectibili [5]: extenditur ergo secundum extensionem corporis; cum ergo corpus sit [h] compositum et ita quantum, erit anima quantitatem habens.

2. Item, anima habet partes virtuales sive potentiales et secundum illas est in diversis partibus corporis [i] et non secundum omnes in qualibet parte: non enim videt in auribus nec audit in oculo; ubi autem aliqua partium est, ibi et ipsa anima est; erit ergo anima quantitatem habens ratione suarum partium.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum [k], secundum Augustinum, in libro *De quantitate animae* [6], quod 'quantum' dicitur aliquid duobus modis: virtualiter et [l] dimensive, ut cum quaeritur quantus sit [m] Hercules, potest quaeri vel quantitas dimensiva, scilicet quot sit pedum, vel quantitas virtualis, scilicet quantae sit virtutis. Anima ergo habet quantitatem virtualem, sed non habet dimensivam; similiter habet virtualem extensionem in corpore et [n] non habet extensionem dimensivam sicut albedo vel forma materialis, quae distenditur secundum corporis distensionem.

2. Ad secundum [o] dicendum quod, licet in anima sint partes virtuales quae determinatas habent operationes [p] secundum partes corporis diversas, non tamen ipsa anima [q] est partibilis secundum quantitatem, ut in se recipiat divisionem vel secundum substantiam corporis eius substantia dividatur; sed secundum proportionem organorum est comparatio virtutum, quibus mediantibus anima in diversis corporis partibus operatur et sicut per diversum situm diversae partes corporis distinguuntur, ita per diversum actum diversae partes virtuales cognoscuntur; nec est situs [r] causa multiplicationis partium in corpore nec actus causa multiplicationis [s] virium in anima nec est maior anima in duabus vel tribus potentiis quam in una. Tota autem dicitur esse in qualibet parte corporis uno modo, ut totalitas ad perfectionem essentiae animae referatur, non autem tota dicitur in qualibet parte corporis secundum totalitatem virium [7].

CAPUT II. 332

UTRUM ANIMA SIT UNA VEL PLURES IN TRIBUS POTENTIIS [8].

Secundo quaeritur utrum anima sit una vel plures in tribus potentiis, vegetabili, sensibili et rationali.

Quod autem sit una, sic ostenditur: *a.* Sicut se habet perfectibile ad perfectibile [t], sic perfectio ad perfectionem; sed non differt in homine

---

[a] T add. *autem.* [b] V *vel*, Z *aut.* [c] VSTR om., in L est add. mg., in Z add. interl. [d] V om. [e] T om. [f] L om. [g] Z om. [h] L om. [i] VST *anime*, quod C corr. [k] T add. *est.* [l] Z om., in L est add. interl. [m] L om. [n] Ita V, alii om. [o] Ita V, alii add. *vero.* [p] Z *compositiones.* [q] T om. [r] V *finis.* [s] T om. *partium... multiplicationis.* [t] L om. *a. p.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, a. 1, q, 2, *ad 5*, (II, 415); IV *Sent.*, d. 45, p. 1, a. 2, q. 2, *ad 3* (IV, 914).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 1 (II, 285).
3 Cap. 13 (inter opp. Augustini PL 40, 789).
4 Cf. *Lib. de causis*, § 9 (p. 174).
5 Cf. supra, num. 321, II.
6 Cap. 3, n. 4 (PL 32, 1037).
7 Cf. infra, num. 351; S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 2, a. 1, q. 3 (I, 170sqq.).
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, a. 1, q. 2, *ad 2* et d. 24, p. 1, a. 2, q. 2, *ad 8* (II, 378 et 562sq.); *Breviloq.*, p. 2, c. 9 (V, 227).

perfectibile a vegetabili, sensibili et rationali, quia unus homo secundum rem est vegetabilis, sensibilis et rationalis; ergo una erit perfectio secundum substantiam.

b. Item, si essent multa et secundum substantiam et secundum potentiam, actus unius non impediretur per actum alterius; sed contrarium videmus, quod anima occupata circa actum unius impeditur ab actu alterius; ergo sunt [a] eadem substantia: vegetabilis, sensibilis et rationalis [1].

c. Item, si essent differentes secundum substantiam et potentiam et [b] operationem, in nullo convenirent et sic impossibilis esset unitio [c] in homine: non enim uniuntur quae in aliquo non conveniunt.

d. Item, si hoc esset, esset homo diversarum specierum: differentiam enim speciei facit diversitas substantialis perfectionis.

e. Item, arguitur hoc ex resurrectione: Cum enim non dicatur anima resurgere, sed corpus, anima autem corpori resurgenti coniungitur, si [d] sensibilis in homine esset alterius substantiae quam rationalis, et similiter vegetabilis: aut [e] desinerent esse, et ita non esset idem totum in resurrectione quod prius erat; si vero non [f] desinerent esse, essent tres substantiae separabiles, quarum nulla esset altera, et ita localiter divisae, et ita vegetabilis, quantum est de se [g], in homine esset substantia separabilis; quod cum non sit, necesse est esse [h] unam substantiam in iis tribus.

f. Item, Augustinus, in libro *De ecclesiasticis dogmatibus* [2]: « Neque duas animas in uno [i] homine esse dicimus, sicut Iacobus [3] et alii Syrorum scribunt, unam animalem, qua animetur corpus et immixta sit cum [k] sanguine, et aliam spiritualem, quae rationem ministret; sed dicimus unam eamdemque animam in homine, quae et [l] corpus sua societate vivificet et [m] semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii ».

Contra: 1. In semine sive [n] in embrione ante infusionem animae rationalis praecedit quaedam potentia qua vegetatur et sentit [4]; sed illa potentia non est sine substantia; ergo animam rationalem praecedit substantia animae vegetabilis et sensibilis; ergo diversae sunt substantiae anima [o] vegetabilis et [p] sensibilis et rationalis.

2. Item, non est eadem substantia corruptibilis et incorruptibilis; sed corruptibilis est sensitiva, incorruptibilis rationalis; ergo non sunt idem secundum substantiam.

3. Item, separabilis et inseparabilis, mixta corpori et non mixta non [q] sunt eadem substantia.

[Solutio]: Ad quod potest responderi quod una est substantia in homine habens has virtutes; unde « anima rationalis, cum separatur, secum trahit sensum et imaginationem [r] », sicut dicitur in libro *De anima et spiritu* [5].

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur de embrione dicendum [s] [6] quod illa substantia, cuius est illa virtus, non se habet per modum perficientis, sed per modum artificis praeparantis ipsum corpus, quod debet esse organum ipsius animae, quae est perfectio. Nec dicetur esse animal ante ultimam perfectionem: animal enim a perfectione dicitur, non a praeparatione. Et si dicatur a Philosopho [7] esse animal, hoc non est nisi ut distinguatur a corpore huiusmodi in quo non est virtus talis praeparatoria, non ut per hoc designetur esse in specie: non enim ut huiusmodi posset in se subsistere.

2. Ad aliud [t] dicendum quod non est eadem substantia corruptibilis et incorruptibilis. Substantia enim illa, quae ita [u] praeparat et est corruptibilis, non est eadem cum ipsa substantia animae rationalis; virtus autem sentiendi, quam dicit Augustinus [8] separari cum corpore, unius substantiae est cum potentia intellectiva et, licet non sit separabilis ex ratione qua est sensibilis, est tamen separabilis ratione substantiae in qua fundatur. Ista vero sensibilis [v], licet in genere conveniat cum sensibili in brutis, in brutis autem sit corruptibilis, non propter hoc est in homine corruptibilis, quia in brutis non ordinatur nisi ad necessitatem corporis corruptibilis secundum tempus determinatum conservandi et ideo cum corpore corrumpitur; non sic autem est de homine: sua enim [x] ordinatio non tantum est ad perfectionem necessitatis corporalis, sed [y] ad ministerium virtutis intellectualis et ulterius ad hoc quod sicut meretur cum virtute intellectuali vel demeretur, ita praemietur vel puniatur.

3. Consimiliter potest responderi ad tertio obiectum. Sicut enim separabile et inseparabile non conveniunt eidem substantiae, ita nec mixtum et [z] immixtum; sed nihil prohibet substantiam secundum unam potentiam operari praeter corpus, secundum aliam operari in corpore sive per corpus.

---

[a] V add. *ex.* [b] L *per.* [c] Z *unio.* [d] T *sed,* quod C corr. [e] S *et.* [f] V om. [g] S *substantia.* [h] Z om. [i] T om. [k] Ita V, alii om. [l] T *et etiam que* pro *q. e.* [m] Z add. *in.* [n] V om. [o] V *anime,* R *ipsa.* [p] Z om. [q] S om. *m. n.* [r] TZ *imaginem.* [s] Ita V, alii add. *est;* T *de* pro *quod.* [t] Ita V, alii add. *vero.* [u] T *ista.* [v] LC *separabilis.* [x] V om. [y] V add. *est.* [z] Z *vel.*

[1] Argumenta sub *a-b* et infra sub 2-3 fere verbotenus occurrunt apud Phil. Grev., *Summa,* II, (f. 48d).

[2] Gennad., c. 15 (PL 58, 984, 1021).

[3] De Iacobo Syro haeresiarcha cf. Damasc., *De haeresib.,* c. 6 (PG 94, 745).

[4] Cf. Aristot., *De animal. generat.,* II, c. 3 (III, 351).

[5] Cap. 15 (inter opp. Augustini PL 40, 791).

[6] Cf. supra, p. 395, in *Solutione.*

[7] Cf. supra, nota 4.

[8] Cf. loc. cit.

CAPUT III. 333

UTRUM OMNES ANIMAE CREATAE SINT SIMUL VEL NON [1].

Tertio, quaeritur utrum omnes animae creatae sint simul vel non simul.

Quod autem sint simul creatae, obicitur: 1. Quia dicitur in Gen. 2,2 quod *requievit Dominus ab opere universo die septimo.* Et exponit Augustinus[2] quod in illis sex diebus omnia erant creata in primordialibus rationibus, et ita requievit a primordialibus rationibus faciendis, non a causatis quae ex ipsis producuntur; cum ergo in animabus [a] non sic sit quod una anima sit causa alterius materialis vel effectiva[3] nec unam habeant causam, sicut corpora habent unam materialem causam, oportet quod omnes animae [b] sint simul creatae aut non *requievit Deus ab universo opere.* Si enim animam faceret sicut alia ex primordialibus rationibus producit, non [c] obstante hoc quiescere diceretur; sed faciens aliquid novum, cuius non praecessit ratio causalis, quiescere non videtur.

2. Praeterea, videtur ostendi per simile. Sic enim est de substantiis spiritualibus quae sunt angeli, quod omnes sunt creatae simul; pari ergo ratione videtur de spiritualibus substantiis quae sunt animae rationales: non enim esse earum [d] dependet a corpore cui coniunguntur, sicut esse animae sensibilis aut [e] vegetabilis.

3. Item, Iob penult.[4]: *Ecce Behemoth, quem feci tecum,* et Apoc. 2,17: *Eadem est mensura hominis quae et angeli:* quod intelligitur quantum ad animam; ergo cum angelis creari dicendae sunt.

4. Praeterea, cum habeant esse subsistens post corporis corruptionem, quare similiter non haberent esse subsistens ante [f] corporis generationem? Quae enim est comparatio [g] eius esse quod est post corporis corruptionem, ea est [h] comparatio eius esse [i] quod est ante generationem.

5. Item, quaedam sunt spirituales substantiae in corporibus et non ante nec post corpora, ut in vegetabilibus et brutis: huic modo opponitur quod sint aliquae substantiae in corporibus et sunt [k] ante corpora et post. Item, quaedam sunt in corporibus et sunt etiam [l] post corpora et non ante: huic opponitur quod sunt quaedam in corporibus et sunt ante corpora et non post. Sed illae duae coniunctiones sunt; quare istae duae oppositae illis, et sic essent quatuor coniunctiones.

6. Item, dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[5], quod anima habet istas potentias, rationabilem, irascibilem et concupiscibilem, antequam corpori misceatur; ergo anima est antequam corpori misceatur [m].

In contrarium vero sic obicitur: *a.* Psalm.[6]: *Qui finxit sigillatim corda eorum,* et per *corda* [n] intelliguntur animae[7], et Glossa[8] ibidem dicit quod animas separatim Deus creavit, et non omnes in Adam. Et hoc potest intelligi dupliciter: vel quod non omnes sint creatae cum anima Adae vel quod non omnes ex anima Adae, sicut [o] quaedam haeresis[9] dicebat.

b. Item, Augustinus, in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*[10]: « Credendum est et firmiter tenendum quod non omnes animae sunt ab initio creatae, ut Origenes[11] finxit, neque cum corporibus seminantur, ut [p] Luciferiani et Cyrillus et quidam [q] Latinorum[12] affirmant, sed dicimus animam simul creari et infundi in corpore compacto et formato, ut vivat in utero homo ».

c. Item, Augustinus[13], in Epistolam ad Ephesios 1,4 ibi: *Sicut elegit nos in ipso* etc., Glossa[14]: « Ne quis putet animas cum Deo fuisse aeternas et tunc aliquid meruisse iuxta errorem illorum qui ante haec [r] visibilia dicunt quasdam animas fuisse sanctas et ideo tunc fuisse electas ».

---

[a] T *animalibus;* V *non* pro *cum.* [b] LZ *alie,* quod R corr. [c] ST *nihil.* [d] LZ *eorum.* [e] V *vel.* [f] VSLC *post,* quod TZ corr. [g] C *operatio.* [h] S om. [i] T *eius.* [k] Ita V, alii *sint.* [l] V om. [m] Ita ST, alii om. *ergo... misceatur.* [n] Z *corpora;* L om. *per.* [o] V *sint ut,* ST *sint.* [p] S *aut.* [q] L add. mg. *nostri.* [r] T om.

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 18, a. 2, q. 2 (II, 448sqq.). Totum hoc caput verbotenus occurrit apud Philip. Grev., *Summa,* II, nempe argumenta 1-4 fol. 53b, argum. 5-6 fol. 53d, argum. *a-d, f* fol. 53c. Solutiones ad obiecta 1-6 fol. 53cd. Solum argum. *e* ap. Philip. Grev. deest. Idem caput fere verbotenus, sed brevius, occurrit ap. Pseudo-Lincoln., *De anima* (p. 244sqq.).

[2] *De Gen. ad litt.,* VI, c. 11 (PL 34, 546sq.); cf. supra, num. 258 et 306, IV.

[3] Cf. supra, num. 328-329.

[4] Cap. 40, 10.

[5] Cap. 13 (inter opp. Augustini PL 40, 789).

[6] Psalm. 32, 15.

[7] Cf. *Glossa interl.,* in h. l., ap. Lyran.

[8] Lombardi, in h. l. (PL 191, 334).

[9] Traducianismus. Cf. Tertullian., *De anima,* cc. 19, 27 et 36 (PL 2, 682, 696, 713).

[10] Gennad., c. 14 (PL 58, 984).

[11] Cf. *Periarchon,* I, c. 7, n. 3sqq.; II, c. 9, n. 1sq. (PG 11, 172sqq., 225).

[12] Iuxta Hieronym., *Epist.* 126 (PL 22, 1086) hoc docuerunt « Tertullianus, Apollinaris et maxima pars Occidentalium ».

[13] Cf. *De divers. quaest. ad Simplician.,* I, q. 2, n. 6 (PL 40, 115sqq.).

[14] *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran.

d. Praeterea, si animae [a] essent creatae ab initio, constat quod haberent potentiam eligendi et volendi, et hae potentiae non essent otiosae in eis, sicut non sunt in angelis; ergo vel [b] mererentur vel demererentur [c] per conversionem ad Deum [d] vel aversionem ab eo; ergo [e] confirmarentur in malitia vel bonitate, sicut angeli, cum sint substantiae non [f] unitae corpori, et ita irremediabile erit [g] earum peccatum et inseparabilis bonitas [1]: si enim confirmatae sint [h] in malitia vel in bonitate, iniustum esset eas uniri corpori ad merendum vel demerendum; quod cum falsum sit, restat primum falsum esse.

e. Item, ad Rom. 9, 11: *Cum nondum nati essent aut aliquid boni vel mali egissent, ut* [i] *secundum electionem propositum Dei maneret* etc. Ex quo patet quod non fuerunt prius creatae, ut aliquid boni vel mali agerent.

f. Item, cum habeant potentiam cognoscendi et volendi et cognoscant corruptam massam carnis cui uniuntur, aut voluntarie uniuntur aut involuntarie. Si vero voluntarie, esset ergo peccatum actuale, cum peccatum actuale dividatur contra peccatum originale; si vero [k] involuntarie, iniustitia est ut peccatum contrahat [anima] ex eo quod simpliciter est contra voluntatem eius actualem. Restat ergo quod creando infunditur. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem [l] obiectum dicendum quod *requievit Deus ab universo* [m] *opere quod patrarat,* quantum ad genera et species. Et hoc haberi potest ex Glossa Bedae *Super Genesim* [2]. Dicit enim primo requievisse « a [condendis] generibus rerum faciendarum, quia [n] ultra nova genera non condidit; *usque nunc* tamen *operatur* [3] administrationem illorum generum quae tunc instituta sunt ».

2. Ad aliud dicendum quod non est simile de angelis et animabus, quia angeli sunt substantiae non unibiles corporibus, animae vero sunt corporum perfectiones [4]; convenit ergo ut idem sit tempus perfectionis et perfecti. Cum enim sint quaedam quae ita sunt [a] substantiae quod non perfectiones, ut intelligentiae angelicae, quaedam, quae ita perfectiones quod [b] non substantiae, ut [c] perfectiones impressae corporibus, quaedam medio modo se habent simul substantiae et perfectiones: et in quantum perfectiones, idem tempus perfectionis et perfecti.

3. Auctoritas autem Iob solvitur in Glossa [5], ubi dicitur: « Simul factus est, non unitate [temporis], sed cognitione [d] rationis »; et alia Glossa: « Simul per imaginem sapientiae ».

4-5. Ad aliud [e] dicendum quod illae coniunctiones non debuerunt esse. Aut enim essent spiritus rationalis aut irrationalis; sed irrationalis non, quia interit cum corpore et non est substantia separata; si rationalis: hoc esse non potest, quia sic finaliter non participaret beatitudinem, scilicet si esset ante corpus et post interiret cum corpore. — Item, alius status non competeret pro prima parte, quia si competeret esse post ad participandam [f] beatitudinem, ante esset inutile quoad hoc. — Item, existenti ante melius esset non coniungi quam coniungi [g] post, quia coniungeretur carni peccatrici et vasi corrupto; secundo, quia, cum prius libere operaretur, ligatur ut tunc operari non possit, ut infans; Deus autem [h] in unaquaque creatura facit quod melius est [6]. Restat ergo quod hoc, cum [i] non sit melius, non faciat. — Item, non [k] dicimus quod quae est comparatio esse post ad corruptionem [l], ea est esse [m] ante ad generationem, quia in primo est [n] progressus animae de minus bono statu [o] ad meliorem et de meliori ad optimum, cum corpori redditur glorificatio in eis qui bene meruerunt; in alio est declinatio de bono statu ad deteriorem, ut dictum est [7].

6. Ad id vero quod dicit Augustinus quod 'anima habet istas potentias, rationabilem, irascibilem [p], concupiscibilem, antequam corpori misceatur': dicendum quod hoc [q] dicitur quia non habet eas ex coniunctione ad corpus, sed habet eas cum coniungitur corpori; intelligitur ergo prioritas non temporis [r], sed naturae.

CAPUT IV.

DE LOCALITATE ANIMAE.

Sequitur de localitate animae secundum se ipsam acceptae.

Et primo, de loco spirituali;
secundo, de loco corporali.

---

[a] Codd. *ante.* [b] V om. [c] R *merentur vel demerentur* pro *m. v. d.* [d] VST *a Deo* pro *a. D.* [e] V *vel.* [f] S *nunc.* [g] Ita Z (interl.), alii om.; RLZ *irreparabile,* C *irremissibile* pro *irremediabile;* RL *horum,* alii *eorum* pro *earum.* [h] L *fiunt.* [i] C *vel.* [k] V om. [l] Ita V, alii om. [m] C *omni.* [n] Ita VZ, alii *qua.*

[a] Ita V, alii *sint.* [b] V *que.* [c] RLCZ *et.* [d] Ita V, alii *cognatione.* [e] T *illud.* [f] VST *percipiendam.* [g] L om. *q. c.* [h] T om. [i] T om. [k] V *nos.* [l] V *correctionem.* [m] R om.; C om. *ad.* [n] T add. *etiam.* [o] Ita V, alii om. [p] STC add. *et;* RLCZ *rationalem* pro *rationabilem.* [q] S add. *non.* [r] V *corporis.*

1 Cf. supra, num. 156.
2 Cap. 2 (PL 91, 202); cf. supra, num. 306, IV, V.
3 Ioan. 5, 17.
4 Cf. supra, num. 112.
5 Gregor. M., *Moral.,* XXXII, c. 12, n. 17 (PL 76, 645), ubi et sequens.
6 Cf. Augustin., *De libero arbit.,* III, c. 5, n. 13 (PL 32 1277).
7 Cf. hic, parum supra.

ARTICULUS I. 334

Utrum anima habeat locum spiritualem.

Quod autem habeat locum spiritualem, arguitur 1. ex hoc quod proportionalia sunt continens et contentum [1]; sed locus corporalis est corporum; ergo proportionaliter locus spiritualis erit spirituum, et ita erit locus spiritualis animarum.

2. Item, Ioannes Damascenus [2]: « Angeli sunt intelligentiae in locis spiritualibus existentes ».

3. Item, Hieronymus, in libro *De Spiritu Sancto* [3]: « Licet non contineantur [a] finibus corporalibus, circumscriptione tamen non carent substantiae suae ».

4. Item, Augustinus, in libro [b] *De quantitate animae* [4]: « Locus animae [c] Deus est ». Ergo est ei locus spiritualis.

Contra: *a.* Unum et idem non potest esse locus respectu [d] diversorum [5]; Primum autem continet immediate multa; ergo non est continens ut locus.

b. Item, Augustinus, in libro *83 Quaestionum* [6]: Non dicuntur res esse in Deo sicut in loco; « non enim ita sunt res in eo ut sit [e] locus earum: locus enim longitudine et altitudine et latitudine [f] continetur ».

c. Item, si aliquis [g] esset locus spiritualis immediate [h] continens animam, aut fundaretur in substantia continente spirituali aut in substantia contenta. Si fundaretur in substantia continente, eadem ratione quaereretur de illa substantia continente in quo loco esset et ita esset abire in infinitum, aut oporteret stare in primo et ita esset unus locus immediate continens multa. Si vero in substantia contenta [i], tunc non haberet rationem loci: locus enim est terminus continentis [k] immobilis [7].

Respondeo: Locus intelligibilis dicitur dupliciter: simpliciter et secundum quid. Uno modo dicitur increatus spiritus secundum quem [l] datur eis continentia, ut in ipso quiescant et ad ipsum moveantur et in quo habent salvari [m] substantiae spirituales [8], et sic dicuntur a Gregorio [9] currere spiritus circumscripti intra spiritum [n] incircumscriptum [10]. Alio modo dicitur terminatio virtutis in unaquaque re spirituali: extra enim illam terminationem nihil est de re spirituali; et sic dicit Augustinus, in libro *De fide ad Petrum* [11]: « Inest substantiis spiritualibus naturaliter terminus, quo a [o] se invicem discernuntur; propter quod nulla est in alieno termino ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem obiectum responsio [p] est quod secundum hunc ultimum modum est dicere quod proportionalia sunt locus spiritualis et locatum sicut locus corporalis et locatum.

2. Similiter quod dicit Damascenus. Tamen illud posset intelligi aliter, ut contineretur [q] virtus unius intelligentiae ab alia quousque veniretur ad Deum, qui est omnia continens.

3. Illud vero quod Hieronymus dicit, sic plane intelligitur.

4. Illud autem quod dicit Augustinus, in libro *De quantitate animae,* intelligitur de loco primo et communi [r] continente.

ARTICULUS II. 335

Utrum anima habeat locum corporalem [12].

Deinde quaeritur de loco corporali utrum animae habeant locum corporalem, in quo sint secundum [s] se ipsas.

Et videtur 1. per [t] hoc quod dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [13]: « Ex eo intellectuales [u] naturas corporeas dicimus, quod loco circumscribuntur »; in loco autem dicitur anima, quia alicubi praesens est et alibi non est.

2. Item, Damascenus [v] [14]: « Anima circumscriptibilis est [x], quia loco vel tempore vel comprehensione concluditur [y] ».

---

[a] RLCZ *contineatur.* [b] V om. *i. l.* [c] VST om. *l. a.* [d] RLCZ om. [e] RLCZ *dicatur.* [f] TL om. *e. l.* [g] V *quis.* [h] Ita V, alii *immediatus.* [i] V *continentis,* S *contentis.* [k] VST *continens,* quod C corr. [l] VL *que.* [m] T om. [n] R *scriptum,* quod LCZ corr. [o] Ita V, alii *ad.* [p] Ita V, ST *ad obiectum autem responsio,* RLCZ *ad obiectum autem respondendum* pro *A. p. a. o. r.* [q] STZ *continetur;* T om. *ut;* C om. *unius.* [r] V *in omni* pro *e. c.* [s] S *per.* [t] L *quod;* R *quod* pro *et.* [u] Ita Z (corr.), alii *corporales.* [v] T om. [x] T add. *ut dicit Damascenus.* [y] V *clauditur.*

1 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 4 (II, 289).
2 *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 870).
3 Num. 6 (PL 23, 108).
4 Cf. c. 1, n. 2 (PL 32, 1035).
5 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 5 (II, 280).
6 Quaest. 20 (PL 40, 15 sq.).
7 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 4 (II, 290).
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 2, p. 2, a. 2, q. 1 (II, 76b).
9 Cf. *In Evang.*, hom. 34, n. 13 (PL 76, 1255).
10 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 42, II.
11 S. Fulgent., c. 3, n. 30 (PL 40, 763).
12 Cf. supra, num. 72-74; S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 2, a. 1, q. 3, *ad 5-6* (I, 172).
13 Cap. 18 (PL 40, 793).
14 *De fide orthod.*, I, c. 13 (PG 94, 854).

Contra: *a.* Omne locatum habet aliquam dependentiam a loco vel ratione quietis vel ratione conservationis vel ratione operationis; spiritualis autem substantia secundum se ipsam nullam habet dependentiam; ergo non est in loco.

b. Item, omne[a] quod est in loco corporali, per se habet determinatam rationem ad locum, ut grave ad deorsum, leve ad sursum[1]; sed anima nullam habet huiusmodi rationem secundum se ipsam; ergo non est in loco corporali[b].

Respondeo: In loco corporali dicitur esse tripliciter: proprie, minus proprie et communiter; proprie per circumscriptionem, minus proprie per[c] definitionem, communiter per praesentiam. Esse[d] autem in loco secundum hos tres modos distinguitur, ut esse per praesentiam ponat existentiam rei et loci, esse vero per definitionem ponat coexistentiam et superaddat terminationem, esse vero per circumscriptionem ponat duo praedicta et superaddat commensurationem in loco secundum principium, medium et finem.

[Ad obiecta]: 1. Secundum hoc potest responderi ad obiecta. Si enim dicatur anima rationalis esse in loco, hoc non est per circumscriptionem per se, cum non habeat partes dimensivas. Potest autem dici esse[e] in loco definitive et per accidens ratione corporis cui unitur, praesentialiter autem[f], quia adest loco, etiam cum est separata.

CAPUT V.

DE ANIMA UT EST AD IMAGINEM DEI.

Habita consideratione de simplicitate, unitate, simultate, localitate, restat consideratio de imagine, quae dicitur spectare ad qualitatem in quantitate: dicitur[2] enim imago « expressa similitudo » alicuius.

Primo ergo quaeritur[g] an anima rationalis debeat dici imago aut tantum ad imaginem[h];

secundo, si dicitur utroque modo, sed tamen magis proprie ad imaginem, utrum conveniat hoc[i] soli rationali an conveniat alteri creaturae;

tertio, si convenit[k] rationali animae propriissime, qua ratione dicitur esse ad imaginem Dei;

quarto, quae sit differentia inter imaginem et similitudinem;

quinto, secundum[l] quid conveniat ipsi animae;

sexto, si conveniat secundum superiorem partem, utrum tantum secundum naturalia illius[m] partis an cum additione gratuitorum;

septimo, quo modo sit rationalis anima repraesentativa[n] imaginis divinae penes mentem, intelligentiam et voluntatem.

336 ARTICULUS I.

An anima rationalis debeat dici imago aut tantum ad imaginem[3].

Quod autem sit imago, videtur *a.* per hoc quod dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum*[4], quod homo dicitur imago et[o] ad imaginem; et hoc non est nisi secundum animam rationalem; ergo etc.

b. Item, Hugo[5]: « Imago secundum rationem, similitudo secundum dilectionem ». Ergo anima rationalis dicitur imago Dei.

c. Item, Cassiodorus[6]: « Quo modo posset esse imago Dei, si animae hominum mortis termino clauderentur? » Ex quo[p] accipitur quod anima humana secundum immortalitatem imago Dei dicitur, et ita est imago Dei[q].

Contra: 1. Hilarius[7]: « Imago est species indifferens et indistincta similitudo »; sed haec ratio non convenit homini; ergo non est homo vel anima rationalis imago Dei.

2. Item, dicit Hugo[8]: « Imago pertinet ad figuram », et hoc videtur per similitudinem sumptam in creaturis corporalibus; sed non est figura in Deo nec communis animae aut[r] homini cum Deo; ergo non dicetur imago[s].

3. Item, imago dicitur similitudo, sicut dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum*[9]; sed similitudo attenditur in forma substantiali vel

---

[a] RZ om., in L est add. interl. [b] V add. *per se habet determinatam.* [c] C *propter.* [d] V *est.* [e] L *media* pro *d. e.*; RZ om. *et.* [f] Z add. mg. *est in loco.* [g] ST *queratur*; C om. *ergo*, T om. *an.* [h] R *imaginationem*; L om. *ad.* [i] R om. [k] C *conveniat.* [l] LC om., in RZ est add. interl. [m] V *alterius*, ST *alius.* [n] T *reprehensiva.* [o] S om. [p] C *hoc.* [q] C om. *dicitur... Dei.* [r] R *et.* [s] R *homo.*

1 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 1 (II, 285).
2 Cf. Augustin., *83 Quaestion.*, q. 74 (PL 40, 86).
3 Cf. supra, num. 298-302; S. Bonav., II *Sent.*, d. 16, a. 1, q. 1 (II, 393 sqq.).
4 Cf. Quaest. 51 (PL 40, 32 sq.).
5 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 2 (PL 176, 264).
6 *De anima*, c. 2 (PL 70, 1285).
7 *De synodis*, n. 13 (PL 10, 490).
8 Loc. cit.
9 Quaest. 74 (PL 40, 85).

accidentali; nulla vero forma talis communis est Deo et rationali animae; ergo etc.

4. Item, imago dicitur [a] [1] expressissima similitudo; sed non potest esse expressissima similitudo [b] Dei nisi in unitate naturae, sicut hominis non potest esse expressissima similitudo nisi homo; ergo non dicetur [c] homo vel anima rationalis imago Dei.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod imago [d] dicitur propriissime et non propriissime; si propriissime, sic accipitur secundum rationem Hilarii, et ita non convenit homini aut animae [e] rationali respectu Dei; si non propriissime, prout dicitur expressissima similitudo in creatura, sic dici potest.

[Ad obiecta]: Respondendum est autem ad obiecta: 1. Ad primum [f] [2] quod ratio Hilarii accipitur prout convenit Filio Dei quod sit imago respectu [g] Patris et accipitur personaliter.

2. Ad secundum dicendum [h] quod illud quod dicit Hugo 'imaginem pertinere ad figuram', si figura accipitur proprie prout est in corporibus, sic non dicetur imago Dei; dicitur enim Deuter. 4, 15-16: *Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est Dominus, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem.* Si vero accipiatur figura proportionaliter pro distinctione cum quantitate virtutis, sic aliquo modo dici posset quod imago dicatur Dei: imitatur enim anima rationalis Deum in quadam distinctione virium ratione [i] distinctionis personarum, et est quantitas virtutis communis in [k] viribus ad quamdam similitudinem quantitatis virtutis sive aequalitatis [l] in personis divinis. Est tamen ibi magna differentia ex alia parte et, licet nomen imaginis soleamus hic accipere, non tamen nomen figurae solet transferri nisi, ad Hebr. 1, 3, cum dicitur: *Figura substantiae,* ubi, secundum aliam translationem [3], pro imagine potest accipi, cum dicitur Filius est imago Patris.

3. Ad tertium dicendum [m] quod, licet non [n] sit convenientia in forma substantiali vel accidentali, est tamen aliqua [o] convenientia secundum proportionem in effectu: sicut Deus meminit, intelligit, diligit, sic anima secundum suum modum [4]; similitudo etiam aliqua est creati [p] ad primam causam.

4. Ad quartum dicendum quod non potest esse similitudo creati [q] ad primam causam quantum ad expressionem eiusdem naturae vel essentiae; potest tamen habere quamdam similitudinem expressam, sicut possibile est in creatura.

ARTICULUS II. 337

Utrum esse ad imaginem Dei conveniat tantum animae humanae [5].

Secundo quaeritur, cum dicitur esse imago communiter et non propriissime, nihilominus tamen ad imaginem, utrum conveniat tantum animae humanae et homini secundum animam an alii creaturae.

Et videtur quod alii creaturae 1. per hoc quod similitudo aliqua convenientia potest esse creaturae in unitate, veritate et bonitate.

2. Item, animae sensibilis est similitudo cum Deo in potentia cognoscendi, angeli ulterius in potentia diligendi; invenitur etiam in angelo trinitas illa virium, secundum quam dicitur attendi imago.

3. Praeterea, dicit B. Gregorius [6], exponens illud [7]: *Tu signaculum similitudinis,* « quod non ad similitudinem Dei tantum factus dicitur, sed *signaculum similitudinis,* ut quo in eo est subtilior natura, eo in illo imago Dei subtilius insinuetur expressa »; et post subdit [8]: « De sigillo anuli talis similitudo exprimitur qualis in sigillo essentialiter habetur ». Ex quo accipitur quod angelus magis debet dici imago Dei vel ad imaginem quam homo vel anima rationalis.

Contra: *a.* Augustinus, in sermone *De imagine* [9]: « Nulli alii creaturae dedit quod sit ad imaginem nisi homini ».

b. Item, cum imago sit « expressa similitudo », magis autem [r] unibilia sint [s] quae expresse sunt similia et e converso, videtur magis de anima rationali quam de angelo quod [t] sit ad imaginem [u] per rationem unibilitatis.

c. Item, ratio imaginis descendit ubi fit [v] conformatio [x] secundum rationem processionis unius ab altero; sed in homine potest esse ratio

---

[a] S *Dei.* [b] V om. *sed... similitudo,* in L est add. mg. [c] C om. *n. d.* [d] L add. interl. *Dei;* ST om. *quod.* [e] S om. [f] Ita V, alii om. *a. p.* [g] V add. *Dei.* [h] Ita V, S *vero dicendum,* alii *vero dicendum est.* [i] T om. [k] Ita V, alii om. [l] L *qualitatis.* [m] Ita V, alii add. *est.* [n] V om. [o] V *alia.* [p] TRL *causati,* item infra; S *alia* pro *aliqua.* [q] T *est similitudo causati vel non potest esse* pro *p. e. s. c.* [r] V om. [s] Ita V, alii *sunt.* [t] T *quam.* [u] V add. *Dei.* [v] VSTC *sit;* V *nisi* pro *ubi.* [x] V *conformatum,* C *formatio.*

1 Cf. Augustin., loc. cit.; cf. supra, p. 259, nota 2.
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 415.
3 Scilicet Syriacam.
4 Cf. Augustin., *De Trinit.,* XIV, c. 8 et XV, c. 6 (PL 42, 1043, 1063).
5 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 16, a. 2, q. 3 (II, 398 sq.).
6 *In Evang.,* hom. 34, n. 7; *Moral.,* XXXIII, c. 23, n. 47 (PL 76, 1250, 665); cf. Raban., *In Ezech.,* XI, c. 28 (PL 110, 788).
7 Ezech. 28, 12.
8 Nempe Raban., loc. cit.
9 *Sermo 52,* c. 6, n. 17 (PL 38, 361), ad sensum.

processionis unius ab altero per generationem, in angelis autem non: ergo magis videtur dici homo ad imaginem quam angelus.

d. Praeterea, sicut dicitur in sermone *De imagine*[1] et [a] in libro *De anima et spiritu*[2], sicut Deus est omnia vivificans et gubernans, ita anima se habet in suo corpore, et ita habet expressam similitudinem.

Respondeo 1. quod non convenit ratio imaginis omni creaturae, quia non est expressa similitudo sicut contingit esse in creatura. In aliis enim creaturis remanet ratio vestigii secundum unitatem, veritatem et bonitatem[3]; in sensibili autem creatura, licet sit potentia cognoscendi, non tamen est potentia cognoscendi ipsum et diligendi, et ideo non est in hoc convenientia cum Deo: Deus enim se ipsum cognoscit et diligit.

2-3. Ad id vero quod obicitur de angelo, dicendum quod imago potest dici communiter et potest dici [b] proprie: communiter, sic dicitur de [c] angelo; proprie, sic dicitur de anima rationali vel [d] de homine secundum animam: convenit enim angelo secundum simplicitatem essentiae et trinitatem virium quibus meminit, intelligit et diligit; et secundum hoc etiam convenit animae rationali [e]. Abundat autem anima rationalis in hoc quod est imago Dei secundum hoc quod sicut Deus movet et gubernat universum, sic et anima rationalis movet et gubernat suum universum. Praeterea, similitudo virtutis est in homine in hoc quod [f] potest producere simile in natura; ex alia vero parte evidentius distinguitur in anima ratio [g] memoriae, intelligentiae et voluntatis, in quantum ex memoria procedit intelligentia, ex memoria et intelligentia voluntas. — Ad obiectum autem in contrarium, dicendum quod imago, licet dicatur de angelo et sit maior expressio ratione simplicitatis, non tamen ratione eorum in quibus consistit principalis ratio imaginis vel quantum ad quantitatem virtutis ex parte essentiae et personae, sicut supra dictum est[4]. Ex parte enim essentiae est ambitus gubernationis et vivificationis, ex parte personae virtus productionis et in actibus virium [h] est evidens processio.

338

ARTICULUS III.

Qua ratione dicatur anima ad imaginem Dei[5].

Tertio quaeritur **I.** qua ratione dicatur 'ad imaginem Dei'.

[Solutio]: Ad quod respondeo quod [i] esse 'ad imaginem' dicitur ut notetur ratione praepositionis, quae est transitiva[6], differentia naturae, et in hoc ostendatur differens ratio respectu Filii, qui dicitur 'imago', non 'ad imaginem'. Et ponit Augustinus similitudinem, in libro *De decem chordis*[7]: « Sicut in nummo [k] imago imperatoris aliter est et aliter in filio » — in filio enim est impressa [l] secundum convenientiam naturae, in nummo autem non — « sic et tu nummus Dei es, ex hoc melior, quia [m] cum intellectu et cum [n] quadam vita [nummus Dei] es, ut scias cuius geras imaginem: nummus autem nescit se habere [o] imaginem imperatoris ». Similiter ponit exemplum de filio et speculo[8]: « In filio hominis est imago hominis et est hoc quod pater [p], in speculo autem imago non est hoc quod ipse [q]; in filio [r] est imago secundum aequalitatem substantiae, in speculo autem quam longe est a substantia ». Et ideo proprie dicitur esse in homine ad imaginem propter naturae diversitatem. De hoc quod de homine dicitur[9] *ad imaginem nostram*, supra dictum est[10] utrum supponat pro creato vel increato et utrum pro persona vel pro essentia. Magister autem, in *Sententiis*[11], de [s] hoc tangit: unde satis quantum ad praesens transeundum est.

II. Sed utrum homo possit dici ad imaginem Filii quaeritur[12].

Dicit enim Augustinus, *Super Genesim* [t][13]: « Quae est imago Dei, ad cuius similitudinem factus est homo, nisi Salvator noster qui est primogenitus omnis naturae[14]? » Item, II Cor, 3, 18: *Transformamur in eamdem imaginem tamquam a* [u] *Domini Spiritu;* et Rom. 8, 29: *Quos praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* Conformitas autem quid aliud est quam secundum rationem

---

[a] T om. [b] T om. *c. e. p. d.* [c] V *in.* [d] Ita V, alii *et.* [e] V om. *et secundum... rationali.* [f] C add. *non.* [g] V *vero.* [h] S om. [i] Ita V, ST *respondendum,* alii *respondeo* pro *r. q.;* S om. *dicitur.* [k] V *uno,* item infra. [l] R *expressa.* [m] V *quod.* [n] Z om. [o] S add. *ad.* [p] V *patet.* [q] V *quod ipsum* pro *h. q. i.* [r] V add. *autem.* [s] Z om. [t] L add. *quod.* [u] L om.

1 Cf loc. cit., c. 7, n. 18 (PL 38, 361).
2 Cf. cap. 35 (inter opp. Augustini PL 40, 805).
3 Cf. supra, num. 34-40.
4 Cf. hic, parum supra et p. 409, *ad 2* ac num. 108, I.
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 417, II.
6 Cf. Priscian., *Grammat.*, XIV, c. 1.
7 *Sermo 9,* n. 9 (PL 38, 82).
8 Loc. cit.
9 Gen. 1, 26.
10 Cf. supra, num. 300.
11 Cf. lib. II, cc. 2-4 (p. 379sqq.).
12 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 16, dub. 3 (II, 407).
13 Cf. *De Gen. ad litt., lib. imperf.*, c. 16, n. 61 (PL 34, 244); Tertullian., *De resurr. carnis*, c. 6 (PL 2, 802).
14 Cf. Coloss. 1, 14.

imaginis? Ergo homo dicitur ad imaginem Filii. Sed si hoc, qualiter diceretur esse ad imaginem nostram? cum ibi imago designetur communis trium personarum.

[Solutio]: Ad quod respondeo [a] quod utrumque potest convenienter dici: et quod homo est ad imaginem Filii, qui est imago Patris, quia per ipsum tamquam [b] mediatorem ordinatur ad Patrem per gratiam in praesenti et per gloriam ordinabitur in futuro. Dicitur autem ad imaginem Trinitatis propter [c] rationem supra dictam [1], quia sicut unitas essentiae divinae est in tribus personis, quarum una procedit ab altera, ita unitas est essentiae animae [d] in tribus viribus, quarum virium una dependet per intellectum ab alia et actus mediante actu [e] elicitur.

ARTICULUS IV. 339

Quae sit differentia inter imaginem et similitudinem.

Quarto quaeritur **I.** quae sit differentia inter esse ad imaginem et similitudinem vel [f] facere ad imaginem et similitudinem.

Videtur enim 1. per Augustinum, in libro [g] *83 Quaestionum* [2], quod ubi est imago, ibi sit [h] similitudo, sed [i] non e converso [k]: in duobus enim ovis [l] similitudo est, neutrum tamen alterius est [m] imago. — Et II Cor. 4,4: *Illuminatio Evangelii gloriae Christi, qui est imago*, Glossa [3]: « Ubi imago, continuo et similitudo ». Ergo similitudo est generale ad imaginem.

Contra: *a.* In Glossa super Genesim [4]: « Imago quantum ad naturalia, similitudo quantum ad gratuita ».

b. Item, Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [5]: « Imago in cognitione, similitudo in dilectione ».

c. Item, Hugo [6]: « Imago, quia omnia [n] in ipsa anima sunt secundum sapientiam; similitudo, quia una et simplex esse [o] dicitur secundum essentiam ».

[Solutio]: Ad quod dicendum quod similitudo accipitur communiter pro convenientia sive secundum substantiam sive secundum rem alterius generis, et hoc modo potest esse generale imagini et similitudini proprie sumptae. Vel potest accipi similitudo pro [p] convenientia secundum qualitatem, et hoc modo, licet distinguatur ab imagine, nihilominus potest unum [q] esse concomitans aliud generaliter et non e converso.

[Ad obiecta]: 1. Cum ergo dicitur quod 'ubi est imago, ibi est similitudo', hoc potest esse duabus rationibus: vel quia similitudo sit generale vel quia [r] similitudo inseparabiliter concomitatur imaginem et non e converso. Si secundo modo accipiatur, non opponitur distinctioni secundum rationem, et ita accipit Augustinus. Cum dicitur autem quod 'similitudo accipitur quoad gratuita, imago quoad [s] naturalia', distinctio accipitur non tantum ratione, sed etiam re.

II. Potest autem quaeri adhuc [t] de illa differentia quam ponit Augustinus [7], quod imago attenditur in potentia cognoscendi, similitudo in potentia diligendi, et alibi dicitur [8]: « Imago in cognitione, similitudo in dilectione », propter quid magis imago ad cognitionem referatur quam similitudo, cum cognitio dicatur assimilatio cognoscentis ad cognitum [9]?

[Solutio]: Ad quod dicendum [u] quod similitudo [v] potest dici communiter, et sic dicitur cognitio assimilatio cognoscentis ad cognitum [10] et sic penes utrumque est similitudo; vel potest dici proprie, cum in qualitate convenit, sicut diligens cum diligente in dilectione convenit, et hoc facit communis voluntas, et secundum [x] hoc dicitur similitudo in dilectione, cum diligens ipsa vi dilectionis in quamdam similitudinem dilecti transformatur. Unde Hugo, in libro *De arrha sponsae* [11]: « Scio, anima, quod quidquid diligis [y], vi dilectionis in eius similitudinem transformaris ». Praeterea, in cognitione est quaedam discretio cognoscibilis, propter quam est quaedam configuratio. Praeterea, potentia cognoscendi, in quantum huiusmodi, sive cognitio praecedit potentiam diligendi, in quantum

---

[a] T *respondet.* [b] T add. *per.* [c] R *per.* [d] S *anima.* [e] Z om. [f] LC *ut.* [g] VSTR om. *i. l.* [h] Z *fit.* [i] Z *et.* [k] L om. *s. n. e. c.* [l] L om., C exp.; S om. *enim.* [m] Ita V, alii om. [n] V *anima.* [o] L om. [p] Ita V, alii om. [q] L *unus.* [r] Ita Z (interl.), alii om. [s] Z add. *vero ad.* [t] V om. [u] T add. *est.* [v] Ita R (corr.), alii *cognitio.* [x] VST om. [y] T *diligens es;* L add. *ipsa.*

1 Cf. supra, num. 336 et 337.

2 Quaest. 74 (PL 40, 85), ubi et sequens exemplum.

3 Lombardi, in h. l. (PL 192, 31), ex Augustino, loc. cit.

4 Verbotenus ap. Petr. Pictav., II *Sent.*, c. 9 (PL 211, 966); cf. Haymo, *In Gen.*, I, c. 7 (PL 117, 459sq.); Lombard., II *Sent.*, d. 16, c. 3 (p. 381).

5 Cap. 10 (inter opp. Augustini PL 40, 786).

6 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 2 (PL 176, 264).

7 Cf. *De spiritu et anima*, c. 39 (inter opp. Augustini PL 40, 809).

8 Cf. supra, nota 5.

9 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 16, a. 2, q. 3 (II, 404sqq.).

10 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 8 (III, 470).

11 PL 176, 934.

huiusmodi, et[a] dilectionem. Cum ergo imago plus adhaereat naturae quam similitudo et sit[b] prior naturaliter quam similitudo superinducta imagini, recte penes potentiam cognoscendi determinatur imago, similitudo penes potentiam diligendi, sicut in re corporali prior est imago quam color qui[c] superinducitur.

III. Deinde quaeritur de multis differentiis quae ponuntur inter imaginem et similitudinem, quia, sicut dicit Cassiodorus[1], imago attenditur secundum immortalitatem, similitudo secundum simplicitatem, et ita videtur similitudo esse prior quam imago: simplicitas enim videtur esse prior immortalitate.

Respondeo: Similitudo accipitur generaliter, ut etiam secundum immortalitatem dicatur similitudo: unde[d] secundum quae attenditur imago, secundum illa attenditur similitudo, et secundum aliqua attenditur[e] similitudo secundum quae non attenditur imago, utpote secundum[f] simplicitatem. Tamen anima dicitur *ad imaginem* propter vitam aeternitatis, in qua imitatur Deum; secundum autem simplicitatem non dicitur, quia hoc potest esse commune rebus corporalibus, quae non dicuntur esse ad imaginem Dei.

Similiter intelligendum est quod dicit Hugo[2]: « Imago pertinet ad figuram, similitudo[g] ad naturam »: natura enim prior est figura. Unde attendendum est quod loquitur de similitudine, prout similitudo est convenientia quasi in forma, ut cum dicitur quod filius est similis patri in hoc[h] quod est eiusdem speciei; sed sic non attenditur similitudo prout sequitur imaginem, in quantum dicimus quod homo est conditus *ad imaginem et similitudinem Dei*[i], et non dicitur ad similitudinem et imaginem.

Similiter videntur esse plures differentiae, quas ipse ponit[3], ut cum dicitur quod dicitur[k] « imago quia rationalis, similitudo quia spiritualis »; similiter, cum dicitur quod[l] imago sit, « quia omnia in ipsa[m] sunt secundum sapientiam, similitudo, quia simplex secundum essentiam ». Unde generaliter attendendum est quod duobus modis attenduntur differentiae: vel ut similitudo superintelligatur imagini, et sic proprie accipitur; vel secundum quod similitudo extenditur, ut quoad priora imagine vel concomitantia accipiatur.

340 ARTICULUS V.

Secundum quid convenit homini esse ad imaginem Dei[4].

Quinto quaeritur secundum quid conveniat animae vel homini, I. utrum dicatur convenire secundum corpus vel secundum partem sensibilem.

Et videtur quod secundum corpus: 1. Quia, sicut dicit Augustinus[5]: « Habet potestatem qua potest, veritatem qua discernit, bonitatem qua in ipsum tendit ».

2. In[n] hoc etiam videtur quod dicit Augustinus quod in exteriori homine quaedam trinitas reperitur, etsi non ita expressa sicut in[o] interiori homine. Unde dicit[6]: « In exteriori homine, qui corrumpitur, quaeramus, quo modo possumus, quamdam Trinitatis effigiem, etsi non expressiorem, tamen ad dignoscendum faciliorem ». Ex quo colligitur quod homo secundum corpus dicitur 'ad imaginem'.

3. Praeterea, videtur per hoc quod dicitur in Gen. 1,27: *Ad imaginem suam creavit illum, masculum et feminam creavit eos*[p]; sed haec distinctio non est nisi secundum corpus; ergo[q] etc.

4. Item, Augustinus, in libro[r] *83 Quaestionum*[7]: « Quia tale est ut ad contemplandum caelum sit aptius, magis in hoc ad imaginem et similitudinem Dei quam cetera corpora animalium factum[s] iure videri potest ».

5. Item[t], secundum sensibilem videtur esse quaedam Trinitatis imitatio, sicut ostendit Augustinus, in libro *De Trinitate*[8]: est enim species memorialis sive memoria et conversio super ipsam rem per notitiam et dilectio quae surgit ex iis; ergo, cum in iis similitudo Trinitatis ostendatur, erit in sensibili parte homo conditus ad imaginem.

Contra: *a.* Beda, in Glossa[9]: « Ad imaginem Dei dicitur esse secundum illam partem qua irrationabilibus antecellit ».

---

[a] T om. [b] T *sic.* [c] ST om. [d] V *et.* [e] V om. *imago secundum... attenditur,* [f] S om. [g] V om. [h] V *notatur* pro *i. h.* [i] R om. [k] R om. *q. d.* [l] R om., ST *quia.* [m] L *ipso.* [n] V *et.* [o] S om. [p] C *illos.* [q] R om., in C est add. mg. [r] T om. *i. l.* [s] LC (correcti) *facti,* alii *facta.* [t] V add. *si.*

1 *De anima,* c. 2 (PL 70, 1285sq.); cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 57, *ad 5.*
2 *De sacram. fid. christ.,* I, p. 6, c. 2 (PL 176, 264).
3 Hugo de S. Vict., loc. cit.
4 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 3, p. 2, a. 1, q. 1 (I, 80sqq.).
5 Cf. *In Epist. ad Parthos,* tr. 8, c. 4, n. 6 (PL 35, 2039).
6 *De Trinit.,* XI, c. 1 (PL 42, 984).
7 Quaest. 51, n. 3 (PL 40, 33).
8 Cf. lib. XI, cc. 2-4 (PL 42, 985sqq.).
9 *In Hexaëm.,* I (PL 91, 30).

b. Item, Cassiodorus[1]: « Quo modo posset imago aut similitudo Dei esse, si animae hominum mortis termino includerentur? »

c. Item, idem[2]: « Non recte dicitur imago Dei nisi illud quod inhaeret contemplandae incommutabili veritati ».

d. Item, Augustinus[3]: « Illa pars imago Dei dicitur esse, secundum quam particeps eius [a] esse potest »; participatio autem haec est secundum cognitionem et dilectionem; cum ergo secundum sensibilem vel corporalem non habeat huiusmodi participationem, non dicetur imago Dei secundum illa [b].

Respondeo: Sumpta proprie ratione imaginis, non dicetur homo ad imaginem Dei nec secundum corpus nec secundum partem sensibilem, sed secundum partem intelligibilem vel rationalem; unde, licet [c] inveniatur ibi quaedam similitudo Trinitatis, non tamen dicitur imago: imago enim est expressa similitudo sicut possibile est in creatura.

II. Deinde quaeritur utrum anima rationalis secundum inferiorem partem dicatur ad imaginem vel imago an tantum secundum superiorem[4].

Quod videtur 1. per hoc quod dicit Augustinus, in libro *De Trinitate*[5]: « Cum in natura mentis humanae quaerimus trinitatem, in tota quaerimus, non separantes actionem rationalis in temporalibus a contemplatione aeternorum »; et secundum trinitatem dicitur [d] imago; ergo etc.

2. Item, sic est [e] in interiori homine sicut [f] in exteriori; sed in exteriori [g] sic est quod tam mulier quam vir dicitur [h] esse ad imaginem; ergo sic [i] erit in interiori homine; cum ergo inferior pars rationis dicatur mulier[6], erit ipsa dicta ad imaginem.

Contra: *a.* Augustinus, in libro *De Trinitate*[7]: « Ex qua parte conspectam consulit veritatem, est imago Dei; ex qua vero intenditur ad agenda inferiora [k], non est imago Dei ».

b. Item, in eodem[8]: « Eo quippe imago eius est quo capax eius est eiusque [l] particeps esse potest; quod tam magnum bonum nisi per [m] hoc quod imago eius est, esse non potest ».

c. Item, in eodem[9]: « In hac distributione non recte dicitur imago Dei nisi illud quod inhaeret contemplandae [n] incommutabili veritati ».

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod proprie [a] loquendo imago dicitur secundum superiorem partem.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem [b] obiectum dicendum [c] quod, licet trinitas quaedam attendatur secundum partem inferiorem, scilicet secundum quod meminit, intelligit et diligit haec inferiora, non tamen secundum illam dicitur imago: non enim secundum quamlibet trinitatem virium dicitur imago, sed solum secundum illam qua [d] meminit, intelligit et diligit Deum.

2. Ad secundum [e] dicendum quod homo exterior potest dici sensualitas sive pars sensibilis[10], et sic non est convenientia vel similitudo interioris et exterioris hominis. Vel potest dici exterior [f] homo progressus tentationis secundum quod fuit in primis parentibus, et quantum ad hoc quoad quid est [g] similitudo in interiori homine et exteriori: quoad hoc enim est similitudo quod, sicut in exteriori homine est triplex [h] motus, scilicet serpentis, mulieris et viri[11], ita et [i] in interiori, scilicet sensualitatis, inferioris partis rationis et superioris; quoad hoc autem est dissimilitudo, quia in homine exteriori est imago ex parte viri et etiam [k] ex parte mulieris, non tamen ita est in homine interiori, sed solum attenditur imago ex parte viri, scilicet superioris partis rationis [l].

III. Deinde quaeritur, si est imago vel ad imaginem secundum superiorem partem rationis, utrum secundum quod trinitas invenitur in ea respectu Dei vel [m] respectu sui[12].

Et videtur quod respectu sui: 1. Sicut enim Deus meminit se, intelligit se, diligit se, et secundum hoc dicitur Trinitas ad cuius imaginem condita est anima rationalis, ut sic sit semper reditio super suam essentiam [n], ita videtur esse in anima, cum anima meminit se, intelligit se, diligit se; ergo secundum hoc [o] attenditur esse imaginis.

2. Item, Augustinus, in libro *De Trinitate*[13]: « Ecce mens meminit sui, intelligit se, diligit se; hoc si cernimus, cernimus trinitatem, nondum quidem Deum, sed iam imaginem Dei ». Ergo anima secundum hoc est ad imaginem Dei.

---

[a] T add. *est vel.* [b] Ita V, alii om. *s. t.* [c] V om. [d] S *Dei;* T om. *ergo.* [e] T om. [f] T add. *est.* [g] V add. *homine;* S om. *s. t. e.* [h] Ita VL, alii *debet.* [i] T *si;* S om. *in.* [k] Z *interiora;* V om. *vero.* [l] L *eius.* [m] V om. [n] V *contemplando.*

[a] S *quippe.* [b] Ita V, alii om. [c] Ita VZ, alii add. *est.* [d] R *quam.* [e] LC add. *vero;* R om. *dicendum,* in Z est add. interl. [f] S (corr.) *interior.* [g] V om. [h] T add. *etiam.* [i] V om.; L om. *in.* [k] V om. [l] C delev. [m] V add. *etiam.* [n] Ita L (corr.), alii add. *et.* [o] LC *hec.*

1 *De anima*, c. 2 (PL 70, 1285).
2 Cf. loc. cit., c. 3 (PL 70, 1288); Augustin., *De Trin.*, XII, c. 3 (PL 42, 999).
3 Cf. *De Trinit.*, XIV, c. 8, n. 11 (PL 42, 1044).
4 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 1, q. 2 (I, 82 sqq.).
5 Lib. XII, c. 4 (PL 42, 1000).
6 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, III, c. 22 (PL 34, 293).
7 Lib. XII, c. 7, n. 10 (PL 42, 1003).
8 Lib. XIV, c. 8 (PL 42, 1044).
9 Cf. lib. XII, c. 3 (PL 42, 1000).
10 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, dub. 3 (II, 587 sq.).
11 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 24, c. 8 (p. 424).
12 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 1, q. 2 (I, 82 sqq.).
13 Lib. XIV, c. 8 (PL 42, 1044).

Contra: *a.* Augustinus, in eodem libro[1]: « Haec trinitas mentis non propterea imago Dei est, quia sui meminit mens et intelligit et diligit se, sed quia potest meminisse, intelligere et amare a quo facta est ». Ergo tantum dicetur imago in quantum haec in Deum convertitur. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem obiectum [a] in contrarium dicendum [b] quod, licet in hoc sit quaedam similitudo, tamen quia fit reditio super creaturam et ita [c] super defectibile, non est imago summae Trinitatis; ideo oportet ut vires et anima secundum ipsas in Deum convertantur [d].

2. Ad secundum autem dicendum [e] quod in praedicta auctoritate non fit relatio ad ipsam animam [f] intelligentem, sed fit relatio ad Deum, de quo prius habitus est sermo, sicut littera praecedens et subsequens ostendit, licet ab aliquibus male [g] intelligatur.

341 ARTICULUS VI.

Utrum imago conveniat animae penes naturalia aut gratuita et utrum secundum potentias vel actus.

Sexto [h] quaeritur, cum conveniat secundum superiorem partem, utrum penes naturalia aut gratuita et utrum secundum potentiam an [i] secundum actum.

I. Et videtur quod tantum secundum naturalia: 1. Quia imago inseparabile est ab anima, sicut habetur in Glossa[2]: *Verumtamen in imagine* [k] *pertransit homo.*

2. Item, Augustinus, XIV *De Trinitate*[3]: « Non vanitatem imagini Dei [l] tribueret nisi deformem cerneret factam, nec tantum [m] valere deformitatem, ut auferat quod imago est ».

Contra: *a.* Super illud Psalmi[4]: *Signatum est super nos* etc. distinguitur[5] triplex imago: creationis, recreationis et [n] similitudinis; unde innuitur [o] [6] quod secundum imaginem recreationis reformatur imago creationis, ut simpliciter sit imago.

[Solutio][7]: Ad quod dicendum quod imago attenditur penes utrumque, scilicet penes naturalia et penes gratuita, sed differenter. Nam est imago creationis et est imago [p] recreationis. Imago autem creationis attenditur penes potentias naturales, scilicet memoriam, intelligentiam et voluntatem[8]; imago vero recreationis attenditur penes gratiam reformantem illas potentias[9]. Prima est indifferenter in peccatoribus et iustis, alia autem [q] est tantum in iustis.

II. Item, quaeritur utrum imago attendatur penes potentias vel penes actus potentiarum.

Et videtur quod penes actus: 1. Nam, sicut dicit Augustinus[10], imago in anima attenditur penes ista tria, scilicet mens, notitia et amor; sed ista [r] non sunt potentiae, sed actus potentiarum; ergo penes actus attenditur imago.

2. Item, ratio imaginis attenditur penes tria secundum quod unum procedit ex alio, ut sicut Filius est a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque, ita ex memoria intelligentia et ex utroque voluntas[11]; sed constat quod potentia non procedit de potentia[12], sed actus ex actu; ergo imago attenditur penes actus [s] et non penes potentias.

Contra: *a.* Si imago attenditur penes [t] actus, et non penes quoslibet actus, sed penes illos secundum quos habet converti in Deum[13], non esset imago in homine nisi secundum quod actualiter converteretur in Deum; ergo in peccatoribus non esset ratio imaginis, cum [u] non convertuntur in Deum actualiter.

b. Item, dicit Augustinus[14] quod anima dicitur ad imaginem Dei, « non quia meminit, intelligit et [v] diligit, sed quia potest meminisse, intelligere et diligere ». Ergo imago attenditur penes potentias et non penes actus.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum[15] quod imago attenditur penes potentias, tamen secundum quod ex illis habent elici actus. Unde, cum dicit Augustinus quod imago attenditur secundum mentem, notitiam et amorem, non per hoc negatur quin attendatur secundum potentias.

---

[a] Z *obiectum autem* pro *p. a. o.* [b] Ita V, alii add. *est.* [c] L *ideo.* [d] Ita V, alii *convertatur.* [e] Ita V, alii add. *est.* [f] V om. [g] V om. [h] Ita V, alii *deinde sexto.* [i] C *aut.* [k] R *imaginatione;* Z om. *in;* V *pertransibit* pro *pertransit.* [l] Z *Deo.* [m] L *tamen.* [n] V om. [o] L *minuitur.* [p] V om. *c. e. e. i.* [q] TC om. [r] RLCZ add. *tria.* [s] Z *actum.* [t] T add. *etiam.* [u] T add. *ergo.* [v] C om.

1 Lib. XIV, c. 12, n. 15 (PL 42, 1048).
2 Psalm. 38, 7; cf. *Glossa* Lombardi, in h. l. (PL 191, 393).
3 Cap. 4 (PL 42, 1040).
4 Psalm. 4, 7.
5 Lombard., *Glossa,* in h. l. (PL 191, 88).
6 Loc. cit.
7 Cf. supra, num. 339, I; Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 418, II.
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 16, a. 1, q. 2 (II, 396 sqq.) et I *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 2, q. 1 (I, 88 sqq.).
9 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 16, a. 2, q. 3 (II, 404 sqq.) et III *Sent.*, d. 27, a. 1, q. 1 (III, 592a).
10 *De Trinit.*, IX, c. 4 (PL 42, 963).
11 Cf. Augustin., *De Trinit.*, XIV, c. 12 (PL 42, 1048).
12 Cf. Aristot., *Phys.*, V, c. 2 (II, 310).
13 Cf. supra, num. 340, II.
14 Loc. cit.
15 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 1, q. 1 (I, 81a).

2. Ad hoc quod obicitur quod potentia non est ex potentia [a], dicendum quod, licet potentia in se, absolute considerata, non sit ex potentia, tamen in eliciendo [b] actum suum una potentia dependet ab alia et ita quodam modo est ex illa. Unde in eliciendo actum praeintelligitur memoria ante intelligentiam: unde quantum ad [c] hoc imitatur Trinitatem personarum quantum ad processionem.

ARTICULUS VII. 342

Quo modo anima rationalis sit repraesentativa imaginis divinae.

Consequenter quaeritur qualiter est repraesentativa imaginis ipsa anima [d]. Dubitabit tamen aliquis I. quo modo secundum praedicta, memoriam, intelligentiam et voluntatem, fiat coaptatio [e] ad Trinitatem personarum.

1. Dicit enim Augustinus [1]: « Memoria Patri, intelligentia Filio, voluntas Spiritui Sancto aptatur [f] ». Et ratio huius est, quia ex memoria primae veritatis generatur intelligentia eius, ex utroque vero procedit amor primae veritatis; memoria ergo est generans, intelligentia genita, amor procedens; memoria ergo Patri, intelligentia Filio, voluntas Spiritui Sancto.

Contra: *a.* Eccli. 17,1: *Secundum imaginem suam fecit illum,* Glossa [2]: « Sicut ex Patre Filius et ex utroque Spiritus Sanctus, ita ex intellectu voluntas et ex utroque memoria ». Ergo intellectus Patri [g], voluntas Filio, memoria Spiritui Sancto aptabitur [h].

b. Item, Augustinus, in sermone *De imagine* [3]: « Ex iis quasi excellentioribus animae dignitatibus iubemur Deum diligere, Deuter. 6,5, ut quantum intelligatur [i], tantum semper in memoria habeatur; nec solus sufficit intellectus nisi sit voluntas in amore eius nec haec duo sufficiunt nisi memoria addatur, qua [k] semper in mente intelligentis et diligentis maneat Deus [l] ». Memoria ergo procedit ex intelligentia et voluntate; non ergo aptabitur memoria Patri.

Respondeo: Est memoria innata et acquisita. Memoria veritatis innata est principium intelligentiae et voluntatis: est enim, sicut dictum est [4], vis conservativa similitudinis primae veritatis impressae a creatione, et secundum hoc memoria attribuitur Patri, intelligentia Filio, voluntas Spiritui Sancto [5]. Memoria vero acquisita primae veritatis potest considerari duobus modis [m], quia quantum ad fieri aut quantum ad esse. Quantum ad fieri naturaliter procedit acquisita memoria ex [n] intellectu et voluntate: et secundum hoc intellectus, qui est generans veritatem, attribuitur Patri, voluntas, quae est genita, Filio, memoria, ex utroque procedens, Spiritui Sancto [6]. Quantum ad esse vero, memoria veritatis [o] acquisita potest esse principium veritatis intelligentiae et voluntatis: et secundum hoc fiet [p] assignatio sicut prius, memoria Patri [7] etc.

II. Item, dubitabit [q] aliquis de hoc quod dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [8], quod actus isti sese sunt circumincedentes [r], meminisse, intelligere, velle, ut sit similitudo potentiarum ad personas divinas, sicut dicit Damascenus [9]: verbi gratia quod memini, intelligo, volo, et quod intelligo, memini et volo, et quod volo, memini et intelligo [10].

Contra: 1. Intelligentia est respectu aliquorum, respectu quorum non est voluntas et etiam memoria: meminimus enim [s] et intelligimus mala et non volumus ea; non ergo quia intelligimus mala, volumus ea; non ergo [t] quod intelligimus et meminimus, volumus.

Respondeo: Non dicuntur sese circumincedere, nisi cum sunt superioris partis rationis respectu primae veritatis, et tunc sese circumincedunt; vel cum sunt inferioris partis rationis respectu sui ipsius, quae meminit se, intelligit se et diligit se [u], vel respectu eius ad quod nata est, quae non potest non amari nec etiam ignorari habitu. Respectu vero aliorum quae non sunt vel illud a quo ipsa est vel illud quod ipsa est vel ea ad quae nata est, sicut sunt temporalia et operationes voluntariae, non [v] se circumincedunt sive necessario concomitantur [11].

---

[a] V om. *n. e. e. p.* [b] T *eligendo.* [c] S om. [d] V om. [e] S *inaptatio.* [f] Z *coaptatur.* [g] S *potentia.* [h] Z *aptatur.* [i] R add. *et.* [k] T *quas.* [l] T add. *ex.* [m] S om. [n] V *in.* [o] R *trinitatis.* [p] C *fieret.* [q] V *dubitavit.* [r] ST *circumcedentes.* [s] T *esse.* [t] Ita V, alii om. *quia... ergo.* [u] Ita R, alii om. [v] V add. *sunt.*

1 Cf. *De Trinit.*, X, c. 11, n. 17 (PL 42, 982).
2 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
3 Cf. *Sermo* 52, c. 7, n. 19 (PL 38, 362).
4 Cf. supra, num. 341, I.
5 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 1, q. 1, *ad 3* (I, 81) et II *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 2, *ad 1, 2, 3* (II, 597).
6 Cf. hic, sub litt. *a.*
7 Cf. hic, sub n. 1.
8 Cf. lib. IX, c. 5, n. 8 (PL 42, 965).
9 Cf. *De fide orthod.*, I, cc. 6 et 8 (PG 94, 803, 822).
10 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 10, q. 5 (f. 64a).
11 Cf. Phil. Grev., *Summa*, II (f. 51d et 52a).

343

CAPUT VI.

DE ORDINE ANIMAE RATIONALIS IN UNIVERSO [1].

Deinde potest quaeri de ordine animae rationalis in universitate creaturarum.

Videtur enim quod post ordinem intelligentiae angelicae debeat esse ordo animae rationalis: 1. Intelligentia enim angelica est substantia incorporea separata a corpore; cum ergo incorporeum sit prius dignitate corporeo [a] et separatum a corpore separabili [b] a corpore, separabilis vero substantia dignior [c] inseparabili, anima vero rationalis sit substantia separabilis a corpore, non dependens secundum essentiam a corpore, sensibilis vero anima et vegetabilis sit inseparabilis [d] a corpore, recte anima rationalis [e] collocari debet in universo post angelicam intelligentiam et ante sensibilem animam et vegetabilem, et haec omnia ante corpoream substantiam, sicut praehabitum [f] est [2].

2. Item, principium motus [g] nobilius est quam illud cuius est principium, scilicet mobile [3]; cum ergo corpus sit mobile et anima [h] sit principium motuum [i] et maxime rationalis, recte erit prior in universo corpore; recte ergo post lucem, hoc est intelligentiam angelicam, quae primo die condita est [4], deberet esse ordo animae rationalis.

3. Item, anima rationalis est condita ad imaginem; ergo, cum res deberent [k] habere ordinem secundum maiorem et minorem appropinquationem ad Deum, debet anima rationalis vel immediate ordinari post Deum vel intelligentiam angelicam, quae aliquam facit influentiam super animam rationalem, scilicet consiliorum et illuminationum [5].

Contra: *a.* Anima rationalis habet essentialem comparationem ad suum corpus; corpus autem suum posterius est aliis corporibus: omnia enim corpora ordinantur ad illud tamquam ad [l] ultimum, ratione qua unitur animae rationali. In corpore enim humano est potentia ad actum perfectiorem quam sit [m] in corpore habente tantum potentiam ad animam sensibilem vel vegetabilem: est enim in corpore humano potentia ad actum locutionis, per quem est omnium significatio; praeterea, in corpore humano est vis [n] ordinata ad productionem corporis animabilis [a] per animam rationalem, quod non est in alio corpore; ergo corpus humanum [b] est dignius quoad hoc aliis corporibus.

b. Forte diceretur quod [c] hoc est verum in corporibus inferioribus, sed hoc non est in corporibus supercaelestibus: nam illa corpora digniora videntur esse hoc corpore, eo quod sunt principium transmutationis in hoc corpore sicut etiam in aliis corporibus [6]. — Sed huic obviat quod etiam corpus supercaeleste ad hoc corpus ordinatur. Dicitur enim Iob 14, 12: *Non resurget homo, donec atteratur* [d] *caelum;* ergo attritio [e] caeli est praeambula ex divina dispositione ad resurrectionem humani corporis; sed attritio caeli non aliud est quam status eius in quantum est mobile [f]; ergo stabit caelum; ante hoc autem non esset nisi motus eius ordinaretur ad mutationem et innovatio eius ad innovationem; ergo superiora corpora sunt [g] ordinata ad corpus humanum tamquam ad [h] suum ultimum.

c. Praeterea, dicitur Rom. 8, 19: *Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat;* et post sequitur [i] [7]: *Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc;* ubi dicit Glossa [8]: « Omnia elementa cum labore sua [k] explent officia, sicut [l] sol et luna non sine labore statuta sibi implent spatia: quod est causa nostri; unde quiescent nobis assumptis ». Ergo etiam illa corpora ordinata sunt ad corpus humanum; ergo, cum corpus humanum [m] sit ordinatum ad animam rationalem, erit anima rationalis [n] ultimum in universo.

d. Hoc etiam ostendit ipsa conditio in operibus primis. Nam post omnia dicitur quod fecit hominem, et exprimitur sua conditio et secundum corpus et [o] secundum animam [p], per hoc quod sequitur [9]: *Formavit hominem de limo terrae et inspiravit in eum* [q] *spiraculum vitae.*

e. Forte [r] diceretur quod esse animae rationalis, in quantum est anima, est secundum hunc modum, sed non secundum quod spiritus: prout enim est spiritus, non [s] videtur habere dependentiam nec comparationem ad corpus, et ita videtur [t] quod alium ordinem habere debeat. —

---

[a] ST om. [b] VZ (corr.) *inseparabili.* [c] V add. *est.* [d] T *separabilis.* [e] T add. *in.* [f] T *prohabitum.* [g] V *natus.* [h] V *omnia.* [i] R *motivum.* [k] T *deberet.* [l] Ita VZ (interl.), alii om. [m] RLC *fit.* [n] L *unum.*

[a] V *animalibus.* [b] Ita V, alii om. [c] T add. *ad.* [d] VL *alteratur.* [e] V om. [f] L *nobile;* R om. *eius.* [g] T om. [h] Ita VZ, alii om. [i] L om. [k] Z *suo.* [l] T add. *et.* [m] V om. *e. c. c. h.* [n] S add. *anima.* [o] T add. *etiam.* [p] R add. *et.* [q] Ita V, alii *eo.* [r] Z *vel forte.* [s] V om. [t] Ita V, alii om.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 1, q. 2 et d. 15, a. 1, q. 1 (II, 41 sqq., 382 sqq.).
2 Cf. supra, num. 104.
3 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 2 (II, 275).
4 Cf. supra, num. 273.
5 Cf. supra, num. 208-212.
6 Cf. supra, num. 289.
7 Rom. 8, 22.
8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1445).
9 Gen. 2, 7.

Contra hoc est quod dicit Augustinus, *Super Genesim* [1], quod semper habet spiritus rationalis intentionem ad corpus vel inclinationem; ergo anima rationalis, etiam prout est spiritus, cum adhuc habeat aliquam inclinationem ad corpus et possibilitatem ut sit pars hominis essentialis, ordinabitur [a] in universo ea ordinatione qua homo ordinatur; ergo erit finis sive terminus creaturarum.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod anima rationalis hoc modo ordinabitur tamquam ultimum in universo, et sicut suum esse non habuit antequam coniungeretur cum corpore, immo creatur et creando infunditur [2], etiam secundum quod spiritus, ita non habet aliquem ordinem nisi in opere sexti diei.

Ad obiecta in contrarium respondendum: **1.** Ad primum [b] quod, licet incorporeum sit dignius corporeo [c] et separabile inseparabili, non tamen secundum hoc accipitur ordo in universo, quia nec habuit esse antequam esset in corpore, et si haberet, essentialiter respiceret corpus, et ideo [d] totaliter ordinatur secundum esse totius in universo, sicut [e] etiam sensibilia et vegetabilia.

2. Ad id quod secundo obicitur quod 'est principium motus et ita dignius': dicendum quod hoc est verum, quod scilicet dignior est corpore suo, sed, licet fructus sit dignior flore, non tamen praecedit florem: sic nec anima rationalis praecedit suum corpus, sed est perfectio corporis organici, potentia vitam habentis [3].

3. Ad tertium dicendum quod, licet condita sit ad imaginem Dei et ita quamdam habeat immediationem ad Deum, non tamen in universo ordinatur propter habitudinem essentialem ad corpus, secundum quam constituta est quasi medium quoddam inter corpus et [f] Deum, ut ipsa per se ordinaretur in Deum, corpus vero mediante ipsa. Anima enim per contemplationem et dilectionem sursum fertur naturaliter ad Deum, corpus vero, licet ex quadam natura tendat deorsum, habet tamen ex parte animae rationalis ut trahatur sursum ad immortalitatem [g], in qua per animam [h] quodam modo Deo assimilatur.

TITULUS II.

DE PROPRIETATIBUS ANIMAE RELATE AD CORPUS.

Dictum est de anima secundum se et conditionibus eius. Nunc dicendum est de ea secundum comparationem ad corpus:

Primo, quantum ad coniunctionem;

secundo, quantum ad esse eius in corpore;

tertio, quantum ad separabilitatem: de separabilitate autem erit sermo [i] in ultima Parte [4], quae spectat ad retributionem.

CAPUT I.

DE ANIMA QUANTUM AD CONIUNCTIONEM.

Quantum ad coniunctionem:

Primo quaeritur si sunt coniungibilia [k];

secundo, si coniunguntur, utrum sine medio an per medium;

tertio, si per medium, utrum per unum an [l] per plura;

quarto, quo modo coniunguntur sive uniuntur.

ARTICULUS I. 344

Utrum anima et corpus sint coniungibilia.

Primo ergo quaeritur utrum sint coniungibilia.

Quod non, videtur: 1. Quorum enim maior est convenientia, non coniunguntur ut unum fiant [m] vel ut unum fiat ex illis; ergo multo fortius quorum minor est [n] convenientia; sed maior est convenientia in natura inter corpus caeleste et corpus elementatum quam inter corpus elementatum

[a] RZ *ordinatur*; L *eo* pro *ea*. [b] Ita V, alii *autem in contrarium dicendum est* pro *in... primum*. [c] V *corpore*. [d] C *ita*. [e] VS *sic*. [f] V *ad*. [g] L *mortalitatem*. [h] V *divinam*. [i] C add. *ultimo*. [k] Ita VL, alii *coniunctibilia*. [l] V *aut*. [m] R *fiat*. [n] T om.

[1] Lib. VII, cc. 26 et 27 (PL 34, 368sq.).
[2] Cf. supra, p. 392, *ad 2*.
[3] Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 1 (III, 444).
[4] Haec tractatio omittitur.

et incorporeum, similiter maior est [a] convenientia inter corpus caeleste et elementum quam inter incorporeum et corpus; sed corpus caeleste non coniungitur ut faciat unum in natura cum elemento vel elementato; ergo nec incorporeum faciet [b] unum cum elemento vel elementato; sed anima rationalis et corpus humanum sic se habent sicut incorporeum et corpus elementatum; ergo non coniungentur ut fiat unum in [c] natura ex illis. — Quod autem corpus caeleste non faciat unum in natura cum elemento vel elementato, probatur per hoc quod illud corpus non esset simplex; ergo esset compositum ex naturis diversorum corporum; sed nullum est tale nisi elementatum; ergo esset elementatum; sed elementatum non componitur nisi ex elementis, corpus autem caeleste non est elementum [1]; ergo non est ex quo componitur elementatum; ratio autem [d] elementi est [2]: ex quo cum alio in potentia fit aliquid in actu; cum ergo haec ratio removeatur a corpore caelesti, corpus caeleste non est faciens unum in natura cum aliquo corpore inferiori; cum ergo [e] magis distent anima rationalis et corpus quam [f] elementum vel elementatum, non facient unum in natura. — Praeterea, corpus caeleste [g] non est naturaliter divisibile [3]; ergo nec segregabile vel congregabile; sed quod non est tale, non est unibile cum alio corpore; ergo corpus caeleste non est unibile; ergo nec anima rationalis per hunc modum multo fortius.

2. Item, quaecumque sunt completa in suo genere, non habent possibilitatem, prout huiusmodi, ad ulterius [h] ens: unde ignis et aer, ut sunt in sua sphaera, completa sunt in suo genere nec habent possibilitatem, prout huiusmodi, ad aliquid unum in natura; cum ergo anima rationalis et corpus humanum se habeant ut entia [i] completa in suo genere: in genere enim corporeorum est completissimum corpus humanum [k], in genere incorporeorum valde completum est anima rationalis, ut [l] per se potens subsistere; ergo, prout huiusmodi, non habent possibilitatem ad ulterius ens in natura; sed omnia coniungibilia in unum natura sunt possibilia; ergo anima rationalis et corpus illud non sunt coniungibilia.

3. Item, hoc videtur ex similitudine microcosmi et megacosmi: nam non fit unum ex motore caeli et caelo; ergo pari ratione ex motore corporis humani et corpore humano.

4. Item, quaecumque substantiae non habent communem materiam, non uniuntur ad invicem in unam naturam; sed anima rationalis et corpus humanum sunt huiusmodi; ergo non uniuntur ut coniungantur in una natura.

Contra: *a.* Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [4]: « Sunt corporis et animae quaedam similia, scilicet supremum corporis et infimum animae, quibus sine naturali confusione, personali tamen unione, facile coniungi possunt: similia enim gaudent similibus. Sed anima, quae vere spiritus est, et caro, quae vere corpus est, in suis extremitatibus convenienter et facile uniuntur in phantastico animae [m], quod corpus non est, sed simile corpori, et sensualitate carnis, quae vere spiritus est, quia sine anima fieri non potest ».

b. Item, in eodem [5]: « Convenientissima media sunt carnis et animae: sensualitas carnis, quae maxime ignis est, et phantasticus spiritus, qui igneus vigor dicitur et caelestis origo [6]. Mira societas carnis et animae, spiritus vitae et limi terrae! Sic enim scriptum est [7]: *Fecit Deus* [n] *hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae* ».

c. Item, ex ratione quam ponit Philosophus [8] arguitur: Anima est perfectio corporis physici, organici etc.

d. Item, omne illud, quod communicat alteri in passionibus, convenit in unum cum illo; sed anima et corpus communicant [o] in passionibus; ergo etc. — Quod autem communicent in passionibus, patet per [p] hoc quod ad mutationem factam in corporibus sequitur immediate mutatio [q] in animabus et e converso, ut in gaudio et tristitia et huiusmodi passionibus.

e. Item, omne quod continet alterum et salvat per modum formae, facit unum cum illo quod continetur et salvatur; sed anima est huiusmodi: ipsa enim continet et salvat [r] corpus ens [s] in corpore, ipsa vero [t] recedente destruitur et dissolvitur corpus; ergo ipsa est perfectio corporis.

[Solutio] [9]: Ad quod dicendum [u] quod coniungibilia sunt anima et corpus et uniuntur in unum, ut fiat una natura.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem obiectum [v] in contrarium dicendum [x] [10] quod, licet minus

[a] Ita V, alii om. [b] RLCZ *facit.* [c] V om., Z *ex*, quod TLC corr. [d] C om. [e] V *autem.* [f] Ita V, alii om. [g] T add. *corpus.* [h] Z *alterius*, quod C corr. [i] VSR *essentia,* [k] Ita V, alii om. [l] T om. [m] V *animo.* [n] L *aliquis.* [o] V *communicat.* [p] V *ex.* [q] V *unitatem.* [r] Ita VZ (corr.), alii *salvatur.* [s] L (corr.) *ente,* C (corr.) *ipsa ente.* [t] Ita V, alii om. *i. v.* [u] T add. *est.* [v] Ita V, alii *obiectum autem* pro *p. a. o.* [x] Ita VZ, alii add. *est.*

[1] Cf. Aristot., *Phys.*, VIII, c. 7; *De caelo*, I, c. 2 (II, 356sqq. 368sq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 1, a. 1, q. 2 (II, 338sqq.).

[2] Cf. Aristot., *De caelo,* III, c. 2 (II, 415).

[3] Cf. Aristot., *De caelo,* II, c. 7 (II, 397).

[4] Cap. 14 (inter opp. Augustini PL 40, 789).

[5] Loc. cit. (PL 40, 790).

[6] Cf. Virgil., *Aeneid.*, VI, 730.

[7] Gen. 2, 7.

[8] *De anima,* II, c. 1 (III, 444).

[9] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 3, q. 1 (II, 50b); III *Sent.*, d. 21, a. 1, q. 3, *ad 1* (III, 441); *Breviloq.*, p. 2, c. 10 (V, 228a).

[10] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, a. 2, q. 2, *ad 6* (II, 423).

distent in natura corpus caeleste et corpus [a] elementum vel elementatum quam anima et corpus humanum, et illa non faciant unum per compositionem, nihilominus haec [b] faciunt unum per compositionem [c], quia unum illorum est possibile respectu alterius, non tantum ut mobile respectu motoris, sed ut materiale respectu suae perfectionis. Praeterea, ut differenter eliciatur actus a potentia animae, habet componi [d] cum corpore organico [e]: licet enim anima intellectiva ratione intellectus non determinet sibi organum [1], nihilominus ratione aliorum actuum, qui pertinent ad sensibilem vel vegetabilem vel eorum qui consequuntur ad intellectum, determinant sibi organum.

2. Ad secundum dicendum quod, licet utrumque in suo genere sit completum nec respiciat ulterius perfectionem sui generis, ut corpus non respiciat ulterius perfectionem corporalem in natura vel anima perfectionem spiritualem in natura, nihilominus respicit corpus ulteriorem perfectionem spiritualem sive animalem, quae est mediante vita, et haec est perfectio [f] nobilior praedicta. Nec est simile de aliis duobus perfectis, quorum unum est natum per se subsistere sine alterius adiumento: talia enim duo non dicuntur in natura unibilia, ut ignis in sua sphaera et firmamentum in sua sphaera [g] sic se habent ad invicem, adiuvatur tamen unum ab altero quantum ad terminationem figurae vel quantum ad rationem motus.

3. Ad id vero quod obicitur de comparatione megacosmi et microcosmi, dicendum quod in megacosmo non est comparatio corporei ad incorporeum nisi secundum rationem moventis et moti. Corpus enim illud non indiget ut subsistat per creaturam illam incorpoream, sed tantum ut [h] moveatur; corpus vero humanum indiget anima, non tantum ut [i] moveatur, sed etiam ut in esse, in quo est, subsistat et permaneat, et ideo duplicem habet comparationem: ut mobilis ad motorem et [k] perfectibilis ad perfectionem suam [2], unde unum [l] in natura constituunt, scilicet hominem.

4. Ad ultimum respondendum per interemptionem maioris; haec enim est falsa 'quaecumque non habent communem materiam, non uniuntur'. Instantia: In composito ex [m] materia et forma.

ARTICULUS II. 345

Utrum anima et corpus coniungantur sine medio [3].

Deinde [n], supposito quod uniantur vel coniungantur in unum natura, quaeritur utrum coniungantur sine medio aut per medium.

Et videtur quod sine medio: 1. Quia unibilitas, ut videtur, est differentia essentialis inter animam et angelum; ergo, cum anima uniatur corpori unibilitate, unitur sua essentia; sed quod unitur sua essentia, unitur sine medio; unitur ergo anima corpori sine medio.

2. Item, si coniungantur per medium, cum unum sit corporeum et alterum incorporeum, necesse est medium esse corporeum et incorporeum in parte; quod cum impossibile sit, scilicet aliquid esse in iis duobus generibus, sed tantum est [o] in altero, non habebunt ista duo aliquod medium.

3. Similiter obicitur: Cum anima sit simplex, sicut dicit Augustinus, in *Quaestionibus Veteris et Novi Testamenti* [4], et corpus sit compositum, nihil autem medium sit inter simplex et compositum, non erit medium inter animam et corpus cui coniungitur.

4. Praeterea, inter materiam et formam quae ei unitur non intercidit medium; cum ergo corpus sit sicut materia, anima vero sicut forma, non est [p] necesse intercidere medium in natura.

5. Praeterea, inter animam vegetabilem et suum corpus non est necesse intercidere [q] medium in plantis; cum ergo anima rationalis se habeat ad suum corpus consimiliter, non est necesse intercidere medium. — Forte diceretur quod anima suis potentiis unitur corpori, sicut videtur dicere Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [5]; sed hoc non [r] removet quin per se coniungatur: nam, cum esse per prius attribuatur essentiae quam ipsi potentiae, et similiter essentiae corpori quam potentiis eius, corpus autem [s] et anima se respiciunt naturaliter, ergo prior est respectus [t] essentiae animae et corporis [u] quam virium inter se [v]; ergo coniunctio essentiae animae cum corporis essentia est naturaliter prior, licet sit tempore simul; ergo sine medio in esse uniuntur.

Contra [x] **obicitur** *a.* per similitudinem sumptam ex verbis philosophorum. Ea enim quae magis sunt distantia, ut ignis et terra, non conveniunt

---

[a] C om. [b] Z om. [c] S *comparationem*; V om. *nihilominus... compositionem.* [d] VL *compositionem.* [e] V *organizato.* [f] T *perfectior.* [g] TR om. *i. s. s.*, S om. *e. f. i. s. s.* [h] V om. [i] L *ne.* [k] ST *ut.* [l] T om. [m] S *in.* [n] V add. *queritur.* [o] Z *esse.* [p] T add. *etiam.* [q] V *incidere.* [r] V om.; S *quinque* pro *quin.* [s] R *enim.* [t] L *respectu.* [u] T add. *est.* [v] T *interesse* pro *i. s.* [x] T add. *hoc.*

1 Cf. S. Bonav., III, *Sent.*, d. 16, a. 2, q. 1 *ad 1* (III, 354).
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 3, q. 2 (II, 221 sq.); *Quaest. disp. de scientia Christi*, q. 5, *ad 11* (V, 31).
3 Cf. supra, num. 266.
4 Cf. quaest. 23 (PL 35, 2229).
5 Capp. 13, 14 et 20 (PL 40, 789, 794).

nisi per medium, aqua vero et terra dicuntur [a] convenire in unum aliquod sine aliis quae [b] non inter se distant [1]. Nam si diceretur 'ignis immediate [c] convenit cum terra in carbone', hoc non est verum: materia enim illa non est pure terra, sed est compositum ex aliis, licet plus dicatur denominari ab illo; ergo quae distant ab invicem, quanto magis distant tanto magis indigent medio; ergo, cum corpus et anima rationalis maxime distent, maxime indigent medio ut conveniant in unum natura.

b. Praeterea, anima rationalis, ad hoc quod coniungatur corpori, exigit dispositiones aptantes, quibus fit aptatio [d] corporis ad receptionem ipsius; hoc autem non est nisi propter maximam dissimilitudinem eius ad corpus; ergo anima rationalis et corpus quaerunt medium.

[Solutio] [2]: Ad quod dicendum quod anima rationalis coniungitur suo corpori ut motor mobili et ut perfectio formalis suo perfectibili [3]. Prout [e] autem est motor, habet potentias medias, quibus movetur corpus, prout est organum animae, et illa via dicitur habere potentias pro medio; praeterea, spiritus, qui dicuntur vitalis et animalis, deferunt tamquam ministrantes actum virium per corpus [4]. Eo autem modo quo est perfectio et corpus perfectibile, licet habeat dispositiones praeambulas, quae dicuntur quodam modo media, non tamen exigitur medium in [f] unione, immo se ipsa unitur anima corpori. — Quod autem habeat dispositiones medias in aptatione, patet per hoc quod dicit Augustinus [5], quod vegetatur et crescit et formatur et organizatur; hoc autem non posset esse nisi essent aliquae virtutes spiritales quae ista facerent, et ideo [g] in aptatione sunt media; in ipsa vero unione se [h] ipsa coniungitur corpori.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur ratione primae partis, dicendum quod essentia ipsius animae non est sua unibilitas, licet [i] se ipsa uniatur.

2. Ad secundum dicendum [k] quod, licet anima sit incorporea et ipsum, cui unitur, sit corpus, non prohibet illa habere medium: potest enim tanta esse distantia unius ab altero, ut incorporeum ex parte sua haberet medium, sicut anima habet media ex parte sua vires animales et vitales et naturales, et corpus ex alia parte habet medium spiritus tres respondentes, et istud ex via qua motor et organum, quod est mobile, coniunguntur.

3. Ad tertium similiter respondendum [l]. Quia enim anima est simplex respectu corporis et corpus habet compositionem, non est necesse quod sit immediatio: potest enim corpus habere maximam compositionem, ratione cuius potest minus [m] compositum esse medium, et anima rationalis, cum sit simplex, potest habere medium in genere incorporei, quod est minoris simplicitatis, sicut [n] est vis sensibilis et vegetabilis, et ita ex utraque parte potest habere medium ad praeparationem.

4. Ad id vero quod obicitur de materia et forma, dicendum quod illo modo sine medio uniuntur, licet alio modo medium habeant.

5. Ad illud vero [o] quod obicitur de anima vegetabili et suo corpore, dicendum [p] quod quoad unionem perfectionis cum suo perfectibili simile est in mediatione, sed non quoad operationem in corpore: anima enim vegetabilis immediate operatur, rationalis vero operatur mediante sensibili.

a. Ad illud vero quod obicitur ex alia parte quod requiritur medium, dicendum quod [q] hoc non est nisi in quadam congruitate rei utriusque generis ad invicem distantis, non quoad rationem unionis. Sicut enim ignis et terra in suo genere entia requirunt aerem et aquam pro mediis, cum autem veniunt ad mixtionem, unumquodque alteri miscetur et fit unum cum illo, ut quod inter ignem remissum a sua virtute et terram remissam a sua virtute non est medium ponere in mixto, licet sit in mixtione, ita est inter animam rationalem quodam modo et suum corpus. In aptatione enim ipsa media utrobique intercidunt, in unione vero in termino non est medium inter animam et corpus.

b. Hoc autem ostendit alia ratio sumpta [r] ex illa parte: loquitur enim de medio in adaptatione.

346

ARTICULUS III.

Utrum anima et corpus uniantur per unum tantum medium [6].

Consequenter procedendum est ad hoc: utrum eo modo quo habent medium, habeant unum vel plura propter maximam distantiam; non enim anima rationalis est ultimum in genere incorporeorum nec corpus suum est primum in genere corporum, sed ultimum. Quaeritur ergo

---

[a] V *dicunt.* [b] LC *quod.* [c] T *in medio;* V *convenire* pro *convenit.* [d] V *adoptatio.* [e] T om. [f] S om. [g] C om. [h] S *de.* [i] T *sed.* [k] Ita V, alii *vero dicendum est.* [l] Ita T, alii add. *est.* [m] T *unus.* [n] R *sic.* [o] S om. [p] Ita V, alii add. *est;* STRLC om. *quod.* [q] Ita V, alii om. *d. q.* [r] S *supra.*

1 Cf. Aristot., *Phys.*, II, cc. 3 et 4 (II, 264sqq.).

2 Cf. supra, p. 419, *ad 1-3.*

3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 3, q. 1, *ad 2-3* (II, 50); *Breviloq.*, p. 2, c. 9 (V, 227a).

4 Cf. Alfr. Angl., *De motu cordis*, c. 10, nn. 7, 9-10 (p. 40, 42sq.).

5 Cf. *De Gen. ad litt.*, III, c. 5; VII, cc. 13 et 15; XII, c. 16 (PL 34, 282, 362sq., 466); Hugo de S. Vict., *De unione corp. et spir.* (PL 177, 286).

6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 1, q. 2, *ad 2-3* (II, 42); *In Hexaëm.*, coll. 1, n. 19 et 4, n. 10 (V, 332, 350).

utrum unum tantum sit ex parte animae et [a] alterum ex parte corporis an plura utrobique.

Et videtur quod unum tantum ex parte animae et unum ex parte corporis [b] 1. per hoc quod dicit Augustinus, in supra dictis auctoritatibus, in libro *De anima et spiritu* [1].

2. Praeterea, inter animam rationalem et corpus ex parte animae rationalis est vis sensibilis vel vegetabilis, ex parte corporis spiritus; ergo utrobique sufficit unicum [c] medium.

Contra: *a.* Anima rationalis est substantia incorporea, motiva, cognoscitiva, separabilis sive non dependens a corpore; corpus vero, cui unitur tamquam organo sive [d] perfectibili, est corpus compositum ex elementis, complexionatum. Ex parte vero incorporei est [e] substantia incorporea, motiva, non cognoscitiva, inseparabilis a corpore, scilicet vegetabilis, et substantia incorporea, motiva, cognoscitiva, inseparabilis, scilicet sensibilis: et ita duo sunt media. Ex altera vero parte est corpus compositum ex elementis, non complexionatum, et corpus non compositum ex elementis: et ita duo sunt media. Et ita quatuor erunt media inter animam rationalem et suum corpus, duo ex una parte et duo ex alia: spiritus enim est corpus non compositum ex elementis, humor vero est corpus compositum ex elementis, sed non complexionatum.

[Solutio]: Ad quod dicendum [2] quod eo modo quo contingit esse medium [f], quatuor habet media supra dicta [3].

[Ad obiecta]: 1-2 Ad obiectum autem in contrarium dicendum [g] quod Augustinus, in libro *De anima et spiritu*, loquitur de iis mediis quae pertinent ad cognitionem vel motum sensualem, ubi tantum requiritur unum medium ex parte animae, alterum [h] ex parte corporis: ex parte animae sensualitas, ex parte corporis spiritus animalis, qui [i] vocatur phantasticum: et tunc dicitur phantasticum, non corpus, quia non est [k] corpulentum; sensualitas vero dicitur spiritus, quia non habet operationem praeter corpus quemadmodum anima secundum intellectum.

ARTICULUS IV. 347

Quo modo anima et corpus coniungantur.

Consequenter quaerendum est [a] de modo unionis animae rationalis cum corpore.

Cum enim multi sint modi coniunctionum — est enim unum compositione, quo modo materia et forma uniuntur; unum continuatione, sicut partes quantitatis continuae; unum contiguatione, sicut ligna et lapides in domo; unum colligatione, sicut membra in corpore; unum commixtione, sicut elementa in elementato; unum complexione, sicut humores in corpore complexionato; unum [b] impressione, sicut figura in [c] cera; unum insertu, sicut surculi in stipite [4] — potest [d] quaeri utrum aliquo istorum modorum dicatur anima uniri corpori.

Et videtur 1. quod non primo modo, quia forma non habet esse praeter materiam [5]; sed anima habet [e] esse praeter corpus; ergo non dicuntur unum illo [f] modo.

2. Nec dicuntur unum continuatione, quia continua terminum habent unum; sed incorporale non habet terminum; ergo non est unum continuatione, cum eorum sint termini simul: quod autem [g] quantum non est, terminum non habet.

3. Unum etiam [h] colligatione non erunt [i], quia ea, quae sunt unum colligatione, habent commune [k] ligamentum corporale; incorporeum autem non habet ligamentum corporale; ergo etc.

4. Nec sunt unum commixtione, quia illa quae sic sunt unum [l] dividuntur usque ad minima; indivisibile vero, quod est anima, non recipit divisionem; ergo non sunt unum commixtione [m].

5. Nec sunt [n] unum complexione, quia illud fundatur super unum commixtione [o]; ergo etc.

6. Nec [p] unum impressione, quia forma non est principium movendi in illis; praeterea, dividitur secundum divisionem materiae; non sic autem est in anima; ergo non est unitas impressionis.

7. Nec [r] unum insertu, quia quod inseritur dependet ab eo cui inseritur et utrumque vitam habet; hic autem dependet corpus ab anima quoad vitam; ergo etc. [s] Restat ergo quod nullo modo dicetur unio animae et corporis.

8. Praeterea, forma habet unitatem cum corpore, et anima rationalis cum suo corpore, et anima sensibilis in [t] brutis, et vegetabilis in [u] plantis. Potest ergo [v] quaeri in quo attenditur [x] differentia istarum perfectionum inter se [y].

---

[a] C om. [b] V add. *quod videtur.* [c] S om. [d] T add. *est.* [e] T *cum.* [f] Ita V, alii *media*; T *quod* pro *quo.* [g] Ita V, alii add. *est.* [h] T om. [i] VST *quod.* [k] L om.

[a] V om. [b] Z add. *in.* [c] RLCZ *et.* [d] Z add. interl. *ergo.* [e] C om. [f] S *alio.* [g] V om. *s. t. s. q. a.* [h] Ita V, alii *autem.* [i] Ita V, alii *erit.* [k] L *quem.* [l] Ita V, alii om. *q. s. s. u.* [m] Ita V, *est unum mixtione* pro *s. u. c.* [n] Ita V, alii *est.* [o] Ita VC, alii *mixtione.* [p] Ita V, alii add. *est.* [q] Ita V, alii add. *est.* [r] Ita V, alii om. *e. e.* [s] V *cum.* [t] V *cum.* [u] Ita VZ (interl.), alii om. [v] Z *attendatur.* [x] L om.

1 Cf. supra, p. 418, nota 4 et 5.
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 1, q. 2, *ad 2* (II, 42); *De reduct. artium ad theolog.*, n. 22 (V, 324).
3 Cf. supra, sub litt. *a*.
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 74.
5 Cf. Aristot., *Metaph.*, II, c. 4 (II, 495).

[Solutio]: Ad quod dicendum [a] quod haec unio, quae est animae et corporis, a B. Bernardo[1] dicitur nativa [b] et se habet ad modum formae cum materia[2]. Sed distinguendum est[3] quod est forma prima, quae perficit materiam, sicut sunt formae elementares, et in talibus forma perficit similiter totam materiam et quamlibet partem, ut totus ignis est ignis et quaelibet pars eius est ignis, et ad hunc modum sunt formae naturales, quae sunt primae commixtionis, sicut est in metallo et huiusmodi mineralibus: totum enim [c] aurum est aurum et quaelibet pars auri est aurum, sicut est de omnibus formis naturalibus [d] quae plurimum appropinquant ad suam materiam. — Est iterum forma naturalis, quae perficit totum et partem, sed non similiter, sicut est anima sensibilis in brutis et vegetabilis in plantis; in hoc enim habent convenientiam: totum enim animal est animal, sed nulla pars animalis est animal [e], sed plurimae partes sentiunt; similiter quaelibet pars plantae vegetatur, sed non quaelibet est planta. Sic ergo non similiter perficitur totum et quaelibet eius [f] pars, et haec forma plus elongatur a materia: habet enim aliquam individuationem praeter materiam. — Est autem tertia forma, quae perficit totum ita quod nullam eius partem, sicut anima rationalis: totum enim est homo, nulla autem pars hominis est homo nec etiam [g] intelligit; totum ergo intellectivum est ita quod [h] nulla pars: unde nullius partis dicitur actus. In plantis autem et sensibilibus non sic erit, sed pars vegetatur aut sentit [i] et ideo ista forma, quae perficit ita totum quod nullam partem, est [k] ultima in genere formarum naturalium. — Adhuc etiam addendum est ad differentiam vegetativae et sensitivae. Nam anima vegetativa, etsi non similiter perficit totum ut partem, tamen participat quaelibet pars vegetationem et hoc [l] habent partes animalis. Sensitiva vero anima non sic perficit quamlibet partem ut sentiat [m], sicut sunt ossa, pili et huiusmodi, et ideo accedit plus ad distinctionem; membra vero organica hominis sensum habent et vegetationem, sed nullum habent intellectum. Hic ergo est finis distinctionis et individuationis naturalis.

[Ad obiecta]: 1-7. Per hoc potest patere qualiter respondendum est [n] ad obiecta. Licet enim quaedam sit similitudo animae et [o] corporis et formae ad materiam, tamen est dissimilitudo secundum modum iam dictum. Est enim anima hoc aliquid praeter suam materiam[4]: quod non est dicere in forma simpliciter naturali. Unde [p] non est ibi proprie actus materiae, sed actus naturalis corporis completi in forma naturali, quae forma dicitur forma corporalis. Sic ergo [q] habet proprium modum unionis, et ideo vocat B. Bernardus istam unionem proprio nomine unitatem nativam, in libro *Ad Eugenium,* V[5].

8. Patet etiam ex iam [r] dictis quae sit differentia perfectionum inter animam rationalem, sensibilem et vegetabilem. Aliqui[6] vero voluerunt [s] ponere differentiam in modo unionis secundum diversa media unientia [t], ut ponerent lumen caeleste secundum triplicem differentiam medium inter perfectionem et subiectum; quod si verum est, transcendit nostram speculationem.

348

CAPUT II.

DE MODO ESSENDI ANIMAE IN CORPORE[7].

Consequenter dicendum est de modo essendi in corpore, utrum sit ita [u] in toto corpore quod in nulla parte secundum essentiam aut in una secundum essentiam [v], in aliis secundum virtutem.

Quod autem sit in toto ita quod in nulla parte, videtur 1. per hoc quod actus animae rationalis nulli parti [x] convenit: nulla enim pars corporis dicitur [y] intelligere, nulla pars dicitur homo, sed totum dicitur homo, totum dicitur intellectus [z].

2. Praeterea, Philosophus[8] dicit quod nullius partis corporis est actus, sed nec etiam corporis, cum intelligere sit praeter corpus; quo modo diceretur esse in qualibet parte vel in aliqua parte?

3. Praeterea, anima sensibilis secundum potentiam suam determinat partem corporis, ut secundum vim auditivam determinat aures, secundum visivam oculos et ita de aliis; non sic autem est de intellectiva, quae est actus animae rationalis; ergo anima rationalis non dicitur esse in aliqua parte

---

[a] Ita V, alii add. *est.* [b] R *natura.* [c] T om., C *autem,* [d] Ita V, alii *materialibus.* [e] V om. *sed... animal.* [f] Ita V, alii om. [g] L om. [h] T add. *etiam.* [i] Ita V, alii *vegetabatur aut sentiebat* pro *v. a. s.* [k] S om. [l] RCZ *hec,* L *hic.* [m] CZ *sentiant;* T om. *sunt.* [n] V om. [o] T om. [p] C *tamen.* [q] T add. *homo.* [r] C om. [s] V *aliam vero volunt* pro *a. v. v.* [t] T *venientia.* [u] T om. [v] V om. *aut... essentiam.* [x] T om. [y] T om. [z] Z add. mg. *vel intelligens.*

1 Cf. *De consid. ad Eugen.,* V, c. 8 (PL 182, 799).
2 Cf. S. Bonav., II, *Sent.,* d. 17, a. 1, q. 3, *ad 4* (II, 418).
3 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.,* I, c. 10 et II, c. 7 (II, 451 sq., 461 sq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 18, a. 1, q. 3 (II, 442a).
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 17, a. 1, q. 2 (II, 414b sq.); *Breviloq.,* II, c. 9 (V, 227a).
5 Loc. cit., nota 1.
6 Cf. supra, p. 327, n. 2.
7 Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 8, p. 2, a. un., q. 3 (I, 170 sqq.); III *Sent.,* d. 14, a. 1, q. 1 (III, 301a); IV *Sent.,* d. 23, a. 2, q. 3 (IV, 600a).
8 *De anima,* II, c. 1 et III, c. 4 (III, 445, 467).

corporis: ergo [a] est in toto coniuncto. Similiter dicit Philosophus [1] quod similiter est de intelligere et de texere vel aedificare; sed texere vel aedificare sunt ipsius coniuncti totius; ergo intelligere.

Contra: *a.* Anima est substantia incorporea, et ideo est non situalis, et est in corpore, et ideo aliquo modo localis; cum ergo movetur corpus, erit secundum partem in uno loco et secundum partem in alio; ergo anima, cum sit per accidens in loco, erit secundum partem in loco huius partis et secundum partem in loco illius partis; ergo pari ratione in locis aliarum partium, et ita erit ubique in corpore; sed esse in loco corporali non dicitur nisi ratione corporis; ergo erit in qualibet parte corporis.

b. Praeterea, dicitur, in libro *De anima et spiritu* [2], quod est in qualibet parte corporis nec in maiori maior nec in minori minor.

c. Item, anima est simplex; ergo non habet partem extra partem; et secundum substantiam est in corpore; cum ergo similiter se habeat ad partes corporis, erit in qualibet parte corporis tota.

Quod autem sit principaliter in aliqua parte corporis, videtur 1. per hoc quod a corde fit expansio [b] caloris vitalis per totum corpus in vigilia, et in [c] somno fit reditio [d] ad interius [3], praeterea, in movente fit reditio caloris ad cor [e]; spiritus etiam vitalis dicitur esse principaliter in corde. Ex quibus colligitur quod anima, quae est principium vitae, sit in corde.

2. Praeterea, per simile accipitur hoc [f]: Sicut enim rex est in una parte regni sui per essentiam et in aliis per virtutem, anima autem sic est in corpore sicut rex in [g] regno: ergo in una parte corporis est per essentiam, in aliis per virtutem; sed hoc non est nisi in principali; principalis autem pars, a qua est motus, est cor; ergo est in corde.

Contra: *a.* Virtus animae est simplex sicut substantia eius; ergo, cum sit in qualibet parte corporis, erit simplex in pluribus locis simul; et virtus sua non separatur ab essentia sua [h]; ergo erit simul in singulis partibus corporis; ergo non [i] tantum essentialiter in corde.

b. Praeterea, si esset in corde secundum essentiam tantum, commetiretur [k] se toti cordi vel alicui parti eius; sed, sive sic sive sic, esset situalis; quod cum non sit, non erit essentialiter in corde.

c. Praeterea, videmus animam impediri in operationibus [l] suis principalibus quae pertinent ad cognitionem rationalem per impedimentum existens in capite aut [a] cerebro; ergo, si est alicubi principaliter, debet [b] esse in cerebro.

d. Hoc etiam videtur per simile: sicut enim Deus dicitur esse in mundo ubique, principaliter tamen in caelo, quod est eminentissima pars, ita anima in corpore, principaliter vero [c] in eminentissima parte; sed haec est caput; ergo anima est in capite. Hoc etiam videtur, quia situs organorum sensibilium sunt in capite.

[Solutio]: Ad quod dicendum [d] quod est loqui de anima rationali vel ratione suae essentiae vel ratione quarumdam virium, similiter est loqui de ea ut est perfectio et ut est agens in corpore. Si ergo fiat sermo de anima rationali prout est perfectio, dicendum [e] quod ita est perfectio totius quod nullius partis. Si vero fiat sermo de ea in ratione agentis, dicendum [f] quod diversa est eius actio: habet enim actionem partis intellectivae, et secundum hoc dupliciter accipitur. Est enim quoddam intelligere non dependens aliquo modo a corpore: et quantum ad illum actum nec [g] dicitur esse in parte corporis nec in toto. Alio vero [h] modo dicitur intelligere cum phantasmate [i]: et secundum [k] hoc dicitur media cellula capitis logistica sive rationalis [4], et hoc modo dicitur determinare sibi partem corporis in parte capitis; et sic videtur illud intelligi quod dicit Philosophus, quod similiter videtur de texere et aedificare et [l] intelligere; alio vero [m] modo intelligere erat animae, non coniuncti. In quantum coniunctum [n] habet iterum actionem partis motivae: et secundum hoc potest intelligi [o] vel ratione motus affectionis vel ratione [p] motus vitalis vel motus localis. Si ratione affectionis, sic potest esse praeter corpus; si ratione [q] motus vitalis, sic primo in corde; si ratione motus localis, sic [r] est ubique in corpore. Si ergo quaeratur de anima ratione essentiae, distinguendum est secundum modos dictos. Tamen est ubique essentialiter et non est in maiori maior vel in minori minor [5]. Hoc autem indicat motus vitalis et motus localis, quod sit ubique in corpore. Intelligere autem primo modo dictum [s] et velle, quod ei respondet, etsi sint animae rationalis existentis per essentiam in corpore, non tamen hoc declarant, cum ipsius animae separatae sint ii [t] actus et fortasse verius et perfectius.

[Ad obiecta]: Ex iam dictis possunt solvi ea quae supra differenter sunt obiecta.

---

[a] V add. *non.* [b] C *expulsio;* STL *sit* pro *fit.* [c] C add. *sui;* ST *sit* pro *fit.* [d] C *reductio.* [e] VST *corpus.* [f] VST *hic.* [g] L om. [h] V om. [i] LCZ add. *est,* R add. *erit.* [k] L *metiretur.* [l] RLC *operibus.*

[a] L add. *in,* Z *vel in.* [b] Ita V, alii add. *dici.* [c] S om. [d] C add. *est.* [e] Ita V, alii add. *est.* [f] Ita V, alii add. *est.* [g] V *non.* [h] Z om. [i] T *fantastice,* L *fantasma.* [k] V om. [l] L om. [m] V om. [n] T om. [o] T *habet intelligi vel potest* pro *p. t.* [p] Ita V, alii om. [q] T add. *etiam.* [r] ST *sensus.* [s] RZ add. *est.* [t] R *huiusmodi.*

1 Cf. *De anima,* I, c. 4 (III, 439).

2 Cap. 18 (inter opp. Augustini PL 40, 794); cf. Augustin., *Epistola 166,* c. 2, n. 4 (PL, 33, 722).

3 Cf. Aristot., *De somno et vigilia,* c. 2 (III, 503).

4 Cf. Guil. de Conchis, *De philos. mundi,* IV, c. 24 (PL 172, 95).

5 Cf. supra, nota 2.

SECTIO II. — De anima secundum potentias.

QUAESTIO I.

DE ANIMAE POTENTIIS IN GENERE.

Completo Tractatu pertinente ad considerationem animae secundum se, procedendum est cum adiutorio Iesu Christi ad considerationem virium.

Primo ergo [a] quaerendum est an anima sit sua potentia;
secundo, unde sit distinctio virium sive potentiarum;
tertio, de singulis viribus.

349 CAPUT I.

AN ANIMA SIT SUA POTENTIA [1].

Ad primum sic: 1. Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [2]: « Anima secundum sui operis officium variis nuncupatur nominibus. Dicitur namque anima, dum vegetat; sensus, dum sentit; animus, dum sapit; mens, dum intelligit; ratio, dum discernit; memoria, dum recordatur; dum vult, voluntas. Ista tamen non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia ista una sunt anima: proprietates quidem diversae, sed essentia una ». Ex quo relinquitur quod anima est suae vires [b].

2. Item, Augustinus, in eodem [3]: « Habet anima naturalia et illa omnia est: potentia namque eius atque vires idem sunt quod ipsa. Habet accidentia et illa [c] non est. Suae vires est, suae virtutes non est: non est enim sua prudentia, sua temperantia, sua iustitia, sua fortitudo. Potentiae animae sunt rationabilitas, concupiscibilitas [d], irascibilitas; vires animae sunt sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intellectiva [e]. Potentiae tamen possunt dici vires et vires potentiae [f] ». Ex iis verbis Augustini videtur quod anima sit suae potentiae.

3. Item, sicut materia prima possibilis est ad susceptionem omnium [g] formarum naturalium [4], sic anima habet potentiam ad susceptionem omnium [h] specierum; sed materia prima est sua potentia, qua est susceptiva omnium formarum naturalium; ergo potentia susceptiva specierum [i] intelligibilium et sensibilium [k] est ipsa anima; ergo [l] anima est suae potentiae. — Si negaretur [m] quod materia prima non esset sua potentia – contra: In omnibus materialibus est potentia recipientis per aliud, et illud est materia prima; ergo materia prima est receptibilis formarum per [n] se ipsam; non ergo in ea est differens id quod est ipsa et [o] ipsa potentia; similiter ergo erit [p] ex parte spiritualis substantiae quod ipsa erit receptibilis formarum per se ipsam.

Contra: *a.* Non est idem animae suum esse et suum operari; ergo non est idem quo est et quo operatur; sed 'quo est' est sua essentia, 'quo operatur' est sua potentia; ergo non est idem etc.

b. Item, in Deo [q], quia non differt esse ab operatione — operatione dico qua operatur — idem est, non differens, essentia et potentia; ergo, cum in [r] anima non sit idem esse et operari, non erit idem in anima essentia et sua potentia.

c. Item, potentia animae est pars virtualis ipsius; anima vero totum virtuale est in pluribus potentiis; non est igitur anima quaelibet suarum potentiarum.

d. Item, si essentia animae non est differens a potentia, cum anima [s] sit simplex, non videbitur

---

[a] CZ om. [b] Z *sue diverse sed essentia una* pro *e. s. v.* [c] V *illi.* [d] Ita VR, alii om.; codd. *irrationabilitas* pro *irascibilitas.* [e] Ita V, alii om. *vires... intellectiva.* [f] Z om. *e. v. p.*; L om. *ex.* [g] L om. *a. s. o.* [h] T add. *formarum.* [i] T add. *et.* [k] T *sensuum.* [l] T om. [m] T *negatur*, Z *negetur.* [n] T *secundum.* [o] T *est.* [p] S *est.* [q] V om. *i. D.* [r] Z om. [s] S *illa.*

[1] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 10, c. 1, q. 6, ubi dicit quod haec « opinio est contra omnem philosophiam »; et tr. 11, c. 1, q. 2 (f. 65c, 69d); S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 1, q. 3 (I, 84 sqq.); II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 558 sqq.); *Itiner.*, c. 3, n. 5 (V, 305). Teste Olivi, *Quaest. in II Sent.*, q. 54, in *Bibl. Schol. Franc.*, V, p. 273, hanc sententiam tueri videtur Thomas Gallus, Abbas Vercellensis.

[2] Cap. 13 (inter opp. Augustini PL 40, 788).

[3] Loc. cit. (PL 40, 789).

[4] Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 7 (II, 569).

nisi una potentia: quaecumque[a] enim uni et eidem[b] sunt eadem, inter se sunt eadem[1]; nec est ita dicere sicut in Trinitate, ubi non est distinctio potentiarum sive virium.

e. Item, si esset una vis animae, consequeretur quod una esset[c] operatio, quia omnis vis creata, cum sit discreta, terminata est ad operationem discretam et singularem primo et per se; videbitur ergo idem esse sentire et[d] intelligere, apprehendere et moveri vel ad se invicem consequi.

[Solutio]: 1-2. Ad hoc dicunt quidam[2] quod in nullo alio a Primo est idem essentia rei quod sua potentia; unde dicunt quod anima non est idem in essentia quod sua potentia, dicunt tamen quod sunt idem[e] in substantia. Sicut enim non est idem esse et operari, ita nec essentia et potentia: essentia enim animae est id[f] per quod anima est absolute essentia; potentia[g] est id per quod anima ad aliud est efficiendum vel recipiendum. Dicunt tamen quod idem est in substantia, eo quod anima non subsistat sine suis potentiis nec etiam intelligatur nec ipsae potentiae sine anima. Identitas ergo, quam ponit Augustinus, referenda est ad substantiam, non ad essentiam.

3. Ad hoc quod obicitur de prima materia dicendum est quod, etsi materia prima est receptibilis formarum[h] per se ipsam, id est non per aliud, ex hoc non sequitur quod sit sua potentia, sicut nec sequitur 'anima se ipsa vivit, ergo est sua vita'. Praeterea, etsi materia prima esset sua potentia, non propter hoc sequeretur quod anima esset sua potentia, quia materia prima est illud in quod est ultima resolutio ex parte corporalium sive susceptibilium formarum corporalium[3], anima autem non est[i] illud in quod est ultima resolutio ex parte spiritualium sive susceptibilium formarum spiritualium: anima enim est resolubilis in suam formam et materiam sive in suum 'quod est' et 'quo est'[4].

CAPUT II.

DE POTENTIARUM DISTINCTIONE.

Consequenter[k], supposito quod anima non est suae vires secundum essentiam, licet aliquo modo secundum substantiam, quaeritur:

Utrum[l] una sit vis tantum aut plures;

secundo, si plures, utrum omnes debeant dici partes animae an quaedam sic[m] et quaedam non;

tertio, secundum quid accipiatur divisio virium.

ARTICULUS I. 350

Utrum in anima sit una vis tantum aut plures.

Quod autem una sit vis tantum, arguitur 1. ex hoc quod virtus in spiritualibus sequi videtur formam; ab unitate ergo formae sequitur unitas virtutis. Sicut enim in corporalibus unitatem formae sequitur unitas naturae — forma autem dicitur in quantum perficit esse[5], natura in quantum est principium motus[6] — sic in spiritualibus forma dicitur in quantum perficit esse, virtus vero in quantum est principium actus. Ex hoc ergo[n] videtur quod una deberet esse virtus animae, cum sit una forma; vel si anima rationalis est una forma, prout autem est[o] sensibilis, est alia forma, prout est vegetabilis, alia, sicut dicunt quidam[7], adhuc non dicerentur nisi tres vires secundum ternarium formarum.

2. Praeterea, in Primo est unitas virtutis sicut unitas essentiae; in creatura autem, cum non sit repugnantia ut una sit virtus sicut una est[p] essentia, quemadmodum repugnat creaturae ut virtus sit idem omnino quod essentia — hoc enim dicitur proprium Dei — possibile est[q] ergo creaturam aliquam in hoc assimilari Primo; illa autem convenienter[r] est spiritualis, ut angelus aut anima rationalis; habebit ergo unitatem virtutis quemadmodum unitatem essentiae[8].

---

[a] S *quicumque.* [b] S *idem.* [c] Ita V, alii om. [d] R om. [e] L om. [f] T *idem.* [g] VTR *potentie;* Z om. *essentia.* [h] S add. *et;* V *et* pro *id est.* [i] T om. [k] C delev. [l] L om. [m] Ita LZ (interl.), alii om. [n] C *vero.* [o] V om. [p] V om. [q] LC om. [r] V *communiter.*

1 Cf. Aristot., *Topic.*, VII, c. 1 (I, 255).
2 Cf. supra, num. 116.
3 Cf. Aristot., *Metaph.*, II, lect. brev., c. 2 (II, 486 sqq.).
4 Cf. supra, num. 59-60; S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, a. 1, q. 2 (II, 415).
5 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3 et *Metaph.*, IV, c. 2 (II, 264, 515).
6 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 1 (II, 260).
7 Cf. Plato, *Timaeus*, n. 34 (p. 31 sq.).
8 Cf. J. Salisbur., *Metalog.*, IV, c. 9 (PL 199, 922).

Contra: *a.* Divisio entis per unum et multa prior est quam per idem et diversum [1]. Si ergo debet accipi differentia inter Creatorem et creaturam quantum ad virtutem, accipietur [a] prius penes unitatem et pluralitatem quam penes identitatem et diversitatem. Sicut ergo creatura differt a Creatore in hoc quod virtus in creatura non est omnino idem quod sua essentia, sic differet [b] in hoc quod habet per pluralitatem virtutis quod habet Creator per virtutis [c] indivisionem, ut Creator una virtute agat omne quod agit, creatura vero agat pluribus virtutibus differentia [d].

b. Praeterea, anima rationalis ad imaginem condita est ipsius Creatoris; sed in Creatore est unitas essentiae et virtutis et differentia personalis; ergo in anima erit praeter unitatem essentiae aliqua pluralitas; nonnisi virium; ergo anima habet pluralitatem virium aut virtutum.

[Solutio] [2]: Ad quod dicendum quod anima habet pluralitatem virium [e].

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem obiectum [f] in contrarium dicendum [g] quod non est simile de virtute respectu formae quae est substantia, et [h] de natura. Natura enim [i] proprie et primo respicit multiplicationem formae in materia [3], in quibus est possibile multiplicari, sicut natura ignis ut multiplicet formam ignis, et si respicit [k] alium modum, hoc est in quantum ad hunc ordinatur. In illis autem in quibus non est multiplicatio formae, ut in sole et huiusmodi, determinat speciem motus, ut uni naturae unus [l] respondeat motus; virtus autem respicit actum, actus autem diversi sunt essentiae compositae; oportet ergo intercidere diversitatem virium.

2. Ad secundum dicendum [m] quod differentia [n] creaturae ad Creatorem non tantum [o] attenditur in hoc quod non est idem virtus quod essentia [p], sed in hoc quod unius [q] essentiae perfectae sunt plures virtutes quae particulariter agunt, cum ipsum Primum una virtute universaliter agat.

351 ARTICULUS II.

Utrum omnes potentiae debeant dici partes animae [4].

Deinde quaeritur utrum omnes vires debeant dici partes aut quaedam sic [a] et quaedam non.

Quod omnes, videtur 1. per hoc quod anima dicitur esse totum virtuale [b], partes autem eius sunt vires vel virtutes [c]: toti enim respondet pars; ergo quaelibet potentia debet dici pars animae.

Contra: *a.* In sensibili [d] quinque sensus non sunt quinque partes animae; similiter in vegetabili, augmentativa, nutritiva, generativa [e] non dicuntur tres partes animae, quemadmodum dicimus partem intellectivam, sensitivam et [f] vegetativam; ergo non omnis potentia pars est animae.

b. Praeterea, videtur quod nulla potentia sit pars animae. Dicit enim Augustinus [5]: « Tota essentia animae in [g] suis potentiis consistit nec per partes dividitur, cum sit simplex et individua ». Ergo potentiae non sunt partes.

[Solutio] [6]: Ad quod dicendum [h] quod non omnes vires debent [i] dici partes animae, proprie accipiendo vocabulum. Si vero extendatur quod partes dicantur eo quod particulant posse animae per actus differentes [k], secundum hoc possunt dici partes, et hoc modo dicit Augustinus [7]: « Quadam similitudine dicitur habere [l] partes ». Illae vero proprie dicuntur partes quae particulant substantiam animae vel multiplicatam ostendunt. Verbi gratia, sensibilis in brutis, vegetabilis in plantis, rationalis vel intellectualis in hominibus multiplicant substantiam animae vel multiplicatam ostendunt: alia enim est substantia rationalis animae in homine, alia sensibilis in bruto, alia vegetabilis in planta; unde istae tres potentiae partes animae dicuntur secundum philosophos [8], et [m] etiam in homine hae tres potentiae [n] fundantur in tribus substantiis. Non sic autem est [o] de quinque viribus sensuum vel [p] aliis differentiis potentiarum. Si vero dicantur partes quae constituunt substantiam, secundum hoc anima non dicitur habere has vires pro partibus: non enim ex aliquibus viribus substantia animae constituitur. Sed nec anima dicitur habere partes eo modo quo continuum

[a] R add. *et.* [b] STZ *differt.* [c] S *virtus;* T om. *q. h. c. p. v.* [d] V om. [e] RZ om. *aut virtutum... virium.* [f] Ita V, alii *obiectum autem* pro *p. a. o.* [g] STRL add. *est.* [h] L om. [i] T *nisi.* [k] V *respiciat;* C *et sic* pro *etsi.* [l] L *unius.* [m] Ita V, alii *vero dicendum est.* [n] V add. *est.* [o] V *tamen.* [p] L *per essentiam* pro *q. e.* [q] L *minus.*

[a] Ita LZ interl., alii om. [b] ST *aut virtuale;* V add. *aut potentiale.* [c] S om. *v. v.* [d] Ita V, alii om. *i. s.* [e] T *generatio.* [f] VST om. [g] L om. [h] Ita V, alii add. *est.* [i] T *debeant.* [k] S add. *et.* [l] R *habet.* [m] Ita V, alii om. [n] R *substantie.* [o] Ita V, alii om. [p] Z add. *in.*

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, IX, c. 3 (II, 577).

2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 1, *ad 8* (II, 562); IV *Sent.*, d. 44, p. 1, a. 2, q. 2, *ad 3* (IV, 914); *Itiner.*, c. 1, n. 6 (V, 297).

3 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 8 (II, 271).

4 Cf. supra, num. 331.

5 *De spiritu et anima*, c. 13 (inter opp. Augustini PL 40, 789).

6 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 1, q. 3 (I, 84sq.).

7 Loc. cit., ad sensum.

8 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 9 (III, 471); Avicenna, *De anima*, p. 1, c. 5 (f. 4d).

habere partes dicitur vel discretum, et hoc modo dicit Augustinus[1] quod anima, « cum sit simplex, non dicitur habere partes veritate compositionis ».

[Ad obiecta]: 1. Per iam dicta patet qualiter respondendum est ad obiecta. Pars enim dicitur tripliciter: ingrediens compositionem, et sic non dicitur habere partes « veritate [a] compositionis » ad modum continui vel discreti; vel concomitans multiplicationem substantiae, et sic dicuntur rationalis, sensibilis, vegetabilis partes; vel quae particulant posse animae per actus differentes, et sic aliae vires dicuntur partes: et hae proprie dicuntur partes [b] virtuales, quae in una substantia animae conveniunt et differunt per actus differentes in specie.

ARTICULUS III. 352

Secundum quid accipiatur distinctio potentiarum[2].

Tertio quaeritur secundum quid accipiatur divisio vel distinctio virium. Aut enim [c] distinguuntur per actus vel per organa aut per obiecta.

1. Si per actus, tunc quae sunt differentiae actuum, hae essent differentiae virium; sed opinio et scientia sunt duo actus; ergo intellectus, a quo procedit scientia et a quo procedit [d] opinio, sunt duae vires; quod cum non sit, non attenditur omnino [e] divisio virium secundum differentias actuum. — Praeterea, differunt actus in tactu secundum quod sunt respectu diversarum qualitatum: est enim alius actus in tactu respectu calidi et frigidi et respectu mollis et duri et respectu humidi et sicci et ita de aliis, et tamen sensum dicimus esse unum in specie sive tactum[3]; ergo non est differentia virium secundum differentiam actuum.

2. Quod autem non differant secundum differentiam organorum, patet per hoc quod [f] non omnes vires animae utuntur organis ad eliciendum actum, sicut est intellectiva; ergo penes differentias organorum non attenditur pluralitas virium. — Praeterea, in memoria, intelligentia et voluntate hoc ostenditur: hae enim non differunt secundum differentiam organorum; ergo secundum hoc non attenditur differentia.

3. Nec hoc est secundum differentias obiectorum. Cum enim verum et bonum sint diversa obiecta in specie, intellectiva speculativa et practica essent duae vires [g], quod non videtur per verbum Philosophi[4] dicentis: « Extendente se intelligentia speculativa fit practica ». — Praeterea, idem est obiectum sensus communis et particularis, ut visus est albi, gustus dulcis, sensus communis albi dulcis[5]; similiter intellectus agens [h] habet pro obiecto [i] species abstractas a materia, intellectus possibilis similiter, et tamen sunt duae vires; non ergo secundum differentias obiectorum sunt differentiae virium. — Praeterea, diversa sunt obiecta in tactu secundum differentias contrarietatis, eadem autem potentia tangibilis; ergo non attenditur differentia virium vel identitas secundum differentias obiectorum.

Solutio [k]: Ad primum dicendum quod prima differentia est in se ipsis, consequenter [l] autem quaedam differunt per actus differentes in specie, quaedam differunt per organa, quaedam per obiecta, quaedam secundum materias. Differentia autem virium, qua dicitur quod alia est [m] naturalis, alia vitalis, alia animalis, est per se ipsas, dignosci tamen potest per organa: organum enim naturalis virtutis est hepar vel quod tenet locum hepatis; vitalis vero est cor vel quod tenet locum cordis; animalis vero aliquod organum est cerebrum vel aliquid loco cerebri[6]. Rationalis vero et sensibilis et vegetabilis [n] sunt vires quae secundum se differunt, nihilominus tamen dignoscitur earum differentia ex actibus specie differentibus. Tres autem vires animae vegetabilis, nutritiva, augmentativa, generativa, differentes sunt in [o] se ipsis et sunt consequentes ad invicem secundum convenientiam [p] materiarum. Nam nutritiva operatur super alimentum, augmentativa super quantum

---

[a] Ita V, alii *veritatis*. [b] S om. *et... partes*. [c] T om. [d] T om. *scientia... procedit*. [e] Z om. [f] TCZ *quia*. [g] Ita L (corr.), alii add. *tantum*. [h] T *agentis*. [i] Z *per obiecta* pro *p. o.*, quod L corr. [k] Ita V, alii om. [l] VST *communiter*. [m] R om. [n] L om. *e. v.* [o] R om. [p] Ita VZ, alii *consequentiam*.

1 Loc. cit.

2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 3 (II, 566); III *Sent.*, d. 23, a. 1, q. 3, *ad 1* (III, 479).

3 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 11 (III, 458).

4 *De anima*, III, cc. 7-9 (III, 469 sqq.).

5 Cf. Aristot., loc. cit., c. 7 (III, 470).

6 Cf. Alfr. Angl., *De motu cordis*, c. 10, n. 9 (p. 42); Richard. de S. Vict., *De statu inter. hom.*, I, c. 7 (PL 196, 1120); Guil. Abbas S. Theodorici, *De natura corporis et animae*, I, (PL 180, 700 sqq.); Pseudo-Augustin., *De spiritu et anima*, cc. 20-22 (PL 40, 794 sqq.).

in[a] alimento, generativa autem super residuum utriusque naturaliter, contingit tamen et aliter. Verumtamen non semper operatur augmentativa, cum invenit quantum in alimento, quia quod affert[b] nutritiva, aliquando est aequale ei quod dissolvitur, aliquando minus, aliquando plus. Cum autem fuerit minus vel aequale, non operatur augmentativa, sed cum fuerit plus. Hoc autem non quocumque modo: nam impinguari est de eo quod plus existit; sed, cum secundum naturalem quantitatem in omnibus existit diametris[c], ut perducatur ad complementum, tunc est[d] augmentativa. Semen autem est de superfluo eius quod pertinet ad esse determinatum in quantitate[1]. Sensus autem distinguuntur et[e] secundum organa et secundum obiecta; vis autem[f] cognitiva intellectiva et motiva penes obiecta, vires etiam cognitivae[2] penes obiecta, vires etiam motivae penes obiecta quae etiam in illo genere dicuntur obiectiva[g]. Sic ergo patet quod differentia virium non est tantum cognita penes actiones in omni[h] differentia actionum nec penes organa tantum nec penes obiecta tantum nec penes materias tantum aut penes moventia, sed est etiam quaedam differentia virium inter se, quae praecedit omnem differentiam iam dictam.

Ut autem manifestius fiat, ad differentias virium descendemus. « Habet autem anima », sicut dicit Augustinus[3], « vires, quibus corpori commiscetur » — et hoc est quia[i] iis non operatur sine corpore — quae sunt « naturalis, vitalis, animalis », quae differunt in animali secundum differentias organorum: « naturalis in hepate, vitalis in corde, animalis in cerebro ». Naturalis operatur per spiritum naturalem, vitalis per vitalem, animalis[k] per animalem. Naturali respondent venae, per quas transmittitur humor; vitali respondent[l] arteriae, per quas transmittitur motus vitalis; animali[m] respondent nervi, per quos transmittitur sensus et nihilominus motus per nervos motivos, sed ii cum arteriis conveniunt in aliqua parte.

353

CAPUT III.

DE COMPARATIONE VIRIUM AD INVICEM.

Est autem quaestio I. de comparatione harum virium inter se.

Videtur enim naturalis esse prior: 1. Cum enim respondeat vegetativae[n] — quod patet ex viribus vegetativae — vegetativa autem praecedat sensitivam et intellectivam, vitalis autem, quae est in corde, respondeat vitae sensibili: praecedet ergo naturalis vitalem.

2. Praeterea, videtur ex hoc quod dicit Philosophus[4]: Sicut apud medicos hepar primae generationis est principium, ita apud eos cor secundae generationis est principium. Cum ergo prima generatio sit membrorum ex humoribus, secunda vero sit[o] spirituum, sicut dicit Avicenna[5], membra autem oportet esse prius, ut deferant[p] spiritus: erit ergo operatio virtutis naturalis ante operationem vitalem; ergo virtus ante virtutem.

Sed videtur contrarium *a.* per hoc quod vita est primus actus animae[q] in corpore, alii autem sunt actus consequentes[6]; vita autem transmittitur deferente spiritu vitali per membra; erit ergo virtus[r] vitalis primo operans et consequenter naturalis et aliae.

b. Praeterea, cor est, secundum Philosophum[7], primum membrum formatum in corpore et perficitur a[s] virtute vitali; ergo virtus vitalis est prima inter virtutes.

II. Similiter quaeritur de virtute vitali in[t] comparatione ad animalem.

Videtur enim, cum animalis virtus sit nobilior, quod minus indigeat aliis: 1. Ipsa[u] enim abstrahit formas a materia, quod non faciunt aliae; eductio ergo potentiae huius in actum potest fieri sine aliis.

2. Praeterea, virtutis vitalis motus[v] est secundum dilatationem et constrictionem[x]; isto autem motu non videtur indigere vis animalis ad hoc quod exeat in actum; ergo non dependet animalis[y] a vitali.

---

[a] L om. [b] S *aufert*, quod L corr. [c] R *diametas*. [d] S *enim*. [e] Z om.; T om. *autem*. [f] R *visio* pro *v. a.* [g] Codd. *obiecta*. [h] V add. *enim*. [i] V add. *in*. [k] Ita V, alii add. *vero*. [l] V om. *venae... respondent*. [m] Ita V, alii add. *vero*. [n] R *vegetabili*. [o] Ita V, alii *fiat*. [p] LC *differant*, Z *deferens;* S *specie* pro *spiritus*. [q] V add. *et*. [r] Z *spiritus*. [s] C *in*, quod Z corr. [t] Ita V, alii om. [u] T *ipsas*. [v] VST add. *qui*, quod CZ exp.; RL *est motus qui;* L (corr.) *virtuti* pro *virtutis*. [x] V *constructionem;* T *dilationem* pro *dilatationem*. [y] C om. *ad hoc... animalis*, et corr. *a vitali* in *aut vitalis*.

[1] Cf. Aristot., *De animal. generat.*, I, c. 8 (III, 334); Avicenna, *De nat. animal.*, XV, cc. 2 et 3 (f. 60c).

[2] Subaudi *sensibiles*.

[3] *De spiritu et anima*, cc. 20-22 (PL 40, 794 sq.); cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 13 (PG 94, 927 sqq.); Avicenna, *De anima*, p. 5, c. 8 (f. 28a).

[4] Cf. Aristot., *De part. animal.*, III, c. 4 (III, 258 sq.); Avicenna, *De anima*, p. 5, c. 8 (f. 28a); *De nat. animal.*, XIII, c. 3 (f. 51d).

[5] Cf. *De anima*, p. 5, c. 8 (p. 28a).

[6] Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 2 (III, 445).

[7] Aristot., *De partib. animal.*, III, c. 4 (III, 258).

3. Praeterea, animalis plus appropinquat [a] ad intellectivam, quae operatur praeter corpus; ergo minus dependet ab operatione corporali.

Sed contrarium videtur *a.* per hoc quod dicit Philosophus[1], quod cor [b] est primum recipiens motum ab anima et influens super alia; omnes ergo motus in corpore fiunt [c] praeexistente motu cordis.

b. Praeterea, sensus non fit sine calore, sicut dicit Philosophus[2]. Cum enim expanditur calor ad exterius, fit sensus particularis, cum autem fit reditio caloris ad interius, operatur sensus interior; sic ergo sensus non fit sine calore; caloris autem fons est cor[3]; ergo operatio animalis dependet ab operatione vitalis [d]; ergo virtus, in quantum huiusmodi inclinata ad actum, est posterior virtute illa inclinante [e] ad actum.

c. Hoc etiam indicatur ex hoc quod remanet motus vitalis ubi non est sensus vel motus, sicut est in membro paralyticato [f] et sicut est in apoplexia; ex quo patet quod prior est vitalis spiritus in sua operatione in [g] animali quam animalis.

[Solutio]: I. Ad quod videtur dicendum per hoc quod dicit Avicenna[4], ostendens differentiam naturalis philosophi et medici. Dicit enim quod medicus iudicat [h] secundum id quod apparet et ex propositionibus sufficientibus procedit, naturalis vero philosophus, qui considerat primam causam, non tantum propinquam, dicit omnium operationum principium esse cor, sicut visum fuit Aristoteli[5]. Secundum hoc ergo dicendum quod primus actus in animali est mediante virtute vitali; et licet prius operetur in semine virtus naturalis, non tamen in animali, sed vitalis, ut calor spiritalis[6] influat super naturalem et sic vis naturalis operetur in nutrimento, similiter ut calor [i] spiritalis influat super membra, per quae ministratur sensus et motus et sic fiat sensus et motus. Et hoc est quod dicit Philosophus[7]: « In sanguinem habentibus haec pars est circa cor; universa enim sanguinem habentia cor habent et principium motus et proprii sensus; motus igitur et spiritus manifestum est quoniam cor est principium [k] ».

Ad obiecta autem respondendum est: 1. Ad primum [l] quod prioritas vegetativae ad sensitivam attenditur duobus modis: vel quoad sensum, et sic est verum quod praecedit; vel quoad vitam in animali, et sic, licet vegetativa prius operetur in semine quam illa, tamen cum factum est animal, operatur prius illa vitalis, quae est in corde, quam vegetativa in animali: prius enim vivit animal quam nutriatur.

2. Ad secundum dicendum [m] quod aliter loquendum est de virtute vitali prout perficit cor et aliter prout perficit membra alia [n] mediante corde. Prout enim perficit cor, sic est prior aliis; prout autem defertur calor ille spiritalis ad alia membra, oportet primo [o] membra esse et deinde expandi calorem vitalem super illa.

II. Ex iis ergo potest patere qualiter respondendum est ad id quod secundo quaerebatur.

Ad id [p] quod obicitur de comparatione virtutis animalis ad vitalem dicendum [q] quod prior est vitalis animali, sicut ostensum est[8], in sua operatione [r].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem obiectum [s] in contrarium dicendum [t] quod, licet sit nobilior animalis vis uno modo, alio tamen modo vis [u] vitalis est nobilior: quoad hoc enim quod animalis copulatur organo, ut per ipsum operetur mediante calore vitali, sic est indignior vitali; finis tamen suae operationis est nobilior, ut scilicet species magis et magis abstrahatur a subiecta materia.

2. Ad secundum vero solvendum [v] est per interemptionem. Motus enim in parte sensibili indiget motu qui est secundum dilatationem et constrictionem [x]: indiget enim caloris expansione ad membra sensibilia, quod non fit sine iis motibus.

3. Ad tertium dicendum est [y] quod, licet animalis plus appropinquet [z] ad intelligentiam ex parte finis in suo motu, tamen ex parte principii motus dependet ab operatione virtutis vitalis.

---

[a] STZ *propinquat.* [b] T om. [c] C add. *ex;* S *existente* pro *praeexistente.* [d] Ita V, alii *vitali.* [e] Ita L, alii *inclinata.* [f] L *paralytico.* [g] L om. [h] VTRC *indicat,* S *indicatur.* [i] T om. *u. c.* [k] C add. *motus.* [l] Ita V, alii om. *a. p.* [m] Ita V, alii add. *est.* [n] Z om. [o] V *prima.* [p] RLCZ add. *vero.* [q] Ita VZ, alii om. [r] V *comparatione;* Z om. *in.* [s] Ita V, alii *obiectum autem* pro *p. a. o.* [t] Ita V, alii add. *est.* [u] L om. [v] S *respondendum.* [x] V *dilationem et constructionem* pro *d. e. c.* [y] V om. *d. e.* [z] Ita V, alii *propinquet.*

1 Cf. Aristot., *De animal. generat.*, II, c. 6 (III, 362).
2 Cf. *De partib. animal.*, II, c. 10 (III, 244).
3 Cf. Aristot., *De animal. generat.*, IV, c. 1 (III, 396); Alfr. Angl., *De motu cordis,* c. 6, nn. 5 et 7 (p. 23sq.).
4 Cf. *De nat. animal.*, XII, c. 10 (f. 49a).
5 Cf. supra, nota 3.
6 Cf. supra, p. 375, *Solutio.*
7 Cf. *De somno et vigilia,* c. 2 (III, 503).
8 Cf. supra, hic, in *Solutione* ad I.

QUAESTIO II.

DE VI SENSIBILI.

TITULUS I.

DE VI SENSIBILI COGNITIVA.

His habitis, omissis illis quae pertinent ad considerationem virtutis naturalis et vitalis, eo quod sunt alterius considerationis, transeundum est ad ea quae sunt virtutis animalis.

Et primo agendum est [a] de virtute animali exteriori;
secundo, de interiori.
Et iterum primo, de cognitiva;
deinde, de motiva [b].

MEMBRUM I.

De vi sensibili cognitiva exteriori.

Quia vero per sensus exteriores ingreditur cognitio et per consequens affectio, dicendum est de numero sensuum.

Circa numerum sensuum quaeritur:

Primo, utrum sit unicus sensus aut plures;
deinde [c], utrum sint quinque an pauciores an plures;
et penes quid accipiatur numerus virium sensibilium exteriorum.

354

CAPUT I.

UTRUM SIT UNICUS SENSUS AUT PLURES.

Et primo [d] **videtur quod sit una vis sensibilis:**

1. Dicit enim Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[1]: « Sensus unus est in anima et est id quod ipsa, et, cum corpus non sit, corporeus dicitur, cum intus non sit nisi unus ». Ex quo accipitur quod non sit nisi una sensibilis tantum.

2. Praeterea, hoc videtur per simile. Sicut enim se habet intellectus ad intelligibilia [e], ita sensus ad sensibilia[2]; sed intellectus non multiplicatur secundum vires diversas respectu intelligibilium, sed est una vis[3]; ergo nec sensus multiplicatur secundum pluralitatem virium respectu sensibilium diversorum, ut alia sit vis sensibilis coloris [f], alia soni, alia saporis et ita de aliis.

Contra: *a.* Anima est perfectio corporis[4] et secundum diversitatem perfectionis est diversitas perfectibilis, ut alia est perfectio corporis humani, alia brutalis: propter quod et aliud est corpus in specie; similiter alia sensibilis secundum vires perficit [g] partes corporis; erunt ergo diversae vires perficientes diversas partes corporis [h], ut sicut videmus differentiam organorum, ita sit differentia virium: non enim anima facta est propter corpus, sed corpus propter animam. Si ergo quaereretur ratio diversitatis in organis, necesse

---

[a] Ita V, alii om. *a. e.* [b] RLC *materia*, quod Z corr. [c] Ita V, alii *circa quod obicitur* pro *circa numerum... deinde;* SL om. *utrum.*
[d] S *primum.* [e] S *intelligentiam.* [f] RC *caloris*, quod L corr. [g] C add. *diversas.* [h] R om. *erunt... corporis.*

[1] Cap. 4 (inter opp. Augustini PL 40, 782).
[2] Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 4 (III, 467).
[3] Cf. supra, num. 351.
[4] Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 1 (III, 444).

esset reddere rationem ex parte animae et[a] nonnisi[b] ratione virium.

b. Praeterea, si propter unitatem essentiae animae esset unitas potentiae sive virtutis, secundum hoc non esset nisi una vis in anima et ita non esset distinctio essentialis virium per[c] apprehendentem intrinsecus et extrinsecus nec[d] esset differentia animae, quae est creatura rationalis, quoad hoc ad Deum[1]: Dei enim est una potentia sicut una essentia, nec multiplicatur ex comparatione ad aliquid alterum; quod cum sit differentia inter animam et Deum quoad hoc, non accipietur unitas sensus penes unitatem sensibilis animae in essentia.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum[e] quod potentia sensitiva media est inter essentiam animae et actum qui fit[f] in differenti parte corporis sive[g] differenti organo. Dicendum ergo est quod diversae sunt vires quae sunt perfectiones diversorum organorum. Dicuntur tamen unus sensus propter hoc quod sentienti non[h] apparet differentia virium intra; et propter hoc dicit Augustinus[2] quod unus sensus est intra, varii tamen dicuntur, id est dignoscuntur, « propter exercitia », sed non sic apparet intelligenti, cuius est cognoscere differentias interiores. Praeterea, unus dicitur sensus propter unitatem substantiae, in qua radicatur[3].

2. Ad id quod obicitur de intellectu, dicendum[i] quod non est simile: intellectus enim non utitur[k] organo nec habet proportionem ad differentiam intelligibilium, ut dicatur corrumpi ex excellentia intelligibilium ut per haec minus videat, quemadmodum est[l] in sensu, qui corrumpitur ex excellentia sensibilis ut non videat minus sensibile et proportionem habet ad medietatem in sensibilibus[4]; et ideo, licet intellectus sit idem qui recipit omnes formas intelligibiles, non tamen idem sensus qui recipit omnes formas[m] sensibiles extrinsecus. Ratio autem est, quia intellectus convertit se ad formas abstractas a materia, sensus autem convertit se ad formas in materia; formae vero existentes in materia habent disparationem sive oppositionem in specie.

CAPUT II. 355

UTRUM SINT QUINQUE SENSUS AN PAUCIORES AN PLURES[5].

Deinde, supposito quod sint plures sensus sive vires sensibiles, quaeritur utrum sint quinque an pauciores an[n] plures.

Et videtur 1. quod sint[o] octo: Cum enim sensus natus sit ad sensibilia, octo autem sunt medietates formarum sensibilium, quare erunt octo vires. Octo autem medietates sunt: est enim medietas in coloribus una, albi et nigri; in sonis[p] una, acuti et gravis; in odoribus una, foetidi et sui oppositi; in saporibus una, amari et sui oppositi; in tactu vero est[q] medietas una, calidi et frigidi et[r] alia humidi et sicci et[s] iterum levis et gravis[t], est iterum lenis et asperi[u]; quidam etiam addunt mollis et duri. Restat ergo quod octo sunt medietates vel novem. Propter quod octo videbuntur vires esse differentes[v] specie vel novem, ut sicut penes unam medietatem una vis sensitiva in specie accipitur, ita accipiatur penes alias[x]. Et hoc videtur Philosophus[6] dicere dicendo quod tactus est plures sensus, et Avicenna[7] dicit quod secundum quosdam octo sunt sensus.

2. Videntur autem[y] esse pauciores sensibiles vires: Gustus enim non est nisi quidam tactus[8] in parte corporis determinata. — Praeterea, anima sensibilis est perfectio in omnibus animalibus; sicut ergo aeque participant genus, ita aeque participant ea quae consequuntur essentialiter perfectionem; sed non in omnibus animalibus sunt hae differentiae sensuum, sed tactus est in omnibus, similiter et gustus in pluribus; restat ergo quod ii solum sunt essentialiter sensus, et ita non tot erunt vires sensibiles. Nam oporteret dicere quod aliqua vis sensibilis esset frustra aut quod una anima haberet plures[z]

---

[a] Ita V, R *a parte ante anime*, alii *a parte anime* pro *e. p. a. e.* [b] L add. interl. *in.* [c] R om., T *propter.* [d] S *non.* [e] T add. *est.* [f] L *sit.* [g] L om. [h] T *si.* [i] Ita V, alii add. *est.* [k] V *unitur*; R om. *enim.* [l] L om. [m] LC om. *intelligibiles... formas*; C *extrinsecas* pro *extrinsecus*, quod L corr. [n] V *aut.* [o] Ita V, alii om. [p] R om. *est enim... sonis.* [q] RLCZ om. [r] Ita V, alii om. [s] T *est.* [t] V om. *e. t. l. e. g.* [u] VRZ *aspera*; RL *enim* pro *iterum.* [v] Ita V, T add. *aut*, alii add. *in.* [x] Ita V, alii *alia.* [y] Ita V, alii *iterum.* [z] RLCZ om.

1 Cf. supra, num. **349.**

2 Cf. *De spiritu et anima*, c. 4 (PL 40, 782); *De lib. arbit.*, II, cc. 4-5 (PL 32, 1246sq.).

3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 31, a. 1, q. 1 (II, 742).

4 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 2 (III, 463); S. Bonav., I *Sent.*, d. 1, a. 3, q. 1, *ad 2* (I, 39).

5 Cf. S. Bonav., *Breviloq.*, p. 2, c. 9 (V, 227); *Itiner.*, c. 2, n. 3-6 (V, 300sq.); *De reduct. artium ad theol.*, n. 3 (V, 320).

6 Cf. *De anima*, II, c. 11 (III, 458).

7 Cf. *De anima*, I, c. 5 (f. 4dsq.).

8 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 9 (III, 456).

vires quam alia et sequeretur imperfectio animae ad imperfectionem corporis.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod sunt quinque sensus [1], quibus respondent quinque differentiae organorum, et sunt essentialiter sensus in animali perfecto.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur de hoc quod plures sunt sensus quam quinque: dicendum quod secundum numerum medietatum in obiectis non accipitur numerus [a] sensuum, sed secundum numerum medietatum in organis. Una autem medietas est in organo sensus ex pluribus medietatibus composita: ex omnibus enim contrarietatibus primis et consequentibus, activis et passivis, fit medietas in organo tactus, ut secundum illam [b] fiat diiudicatio excellentis et diminuti et medii in obiecto secundum differentias contrarietatum; et hoc est quia [c] tactus est sensus qui adhaeret ipsi esse animalis, et ideo secundum ea quae pertinent ad compositionem animalis accipitur in medietate [2].

2. Ad id vero quod obicitur de diminutione virium sensibilium, respondendum est quod, licet visus et auditus et olfactus non sint in omnibus animalibus, nihilominus tamen [d] sunt essentialiter sensus, sed non secundum quae determinatur esse animalis, sed bene esse, et requiruntur in animali perfecto. — Ad id vero quod obicitur quod 'aeque sunt animalia et ita aeque habent vires animae sensibilis': respondendum est quod animal dicitur aeque ut est genus in ratione, sed non aeque ut est genus in natura; quod si aliquo modo aeque in natura, non tamen illae vires inerunt nisi quae consequuntur [e] universaliter esse animae sensibilis.

356

CAPUT III.

PENES QUID ACCIPIATUR NUMERUS SENSUUM.

Consequenter quaeritur penes quid accipiatur numerus virium sensibilium apprehendentium extrinsecus.

1. Dixerunt enim quidam [3] quod secundum differentiam mediorum. Quod non, videtur: Sunt enim tantum tres differentiae mediorum: caro in tactu et in gustu, vel secundum quosdam [4], humor salivalis, in aliis vero aer vel aqua. Restat ergo quod non essent secundum hoc nisi tres sensus.

2. Si vero secundum [f] differentias obiectorum, secundum hoc cum plura sint obiecta — non enim omnia quae discernuntur tactu, ad unum commune in genere reducuntur — essent plures sensus.

3. Si vero secundum differentias principiorum vel moventium, sicut dixerunt quidam [5], ut visus penes naturam lucis, odor penes naturam ignis facientem vaporem, sonus penes naturam aëris, gustus penes naturam [g] aquae, tactus penes naturam terrae: contra hoc est quod aer communis est in visu et auditu et olfactu [6]. Praeterea, aer non est causa effectiva soni, sed materialis, sicut lux effectiva erat sensibilis in visu; humidum autem in gustu non est ab aqua tamquam ab [h] efficiente; in tactu autem accipitur medietas ex omnibus elementis; causa ergo tactus non attenditur tantum [i] secundum terrae naturam, sed secundum complexionem ex omnibus elementis factam. Restat ergo quod non secundum numerum principiorum accipiatur hoc modo numerus quinque sensuum.

4. Videtur tamen Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [7], isto modo assignare, reducendo ad principia quadam transmutatione, cum dicit: « Inchoat motum in omnibus sensibus a subtilitate ignis, sed non in omnibus ad idem pervenit. In visu enim pervenit, represso [k] calore, usque ad eius lucem [l]; in auditu usque ad liquidiorem aerem calore ignis penetrat; in olfactu autem transit aerem purum et pervenit ad humidam exhalationem, unde [m] crassior haec aura subsistit; in gustu et hanc transit et pervenit usque ad humorem corpulentiorem [n], quo etiam penetrato atque traiecto, cum [o] ad terrenam gravitatem pervenit [p], tangendi ultimum sensum agit ».

[Solutio]: Ad quod potest dici quod, si debeat accipi [q] divisio secundum rationem mediorum, accipitur secundum rationem mediorum [r] corporum inter extrema; extrema autem [s] corpora in compositione corporis animalis sunt ignis et terra,

---

[a] R om. [b] Z *illud.* [c] S *quod.* [d] RLC om., in Z est add. mg. [e] T *sequuntur.* [f] L om. [g] S om. *aëris... naturam.* [h] RLCZ om. [i] R om. [k] VT *repressio.* [l] VSTR *vicem.* [m] RLC *ut,* quod Z corr. [n] L *corpulentiam,* quod Z corr.; V *penetrate* pro *penetrato.* [o] V *usque.* [p] T *pervenitur,* S *pervenerit;* V *tangendo* pro *tangendi.* [q] R om. *s. d. a.* [r] S om. *a. s. r. m.* [s] R *sunt.*

1 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 1 (III, 461).
2 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 12 (III, 474).
3 Cf. Aristot., *De sensu et sensili,* c. 2 et *De anima,* III, c. 1 (III, 479, 461).
4 Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 10 (III, 458).
5 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* III, c. 4, n. 6 (PL 34, 281); M. Claudian., *De statu animae,* I, c. 7 (PL 53, 710sq.); S. Bonav., *Breviloq.,* p. 2, c. 9, nota 5 (V, 227).
6 Cf. Aristot., *De anima,* II, cc. 7-9 (III, 452sqq.).
7 Lib. III, c. 5 et XII, c. 16, n. 32 (PL 34, 282, 466).

media autem sunt aer et aqua et[a] commixtum. Aer autem triplicem habet dispositionem: ex influentia lucis, ex influentia caloris ignei, quae fit ex vapore, ex ipsa commotione raritatis, quae est propria eius dispositio; aqua vero habet dispositionem unam ex influentia lucis, alteram[b] ex communi dispositione cum aëre, quae est raritas, tertiam[c] ex se; commixtum autem habet unicam. Cum ergo hae non sint nisi quinque, erunt quinque differentiae mediorum sensibilium[1]. Nam ex communi dispositione influente super aerem et aquam est medium in visu; ex dispositione vero influente ex calido igneo medium in olfactu[d], quae dispositio est aer vaporosus; ex dispositione tertia, quae communis est aëri et aquae, scilicet raritate, est medium in auditu, sicut dicit Philosophus[2]; ex dispositione[e] vero humoris aquosi est medium in gustu; ex dispositione vero commixtionis omnium, quae est in carne, est medium in tactu. Et per hoc potest patere solutio eius quod obicitur[f] de differentia sensuum accepta secundum media.

Si vero accipiatur divisio secundum differentiam effectivi[g] — sic enim accipit Augustinus[3] ponens differentias lucis aut ignis, ut influant secundum rationem lucis et caloris in se, ut in visu; deinde secundum rationem eius pervenientis calore ignis ad aerem liquidiorem, sicut in auditu; deinde secundum rationem eius pervenientis ad auram flabilem, ut[h] in olfactu; deinde secundum rationem eius pervenientis[i] ad humorem labilem, sicut in gustu; ultimo pervenit ad terrenam gravitatem, et sic est in tactu — sic ergo sicut intra[k] nihil est sine calore sensitivum, sic[l] extra fit dispositio sensibilis ad hoc quod sentiatur.

Secundum autem dispositionem obiectorum potest similiter[m] ratio divisionis accipi. Nam qualitas sensibilis vel est de iis quae conveniunt ad esse, sicut est qualitas elementaris vel quae per se consequitur eam, et secundum hoc est obiectum tactus — tactus[n] enim est elementaris qualitatis vel immediate consequentis — vel est de iis quae consequuntur compositionem[o]; qualitas vero consequens compositionem[p] relinquitur secundum virtutem dominantis alicuius. Sunt autem contrarietates quatuor, quae requiruntur[q] ad compositionem in corpore elementato[4], in quibus quatuor[a] qualitas una dicitur dominans: verbi gratia lucidum et opacum dicuntur una contrarietas, in qua dominatur lucidum sive praecellit; altera contrarietas est calidum et frigidum, in qua praecellit calidum; tertia contrarietas est humidum et siccum, in qua praecellit humidum; quarta contrarietas est rarum et[b] densum, in qua praecellit rarum. — Quod autem omnes hae necessariae sint ad compositionem, patet per hoc quod calidum et frigidum[c], humidum et siccum sunt quae miscentur[d], rarum autem et densum, sicut dicit Philosophus[5], disponunt materiam ad hoc, lucidum vero est[e] quod efficit: lux enim mediante[f] calore caelesti efficit mixtionem[6]. Sic ergo haec omnia[g] sunt necessaria ad compositionem elementati. Sunt ergo quatuor qualitates dominantes: nam calidum est dominans respectu frigidi in agendo interius, humidum[h] respectu sicci in recipiendo interius, rarum[i] respectu densi in disponendo materiam, lucidum[k] super opacum in inducendo formam. Cum ergo, sicut dictum est[l][7], sit qualitas sensibilis consequens compositionem[m] ratione dominantis, aut consequetur[n] ratione dominantis inducentis formam: et hic est color[o] qui consequitur lucem, est enim extremitas perspicui in corpore terminato[8]; aut ratione dominantis disponentis principalius[p] formam: et haec qualitas est sonus, qui consequitur rarefactionem aëris vel aquae; aut ratione qualitatis dominantis in actione interius: et haec qualitas est odor[q], qui consequitur caliditatem[r] facientem vaporem; aut ratione qualitatis dominantis in receptione: et haec est sapor, qui consequitur humiditatem aquosam. Sic ergo patet numerus secundum distinctionem[s] obiectorum.

Addunt etiam aliqui, accipientes ex doctrina Philosophi[9], distinctionem ex parte[t] modi sentiendi. Aut enim est sentire per[u] approximationem aut secundum distantiam. Si vero secundum approximationem, aut appropiat[v] sensibile corpori potenti sentire contingendo aut profundando[x]. Si contingendo, secundum quod contigua dicuntur quorum termini sunt simul[10], secundum[y] hoc est sentire in tactu; si profundando, sic est in gustu: gustabile enim pervenit ad concavitatem linguae,

---

[a] S om. [b] Z *altera.* [c] Z *tertia.* [d] Ita Z (corr.), alii *aëre;* S om. *in.* [e] V *positione.* [f] S *ostenditur,* RLC *dicitur.* [g] V *effectuum.* [h] T om. [i] V om. *ad auram... pervenientis.* [k] V *inter.* [l] LZ *sicut.* [m] L (corr.) C *aliter.* [n] V om.; L om. *est.* [o] V *expositionem.* [p] VRLC om. *q. v. c. c.,* in Z est add. mg. [q] Z *relinquuntur,* R (corr.) *reducuntur.*

[a] VLC om. *quae... quatuor,* in RZ est add. mg. [b] RL om., in Z est add. interl. [c] RLCZ add. *et.* [d] S *commiscentur.* [e] C om. *f* R *immediate.* [g] T om. [h] Ita V, alii add. *vero.* [i] Ita V, alii add. *vero;* T om. *sicci... respectu.* [k] Ita V, alii add. *vero.* [l] Z om., in RLC est add. interl. [m] R add. *et.* [n] L *consequitur.* [o] RCZ *calor.* [p] L *principalibus.* [q] V *ordo.* [r] L add. *est.* [s] L *et distinctio,* C *et distinctionem* pro *s. d.;* R om. *secundum.* [t] T om. *e. p.* [u] V *propter.* [v] R *appropriat,* quod C corr. [x] S *confundendo,* T *profundendo.* [y] V *sed;* T om. *quod... secundum.*

1 Cf. Aristot., *De sensu et sensili,* c. 2 et *De anima,* III, c. 1 (III, 479, 461).
2 Cf. Aristot., loc. cit. (III, 478).
3 Cf. supra, p. 432, n. 4.
4 Cf. Aristot., *De sensu et sensili,* c. 4 (III, 483).
5 Cf. *Phys.,* I, c. 5; *De gener. et corrupt.,* II, c. 3 (II, 254, 456).
6 Cf. Avicenna, *De anima,* p. 3, c. 1 (f. 10a).
7 Cf. hic, parum supra.
8 Cf. Aristot., *De sensu et sensili,* c. 3 (III, 480).
9 Avicenna, *De anima,* p. 2, c. 3 (f. 7b sq.).
10 Cf. Aristot., *Phys.,* VI, c. 1 (II, 317).

in qua profundatur. Si vero fit secundum distantiam, aut est immutatio [a] sensibilis tantum secundum unam partem, et sic est visus: visum enim necesse est esse in directum; aut secundum plures partes, et sic fit odoratus: odoratus [b] enim fit secundum attractionem odoris in naribus ex omni parte interius; aut est [c] secundum omnem partem immutatio, et sic fit auditus: sonus enim est [d] ex motu aëris rarefacti possibilis moveri usque ad auditum.

MEMBRUM II.

De vi sensibili cognitiva interiori.

Consequenter dicendum est de virtute sensibili interiori ad cognitionem sensibilem pertinente [e], quae secundum Augustinum [1] ponitur imaginatio: ubi ponuntur quinque differentiae virium cognitivarum, scilicet sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia [2]; duae autem, scilicet sensus et imaginatio, ad sensitivam partem pertinent. Secundum Ioannem Damascenum [3] videtur quod tres sint, scilicet imaginativa, excogitativa [f] et memorativa. Secundum Avicennam [4] vero ponuntur quinque: sensus communis [g], phantasia [h], imaginativa, aestimativa, memorativa.

Potest ergo quaeri primo de comparatione virium, quas ponit Damascenus, respectu imaginationis quam ponit Augustinus, et similiter de comparatione virium, quas ponit Avicenna, respectu utriusque:

An omnes contineantur sub imaginatione an quaedam et quaedam non;

item [i], quaeritur utrum omnes vires, quas ponit Damascenus, contineantur sub parte sensitiva an non;

deinde, utrum omnes utantur organo et quae sint organa;

quarto, quae sit ratio distinctionis virium intrinsecus cognoscentium sensitivarum.

357

CAPUT I.

UTRUM OMNES VIRES, QUAS PONIT DAMASCENUS, CONTINEANTUR SUB SENSITIVA.

Primo autem quaerendum utrum omnes vires, quas ponit Damascenus, contineantur sub virtute sensitiva.

Quod [k] **videtur** *a.* per hoc quod determinat omnibus organum determinatum in corporis parte, dicens [5] quod « instrumentum huius [6] est medius ventriculus cerebri et [l] animalis spiritus qui est in ipso »; pars autem intellectiva non determinat sibi partem corporis pro organo; ergo non est illa excogitativa, quam ponit Damascenus, intellectiva, sed sensitiva.

b. Praeterea, determinat sibi locum medium inter imaginativam et memorativam, ut imaginativa sit in anteriori parte [7], memorativa in posteriori parte cerebri [8], excogitativa in media; cum ergo memoria, sicut ipse dicit [9], sit « phantasia derelicta ab aliquo actu secundum sensum apparente [m] », pertinebit ad sensitivam interiorem; ergo extrema pertinebunt; quare excogitativa, quae media est inter illas.

c. Item dividit [n] [10] ipse irrationale [o] per hoc quod « suadetur ratione et non suadetur »; quod autem non suadetur, dividit [p] per nutritivum, augmentativum, generativum et vitale; relinquitur ergo quod illae tres vires, scilicet imaginativa, excogitativa, memorativa, pertinent ad irrationale quod « suadetur ratione »: nam non videtur pertinere ad rationale, cum dividat [11] rationale per « interius dispositum sermonem et [q] prolatum »; si vero pertinet ad irrationale quod « suadetur ratione », pertinet ad sensitivam; erit ergo excogitativa sub sensitiva interiori.

Contra: 1. Dicit [12] « quod excogitativae sunt iudicia [r] et compositiones et incessiones [s] »; sed haec pertinent ad rationalem partem, scilicet iudicare [t] et componere et dividere; ergo non est partis sensitivae.

---

[a] T *mutatio.* [b] VL om. [c] V *etiam.* [d] TRZ om., in L est add. mg., in C est add. interl. [e] RZ *pertinentem.* [f] R *excogitiva.* [g] Z add. interl. *sive,* quod R exp. [h] RZ (mg.) add. *formativa sive imaginatio, excogitativa sive.* [i] V *tunc.* [k] Ita V, alii om. [l] Ita C, alii *id est.* [m] C *apparentem.* [n] Ita V, alii *divisit.* [o] V *rationale.* [p] R *divisit.* [q] L *ex.* [r] V *indicia.* [s] S *in excessiones.* [t] SZ *indicare.*

1 Cf. *De spiritu et anima,* cc. 4 et 11 (PL 40, 782, 786 sq.); Alex. Hal., *Summa theol.,* I, n. 17.
2 Cf. S. Bonav., *Itiner.,* c. 1, n. 6 (V, 297).
3 *De fide orthod.,* II, cc. 17, 19 et 20 (PG 94, 934sqq.).
4 Cf. *De anima,* p. 1, c. 5 (f. 5b).
5 Damasc., loc. cit., c. 19 (PG 94, 938).
6 Nempe *cogitativi.*
7 Cf. loc. cit., c. 17 (PG 94, 934).
8 Cf. loc. cit., c. 20 (PG 94, 939).
9 Loc. cit., c. 20 (PG 94, 938).
10 Loc. cit., c. 12 (PG 94, 930).
11 Loc. cit., c. 21 (PG 94, 939).
12 Loc. cit., c. 19 (PG 94, 938).

2. Praeterea [a], dicit Avicenna[1], qui explanat amplius, quod haec est componens et dividens secundum imperium rationis, et dicitur cogitativa. Ex quo videtur quod pertineat ad partem rationalem, cum cogitare sit actus rationis [b].

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod, secundum quod dicit Avicenna[2], haec vis duo sortitur vocabula, ut dicatur quandoque imaginativa, quandoque cogitativa [c]. In hoc autem est differentia quod, cum imperaverit aestimativa animalis, tunc dicitur imaginativa; si vero virtus rationalis imperaverit ei et reduxerit eam ad id quod ei prodest, dicitur cogitativa. Sive ergo imperet aestimativa sive rationalis, semper est [d] computata in parte sensitiva, sicut ipse dicit[3].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem obiectum [e] in contrarium dicendum [f] quod iudicia et compositiones, quae fiunt in ea, possunt fieri imperio rationis, sicut habetur [g] ab Avicenna[4]. Dicit enim quod habet potestatem componendi et dividendi formas relictas in sensu et retentas, et ita quoad vim in qua fiunt, dicentur partis sensitivae, quoad imperativam partis rationalis. Et quod duplex sit genus compositionis in parte sensibili et in parte intelligibili, patet per hoc quod distinguit Ioannes Damascenus[5], dicens quod « excogitativae [h] sunt iudicia et compositiones » etc., « proprie vero intelligentiae intelligibilium et virtutes et doctrinae et artium rationes ».

2. Ad secundum dicendum quod, licet fiat secundum imperium rationis, non tamen in parte intellectiva, sed in parte sensitiva, quae suadetur ratione; et licet ' cogitare ', secundum appropriationem dictum, sit partis rationalis, nihilominus per extensionem illius partis quae rationi copulatur: unde cellula media dicitur logistica [i] [6], id est rationalis, in qua operatur illa excogitativa.

CAPUT II. 358

AN OMNES ISTAE DIFFERENTIAE VIRIUM CONTINEANTUR SUB IMAGINATIONE.

Deinde quaeritur utrum omnes differentiae divisionis [k], factae secundum Avicennam et secundum Damascenum, contineantur sub imaginatione, quam ponit Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[7].

Quod non videtur: 1. Imaginatio enim sive [l] imaginativa est una de illis; si ergo illa dividit contra [m] sensum communem et excogitativam et ita de aliis, non erit imaginatio communis ad illas [n].

2. Praeterea, secundum rationem positam ab Augustino[8], « imaginatio est vis animae, quae formas corporeas rerum corporearum percipit, sed absentes » sive [o] absente materia; cum ergo perceptiva dividatur contra custoditivam et [p] compositivam, non continebit memorativam et cogitativam, quae compositiva est.

Contra: *a*. Omnes interiores vires potentiae sensitivae cogitativae participant formas sensibiles absente materia; ergo ad illam differentiam reducuntur. — Quod concedendum est.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad obiectum autem respondendum [q] quod imaginativa accipitur dupliciter: vel generaliter pro [r] omni vi attingente formas sensibiles, absente materia, et sic accipit Augustinus, et [s] hoc modo omnes continentur sub imaginatione; si vero accipiatur imaginatio tantum pro virtute quae operatur tantum super huiusmodi formas in anteriori parte cerebri, sic accipit Damascenus[9], dicens quod « organum imaginativi est anterior ventriculus cerebri », et secundum hoc dividit contra [t] cogitativam quae componit [u] et memorativam quae conservat. Praeterea, imaginatio, secundum Avicennam[10], dicitur illa quae operatur in medio ventriculo cerebri et est compositiva vel divisiva, et sic specialiter accipitur.

CAPUT III. 359

UTRUM OMNES ISTAE VIRES UTANTUR ORGANO ET QUO ORGANO UTANTUR.

Deinde quaeritur utrum omnes intrinsecus cognitivae sensibiles utantur organo et quo organo utantur singulae.

Et videtur quod habeant organum: *a*. Unaquaeque enim est vis sensibilis; vis autem sensibilis non operatur nisi in corpore, ut [v] videtur, quae,

---

[a] S add. *cum*. [b] S *rationalis*. [c] V *excogitativa*, item infra. [d] L om. [e] Ita V, alii *obiectum autem* pro *p. a. o.* [f] Ita VZ, alii add. *est*. [g] T om. [h] VLCZ *excogitativi*. [i] R *legistica*. [k] L *diffinitionis*. [l] C *sub*. [m] TR *circa*. [n] V *illa*. [o] T *sine*. [p] V om. [q] SLZ *respondeo*. [r] L om. [s] L om.; T om. *omnes*. [t] R *circa*. [u] L *ponit*. [v] LC *et*; L *quod* pro *quae*.

1 *De anima*, p. 4, cc. 1 et 2 (f. 17c sq.).
2 Loc. cit.
3 Loc. cit.
4 Loc. cit. (f. 17d).
5 Loc. cit.
6 Cf. supra, p. 423, nota 4.
7 Cf. supra, p. 434, nota 1.
8 Cf. loc. cit., c. 11 (PL 40, 786).
9 *De fide orthod.*, II, c. 17 (PG 94, 934).
10 *De anima*, p. 1, c. 5 (f. 5b).

cum non operetur [a] nisi in corpore, determinat sibi aliquam partem in qua operatur; restat ergo quod unaquaeque illarum habebit organum [b].

b. Praeterea, sicut dicit Avicenna [1], laeduntur aliquando in suis operationibus [c] per laesionem alicuius partis in corpore; hoc autem non esset nisi aliqua esset colligantia respectu illius partis; erit [d] ergo unaquaeque habens organum determinatum vel ad minus partem determinatam, in qua operetur.

c. Hoc etiam videtur per verba [e] Ioannis Damasceni distinguentis vires sensitivas intrinsecus cognitivas. Ponit enim imaginativam, « cuius organum est anterior ventriculus cerebri [2] »; ponit etiam excogitativam, « cuius instrumentum », sicut dicit [3], « est medius ventriculus cerebri et animalis spiritus qui est in ipso [f] »; ponit etiam memorativam, « cuius organum », sicut dicit [4], « est posterior ventriculus cerebri ». In idem consentit Remigius, in libro *De anima* [5], distinguendo has vires, ostendens diversas aegritudines in quibus hae laeduntur. Restat ergo quod unaquaeque harum organum vel [g] partem habet sibi determinatam in qua operatur.

Contra: 1. Bonitas et malitia, amicitia et inimicitia sunt intentiones, quae, licet inveniantur in rebus sensibilibus, inveniuntur tamen [h] extra res sensibiles nec ex sensu extrahuntur apud aestimativam; ergo apud [i] aestimativam secundum se sunt innatae; si ergo iudicat de iis, non [k] iudicat mediante aliquo organo; non ergo aestimativa exigit organum in sua operatione.

2. Praeterea, hoc iudicium, secundum Avicennam [6], existit secundum modum ut rationalem; sed modus rationalis est iudicare praeter organum corporale; ergo haec vis iudicat praeter organum corporale.

3. Praeterea, non est aliqua aegritudo propria, in qua laedatur aestimativa, non laesa alia [l] vi sensibili intrinseca; si vero haberet proprium organum, contingeret illam laedi, alia non laesa; sed non est ita, sicut dicit Avicenna [7], sed si accidit ei aliqua laesio, illa est ex imaginativa sive cogitativa [m], quae operatur in medio ventriculo cerebri. Restat ergo quod non habeat determinatum organum.

4. Praeterea, dives, sicut habetur in Evangelio [8], sensit poenam in lingua; sed constat quod ille sensus [n] non fuit sensus exterior, cum sensus exterior fiat per organum corporeum; ergo fuit sensus interior, qui operatur absente materia super formas; anima ergo operabatur ibi super formas sensibiles, non praesente materia; ergo utebatur imaginatione; sed separata erat a corpore; ergo uti potest imaginatione praeter organum corporis; multo fortius ergo aliae vires sensibiles, ut aestimativa, memorialis; restat ergo quod non indiget in completione sui actus organo corporeo.

[Solutio]: Ad quod dicendum [o] quod unaquaeque vis sensibilis interior determinat sibi partem corporis, in qua operatur; unde dicit Avicenna de aestimativa, quod est vis ordinata in summo mediae concavitatis cerebri, sicut habetur in tractatu *De anima* [9].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum autem obiectum [p] respondendum quod, licet intentiones, quas apprehendit aestimativa, possint [q] esse secundum se extra materiam corporalem, tamen ut apprehendit aestimativa sensibilis, sunt in materia corporali et ideo indiget quadam colligatione cum corpore; unde dicitur [r] [10] quod apprehendit intentionem ligatam cum forma sensibili et est [s] aliqua convenientia imaginationis [t] cum illa, non tamen utitur organo ad cognoscendum illam intentionem in se, sed in quantum est in re imaginata [u] vel visa.

2. Ad secundum dicendum est [v] quod aliud est de iudicio aestimationis rationalis et aestimationis sensibilis, sicut dicit idem Philosophus [11]. Nam aestimativa rationalis apprehendit etiam intentiones abstractas a materia, aestimatio autem sensibilis apprehendit eas cum colligatione formae sensibilis, quae non est praeter materiam.

3. Ad id vero quod obicitur de laesione, dicendum [x] quod, licet non laedatur directe per propriam laesionem aegritudinis, laeditur tamen ex consequenti. Cum enim laeditur imaginativa vel excogitativa [y], per consequens laeditur et illa in operatione sua debita; unde cum ponit Damascenus vel Remigius divisionem virium, computat [z] hanc cum excogitativa, quae est in media parte cerebri operans, non distinguendo eam secundum partem corporis diversam.

4. Ad id vero quod obicitur de imaginatione, quod possit operari praeter organum corporeum,

---

[a] Ita V, alii *operatur*. [b] Z *organa*. [c] L *operibus* et om. *aliquando*. [d] V *est*. [e] R *verbum*. [f] RLCZ *eo*. [g] Ita V, alii *et*; T om. *habet*. [h] Ita V, alii om. [i] Z *habet*, quod RLC corr. [k] LC *omnino*. [l] Z *aliqua*; V om. *non*; RLCZ *extrinseca* pro *intrinseca*. [m] V *cognitiva*. [n] Ita V, alii om. [o] Ita V, alii add. *est*. [p] Ita V, alii om. *p. a.*; L add. mg. *in contrarium*; ST *respondendum est* pro *respondendum*. [q] V add. *si*. [r] C *dicit*. [s] Ita V, alii *cum*. [t] Ita VT, alii *imaginis*. [u] C *imaginativa*. [v] V *est aliud dicendum* pro *d. e.* [x] Ita V, alii add. *est*. [y] L om. *v. e.* [z] R *computant*.

1 Loc. cit., p. 4, c. 2 et p. 5, c. 2 (f. 18b, 23c).
2 *De fide orthod.*, II, c. 17 (PG 94, 934).
3 Loc. cit., c. 17 (PG 94, 934).
4 Loc. cit., c. 20 (PG 94, 939).
5 Opus adhuc ignotum. Cf. Schneider, *Die Psychol. Alberts d. Grossen*, p. II, in *Beiträge Baeumker*, IV, fasc. 6, p. 366, nota 3.
6 *De anima*, p. 1, c. 5 (f. 5b).
7 Cf. supra, nota 1.
8 Luc. 16, 24.
9 Parte 1, c. 5 (f. 5b).
10 Cf. Avicenna, loc. cit.
11 Avicenna, loc. cit.

et memorialis similiter, dicendum [a] quod illa operatio aequivocatur cum ista de qua nunc loquimur. Nunc enim [b] non intendimus nisi de actibus virium existentium animae vel ut est in corpore; deinceps vero agetur de separabilitate eius: utrum sit separabilis etiam [c] secundum partem sensibilem et utrum ipsa operetur aliquo modo praeter corpus.

CAPUT IV.

DE DISTINCTIONE VIRIUM SENSITIVARUM INTRINSECUS COGNOSCENTIUM [1].

Deinde quaeritur de distinctione virium et incidit hic duplex quaestio:

Una, de comparatione sensuum exteriorum, qui dicuntur particulares, qualiter se habeat [d] sensus communis ad illos [e];

alia, de distinctione harum virium interiorum inter se.

ARTICULUS I. 360

Qualiter se habeat sensus communis ad sensus particulares.

I. Circa primum *a.* ostenditur quod sensus communis non est communis ad modum universalis, ut [f] de omni sensu praedicetur. Si enim sic esset, non haberet actum proprium, sed eius actus tantum esset in sensibus particularibus; sed sensus communis habet proprium actum et singularem, scilicet discernere album a dulci [2] vel conferre; ergo non est communis unitate [g] essentiae universalis.

b. Item, non dicitur [h] communis propter hoc quod organum eius sint organa sensuum particularium et nullum habeat [i] organum proprium. Si enim discernit album a dulci et confert, necesse est recipi formam utriusque in [k] uno organo; illud non erit organum gustus nec organum visus; necesse est ergo esse organum interius differens ab illis, quod sit sensus communis.

c. Praeterea, non sic est organum sensus communis unum confusione, quemadmodum lingua, tactus et gustus: sic enim diceretur visus esse quidam sensus communis et auditus similiter, sicut dicitur quod gustus est quidam tactus [3].

d. Praeterea, sensus communis unus est, habens unitatem organi, quia [l] omnia organa sensuum particularium conveniunt ad unum in quo [m] terminantur, ubi completur iudicium [4], et illud est organum sensus communis; sed non sic conveniunt per confusionem, ut illud organum secundum aliquid eius sit organum auditus, secundum aliquid visus, secundum alterum tactus et ita de aliis; ergo non dicitur sensus communis, quia [n] habeat organum per confusionem.

e. Praeterea, ostenditur quod sensus particularis perficitur a sensu communi. Cum enim organa sensuum particularium bipartita sint, praeterquam in organo gustus, ubi sunt coniuncta, ut [o] in duobus oculis et [p] duabus auribus, tamen [q] sensibile non apparet duo, sed unum, necesse est tunc deferri ad unum organum interius [5]; cum ergo simul tempore percipitur sensibile, et ut unum simul tempore sit species in organo interiore et exteriore: ergo perfectio sensus particularis est a sensu communi, cum perficitur in organo interiore. Hoc idem est in omnibus sensibus: nam [r] omnia organa sensuum particularium, scilicet nervi, perveniunt ad unam radicem sive originem, in qua conveniunt, aliter nunquam esset collatio sive discretio sensibilium sensuum diversorum et ibi fit complementum [6].

f. Praeterea, non differt sensus communis sensibilis [s] in suo sensibili a particularibus: quinque enim sensibilia, quae sunt magnitudo, motus, numerus, figura, quies, quae sunt [t] communia sensuum particularium, etiam sunt propria sensus communis. Apprehenduntur etiam sensibilia sensuum particularium a sensu communi: nam aliter non posset inter illa distinguere; ergo necesse est non differre sensum communem in obiecto a sensibus particularibus. Et hoc videtur per hoc quod dicit Philosophus [7] quod sensus

---

[a] Ita V, alii add. *est.* [b] T *causa.* [c] LCZ *et.* [d] Ita V, S *habent*, alii *habet.* [e] LCZ *illas*, quod R corr. [f] L *et*, S om. [g] Z *unitati.* [h] V *est.* [i] R *habere.* [k] Z om. [l] V *quod.* [m] VC *qua.* [n] C *quod.* [o] T *aut*, LC om. [p] T *aut in.* [q] C *cum.* [r] LC om. [s] Ita V, STRC *sensibili*, LZ (correcti) *in sensibili.* [t] T om.

[1] De sensu communi cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 17, p. 1, q. 2 *ad 4* (I, 297); III *Sent.*, d. 17, a. 1, q. 2, *ad 4* (III, 367); IV *Sent.*, d. 12, p. 1, dub. 1 (IV, 286); *In Hexaëm.*, coll. 5, n. 24 et coll. 22, n. 35 (V, 358, 442).

[2] Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 2 (III, 464).

[3] Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 9 (III, 456).

[4] Cf. Avicenna, *De anima*, p. 1, c. 5 (f. 5b); Augustin., *De lib. arbit.*, II, c. 3, n. 8 (PL 32, 1244).

[5] Cf. Avicenna, loc. cit., p. 3, c. 8 (f. 16b).

[6] Cf. Avicenna, loc. cit.

[7] Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 2 (III, 462sqq.); Avicenna, loc. cit., p. 4, c. 1 (f. 17b).

communis est qui omnia sensu percepta recipit et propter earum formas patitur, quae in ipso copulantur.

II. Praeterea, quaeritur de instrumento sensus communis.

Et videtur 1. quod sit [a] aliqua pars cerebri, in qua conveniunt sensibiles nervi; et hoc arguunt medici, quia laesio sensus communis est ex laesione cerebri, bonitas sensus communis est ex bonitate cerebri.

a. Sed Philosophus [1] arguit eius organum esse cor vel aliquid simile cordi in non habentibus cor, eo quod organa sensuum particularium in sua radice continuantur cordi. Praeterea, nihil est sensitivum sine calore [2], caloris vero expansio est a corde et reditio ad interius in [b] somno: ex quo arguit quod sensus communis organum est cor.

[Solutio]: Et potest utrumque esse verum, quod dicunt medici et quod dicit Philosophus; sed medici ad causam propinquam respiciunt, et ideo dicunt originem nervorum esse a cerebro et ramificari motus differenter, ut fiat sensus et motus; Philosophus vero respicit ad causam primam: videt enim quod, licet quies sit in somno ab operatione sensus communis excitati a particularibus, nihilominus est operatio interior continua, secundum motum scilicet phantasiae, et illud [c] non posset esse nisi ubi viget calor animalis in corde tempore somni, propter quod sensus communis dicitur habere cor tamquam organum primum.

361 ARTICULUS II.

De numero virium sensibilium cognitivarum interius [3].

Deinde quaeritur **I.** de numero virium sensibilium cognitivarum interius.

Quarum ratio sic accipitur [4]: quaedam enim sunt quarum actus sunt circa formas sensibiles, quaedam circa intentiones formarum sensibilium. Quae vero est circa formas sensibiles aut est apprehendens aut custodiens aut transformans sive conferens absente materia. Si vero est apprehendens, dicitur sensus communis; si vero custodiens, dicitur imaginatio vel alio modo phantasia; si vero est transformans vel conferens absente materia, dicitur imaginativa. Si vero est circa intentiones, ut bonitatem et malitiam, sive nocumentum et iuvamentum, prout accidit de agno [d] respectu ovis aut lupi [5], aut est apprehendens aut custodiens. Si apprehendens, dicitur aestimativa; si custodiens, dicitur memorativa. Et distinguuntur [e], secundum Avicennam [6], ut sensus communis sit in anteriori parte cerebri, imaginatio vel phantasia in eadem parte, imaginativa vero vel cogitativa [f] in media, in eadem aestimativa, memorativa vero in ultima parte cerebri.

II. Sed incidit quaestio quare respectu intentionum non dicuntur tres vires, sed duae tantum, scilicet aestimativa et memorativa, respectu vero formarum sensibilium secundum se, dicuntur tres.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod respectu formarum sensibilium additur una ut sint tres. Nam quaedam [g] est apprehensiva a sensibus particularibus, et haec dicitur sensus communis; nulla autem est apprehendens intentiones ex sensibus particularibus, sed ab intus habet, et propter hoc illa abundat ex illa parte.

III. Praeterea, propter quid est retentiva [h] ante compositivam formarum sensibilium [i], compositiva autem intentionum [k] sensibilium est ante suam retentivam?

[Solutio]: Respondendum [l] est quod formae sensibiles, quas oportet componere vel supra quas negotiatur imaginativa, veniunt ab extra per sensus, et nisi essent fixae intra, non esset compositio imaginativae super illas abeunte sensu, et ideo necesse est quod praecedat retentiva; intentiones vero sunt ab intra innatae, et ideo [m] non est necesse memorativam praecedere, sed sequi, eo quod servat compositiones factas intentionum cum formis sensibilibus.

IV. Quaeri etiam potest quare in una parte cerebri collocantur [n] apprehensiva formarum sensibilium et [o] retentiva, non autem apprehensiva intentionum et memorativa, quae est retentiva.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod dissimiliter dicuntur retentivae. Haec enim quae est in anteriori parte cerebri, non est nisi retentiva ad hoc

[a] Ita VLC, alii om.; V om. *pars.* [b] Z om., in R est add. interl. [c] V *etc.* pro *e. i.* [d] T om. *d. a.* [e] VST *distinguitur.* [f] Ita V, alii *excogitativa;* VST om. *in.* [g] R *quidam.* [h] ST *intentiva,* LC *tentiva;* T om. *propter.* [i] T add. *et.* [k] V om. [l] V *Et respondendum.* [m] T om. [n] T *collocaretur.* [o] S om.

[1] Aristot., *De somno et vigilia,* c. 2 (III, 503 sq.); cf. Avicenna, loc. cit., p. 5, c. 8 (28b sq.).
[2] Cf. Aristot., loc. cit.
[3] Cf. S. Bonav., *Breviloq.,* p. 2, c. 9 (V, 227).
[4] Cf. Avicenna, *De anima,* p. 1, c. 5 (f. 4d sqq.).
[5] Loc. cit., p. 4, c. 3 (f. 19b).
[6] Loc. cit.

ut in eis fiat compositio et[a] operatio abeunte sensu; illa vero, quae est memorativa, generaliter est retentiva ut ex illa possint[b] aestimativa et intellectiva etiam negotiari: unde dicitur memoriae et rememorationis[c] promptuarium. Et signum huius est quod Ioannes Damascenus[1], cum enumerat vires, non enumerat nisi imaginativam sive imaginationem et excogitativam et memorativam[d], dans intelligere quod prima est apprehensiva, secunda collativa, tertia retentiva; non ergo computat in prima parte retentivam nisi cum apprehensiva.

TITULUS II.

DE VI SENSIBILI MOTIVA.

MEMBRUM I.

De vi sensibili motiva irrationali.

Habito tractatu de cognitivis viribus ab intus et extra partis[e] sensibilis, sequitur dicere de motivis.

Ponuntur autem differentiae motivae sensibilis phantasia, sicut dicit Philosophus[2], et aestimativa, concupiscibilis et irascibilis et, secundum Augustinum[3], sensualitas.

Quidam[4] etiam ponunt quasdam vires affectivas alias sive differentes ab istis, secundum quas est gaudium et dolor, ira et timor. Sed non oportet istas ponere differentes a concupiscibili et irascibili, cum secundum concupiscibilem sint gaudium et dolor, secundum irascibilem ira et timor.

Augustinus autem ponit concupiscentiam cum timore, cum loquitur de iis, in libro *De civitate Dei,* XIV[5]. Dicit enim quod concupiscentia est appetitus eorum quae volumus et similiter laetitia, metus autem et dolor in dissensiones: « Sed cum consentimus, appetendo quae volumus, concupiscentia dicitur; cum consentimus, fruendo[f] iis quae volumus, laetitia dicitur; cum dissentimus[g] ab eo quod accidere nolumus, metus dicitur; cum autem[h] dissentimus ab eo quod nobis nolentibus accidit, dolor vel tristitia dicitur ».

CAPUT I. 362

QUALITER PHANTASIA ET AESTIMATIVA DICANTUR MOTIVAE.

Potest autem[i] quaeri qualiter phantasia et aestimativa dicuntur motivae, cum inter cognitivas sint positae.

[Solutio]: Ad quod dicendum[k] quod motivae dicuntur, quia disponunt ad motum per modum cognitionis boni et mali, inclinantis ad appetitum vel fugam. Differunt autem inter se, quia phantasia est disponens ad motum ex apprehensione formae sensibilis convenientis vel inconvenientis, aestimativa vero est disponens ad motum ex apprehensione intentionis in re sensibili.

---

[a] Z *vel.* [b] V *possit.* [c] VR *memorationis.* [d] RLCZ *rememorativam.* [e] S *partium.* [f] T *sentimus fruendo de* pro *c. f.* [g] C *dissentiamus.* [h] R om. [i] R *etiam.* [k] Ita V, alii add. *est.*

1 Cf. *De fide orthod.,* II, c. 17 sqq. (PG 94, 934 sqq.).
2 Cf. Aristot., *De anima,* III, cc. 10 et 11 (III, 472 sqq.); Avicenna, *De anima,* p. 1, c. 2 (f. 6a).
3 Cf. *De spiritu et anima,* c. 14 (PL 40, 789).
4 Cf. Avicenna, *De anima,* p. 4, c. 3 (f. 19b sqq.); cf. infra, p. 445, *Solutio.*
5 Cap. 15, n. 6 (PL 41, 409).

CAPUT II.

DE SENSUALITATE.

Quaeritur etiam de sensualitate:

Primo, utrum sit partis sensibilis aut rationalis;

secundo, utrum sit in genere motivae disponentis ad motum vel facientis motum: facientem autem [a] dico imperantem vel exequentem interius vel exterius;

tertio, utrum sit idem sensualitas quod inferior portio rationis, sicut dicit Magister, in *Sententiis* [1];

quarto, utrum in sensualitate sit peccatum vel non.

363

ARTICULUS I.

Utrum sensualitas sit partis sensibilis aut rationalis [2].

Ad primum sic: Quod sit partis sensibilis, videtur *a.* per hoc quod dicit Magister, in *Sententiis,* II libro, dist. 24 [3]: « Quidquid in anima nostra nobis considerantibus occurrit, quod non sit commune cum bestiis, ad rationem pertinet: quod autem reperis in ea commune cum bestiis, ad sensualitatem pertinet ». Si ergo sensualitas est communis nobis et bestiis, ergo ad partem sensibilem pertinet. — Vel aliter: Rationalis pars est in qua differimus [b], sensibilis in qua convenimus; ergo sensualitas ad partem sensibilem pertinet.

b. Item, Augustinus, in libro *De Trinitate* [4]: « Sensualis motus, qui nobis pecoribusque est communis, seclusus [c] est a ratione sapientiae ». Sed cuius est actus, eius [d] est potentia [5]; sensualis [e] motus est partis sensibilis; ergo sensualitas.

Contra: 1. Augustinus [f], *De Trinitate* [6]: « Quo modo [g] coluber non apertis passibus [h], sed squammarum minutissimis nisibus repit, sic lubricus deficiendi motus negligentes minutatim occupat et incipiens a perverso appetitu similitudinis Dei pervenit ad similitudinem pecoris ». Sed iste lubricus motus est motus [i] sensualitatis; motus autem ille non convenit nisi ratione utentibus; ergo sensualitas, cuius est motus, est rationalis partis.

2. Item, super illud [7]: *Infelix ego homo* etc. Glossa [8]: « Gradus fabricavit Adam, per quos ad filios eius exspoliator ascendat, nisi clementissimus Dominus protegat ». Ii autem gradus dicuntur: primus corruptio carnis, secundus fomes, tertius primus motus, quartus [k] delectatio citra consensum, quintus [l] consensus: per hunc quintum Satanas ingreditur. Ergo, cum primus motus sit sensualitatis, primus autem motus non sit communis nobis et brutis, sensibilis autem pars [m] communis est, ergo primus motus non est sensibilis partis; et primus motus est sensualitatis; ergo sensualitas non est partis sensibilis; et est illius vel rationalis; ergo est rationalis [n].

[Solutio]: Ad quod dicendum quod sensualitas est partis sensibilis. Sed partem sensibilem est accipere dupliciter: uno modo praeter ordinem ad rationalem partem, et secundum hoc quae insunt ei [o] communia sunt nobis cum pecoribus; alio vero modo in quantum participat ex ordine ad rationem, et sic appropriata quaedam habet quae insunt homini et [p] non insunt brutis. Sicut enim in parte cognitiva excogitativa est quaedam vis partis sensitivae in ordine tamen ad rationem, ita ex parte motivae est dicere sensualitatem habere quaedam appropriata ex ordine ad rationem nec propter hoc erunt [q] duae vires sensualitatis, sed una vis [r] dupliciter se habens: habet enim quaedam communia et quaedam appropriata.

[Ad obiecta]: *a-b.* Ad primum autem [s] obiectum dicendum quod duae primae rationes loquuntur de sensualitate secundum ea quae communiter insunt ei.

1-2. Ad obiectum autem in contrarium dicendum [t] quod illae rationes loquuntur de ipsa secundum ea quae appropriantur sensualitati humanae propter ordinem ad rationem: habet enim aliquem motum communem et habet aliquem appropriatum.

---

[a] R om. [b] V *deferimus.* [c] V *inclusus.* [d] T om. [e] RLCZ *sensibilis.* [f] VSTRL om., in CZ est add. interl.; V add. *in libro.* [g] R *quo* pro *q. m.* [h] S *passionibus.* [i] T om. *e. m.* [k] Ita V, alii add. *est.* [l] Ita V, alii add. *est.* [m] L *partis,* quod RZ corr. [n] S om. *e. e. r.* [o] V *enim,* T *ea.* [p] V add. *que.* [q] RZ *erant.* [r] R add. *est.* [s] Ita V, alii *primo* pro *p. a.* [t] Ita V, alii add. *est.*

1 Lib. II, dist. 24, c. 4 (p. 421 sq.).
2 Cf. supra, num. 340, II; S. Bonav., II *Sent.,* d. 24, p. 2, a. 2, q. 2 et a. 3, q. 1 ac dub. 3 (II, 578b, 583, 587).
3 Loc. cit. (p. 422).
4 Lib. XII, c. 12, n. 17 (PL 42, 1007).
5 Cf. Aristot., *De somno et vigilia,* c. 1 (III, 500).
6 Lib. XII, c. 11, n. 16 (PL 42, 1006).
7 Rom. 7, 24.
8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1426).

ARTICULUS II. 364

In quo genere motivae sit sensualitas.

Deinde quaeritur in quo genere virtutis motivae sit.

Et videtur quod sit in genere disponentis ad motum: 1. Quae enim suggerit, est disponens ad motum; sed sensualitas suggerit: est enim [a] per modum serpentis et sic agitur in [b] interiori homine quodam modo quemadmodum agebatur exterius in primis parentibus; ergo est pertinens ad motivam [c] quae disponit ad motum.

2. Ad idem facit quod dicit Augustinus, in libro *De Trinitate*[1]: « Carnalis sensus ingerit [d] quamdam illecebram fruendi se ».

3. Item, Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[2]: « Cum exterior sensus carnalis bono suo utitur, interior sensus mentis quasi obdormit; non enim cogitat bona interioris sensus, qui iucunditate exteriorum bonorum capitur ». Sed constat quod iste carnalis sensus est qui cognoscit appetendum vel fugiendum et per hoc appetit vel fugit; ergo, si sensualitas non est aliud quam carnalis sensus, erit sensualitas de motivis sensibilibus ad motum disponentibus.

Sed videtur contrarium: *a.* In sensualitate enim dicitur esse [e] primus motus qui determinat fugiendum; ergo sensualitas, cuius est motus ille, est in genere virtutis facientis motum.

b. Praeterea, sensualitas dicitur repugnare rationi motivae, cum dicitur[3]: *Caro concupiscit adversus spiritum;* cum ergo ratio motiva sit secundum quam determinatur meritum vel demeritum, meritum autem est in ipsa motiva faciente motum, ergo sensualitas, quae adversatur illi et trahit ad contrarium, scilicet demeritum, erit in parte motiva faciente motum.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum[4] quod sicut loquimur de ratione dupliciter, ita et de sensualitate iam dicta. Ratio enim [f], ut est cognitiva boni vel mali, disponit ad motum; in quantum in ea est voluntas, efficit motum. Similiter est de sensualitate: est enim cognitiva boni ut est nunc vel sui oppositi, et sic disponit ad motum [g]; est iterum appetitiva illius, cum non est [h] obediens rationi, et secundum hoc est motiva quae facit motum.

2. Cum ergo dicitur quod sensualitas « ingerit illecebram », hoc potest attendi dupliciter: vel per modum quo suggerit ut est cognitiva vel per modum quo pulsat inferiorem partem rationis in quantum est motiva.

3. Illud autem quod dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu,* intelligitur de carnali sensu, qui est disponens ad motum per cognitionem inferioris boni.

ARTICULUS III. 365

Utrum sensualitas sit idem quod inferior portio rationis.

Deinde quaeritur I. utrum sensualitas sit idem quod inferior portio rationis[5].

Quod videtur 1. per verbum Magistri, in *Sententiis,* 24 dist. II libri[6], qui sensualitatem comparat mulieri, sicut habetur in Glossa[7] super illud: *Mulier est gloria viri,* I Cor. 11,7, versus finem Glossae; sed mulier cum viro eamdem speciem participat; sensualitas ergo participabit eamdem speciem cum ratione; ergo videtur idem esse quod inferior portio rationis.

2. Ad hoc videtur facere quod dicit Augustinus, in libro *De Trinitate*[8], arguens ex illo verbo Gen.[9]: *Faciamus ei* [i] *adiutorium simile sibi:* « Sicut in omnibus pecoribus non est inventum viro *adiutorium simile sibi*[10] nisi de illo detractum in coniugium formaretur, ita menti nostrae, qua supernam consideramus veritatem, nullum est ad usum rerum corporalium, quantum naturae hominis satis [k] est, simile adiutorium ex animae partibus, quas communes cum pecoribus habemus: et ideo rationabile nostrum, non ad unitatis

---

[a] C om. [b] L om. [c] S add. *et.* [d] V om., R *gerit.* [e] T om. [f] RLZ *autem.* [g] VC *meritum.* [h] VT om. [i] Ita V, alii om. [k] Ita V, alii *sat.*

1 Lib. XII, c. 12, n. 17 (PL 42, 1007).
2 Cap. 9 (PL 40, 785).
3 Gal. 5, 17.
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 32, a. 2, q. 1 (II, 766).
5 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 24, c. 13 (p. 428); S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 2, dub. 3 (II, 587sq.); IV *Sent.*, d. 10, p. 2, a, 2, q. 1 (IV, 235).
6 Cap. 7 (p. 423). 7 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1633).
8 Lib. XII, c. 3 (PL 42, 999).
9 Gen. 2, 18. 10 Cf. Gen. 2, 20.

divortium separatum, sed in auxilium societatis quasi derivatum, in suo dispertitur officio ». Ex quo arguitur: si sensualitas tenet rationem mulieris et mulier in adiutorium viri datur, erit ergo pertinens ad rationem; erit ergo idem quod inferior [a] portio.

II. Similiter quaeritur utrum sensualitas cum [b] carne debeat dici exterior homo.

Quod videtur 1. per verbum Augustini, in libro *83 Quaestionum*[1]: « Si exterior homo vita accipitur, qua per corpus sentimus quinque notissimis sensibus, quos cum pecoribus habemus communes — nam et ipsa [c] molestiis sensibilibus, quae persecutionibus ingeruntur, corrumpi potest — non immerito et iste homo dicitur particeps similitudinis Dei, non solum quia [d] vivit, quod etiam in bestiis apparet ». Sed hoc invenitur in sensualitate; ergo sensualitas non erit aliud quam exterior homo.

2. Praeterea, cum sensualitas mortificatur, tunc spiritus vigoratur. Si ergo hoc dicitur de interiori homine et exteriori, quod, cum exterior corrumpitur, interior *de die in diem renovatur*[2], relinquitur quod, sicut nihil aliud est interior homo nisi ratio cum spiritualibus sensibus, ita nihil aliud erit exterior homo nisi sensualitas cum sensibus carnis.

3. Ad idem [e] facit quod dicitur in Glossa[3] super illud II Cor. 4, 16: *Si is qui intus est* etc.

Sed contrarium haberi potest *a.* per hoc quod sensualitas aliquo modo communis est nobis et brutis, ratio vero exterioris hominis nullo modo potest convenire; ergo non est idem sensualitas quod exterior homo.

b. Item, dicit Augustinus[4] quod exterior homo « convertitur ad mentem se regentem, quam illustrat sapientia, quod in bestiis esse non potest ratione carentibus ». Ergo exterior homo habet de se intentionem rationis; non ergo sensualitas cum carne est idem quod exterior homo.

[Solutio]: II. Ad quod dicendum quod exterior homo dicitur proprie, cum convertitur homo ad exteriora bona concupiscenda propter se; interior vero homo dicitur, cum convertitur ad interiora bona sive superna appetenda propter se, et secundum hoc, cum exterior [f] corrumpitur, interior renovatur. Cum enim homo, sicut dicit Gregorius[5], incipit exterius interire, tunc incipit interius vivere. Ideo dicit Apostolus[6]: *Exspoliantes veterem hominem cum actibus suis et* [g] *induentes novum hominem* etc. Alio vero modo dicitur exterior homo, sicut habetur in Glossa[7] II Cor. 4, 16, quidquid est in nobis commune cum pecore. Sed hoc potest attendi in quantum coniungitur cum rationali parte ad quam ordinatur: et hoc modo [h] potest dici exterior homo sensualitas cum carne, reliquo modo non, immo ipse homo secundum duplicem sui ordinationem [i] dicitur homo interior vel [k] exterior.

I. 1. Ad hoc vero quod quaeritur [l] prius utrum idem sit [m] quod portio rationis inferior: dicendum est quod, si inveniatur in Scriptura, valde extraneo modo accipitur, sed, sicut dictum est[8], poterat haec esse ratio dicti, ut sicut inferior portio rationis tenebat locum mulieris respectu superioris portionis, ita sensualitas poterat tenere locum mulieris respectu rationis [n]. Iis enim duobus modis accipitur in expositione[9] super illud: *Mulier est gloria viri,* I Cor. 11, 7.

2. Ad id vero quod obicitur per auctoritatem Augustini, in libro *De Trinitate,* dicendum quod ibi loquitur de muliere prout inferior portio rationis dicitur mulier et non prout sensualitas. Unde non ex hoc arguitur quod sensualitas participet [o] speciem rationis, eo quod datur [p] in adiutorium. Dari enim in adiutorium potest dici dupliciter: vel ad serviendum, et hoc potest convenire sensualitati; vel [ad] producendum actum consimilis speciei, quemadmodum ex superiori portione et inferiori, cum coniunguntur, actus omnino rationalis producitur: et sic datur inferior portio rationis in adiutorium, sicut mulier datur in adiutorium viri [q] ad producendum individuum eiusdem speciei.

ARTICULUS IV.

Utrum in sensualitate sit peccatum vel non.

Ultimo quaeritur **I.** utrum in sensualitate sit peccatum vel non[10].

Quod sic, videtur *a.* per hoc quod dicit Magister, in *Sententiis,* II libro, 24 dist., ultimo cap.[11]:

---

[a] V add. *ratio.* [b] VST *in.* [c] S *ista.* [d] C *qui.* [e] V *illud.* [f] R add. *homo.* [g] VS om. [h] T om. [i] VT *ordinem.* [k] L *et,* Z *etiam.* [l] Ita V, alii *querebatur.* [m] Ita V, alii *esset.* [n] T *hominis;* C om. *enim.* [o] C *participat.* [p] R add. *intelligi.* [q] S *viro.*

1 Quaest. 50, n. 3 (PL 40, 33).
2 II Cor. 4, 16.
3 Lombardi, in h. l. (PL 192, 34).
4 Cf. *De div. quaest. 83,* q. 50, n. 3 (PL 40, 33).
5 Cf. *Moral.,* XXIV, c. 21 (PL 76, 314); *Dialog.,* IV, c. 4 (PL 77, 325).
6 Colos. 3, 9.
7 Lombardi, in h. l. (PL 192, 35), ex Augustino, *De Trinit.,* XII, c. 1, n. 1 (PL 42, 997).
8 Cf. supra, hic sub I et p. 413, *ad 2.*
9 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1634 sq.).
10 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 24, cc. 9-12 (p. 424 sqq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 24, p. 2, a. 2, q. 2 (II, 579 sq.) et a. 3, qq. 1 et 2 (II, 582 sqq.).
11 Cap. 12 (p. 427).

« Non omne veniale peccatum geritur secundum rationem, illud scilicet quod in solo motu sensualitatis existit ».

b. Praeterea, ad Eph. 4, 26: *Irascimini et nolite peccare* [a], Glossa[1]: « Surgit motus animi, qui iam propter poenam peccati non est in potestate nostra: non [b] ei consentiat ratio; permittit Apostolus irasci, quod est humana tentatio ». Et loquitur de ira primo motu; sed iste primus motus est in sensualitate; ergo in sensualitate est peccatum. — Quod enim sit in sensualitate, arguitur sic: Aut enim est in sensualitate aut in ratione; sed non in ratione, cum non consentiat ratio; ergo est [c] in sensualitate.

Contra: 1. Virtus et peccatum, meritum et demeritum nata sunt fieri circa idem[2]; sed virtus vel meritum non est natum fieri in sensualitate; ergo nec peccatum natum est fieri in sensualitate.

2. Praeterea, definitio peccati est[3]: « Dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei »; sed secundum hanc rationem non est natum esse in sensualitate; ergo non est ibi peccatum.

3. Item, sensualitas aliquo modo est communis nobis et brutis; sed peccatum nullatenus est commune nobis et ipsis; ergo peccatum non est in sensualitate. — Praeterea, omne peccatum est voluntarium, quod « si non est voluntarium, non est peccatum[4] »; sed quod est voluntarium, est [d] voluntatis, voluntas autem est in ratione[5], ratio vero dividit [e] contra sensualitatem; ergo peccatum nullum [f] erit in sensualitate; ergo sensualitas non erit subiectum peccati.

4. Item, cuius potentiae est conservare rectitudinem actus, eius est deficere a rectitudine actus; sed sensualitatis non est conservare rectitudinem actus; ergo nec deficere a rectitudine actus [g]; sed peccatum est ex defectu rectitudinis in actu; ergo peccatum non est in sensualitate.

[Solutio]: Ad quod dicendum [h] quod peccatum dicitur esse in aliquo dupliciter: vel originaliter vel subiective[6]. Si originaliter, secundum hoc est peccatum solum in ratione motiva sive voluntate. Si vero subiective, aut est peccatum mortale aut veniale. Si mortale, iterum est in rationali voluntate; si vero est veniale, aut est in ratione aut in potentia ordinata ad rationem [i]. Potentia autem ordinata ad rationem [k] est antecedenter aut consequenter. Si ergo est in ratione aut in potentia ordinata consequenter, tunc est veniale peccatum dictum simpliciter. Si vero in potentia ordinata antecedenter, aut est antecedenter ex parte cognitionis aut ex parte motivae. Si ex parte cognitionis, tunc non est in ea peccatum prout huiusmodi. Si vero antecedenter est ordinata ex parte motivae, et hoc in poenam peccati primi, secundum hoc est [l] peccatum in sensualitate: ex poena enim primi peccati factum est ut sensualitas, quae erat obediens omnino rationi, facta sit [m] rationi repugnans, et quae movebatur a ratione, nunc movet rationem inordinate, quantum est de se, cum ipsa mota est [n] inordinate. Sic ergo in sensualitate est peccatum veniale, non mortale, et veniale secundum alteram rationem quam illud quod habet secundum [o] rationem vel potentiam consequentem.

Ad obiecta autem respondendum est: 1. Ad primum [p] quod aliter est de virtute et de [q] vitio, nisi dicamus de peccato et vitio quod contrariatur virtuti. Si enim sumatur vitium vel peccatum quod contrariatur, secundum hoc, in qua vi potest [r] esse virtus ut in subiecto in nobis, in illa est vitium vel peccatum. Si vero sumatur peccatum quod non contrariatur, tunc non est simile de virtute et peccato, quia virtus venit a parte superiori et habet subiectum partem illam in qua est similitudo Dei, peccatum vero venit ab appetitu inordinato hominis, et ideo quantum extenditur appetitus inordinatus hominis, in tantum extenditur peccatum.

2. Ad secundum dicendum [s] quod illa definitio peccati: « Peccatum est dictum vel factum » etc. est mortalis peccati [t]; tale autem non fit nisi in rationali appetitu. Si vero dicatur actus incidens ex defectu boni, bene potest convenire peccato quod est in sensualitate; vel si [u] dicatur[7]: « Peccatum est conversio indebita ad commutabile bonum ».

3. Ad tertium dicendum est quod sensualitas, prout in ea est motus qui est peccatum, non est communis nobis et brutis, sed est [v] appropriata homini.

4. Ad quartum dicendum quod 'deficere a rectitudine' dicitur dupliciter: vel quia origo deficiendi fuit ex illa vi vel quia defectus [x] rectitudinis in alia per prius et [y] posterius defectum habet rectitudinis. Si primo modo sumatur, secundum hoc, cuius est potestas conservandi rectitudinem, scilicet rationis, eius est potestas deficiendi a rectitudine, et sic non convenit sensualitati defectus

---

[a] C add. *etc.* [b] R add. *enim;* S *enim* pro *et.* [c] Z om. [d] V om. *peccatum... est.* [e] R *dividitur.* [f] T om. [g] R om. *ergo... actus.* [h] Ita V, alii add. *est.* [i] RZ *rationalem,* quod LC corr. [k] RLCZ add. *aut.* [l] T om. [m] C add. *et.* [n] V om. [o] Codd. *subiectum;* R *quod* pro *quam.* [p] Ita V, alii om. *e. a. p.* [q] R om. [r] T om. [s] Ita V, alii *vero dicendum est.* [t] T add. *etc.* [u] Ita Z add. interl., alii om. [v] RLCZ om. [x] T om. [y] VST *per.*

1 Lombardi, in h. l. (PL 192, 206).
2 Alludit ad Aristot., *Metaph.*, III, c. 5 (II, 508).
3 Augustin., *Contra Faustum*, XXII, c. 27 (PL 42, 418).
4 Cf. Augustin., *De vera relig.*, c. 14, n. 27 (PL 34, 133).
5 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, VI, c. 2 (II, 67); *De anima*, III, c. 10 (III, 472).
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 41, a. 2, q. 2 (II, 950 sqq.).
7 Cf. Augustin., *De lib. arbit.*, II, c. 19, n. 53 (PL 32, 1269).

rectitudinis: non enim ex se originaliter habuit. Si vero intelligatur de defectu rectitudinis per consequens, secundum hoc sensualitas deficit a rectitudine, non tamen habet potestatem conservandi rectitudinem.

II. Occasione praedictorum quaeritur propter quid, si sensualitas sit vis motiva ipsius partis sensibilis, philosophi non pervenerunt ad notitiam istius potentiae, quemadmodum pervenerunt ad notitiam phantasiae vel concupiscibilis vel [a] irascibilis.

[Solutio]: Ad quod dicendum [1] quod propter hoc non pervenerunt ad notitiam ipsius, quia ipsa determinatur, non secundum esse illud quod commune est nobis et brutis, sicut consideraverunt philosophi partem sensibilem, nec secundum esse illud quod suadibile est ratione, sicut se habent concupiscibilis et irascibilis, sed secundum quod rebellionem habet contra rationem ex poena peccati originalis. Cum ergo philosophi non pervenissent ad cognitionem peccati originalis, per consequens nec pervenerunt ad notitiam poenae [b] consequentis, ergo nec motus illius inordinati in quantum est poena, ergo nec sensualitatis, in qua est radix ipsius vel origo. Ipsa tamen forte secundum esse alterum est idem quod appetitiva irrationalis mota a phantasia.

MEMBRUM II.

De vi sensibili motiva quae est suadibilis ratione.

Consequenter dicendum est [c] de motivis irrationalibus [d] quae quodam modo suadibiles sunt ratione, sicut dicit Damascenus [2]; hae autem sunt concupiscibilis [e] et irascibilis. In se tamen agunt secundum impetum; cum autem [f] adest deliberatio rationis, sequuntur in suis actibus motum rationis.

Potest ergo quaeri I. penes quid hae duae vires distinguantur.

Videtur enim, 1. secundum Damascenum [3], quod distinguantur [g] secundum bonum et malum, ut concupiscibilis determinetur penes bonum, irascibilis penes malum: duae enim [h] affectiones, scilicet concupiscentia et laetitia, sunt ipsius concupiscibilis secundum praesentiam boni vel absentiam vel expectationem; aliae vero duae, scilicet timor et tristitia, ipsius irascibilis secundum [i] praesens malum vel futurum sive expectatum.

2. Hoc etiam videtur per hoc quod dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [4]: « Vi [k] concupiscibilitatis eligit et natura irascibilitatis reprobat »; eligere autem et reprobare sunt respectu boni et mali.

Sed contrarium apparet 3. ex hoc quod contrariae affectiones natae sunt fieri in eadem vi. Laetitia autem et dolor sunt contrariae affectiones; ergo in eadem vi natae [l] sunt esse; sed laetitia est in concupiscibili; ergo dolor. Similiter potest obici de timore et confidentia, ut dicantur simul fieri in irascibili.

4. Item, sicut dicit [m] Ioannes Damascenus [5]: « Ira est id quod est audax animae, vindex concupiscentiae ». Ergo ad irascibilem [n] pertinet audere et insurgere in nocivum concupiscentiae; erit ergo irascibilis distincta a concupiscibili, non secundum bonum et malum, sed secundum differens bonum, et ita secundum differentem appetitum; alius est enim appetitus concupiscibilis et irascibilis: concupiscibilis enim appetit delectabile secundum partem sensibilem, ira [o] vero est desiderium vindictae.

5. Praeterea, sicut dicit Philosophus [6], tria sunt in appetibilibus: bonum, conferens, delectabile; tria opposita in fugis. Si ergo [p] concupiscibilis est respectu delectabilis, irascibilis respectu cuius erit? Non videtur esse respectu boni: bonum enim dicitur honestum; honestum autem non movet nisi partem rationalem; ergo non est de iis quae sunt motiva concupiscibilis vel irascibilis, prout hic loquimur de illis. Similiter conferens dicitur quod ordinat vel confert ad honestum. Ergo irascibilis, prout est communis nobis et brutis, erit circa delectabile; oportet ergo dividere delectabile per duas species differentes, aut concupiscibilis et irascibilis non erunt duae vires, sed una.

---

[a] Ita VZ, alii *et*. [b] T om. [c] V om. [d] STLZ *irrationabilibus*. [e] L add. *vel;* LC om. *sunt*. [f] Ita R, alii om. [g] L om. *videtur... distinguantur*. [h] C *autem*. [i] C *propter*. [k] V *vis*. [l] V *innate* pro *v. n.* [m] Ita V, alii *innuit*. [n] L *iras*, Z *irascibile*. [o] V *irascibilis*. [p] V *refugit. Si vero* pro *i. f. S. e.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 2, d. 3 (II, 587 sq.).
2 Cf. *De fide orthod.*, II, c. 12 (PG 94, 927).
3 Loc. cit. (PG 94, 930).
4 Cap. 14 (inter opp. Augustini PL 40, 790).
5 Loc. cit., c. 16 (PG 94, 934).
6 Cf. *Ethica ad Nicom.*, II, c. 5 (II, 18).

II. Deinde ostenditur quod hae vires, prout loquitur Damascenus, non sunt[a] partis sensibilis, sed rationalis.

Quod videtur ostendi ex huiusmodi affectionibus: *a.* Nam laetitiam dividit[1] per animalem et corporalem, animalem vero dicit quae est « circa disciplinam et contemplationem »; sed talis non potest convenire parti sensibili, sed rationali; ergo concupiscibilis, cuius est haec affectio, non erit partis sensibilis, sed rationalis.

b. Similiter, obicitur de tristitia[2]: Invidia enim et misericordia sunt affectiones partis rationalis, quae sunt species tristitiae; similiter erubescentia et verecundia, quae sunt species timoris; eodem modo mania et cotus[3], quae sunt species irae. Restat ergo quod concupiscibilis et irascibilis non erunt irrationalis partis, sed rationalis, prout de ea ibi agitur.

Contrarium autem habetur in ipsa divisione: 1. Dicit[4] enim quod irrationale quoddam est non obediens rationi, ut pulsatile, quoddam est obediens rationi, ut concupiscibile et irascibile.

2. Praeterea, quo modo dicuntur hae vires contineri sub irrationali obedienti rationi? cum videamus has non sequi rationem, sed ratione nolente irascimur[b] et contristamur, secundum quod dicit Apostolus[5]: *Quod nolo, hoc ago;* non ergo dicitur essentialiter contineri sub irrationali[c] obedienti rationi.

[Solutio]: I. Ad quod dicendum[6] quod irascibilis et concupiscibilis tripliciter accipiuntur et secundum hoc tripliciter distinguuntur: uno modo secundum appetitum boni et fugam mali, et secundum hoc[d] bonum et malum distinguunt concupiscibilem et irascibilem; alio modo distinguuntur secundum differentem appetitum, ut concupiscibilis sit secundum appetitum delectabilis, irascibilis vero secundum appetitum ardui sive honorabilis; tertio modo secundum bonum in praesenti cum suo opposito et[e] bonum in futuro cum suo opposito. Primo modo gaudium et concupiscentia, quae dicunt appetitum respectu boni in praesenti vel[f] in futuro, ad concupiscibilem pertinent[g], dolor autem et timor, qui[h] consistunt in fuga mali in praesenti vel in futuro, ad irascibilem[i]: et hoc modo possunt accipi, cum quatuor affectiones distinguuntur a philosophis secundum voluntatem et noluntatem: hoc enim idem quod secundum appetitum et fugam. Secundo vero modo accipiuntur[k] hae duae vires prout eis respondent cardinales virtutes, scilicet temperantia et fortitudo: nam temperantia est respectu delectabilium, fortitudo vero in appetitu arduorum sive honorabilium, licet tristia[l] vel indelectabilia reputentur. Tertio vero modo accipiuntur prout dolor et gaudium dicuntur esse in concupiscibili, spes vero et metus in irascibili. Hoc modo etiam distinguit Damascenus, delectationem et tristitiam dicens pertinere ad concupiscibilem, timorem vero et iram ad irascibilem.

[Ad obiecta]: 1-4. Per[m] hoc respondendum est ad obiecta. Nam primae rationes accipiuntur secundum hoc quod concupiscibilis et irascibilis respiciunt distincte bonum et malum. Sequens vero ratio, scilicet tertia, respicit concupiscibilem prout respicit bonum et malum in praesenti, irascibilis vero[n] quod est in futuro bonum vel[o] malum. Quarta vero respicit secundum quod habent diversa genera appetibilium.

5. Ad quintum[p] dicendum quod illa divisio appetibilium comprehendit generaliter illa quae sunt[q] appetibilia a voluntate secundum quod voluntas est motus rationis. Nunc autem non agimus hic nisi de appetitu sensibili[r]: unde non secundum illas differentias accipietur virium differentia.

II. Ad id vero quod quaeritur utrum hae debeant dici partes partis sensibilis[s] aut rationalis: respondeo quod secundum quod continent affectionem delectationis intellectualis, quae est sub animali, prout animalis dicitur esse « circa disciplinam et[t] contemplationem », secundum Damascenum[7], et affectionem misericordiae et huiusmodi, et[u] quarumdam specierum timoris et irae, ad partem rationalem reducuntur vel erunt istae affectiones mixtae ex parte rationali et[v] sensuali. Ioannes autem Damascenus, licet loquatur de irrationali parte, loquitur tamen de ea prout est obediens rationi et movetur aliquando secundum rationem rectam, aliquando secundum non rectam, aliquando secundum se ipsam.

---

[a] RLC *sint.* [b] V *irascimini.* [c] Codd. *rationali.* [d] C *hoc modo* pro *s. h.* [e] ST om. [f] L om. [g] L *pertinet,* Z *pertinens.* [h] Z *que.* [i] V om. *pertinent... irascibilem.* [k] R *accipiunt,* quod L corr. [l] VSTLZ *tristitia.* [m] C *propter.* [n] T om. [o] L *et.* [p] Ita V, alii add. *vero.* [q] T om. [r] Ita V, alii *sensuali.* [s] LCZ om.; V om. *partis.* [t] L om. [u] T om. [v] V *ex.*

1 Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 13 (PG 94, 930).
2 De sequentibus in hoc argumento, cf. Damasc., loc. cit., cc. 14-16 (PG 94, 931 sq.).
3 Graece κότος, id est *furor.*
4 Damasc., loc. cit., c. 12 (PG 94, 927).
5 Rom. 7, 19.
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, qq. 1 et 3 et d. 25, p. 1, a. 1, q. 6, *ad 2* (II, 560 sqq., 605).
7 Cf. supra, nota 1.

QUAESTIO III.

DE VI RATIONALI.

TITULUS I.

DE VI RATIONALI COGNITIVA.

Completo tractatu de parte sensibili cognitiva et motiva, sequitur de parte rationali cognitiva et motiva.

Pars vero cognitiva dividitur, sicut habetur in libro *De anima et spiritu* [1], in rationem, intellectum et intelligentiam.

Secundum Ioannem Damascenum [2] dividitur in [a] intellectum, mentem et opinionem: has enim enumerat cognitivas praeter sensum et imaginationem. Unde dicit [3] quod « per sensum animae constituitur passio quae dicitur imaginatio, ex imaginatione vero fit opinio, deinde mens diiudicans opinionem, sive vera sit sive falsa, iudicat veritatem: unde mens a metiendo et excogitando et iudicando dicitur; quod autem diiudicatum [b] et determinatum est, recte dicitur intellectus ».

Philosophus [4] vero dividit in [c] intellectum materialem [d], qui cognoscit species in phantasmatibus, et intellectum possibilem separabilem, qui cognoscit species abstractas, et intellectum agentem.

Augustinus videtur aliter ponere differentias, in libro *De anima et spiritu* [e 5], cum dicit: ingenium, memoriam, rationem, intelligentiam. Dicit enim [f 6] quod « ingenium investigat, ratio iudicat, memoria servat, intelligentia comprehendit ».

Potest ergo quaeri, cum [g] iis modis sumatur divisio virium cognitivarum rationabilium:

Quae sit comparatio divisionis ad divisionem, utrum accipiatur secundum unum modum an differentem;

secundo, si accipiatur secundum differentem, utrum sit ordo divisionis ad divisionem;

tertio, secundum quid accipiantur membra singularum [h] divisionum;

quarto, quis sit [i] ordo differentiarum;

quinto, utrum aliqua vis rationalis utatur organo aut [k] nulla indigeat organo.

MEMBRUM I.

De comparatione harum divisionum.

368

CAPUT I.

UTRUM QUADRUPLEX ILLA DIVISIO SUMATUR SECUNDUM UNUM MODUM [7].

Circa primum sic obicitur: I. 1. Cum intellectus communiter accipiatur in divisione Augustini et Damasceni, mens etiam videatur idem quod intelligentia, eo quod dicit Augustinus [8]: « Mens est supremum in anima »; quod etiam videtur per hoc quod dicit Augustinus,

---

[a] LC om. [b] L *diiudicant*, R (corr.) *diiudicat*. [c] Ita LC interl., alii om. [d] LCZ (correcti) *immaterialem*. [e] L om. *e. s.* [f] V *deinde dicit* pro *d. e.* [g] LC *in*, quod RZ corr. [h] STR *singularium*, quod LCZ corr. [i] Ita V, alii om. [k] Ita V, alii *an*.

1 Capp. 4 et 11 (inter opp. Augustini PL 40, 782, 787).
2 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 942).
3 Loc. cit.
4 Aristot., *De anima*, III, c. 5 (III, 468).
5 Cap. 11 (PL 40, 787).
6 Loc. cit.
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 2, q. 1 (II, 88 sqq.); *Itiner.*, c. 1, nn. 4-7 (V, 297).
8 Cf. *De spiritu et anima*, c. 34 (PL 40, 803); *Epist. 147, Ad Paulinam, De videndo Deo*, c. 18 (PL 33, 617); *De Trinit.*, XV, c. 7, n. 11 (PL 42, 1065).

in libro *De Trinitate*[1], quod mens est prima vis earum quae pertinent ad imaginem[a] Trinitatis: erit ergo ratio idem quod opinio.

Sed contra hoc est *a.* quod Augustinus[2] ita ponit differentias: rationis, intellectus, intelligentiae, ut ratio comprehendat corporum naturas, intellectus spiritum creatum, intelligentia spiritum increatum; quare actus[b] intellectus est post actum rationis et ante actum intelligentiae. Sed, secundum Ioannem Damascenum[3], actus mentis est post opinionem et ante intellectum: « ex imaginatione enim fit[c] opinio », mens vero diiudicat de opinione et tandem pervenit ad intellectum veritatis; prius enim est accipere alteram partem cum formidine, deinde amplius diiudicare, ut[d] tandem cognoscatur veritas, qua fiat[e] quietatio intellectus.

b. Praeterea, divisio Augustini[f] videtur esse secundum differentias formarum intelligibilium sine compositione vel complexione, divisio vero Ioannis Damasceni secundum differentias earum[g] in quantum cum compositione vel complexione accipiuntur; ergo neutra est ad alteram reducibilis. Si enim acciperetur secundum differentias rerum, non essent nisi duae vires, scilicet rerum[h] possibilium aliter fieri, hoc est contingentium, et rerum necessariarum: et ita non esset nisi opinio et intellectus qui scientialiter[i] res cognosceret; quod cum non sit — additur enim mens, quae est diiudicativa — ex quo accipitur quod non secundum differentias rerum cognoscibilium accipiatur divisio Damasceni.

II. Praeterea, potest quaeri de comparatione divisionis Philosophi ad divisionem Augustini et Damasceni.

1. Videtur enim ponere tantum intellectum potentiam[k] cognoscitivam, et hoc sub tribus differentiis, et ita ratio et intelligentia supervacuae essent in divisione Augustini.

2. Si vero diceret quis quod intellectus sub iis tribus differentiis respondet tribus differentiis virium quae ponuntur ab Augustino, hoc non est verum. Nam illae tres[l] differentiae, quas ponit Augustinus, distinguuntur secundum intelligibilia differentia in[m] nobilitate maiori vel minori: nobilius enim est intelligibile increatum quam creatum, intelligibile vero creatum separatum a formis corporalibus quam illud quod est in corporibus. Differentiae vero positae a Philosopho attenduntur secundum differentias omnium ad abstractionem pertinentium: est enim vis habens ea a[n] quibus fit abstractio et est vis abstrahens et est vis formas abstractas comprehendens, et ita differentiae intelligibilium, assignatorum a Philosopho, attenduntur secundum comparationem ad formas abstractibiles, differentia vero Augustini ad formas has et alias; non ergo secundum unum modum accipiuntur.

III. Deinde quaeritur de comparatione divisionis quam facit Philosophus, respectu illius quam facit Damascenus: intellectus enim videtur esse communis. Sed quaeritur quis intellectus divisionis Philosophi respondeat.

Videtur enim quod nullus: Nam unusquisque est circa formas intelligibiles sine complexione consideratas; sed intellectus, de quo loquitur, est circa formas intelligibiles[o] in complexione; non est ergo aliquis illorum intelligibilium.

IV. Similiter, quaeritur de quarta divisione sive comparatione eorum[p] quae sunt ingenium, ratio[q], memoria et[r] intelligentia, qualiter se habeat ad primam divisionem, cum duo membra primae divisionis ibi ponantur, scilicet ratio et intelligentia, tertium vero, scilicet intellectus, non ibi ponatur aut, si intelligentia ponitur ibi pro intellectu, tunc deest tertium, scilicet intelligentia. — Praeterea, in hac divisione ponitur vis retentiva, scilicet memoria, quae non fuit posita in primis divisionibus; similiter ingenium in nulla supra dicta divisione ponebatur.

Ponuntur autem aliae differentiae a Damasceno[4], scilicet[s] intelligentia, intentio, excogitatio, phronesis[t]; sed haec suo loco dicentur[5], ubi agetur de differentiis actuum quae ponuntur in[u] intellectu possibili[v] secundum Philosophum.

[Solutio]: Dicamus ergo ad intelligentiam supra dictarum divisionum quod attenditur divisio rationalis cognitivae[x] secundum respectum ad veritatem in formis intelligibilibus sine complexione entibus et secundum respectum ad veritatem in complexionibus vel compositionibus formarum intelligibilium. Secundum primum modum accipiuntur duae divisiones: illa, scilicet prima Augustini et illa quae est[y] Philosophi. Sed in hoc differunt quod illa quae est Augustini accipitur secundum differentias formarum intelligibilium

---

[a] V *imaginationem.* [b] T om. [c] Z *est.* [d] Z *et.* [e] L *fiet.* [f] V *dicit Augustinus* pro *d. A.* [g] V *eorum.* [h] T om. *non... rerum;* R om. *scilicet.* [i] V *seminaliter.* [k] R add. *differentiam.* [l] TC om. [m] Z om. [n] L om. [o] Ita V, alii *formam intelligibilem* pro *f. i.* [p] Ita V, ST *comparatione* pro *s. c. e.*, quod RLCZ om. [q] L om. [r] V om. [s] ST *si.* [t] RL *frenesis.* [u] ST om. [v] V *potentiali.* [x] T *cognoscitive.* [y] R om.

1 Lib. XIV, c. 8 (PL 42, 1044); cf. supra, num. 340 sq.
2 Cf. *De spiritu et anima*, c. 11 (PL 40, 787); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 28a, *Respondeo.*
3 Cf. *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 942).
4 Cf. loc. cit. (PG 94, 943).
5 Cf. infra, num. 380.

simplicium, illa vero quae est[a] Philosophi accipitur secundum modum perveniendi ad cognitionem illarum formarum intelligibilium quae veniunt ad intellectum per abstractionem a phantasmate sensibili. Unde principaliter sistit circa ea quae sunt rationis, nihilominus tamen per ea[b] pervenit ad cognitionem quamdam eorum quae sunt in intellectu et intelligentia. Cum enim tres sint differentiae formarum intelligibilium, increata, creata, separata a conditionibus corporis et ita a conditionibus sensibilibus, et illa, quae est abstracta a conditionibus sensibilibus sive corporeis, licet inveniatur cum illis, divisio Philosophi, quae est secundum triplicem intellectum, materialem, possibilem[c] et agentem, respicit proprie formas intelligibiles abstractibiles a conditionibus sensibilibus, et ita sistit[d] circa ea quae sunt rationis. Aliae vero divisiones respiciunt veritatem formarum intelligibilium in complexione entium, sed in hoc differunt quod una accipitur secundum acceptionem perfectam et imperfectam ex parte cognoscibilis: est enim accipere verum cum quadam admixtione falsitatis, et sic dicitur opinio, vel cum discretione veritatis a falsitate, et sic est mentis, vel[e] cum certitudine veritatis, et sic dicitur intellectus. Altera[f] vero accipitur secundum progressum actuum ex parte cognoscitivi: primo enim[g] inquirit veritatem, secundo diiudicat, tertio diiudicatum servat, quarto servatum plene comprehendit. Vel secundum alium ordinem comprehensio praecedit actum memoriae: primo enim est motus ad quaerendam veritatem et dicitur inquisitio; secundo[h], discussio, et haec fit a ratione; tertio[i], in memoria fit rationis discussae retentio[k]; quarto, ipsius veritatis certitudo. Sic differunt inter se supra dictae divisiones.

[Ad obiecta]: Ex iam dictis patet qualiter respondendum est ad obiecta.

I. 1. Ad primum[l], quod intellectus in divisione Augustini non est secundum eumdem modum acceptus secundum quem in divisione Ioannis Damasceni. Nam intellectus, secundum Augustinum, est vis cognoscitiva formarum creatarum[m] separatarum ut sine complexione; intellectus autem, secundum Ioannem Damascenum, in quantum cognoscitur veritas determinata in complexionibus ex iudicio mentis praeambulo. — Similiter nec mens utrobique similiter accipitur. Nam non est mens secundum Ioannem Damascenum idem quod mens secundum Augustinum, supremum in anima, sed est vis diiudicans ad discernendum veritatem a falsitate. Unde non est idem quod intelligentia, quae est, secundum Augustinum[1], vis suprema extendens se ad Dei contemplationem. Nec[n] opinio est idem[o] quod ratio; nihilominus tamen secundum quod ratio attingit complexiones, sic dicitur opinio esse in ratione. Et hoc modo accipit Philosophus[2] rationem, dicens quod in ratione est opinio et scientia; sed[p] opinio est acceptio possibilium aliter se habere[3], ratio vero, secundum primam divisionem Augustini, est vis quae attingit per cognitionem formas abstractas a[q] corporibus et corporum accidentibus.

II. 1-2. Ad aliud quod obicitur de divisione Philosophi respectu divisionis primae quam ponit Augustinus, dicendum quod non similiter accipitur in utraque divisione. Nam abstractio non currit secundum formas secundum se abstractas, sicut est forma intelligentiae angelicae, vel circa formas scientiarum aut virtutum quae sunt in anima, sed circa formas intelligibiles abstractibiles. Et propter hoc, cum intellectus[r] in divisione Augustini accipiatur circa formas secundum se abstractas, in divisione vero Philosophi circa formas abstractibiles, patet quod non similiter accipitur intellectus utrobique. Intellectus autem agens duplicem habet actum: habet enim unum actum respectu formarum[s] abstrahendarum, et ille est abstrahere; habet[t] alium actum respectu formarum secundum se sive separatarum, secundum quod dicit Philosophus[4] quod in iis quae sunt sine materia idem est intellectus et id quod intelligitur, in habentibus autem materiam potentia est unumquodque intelligibilium; identitas autem non dicitur per essentiam, sed quia[u] istae non indigent abstractione ad hoc ut intelligantur, aliae vero indigent. In divisione ergo Augustini ratio continebat intellectum materialem et intellectum possibilem[v] prout cognoscunt formas intelligibiles vel in phantasmatibus vel a phantasmatibus[x] acceptas; intellectus vero possibilis nihilominus recipiet cognitionem ab agente a parte altera, scilicet formarum intelligibilium separatarum.

III. Ad id vero quod obicitur de comparatione divisionis Philosophi ad divisionem Damasceni, dicendum quod nullum membrum unius

---

[a] L om.; R om. *q. e.* [b] T om. *p. e.* [c] C *potentialem;* V *actualem* pro *agentem.* [d] T om. [e] S *et.* [f] Z *alia.* [g] T om. [h] R *secunda.* [i] S *tertia.* [k] LC *intentio,* quod RZ corr. [l] Ita V, alii om. *A. p.* [m] V *creaturarum.* [n] Ita Z (corr.), alii *et.* [o] Ita V, alii om. [p] T *et.* [q] L *in.* [r] T add. *etiam.* [s] T add. *abstractarum vel.* [t] VST *hunc.* [u] ST *quod.* [v] VT *potentialem.* [x] V om. *v. a. p.*, in L est add. mg.

1 Cf. *De spiritu et anima* (PL 40, 787).
2 Cf. *De anima,* III, c. 2 (III, 466).
3 Cf. Aristot., *Anal. poster.*, I, c. 33 (I, 152).
4 *De anima,* III, c. 4 (III, 468).

divisionis est idem cum membro alterius, sed cum intellectus possibilis, de quo loquitur Philosophus, accipit formas simplices abstractas a phantasmatibus, tunc incipiunt coniunctiones illarum formarum fieri et iudicia illarum coniunctionum sive complexionum fiunt, et tunc primo habet locum divisio quam facit Ioannes Damascenus.

IV. Ad id vero quod obicitur de quarta divisione quam ponit Augustinus de ingenio et aliis, dicendum [a] quod actus harum fundantur similiter super complexionem, ut ingenium sit secundum quod intellectus possibilis decurrit ab incognitis ad aliqua cognoscenda, et hoc est posse in eligendo verum et fugiendo falsum; ratio vero, quae collativa est per rationes mediorum adductas, est diiudicativa veritatis ex illis rationibus. Si vero non figerentur [b] huiusmodi rationes apud intelligentiam, non esset firma comprehensio veritatis, et ideo memoria servat, intelligentia comprehendit. Sed non dicitur hic intelligentia eodem modo quo dicitur in prima divisione Augustini, cum hic accipiatur circa complexam veritatem, ibi vero circa incomplexam et summam veritatem. Nomen ergo intelligentiae aliquando [c] accipitur communiter pro vi cognoscitiva omnium formarum intelligibilium sine complexione, et sic dicitur a Philosopho [1]: « Omnium indivisibilium est intelligentia, circa quae non est falsum [d]; in quibus vero verum et falsum, compositio quaedam est intellectuum ». Alio vero modo accipitur pro vi [e] cognoscitiva formae intelligibilis increatae et summae, et sic accipit Augustinus in prima divisione. Aliquando vero accipitur pro vi comprehensiva [f] veritatis complexae, cum certa determinatione [g] veritatis, et sic accipitur in secunda divisione Augustini, et sic se habet ad opinionem, quae aliquando opinatur falsum, sicut scientia se habet ad opinionem: scientia enim accipit necessarium, opinio vero contingens, sive verum sive falsum.

CAPUT II. 369

QUIS SIT ORDO ISTARUM DIVISIONUM.

Consequenter quaerendum est [h] de ordine divisionum. Et primo quae sit prima divisio, ad quam aliae consequantur et [i] super quam quasi fundentur.

Constat autem quod divisiones virium cognitivarum, quae respiciunt formas intelligibiles sine complexione, sunt priores aliis [2]. Inter illas autem, cum divisio Augustini [3] attendatur quantum ad intelligibilia, prior erit divisione Philosophi, quae sumitur penes modum perveniendi ad cognitionem intelligibilium ex parte inferiori. Est enim duplex modus [k]: a parte inferiori mediante sensu et a parte superiori per illuminationem [l] sive [4] a principio datam, quae dicitur cognitio innata, alia dicitur acquisita sive ens subsequenter [5]. Unde quod dicitur [6] intellectus possibilis tabula nuda et anima rationalis ratione illius, hoc intelligitur ratione illius cognitionis intelligibilium quam accipit inferior sensus: ex illa enim parte fit [m] investigatio philosophica; secundum illam autem accipitur divisio intellectivae partis cognitivae per intellectum materialem et possibilem [n] separabilem et agentem. Reliquae vero duae divisiones decurrunt super formas intelligibiles in complexione existentes et aliae quae infra [7] dicentur.

MEMBRUM II.

De singulis divisionibus et earum differentiis.

CAPUT I. 370

DE PRIMA DIVISIONE AUGUSTINI: RATIO, INTELLECTUS, INTELLIGENTIA [8].

Dicendum est ergo de divisione quam ponit Augustinus et patet ex iam dictis ratio divisionis penes quid accipiatur. Sed potest quaeri, I. cum ex parte sensibilis est [o] retentiva sensibilium, quare non assignetur ex parte intelligibilium retentiva, aut si est assignata, ubi assignatur.

---

[a] Ita V, alii add. *est*. [b] Z *signentur*. [c] RLCZ om.; ST om. *ergo*. [d] T *factum*. [e] V *in*. [f] RLCZ *apprehensiva*. [g] V *definitione*. [h] S om. [i] LC *ut*. [k] RLCZ *motus*. [l] T *illusionem*. [m] Codd. *fuit*. [n] T *potentialem*. [o] Ita C, alii *esset*.

1 *De anima*, III, c. 5 (III, 468).
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 2 (II, 564).
3 Cf. supra, p. 446, nota 1 et p. 448, II.
4 Subaudi *lucem*.
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 43b, *Solutio*.
6 Cf. Aristot., loc. cit., c. 4 (III, 468).
7 Cf. infra, num. 376-379.
8 Cf. supra, p. 446, nota 1.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod, licet in praedicta divisione trimembri non ponatur vis retentiva [a], scilicet memoria, nihilominus alibi [1], cum comparat has vires animae, ponit memoriam post rationem et deinde intellectum et intelligentiam; per quod innuit quod [b] eadem est in substantia cognitiva intelligibilium et memorativa intelligibilium [c]; ideo in prima divisione trimembri non enumerabatur.

II. Sed adhuc restat quaestio quare magis distinguatur memorativa sensibilis tamquam potentia quam intelligibilis.

[Solutio]: Responderi potest [d] quod memorativa sensibilis utitur organo et habet aliud organum quam cognitiva sensibilis. Nam oportet organum aliter disponi ad recipiendum et aliter ad retinendum. Ad recipiendum enim [e] humidum est conveniens, ad retinendum vero siccum: siccum enim bene retinet quod imprimitur [2], et ideo vis, quae est proportionalis organo, differens est, ut sicut organa distinguuntur secundum [f] debitam proportionem et determinatam ad recipiendum et retinendum, ita et vires [g]. In parte vero intelligibili, quae [h] quantum est de se non utitur organo, non est necesse fieri hanc distinctionem, sed quae accipit intelligibilia, ea [i] conservat.

III. Adhuc etiam quaeritur, cum sint intelligibilia quaedam infra, quaedam iuxta, quaedam intra, quaedam supra, ut narrat Augustinus [3], quare non sunt quatuor differentiae virium, ut una sit vis respectu intelligibilium intra, sicut est triplex differentia respectu intelligibilium extra.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod divisio, quam facit Augustinus, est proprie respectu intelligibilium extra. Quod patet per hoc quod rationem ponit ipse [4] cognoscitivam naturarum, formarum, differentiarum, proprietatum et accidentium, sed non extra corpora nisi ratione [k] subsistentium; per quod [l] patet quod rationis est cognoscere ea quae sunt infra rationem: omnia enim quae spectant ad corpora sunt infra rationem. Intellectum vero ponit [5] cognoscitivum angelorum, daemonum, animarum et omnis spiritus creati; ex quo patet quod loquitur de intelligibilibus quae sunt iuxta animam rationalem. Cum autem dicitur [6] quod « intelligentia immediate supponitur Deo », loquitur de eo quod est supra animam rationalem. Ea vero quae sunt intra, sicut sunt scientiae et virtutes et quod ipsa anima se ipsam cognoscit, quia non est necesse similitudines alias ab intelligibilibus pervenire ad intellectum [m], ideo non computantur in vi separata, sed cognoscuntur a vi in qua nata sunt esse [7]. Cum enim anima ipsam scientiam vel artem habeat apud se, quae necessitas est habere similitudinem separatam ab intelligibili? Sed in aliis rebus intelligibilibus oportet habere similitudinem, qua intellectus iuvetur ad hoc quod intelligibile fiat actu intellectum [8].

CAPUT II.

DE DIVISIONE ARISTOTELIS.

371

ARTICULUS I.

De intellectu materiali.

Deinde quaeritur de secunda divisione, quam facit Philosophus [9], per intellectum in triplici differentia. Potest enim quaeri quae sit necessitas ponere intellectum materialem, qui habet species in phantasmatibus, qui dicitur a Philosopho [10] corrumpi quodam [n] interius corrupto, et dicitur alio nomine ratiocinativa: unde dicitur cellula logistica [11].

Videtur enim [o] quod sufficiat vis sensibilis quae recipit [p] phantasmata: 1. Si enim a phantasmatibus fit [q] abstractio specierum intelligibilium, non est necesse ponere aliam vim a phantastica, in qua sint ea a [r] quibus debeat fieri abstractio, et ita non est necesse ponere unam vim intellectivam. Sufficit ergo duplex differentia intellectus: agentis et possibilis. Hoc etiam videtur

---

[a] LC add. *in esse.* [b] SRLZ *quia.* [c] Z add. *et.* [d] T om. [e] S om. [f] T om. [g] V *virtutes.* [h] S *in.* [i] R *eaque.* [k] T *sed ratione nisi* pro *n. r.*; codd. *subsistentia* pro *subsistentium.* [l] V *hec.* [m] S add. *et.* [n] R *aliquo*, LCZ add. *modo*, quod R exp. [o] V om. [p] V *respicit.* [q] V *fiat.* [r] Ita R add. interl., alii om.

1 Cf. supra, p. 446, nota 5; S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 1, q. 1 (I, 80 sqq.).
2 Cf. supra, p. 433b.
3 Cf. *De anima et spiritu*, c. 12 (PL 40, 787).
4 Loc. cit., c. 11 (PL 40, 787).
5 Loc. cit.
6 Loc. cit.
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, a. 1, q. 2 (II, 904); *In Hexaëm.*, coll. 5, n. 24 (V, 358).
8 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 8 (III, 470).
9 Cf. supra, p. 446, nota 4.
10 *De anima*, I, c. 4 (III, 440).
11 Cf. supra, p. 423, nota 4.

Philosophus innuere, ponens duas tantum differentias: unam, qua est omnia facere, aliam, qua est [a] omnia fieri [1].

[Solutio]: Ad quod dicendum quod ille intellectus materialis, de quo loquitur Commentator [2], qui habet species in phantasmatibus, in hoc differt a phantasia quod phantasia habet phantasmata, non ut possibilia ulterius ad actum alicuius potentiae intellectivae [b]; sic enim est in brutis: bruta enim habent hanc vim tamquam perfectionem, non ut possibilem ulterius ad nobiliorem perfectionem. Unde, sicut sensus brutalis non dicitur universalis neque per se neque per accidens, sed solum singularis, sensus vero humanus est utriusque, scilicet universalis et singularis, ita contingit in vi interiori ut sit phantastica habens phantasmata secundum quod huiusmodi, non ut possibilia ad species abstrahendas ab intellectu; intellectus vero materialis habet species in phantasmatibus, quas possibile est abstrahi per intellectum agentem, ut uniantur cum possibili. Sic ergo necesse fuit ponere intellectum materialem. Et quia habet aliquam colligantiam ad corpus, dicitur a Philosopho corrumpi quodam interius corrupto, non quod eius sit secundum se corruptio, sed ratione actus.

ARTICULUS II. 372

De intellectu agente [3].

Consequenter dicendum est de ipso intellectu [c] agente et possibili.

I. Quae autem sit necessitas ponere has duas differentias, habetur a Philosopho [4]. 1. Dicit enim quod nihil educitur de potentia materiali in [d] actum, nisi per id quod est actu; sed intellectus possibilis dicitur possibilis in suo genere potentia materiali; non ergo educitur in actum nisi per id quod est [e] actu; illud autem est potentia agens; erunt ergo duae differentiae.

2. Praeterea, sensus [f] non se ipsum perficit in sentiendo, sed indiget luce interiori et exteriori; ergo nec intellectus similiter; erit ergo unum aliquid in anima quod est [g] per modum lucis, ut sicut lux potentia-colores facit actu sentiri, ita erit quid in anima quod potentia-intelligibilia perducet ad hoc ut actu intelligantur ab intellectu possibili [h 5].

II. Sed adhuc posset esse dubitatio utrum hoc agens esset intellectus. Sicut enim agens extra [i] ex parte sensus non est actu [k] sensus, sed [l] lux, sic videretur in intellectu.

Sed contra hoc est quod nihil potest educere formas intelligibiles de potentia in [m] actum nisi sit actu in illo genere: propter quod [n] abstrahens formas intelligibiles et uniens eas necesse est quod sit actu intellectus. Nec est simile de luce sensibili: sic enim se habet [o] ut educat colorem [p] qui erat in potentia, ut possit actu movere visum, quantum est ex parte sui, sed non dicitur agens respectu potentiae sensibilis animae. Unde non est necesse propter hoc agentem extra univocare cum sensu patiente; intellectus vero agens agit dupliciter: agit enim abstrahendo et cum possibili uniendo.

III. Sed adhuc dubitaret aliquis utrum sit separatus secundum substantiam ab anima an sit pars ipsius animae [6].

a. Quod si esset, tunc tota substantia [q] animae intellectivae quoad hoc esset in intellectu possibili. — Sed contra hoc est quod inconveniens est ponere partem intellectivam non sibi sufficientem ad intelligendum, cum intellectiva pars sit perfectior sensitiva et vegetativa; videmus autem vegetativam sibi sufficientem et sensitivam; multo fortius intellectiva secundum se habebit sufficientiam ad intelligendum.

Contrarium tamen [r] videbitur 1. propter hoc quod aliqua forma est intelligibilis quae est nobilior intellectu rationali, sicut sunt ea quae sunt in divinis; non ergo videtur habere pars intellectiva rationalis posse ad intelligendum illa [s] nisi per aliquid quod est extra illam; necesse est ergo, cum illud sit intellectus agens, ipsum esse separatum.

---

[a] V om.; S om. *omnia... fieri.* [b] R *intelligentie.* [c] Ita V, alii om. [d] C *ad*; V om. *materiali.* [e] S *in.* [f] L om., in R est add. interl., in Z add. mg. [g] Ita V, alii *erit.* [h] T *potentiali.* [i] L om. [k] RLZ *actus,* quod C corr. [l] Ita L (corr.) C, alii *scilicet.* [m] Ita V, alii *ad.* [n] RLCZ *hoc.* [o] V om. [p] Z *calorem,* quod RC corr. [q] Z add. *ipsius.* [r] T *vero.* [s] T *illam.*

1 Loc. cit., III, c. 4 (III, 468).
2 Averroes, *Metaph.*, III, text. 17-19 (VI, 169b sqq.).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 4 (II, 567 sqq.); IV *Sent.*, d. 50, p. 2, a. 1, q. 1 (IV, 1046a).
4 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 570).
5 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 5 (III, 468).
6 Cf. Rog. Baco, *Opus maius* (ed. Bridges, III, 45 sqq.); *Opus tertium*, c. 23 (ed. Brewer, 74 sqq.).

2. Si[a] forte diceretur quod solus intellectus possibilis est pars animae – contra hoc[b] sic obicitur: Proximius se habet intellectiva pars ad Primum quam sensitiva; sed in sensitiva[c] non ponitur aliqua differentia quae omnino habet possibilitatis et nihil est[d] actu; ergo nec in intellectiva est ponendum. Si ergo est ibi solum possibilis, erit ibi eadem potentia possibilis uno modo et alio modo agens. — Praeterea, de[e] intellectu angelico[1] patet quod non omnia quae fiunt cognoscit, sed respectu eorum quae nondum cognoscit dicitur possibilis; ad hoc autem quod[f] educatur de potentia in actum, non est necesse ponere aliam potentiam perficientem illam; erit ergo ipsa se ipsam perficiens; una ergo et eadem erit substantia intellectus possibilis et agens, sed ratione differens, ut dicatur possibilis in hoc quod nondum habet, agens in quantum sibi sufficit ad acquirendum. — Si forte dicatur[g] quod una et eadem differentia[h] sit intellectus agens et[i] possibilis, sed differens ratione – contra sic[k] obicitur: Nihil idem secundum eamdem partem est respectu eiusdem in actu et potentia simul[2]; cum ergo intellectus agens sit simpliciter actu illud respectu cuius intellectus possibilis est in potentia, necesse est intellectum agentem et possibilem non esse idem, vel, si sunt aliquo modo idem, erunt sic idem quod tamen erunt diversae partes eiusdem.

[Solutio]: Ad quod potest dici quod intellectus agens et intellectus possibilis sunt duae differentiae in anima rationali, quarum una, scilicet intellectus agens, est ex parte formae ipsius animae, secundum quod est spiritus, altera vero, scilicet possibilis, est ex parte suae materiae, qua est potentia ens respectu cognoscibilium quae fiunt in ea: et hoc a parte inferiori, qua fiunt[l] mediante sensu principaliter. Nec oportet ponere intellectum agentem separatum in substantia ab ipsa anima, sicut lux in sensu separata est in substantia ab ipso sensitivo. Est enim ipse spiritus in se habens lumen quoddam naturale, ratione cuius habet actum intelligibilium, a principio scilicet creationis, ex parte scilicet illa qua est substantia immaterialis secundum se[m] separata, licet ex alia parte corpori sit coniungibilis: non enim videtur quod ita condiderit animam rationalem ad imaginem suam quin ei dederit perfectionem aliquam respectu cognoscibilium. Ex illa vero parte qua habet hanc perfectionem cognoscibilium ad quamdam similitudinem Primi, ex illa est intellectus agens; quae pars, cum obviaverit formae intelligibili in phantasmate existenti, abstrahit eam ut sit actu intellecta, et ex illa parte qua nondum[n] habet anima illas formas intelligibiles, dicitur intellectus possibilis.

[Ad obiecta]: 1. Ad id vero quod obicitur quod aliqua intelligibilia sunt supra intellectum et ita oportet quod cognitio fiat per agentem qui est supra intellectum: dicendum[3] est quod[o] agens non dicitur esse actu, quia omnes formas a principio intelligit, sed ab agente primo illuminatur, et iam non respectu omnium, sed respectu[p] quarumdam formarum, et cum est illuminatus, perficit etiam possibilem[q] illo modo; unde non est necesse ponere agentem separatum quoad omnia intelligibilia cognoscenda.

2. Ad id vero quod obicitur inconveniens esse partem omnino possibilem in ipsa anima, quae[r] sit sicut tabula nuda, immo videatur sic esse sicut est[s] intelligentia angelica: dicendum[t] quod non est simile de parte intellectiva animae et[u] parte intellectiva angeli. Haec enim quae est in angelo, separata est a parte sensibili: unde non habet possibilem[v] nisi dicatur possibilis, id est receptibilis illuminationum a Summo[4], sed habet partem sibi[x] sufficientem ad cognoscendum ea quae nondum sunt cognita ab ea. Pars ergo intellectiva in anima quae coniuncta est parti sensibili, ex illa parte est possibilis et sufficientiam habet ex agente et viribus praeambulis sensibilibus, ut educatur de potentia ad[y] actum. Vires enim sensibiles praeparant formam intelligibilem ut sit conveniens abstractioni, intellectus vero agens actu abstrahit eam et unit cum possibili. Sic ergo completur intellectus possibilis in receptione specierum intelligibilium a phantasmate abstractarum.

---

[a] L om., RCZ *sed.* [b] Ita V, alii *quod.* [c] S om. *s. l. s.* [d] V add. *in.* [e] Ita V, alii *in.* [f] Ita R, alii *quod autem* pro *a. h. a. q.* [g] LC om., in RZ est add. mg. [h] Ita V, Z (corr.) *substantia,* alii om. [i] RL om. [k] V *si.* [l] T om. [m] S om. [n] R *non.* [o] VST *quia.* [p] VST om. [q] T *potentialem,* item infra. [r] C *quod.* [s] R om. [t] Ita V, alii add. *est.* [u] T add. *de.* [v] L *possibile.* [x] C om. [y] Z *in.*

[1] Cf. supra, num. 121.

[2] Cf. Aristot., *Phys.,* III, c. 3 et *Metaph.,* VIII, c. 8 (II, 276, 570).

[3] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 31, *ad 1;* S. Bonav., II *Sent.,* d. 24, p. 1, a. 2, q. 4 et d. 8, p. 2, a. 1, qq. 2, 4, 5 (II, 568, 226sq., 230sqq.); *De scientia Christi,* q. 4; *De donis Spiritus Sancti,* coll., 8, n. 19 (V, 17sqq., 498).

[4] Cf. Alfr. Angl., *De motu cordis,* prolog., n. 1 (p. 2); cf. supra, p. 152, *ad a.*

ARTICULUS III.

De intellectu possibili.

Deinde quaeritur de intellectu possibili:

Primo, utrum sit possibilis intellectus;

secundo, utrum sit in anima secundum quod est actus corporis aut secundum quod est hoc aliquid;

deinde, utrum sit possibilis potentia essentiali vel accidentali. Et dicitur potentia essentialis, cum ex se habet, sicut ponderosi est ferri deorsum; potentia vero accidentalis est, sicut ignis, qui de se actu est, sed tamen potentia est ad aliam formam elementati.

PROBLEMA I. 373

Utrum sit intellectus possibilis.

Quod non sit possibilis intellectus in [a] **anima rationali, videtur** [b]: 1. Cum enim sit ultima formarum naturalium, ultima autem formarum naturalium ita est actus quod non potentia in illo genere: ergo anima rationalis in illo genere non debet dici potentia; ergo nulla differentia eius erit intellectus possibilis.

2. Praeterea, ponitur intellectus possibilis omnino in potentia respectu [c] formarum intelligibilium, sicut prima materia in potentia est respectu formarum naturalium; sed prima materia nullam habet formam naturalem determinatam in se: si enim haberet, iam non diceretur possibilis omnino; anima autem rationalis habet aliquam formam [d] determinatam; ergo non convenit ei intellectus possibilis secundum illum modum.

Contra: *a.* Sicut est possibilitas prima in esse, ita est in bene esse; sed possibilitas in bene esse non est aliud quam in cognitione et affectione; erit ergo aliqua potentia [e] in anima rationali, secundum quam est possibilis in cognitione; illa dicitur intellectus possibilis; erit ergo in anima intellectus possibilis [f].

b. Praeterea, sicut est in luce corporali, ita est per similitudinem in luce spirituali; sed in luce corporali sic est quod est infimum corpus caeleste, quod est receptivum luminis aliunde, scilicet luna; sic ergo erit in luce spirituali quod ultima substantia spiritualis est [g] possibilis ad lucem; sed haec est anima; erit ergo anima rationalis habens intellectum possibilem.

[Solutio]: Ad quod dicendum [h] quod anima rationalis habet intellectum possibilem tamquam unam sui differentiam in cognoscendo.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem obiectum [i] in contrarium, dicendum [k] quod, licet anima rationalis sit ultima formarum naturalium, nihilominus ipsa est possibilis, sed non eo [l] genere quo est actus ultimus: est enim actus ultimus in esse, possibilis autem est respectu bene esse, scilicet cognitionis.

2. Ad secundum vero dicendum [1] quod non est simile de materia prima omnino et de anima rationali quoad hoc quod habet rationalis intellectum possibilem. In hoc autem est simile quod, sicut materia prima est possibilis respectu formarum in esse, ita intellectus possibilis possibilitatem habet respectu formarum sive specierum in cognitione. In hoc autem est dissimilitudo quod materia prima [m] nullam habet formam de se praeter ipsam capacitatem [2]; intellectus autem possibilis habet aliquam [n], quia ipsam formam essentialem ipsius animae, quae est aliquid in se: unde materia prima non reflectitur super se.

PROBLEMA II. 374

Utrum intellectus possibilis sit in anima secundum quod est actus corporis aut hoc aliquid.

Deinde quaeritur utrum sit in anima secundum quod est actus corporis aut secundum quod est [o] hoc aliquid.

Quod autem secundum quod est actus corporis, videtur [p] 1. per hoc: Quod est forma separata a materia, est actu [q] intellectus; ergo si non est

---

[a] V *de*. [b] V om. [c] RZ om., in C est add. mg. [d] Ita V, alii om. [e] T om. *a. p.* [f] TL om. *erit... possibilis*. [g] RLCZ *erit*. [h] Ita R, alii add. *est*. [i] Ita V, alii *obiectum autem* pro *p. a. o.* [k] Ita V, alii add. *est*. [l] LCZ *ex*, quod R corr. [m] T add. *etiam*. [n] V *aliqua*. [o] V om. *actus... est*. [p] ST add. *sic*. [q] Z *actus*.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 4 (II, 568b).

2 Cf. Augustin., *De vera relig.*, c. 18, n. 35 (PL 34, 137); *De natura boni*, c. 18 (PL 42, 556); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 183, *ad 2*.

actu intellectus [a], non est forma separata a materia; sed omnis forma aut est separata a materia aut coniuncta; ergo intellectus possibilis erit forma coniuncta materiae; est ergo intellectus possibilis in [b] anima ut est actus corporis.

2. Item, omnis virtus apprehensiva consimilis est naturae quodam modo cum apprehenso; sed intellectus possibilis est vis apprehensiva quae magis se habet ad formas abstractas a phantasmate quam ad formas separatas simpliciter: nam si intelligit separatas, intelligit eas aliquo modo ut materiales; restat ergo quod intellectus possibilis magis est ipsius animae secundum quod est actus corporis quam secundum quod est hoc aliquid.

3. Praeterea, intellectus possibilis, secundum quod dicit Philosophus [1], transmutatur aliquo modo secundum ea quae sunt corporis; sed anima, prout est substantia quaedam in se ut spiritus, non in hac ratione transmutatur cum corpore, sed prout est actus; ergo intellectus possibilis est animae secundum quod est actus.

4. Item, anima intellectiva est ultimus actus hominis, qui additur [c] ultra sensitivam partem; hoc autem non erit tantum secundum quod est motor corporis: hoc enim pertinet ad partem motivam; ergo quantum ad partem cognoscitivam nobilior est cognoscitiva; sed non est alia quae per se appropinquat nisi possibilis; est ergo anima actus [d] hominis secundum quod habet intellectum [e] possibilem.

Contra: *a.* Si tantum esset in anima secundum quod est actus hominis, ipsa autem, cum est separata, non est actus: ergo ipsa, ut est separata, non haberet intellectum possibilem; ergo intellectus possibilis non esset separabilis; sed est separabilis [f]; ergo non est ipsius animae secundum quod est actus hominis.

b. Praeterea, intellectus possibilis non prius intelligit species rerum materialium quam abstrahantur a phantasmate; sed, cum abstrahuntur, sunt sicut separatae; igitur magis se habet ad animam ut est hoc aliquid in se quam ut est actus corporis.

c. Praeterea, oportet intellectum esse immixtum ab omni forma et natura: si enim aliquam haberet, prohiberet intellectum extraneae formae; ergo necesse est quod sit ipsius animae separabilis a corpore, et ita non erit eius ut est actus hominis.

[Solutio]: Ad quod dicendum [g] quod, cum sit triplex differentia intellectus, prout supra dictum est [2], intellectus materialis est ipsius animae ut est actus hominis in corpore, intellectus vero possibilis ut est separabilis a corpore, intellectus vero agens animae quasi separatae a corpore: unde est eius secundum quod est hoc [h] aliquid. Licet enim intellectus agens habeat actum qui est abstrahere, et ille est animae in [i] corpore, ille tamen non est [k] eius primus actus: unde secundum hoc non determinatur primo esse illius potentiae.

Ad obiecta ergo [l] per hoc potest responderi.

1. Et ad primum primo. Licet enim non sit [m] intellectus possibilis ut forma separata a materia, est tamen separabilis; differentiae autem illae 'separatum' et 'coniunctum' sunt formarum in esse, sed secundum rationem sunt hae differentiae 'separata, coniuncta, separabilis et coniungibilis', et hoc modo se [n] habet intellectus possibilis animae ut separabilis et coniungibilis, et ideo suum intelligere proportionale medium est inter [o] intelligere speciem in phantasmate et speciem omnino separatam, et hoc est intelligere speciem abstractam a phantasmate.

2. Ad secundum patet per hoc [p] responsio, quia, cum sit formarum abstractarum a phantasmate, aliquam habet comparationem ad phantasma ut a quo fit [q] abstractio, et ita ad corpus, sed non sic ut sit animae in quantum est actus in corpore tantum, sed ut est separabilis a corpore.

3. Ad tertium vero dicendum quod illud quod dicitur de intellectu quod 'transmutatur secundum ea quae sunt corporis', hoc per se dicitur de intellectu materiali [3], de intellectu vero possibili per accidens, quia intelligit formas abstractas a phantasmate, quae scilicet, licet sint [r] in phantasmate, praeter phantasma accipiuntur.

4. Ad illud vero quod ultimo [s] obicitur quod 'anima intellectiva est actus hominis ultimus': concedendum est quod hoc est secundum intellectum possibilem. Intellectus enim possibilis est ad quem terminatur motus qui est ad animam, et ab illo, cum se extendit, est motus qui est ab anima: cum enim intellectus possibilis sit actu apprehendens bonum, ut tale est principium motus, et ita intellectus possibilis est animae prout est actus hominis; sed prout est separabilis, non ut sic [t] [est] actus corporis, quemadmodum est dicere de sensitiva, nec actus determinatus tantum animae dum est [u] in corpore, sicut dicitur de illa vi quae operatur in cellula logistica [4], et illum actum non habet per se praeter corpus.

---

[a] L om. *ergo... intellectus*, in R est add. mg.; S *actus* pro *actu*. [b] L om. [c] VST *additus est*, Z add. *ei*. [d] Z om. [e] T om. [f] VS om. *s. e. s.* [g] Ita V, alii add. *est*. [h] T om. [i] V *a*. [k] L om. [l] R *primo*. [m] V om. *n. s.* [n] L *sese*. [o] S om. [p] S om. *p. h.* [q] SZ *sit*. [r] L om. [s] T *ultro*. [t] Ita VL, alii *sit*. [u] T om.

1 Cf. *De anima*, III, c. 8 (III, 470).
2 Cf. supra, p. 446, nota 4.
3 Cf. supra, num. 371.
4 Cf. supra, p. 423, nota 4.

Utrum intellectus sit possibilis potentia essentiali vel accidentali.

Deinde quaeritur utrum sit possibilis potentia essentiali vel accidentali.

Et videtur quod potentia essentiali: *a.* Sic enim se habet intellectus ad intelligibilia quemadmodum sensus ad sensibilia[1]; sed sensus sic se habet ad sensibilia ut nihil requiratur ex parte sui ad hoc quod sentiat in actu, sed tantum ex parte sensibilis ut sit sensibile actu; ergo sic erit ex parte intellectus ut nihil requiratur ex parte intellectus ut intelligat actu, sed tantum ut [a] intelligibile disponatur ut fiat intelligibile actu: et ita erit possibile potentia essentiali quemadmodum sensus.

Contra: 1. Intellectus possibilis non exit[b] in actum nisi per agentem qui est ex parte sui, qui removet privationem a [c] parte intellectus possibilis; ergo intellectus possibilis dicitur possibilis potentia accidentali.

[Solutio]: 1. Ad quod dicendum [d] quod non est simile hic et in rebus corporalibus. Non enim in intellectu est [e] accipere formam contrariam, per quam prohibeatur a forma contraria. Unde non est [f] necessaria remotio formae unius et inductio formae alterius, sicut est in generatione et corruptione et in alteratione[2], sed sufficit remotio privationis. Dicendum est ergo quod et [g] in intellectu et in sensu utrobique est potentia essentialis; sed in sensu nihil requiritur nisi intentio ex parte sensitivi ad hoc quod [h] sentiat cum dispositione quae est a parte sensibilis; ex parte vero intellectus requiritur praeter intentionem quod in actum reducatur ut intelligat cum dispositione quae est a parte intelligibilis, ut sit duplex dispositio: una a parte intellectivi, altera a parte intelligibilis. Et ideo necesse fuit habere intellectum agentem, non tantum propter abstractionem intelligibilium, sed propter perfectionem ipsius possibilis a parte intellectus[3].

CAPUT III.

DE SECUNDA DIVISIONE AUGUSTINI.

Consequenter procedendum est ad divisiones alias Ioannis Damasceni et Augustini[4], quae respiciunt super formas in complexione existentes.

Et primo ponetur illa Augustini[5], quae dicit: « Ingenium, rationem, memoriam et intelligentiam; ingenium autem investigat, ratio iudicat, memoria servat, intelligentia comprehendit ».

Potest ergo quaeri an ingenium et ratio sint eadem vis aut differentes;

similiter, utrum memoria sit eadem cum intelligentia et ratione an differens ab illis [i].

ARTICULUS I. 376

Utrum ingenium et ratio sint eadem vis[6].

Videtur quod sint vires differentes. 1. Quia, sicut dicit Augustinus[7]: « Ingenium est ea [k] vis qua se extendit anima et exercet ad incognitorum cognitionem, ratio vero est vis discretiva inventorum ». Igitur ingenium et ratio inter se habent differentiam tamquam vires diversae.

Contra, videtur [l] quod ingenium et ratio sint eadem vis: *a.* Ingenium enim est vis naturaliter [m] discretiva veri et falsi et aliarum differentiarum; ratio vero per ea quae accepta sunt, iudicat. Cum ergo non differant inter se nisi sicut natura et natura [n] disposita, erunt ingenium et ratio una vis intellectiva. — Quod [o] videtur ex rationibus illorum: Ratio enim est vis per ea quae [p] conceduntur perveniendi ad incognita; ingenium autem est vis instinctu naturae

---

[a] VS om. [b] T *erit.* [c] Z *ex.* [d] Ita V, alii add. *est.* [e] Z om. [f] L om. [g] R om., in L est add. mg. [h] Z *ut*, V *ut quod.* [i] R om. *a. i.* [k] Z om. [l] Ita V, alii add. *autem.* [m] V *naturalis*; S om. *enim.* [n] L om. *e. n.* [o] T add. *autem.* [p] T om.

1 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 4 (III, 467).
2 Cf. Aristot., *De gener. et corrupt.*, I, c. 3 (II, 439).
3 Cf. supra, num. 372, II.
4 Cf. supra, p. 446.
5 Cf. supra, p. 446, nota 5.
6 Cf. supra, num. 368, IV.
7 *De spiritu et anima*, c. 11 (PL 40, 787).

intellectualis[a] cadendi super occulta. Restat ergo quod eadem sit vis, sed ratione differens.

[Solutio]: Quod concedendum est[b]. Differentia autem quae attenditur, fit per[c] actus per prius et posterius existentes: prius enim inquirit homo per ea quae sibi sunt naturaliter insita, secundo iudicat, cum in aliquam partem[d] determinat.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur in contrarium patet responsio, quia, sicut ex verbis Augustini patet, differunt penes actus ordinatos secundum prius et posterius, qui[e] attenduntur in exercitio sive in[f] inquisitione ad incognitorum[g] cognitionem et iudicio cognitorum, quorum utrumque[h] est ipsius rationis.

ARTICULUS II.

Utrum memoria et intelligentia sint eadem vis.

Similiter quaeritur de memoria et intelligentia utrum sint eadem vis.

Quod[i] **non, videtur**: 1. Ponit enim Augustinus diversas vires, memoriam et intelligentiam et voluntatem, sicut habetur in libro *De Trinitate*[1]; ergo memoria non est eadem vis cum intelligentia. — Forte diceretur quod ibi[k] accipiuntur memoria et intelligentia secundum quod sunt circa formas sine complexione. – Sed hoc non obstat huic rationi: Si[l] enim memoria et intelligentia ibi differunt, similiter habebunt hic differentiam circa formas in complexione existentes.

Contra: *a.* Memoria intelligibilium, sicut dicit Philosophus[2], non distinguitur[m] tamquam vis altera ab intellectu, quemadmodum[n] memorativa sensibilium a sensu; ergo non erit memoria[o] vis distincta ab intelligentia sive ratione. Nam si recondit iudicata a ratione, eadem videtur esse cum ratione; si vero servat ea quae sunt iudicanda ab intelligentia, videtur esse eadem cum intelligentia.

[Solutio]: Ad quod videtur dicendum[3] quod aliter iudicandum est de memoria secundum quod hic accipitur et secundum quod accipitur[p] ab Augustino, in libro *De Trinitate*[4]. Ibi enim accipitur vis sive memoria secundum quod est vis, in qua habentur species intelligibiles, et pertinet illa vis ad imaginem divinam, ad quam sequitur intelligentia tamquam conversiva super veritates specierum intelligibilium, et gignitur iste actus ex illo actu, sicut dicit Augustinus[5], quemadmodum proles ex parente, et sunt sic ad invicem ut sint eiusdem nobilitatis. Non sic autem se habet memoria hic dicta ad intelligentiam, sed memoria dicitur[6] offerre iudicanda ab[q] intelligentia; unde videtur esse minoris nobilitatis et pertinere ad rationem, et[r] hae tres, ingenium, ratio[s], memoria, pertinent ad eamdem vim, sed differunt secundum gradus[7]. Intelligentia vero est alia vis ab illis magis elevata, ut sicut distinguebantur[t] ratio et intelligentia in quantum erant circa formas sine complexione, ita distinguantur ratio et intelligentia circa formas entes in complexione. Vel si intelligentia est[u] circa eadem circa quae est ratio, et non alia, tunc erunt hae[v] quatuor, ingenium, ratio, memoria, intelligentia, una et eadem vis, sed secundum gradus actuum differentes; omnes enim hae erunt illa ratio quae rerum corporearum naturas, formas, differentias, propria et accidentia percipiebat[8].

Sed hoc est contrarium illi quod alibi Augustinus[9] determinat, scilicet[x] imaginationem, rationem, memoriam, intellectum et intelligentiam esse vires diversas. Ibi enim loquitur de iis secundum quod ad diversa cognoscibilia referuntur: sensus enim est circa formas sensibiles in praesente materia; imaginatio vero est[y] circa formas sensibiles absente materia; ratio vero est circa formas intelligibiles inventas in rebus sensibilibus; memoria vero est cognitiva praeteritorum, ut quod sensit[z] aut quod[a] ratione comprehendit; intellectus autem formarum intelligibilium creatarum separatarum a sensibilibus; intelligentia vero divinorum. Patet ergo quod aliter accipiuntur ista secundum quod diversa est auctoris intentio.

---

[a] T *intellectu.* [b] RLC om. [c] ST *secundum.* [d] R *aliqua parte* pro *a. p.* [e] RLC *que.* [f] Ita V, alii om. [g] Z *cognitorum.* [h] Ita VC, alii *uterque.* [i] S *quia.* [k] T om. [l] V *sic.* [m] Ita VT, alii *distinguit.* [n] T add. *in*; S *memoria* pro *memorativa.* [o] Z *memorativa.* [p] S om. *e. s. q. a.*, in L est add. mg. [q] S om. [r] Ita V, alii *ut.* [s] R add. *et*; RLCZ *pertineant* pro *pertinent.* [t] RL *distinguebatur.* [u] Z om. [v] Ita V, alii *hec.* [x] C *secundum.* [y] RL om. [z] V *sentit.* [a] V om.

1 Lib. X, c. 11, n. 17 (PL 42, 982) et alibi passim.
2 Cf. Aristot., *De memoria*, c. 2 (III, 497).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 1 (II, 560b).
4 Lib. X, c. 11, n. 17 et XIV, c. 6, n. 9 (PL 42, 982, 1042).
5 Loc. cit., IX, c. 12, n. 17 (PL 42, 970).
6 Cf. *De spiritu et anima*, c. 11 (PL 40, 787).
7 Cf. supra, num. 376.
8 Cf. *De spiritu et anima*, loc. cit.
9 Loc. cit., cc. 11 et 38 (PL 40, 786, 808).

CAPUT IV.

DE DIVISIONIBUS DAMASCENI.

ARTICULUS I. 378

De differentia utriusque divisionis.

Deinde procedendum est ad illa quae assignantur a[a] Ioanne Damasceno. Dicit[1] enim quod primo est opinio, secundo mens, tertio intellectus. Item, alias ponit differentias: dicit[2] enim quod « primus actus dicitur intelligentia; quae vero circa aliquid est intelligentia, intentio vocatur; quae autem permanens et figurans animam ad id quod intelligitur, excogitatio; excogitatio vero in eadem[b] manens et se ipsam examinans[c] phronesis nominatur; phronesis autem[d] dilatata facit cognitionem[e] ».

Intendamus ergo primo[f] differentiam inter differentias unius partis et differentias alterius partis: utraeque[g] enim differentiae ad cognitionem pertinent.

Et videtur quod conveniant primo in hoc quod utraque divisio respicit ad cognitionem quae fit circa complexiones, sed differenter. Una enim videtur accipi secundum debile et forte in cognoscendo complexiones, et haec est illa quae primo accipit opinionem et ultimo intellectum: opinio enim est veri et falsi, intellectus autem, secundum quod ibi accipitur, dicitur esse tantum veri. Alia vero divisio secundum[h] acceptiones eorum per quae pervenitur[i] ad cognitionem, cum dicitur intelligentia, intentio et excogitatio et[k] excogitationis determinatio: notant enim gradus in perveniendo ad cognitionem.

ARTICULUS II. 379

De prima divisione: opinio, mens, intellectus.

Sed potest quaeri: 1. Cum non sint nisi duae acceptiones, secundum debile et forte, propter quid tria[l] enumerantur in prima divisione? Sufficeret enim dixisse opinionem et intellectum.

2. Item, Philosophus[3] ponit quatuor gradus. Dicit enim: « Opinionem consequitur fides, fidem[m] autem suasum esse[n], suasionem autem ratio ». Quare ergo non ponuntur quatuor differentiae?

3. Praeterea, dubitatio praecedit opinionem; quare ergo non connumeratur?

4. Item, Augustinus, in libro *De utilitate credendi*[4], tria ponit: « intelligere, credere et[o] opinari », quorum primum dicit esse sine vitio, « secundum cum vitio aliquando, tertium nunquam sine vitio ».

5. Item, Hilarius[5] ponit fidem supra intellectum[p] sive scientiam et opinionem. Quare ergo non ponuntur hic a Ioanne Damasceno nisi duae acceptiones extremae[q]?

Solutio[r]: 1. Ad primum dicendum quod non tantum numerantur acceptiones[s] extremae, quae differunt secundum debilitatem et fortitudinem, sed medium, per quod venitur a debili ad forte[t]: motus enim mentis est per quem venitur ab imperfectione opinionis ad intellectum veritatis.

2. Ad secundum dicendum quod isti gradus, qui enumerantur a Philosopho, sumuntur ex parte acceptionis quae est opinio. Primo enim est ratio, secundo suasio, tertio creditur suasioni et sic est opinio: consequenter enim ex suasione sequitur opinio; cum autem quietatur opinio, est fides, dico autem fidem circa opinabilia: opinio enim est acceptio alicuius cum formidine alterius[6]; cum autem[u] aufertur formido, dicitur fides: fides enim accipit opinabile sine formidine[v] alterius partis.

3. Ad tertium dicendum[x] quod dubitatio non enumeratur, quia est motus indefinitus rationis[7]; vires autem non oportet[y] multiplicare vel notificare per huiusmodi actum, cum manifestum

---

[a] V *id est.* [b] ST *eodem;* T om. *excogitatio.* [c] LC add. *et,* quod R exp. [d] Ita V, alii om. [e] CZ (correcti) *cogitationem.* [f] L *primam.* [g] V *utroque.* [h] T *secunda.* [i] Ita V, alii *venitur.* [k] S om. [l] T om. [m] VZ *fides.* [n] Codd. add. *precedit.* [o] Z om. [p] RLCZ *intelligentiam.* [q] Ita Z mg., alii om. [r] Ita V, alii om. [s] Z *exceptiones.* [t] VST *fortem.* [u] Z om. [v] V *fortitudine.* [x] Ita V, alii *vero dicendum est.* [y] S *potest.*

1 Cf. supra, p. 446, nota 2.
2 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 943).
3 *De anima*, III, c. 3 (III, 466).
4 Cap. 11 (PL 42, 83).
5 *De Trinit.*, I, n. 12 (PL 10, 33); cf. Augustin., *Epist. 120*, n. 3 (PL 33, 453).
6 Cf. Aristot., *Poster.*, I, c. 33 (I, 152).
7 Cf. Aristot., *Topic.*, VI, c. 6 (I, 245).

sit quod actus ille non sit alterius potentiae quam actus definitorum.

4. Ad quartum dicendum [a] quod illa tria quae ponit Augustinus, in libro *De utilitate credendi,* differunt sic: ut intelligere debeatur rationi, credere vero auctoritati, opinari vero errori. Dicitur enim opinari, cum opinamur nos scire quod nescimus, et hoc est errare; error autem non dicit motum virtutis ordinatum: unde non computatur. Sed contingit aliquando opinari sine errore, et secundum hoc dicuntur duae rectae acceptiones.

5. Ad ultimum dicendum est quod fides et scientia, de quibus loquitur Augustinus [1], continentur sub intellectu: intellectus enim quidam est [b] credibilium, et dicitur fides; alius est intellectus scibilium, et dicitur scientia. Quaedam enim sunt supra rationem, et talium est fides; quaedam vero [c] attinguntur ratione certa, et dicitur scientia: scientia enim non tantum est eorum quae cognoscuntur per causam, sed et aliorum quae certitudinaliter secundum rationem cognoscuntur [2]. — Aliter autem sumitur scientia a Philosopho [3], cum dicitur quod tria sunt: intellectus, ratio et scientia. Intellectus est eorum quae per se cognoscuntur; ratio vero ab iis ad scibilia deductio est necessaria; scientia vero certitudinalis cognitio eorum quae per aliud vel alia cognoscuntur.

ARTICULUS III.

De secunda divisione: intelligentia, intentio, excogitatio, phronesis.

Deinde procedendum est ad aliam divisionem [4], quae continet [d] in se intelligentiam, intentionem, excogitationem, phronesim, ex quibus fit cognitio, qui dicitur « sermo interius dispositus ».

Potest enim obici 1. quod idem sit intelligentia quod intentio: intelligentia enim est motus virtutis intellectivae super aliquid; ergo, cum intentio non dicatur [5] nisi « intelligentia circa aliquid », idem erit [e] motus intelligentia et intentio.

2. Item [f], idem motus videtur esse excogitatio et phronesis: nam phronesis [g] est « excogitatio in se ipsa [h] manens et se ipsam diiudicans ». Ad quid ergo enumerantur ii motus virtutis intellectivae tamquam diversi?

3. Praeterea, Philosophus [6] ponit quatuor differentias pertinentes ad intellectum cognoscitivum: prima est intellectus possibilis, secunda est intellectus in effectu, tertia est [i] intellectus in habitu, quarta est [k] intellectus adeptus. Potest ergo quaeri qualiter se habeant hae quatuor differentiae ad illas quatuor. Nam cognitio, quae relinquitur ex phronesi, nihil aliud videtur esse quam intellectus adeptus; ipsa vero phronesis intellectus in habitu: phronesis enim est excogitatio sibi sufficiens, haec autem est intellectus in habitu, qui potest exire in actum cum vult; intellectus vero in effectu quid aliud est quam intentio? intentio enim est [l] « intelligentia circa aliquid », hoc autem est intellectus [m] in effectu. Videtur ergo quod superfluat illa differentia quae est « excogitatio », secundum quod est « figurans ad id quod intelligitur ».

[Solutio]: Ad quod potest dici quod hae quatuor differentiae, per quas venitur ad cognitionem, sic distinguuntur ut intelligentia [n] dicatur actus virtutis intellectivae circa maiorem propositionem, quae particulat intentionem communem, ut [o] cum dicitur 'totum continuum est [p] totum', et ideo dicitur intentio [q] « intelligentia circa aliquid »; id est circa particulatum; excogitatio vero est motus virtutis intellectivae conferentis hoc cum illo: hoc enim est « figurare animam ad id quod intelligitur » — ex hoc enim relinquitur figuratio differens secundum diversam collationem: unde prima figura, secunda et tertia [7] — examinatio vero et diiudicatio, quae ex illa collatione procedit, quid aliud [r] est quam motus virtutis intellectivae qui dicitur ratiocinatio, ex quo sequitur cognitio? et ideo dicit quod « phronesis dilatata facit cognitionem ». — Vel aliter potest dici et magis consonat cum intentionibus vocabulorum, ut « intelligentia » dicatur acceptio principii: illud enim dicitur simpliciter intelligentia eo quod per se adhaeret intellectus intelligibili; « intentio » vero dicatur per aliud cognoscendi, id est principiati, sicut cum dicitur 'quid intendis tu per hoc cognoscere?' et dicitur 'intendo [s] cognoscere hanc conclusionem'; « excogitatio » vero sit [t] collatio principii ad cognoscendum per [u] illud, et hoc est quod apprehensio unius permaneat et figuret ipsam animam in collatione ad alterum.

---

[a] Ita V, alii add. *est.* [b] S *quidem* pro *q. e.* [c] R *enim.* [d] S *pertinet.* [e] RLCZ *est.* [f] S *tunc,* R *et.* [g] L om. *n. p.,* in R est add. mg. [h] S *ipso.* [i] V om. [k] V om.; S om. *in effectu... intellectus.* [l] LC om., in RZ est add. interl. [m] V *intelligentia.* [n] T *intellectus.* [o] Ita V, alii om. [p] S *esse.* [q] LC om., in RZ est add. mg. [r] S *autem.* [s] VS *intentio.* [t] Z *fit*; T om. *vero.* [u] Z om.

1 Et etiam Hilarius; cf. supra, p. 457, n. 5.
2 Cf. Avicenna, *De anima,* tr. 1, q. 4 (f. 4a).
3 Cf. *Anal. poster.,* II, c. 15 (I, 171).
4 Nempe Damasceni; cf. supra, p. 457, nota 2.
5 Cf. Damasc., loc. cit., ubi et sequens.
6 Avicenna, *De anima,* p. 1, c. 2 (f. 5d).
7 Cf. Aristot., *Anal. priora,* I, cc. 4-6 (I, 41 sqq.), ubi fuse de figuris syllogismi tractat.

Sed, quia hoc [a] non sufficit nisi addatur iudicium collationis quod sit [b] necesse, ideo sequitur excogitatio manens in eodem et se diiudicans. Deinde fit exitus a principio [c] in conclusionem, et haec [d] est « phronesis dilatata »: tunc enim fit dilatatio iudicii vel examinationis praehabitae, quando fit exitus necessarius [e] in conclusionem, et sic est cognitio conclusionis.

[Ad obiecta]: 1. Ex iam dictis patet qualiter respondendum est ei quod est obiectum de intelligentia et intentione. Cum enim dicitur quod « intentio est intelligentia circa aliquid », non accipitur ibi hoc nomen « aliquid » in sua generalitate, sed secundum quod trahit illud, quod generale est, in partem; nec accipitur ibi « intelligentia » prout dividitur contra intentionem, sed prout quodam modo est intentio.

2. Ad secundum dicendum quod in hoc differt phronesis ab excogitatione, quod excogitatio dicit motum rationis praeambulum, phronesis vero [f] dicit motum rationis consequentem, sicut in parte practica [g] deliberationem consequitur iudicium definitionis.

3. Ad tertium vero dicendum [h] quod differentiae, quas ponit Philosophus, secundum aliam rationem accipiuntur quam illae quae ponuntur a Ioanne Damasceno. Differentiae enim quas ponit Philosophus, sumuntur secundum gradus potentiae: est enim potentia prima, quae simpliciter dicitur possibilitas; est etiam potentia [i] secunda, scilicet possibilitas disposita; est potentia completa, quae dicitur habitualis et est potentia in actu. Secundum hunc modum in genere intellectus sunt quatuor gradus: primus est intellectus possibilis, cum nondum susceperit formas intelligibiles; secundus est intellectus in effectu, cum [k] dicitur formatus, et dicitur potentia disposita; tertius est intellectus in habitu, cum potest intelligere cum vult, et dicitur potentia habitualis; quartus est intellectus adeptus, cum iam exivit in actum, et dicitur potentia completa in suo actu per hoc quod sibi acquisivit. Aliae vero differentiae, quas ponit Damascenus, attenduntur secundum progressum intellectus sive rationis ab habitu principii vel principiorum ad habitum conclusionis.

MEMBRUM III.

De sensu interiori.

Dicto de potentia intellectiva, consequenter dicendum est de actu. Actus autem eius vocatur in Sacra Scriptura [1] aliquando sensus interior. Circa quem:

Primo quaeritur an huiusmodi sensus dicatur spiritualis essentialiter tantum vel accidentaliter;

secundo, si sit unus sensus [l] an plures;

tertio, utrum sit separabilis vel inseparabilis;

quarto, utrum angeli habeant huiusmodi sensum [m] vel animae tantum;

quinto, de quibus est huiusmodi sensus.

CAPUT I. 381

AN SENSUS INTERIOR DICATUR SPIRITUALIS ESSENTIALITER TANTUM VEL ACCIDENTALITER [2].

Circa primum sic obicitur: *a.* Levit. 6,5 super illud: *Insuper* [n] *partem,* Origenes [3]: « Restituamus sanctis actibus [o] quinque sensus interioris hominis, ut mundi corde audiamus et videamus quae docet Iesus ». Ibi distinguit quinque sensus; sed iste [p] sensus non est sensus corporalis: impossibile est enim sensu corporali videre Deum; unde Augustinus, in libro *De videndo Deo* [4]: « Quantumlibet oculi nostri mutentur in melius, oculis spiritualibus non aequabuntur »; per quod vult probare quod Deum oculis corporalibus non videmus. Si ergo natura spiritualis est determinata ad videndum spirituale, sensus corporalis non facit videre spirituale; ergo nec sensus spiritualis potest fundari supra naturam corporalem; ergo sensus interior secundum naturam est spiritualis.

---

[a] RLC *hec.* [b] V *que fit* pro *q. s.* [c] V *principiis.* [d] ST *hoc.* [e] VST *nominis.* [f] R om. [g] T *predicta;* Z add. mg. *in parte enim practica.* [h] Ita V, alii add. *est;* L om. *vero.* [i] Ita V, alii om. [k] S om. [l] Ita VZ, alii *solus.* [m] Codd. *sensus;* Z om. *tantum.* [n] Z add. interl. *et unum.* [o] R *angelis.* [p] V *ille.*

1 Cf. Sap. 9, 17; Rom. 14, 5; I Cor. 2, 16; I Ioan. 5, 20,
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 16.
3 *In Levit.,* hom. 4, n. 7 (PG 12, 432).
4 *Epist. 147,* n. 49 (PL 33, 619).

b. Item, Augustinus[1]: « Sensus interior reficietur in contemplatione divinitatis »: intellectu enim Deum capimus; sed impossibile est sensum corporalem ad hoc pervenire; ergo iste sensus est spiritualis naturaliter, qui scilicet videt Deum, et ita fundari non potest in natura corporali.

c. Item, Augustinus, in XI *De civitate Dei*[2]: « Nos ea sensu corporis ita capimus [a], ut de iis non sensu corporis iudicemus; habemus enim alium interiorem [b] sensum isto longe praestantiorem, quo iusta et iniusta sentimus »; sed sensu corporis [c] non possumus iusta et iniusta sentire; ergo sensus interior, qui haec facit, est naturaliter [d] spiritualis.

Contra: 1. Iob 28, 17: *Non adaequabitur ei aurum,* Glossa[3]: « Uniuscuiusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet », et loquitur de corporalibus oculis; ergo oculus corporalis potest extendi ad ea quae mentis sunt; sed hoc non potest esse nisi fiat spiritualis; ergo videtur quod fiat spiritualis.

2. Item, in intellectu communicat homo cum angelis, in [e] sensu cum brutis[4]; ergo, si isti sensus sunt proprii hominis sive secundum naturam propriam ipsius hominis, erunt secundum id quod distinguunt [f] ab angelis et brutis, quia non dicuntur in angelis sensus secundum hunc modum et intellectus est in eo, nec in brutis; ergo in media natura erunt in homine sensus spirituales, scilicet secundum aliquam naturam quae superior sit natura brutorum et inferior natura angelorum; ergo secundum naturam propriam hominis erit vel secundum sensum corporalem ordinatum ad intellectum vel secundum intellectum ordinatum ad sensum, ita ut sensus semper cadat in eius ratione, quia hoc modo nec convenit angelis nec brutis, et ita semper respectum habent ad corpus.

3. Item, Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[5]: « Sensus vertetur in imaginationem [g], imaginatio in rationem, ratio in [h] intellectum, intellectus in intelligentiam, intelligentia in Deum ». Ergo sensus tunc [i] poterit comprehendere intelligibilia; sed hoc non posset [k] nisi fieret spiritualis; ergo etc.

Respondeo [6] quod sensus spiritualis fundatur in natura spirituali, quia spiritus est super mentem, scilicet secundum quod anima secundum intellectum dicitur spiritus, non in natura spirituali per gratiam vel per gloriam: et [l] non loquor de sensu spirituali secundum quod in futuro sensus corporales fient [m] spirituales, sed sicut dicitur Rom. 12,2: *Reformamini in novitate sensus vestri,* et ad hoc refertur illud quod dicit Origenes, Levit. 6,5 in Glossa.

[Ad obiecta]: 1-3. Ad hoc quod quaeritur 'utrum sensus [n] corporalis possit pervenire ad hoc [o] ut possit comprehendere intelligibilia secundum se': dico quod, quantumcumque mutetur in melius, non perveniet ad hoc ut comprehendat intelligibilia [p] secundum se, scilicet cogitationes, sed quia huiusmodi cogitationes habent quosdam nutus in impressionibus corporalibus, per quos possunt [q] comprehendi, quas etiam comprehendit [r] visus noster, in quibus resultant tales cogitationes, et ad has impressiones comprehendendas perveniet [s] sensus corporalis tamquam in [t] suis effectibus. Unde Augustinus, in libro *83 Quaestionum*[7]: « Capienda est coniectura ex ea [u] parte corporis nostri quae plus habet lucem. Si enim nonnulli [v] animi [x] motus [nunc] in oculis nostris cognoscuntur, probabile est quod tunc nullus motus animi latebit », scilicet rationi, « cum corpus aethereum fuerit, in cuius comparatione isti oculi nostri caro sunt ». Cogitationes tamen secundum se ab oculis mentis comprehenduntur, sed ab oculis corporalibus tamquam in suis effectibus et signis. Bernardus, *De amore Dei*[8]: « Spiritus habet suos sensus sicut et corpus suos »; sed spirituales sensus sunt qui super spiritum fundantur. Et secundum hoc intelligitur auctoritas Rom. 12,2: *Reformamini in novitate sensus vestri.*

2. Ad hoc quod obicitur quod 'si [y] sensus sunt in homine, oportet quod fundentur in natura superiori quam sit natura brutorum et quae sit inferior natura angelica, quia in medio inter angelicam et brutam': respondeo [z] quod super intellectum fundatur, per quamdam tamen similitudinem ad sensum corporalem: quod enim intellectus dicitur sensus[9], hoc est secundum metaphoram a sensu corporali.

---

[a] R *accipimus.* [b] Ita V, alii *interioris.* [c] RLCZ *corporalis.* [d] Ita VT, alii *naturalis.* [e] Z om. [f] R *distinguit.* [g] T *imaginem.* [h] TL om. [i] S *rem.* [k] Ita V, alii om. [l] L om. [m] Z *fiunt.* [n] T om. [o] Ita VZ, alii om. *a. h.* [p] Ita V, alii *intelligibile.* [q] R *possint,* LCZ *possit.* [r] Ita R, alii *comprehendet.* [s] R *perveniret.* [t] VLCZ *inest,* quod R corr. [u] C om. [v] VRCZ *nonnullus.* [x] L add. *non;* V om. *in.* [y] ST *hoc.* [z] V *respondendum est.*

1 *De spiritu et anima,* c. 9 (PL 40, 785).
2 Cap. 28, n. 2 (PL 41, 341); cf. *De lib. arbit.,* II, c. 4 (PL 32, 1246).
3 *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran.
4 Cf. supra, p. 385, nota 7.
5 Cap. 12 (PL 40, 788).
6 Cf. S. Bonav., *Breviloq.,* p. 2, c. 11 et *Itiner.,* c. 1, n. 10 (V, 229, 298).
7 Quaest. 47 (PL 40, 31).
8 Potius Guilelm. Abbas S. Theodorici, *De nat. et dignit. amoris,* c. 6, n. 15 (inter opp. Bernardi PL 184, 390); cf. Bernard., *Sermo* 10 (PL 183, 567 sq.).
9 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 3 (III, 464).

UTRUM SIT UNUS SENSUS INTERIOR VEL PLURES.

Secundo quaeritur an sit unus solus sensus vel [a] plures.

Videtur quod plures: 1. Dicit enim Origenes [1] quod « quinque sunt sensus interioris hominis, ut mundi corde Deum videamus ». Ergo plures sunt sensus.

2. Item, Bernardus [2]: « Sicut corpus habet suos sensus quibus animae coniungitur vita mediante, ita [b] anima habet suos sensus quibus Deo coniungitur caritate mediante ».

3. Item, Marc. 14,5, super illud: *Poterat istud venumdari*, etc., Glossa [3]: « Fides nostra trecentis emitur denariis, id est [c] decem sensibus per corpus et animam et spiritum triplicatis [d] ». Ergo plures sunt sensus.

Contra: *a*. Per actus cognoscuntur potentiae et actus per obiecta [4]; sed obiectum est [e] unum; ergo necesse est unum esse sensum. — Quod sit obiectum unum, dicit Origenes [5], Levit. 6,5: « Addamus iis omnibus suum et perficientur ». Ergo una erit potentia, secundum quam erit videre et gustare et ita unum erit in substantia videre et gustare et huiusmodi.

b. Item, Eph. 1,17, super illud: *Det vobis Spiritum*, Glossa Augustini [6]: « In sensu exteriori non est videre idem quod gustare, in sensu interiori non sic, sed idem »; et ita ut prius.

c. Item, Haymo, *Super Apocalypsim* [7]: « Raptus est Ioannes spiritu [8] ad summa contemplanda, ubi nihil aliud vidit quam audivit », quia nihil aliud est videre quam audire.

d. Item, Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [9]: « Sic aptae naturae est spiritus, ubi idem est audire et videre et e converso ». Ergo unus et idem actus et una iterum potentia; cum ergo sit [f] obiectum unum, ex nulla parte erit pluralitas.

Respondeo [10]: Plures dicuntur sensus, non quia [g] potentiae plures sint, sed propter modum comprehendendi: alius enim est [h] modus comprehendendi, cum dicitur 'iste videt', quam cum dicitur 'iste audit'. Augustinus, in libro *Confessionum* [11]: « Cum amo Deum meum, lucem meam, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei, ubi [i] fulget animae meae quod non capit locus, ubi sonat quod non rapit tempus [k], ubi olet quod non spargit flatus, ubi sapit quod non minuit edacitas, ubi haeret [l] quod non divellit satietas [m] ». Unde non quia obiecta sunt plura vel quia plures potentiae, sed ratione modorum comprehendendi diversificantur.

[Ad obiecta]: 3. Ad hoc quod obicitur ex auctoritate Hieronymi, *Super Marcum*, dico [n] quod loquitur ibi Hieronymus non tantum secundum modum comprehendendi, sed secundum potentias comprehendentes, quia loquitur ibi de sensibus et animae et spiritus, secundum quod anima inferior pars est, spiritus vero superior. Alia est enim potentia, secundum quod dicimus sensum corporis et animae, id est inferioris partis, et [o] spiritus, id est superioris, secundum [p] illud I Thessal. 5,23: *Integer spiritus vester* etc. Unde non loquitur secundum coarctationem ad sensum spiritualem, sed extendit nomen 'sensus' ad sensum [q] communiter sumptum, secundum quod dicitur communiter de sensibus interioribus et exterioribus.

2. Ad hoc quod dicit Bernardus: « Sicut corpus habet » etc., dico quod illa multiplicatio est tantum secundum differentiam modorum comprehendendi. Unde dicit Bernardus [12]: « Duas radices habet iste sensus: unam in carne [r], alteram in ratione ». Referendo ergo ad unitatem potentiae et obiecti, idem erit videre quod audire; referendo ad modum comprehendendi, differunt.

---

[a] V *aut*. [b] Z *sic*. [c] LC om. *i. e.*, in RZ est add. interl. [d] V *replicatis*. [e] S *per*. [f] Ita V, alii om. [g] Ita V, alii *quod*. [h] S om. [i] ST om. [k] Codd. *capit corpus* pro *r. t*. [l] C *habet*. [m] Z *societas*. [n] V *dicendum*. [o] T om. [p] V *super*. [q] S om. *a. s.*; C om. *spiritualem... communiter*. [r] LC *caritate*, quod Z corr.

1 Cf. supra, p. 459, nota 3.
2 Cf. supra, p. 460, nota 8.
3 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Hieronymo, in h. l. (PL 30, 630).
4 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 448). 5 Loc. cit.
6 Cf. *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.; cf. Augustin., *De lib. arbit.*, II, c. 3, n. 8 (PL 32, 1244).
7 Cf. lib. I, c. 1 (PL 117, 950).
8 Cf. Apoc. 1, 10.
9 Cf. c. 19 (PL 40, 794).
10 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 13, dub. 1 (III, 291 sq.).
11 Lib. X, c. 6, n. 8 (PL 32, 782 sq.).
12 Loc. cit., c. 6, n. 21 (PL 184, 393); cf. supra, p. 460, nota 8.

UTRUM SENSUS INTERIOR SIT SEPARABILIS A CORPORE VEL INSEPARABILIS.

Tertio quaeritur utrum huiusmodi sensus sit separabilis a corpore vel inseparabilis.

Quod separabilis, videtur *a.* per Augustinum [a], in libro *De ecclesiasticis dogmatibus* [1]: « Solum hominem credimus habere animam substantivam, quae exuta a [b] corpore vivit et sensus suos atque ingenia vivaciter tenet ». Ergo, si exuta a corpore tenet sensus suos, ergo huiusmodi sensus sunt separabiles.

b. Item, Cassiodorus, in libro *De anima* [2]: « Sciendum est quod haec [c] immortalis anima vivit in se, post huius saeculi amissionem non reflante spiritu sicut corpus, sed aequali mobilitate, quae illi attributa est, pura, subtili, cita [d], aeterna videt, audit, tangit ac reliquis sensibus efficacius valet ». Ergo anima post amissionem huius saeculi utitur sensibus suis; ergo isti sensus sunt separabiles.

Contra: 1. Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [3]: « Magis arbitror ratione nos comprehendere esse interiorem quemdam [e] sensum, ad quem ab istis quinque notissimis [f] omnia referantur ». Et postmodum subdit: « Hic autem nec visus nec auditus nec olfactus nec gustus nec tactus dici potest, sed nescio quid aliud quod communiter omnibus praesidet ». Si ergo praesidet quinque [g] sensibus exterioribus, sed isti non sunt separabiles, ergo nec iste.

2. Item, Bernardus, in libro *De amore Dei* [4], assignat hos quinque sensus, et unus est amor parentum, alius amor sociorum et tertius amor inimicorum; sed hoc non habet exercere anima nisi in corpore; ergo isti sensus non sunt separabiles a corpore.

[Solutio]: Ad quod dicendum [5] quod sensus interior dicitur dupliciter. Aliquando enim dicitur sensus interior, qui pertinet ad partem sensibilem, scilicet sensus communis sive imaginatio; aliquando vero dicitur sensus interior ipsius partis rationalis. Et hoc dupliciter: dicitur enim aliquando sensus interior pertinens ad intellectum, aliquando pertinens ad affectum [h]. Ad intellectum vero [i] dupliciter: aliquando secundum quod est mediantibus speciebus quae sunt in phantasmate, aliquando vero mediantibus speciebus praeter phantasmata. Si ergo [k] dicatur sensus interior primo modo, quoad actum non separatur a corpore; si vero dicatur sensus interior [l] qui ad affectum pertinet, licet possit esse quantum ad quaedam separabilis, quantum ad alia non est separabilis; si vero accipiatur sensus interior prout est mediantibus speciebus in phantasmate, non separatur, alio vero modo separatur.

[Ad obiecta]: 1-2. *a-b.* Per hoc patet responsio ad obiecta. Nam B. Bernardus loquitur de sensu interiori secundum quod pertinet ad affectum; Augustinus vero, in libro *De libero* [m] *arbitrio*, loquitur de sensu communi secundum quod pertinet ad partem sensibilem; auctoritas vero Cassiodori loquitur de sensu interiori secundum quod sensus interior dicitur intellectus; Augustinus vero [n], in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*, loquitur de sensu communiter, sive dicatur quod interior sensus pertineat ad partem sensibilem sive ad rationalem: nam, etsi anima non sit quantum ad partem sensibilem separabilis secundum actum, exuta tamen a corpore defert secum huiusmodi potentias.

384 CAPUT IV.

UTRUM ANGELI HABEANT SENSUM INTERIOREM VEL ANIMAE TANTUM [6].

Deinde quaeritur utrum angeli habeant huiusmodi sensum [o] vel animae tantum.

Quod sit angelorum, videtur 1. per hoc quod dicit Hugo de S. Victore [7]: « Una creatura erat cuius sensus totus erat [p] intus et alia creatura cuius sensus totus foris erat, et positus est homo in medio ut intus et foris sensum haberet ». Sed [q] illam creaturam, cuius sensus totus erat intus, intelligit ipse angelum; ergo angeli habent sensum interiorem.

2. Item, Augustinus, in libro *De civitate Dei* [r] [8]: « Sive universi mundi corpus, figuras,

---

[a] Ita V, alii *Augustinus* pro *p. A.* [b] RLCZ om. [c] T om. [d] VSTR *vita*, L *sita*. [e] Z *quemadmodum*. [f] S *novissimis*. [g] RLC om., in Z est add. interl. [h] S *effectum*. [i] RLCZ *ergo*. [k] S *phantasma. Si vero* pro *p. S. e.* [l] V om. *primo... interior*. [m] TZ om. *D. l.* [n] T om. [o] Codd. *sensus*. [p] RLC om., in Z est add. mg. [q] Z *secundum*, quod L corr. [r] RLCZ om.

1 Gennad., c. 16 (PL 58, 984).
2 Cap. 2 (PL 70, 1286).
3 Lib. II, c. 3, n. 8 (PL 32, 1244), ubi et sequens.
4 Cf. supra, p. 460, nota 8.
5 Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 50, p. 2, a. 1, q. 1 (IV, 1046).
6 Cf. supra, num. 119.
7 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 5 (PL 176, 266).
8 Lib. VIII, c. 6 (PL 41, 231), multis omissis.

qualitates ordinatumque [a] motum et elementa disposita a caelo usque ad terram et quaecumque corpora in eis sunt, sive omnem vitam vel quae nutrit et continet, qualis est in arboribus, vel quae et hoc [b] habet et sentit, qualis est [c] in pecoribus, vel quae et haec [d] habet et intelligit, qualis est in hominibus, vel quae nutritorio subsidio non indiget, sed tantum continet, sentit [e], intelligit [1] qualis est in angelis ». Si ergo sentire [f] convenit angelis, ergo et sensus interior; ergo non solum convenit animae.

Contra: *a.* Sensus interior communis est nobis et brutis. Unde Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [1]: « Arbitror illud esse manifestum, interiorem illum sensum non ea tantum sentire quae accipit a quinque sensibus corporis [g], sed etiam ipsos ab eo sentiri. Non enim aliter bestia moveret se appetendo vel fugiendo nisi se sentire sentiret »; sed [h] nihil est commune angelis et brutis; ergo sensus interior non convenit angelis.

Respondeo: Sensus interior dicitur duobus modis. Uno modo dicitur proprie, secundum quod 'sentire' pertinet ad partem sensibilem, et hoc modo non convenit angelis sensus interior, 'et sic accipit Augustinus sensum in supra dicta auctoritate, quae est in libro *De libero arbitrio*. Alio modo sumitur sensus communiter, secundum quod 'intelligere' dicitur 'sentire', et sic accipit Augustinus sentire in libro *De civitate Dei*, cum dicit quod sentire convenit angelis, et hoc modo sensus interior convenit angelis.

CAPUT V. 385

DE QUIBUS SIT SENSUS INTERIOR.

Consequenter quaeritur de quibus est sensus interior sive respectu quorum, utrum scilicet respectu sensibilium aut tantum respectu intelligibilium.

Quod respectu sensibilium, videtur: 1. Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [2]: « Si sentit se non videre, dum non videt, necesse est etiam [i] sentiat se videre, dum videt, quia, cum eo appetitu non movet oculum videns [k] quo movet non videns, indicat se utrumque sentire ». Si ergo « sentit se videre, dum videt », cum istud sit [l] sensibile, est respectu sensibilium, non solum respectu intelligibilium.

Contra: *a.* Hugo de S. Victore [3]: « Positus est homo in medio », scilicet inter angelum et bruta animalia, « ut intus et foris sensum haberet, intus ad invisibilia, foris ad visibilia, intus per sensum rationis, foris per sensum carnis ». Ergo sensus interior est tantum ad invisibilia.

b. Item, Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [4]: « Duo sunt in homine sensus, unus interior et unus [m] exterior, et utrumque [n] bonum suum habet in quo reficitur: sensus interior reficitur in contemplatione divinitatis, sensus exterior in contemplatione humanitatis ». Ergo sicut sensus exterior in homine est respectu sensibilium, ita videtur quod interior sit tantum [o] respectu intelligibilium.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod, sicut dictum est [p] [5], sensus interior accipitur dupliciter. Aliquando enim accipitur pro sensibili parte, scilicet interiori: et hoc modo loquitur Augustinus, in libro *De libero* [q] *arbitrio*, de sensu interiori. Alio modo accipitur pro parte intelligibili: et hoc modo loquuntur aliae duae auctoritates de sensu interiori, scilicet auctoritas [r] Hugonis et Augustini, in libro *De anima et spiritu*.

CAPUT VI. 386

UTRUM SENSUS INTERIOR IMPEDIATUR PER EXTERIOREM.

Deinde quaeritur utrum sensus interior impediatur per exteriorem.

Quod videtur *a.* per hoc quod dicit [s] Augustinus, in libro *De anima et spiritu* [6]: « Cum exterior sensus carnalis bono suo utitur, interior sensus mentis quasi obdormit [t]; non enim cogitat bona quae sunt interioris sensus, qui iucunditate exteriorum bonorum capitur ». Ergo sensus interior impeditur per exteriorem.

Contra: 1. Sensus interior praesidet exteriori et regit ipsum; sed quod praesidet alii, non mutatur

---

[a] VT *ordinantque.* [b] V *hec.* [c] V om. [d] TRLC *hoc*; S om. *et sentit... habet.* [e] C add. *et.* [f] S om. [g] L *corporeas.* [h] Z *si.* [i] S om., C *quod.* [k] T *vidit.* [l] R *fit.* [m] T *alius.* [n] T add. *autem.* [o] V *sensus interior est* pro *v. q. i. s. t.* [p] R add. *quod.* [q] T om. *D. l.* [r] T om. *de... auctoritas.* [s] S om. [t] T *quidem quasi obdormivit* pro *q. o.*

1 Lib. II, c. 4, n. 10 (PL 32, 1246).
2 Loc. cit.
3 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 5 (PL 176, 266).
4 Cap. 9 (PL 40, 785).
5 Cf. supra, num. **383**, *Solutio* et num. **384**, *Respondeo.*
6 Loc. cit.

per ipsum, sed potius mutat ipsum; ergo interior sensus non impeditur nec retardatur a sua operatione per exteriorem.

2. Item, phantasia, quae plus est unita sensui exteriori quam intellectiva, non impeditur per ipsum; ergo nec [a] multo fortius intellectiva, quae [b] plus elongatur.

[Solutio]: 1. Ad hoc dicendum quod sensus interior, secundum quod accipitur pro parte intellectiva [1], impeditur per operationem sensus exterioris. Et ratio huius est, non quia praesideat illi vel non praesideat, sed quia anima, cum sit una et simplex, habens potentias diversas, cum intendit operationi [c] sensus exterioris, minus est intenta operationi sensus interioris.

2. Ad hoc quod obicitur quod [d] 'phantasia non impeditur, quae magis unitur sensui exteriori quam intellectiva': respondeo quod non est simile de phantasia et de [e] parte intellectiva. Nam sensibilis exterior et phantasia currunt secundum eamdem viam et sunt circa sensibilia, et ideo unum non impedit alterum nec retardat, sed intellectiva et sensibilis exterior currunt secundum diversas vias, et ideo una impedit aliam.

TITULUS II.

DE VI RATIONALI MOTIVA IN GENERE.

Adiuvante gratia Dei, procedendum est ad considerationem virium motivarum rationalium, quarum differenter ponitur divisio.

Ioannes Damascenus [2] ponit divisionem per θέλησιν et βούλησιν, hoc est per voluntatem naturalem et electivam; nomine autem [f] electivae voluntatis intelligit liberum arbitrium, sicut infra in suo tractatu determinat [3].

Augustinus vero, in libro *De anima et spiritu* [4], ponit rationalem [g], concupiscibilem et irascibilem, et dicit totam animam esse in iis potentiis; potentias autem ibi [h] distinguit a viribus in hoc quod potentiae dicuntur [i] motivae, vires autem cognitivae [k], licet potentiae possint dici vires et e converso.

Ex diversis autem locis colliguntur duae, scilicet synderesis, quam ponit Gregorius, *Super Ezechielem* [5], et liberum arbitrium, quod a diversis ponitur [l] expositoribus et sumitur ab eo quod dicitur Eccli. 15, 14: *Ab initio fecit Deus* [m] *hominem et reliquit* [n] *eum in manu consilii sui* etc., ubi dat circumlocutionem liberi arbitrii.

Philosophus [6] vero solum [o] intellectum practicum videtur ponere vim motivam ex parte intellectualis animae.

Augustinus [7] vero ponit superiorem et inferiorem portionem rationis.

Primo ergo [p] inquiramus si una sola sit potentia motiva aut plures;

secundo, si plures aliquo modo, penes quid accipiatur distinctio, cum multiplex sit divisio;

deinde, exequendum est de illis maxime quae ad theologicam spectant speculationem.

387

CAPUT I.

UTRUM UNA SOLA SIT POTENTIA MOTIVA AUT PLURES [8].

Quod autem sit una sola potentia, videtur 1. per hoc quod essentia animae rationalis sive substantia simplicior est quam sit essentia caelestis corporis; sed essentia caelestis corporis habet unicam vim motivam; ergo multo fortius anima rationalis habebit unicam vim motivam [q].

---

[a] V om. [b] VST *cum.* [c] ST *operationem.* [d] S om.; T om. *hoc.* [e] VZ om. [f] C om. [g] VST *rationabilem.* [h] L om. [i] T *dicantur.* [k] T *cognoscitive.* [l] Z *exponitur.* [m] Ita VZ, alii om. [n] VC *relinquit.* [o] C *secundum.* [p] RLCZ om. [q] C om. *ergo... motivam.*

1 Cf. supra, p. 463, nota 5.
2 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 943).
3 Loc. cit. (PG 94, 947).
4 Cap. 13 (PL 40, 789).
5 Rectius Hieronym., *In Ezech.* 1, 7 (PL 25, 22).
6 Cf. *De anima*, III, c. 10 (III, 472).
7 Cf. *De Trinit.*, XII, c. 3 (PL 42, 999); *De spiritu et anima*, c. 11 (PL 40, 787).
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 3 (II, 565 sqq.); III *Sent.*, d. 17, a. 1, q. 2, *ad 1* (III, 367).

2. Praeterea, anima rationalis secundum se ipsam, in quantum est spiritus, est sicut intelligentia angelica; sed intelligentia angelica [a] non habet nisi unicam vim motivam [1]; ergo nec anima rationalis, secundum quod huiusmodi.

3. Ad idem facit quod Philosophus [2] unam tantum vim videtur ponere, scilicet intellectum practicum, et est exemplum suum de sphaera prima, quae uniformiter movetur et unicum habet motum, licet aliae sphaerae motus habeant difformes; sic autem est de intellectu practico; videtur ergo ex parte rationalis animae unica esse potentia.

Contra: *a.* Multiplex motus procedit ab anima rationali, scilicet motus secundum alterationem, ut a gaudio in tristitiam et e converso, et motus localis; sed multiplicis motus in specie multiplex debet esse principium; cum ergo vis motiva sit principium motus, erit multiplex vis motiva.

b. Item, ab anima, sicut dicit Ioannes Damascenus [3], sunt et actiones et in ea sunt passiones; propter quod erit vis motiva activa et passiva, et ita plures.

c. Item, est motus secundum appetitum et secundum fugam; sed motus isti sunt contrarii; ergo procedunt a contrariis principiis; ergo [b] differentes vires erunt, secundum quas est appetitus et fuga.

d. Praeterea, Philosophus, in libro *De anima* [4], ponit duplicem motivam rationalem, intellectum et appetitivam vim.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod sunt plures motivae rationales.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem obiectum [c] in contrarium dicendum [d] quod Philosophus, cum loquitur de motiva vi corporis supercaelestis [e], loquitur de illa secundum quam fit [f] motus circularis et dicitur [g] motiva vis sicut dispositio mobilis. Sed est vis motiva alia secundum quam est principium motus active in iis inferioribus. Et ita est multiplex vis etiam in corpore supercaelesti, sed unica dicitur secundum quam movetur circulariter et non movetur in rectum nec violentatur.

2. Ad secundum dicendum quod, licet anima rationalis, in quantum est spiritus, quamdam habeat similitudinem intelligentiae angelicae [5], nihilominus habet vim directivam ad bonum, quae dicitur intellectus practicus, et vim appetitivam boni; praeter hoc autem anima rationalis, in quantum est anima, habet quamdam vim appetitivam ex inclinatione [h] ad corpus: et ita non dicetur anima rationalis tantum habere unam vim motivam, sed plures. Si vero dicatur intelligentia angelica habere unicam, hoc dici potest in comparatione ad animam rationalem, in quantum est anima.

3. Ad id quod tertio obicitur, dicendum quod Philosophus dividendo contra phantasiam, quae est partis sensibilis, ponit unicam, scilicet intellectum, qui [i] intellectus rectus est, phantasia autem [k] recta et non recta [6], nihilominus ponitur appetitiva rationalis vis partis illius: unde dicit intellectivum et appetitivum [l]; unde ponit plures vires partis rationalis motivae.

CAPUT II. 388

PENES QUID ACCIPIATUR DIVISIO POTENTIAE MOTIVAE.

Deinde quaeritur, cum sint plures partes motivae, penes quid accipiatur divisio.

Ad quod dicendum [m] quod, cum in generali omnis vis motiva rationalis dividatur per imperativam [n], consiliatricem et affectivam, ut in hoc ostendatur quaedam Trinitatis similitudo in parte motiva, et [o] unaquaeque harum differentiarum subdividatur [p] — quaedam enim divisio accipitur ex parte imperativae, quaedam ex parte consiliatricis, quaedam ex parte affectivae — ex parte imperativae illa quae continet liberum arbitrium et synderesim: nam imperativa aut est secundum directionem naturae aut rationis: secundum directionem rationis liberum arbitrium, secundum directionem naturae synderesis. Vel aliter: Imperativa aut est [q] determinata ad unum et dicitur [r] synderesis, aut est [s] potestas oppositorum, et dicitur liberum arbitrium. Ex parte vero consiliatricis accipitur divisio secundum quod accipitur ratio consulendi ex ordinatione recta [t] ad superna bona vel inferiora bona, et secundum hoc dicitur portio rationis inferior et [u] superior.

Ex parte vero affectivae, cum dicitur [v] ' alia voluntas θέλησις, alia βούλησις ', hoc [x] est alia [y] naturalis, alia electiva sive deliberativa, ut [z] naturalis

---

[a] S om. *s. l. a.* [b] L om. [c] Ita V, alii *obiectum autem primo* pro *p. a. o.* [d] Ita VT, alii add. *est.* [e] R *supracelestis; in* pro *vi.* [f] ST *sit.* [g] L om. [h] VST *interminatione.* [i] VSTZ *quod.* [k] V *que.* [l] S om. *e. a.* [m] Ita C, alii add. *est.* [n] L add. *et unaqueque harum differentiarum subdividatur in,* quod CZ exp. [o] S add. *in.* [p] VL om. *e. u. h. d. s.*; RLCZ *autem* pro *ehim.* [q] T *autem* pro *a. e.* [r] S *dividitur.* [s] T om. [t] R om. [u] Ita V, alii *vel.* [v] Z om. [x] R add. *autem.* [y] Ita V, alii add. *est.* [z] LC *aut.*

1 Cf. supra, num. 161.
2 Aristot., *De anima*, III, c. 10 (III, 472).
3 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 939).
4 Lib. III, c. 10 (III, 472).
5 Cf. supra, num. 122.
6 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 10 (III, 472).

voluntas respondeat synderesi, deliberativa vero libero arbitrio. Quaedam vero sumitur[a] ex parte consiliatricis simul et affectivae, et hoc dupliciter: secundum convenientiam quam habet anima rationalis cum angelo, et secundum hoc dividitur per intellectum practicum et vim appetitivam[1]; vel secundum quod proprium[b] est animae rationalis, et sic dividitur per rationalem, concupiscibilem et irascibilem.

TITULUS III.

DE LIBERO ARBITRIO.

Dicendum est ergo de libero arbitrio et synderesi primo, quae se habent per modum potentissimi in anima et ita per modum praesidentis sive imperantis[c]. — Quod enim liberum arbitrium se habeat per modum praesidentis et imperantis, habetur a B. Bernardo, in libro *De libero arbitrio*[2]: « Suo conatur praeesse corpori, sicut praeest Sapientia orbi *attingens a fine usque ad finem fortiter*[3], imperans scilicet singulis sensibus et artubus[d] tam potenter quatenus non sinat regnare peccatum in suo mortali corpore ». — Similiter quod praesidet synderesis in suo genere, potest haberi: sicut enim aquila superfertur aliis, sic et synderesis in suo genere[e] superfertur aliis[4].

In primis igitur quaeritur de libero arbitrio et deinde de synderesi, et ad illa cetera referemus.

Circa liberum arbitrium quaeruntur haec:
Primo, an sit liberum arbitrium;
secundo, quid sit;
tertio, in quibus sit;
quarto, utrum aequaliter sit in omnibus habentibus liberum arbitrium vel non;
quinto, utrum[f] amissibiliter vel inamissibiliter sit in illis;
sexto, respectu quorum actuum sit;
septimo, utrum sit illud penes quod attenditur meritum vel demeritum.

389

MEMBRUM I.

An sit liberum arbitrium[5].

Circa primum sic obicitur: Videtur enim quod non sit liberum arbitrium secundum quod est flexibile. 1. Hieronymus[6] enim sic arguit: « Deus est bonus voluntate et fecit hominem ad imaginem suam ». Ergo fecit hominem bonum voluntate. Si[g] hoc sequitur, ergo similiter sequetur ex alia parte ' Deus non potest non esse bonus, et fecit hominem ad imaginem suam, ergo fecit eum talem qui non potest non esse bonus, ergo non est in eo flexibilitas liberi arbitrii ad opposita'; et haec est libertas de qua loquimur; ergo non habet libertatem.

2. Item, melior est potentia faciendi bonum quae est impermixta potentiae faciendi malum, quam illa quae se habet ad utrumque, scilicet ad posse facere bonum et malum[7]: quod patet, quia[h] talis

---

[a] Ita V, alii *sumuntur*. [b] V *proprie*. [c] S om. *s. i.* [d] Ita Z (corr. mg.), alii *actibus*. [e] T om. *i. s. g.*; V om. *sic... aliis*. [f] T *an*. [g] Z *sed*, LC *sed si*. [h] T *quod*.

[1] Cf. supra, p. 465, *ad* 2.
[2] Cap. 10, n. 34 (PL 182, 1019).
[3] Sap. 8, 1.
[4] Cf. Gregor. Nazian., *In Ezech.*, (PG 36, 666); Hieronym., *In Ezech.*, I, c. 7 (PL 25, 22).
[5] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 592sqq.); *Breviloq.*, p. 2, c. 9 (V, 227b).
[6] Cf. *Epist. 39*, c. 2 (PL 22, 466).
[7] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 136.

potentia est in Deo. Si ergo omnis invidia relegata est a summo bono[1], cum talis potentia sit nobilissima et communicare eam potuit, communicavit eam [a] rationali creaturae quae est ad imaginem suam; ergo rationalis creatura habet potentiam faciendi bonum [b] impermixtam potentiae faciendi malum; ergo non est in ea liberum arbitrium secundum quod est flexibile ad bonum et malum.

3. Item, si non esset aliqua creatura in universo quae talem haberet [c] potentiam ut posset facere bonum et non posset facere malum, incompleta esset universitas creaturarum, cum Deus talem possit facere creaturam[2]; ergo est aliqua talis; sed, si aliqua est talis, haec est creatura rationalis; ergo creatura rationalis [d] non habet flexibilitatem ad bonum et malum; ergo nec libertatem secundum quod hic loquimur de libertate.

Contra: *a.* Damascenus[3]: « Omne generabile vertibile; animata vero et [e] irrationabilia vertuntur secundum corporales alterationes, rationale vero secundum electionem, contemplativum secundum excogitationem, activum vero secundum consilium ». Relinquitur quod rationalis creatura vertibilis est [f] secundum electionem; et hoc est flexibile secundum liberum arbitrium; ergo in ea est liberum arbitrium flexibile.

b. Item, Bernardus[4]: « Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur »; sed rationalis creatura ordinata est ad participationem praemii et meritum est ante praemium et principium merendi ante meritum; ergo, si principium meriti est liberum arbitrium[5], liberum arbitrium est [g] in homine.

c. Item, Augustinus, in libro [h] *83 Quaestionum*[6]: « Melior est homo qui voluntate quam qui necessitate bonus est ». Voluntas igitur libera homini danda fuit.

Respondeo: Concedo [i] quod liberum arbitrium, secundum quod est flexibile ad bonum et malum, sit [k] in creatura rationali.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod obicitur quod ' cum Deus sit necessitate bonus et homo sit ad imaginem [l] et similitudinem Dei, erit necessitate bonus et ita non habebit liberum arbitrium flexibile ' etc.: dicendum quod non est simile, sed bene tenet: Deus est voluntate bonus, et fecit hominem ad imaginem [m] suam, quod fecit eum voluntate bonum, quia creatura, cum sit ex nihilo, vertibilis est et ita oppositionem [n] habet ad necessitatem[7], quia necessitas est ex parte perfectae potentiae, et ita solum in Deo, non in creatura, cum ibi sit defectus potentiae, et ideo non sequitur quod, si Deus est necessario bonus, quod homo existens ad imaginem eius sit necessario bonus.

2. Ad aliud [o] dicendum[8] quod verum est [p] quod Deus potuit conferre alicui creaturae potentiam determinatam ad bonum, sed hoc non per naturam, sed per gratiam. Nulli enim creaturae potest conferri quod habeat potentiam flexibilem ad bonum et non ad malum per naturam, nisi dicatur natura illud quod datur homini a principio, licet non sit de esse ipsius. Causa autem quare non potest conferri homini per naturam est quia vertibile secundum naturam consequitur de necessitate esse creaturae. Unde sicut non potest conferri homini quod eius natura non sit creata, ita non potest conferri quod non sit vertibilis, sed solum confertur Filio, qui procedit ab ipso in identitate naturae; confertur tamen creaturae per gratiam quod non potest habere per naturam.

3. Ad aliud dicendum quod non sequitur quod, si homini non confertur potentia determinata ad bonum secundum naturam, quod sit incompleta universitas creaturarum; sed illud forsitan sequeretur, si aliquo modo non conferretur ei, scilicet per gratiam.

MEMBRUM II.

Quid sit liberum arbitrium.

Deinde quaeritur quid sit liberum arbitrium. Primo ergo quaeritur quid sit [q] secundum rem; secundo, quid sit [r] secundum definitionem; tertio, quid sit secundum nomen.

---

[a] T om. [b] C om. *f. b.* [c] R *habet*, quod L corr. [d] S om. *e. c. r.* [e] S om. [f] L om., in R est add. interl. [g] C *erit.* [h] R om. *i. l.* [i] RL *concedendo.* [k] Z *fuit.* [l] R *imaginationem.* [m] TR add. *et similitudinem*; S *quia* pro *quod.* [n] ST *oppositum.* [o] T *illud.* [p] T om. [q] S om. *liberum... sit.* [r] Ita Z, alii om.

1 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 223, *ad 2.*
2 Cf. supra, num. 146.
3 *De fide orthod.*, II, c. 27 (PG 94, 959).
4 *De grat. et lib. arbit.*, c. 1, n. 2 (PL 182, 1002).
5 Cf. infra, num. 416.
6 Quaest. 2 (PL 40, 11).
7 Cf. supra, num. 64.
8 Cf. supra, num. 66.

CAPUT I.

QUID SIT LIBERUM ARBITRIUM SECUNDUM REM.

Circa primum quaeritur primo quid sit[a] genere, utrum potentia vel habitus;

secundo, si sit potentia, utrum sit potentia una vel multae;

tertio, si sit una potentia, utrum sit ratio vel voluntas vel potentia separata a ratione et voluntate.

ARTICULUS I.

Utrum liberum arbitrium sit potentia vel habitus[1].

Circa primum sic obicitur: 1. Bernardus[2]: « Liberum arbitrium est habitus animi liber sui ». Ergo liberum arbitrium est habitus. — Item, quod potentia naturalis exeat in actum, habet ex eo quod potentia est; sed quod facile exeat, habet ex habitu superaddito[3]; ergo, cum liberum arbitrium de facili exeat in actum, videtur quod sit habitus.

2. Item, Augustinus, in *Enchiridion*[b 4]: « Homo, male utens libero arbitrio, perdit se et[c] ipsum »; sed constat quod potentia non est amissibilis; ergo non est potentia[d].

3. Item, potentia non recipit magis et minus nisi ratione inclinationis ad actum[5], et hoc est per[e] habitum; ergo, cum liberum arbitrium recipiat magis et minus, quia liberius est in uno quam in alio[f], ergo liberum arbitrium non erit potentia, sed habitus, quia planum est quod non est passio, et quidquid est in anima, sicut dicit Philosophus[6], est potentia vel habitus vel[g] passio; et non est potentia vel passio; ergo est habitus.

Contra: *a.* Bernardus[7]: « Anima habet tres potentias naturaliter sibi insitas, scilicet rationalitatem[h], voluntatem, facultatem », et hanc vocat liberum arbitrium; ergo liberum arbitrium est potentia.

b. Item, est quaedam vis animae semper tendens in bonum et trahens sursum, quam vocat B. Bernardus[8] spiritum Domini et frequenter vocatur spiritus in Scriptura, Mal. 2, 15: *Custodite spiritum* etc. et Rom. 8, 26: *Spiritus postulat* etc., et alio nomine scintilla rationis seu conscientiae, quae semper remurmurat contra malum et tendit sursum[9]. Item, est alia vis animae quae semper tendit deorsum, scilicet sensualitas, quam vocat B. Bernardus[10] appetitum carnis. Ergo debet esse media potentia, quae possit indifferenter tendere sursum et deorsum; sed haec[i] non est nisi liberum arbitrium; ergo liberum arbitrium[k] est potentia. Aut si est alia[l] potentia media, quae indifferenter[m] sit ad bonum et[n] malum, quaeritur quae[o] sit illa.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod liberum arbitrium est potentia habitualis pro libito eligentis, et ex hoc quod habitualis[p] est, habet quod facile exeat in actum. Unde, propter convenientiam quam habet cum habitu naturali in facile[q] exeundo in actum, frequenter nominatur habitus; unde dicit Bernardus[11] quod « est habitus animi liber sui ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum[r] obiectum dicendum quod 'potentia non exit de facili in actum nisi per habitum' est verum de naturalibus potentiis, sed non oportet de voluntariis, immo istae de facili exeunt in actum sine habitu superaddito et hoc quia immateriales sunt, ut dicit Philosophus[12].

2. Ad aliud dicendum quod triplex est libertas, scilicet naturae, gratiae et gloriae[13]; quod ergo dicit Augustinus non intelligitur de amissione potentiae nec libertatis primae, sed secundae vel tertiae.

3. Ad tertium dicendum[s 14] quod liberum arbitrium medium est inter essentiam et actum. Potest

---

[a] R add. *in.* [b] Z add. *idem.* [c] L *ad.* [d] L om. *amissibilis... potentia.* [e] S *in.* [f] T *altero.* [g] Z om. [h] Ita V, alii *rationabilitatem.* [i] Ita L, alii *hoc.* [k] V om. *e. l. a.* [l] VZ *aliqua.* [m] C *differenter.* [n] C add. *ad.* [o] V *quid.* [p] Z *habituale.* [q] Z *facili.* [r] Ita V, alii *primo.* [s] SRLC add. *est.*

1 Cf. supra, num. 153-159; S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 4 (II, 600sqq.).

2 Cf. *De grat. et lib. arbit.*, c. 1, n. 2 (PL 182, 1002).

3 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, II, c. 6 (II, 19).

4 Cap. 30 (PL 40, 246).

5 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 6 (I, 13).

6 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, II, c. 5 (II, 18).

7 Cf. *De grat. et lib. arbit.*, c. 14, n. 46 (PL 182, 1026).

8 Cf. Pseudo-Bernard., *De conscientia*, c. 7, nn. 12 et 13 (PL 184, 560).

9 Cf. infra, num. 420-421.

10 Cf. *De lib. arbit.*, c. 1, n. 2 (PL 182, 1002).

11 Cf. supra, nota 2.

12 Cf. Avicenna, *De anima*, p. 1, c. 5 (f. 5d).

13 Cf. Bernard., loc. cit., c. 3, n. 7 (PL 182, 1005).

14 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 2, a. 1, q. 1 (II, 609sqq.). Hoc argumentum fere verbotenus occurrit ap. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 37d), ubi tamen desunt verba: « *quantum ad libertatem a coactione... simpliciter dicitur magis et minus* » (p. 469b).

ergo accipi prout tenet se immediate cum essentia, et secundum hoc non dicitur magis et minus liberum [a], vel prout est principium actus, et secundum hoc potest esse liberius vel minus liberum. Et secundum hoc [b] potest accipi dupliciter: vel quantum ad terminum a quo vel quantum ad terminum ad quem. Nam quantum ad terminum a quo accipitur haec divisio: liber a coactione, a miseria, a peccato [1]; quantum ad libertatem a coactione, non dicitur magis et minus; quantum ad libertatem [c] a miseria et a peccato dicitur; et [d] quantum ad hoc simpliciter dicitur magis et minus [e 2] quantum ad terminum ad quem, cum dicitur aut confirmatum [in bono] aut potens in bonum et malum actum aut confirmatum in illo [f].

ARTICULUS II. 391

Utrum liberum arbitrium sit una potentia vel multae [3].

Deinde quaeritur utrum liberum arbitrium sit una potentia in se vel aliquo modo plures.

Et videtur quod non sit una potentia: 1. Nam omnes virtutes non sunt in eadem potentia, sed distinguuntur secundum diversitates potentiarum: unde quaedam virtutes sunt in ratione, sicut fides, prudentia et huiusmodi; et de donis similiter: quaedam sunt in ratione, quaedam in voluntate; sed tam illae quam istae sunt in libero arbitrio; ergo liberum arbitrium non est una potentia, sed plures vel aliquo modo continens in se plures potentias.

2. Item, « liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis [4] »; sed istae potentiae sunt diversae et dividuntur ex opposito [g].

3. Item, Bernardus [5] vocat liberum arbitrium consensum, Augustinus [6] facultatem, Anselmus [7] potestatem; sed [h] haec non sunt unius generis vel saltem unius speciei; ergo nec liberum arbitrium.

4. Item, videtur quod liberum arbitrium contineat in se omnes potentias. Damascenus [8]: « Libere appetit, libere iudicat, libere impetum facit, libere disponit, libere vult, libere inquirit »; sed isti actus sunt diversarum potentiarum: nam appetere et velle sunt concupiscibilis, inquirere, disponere rationalis, impetum facere irascibilis; ergo in omnibus est libertas, non solum in ratione vel voluntate.

5. Item, in omnibus iis viribus est meritum vel [i] demeritum; sed in solo libero arbitrio est meritum vel demeritum; ergo etc.

Contra: *a.* Eligere est unus actus; ergo est unius potentiae; sed nonnisi liberi arbitrii; ergo liberum arbitrium est una potentia.

b. Item [9], est una potentia quae semper tendit sursum quantum est de se, est alia quae tendit deorsum; ergo una debet esse potentia media; sed haec non est nisi [k] liberum arbitrium; ergo liberum arbitrium [l] est una potentia.

[Solutio]: Ad quod respondendum est per [m] illud quod dicit Augustinus, in libro [n] *De quinque responsionibus* [10]: « Cum loquimur de libero arbitrio, non de parte animae loquimur, sed de toto ». Unde dicimus quod liberum arbitrium continet in se omnes vires, secundum quas est meritum vel demeritum; non tamen ideo est plures potentiae essentialiter, sed plurium potentiarum.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc patet solutio ad primo [o] obiectum.

2-4-5. Ad secundum dicendum quod liberum arbitrium dicitur « facultas voluntatis et rationis », quia in istis duabus potentiis est primo et principaliter libertas [p], quia est rationis ut consiliantis et voluntatis sicut moventis, et per istas duas descendit libertas ad alias, quarum sunt actus remotiores, secundum quod dicit Damascenus [11]: « Libere disponit, libere impetum facit ». Non ideo tamen dicetur plures potentiae, sed continens in se plures, scilicet omnes illas in quibus est meritum vel demeritum. Verumtamen liberum arbitrium uno modo dividitur ex opposito [q] contra alias potentias, sicut iam melius explanabitur [12].

3. Ad hoc quod obicitur quod 'liberum arbitrium tribus nominibus [r] nominatur a Sanctis': dicendum [s 13] quod hoc est [t] secundum diversos

---

[a] Ita VZ, alii om. [b] S om. [c] S om. *a coactione... libertatem.* [d] S *dum* pro *d. e.* [e] S om. *et quantum... minus.* [f] V om.; R *miseriam* pro *c. i. i.* [g] Z add. mg. *ergo etc.* [h] Z *licet.* [i] L om. [k] R om. [l] S om. [m] S *quod.* [n] Z om. *i. l.* [o] C *primum.* [p] T om. [q] L *composito:* S om. *ex.* [r] Z *modis,* LC *modis vel nominibus.* [s] Ita V, alii add. *est.* [t] T *ergo quod hoc* pro *q. h. e.*

1 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 25, c. 8 (p. 432sqq.).
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 7, p. 1, a. 2, q. 3, *ad 6* (II, 188); IV *Sent.*, d. 18, p. 2, dub. 1 (IV, 495).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 3 (II, 597sqq.); *Breviloq.*, p. 2, c. 9 (V, 227b).
4 Cf. Augustin., *De corrept. et grat.*, c. 11, n. 32 (PL 44, 935); Lombard., II *Sent.*, d. 24, c. 3 (p. 421).
5 *De grat. et lib. arbit.*, c. 2, n. 4 (PL 182, 1004).
6 Cf. supra, nota 4.
7 *De lib. arbit.*, c. 13 (PL 158, 505).
8 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 946).
9 Cf. supra, pag. 468, litt. *b*.
10 Cf. *Hypognost.*, III, c. 5, n. 7 (inter opp. Augustini PL 45, 1624).
11 Cf. supra, nota 8.
12 Cf. infra, num. 392.
13 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, dub. 2 (II, 607sq.).

eius[a] respectus. Potestas enim dicitur respectu actus et finis: est enim potentia ordinata in finem mediante actu. Facultas vero dicitur respectu eius quod per[b] illud redditur facile: ratio enim vel voluntas facilis dicitur secundum facultatem liberi arbitrii; unde facultas dicitur « rationis et voluntatis ». Consensus autem dicitur[c] respectu moventis: aut enim movetur a Deo ad bonum aut ab adversario, scilicet diabolo; ex hoc ergo quod huic vel huic consentit, consensus dicitur.

392 ARTICULUS III.

Utrum liberum arbitrium sit ratio vel voluntas[1].

Deinde quaeritur utrum liberum arbitrium sit ratio vel voluntas vel potentia separata a ratione et voluntate.

Quod autem sit voluntas, 1. dicit Damascenus[2]: « Nihil aliud voco[d] liberum arbitrium nisi voluntatem ».

2. Item, Augustinus[3]: « Nihil ita est in potestate[e] nostra sicut voluntas, quae cogi non potest »; sed liberum arbitrium est huiusmodi; ergo etc.

3. Item, meritum residet penes voluntatem principaliter et penes liberum arbitrium principaliter; ergo liberum arbitrium[f] est voluntas.

4. Item, Bernardus[4]: « Non incongrue liberum arbitrium dicitur consensus liber propter voluntatem ».

5. Item, Bernardus[5]: « Liberum arbitrium ubique sequitur[g] voluntatem, ut nisi[h] desinat illa, isto non careat »; sicut enim in bono et malo aeque perdurat voluntas, ita et liberum arbitrium.

Quod sit ratio, videtur[6]: 6. Augustinus, *De quinque responsionibus*[7]: « Liberum arbitrium dicitur ab arbitrando, quia rationali parti, quid eligat quidve recuset, nomen accepit ».

7. Item, Bernardus[8] distinguit inter liberum arbitrium et liberum complacitum et liberum consilium et dicit: « Arbitrium quidem iudicium est; sicut vero iudicii est discernere quid liceat quidve non liceat[i], sic consilii[k] probare quid expediat, quid non expediat, sic complaciti experiri quid libeat quidve non libeat[l] ». Ergo, cum liberi arbitrii sit discernere quid liceat vel non, et hoc sit rationis tantum, videtur quod liberum arbitrium sit rationis tantum.

8. Item, Psalm. 38, 7: *In*[m] *imagine pertransit homo:* imago Dei ratio est[9]; sed[n] liberum arbitrium est illud secundum quod gerit homo imaginem Dei; unde Richardus[10]: « Vicinius adhaeret Deo eiusque tenet imaginem liberum arbitrium ». Ergo liberum arbitrium[o] est ratio.

Quod autem non sit ratio vel voluntas[q], **sed potentia**[r] **distincta a ratione et**[s] **voluntate, videtur**: *a.* Quia in[t] anima est imago Trinitatis ex parte cognitivae, scilicet memoria, intelligentia et voluntas[11]; similiter ex parte motivae, liberum arbitrium, ratio et voluntas, ut dicit Augustinus[12]. Voluntas ergo ex ista parte respondet voluntati, ex illa ratio intelligentiae; ergo liberum arbitrium respondet memoriae; ergo sicut mens sive memoria est pars imaginis ex parte cognitivae, ita liberum arbitrium[u] ex parte motivae, et ita videtur quod sit potentia separata a ratione et voluntate.

b. Item, ratio est quaedam particularis potentia ad cognoscendum, voluntas ad appetendum; sed liberum arbitrium non est particularis potentia; unde Augustinus[13]: « Cum de libero arbitrio loquimur, non de parte animae[v] loquimur, sed de toto ». Si[x] ergo potentia universalis distinguitur a particulari, liberum arbitrium differt a ratione et voluntate.

c. Item, Damascenus[14] ponit ipsum liberum arbitrium[y] universalem motorem in anima; unde dicit: « Libere vult, libere iudicat, libere appetit, libere consiliatur » etc.; sed universalis motor distinguitur a particulari; ergo idem quod prius.

d. Item, Bernardus[15]: « Conformatio est ut imago faciat in corpore quod forma facit in orbe:

---

[a] T om. [b] Ita VT, S om. *quod*, alii *per quod* pro *q. p.* [c] R om.; Z *consensu* pro *consensus.* [d] L *voca.* [e] R *voluntate.* [f] L om. *p. e. l. a.* [g] Z *consequitur;* T om. *liberum arbitrium.* [h] Z *ubi.* [i] V om. *q. n. l.* [k] SR *consulere,* quod LC corr.; Z add. *est.* [l] T om. *sic consilii... libeat.* [m] T om., C *est.* [n] Z om. [o] S *secundum.* [p] V om. *e. l. a.* [q] Z *potestas.* [r] T om. *s. p.* [s] T *vel.* [t] S om. [u] SR om. [v] Z add. mg. *vel homints;* C om. *loquimur.* [x] V om. [y] Ita V (mg.) Z, alii om. *l. a.*

1 Cf. Praeposit., *Summa*, II (f. 95c); Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 11, c. 1, q. 2 (f. 69c sqq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, a. 1, qq. 2 et 3 (II, 595 sqq.).

2 *De fide orthod.*, III, c. 14 (PG 94, 1038).

3 *De lib. arbit.*, III, c. 3, n. 7 (PL 32, 1274).

4 *De grat. et lib. arbit.*, c. 8, n. 24 (PL 182, 1015).

5 Loc. cit., c. 2, n. 4 (PL 182, 1004).

6 Praeposit., loc. cit.: « Dicimus quod liberum arbitrium sit ratio, licet Magistris nostris aliter visum fuerit ».

7 *Hypognost.*, III, c. 4, n. 4 (PL 45, 1623).

8 Loc. cit., c. 4, n. 11 (PL 182, 1007).

9 Cf. Lombard., in h. l. (PL 191, 393).

10 *De statu inter. hom.*, tr. 1, c. 3 (PL 196, 118).

11 Cf. supra, num. 340, III.

12 Cf. *De Trinit.*, X, c. 11, XI, c. 3 (PL 42, 982 sq., 987 sq.).

13 *Hypognost.*, III, c. 5, n. 7 (PL 45, 1624).

14 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 946).

15 *De grat. et lib. arbit.*, c. 10, n. 33 (PL 182, 1019).

movet potentissime, ordinat, administrat et nulla cogitur necessitate ». Si ergo potentissimum est, ergo non est potentia determinata, sed universaliter imperans.

Respondeo: Concedo quod liberum arbitrium est universaliter imperans, et sicut praesidet motor toti orbi, ita istud motor est universaliter imperans. Sed nota [a] de libero arbitrio sicut de mente. Mens enim aliquando comprehendit totam cognitivam, secundum quod dicit Augustinus [1] quod mens habet imaginem in potentia cognoscendi [b] et similitudinem in potentia diligendi, et hoc modo [c] dicit Magister, in I *Sententiarum* [2], quod ista tria, scilicet memoria, intelligentia et voluntas sunt una mens [3]. Alio vero modo est pars imaginis [d], secundum quod mens dicitur a servando similitudinem [4], intelligentia a [e] cognoscendo, voluntas ab appetendo summam veritatem. Similiter ex parte motivae liberum arbitrium aliquando sumitur distincte, aliquando indistincte: indistincte [f], secundum quod est potentia animae [g] universalis et actus eius sunt actus aliarum, et secundum hoc nihil aliud est quam potestas rationalis ad opposita; hoc modo dicit Augustinus [5]: « Cum de libero arbitrio loquimur, non de parte animae loquimur, sed de toto »: sic enim comprehendit totam imaginem ex parte motivae. Alio modo sumitur distincte, secundum quod eius actus est facere pro libito: et hic est communis libero arbitrio creaturae rationalis et Creatoris; vel obtemperare Deo: et hic est proprius rationali creaturae bonae; vel etiam eligere: et hic actus est elicitus a ratione et voluntate et est communis omni rationali creaturae [h]. Hoc autem modo, secundum quod distincte accipitur, est potentia distincta a ratione et voluntate: unde tenet imaginem Patris ex parte motiva, ratio Filii, voluntas Spiritus Sancti.

[Ad obiecta]: 1-5. Ad illas ergo auctoritates Sanctorum, quae videntur concludere quod liberum arbitrium sit voluntas, dicendum [6] quod Sancti non intendunt dicere quod liberum arbitrium essentialiter sit voluntas, sed quod penes illam principaliter attenditur libertas; unde ob hanc solam rationem dicitur liberum arbitrium voluntas, quia penes illam principaliter attenditur libertas eius.

6-7. Ad illud quod obicitur quod sit ratio, dicendum quod hoc intelligitur ratione arbitrii sive iudicii: sicut enim liberum dicitur aliquando voluntas propter ipsam libertatem, sic aliquando dicitur ratio sive rationis propter arbitrium; et hoc indicant rationes post propositae [i] [7].

8. Ad illud quod obicitur quod ' imago mentis ratio est et [k] secundum liberum arbitrium [l] gerit homo Dei [m] imaginem ', respondeo quod ratio accipitur dupliciter: aliquando communiter, secundum quod tenet [n] totam rationem partis motivae superioris, et hoc modo idem est cum libero arbitrio indistincte sumpto; aliquando vero determinate [o] sumitur secundum actum discernendi, et sic differt liberum arbitrium proprie sumptum a [p] ratione.

CAPUT II.

QUID SIT LIBERUM ARBITRIUM SECUNDUM DEFINITIONEM [8].

Consequenter dicendum est quid sit liberum arbitrium secundum definitionem.

Definit autem Anselmus liberum arbitrium sic, in libro *De libero arbitrio* [q] [9]: « Liberum arbitrium [r] est potestas servandi rectitudinem propter se », id est propter ipsam rectitudinem.

Item, ponitur alia definitio Augustini [10], quae talis est: « Liberum arbitrium est [s] facultas voluntatis et rationis, qua bonum eligitur gratia assistente, malum vero gratia desistente ».

Item, alia est B. Bernardi, in libro *De libero arbitrio* [11]: « Liberum arbitrium est consensus ob [t] voluntatis inamissibilem libertatem et rationis indeclinabile iudicium ».

Primo quaerendum est de qualibet definitione per se;

deinde, qualiter distinguantur inter [u] se.

---

[a] V *notatur*. [b] SL *cogitandi*. [c] Z om.; T om. *Magister*. [d] R *imaginationis*, item infra. [e] RLC om., Z *autem*. [f] R om. [g] T om. [h] L om. *vel etiam... creaturae*, R om. *bonae... creaturae*. [i] Z *posite*. [k] L om., Z *etiam*. [l] ST om. [m] Ita V, alii om. [n] V add. *alii*. [o] V om.; S om. *sumitur*. [p] S *et*. [q] Ita CZ, alii add. *scilicet*. [r] S om. [s] V om. [t] Z om. [u] V *in*.

1 Cf. *De spiritu et anima*, c. 39 (PL 40, 809); cf. supra, num. 339.

2 Dist. 3, c. 2 (p. 35).

3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 3, p. 2, a, 2, q. 1 (I, 89).

4 Cf. Isidor., *Etymol.*, XI, c. 1 (PL 82, 399); Augustin., *De Trinit.*, XV, c. 7, n. 12 (PL 42, 1065).

5 Cf. supra, p. 470, nota 13.

6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 2, a. 1, q. 4, *ad 5* (II, 617).

7 Sub litt. *a-d*.

8 Cf. supra, num. 154; S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, dub. 2 (II, 607 sq.).

9 Cap. 13 (PL 158, 505).

10 Cf. *De corrept. et grat.*, c. 11, n. 32 (PL 44, 935); Lombard., II *Sent.*, d. 24, c. 3 (p. 421); Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 11, c. 1, q. 2 (f. 69b).

11 Cap. 2, n. 4 (PL 182, 1004).

De singulis definitionibus.

393

PROBLEMA I.

De definitione Anselmi.

Circa primam definitionem Anselmi, quae est: « Liberum arbitrium est potestas servandi rectitudinem propter se », obicitur: 1. Non enim videtur quod universaliter [a] conveniat, quia liberum arbitrium est commune Deo et angelis bonis et malis [1]; sed « potestas servandi rectitudinem » non est in angelis malis nec in damnatis, cum non possit eis inesse [b] rectitudo; ergo non potest in eis servari; ergo eis non convenit haec definitio.

2. Item, in creatura rationali est potestas servandi rectitudinem et eam deserendi; et potestas liberi arbitrii [c] est ad haec duo; quare ergo definitur tantum per alterum?

3. Item, « liberum arbitrium est potestas servandi rectitudinem propter se »; sed nihil ad se ipsum ordinatur tamquam ad finem; ergo non bene dicitur « potestas servandi rectitudinem propter rectitudinem ».

Respondeo: 1. Dicendum est quod « potestas servandi » dupliciter accipitur. Uno modo, secundum quod colligitur a parte eius quod potest servare et eius quod potest servari et medii per quod potest servari: secundum hunc modum absente rectitudine non est [d] « potestas servandi rectitudinem »; sic autem non sumitur in definitione liberi arbitrii quam ponit Anselmus. Alio vero modo dicitur « potestas servandi » solum quantum ad illud quod pertinet ad naturam potentis, et secundum hunc modum absente rectitudine est « potestas servandi rectitudinem [e] ». Et est exemplum Anselmi [2] de potestate videndi, quae uno modo colligitur ex vidente et viso et [f] medio, et secundum hoc, cum absens est visibile vel cum defectus est debitae dispositionis ex parte medii, dicitur quod homo non potest videre rem [g] illam; alio vero modo dicitur potentia videndi tantum quantum ad virtutem quae est ex parte videntis, et secundum hunc modum, sive sit absens sive praesens obiectum sive medium dispositum sive non, dicitur potestas videndi.

2. Ad hoc quod quaeritur 'quare [h] non definitur potestas deserendi [i], cum sit potestas oppositorum', dico quod potestas oppositorum dicitur dupliciter: quandoque oppositorum ita quod utriusque per se; quandoque ad unum per se, ad alterum per accidens; quandoque ad alterum per se, ad alterum non. Liberum ergo arbitrium nec est ad malum per se nec ad malum per accidens, sed est tantum mali. Quando ergo dicitur 'potestas deserendi', non determinatur finis eius, sed illud circa quod.

3. Ad illud quod obicitur quod 'rectitudo non est finis sui ipsius, unde [k] non est servanda propter se', dico quod duplex est rectitudo: una creata et altera increata; secunda est in Deo, prima in libero arbitrio, quae est ad illam. Rectitudo ergo illa, propter quam ista est [l] servata, est rectitudo increata. Definitur enim liberum arbitrium ut est commune Deo et creaturae; ergo oportet sumere rectitudinem secundum quod convenit utrique: et sic respectu Dei causam finalem, respectu creaturae rationem tantum et non causam finalem, quia ipsa non est causa finalis sui ipsius.

394

PROBLEMA II.

De definitione Augustini.

Circa secundam definitionem, quae est: « Liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente et malum eadem desistente », sic obicitur: 1. Dicit enim [m] Anselmus [3] quod, si aliquid additum alicui minuit et separatum auget, non est illud nec pars illius; sed potestas peccandi, in quantum huiusmodi, minuit libertatem: liberior [n] enim est qui potest recte agere et non potest non recte agere [o] quam qui potest recte agere et non recte; ergo possibilitas [p] peccandi non est pars libertatis [4]; ergo nec liberi arbitrii; ergo non est ponendum in definitione illius.

2. Item, non est una [q] facultas diversarum potentiarum; sed [r] ratio et voluntas sunt diversae potentiae; ergo liberum arbitrium non est facultas illarum potentiarum.

---

[a] V add. *et.* [b] Ita V, STLC *in eis inesse*, RZ *in eis esse* pro *e. i.* [c] S om. [d] V *potest.* [e] V om. *e. p. s. r.* [f] V om., in RLC est add. interl. [g] V add. *et.* [h] T *quod.* [i] S *servandi.* [k] RLC add. *et.* [l] T om. [m] V om. [n] Ita VZ (corr.), alii *liberius.* [o] S om.; T om. *non.* [p] L *potestas*, quod C corr. [q] T om. [r] T add. *et.*

1 Cf. infra, num. 402.
2 Cf. *De lib. arbit.*, c. 4 (PL 158, 495).
3 Cf. loc. cit., c. 2 (PL 158, 491).
4 Cf. Anselm., loc. cit.

3. Item, « facultas voluntatis et rationis » convertitur cum libero arbitrio; ergo superfluum [a] est illud quod additur: « qua bonum eligitur » etc.

Respondeo [b]: 1. Ad primum dicendum quod [c] est triplex libertas, scilicet naturae, gratiae et gloriae: libertas naturae libera est a coactione, libertas gratiae a culpa, libertas gloriae a miseria [1]. Quando ergo dicitur 'quod separatum auget et additum minuit non est pars illius', non intelligitur de libertate naturae, quia illa non potest augeri vel minui [2] — Bernardus [3]: « Sicut in bono, ita in malo aeque perdurat voluntas » — sed dicitur respectu eius quod est a culpa et a miseria: potest enim culpa augeri et minui et [d] miseria. Unde magis liberum potest esse ab iis tantum; unde potentia eligendi malum gratia desistente est pars libertatis, non secundum quod communis est cum Deo, sed secundum quod creatura.

2. Ad aliud dicendum quod ratio dicitur dupliciter [4]. Est enim aliquando ratio cognitio veri, et haec non pertinet ad liberum arbitrium secundum quod huiusmodi. Dicitur etiam ratio cognitio boni, et hoc dupliciter, quia potest esse cognitio boni quod est faciendum simpliciter vel non faciendum, et haec [e] iterum non habet unitatem cum voluntate, secundum quod « liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis »; ratio etiam potest esse cognitio boni, non solum quod faciendum sit vel non faciendum, sed cognitio boni faciendi ad hoc ut fiat, et haec est proxima dispositio ad voluntatem. Sicut ergo proxima dispositio et forma habent quodam modo unitatem, ita secundum hanc viam ratio et voluntas, ut sint quasi una potentia, et secundum hoc potest esse una facultas voluntatis et rationis: rationis ut consulentis [f], voluntatis ut inclinantis [5].

3. Ad tertium dicendum quod non superfluit illud quod apponitur in definitione: « qua [g] bonum eligitur ». Nam, etsi convertantur liberum arbitrium et facultas voluntatis et rationis, non tamen propter hoc datur intelligi quod ista [h] facultas sit oppositorum; intelligitur autem per hoc quod sequitur: « qua bonum eligitur » etc. — Praeterea, duplex est facultas voluntatis et rationis. Est enim quaedam facultas naturalis quae est determinata ad unum tantum, et ista non convertitur cum libero arbitrio; est alia facultas voluntaria quae se habet ad opposita, et haec convertitur cum libero arbitrio et haec determinatur per hoc quod sequitur: « qua bonum eligitur » etc.

PROBLEMA III. 395

De definitione Bernardi.

Circa tertiam definitionem, quae est: « Liberum arbitrium est consensus ob [i] voluntatis inamissibilem libertatem et rationis indeclinabile iudicium », sic obicitur: 1. Quaeritur enim quid dicatur hic « consensus », aut scilicet consentire cum sensu [k] mentis aut cum sensu carnis. Si cum sensu mentis [l], sic nullus consensus [m] esset malus; si vero cum sensu carnis, sic nullus consensus esset bonus. Restat ergo quod istud [n] erit consensus ad utrumlibet [o] vel cum sensu mentis, qui scilicet consensus est bonus, vel cum sensu carnis, qui scilicet consensus est malus; sed iste consensus medius non videtur pertinere ad liberum arbitrium — unde dicit Bernardus [6]: « Nemo putet ideo dictum liberum arbitrium quia inter bonum et malum potestate vel facultate versetur » — ergo consensus, secundum quod indifferenter est ad bonum et malum, non pertinet ad liberum arbitrium.

2. Item, quaeritur de hoc quod dicitur « ob voluntatis inamissibilem libertatem », ex quo videtur quod libertas voluntatis sit inamissibilis, et hoc videtur falsum. Dicit enim Augustinus, in *Enchiridion* [7], quod « homo male utens libero arbitrio perdidit [p] se et ipsum ». Ergo liberum arbitrium est amissibile; sed hoc non intelligitur quantum ad potentiam; ergo quantum ad libertatem; ergo libertas est amissibilis.

3. Item, quaeritur de hoc quod dicitur « ob rationis indeclinabile iudicium ». Nam distinguit B. Bernardus [8] inter liberum arbitrium et liberum consilium; haec autem ultima pars definitionis videtur convenire libero consilio; non ergo solum convenit libero arbitrio: liberi enim consilii est eligere quid [q] expediat vel non expediat.

4. Praeterea, dicit Bernardus [9]: « Si ratio induceret [r] necessitatem voluntati, non iam esset voluntas libera ». Iudicium ergo rationis respectu

---

[a] S *super.* [b] Ita V, alii om. [c] V om. [d] C add. interl. *a.* [e] VR hoc. [f] C *consumantis;* V om. *rationis,* in RZ est add. mg. [g] S *quia.* [h] T om. [i] S *et.* [k] VT *consensu,* item infra. [l] T om. *aut... mentis.* [m] T add. *cum.* [n] T *quod iste* pro *e. q. i.* [o] Z *sensus ad utrumque* pro *c. a. u.* [p] V *perdit.* [q] STZ *quod.* [r] V *rationem duceret* pro *r. i.*

[1] Cf. Bernard., *De grat. et lib. arbit.,* c. 3, n. 7 (PL 182, 1005).
[2] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 25, p. 1, dub. 1 (II, 625).
[3] Cf. *De grat. et lib. arbit.,* c. 8, n. 24 (PL 182, 1015).
[4] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, p. 5 *ad I-4;* infra, p. 493, *Respondeo.*
[5] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 25, p. 1, a. 1, q. 3, *ad 1* (II, 599).
[6] Loc. cit., c. 10, n. 35 (PL 182, 1019).
[7] Cap. 30 (PL 40, 246).
[8] Cf. loc. cit., c. 4, n. 11 (PL 182, 1007).
[9] Loc. cit., c. 2, n. 4 (PL 182, 1003).

voluntatis non est nisi per modum [a] consilii; ergo liberum arbitrium non videtur differre a libero consilio nec e converso; erit ergo liberum consilium consensus etc.

5. Praeterea, cum dicitur « rationis iudicium indeclinabile », aut dicitur « indeclinabile » quia non potest declinari in non rectitudinem, et secundum hoc liberum arbitrium ex parte rationis semper recte iudicaret, sive sequeretur recta voluntas sive non: quod cum non sit, eo quod ratio est recta et [b] non recta sicut voluntas bona et mala, non dicetur « indeclinabile » secundum hanc rationem. — Si vero dicatur « indeclinabile iudicium » quia nunquam voluntas moveatur nisi ex iudicio rationis – contra hoc est quod voluntas aliquando scienter movetur in malum, et cum scienter movetur in malum, movetur contra iudicium rationis: sicut enim dicit Bernardus[1], multa facit contra consilium sive iudicium rationis; non ergo hoc [c] modo dicitur « indeclinabile ». Quo ergo modo dicitur « indeclinabile »?

Respondeo [d]: 1. Ad primum dicendum quod « consensus » ob hoc dicitur quia medium est, sicut dicit Bernardus[2], inter sensum mentis et sensum carnis sive appetitum; aliquando vero consentit in id quod dictat sensus mentis, aliquando in id quod dictat sensus [e] carnis, non tamen aeque se habet ad utrumque ex natura, sed per se habet ut ordinetur ad sensum mentis, scilicet ut ordinetur ad bonum, et ideo dicitur non aeque se habere ad utrumque.

2. Ad secundum dicendum quod libertas naturae non est amissibilis, secundum quod natura essentialiter accipitur in iis in quibus est. Secundum autem quod natura dicitur naturale bonum innocentiae quod primitus est datum — prout dicitur in II libro *Sententiarum*, 24 dist.[3]: « Libertas arbitrii est ab omni labe et corruptela rationis immunis [f] atque voluntatis rectitudo et omnium potentiarum animae vivacitas » — sic est amissibilis. Amissibilis etiam est secundum quod importat in se [g] libertatem a peccato. Iis ergo modis dicitur amissibilis. Sed secundum hunc modum non accipiebatur in ratione, sed quia cogi non potuit aut non decuit.

3. Ad tertium dicendum quod non est idem liberum arbitrium et liberum consilium, sicut dicit Bernardus[4]: « Iudicii enim est discernere quid liceat et quid non liceat, consilii autem est probare quid expediat, quid non expediat »; hoc autem non est idem illi: multa enim per iudicium licita vel illicita decernimus [h], quae tamen licita non approbamus et illicita [non] respuimus; hoc autem modo accipitur « iudicium » in ratione liberi arbitrii, non prout est commune arbitrio et consilio.

4. Ad quartum dicendum quod, licet ratio non imponat necessitatem voluntati et ita « iudicium rationis » non videatur aliud esse quam consilium, tamen non est sic [i] consilium sicut ponitur in intentione liberi consilii: hoc enim est consilium quod procedit ex gratia vel [k] defectu gratiae. Iudicare autem, primo modo dictum, fuit ex ipsa ratione in se, magis tamen proprie liberum consilium dicitur tantum ad libertatem gratiae referri.

5. Ad quintum dicendum quod iudicium dicitur « indeclinabile », quia inseparabile est secundum quod ratio inseparabilis est a libero arbitrio. Unde dicit Bernardus[5]: « Habet voluntas rationalis [l], quocumque se vertit, rationem semper comitem et quodam modo pedissequam [m], non quod semper ex [n] ratione, sed quod [o] nunquam absque ratione moveatur ». Non autem accipitur « iudicium indeclinabile » a rectitudine, sicut obiectum est.

ARTICULUS II.

Qualiter distinguantur istae tres definitiones inter se.

Deinde quaeritur qualiter distinguantur istae tres [p] definitiones inter se.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod, cum sint quatuor causae — causa movens prima et causa finalis et causa materialis vel quod se habet ad modum causae materialis [q] et causa formalis — definitio B. Bernardi attenditur in [r] comparatione ad causam moventem, cum dicitur quod « liberum arbitrium est consensus »: consensus enim dicit conversionem virium ad causam moventem; in nobis enim est consentire Deo vel non consentire. Definitio vero Anselmi data est in comparatione ad finem, secundum quod dicitur « potestas conservandi rectitudinem propter se »: rectitudo enim aeterna est finis ad quem ordinatur liberum arbitrium per se, mediante suo actu. Definitio vero liberi arbitrii, quam ponit Augustinus, attenditur

[a] VST *medium.* [b] VT *vel.* [c] T om. [d] Ita V, alii om. [e] Z om. *mentis... sensus.* [f] V om. [g] Z om. *i. s.* [h] ST add. *ut.* [i] Z *sicut.* [k] V om. [l] S *rationis.* [m] T *se possedisse causam.* [n] R om, V *est cum*, S *est.* [o] V *quia.* [p] T om. [q] R om. *vel... materialis.* [r] R om.

[1] Cf. *De grat. et lib. arbit.* c. 2, n. 3 (PL 182, 1003).
[2] Loc. cit.
[3] Cap. 2 (p. 421).
[4] Loc. cit., c. 4, n. 11 (PL 182, 1007), ubi et sequentia ad sensum.
[5] Loc. cit., c. 2, n. 3 (PL 182, 1003).

penes potentias, rationem scilicet et voluntatem, quae se habent ad modum causae materialis: moventur enim a primo motore ad bonum; gratia vero est forma, secundum quam diriguntur in finem. Sic ergo potest attendi differentia istarum definitionum supra positarum. — Nec hoc obstat quod [a] potentiae illae possunt ex se moveri libere in malum. Non enim [b] ad hoc creatum est liberum arbitrium, sed, cum possit in malum, cedat ei in meritum non consentire malo, prout dicitur in Eccli. 31, 10: *Qui potuit facere mala et non fecit* etc.

CAPUT III.

QUID SIT LIBERUM ARBITRIUM SECUNDUM NOMEN.

Consequenter quaeritur quid sit liberum arbitrium secundum nomen. Circa quod

Primo quaeritur utrum liberum arbitrium dicatur liberum eo quod est boni et mali indifferenter vel eo quod sit boni et mali, sed magis mali, vel eo quod sit boni et mali, sed magis [c] boni;

secundo, cum liberum arbitrium sit « facultas voluntatis et rationis [1] », utrum nomen libertatis habeat ex parte rationis vel ex parte voluntatis vel ex parte utriusque, et, si ex parte utriusque, ex qua parte magis;

tertio, cum sit triplex libertas, scilicet naturae, gratiae et [d] gloriae, ex qua libertate primo et principaliter nominetur liberum;

quarto, quare duobus nominibus nominetur, cum sit una potentia;

quinto, si philosophi pervenerunt ad rem liberi arbitrii, et, si aliquo modo pervenerunt ad rem, quare non pervenerunt ad nomen.

ARTICULUS I. 397

Utrum liberum arbitrium dicatur liberum eo quod sit boni et mali indifferenter [2].

Circa primum sic obicitur: *a.* Damascenus [3]: « Creatura rationalis vertibilis est secundum electionem »; ex hoc enim liberum arbitrium [e] est, quod eligere potest vel recusare. Cum ergo [f] eligere sit indifferenter inter utrumque, et recusare [g] similiter, ergo liberum arbitrium indifferenter dicitur boni et mali.

b. Item, Bernardus [4]: « Eo dicitur liberum arbitrium, quia sive in bono sive in malo aeque liberam habeat voluntatem ». Ergo etc.

c. Item, Hugo de S. Victore [h 5]: « Posse facere bonum potestatis est, posse facere malum infirmitatis, neutrum vero per se est libertatis ». Cum ergo sit libertas in iis, erit in utroque indifferenter.

d. Item, Augustinus, in *Hypognosticon* [6]: « Liberum arbitrium ab [i] arbitrando nomen accepit, ex eo scilicet quod rationalis creatura discernat quid eligat quidve recuset ».

Quod autem sit magis boni: 1. Anselmus [7]: « Potestas peccandi nec est libertas nec pars libertatis ». — Quod sic probatur [8]: « Quod additum minuit et separatum auget non est libertas nec pars libertatis »; sed potestas peccandi talis est; ergo etc.

2. Item, in potestate peccandi non convenit homo vel angelus cum Deo, cuius imaginem tenet, sicut dicit Bernardus [k 9]; et convenit in libero arbitrio quoad hoc quod est potestas recte agendi; ergo liberum arbitrium hominis magis est respectu boni quam respectu [l] mali.

3. Item, sicut habetur in libro *De libero arbitrio* [10], Deus dedit homini liberum arbitrium ad hoc ut eo recte uteretur, non ad hoc ut eo non recte uteretur; sed recte utitur in bono, non recte utitur in malo; ergo liberum arbitrium magis est boni quam mali.

4. Item, Augustinus [m], *De civitate Dei* [11]: « Arbitrium voluntatis tunc est vere liberum, cum vitiis peccatisque non servit »; tale autem datum est a Deo; ergo liberum arbitrium magis se habet ad bonum quam ad malum.

---

[a] RLCZ *quia*. [b] Z om. [c] T om. *mali vel... magis*. [d] RZ om. [e] Ita Z, alii om. [f] T om. [g] T add. *etiam*. [h] Z add. mg. *in libro De statu interioris hominis, 13 cap.* [i] V *aut*. [k] T add. *enim*. [l] V om. *b. q. r.* [m] T add. *in libro*.

1 Cf. supra, p. 471, nota 10.

2 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 11, c. 1, q. 3 (f. 70b sq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 2, a. 1, q. 3 (II,613 sqq.).

3 Cf. *De fide orthod.*, II, c. 27 (PG 94, 959).

4 Cf. *De grat. et lib. arbit.*, c. 10, n. 35; cf. c. 8, n. 24 (PL 182, 1020, 1015).

5 Potius Richard. de S. Vict., *De statu inter. hom.*, tr. 1, c. 13 (PL 196, 1125); cf. Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 16 (PL 176, 272).

6 Cap. 4 (inter opp. Augustini PL 45, 1623).

7 *De lib. arbit.*, c. 1 (PL 158, 490).

8 Cf. Anselm., loc. cit.

9 Cf. loc. cit., c. 9 (PL 182, 1016 sqq.).

10 Augustin., II, cc. 1 et 2 (PL 32, 1240 sq.).

11 Lib. XIV, c. 11, n. 1 (PL 41, 418).

Quod autem sit magis mali quam boni: 5. Bernardus[1]: « Nemo putet ideo dictum liberum arbitrium quia inter bonum et malum potestate et facilitate versetur, cum cadere possit per se, non autem resurgere ». Magis ergo se habet ut sit mali quam boni.

6. Item, liberum arbitrium hominis per se sufficiens est ad malum, non autem per se sufficiens est ad [a] bonum; ergo liberum arbitrium magis est mali quam boni [b].

7. Item, magis habet alliciens et trahens ad malum quam ad bonum; ergo magis dicetur mali quam boni.

Respondeo [c] quod liberum arbitrium tripliciter consideratur: uno modo, secundum quod non cogitur, et hoc modo dicitur liberum, quia indifferenter est boni et mali; alio [d] modo consideratur liberum arbitrium secundum naturam, secundum quam assimilatur Deo, hoc est secundum quod liberum arbitrium ordinatur ad bonum, et secundum hoc est boni principaliter, et hoc modo dicit Anselmus[2] quod « posse facere malum non est pars libertatis »; tertio modo consideratur quantum ad defectum naturae quem habet ex eo quod est creatura vel secundum defectum voluntatis proprium, et hoc modo plus est mali quam boni, quia per se tendit in malum, et hoc modo dicit B. Bernardus[3]: « Nemo putet liberum arbitrium » etc.

[Ad obiecta]: Secundum hoc ergo respondendum est ad auctoritates. *a-d.* Nam illae auctoritates [e] quae concludunt quod liberum arbitrium est indifferenter boni et mali, intelliguntur de libero arbitrio secundum naturam illam secundum quam non cogitur.

1-4. Aliae vero, quae concludunt quod est tantum boni sive magis boni, intelliguntur de libero arbitrio secundum quod assimilatur Deo.

5-7. Aliae vero intelliguntur de libero arbitrio secundum defectum quem habet, propter quod [f] dicitur esse vertibile, propter quem defectum plus [g] inclinatur ad malum quam ad bonum.

ARTICULUS II.

Utrum liberum arbitrium dicatur liberum ex parte rationis vel voluntatis[4].

Secundo quaeritur utrum [h] liberum arbitrium dicatur liberum principaliter ex parte rationis vel ex parte voluntatis.

Quod autem ex parte voluntatis, videtur: *a.* Quia quoad voluntatem domini sumus actuum nostrorum; unde dicit Augustinus[5]: « Nihil est ita in potestate nostra sicut voluntas »; sed [i] illius est libertas principaliter, cuius est dominium actuum suorum; ergo, cum voluntas sit huiusmodi, libertas primo et principaliter erit voluntatis.

b. Item, ratio potest cogi per argumenta et ratiocinationes, sed non voluntas; unde Augustinus[6]: « Voluntas est animi motus, cogente nullo ad aliquid adipiscendum vel non adipiscendum [k] ». Ergo, cum libertas sit non posse cogi, dicetur liberum arbitrium liberum principaliter ex parte voluntatis.

c. Item [l], Bernardus[7]: « Universa quae hominis sunt, praeter solam voluntatem, a merito et iudicio libera sunt, quia sui libera non sunt ». Ergo ex hoc videtur quod [m] sola voluntas in homine libera sit.

Contra: 1. « Liberum arbitrium », sicut dicit Boethius[8], « est liberum de voluntate iudicium ». Ergo liberum [n] arbitrium dicitur liberum, quia est iudex suae voluntatis; sed iudicium pertinet ad rationem; ergo libertas attenditur principaliter [o] ex parte rationis [p], non voluntatis.

2. Item, Augustinus [q 9]: « Liberum arbitrium dicitur ab [r] arbitrando »; sed hoc pertinet ad rationem; ergo trahit nomen ex parte rationis.

3. Item, Bernardus[10]: « Insani et infantes, quia non sunt compotes rationis, non habent usum libertatis ». Ergo non dicuntur habere libertatem arbitrii [s], quia non habent usum rationis; ergo libertas principaliter attenditur ex parte rationis.

Respondeo[11]: Quod libertas arbitrii [t] principaliter est ex parte voluntatis.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad auctoritates vero in contrarium respondendum [u] quod illae attenduntur secundum quod libertas coarctatur ad iudicium [v].

---

[a] ST om. *malum... ad,* in R est add. mg.; VC om. *est.* [b] STLZ *boni quam mali* pro *m. q. b.*, quod R corr. [c] T add. *credo.* [d] Ita VS, alii add. *vero.* [e] R om. *n. i. a.* [f] Ita VZ, alii *quem.* [g] R *magis.* [h] T om. [i] S *sive.* [k] VS om. *v. n. a.* [l] L add. *beatus.* [m] T om. [n] C om. [o] T add. *circa rationem vel.* [p] Z add. *ergo.* [q] V om. [r] S om. [s] R om. [t] R om. [u] Ita V, alii add. *est.* [v] Ita V, alii *iudicandum.*

1 *De grat. et lib. arbit.*, c. 10, n. 35 (PL 182, 1019).
2 *De lib. arbit.*, c. 1 et c. 3 (PL 158, 490-493).
3 Cf. supra, sub n. 5.
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 6 (II, 604 sqq.).
5 Cf. *De lib. arbit.*, III, c. 3, n. 7 (PL 32, 1274).
6 *De duab. animab.*, c. 10, n. 14 (PL 42, 104).
7 *De grat. et lib. arbit.*, c. 2, n. 5 (PL 182, 1004).
8 *In libr. Aristot. De interpret.*, ed. secunda, III (PL 64, 492).
9 *Hypognost.*, III, c. 4, n. 4 (inter opp. Augustini PL 45, 1623).
10 Loc. cit.
11 Cf. supra, p. 471b, *ad 1-5.*

3. Ad auctoritatem [a] vero Bernardi respondendum quod non vult dicere quod libertas attendatur ex parte rationis principaliter, sed quia non est [b] in eis, scilicet in [c] infantibus, dormientibus et insanis, usus libertatis, quia non est in eis usus rationis.

ARTICULUS III. 399

Ex qua libertate principaliter liberum arbitrium nomen sortiatur [1].

Consequenter quaeritur, cum sit triplex libertas, scilicet naturae, gratiae et gloriae [2], ex qua libertate principaliter liberum arbitrium nomen sortiatur.

Et videtur quod gloriae: 1. Quia unumquodque denominari debet secundum suum optimum [3]; sed liberius arbitrium est in iustis quam in peccatoribus et in beatis quam in iustis; ergo, cum liberum arbitrium dicatur liberrimum [d] respectu libertatis gloriae, videtur quod ab ea principaliter debeat denominari liberum.

2. Ad hoc facit quod dicit Augustinus, *De civitate Dei* [4]: « Primum liberum arbitrium, quod homini datum est, potuit non peccare, sed potuit et peccare; hoc autem novissimum est eo potentius quo peccare non poterit [e] ». Ergo, cum eo potentius eo liberius, ab eo debuit principaliter denominari.

3. Item, Augustinus, *De praedestinatione* [f] [5]: « Numquid in Christo non erat libera voluntas, quia peccare non potuit? Ac non tanto magis erat libera, quanto magis servire peccato non poterat? » Ergo liberius est arbitrium in statu gloriae et gratiae in summo [g]; ergo etc.

Contra: *a.* Nomen liberi arbitrii sonat in potentiam [6] et est in omnibus rationalibus creaturis [7]; sed libertas gratiae vel gloriae non est in omnibus rationalibus creaturis nec sonat in potentiam, sed solum libertas naturae; ergo ab illa solum determinatur [h] liberum arbitrium.

Respondeo: Libertas aliquando dicitur habitus naturalis, aliquando habitus accidentalis. Secundum vero quod libertas dicitur habitus naturalis rationalis creaturae [i], quae cogi non potest, non recipit magis et minus, sed aeque est in omnibus rationalibus creaturis. Unde dicit [k] Bernardus [8]: « Libertas a necessitate Deo et [l] universae creaturae rationali indifferenter convenit nec magis bonae quam malae nec peccato vel miseria minuitur nec maior est in iusto quam in peccatore nec plenior in angelis quam in hominibus; manet tam [m] integre in creatura quam in Creatore, sed in Creatore [n] potentior ». Et secundum quod libertas sic dicitur, dicitur liberum arbitrium liberum principaliter ratione libertatis naturae. Secundum vero quod libertas est habitus accidentalis, sic est liberum arbitrium diminuibile [o] vel etiam amissibile et recipit magis et minus [9], et secundum hoc magis sive principalius dicetur liberum arbitrium liberum [p] a libertate gratiae vel gloriae. Secundum autem quod dividitur liberum arbitrium contra liberum consilium et liberum complacitum [q], dicitur liberum a [r] libertate naturae [10].

ARTICULUS IV. 400

Quare liberum arbitrium duobus nominibus nominetur [11].

Deinde quaeritur I. quare liberum arbitrium duplici nomine censeatur.

1. Cum enim sit una potentia [12], ut videtur per hoc quod unum habet actum, scilicet eligere vel etiam Deo obtemperare — sicut dicit Bernardus [13] quod facultatem habet qua Deo obtemperet — et una potentia, in quantum huiusmodi, unicum nomen habeat, non deberet nominari nomine duplicis potentiae, sed unius.

Sed contra: *a.* Damascenus [14]: « In ipso », hoc est in libero arbitrio, « coniugatae sunt cognitivae et vitales virtutes ». Ergo habet in se rationem plurium virium.

b. Item, Bernardus [15]: « Liberum arbitrium est consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem et rationis indeclinabile iudicium », et vult dicere quod ratione [s] voluntatis dicitur liberum, nomen vero arbitrii sortitur propter rationem; ergo recte duo nomina sortietur.

---

[a] T *auctoritates*. [b] T om. [c] TR om. [d] S *liberum*. [e] Codd. *potuit*; V om. *eo*. [f] Z add. interl. *sanctorum*. [g] S *sermo*. [h] Z corr. mg. *denominatur*. [i] Ita V, alii *nature*. [k] C add. *beatus*; T *ut* pro *unde*. [l] V om. [m] VCZ *tamen*. [n] L om. *s. l. C.* [o] V *minuibile*, ST *unibile*. [p] S om. [q] S add. *et*. [r] V om. [s] V *ratio*.

[1] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 11, c. 1, q. 3 (f. 70b sq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 2, dub. 2 (II, 625 sq.).
[2] Cf. supra, p. 473, nota 1.
[3] Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 1 (II, 262).
[4] Lib. XXII, c. 30, n. 3 (PL 41, 802).
[5] Cap. 15, n. 30 (PL 44, 982).
[6] Cf. supra, num. 390. [7] Cf. infra, num. 404.
[8] *De grat. et lib. arbit.*, c. 4, n. 9 (PL 182, 1006 sq.).
[9] Cf. infra, num. 409.
[10] Cf. Bernard., loc. cit., n. 11 (PL 182, 1007).
[11] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 4 (II, 600 sqq.).
[12] Cf. supra, num. 391.
[13] Loc. cit., c. 1, n. 2 (PL 182, 1002).
[14] *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 946).
[15] Loc. cit., c. 2, n. 4 (PL 182, 1004).

Respondeo quod est quaedam potentia quae determinatur tantum respectu cognitionis; est autem alia quae determinatur tantum respectu affectionis. Quia vero circa liberum arbitrium consistit meritum vel demeritum, et ad meritum vel demeritum exigitur cognitio et affectio, habet liberum arbitrium quod est cognitionis et quod est affectionis, et est potentia determinata respectu utriusque; et ideo duo sortitur nomina, ut dicatur 'liberum' propter voluntatem [a] et 'arbitrium' propter rationem.

II. Item, quaeritur quare dicitur liberum arbitrium, non liberum iudicium?

1. Iudicis enim est secundum imperium definire, quod non est arbitri [b]; cum ergo liberum arbitrium in anima sit sicut potentissimum in [c] imperando [1], ergo plus tenet formam iudicis quam formam arbitri; ergo potius deberet dici liberum iudicium quam liberum arbitrium.

Respondeo: 1. Iudex in iudicando debet sequi leges et arctatur ad sequendum illas, arbiter autem [d] non arctatur ad sequendum illas. Verumtamen arbitri [e] non est secundum imperium definire sicut iudicis. Unde dicendum quod liberum arbitrium habet in se officium iudicis [f] quoad rationem, quia, in quantum deliberat, debet sequi leges, sed, in quantum eligit [g] vel vult, tenet formam arbitri [h]: hoc enim ad voluntatem pertinet.

401 ARTICULUS IV.

Quare philosophi non pervenerunt ad notitiam liberi arbitrii [2].

Deinde quaeritur quare philosophi non pervenerunt ad notitiam liberi arbitrii.

Et videtur quod debuerint [i] **pervenire**: *a.* Quia, licet non pervenerint ad ea quae sunt fidei vel gratiae, tamen pervenerunt ad ea quae sunt naturae; cum ergo liberum arbitrium pertineat ad naturam, videtur quod [k] pervenerint ad notitiam ipsius.

b. Item, sicut ponitur liberum arbitrium potentissimum in anima ex parte motivae, ita posuerunt philosophi intellectum practicum potentissimum ex parte motivae [3]; ergo sicut pervenerunt ad cognitionem intellectus practici, ita potuerunt pervenire ad notitiam liberi arbitrii.

c. Item, aut [l] liberum arbitrium est potestas faciendi quodlibet aut potestas ad [m] opposita; sed secundum quamcumque rationem sumatur, ad utramque rationem potestatis pervenerunt philosophi; ergo pervenerunt ad notitiam liberi arbitrii.

Contra: 1. Liberum arbitrium est principium meriti vel demeriti [4]; sed non pervenerunt ad cognitionem [n] meriti vel demeriti; ergo non pervenerunt ad cognitionem liberi arbitrii.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod liberum arbitrium [o] dupliciter potest considerari: uno modo, secundum quod tangit Augustinus, in libro *Hypognosticon* [5], ut 'arbitrium' dicatur ab arbitrando rationali consideratione vel discernendo quid eligat quidve recuset, 'liberum' autem eo quod in sua sit positum potestate, habens agendi quod velit possibilitatem; et secundum hoc poterant philosophi pervenire ad intentionem liberi arbitrii: hoc enim nihil aliud est quam potestas rationalis ad opposita. Alio vero modo dicitur liberum arbitrium quod habet iudicium rationis, non per quod sit idoneum pervenire ad ea quae ad Deum pertinent, sine Deo aut [p] inchoare aut peragere: et hoc modo est unum principium meriti. Sicut ergo non pervenerunt philosophi ad intentionem meriti, quod est ex gratia et libero arbitrio, ita nec pervenerunt ad rationem liberi arbitrii in quantum sine ipso non est [q] meritum, prout dicit B. Bernardus [6]: « Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur. Opus hoc sine duobus [r] effici non potest: unum a quo fit [s], alterum cui vel in quo fit [t]. Quod ergo [u] a Deo solo et soli datur libero arbitrio, tam absque consensu non potest esse accipientis quam absque gratia dantis ». Per hoc potest patere quod philosophi pervenerunt ad rem liberi arbitrii et rationem secundum hunc modum, secundum alterum vero non pervenerunt. Sicut [v] enim bonum naturae attigerunt philosophi, non tamen in ratione qua est diminuibile per peccatum, sic et id quod est liberum arbitrium, non tamen prout est initium [x] meriti aliquo modo.

---

[a] T om. [b] Ita VRC, alii *arbitrii*. [c] V om. [d] T om. [e] R om. [f] L om. *unde... iudicis*. [g] V *diligit*. [h] R *arbitrii*. [i] RLCZ *debuerunt*. [k] V add. *quidem*. [l] C om. [m] L *ob*. [n] T *notitiam*. [o] S om. [p] V *ut*. [q] T om. [r] C add. *ils*. [s] Ita R, alii *sit*. [t] VSTZ *sit*. [u] RLCZ add. *et*. [v] LCZ *sic*. [x] Z om.

[1] Cf. supra, p. 466, nota 2 et p. 471a; Richard. de S. Vict., *De statu inter. hom.*, tr. 1, c. 6 (PL 196, 1120).
[2] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 127; S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, dub. 1 (II, 607b).
[3] Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 10 (III, 472).
[4] Cf. infra, num. 416.
[5] Lib. III, c. 4, n. 4 (PL 45, 1623).
[6] *De grat. et lib. arbit.*, c. 1, n. 2 (PL 182, 1002).

MEMBRUM III.

In quibus sit liberum arbitrium.

Sequitur determinare in quibus sit [a] liberum arbitrium. Et circa hoc

Primo quaeritur utrum liberum arbitrium commune sit Creatori et creaturae;

secundo quaeritur an commune sit [b] rationali creaturae et irrationali;

tertio, utrum omni rationali creaturae [c], scilicet homini et angelo, bono et malo;

quarto, utrum homini commune sit quantum ad statum innocentiae et quantum ad statum culpae et gratiae;

quinto, utrum Christo homini et aliis hominibus.

CAPUT I. 402

UTRUM LIBERUM ARBITRIUM COMMUNE SIT CREATORI ET CREATURAE [1].

Circa primum sic obicitur: 1. Nihil est commune Creatori et creaturae, ad minus univocum; ergo nec liberum arbitrium, et si dicatur commune, hoc erit aequivoce.

2. Item, liberum arbitrium in Deo est substantia, in homine vero quasi accidens; ergo liberum arbitrium non est commune Creatori et creaturae nisi [d] secundum nomen.

3. Item, dicit Damascenus [2]: « In Deo non dicimus electionem »; sed eligere est proprius actus liberi arbitrii; ergo in Deo non dicetur liberum arbitrium; ergo liberum arbitrium non est commune Creatori et creaturae.

Contra: *a.* Anselmus, in libro *De libero arbitrio* [3]: « Quamvis liberum arbitrium secundum definitionem commune [e] sit omni rationali naturae, multum tamen differt illa quae Dei est, ab illis quae rationalis creaturae [f] ». Ergo liberum arbitrium est commune secundum definitionem Creatori et creaturae.

b. Item, Damascenus [4]: « Quod secundum imaginem dicitur homo, intellectuale significat et [g] arbitrio liberum ». Ergo secundum liberum arbitrium est homo ad imaginem Dei; sed aliqua ratio est communis imaginis et eius cuius est imago [5]; ergo aliqua ratio imaginis est communis creaturae et Deo.

c. Item, quicumque sola voluntate et nulla necessitate bonus est, libere bonus est; sed Deus sola voluntate et [h] nulla necessitate bonus est; ergo libere bonus est; ergo habet liberum arbitrium; eadem ratione et homo libere bonus est et habet liberum arbitrium [i]; ergo etc.

[Solutio]: Ad quod dicendum [k] quod liberum arbitrium commune est Creatori et creaturae, non tamen dicitur univoce nec omnino aequivoce, sed analogice, scilicet per prius et posterius: per prius enim dicitur de Creatore [l], per posterius de creatura.

[Ad obiecta]: 1-2. Et per hoc patet solutio ad duo prima [m] obiecta. Nam non [n] concludebant quod liberum arbitrium non esset commune, sed [o] quod non esset commune univocum.

3. Ad hoc quod [p] dicit Damascenus quod « in Deo non dicimus electionem », respondeo quod 'eligere' dicitur dupliciter: uno modo dicitur 'eligere' determinare seu definire inter aliqua duo, et hoc modo convenit Deo electio; alio modo dicitur 'eligere' rem prius ignotam determinare: unde hoc modo dicitur electio determinatio rei dubiae in alteram partem, et quia illud importat ignorantiam, non dicitur de Deo. Unde dicit: « In Deo non dicimus electionem »; non enim consiliatur Deus: ignorantiae enim est consiliari [6].

---

[a] V om. [b] Ita V, ST *an commune*, alii *an conveniat* pro *q. a. c. s.* [c] V add. *et irrationali*, quod R exp. [d] R om. [e] TLC *communis*, quod SZ corr.; V *divisionem* pro *definitionem*. [f] Z add. mg. *sunt et ille ad invicem*. [g] S om. [h] Ita VT, alii om. [i] T om. *eadem... arbitrium*. [k] T add. *est*. [l] Z add. *et*. [m] STLC *primo*; L *opposita* pro *obiecta*. [n] V *ergo*. [o] Z *secundum*. [p] V *ut* pro *h. q*

[1] Cf. supra, num. 157; Lombard., II *Sent.*, d. 25, c. 2 (p. 429); S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, dub. 3 et p. 2, a. 1, q. 1 ac dub. 3 (II, 608, 609 sqq., 626 b).

[2] *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 946).

[3] Cap. 14; cf. c. 1 (PL 158, 506, 489).

[4] *De fide orthod.*, II, c. 12 (PG 94, 919).

[5] Cf. supra, num. 336-337.

[6] Cf. Damasc., loc. cit., II, c. 22 (PL 94, 946).

403

CAPUT II.

UTRUM LIBERUM ARBITRIUM COMMUNE SIT RATIONALI ET IRRATIONALI CREATURAE [1].

Deinde quaeritur utrum liberum arbitrium sit commune creaturae rationali et irrationali.

Et videtur quod sic: 1. Dicit enim Damascenus [2] quod « liberi arbitrii [a] est moveri vel non moveri, impetum facere et [b] non facere, appetere et non appetere »; sed hoc est commune creaturae [c] rationali et irrationali sensibili; ergo liberum arbitrium est commune utrique.

2. Item, in creatura sensibili irrationali est duplex vertibilitas, scilicet naturae [d] et appetitus; vertibilitas autem secundum appetitum est creaturae habentis liberum arbitrium; ergo in creatura irrationali est liberum arbitrium.

Contra: *a.* « Irrationalia », sicut dicit Damascenus [3], « magis aguntur quam agant »; sed liberum arbitrium magis agit [e] quam agatur; ergo irrationalia non habent liberum arbitrium.

b. Item, liberi arbitrii est contradicere appetitui naturali vel sequi eum [4]; sed irrationalia non contradicunt appetitui naturali, sed sequuntur illum; ergo non habent liberum arbitrium.

c. Item, omnis operans secundum liberum arbitrium laudatur vel vituperatur; sed irrationalia in iis quae agunt nec laudantur nec vituperantur [5]; ergo non habent liberum arbitrium.

Respondeo: 1-2. Ad primum quod libertas est potentiae absolutae a materia. Formae enim alligatae ad materiam non habent inclinationem nisi ad unam partem, quia coarctantur ab ipsa materia cui alligantur. Hinc est etiam quod non moventur se ipsis, immo ab alio: sunt enim entes in potentia; omne autem, quod exit a potentia in actum, exit per aliquid actu ens [6]. Hinc est [f] quod sensibilium brutorum appetitus non est liber, quia ipsa vis sensibilis in eis materialis est et perfectio materiae, scilicet corporis physici organici, et ideo coactioni subiectus [g] secundum immutationem materiae. Hinc est quod, immutatione facta per apprehensionem alicuius delectabilis [h], necesse habet appetitiva vis in brutis inclinari ad illud, immutatione autem facta per immutationem alicuius tristabilis, necesse habet appetitiva moveri ab illo fugiendo. Hinc ergo est quod in irrationabilibus non est libertas arbitrii [i]. In rationabilibus autem libertas arbitrii est [k] in quantum huiusmodi, propter ipsam rationalem vim, quae est vis absoluta a materia; quod patet ex apprehensione intellectiva, quae non intelligit materialia nisi in abstractione a materia [7]. Hinc est quod, cum [l] non sit alligata, apprehensione facta alicuius tristabilis vel delectabilis, non [m] coarctatur vis appetitiva ad sectandum delectabile vel fugiendum tristabile; propterea manet in rationali natura arbitrii libertas, et ideo est laudandus vel vituperandus ex actu suo. Praeterea, irrationabilia non habent vim per quam possint diiudicare [n] naturales actus et probare probandos et reprobare reprobandos [o], immo appetitiva in eis est subiecta instinctui [p] naturae; unde non est in eis potestas contradicendi naturali appetitui; homo vero habet potestatem diiudicandi naturales motus et probandi et reprobandi et etiam contradicendi naturali appetitui, et ideo [q] est liber arbitrio. Et hoc est quod dicit Origenes [8]: « Habet amplius ceteris animalibus homo vim rationis, qua [r] diiudicare et discernere de motibus naturalibus possit, et alios quidem reprobare et [s] abicere, alios quidem probare et suscipere: cuius rationis iudicio motus hominis ad vitam dirigi possint ». Item, Damascenus [9]: « Irrationalia non sunt libera arbitrio: aguntur enim magis a natura quam [t] agant, ideo non contradicunt naturali appetitui ciborum, sed simul cum appetierint [u], impetum faciunt ad actum; homo vero, rationalis ens, agit [v] magis quam agatur, ideoque appetens, si quidem velit, potestatem habet refrenandi appetitum vel sequi eum: unde irrationabilia nec laudantur nec vituperantur, homo vero laudatur et vituperatur ». — Ad primo ergo obiectum dicendum quod « appetere vel non appetere, impetum facere vel non facere [x] » etc. non sufficit ad libertatem, sed ad flexibilitatem; sed ad libertatem exigitur quod ista fiant ex ratione, scilicet prius deliberante. Unde, licet possint appetere vel non appetere, tamen post cognitionem determinatur eorum appetitus ad unam partem.

---

[a] V om. [b] R *vel*; L om. *e. n. f.* [c] TC om. [d] V *commune*. [e] T om. [f] C add. *etiam*. [g] C add. interl. *est*. [h] C *delectabilium*. [i] V om.; Z om. *in*. [k] V om.; S om. *in*. [l] ST *quod*; RLCZ om. *est*. [m] Z *cum*. [n] V *dividere*. [o] LZ *reprobando*. [p] R *totaliter*. [q] V add. *non*; S *libero* pro *liber*. [r] V *in qua*, T *que*. [s] V om.; VR om. *quidem*. [t] R *antequam* pro *a. n. q.* [u] V *appetunt*. [v] T add. *autem*. [x] S om. *v. n. f.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 592 sqq.).
2 *De fide orthod.*, II, c. 26 (PG 94, 959).
3 Loc. cit., c. 27 (PG 94, 962).
4 Cf. Damasc., loc. cit.
5 Cf. Damasc., loc. cit.
6 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 570).
7 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 8 (III, 470).
8 *Periarchon*, III, c. 1, n. 3 (PG 11, 251).
9 Loc. cit.

2. Ad aliud dicendum quod flexibilitas appetitus est duplex: quaedam enim [a] est secundum electionem, et haec sequitur deliberationem rationis, quando scilicet postquam deliberavit et cognovit esse bonum, adhuc in ipso est converti vel non converti [b] ad illud bonum, et haec flexibilitas pertinet ad libertatem; alia est flexibilitas appetitus secundum mutationem, quia potest mutari ab uno appetitu ad contrarium appetitum, et haec [c] potest esse irrationabilium; sed non pertinet ad liberum arbitrium, quia de se non habet ut convertatur vel non convertatur [d], sed determinat semper [e] alteram partem, licet mutari possit ab uno appetitu in alium.

CAPUT III. 404

UTRUM LIBERUM ARBITRIUM SIT COMMUNE HOMINI ET ANGELO [1].

Deinde quaeritur utrum homo conveniat cum angelis tam bonis quam malis in libero arbitrio.

Quod non, videtur: 1. Bernardus [2]: « Ubi est necessitas, non est libertas »; sed in angelis est necessitas, quia in bonis ad bonum [f], in malis ad malum; ergo in angelis [g] non est libertas arbitrii; ergo non est commune liberum arbitrium homini et [h] angelo, cum in homine sit flexibilitas ad utrumque.

2. Item, liberi arbitrii est consiliari; sed « omnis consilians », sicut dicit Damascenus [3], « ut in se ipso ente electione actibilium consiliatur, ut quod praeiudicatum est, ex consilio eligat et eligens agat »; hoc autem non est in daemonibus: iudicat enim aliquid bonum et eligit nihilominus malum et agit similiter; ergo non est in eo liberum arbitrium secundum quod liberum arbitrium est « facultas voluntatis et [i] rationis [4] » etc.

3. Tertia ratio [k] sumitur ex eo quod liberum arbitrium est « potestas conservandi rectitudinem [5] »; sed potentia otiosa est, ubi [l] nunquam potest elici actus; sed 'conservare rectitudinem' nunquam potest elici a diabolo; ergo potestas esset otiosa; sed nihil est otiosum in universo [m]; ergo, cum liberum arbitrium sit « potestas [n] » etc., non erit in daemonibus; ergo non est commune homini [o] et angelis malis.

Contra: *a.* Quod semel naturaliter est in aliquo, semper remanet in eo [6]; sed liberum arbitrium fuit a principio naturaliter in angelis tam bonis quam malis; ergo liberum arbitrium est in eis; ergo est commune eis cum homine.

b. Item, ubi est coactio, non est in coacto [p] laus vel vituperatio [7]; sed in malis angelis vel bonis est laus vel vituperatio, quia boni laudantur, mali vituperantur; ergo non est in eis coactio; ergo est in eis liberum arbitrium.

c. Item, poena et praemium non consequuntur nisi in eis quae libera voluntate aguntur; sed poena vel praemium consequitur [q] angelos bonos vel malos; ergo ea quae agunt, libera voluntate agunt; ergo in eis est liberum arbitrium.

Respondeo quod liberum arbitrium est commune homini et angelo, bono et malo. Bernardus [8]: « Libertas a necessitate, id est coactione, non maior est in iusto quam in peccatore nec plenior in angelo quam in homine »; et iterum [9]: « Diabolus libere in malum corruit et persistit suo [r] voluntario nutu, non alieno impulsu ».

[Ad obiecta]: 1. Ad obiectum in contrarium dicendum [s] quod est duplex necessitas: inevitabilitatis et coactionis. Necessitas coactionis tollit liberum arbitrium, sed non [t] necessitas inevitabilitatis. Licet ergo in angelis sit necessitas inevitabilitatis, nihilominus tamen liberum arbitrium. Unde Bernardus [10]: « Quod diabolus non potest bonum respicere [u], non est ex aliena oppressione, sed ex voluntaria obstinatione et obstinata voluntate ».

2. Ad secundum dicendum quod, licet in daemonibus sit iudicium boni, non tamen sequitur electio ex parte voluntatis. Nec ex hoc privatur libertas voluntatis, immo magis ostenditur eo quod voluntas non sequitur rationem; sed ex hoc sequitur quod libertas gratiae in eis privatur, quia per illam voluntas sequitur rationem rectam. Et, licet ratio liberi arbitrii, quam ponit Augustinus [11], non conveniat malis quoad hoc quod dicitur « qua bonum eligitur », convenit tamen

---

[a] Ita V, alii om. [b] V om. *v. n. c.* [c] LC *hic.* [d] L om. *v. n. c.*, in R est add. mg. [e] L *secundum.* [f] Ita VR, alii add. *et.* [g] Ita V, alii om. *i. a.* [h] R om. [i] T om. [k] C *vero.* [l] S *ibi.* [m] V *numeroso*, ST *converso.* [n] RC *possibilitas.* [o] VLC *bonis angelis.* [p] V *incoactio* pro *i. c.* [q] VST *sequitur.* [r] T om. [s] Ita V, alii add. *est.* [t] T om. [u] L om., in Z est add. mg.; T om. *bonum.*

1 Cf. supra, num. 156; Lombard., II *Sent.*, d. 25, c. 3 (p. 430); S. Bonav., II *Sent.*, d. 7, p. 1, a. 2, qq. 1-3 (II, 183sqq.).
2 *De grat. et lib. arbit.*, c. 2, n. 5 (PL 182, 1004).
3 *De fide orthod.*, II, c. 27 (PG 94, 959).
4 Cf. supra, p. 471, nota 10.
5 Anselm., *De lib. arbit.*, c. 13 (PL 158, 505).
6 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, II, c. 1 et *Metaph.*, VIII, c. 5 (II, 14, 567).
7 Cf. Aristot., *Moral. Eudem.*, II, c. 6 (II, 199).
8 *De grat. et lib. arbit.*, c. 4, n. 9 (PL 182, 1006).
9 Loc. cit. (PL 182, 1007).
10 Loc. cit., c. 10, n. 35 (PL 182, 1020).
11 Cf. supra, p. 471, nota 10.

ratione reliquae partis, bonis vero angelis ratione primae partis.

3. Ad tertium dicendum [a] quod, licet ille actus 'conservare rectitudinem' nunquam in daemonibus eliciatur a potentia, non tamen est potentia liberi arbitrii otiosa: habet enim alium actum. Praeterea, si non potuisset a principio conservasse rectitudinem, tunc posset dici otiosa, sed [b] potuit conservare et deseruit rectitudinem [1].

405

CAPUT IV.

UTRUM LIBERUM ARBITRIUM HOMINI COMMUNE SIT IN STATU INNOCENTIAE, CULPAE ET GRATIAE [2].

Deinde [c] quaeritur utrum liberum arbitrium fuit commune homini in statu innocentiae, culpae et gratiae.

Quod non, videtur [d]: 1. 24 dist. II libri *Sententiarum* [3]: « Liberum arbitrium est ab omni labe et corruptela rationis [e] immunis atque voluntatis rectitudo et omnium potentiarum animae vivacitas »; sed secundum [f] hoc non convenit in statu culpae, ubi est corruptio [g] labis et peccati et curvitas voluntatis et potentiarum ad mortem culpae declinatio; praeterea [h], in statu etiam gratiae est virium animae per poenam vulneratio; non ergo dicitur liberum arbitrium commune in hoc triplici statu.

2. Praeterea, Augustinus, in *Enchiridion* [4]: « Qualis potest esse addicti servi [i] libertas, nisi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim servit qui sui domini voluntatem libenter facit, ac per hoc ad peccandum liber est qui peccati servus est [k] ». Cum ergo huiusmodi libertas non sit hominis in primo statu, non est liberum arbitrium commune homini in statu innocentiae et statu culpae.

3. Ad idem facit quod dicitur in libro *De regulis fidei* [5]: « Liberum arbitrium magis liberum est ad malum serviendo et minus in bono faciendo », et attenditur secundum statum culpae; sed secundum statum innocentiae et gratiae e converso; ergo liberum arbitrium non dicitur secundum eamdem rationem in statu innocentiae et culpae et gratiae.

Contra: *a*. Sicut homini in primo statu fuit flexibilitas vel vertibilitas secundum electionem [6], ita in statu culpae et in statu gratiae; sed in quo est vertibilitas secundum electionem communis, in eo est liberum arbitrium commune; ergo in hoc triplici statu est liberum arbitrium commune.

b. Item, liberum arbitrium datum fuit homini in statu innocentiae nec per peccatum perdidit quin posset emendare peccatum per poenitentiam vel in peccato perseverare; ergo non perdidit liberum arbitrium. Augustinus, in libro *De ecclesiasticis dogmatibus* [7]: « Postquam seductione serpentis per Evam cecidit, naturae bonum perdidit et arbitrii vigorem, non tamen electionem, ne non esset suum quod emendaret peccatum nec merito indulgeretur quod non libero arbitrio diluisset ». Ergo liberum arbitrium commune est homini in statu innocentiae et in statu culpae.

[Solutio]: Ad quod dicendum [l] quod liberum arbitrium commune est homini in iis statibus.

[Ad obiecta]: 1. Nec est contrarium quod obiectum est, quia illa prima ratio libertatis est propria secundum statum [m] innocentiae, et non dicitur illa libertas naturae qua homo liber dicitur a coactione, sed qua homo habuit primam rectitudinem naturae sibi a Deo gratis datam, qua homo posset stetisse in [n] bono, si voluisset [8].

2. Ad secundum dicendum [o] [9] quod servitus peccati non compatitur secum libertatem [p] gratiae, permanet tamen cum libertate naturae servitus culpae. Unde liberum arbitrium a libertate naturae commune est in statu utroque [q], scilicet in statu gratiae et culpae.

3. Similiter respondendum est ad id quod dicitur in libro *De hebdomadibus* [10]. Cum dicitur quod liberum arbitrium magis liberum est in faciendo malum, et alibi [11] dicitur quod magis liberum est ad bonum: dicendum [r] quod non intelligitur de libertate naturae, quae aeque est, sicut dicit Bernardus [12], boni et mali, sed de libertate gratiae in bono vel de flexibilitate voluntatis ex se ad malum.

---

[a] Ita V, alii add. *est*. [b] S om. [c] RLCZ *quarto*. [d] Ita V, alii om. [e] R exp. [f] C om. [g] L *corpus*, quod RCZ corr. [h] LZ add. *etiam*. [i] T *sui*. [k] RLCZ om. [l] Ita VR, alii add. *est*. [m] R *in statu* pro *s. s.* [n] T add. *statu*; S *fecisse* pro *stetisse*. [o] Ita VR, alii add. *est*. [p] SRLZ *libertate*. [q] VR add. *modo*. [r] Ita V, alii add. *est*.

[1] Error contrarius est decimus inter articulos Parisiis anno 1241 ab Universitate et Episcopo condemnatos. Cf. Denifle-Chatelain, *Chartul. Univ. Paris.*, I, n. 171.

[2] Cf. Lombard., II, *Sent.*, d. 25, c. 6 (p. 431).

[3] Cap. 2 (p. 421).

[4] Cap. 30 (PL 40, 247).

[5] Reg. 84 (PL 210, 664).

[6] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 146.

[7] Gennad., c. 21 (PL 58, 985).

[8] Cf. supra, nota 1.

[9] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 45, a. 3, q. 1 (II, 1010sqq.).

[10] Id est *De regulis fidei*.

[11] Cf. loc. cit.: « Liberum ergo arbitrium verius... ad bonum utilitatis ratione ».

[12] Cf. *De grat. et lib. arbit.*, c. 8, n. 24 (PL 182, 1015).

CAPUT V. 406

UTRUM LIBERUM ARBITRIUM SIT COMMUNE CHRISTO ET ALIIS HOMINIBUS.

Deinde [a] quaeritur utrum liberum arbitrium sit commune Christo homini et aliis hominibus.

Quod autem non sit commune, ostenditur 1. per hoc quod dicit Ioannes Damascenus [1]: « In anima Christi non dicimus consilium vel electionem: non enim habuit ignorantiam [b]; et si ignorantis [c] etiam futura naturae erat, sed tamen secundum hypostasim unita [d] Dei Verbo, omnium cognitionem habuit propter eam, quae secundum hypostasim est, unionem ». Sed ubi non est electio, non est liberum arbitrium; ergo non habuit liberum arbitrium [e].

2. Item, liberum arbitrium est quo [f] homo potest peccare et recte agere; sed hoc modo non fuit liberum arbitrium in Christo, est autem in aliis hominibus, secundum quod dicitur in *Enchiridion* [2]: « Sic oportebat hominem fieri, ut et bene velle posset et male »; ergo liberum arbitrium non est commune Christo et [g] aliis hominibus.

3. Item, liberum arbitrium a liberando dictum est, secundum illud Ioan. 8, 36: *Si Filius vos liberaverit* etc.; sed secundum hanc rationem non est nec fuit liberum arbitrium in Christo; ergo etc.

Contra: *a.* De Christo Isai. [h 3]: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum* [i]; sed illud, quo reprobatur malum et eligitur bonum, est liberum arbitrium; ergo etc.

b. Item, Augustinus, *De praedestinatione* [k 4]: « Numquid metuendum fuit ne, accedente aetate, homo ille libero peccaret arbitrio, aut ideo in illo non erat [l] libera voluntas [m]? » Et respondet: « Tanto magis erat libera, quanto magis servire peccato non poterat ». Ergo in Christo fuit liberum arbitrium.

c. Item, Ioannes Damascenus [5]: « Sententialis voluntas in Christo erat »; unde dicit: « Quia [n] una hypostasis et unus volens, una est sententialis voluntas, humana sua voluntate sequente divinam voluntatem »; sed sententialis voluntas est voluntas [o] liberi arbitrii; ergo in Christo fuit liberum arbitrium.

[Solutio]: Ad quod dicendum [6] quod liberum arbitrium fuit in Christo.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo autem [p] obiectum dicendum quod 'eligere' dicitur dupliciter, sicut supra dictum est [7]. Uno modo dicitur 'eligere' definire seu determinare inter aliqua duo: et hoc modo electio est in Christo. Alio modo dicitur 'eligere' rem prius ignotam determinare seu definire: unde hoc modo dicitur electio determinatio rei dubiae in alteram [q] partem; et quia eligere hoc modo importat ignorantiam, non dicitur de Christo, sicut nec consilium, et hoc modo intelligitur quod dicit Damascenus.

2. Ad aliud dicendum [8] quod [r], cum dicitur quod liberum arbitrium Christi non potuit peccare [s], hoc dicitur non ratione naturae in se consideratae, sed ratione gratiae unionis, per quam confirmatus fuit in bono; unde si esset natura humana separata a divina et non esset per gratiam confirmata, esset possibilis ad peccatum. Illud ergo quod dicitur quod 'liberum arbitrium est quo homo potest peccare et recte agere [t]', intelligitur ratione naturae; quod vero dicitur quod 'Christus non potuit peccare', hoc dicitur ratione gratiae. Unde libertas naturae, quae est a coactione, communis fuit Christo et aliis hominibus.

3. Ad aliud dicendum quod libertas [u], de qua dicitur Ioan. 8, 36: *Si Filius vos liberaverit* etc., dicitur libertas a peccato. Libertas autem ista, secundum quod dicitur a liberando, dicitur dupliciter: scilicet active, quae scilicet est liberantis: et hoc modo fuit libertas in Christo; alio modo dicitur a liberando, scilicet passive, quae est liberati: et hoc modo non fuit libertas a peccato in Christo, quia in ipso nunquam fuit peccatum.

---

[a] RLCZ *quinto.* [b] Ita Z add. mg., alii om. *n. e. h. i.* [c] T *ignotis.* [d] V *unitam.* [e] ST om. *e. n. h. l. a.* [f] Ita R, alii *qua.* [g] T add. *etiam.* [h] LC add. mg. *7.* [i] T *malum.* [k] Z add. interl. *sanctorum.* [l] V *erit.* [m] Z add. mg. *quia peccare non poterat.* [n] T *quod.* [o] S om. [p] Ita V, alii om. [q] R *aliam.* [r] V om. [s] V add. *quod.* [t] R *facere;* Z om. *et.* [u] V om.

1 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 947).
2 Cap. 105 (PL 40, 281).
3 Cap. 7, 15.
4 Cap. 15, n. 30 (PL 44, 982), ubi et sequens.
5 Loc. cit.
6 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 12, a. 2, q. 2 (III, 268 sq.).
7 Cf. supra, p. 479, *ad 3.*
8 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 12, a. 1, q. 1, *ad 2* et d. 18, a. 1, q. 2, *ad 1* (III, 267, 384).

MEMBRUM IV.

De aequalitate liberi arbitrii et de coactione.

407

CAPUT I.

UTRUM LIBERUM ARBITRIUM AEQUE SIT IN OMNIBUS QUIBUS CONVENIT [1].

Deinde quaeritur utrum liberum arbitrium aeque sit in omnibus [a] quibus convenit.

Quod non, videtur [2]: 1. Libertas alia est a se, quae nec est facta nec accepta, quae est solius Dei; alia a Deo facta et accepta, quae est angelorum et hominum. Facta vero, alia est habens rectitudinem quam servet, alia carens. Rectitudinem [b] habens, alia tenet separabiliter, alia inseparabiliter. Illa quidem quae separabiliter tenet, fuit angelorum antequam boni confirmarentur et mali caderent, et est omnium hominum ante mortem, qui habent eamdem rectitudinem; quae vero tenet inseparabiliter, est bonorum [c] angelorum et hominum, sed angelorum post confirmationem et bonorum [d] hominum post mortem suam. Illa, quae [e] caret rectitudine, alia caret recuperabiliter, alia irrecuperabiliter. Quae recuperabiliter caret, est tantum hominum in hac vita illa [f] carentium, quamvis illam multi non recuperent; quae autem irrecuperabiliter caret, est reproborum hominum et angelorum, sed angelorum post ruinam, reproborum hominum post mortem. Cum [g] ergo liberum arbitrium secundum hos [h] modos non aeque conveniat, non convenit aeque liberum arbitrium quibus convenit.

2. Item, libertas quae plus impermixta est servituti, non aeque se habet cum illa quae minus est impermixta: unde nec liberum arbitrium aeque se habebit in iis rebus et in illis; sed plus est impermixtum, ubi non est servitus naturae, sicut in Deo, iterum [i], ubi non est servitus culpae vel poenae quam ubi est, sicut in bonis angelis, in quibus neutra servitus est, quam in hominibus huius vitae bonis, in quibus est servitus poenalis: in iis autem plus quam in damnatis vel malis hominibus in praesenti; ergo liberum arbitrium non aeque dicetur de omnibus iis.

3. Praeterea, nec secundum omnem statum de homine aequaliter. Unde Augustinus, *De civitate Dei* [3]: « Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit [k] non posse mori, ita primum liberum fuit arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare [l] ». Ergo non aeque fuit liberum arbitrium in statu innocentiae sicut erit in statu gloriae.

Contra: *a.* Bernardus [m] [4]: « Libertas a necessitate aeque et indifferenter Deo universaeque creaturae rationali convenit ». Ergo liberum arbitrium aeque dicitur de illis in quibus est [n].

b. Item, Bernardus [5]: « Manet libertas voluntatis [o], ubi est captivitas [p] mentis, tam plena in malis quam in bonis ». Ergo per servitutem culpae vel miseriae non minuitur; ergo aeque est liberum arbitrium.

c. Item, Bernardus [q] [6]: « Solum liberum arbitrium sui omnino diminutionem seu defectum non patitur, quia in ipso potissime [r] aeternae et incommutabilis divinitatis substantiva quaedam imago impressa [s] videatur; nam etsi habuerit initium [t], nescit tamen [u] occasum, ut de iustitia vel gloria sumat augmentum aut de culpa vel miseria detrimentum ». Ergo liberum arbitrium aeque dicetur de quibus dicitur [v].

Respondeo [x]: 1. Liberum arbitrium in hoc aeque dicitur de quibus dicitur, quod in nullo cogitur. Licet enim Deus de sua creatura rationali possit facere quod vult, non tamen cogit voluntatem, sed eam [y] liberam esse permittit. Secundum hoc ergo quod ' aeque ' dicitur contra ' magis et minus ', liberum arbitrium a servitute naturae dicitur de omnibus intellectualibus substantiis aeque. Est autem accipere ' aeque ' [z] contra ' prius et posterius ', et hoc modo non dicitur liberum arbitrium aeque de omni rationali creatura [7] nec aeque

---

[a] R add. *in*. [b] Ita V, alii om. [c] Codd. *malorum*. [d] Ita VZ (corr.), alii *ruinam et malorum* pro *c. e. b.* [e] S *non*. [f] V *sua*. [g] Z om. [h] V om. [i] S *item*. [k] S *erat*. [l] T om. *n. n. p. p.* [m] R om. [n] S om. [o] RLCZ *voluntas libertatis* pro *l. v.* [p] VST *capacitas*. [q] Codd. add. *non*. [r] C *potentissime*. [s] Ita Z (mg.), alii om. [t] VSTR om. [u] Ita Z (interl.), alii om.; T *in* pro *de*. [v] V *dicetur*. [x] Ita V, alii add. *quod*. [y] V *etiam*. [z] V om.

1 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 25, cc. 4-5 (p. 431 sq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 2, a. 1, q. 1 et d. 3, p. 1, dub. 3 (II, 609 sq., 111).

2 Cf. pro hoc argum. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 40d).

3 Lib. XXII, c. 30, n. 3 (PL 41, 802).

4 *De grat. et lib. arbit.*, c. 4, n. 9 (PL 182, 1006).

5 Loc. cit. (PL 182, 1007).

6 Loc. cit., c. 9, n. 28 (PL 182, 1016); vide eumdem textum infra, p. 486a, sub litt. *b*.

7 Cf. supra, p. 481, *Respondeo*.

de carente rectitudine et habente rectitudinem, et ita de aliis. Et dico 'prius et posterius' prout dicunt maiorem et minorem participationem divinae similitudinis.

2. Per hoc idem respondendum est ad secundo obiectum de libertate impermixta magis et minus.

3. Ad tertio [a] vero obiectum dicendum [b] quod in omni statu liberum arbitrium [c] aequaliter est [d] quantum est de libertate a coactione, quae vocatur quasi essentialis libertas; non tamen aeque dicitur libertas in quantum ordinatur ad gratiam: secundum hoc enim dicitur secundum magis et minus.

CAPUT II. 408

UTRUM COACTIO POSSIT CADERE IN RATIONALEM CREATURAM [1].

Deinde quaeritur occasione praedictorum utrum coactio possit in rationalem creaturam cadere, quae est liberae voluntatis.

Quod videtur: 1. Dicitur enim Luc. 14,23: *Compelle eos intrare;* compulsio autem coactio est; nullus autem intrat nisi habens liberum arbitrium; ergo coactio est liberi arbitrii.

2. Item, Bernardus [e 2]: « *Corpus, quod [f] corrumpitur, aggravat animam* etc., et quod dicit Apostolus [3]: *Video aliam legem [g] in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivum me ducentem in legem peccati,* videntur arguere quod cogatur voluntas ».

3. Praeterea, qui timore mortis aut poenarum inducuntur ad negandum Christum, cogi dicuntur. Unde B. Bernardus, loquens de Petro, dicit [4]: « Fatendum est hominem fuisse compulsum voluntatem propriam, etsi non mutare, occultare tamen ». Videtur ergo quod cogi possit liberum arbitrium in homine. Qualiter ergo dicendum est liberum arbitrium hominis a coactione?

[Solutio]: 1-3. Ad quod dicendum [h] quod gemina est compulsio, secundum quod aut pati aliquid aut agere contra propriam voluntatem dicimur. Quarum passiva nonnunquam [i] potest fieri absque voluntario consensu patientis; est enim sic dictum involuntarium per violentiam: « cuius principium est exterius, eo nihil conferente qui patitur [5] ». Si vero respicit agere mixtum ex interiori et [k] exteriori, non est [l] compulsio simpliciter nec involuntarium simpliciter, sed mixtum ex voluntario et involuntario: et hoc modo potest esse compulsio ad bonum vel ad malum, et hoc modo potest esse meritorium vel demeritorium. Compulsio ergo illa, de qua Dominus dicit: *Compelle intrare,* habet de voluntario ad bonum, ratione cuius dicitur meritorium. Bernardus [6]: « Hoc intendit Deus, cum terret aut percutit, ut faciat voluntarios, non salvet [m] invitos, quatenus, dum de malo in bonum mutet voluntatem, transferat [n] libertatem ». Illa vero, qua dicitur aliquis *abstractus vel illectus a concupiscentia sua* [7] et qua dicitur: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam,* non debet proprie dici compulsio ad malum, sed quaedam voluntatis inclinatio per pondus corruptionis concupiscentialis. Illa vero, qua Petrus compulsus est negare, compulsio potest dici, habens de voluntario ad malum, et illa non omnino excusatur. Unde Bernardus [8]: « Est compulsio quaedam activa, sed non habet excusationem, cum [o] sit voluntaria. Cogebatur christianus negare [Christum], et dolens, sed tamen nonnisi volens: volebat enim [p] gladium vitare ferientis, atque illa voluntas intus praesidens os aperiebat [q], non gladius qui foris apparebat ». Sicut enim dicit Philosophus [9], quaedam sunt ad quae nullatenus homo cogi debet. Si vero compulsio dicatur respectu actus interioris, nullatenus dicendum est quod liberum arbitrium respectu actus interioris omnino coactionem recipiat, et ideo dicitur simpliciter liberum arbitrium a coactione.

---

[a] RZ *tertium;* RLCZ om. *obiectum,* in V est add. interl. [b] Ita V, alii add. *est.* [c] R *liberi arbitrii* pro *l. a.* [d] Ita Z, alii om. [e] Ita VR, alii add. *quod.* [f] T add. *non.* [g] L om. [h] Ita V, alii add. *est.* [i] TC *nunquam.* [k] Z om. *e. i. e.;* L *exteriori* pro *interiori.* [l] RLCZ *erit.* [m] Ita CZ (correcti), alii *salvat.* [n] CZ add. mg. *non auferat.* [o] S add. *enim.* [p] VST om. [q] S *opperiebat.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 2, a. 1, qq. 4 et 5 (II, 615 sqq).

2 Cf. *De grat. et lib. arbit.*, c. 11, n. 37 (PL 182, 1020); Sap. 9, 15.

3 Rom. 7, 23.

4 Loc. cit., c. 12, n. 38 (PL 182, 1022).

5 Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 24 (PG 94, 954); cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, III, c. 1, *Magn. Moral.*, I, c. 14 et *Moral. Eudem.*, II, c. 8 (II, 24, 142, 201).

6 Loc. cit., c. 11, n. 36 (PL 182, 1020).

7 Iac. 1, 14.

8 Loc. cit., c. 12, n. 40 (PL 182, 1023).

9 Cf. *Ethica ad Nicom.*, III, c. 1 (II, 24).

409

MEMBRUM V.

Utrum liberum arbitrium possit amitti vel minui [1].

Deinde quaeritur si liberum arbitrium potest amitti vel minui in illis in [a] quibus est.

1. Sicut enim potest intendi, pari ratione potest diminui. Quod autem intendi possit, patet per hoc quod dicit Augustinus [2]: « Multo liberius erit arbitrium quod omnino non poterit [b] servire peccato quam quod potest ».

2. Praeterea [c], sicut abundat captivitas peccati, ita minuitur libertas arbitrii; ergo contingit diminui; ergo, cum ista libertas sit bonum creatum, non est infinitum [d] et ita post diminutionem multiplicem poterit amitti; ergo libertas arbitrii est amissibilis.

Contra: *a.* Bernardus [3]: « Nec peccato nec miseria amittitur vel minuitur ».

b. Item, Bernardus: « Solum liberum arbitrium [e] sui omnino diminutionem vel defectum non patitur ».

[Solutio]: Ad quod dicendum [f] quod est libertas arbitrii et est libertas consilii, sicut distinguit Bernardus [4], et est libertas complaciti. Libertas ergo arbitrii non est amissibilis nec diminuibilis, libertas vero consilii vel complaciti diminuibilis est [g] vel amissibilis. Unde Bernardus [5]: « In duabus libertatibus », scilicet consilii et complaciti, « quoniam non solum ex parte minui, sed ex toto amitti possunt, accidentalis quaedam similitudo sapientiae et potentiae divinae imagini superducta cognoscitur. Denique amisimus illam per culpam et per gratiam recuperavimus, et quotidie alii quidem plus, alii minus aut in [h] ipsis proficimus aut ab ipsis deficimus. Possunt etiam sic amitti, ut iam non valeant recuperari; possunt etiam ita possideri, ut nec amitti queant [i] aliquo modo nec minui ». Item, Bernardus [6]: « [Cum] libertas arbitrii de ipso, quo condita est, statu aliquatenus non mutetur, sed aequaliter, quantum in se est, a caelis, terris, inferis [k] possideatur: merito illi similitudini vel imagini deputantur. Et quidem apud inferos quod utraque libertas perierit, illae scilicet quae ad similitudinem [l] pertinere dicuntur, Scripturarum testantur auctoritates. Nam verum illic sapere, quod de consilii libertate concipitur [m], omnino non esse, locus ille manifestat, ubi legitur [7]: *Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec sapientia sunt apud inferos, quo tu* [n] *properas.* Porro de potentia, quae per libertatem complaciti datur [o], Evangelium sic loquitur [8]: *Ligatis manibus et pedibus, proicite eos in tenebras exteriores* ».

MEMBRUM VI.

Respectu quorum actuum sit liberum arbitrium.

Deinde quaeritur de comparatione ad actum. Et primo de differentia eius, in quantum est causa, ab aliis causis actuum;

secundo, utrum sit causa contingentium actuum tantum an etiam necessariorum [p];

tertio, quorum sit, utrum [q] sit liberum respectu actuum interiorum et exteriorum an interiorum tantum;

quarto, quorum actuum proprie et principaliter dicatur.

410

CAPUT I.

DE DIFFERENTIA LIBERI ARBITRII AB ALIIS CAUSIS ACTUUM.

Ad primum sic: Ioannes Damascenus [9]: « Plura ponuntur genera causarum. Est enim providentia divina causa, natura similiter dicitur causa, necessitas sive finis ponitur una causa, eventus et casus similiter ponuntur [r] causae ». Quo modo ergo differt liberum arbitrium in

---

[a] R om. [b] V *possit.* [c] ST om. [d] V *finitum;* RLCZ *erit* pro *est.* [e] T add. *autem.* [f] Ita V, alii add. *est.* [g] ST om. [h] S om. [i] VR *que aut;* V *alio* pro *aliquo.* [k] T *in foris.* [l] Ita Z (corr.), alii *imaginem;* R om. *scilicet.* [m] S om. [n] RLC om. [o] Ita VZ (corr.), alii *dicitur.* [p] T *contrariorum.* [q] L *utrumque.* [r] Z add. *alie.*

[1] Cf. supra, num. 399, *Respondeo;* S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 2, dub. 1 (II, 625).
[2] *Enchir.*, c. 105 (PL 40, 281).
[3] Cf. *De grat. et lib. arbit.*, c. 9, n. 28 sq. (PL 182, 1016), ubi et sequens.
[4] Loc. cit., c. 4, n. 11 (PL 182, 1007).
[5] Loc. cit., c. 9, n. 28 (PL 182, 1016).
[6] Loc. cit., c. 9, n. 30 (PL 182, 1017), multis omissis.
[7] Eccle. 9, 10. [8] Matth. 22, 13.
[9] Cf. *De fide orthod.*, II, c. 25 (PG 94, 958).

homine, si est causa actuum, ab iis generibus causarum?

Et videtur quod non differant[1]: 1. Omnes enim actus qui causantur, aut semper contingunt aut frequenter aut raro; sed eorum, quae[a] semper contingunt, causa dicitur necessitas, eorum vero quae frequenter, natura, ut generationis, augmentationis et consimilium in plantis et animalibus, eorum vero quae raro, causa dicitur eventus vel casus, Deus vero omnium est causa; nec sunt plures differentiae actuum; ergo non differt[b] liberum arbitrium, in quantum est causa, respectu aliarum causarum; aut ergo non est causa aut eadem cum aliqua dictarum.

Contra: *a.* Actus in homine possunt esse iusti vel iniusti; Deo autem non est fas adscribere actus iniustos[2] nec alicui aliarum causarum; ergo aliqui sunt actus praeter dictos, quorum potest esse liberum arbitrium principium.

b. Item, si homo non esset principium aliquorum actuum per liberum arbitrium, superflue consiliaretur[3]: omne enim consilium fit actuum gratia qui[c] per nos fiunt; restat ergo quod est homo causa aliquorum actuum per liberum arbitrium: hoc enim optimum[4] et potentissimum[5] dicitur in natura hominis. — Quod concedendum est.

Ad obiectum 1. autem respondendum[d][6] quod praeter illa quae dicta sunt et sunt non in nobis, sunt contingentia ad utrumlibet[e] quae sunt in nobis, et horum est homo principium per liberum arbitrium. Sic ergo possunt distingui genera causarum: aut enim est omnium causa, et sic est divina providentia; aut non omnium, sed quorumdam. Si vero quorumdam[f]: aut eorum quae sunt in nobis aut quae non sunt in nobis. Quae vero[g] non sunt in nobis: aut sunt semper, et eorum dicitur esse necessitas causa; aut frequenter, et sic natura in iis inferioribus; aut raro, et[h] sic casus. Quae vero in nobis, sic[i] liberum arbitrium habent pro principio, si per se causantur; si vero per accidens, fortunam, secundum quemdam modum dictum, sicut est de inventione thesauri.

CAPUT II. 411

UTRUM LIBERUM ARBITRIUM SIT CAUSA CONTINGENTIUM ACTUUM TANTUM[7].

Deinde quaeritur utrum sit causa contingentium actuum an etiam[k] necessariorum.

Et videtur quod tantum contingentium: *a.* Liberum enim arbitrium est potestas ad opposita; sed potestas ad opposita est[l] contingentium tantum; ergo liberum arbitrium est contingentium tantum.

b. Praeterea, sicut dicit Augustinus, in *Enchiridion*[8]: « Sic[m] oportebat hominem fieri, ut bene velle posset et male »; sed hoc est per liberum arbitrium; ergo liberum arbitrium in homine fuit, quo posset homo[n] utroque modo agere; sed quod est huiusmodi principium, est contingentium causa; ergo liberum arbitrium est contingentium causa[o].

c. Item, Eccli. 15, 18: *Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit, dabitur illi.* Ergo liberum arbitrium est eorum quae ad utrumlibet[p].

Contra: 1. A libero arbitrio exeunt actus, non tantum qui sunt in praesenti, sed etiam qui erunt in futuro; sed in futuro erunt actus necessarii; ergo liberum arbitrium non tantum est eorum, scilicet contingentium, sed necessariorum.

2. Item, Ambrosius[9]: « Fidei succedit visio veritatis, spei similiter tentio ardui, caritatis autem actus erit dilectio summi boni »; sed ii actus indesinenter erunt et non exibunt nisi a libero arbitrio; ergo liberum arbitrium est necessariorum actuum, non tantum contingentium.

3. Praeterea, nobilius principium est liberum arbitrium quam natura vel necessitas sive[q] fatum; sed illa dicuntur esse causa necessariorum[r] ut semper vel ut[s] frequenter; ergo multo fortius liberum arbitrium.

[Solutio]: 1-2. Ad quod dicendum quod liberum arbitrium humanum de se est causa contingentium. Quod autem erit in futuro causa necessariorum, hoc est ex superadditione determinationis, quae est a iustitia causae primae retribuentis.

3. Ad id vero quod obicitur 'liberum arbitrium esse nobiliorem causam' etc., dicendum[t] quod nobilitas causae potest attendi vel quia

---

[a] V *qui*. [b] V *differet*. [c] Ita VR, alii *que*. [d] V *respondeo dicendum*. [e] Z *utrumque*. [f] V om. *s. v. q.* [g] V *ea autem que* pro *Q. v.* [h] S om. [i] R *sicut*, quod LZ corr. [k] R om. [l] V *et*. [m] Z *sicut*, quod LC corr. [n] Z om. [o] S om. *ergo... causa*. [p] Z *utrumque*. [q] T *st*. [r] Z add. *eorum que*; V *et* pro *ut*. [s] C om. [t] Ita V, alii add. *est*.

1 Cf. Damasc., loc. cit.
2 Cf. Damasc., loc. cit.
3 Cf. Damasc., loc. cit.
4 Cf. Damasc., loc. cit.
5 Cf. Bernard., *De grat. et lib. arbit.*, c. 9, n. 28 (PL 182, 1016); cf. S. Bonav., II *Sent.*, p. 115, nota 6.
6 Cf. Damasc., loc. cit., c. 25 (PG 94, 958).
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 2, a. 1, q. 2 (II, 612 sq).
8 Cap. 105 (PL 40, 281).
9 Cf. Augustin., *De doct. christ.*, I, c. 38 (PL 34, 35).

sibi [a] sufficiens est ad motum: et hoc modo nobilius est liberum arbitrium quam natura in superioribus [b] corporibus vel [c] inferioribus; vel quoad modum influentiae actuum, ut liberum arbitrium influat necessarios actus vel non necessarios: et sic potest natura esse nobilius principium.

412

CAPUT III.

RESPECTU QUORUM ACTUUM LIBERUM ARBITRIUM SIT LIBERUM.

Deinde quaeritur utrum liberum arbitrium sit liberum respectu actuum interiorum et exteriorum aut interiorum tantum.

Quod respectu actuum interiorum et exteriorum, videtur *a.* per illud quod dicit Damascenus [1]: « Libere consiliatur, libere iudicat, libere disponit, libere agit, libere impetum facit ». Ergo respectu utrorumque actuum dicitur liberum.

Contra: 1. Ab actu exteriori potest impediri; liber autem dicitur eo quod sit dominus actuum suorum; unde Bernardus [2]: « Liberum arbitrium dicitur eo quod non [d] tantum potest in actus suos, sed [e] super se ». Ergo libertas non dicitur proprie respectu actuum exteriorum, qui cogi possunt, sed respectu interiorum, qui non possunt cogi.

Respondeo [3]: 1. quod liberum arbitrium dicitur respectu actuum interiorum et respectu exteriorum ut ab interioribus procedunt [f], quia hoc modo non possunt impediri; sed ut exteriores sunt a virtute motiva corporali, sic possunt impediri, et hoc modo non est libertas respectu illorum actuum.

CAPUT IV.

QUORUM ACTUUM SIT PROPRIE LIBERUM ARBITRIUM.

Deinde quaeritur respectu quorum actuum sit principaliter et proprie liberum arbitrium. Assignantur autem multi actus a Damasceno [4]; unde dicit: « Libere [g] arbitrio appetit, libere arbitrio vult, libere arbitrio inquirit vel scrutatur, libere arbitrio iudicat, libere arbitrio disponit, libere arbitrio eligit, et libere arbitrio impetum facit, et [h] libere arbitrio agit, et operatur semper in iis quae secundum naturam sunt ».

Cum ergo plures sint actus, quaeritur:

Utrum aliquis illorum [i] sit principalis ad quem alii ordinentur, et quis sit ille actus;

item, quaeritur, si est unus principalis actus, scilicet eligere, propter quid non denominatur [k] ab illo, sed magis a iudicio vel sententia;

deinde quaeritur de ordine actuum qui sunt ex parte rationis et ex parte voluntatis.

413

ARTICULUS I.

Utrum aliquis illorum actuum sit principalis et quis sit.

Quod autem sit unus principalis, videtur per hoc quod unius potentiae particularis aut universalis est unus actus principalis; ergo ipsius liberi arbitrii. Ille ergo aut erit primus inter istos [l], cum sint ordinati, vel ultimus vel aliquis mediorum.

1. Primus non videtur: Secundum enim hanc enumerationem 'appetere' [m] est primus actus; sed ille est voluntatis sive virtutis appetitivae; ergo non est proprie liberi arbitrii. Secundum autem illam enumerationem [5], qua dicitur quod primo consiliatur [n], deinde iudicat quid [o] melius est, primum est 'consiliari', et illud est rationis principaliter; non ergo est principalis actus liberi arbitrii. Praeterea, imperfectus actus est consiliari; principalis autem debet in [p] perfectione consistere; ergo non est [q] principalis.

2. Si vero dicatur ultimus, hoc non videtur: Quia ultimus ponitur 'impetum facere' aut 'operari', sed neuter est principalis. Impetum enim facere aut operari ad virtutem obedientem pertinere dicuntur;

---

[a] T add. *etiam.* [b] S *inferioribus* pro *i. s.* [c] Z add. *in.* [d] T om. [e] T om. [f] T *procedent.* [g] V (corr.) *liber,* item infra. [h] L om. [i] T *eorum.* [k] L *nominatur* pro *n. d.* [l] V *ipsos.* [m] RLCZ *appetitive.* [n] R *consiliat.* [o] R *quod.* [p] T *vel.* [q] L om.

[1] *De fide orthod.,* II, c. 22 (PG 94, 946).
[2] *De grat. et lib. arbit.,* c. 2, n. 5 (PL 182, 1004).
[3] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 25, p. 2, a. 1, q. 4 (II, 611 b.).
[4] Loc. cit.
[5] Damasceni, de qua cf. supra, nota 1.

non ergo alter illorum principalis dicitur liberum arbitrium, cum liberum arbitrium [a] sit « potentissimum » in homine, secundum Bernardum [1], et « pretiosissimum », secundum Damascenum [2].

3. Nec videtur esse actus medius: Quia actus medii post primos ordinantur et ante ultimos, et quamdam habent colligantiam utrobique.

[Solutio]: Ad quod dicendum [3] quod 'eligere' est principalis horum actuum secundum unum modum, et hoc attenditur quantum ad illam enumerationem [4], ubi 'consiliari' ponitur primum. Nam 'eligere' est primus actus interior ex parte voluntatis: hoc enim est [b] « duobus praeiacentibus alterum alteri praeoptare [5] ». Et, licet sit actus voluntatis, non obstat quod non sit liberi arbitrii: est enim liberi arbitrii [c] in quantum est inter duo; in quantum autem inclinatur in unum, voluntatis. Secundum autem alteram enumerationem [6] principalis actus liberi arbitrii est appetere [d] vel velle, secundum quod velle vel appetere est actus generalis circuiens omnes alios actus: est enim libere appetere vel velle super iudicare [e], disponere, et ita de aliis actibus qui enumerantur; unde quantum ad hoc principalis dicitur actus.

Si vero quaeratur differentia inter appetere et velle, potest intelligi dupliciter, ut [f] appetere sit finis, velle vero eius quod est [g] ad finem; vel appetere illius [h] potentiae in quantum non habet, velle vero sit [i] inclinatio ad habendum vel ut exeat actus. Appetere enim est liberi arbitrii creati quantum ad hoc quod est aliquo modo materiale et deficiens; velle vero est eius secundum quod convenit cum Deo: in Deo enim est velle, sed non appetere proprie.

ARTICULUS II. 414

Quare liberum arbitrium non denominetur ab actu eligendi.

Deinde quaeritur, si eligere est eius principalis actus, propter quid non denominatur ab illo, sed a iudicio sive arbitrio.

[Solutio]: Ad quod dicendum est quod, cum dicitur [k]: « Liberum arbitrium », sicut dicit Boethius [7] », « est liberum [l] de voluntate iudicium », habet [m] in se quod est rationis et quod est voluntatis, sed quod est rationis materialiter [n], quod est voluntatis formaliter. Unde quod substernitur, dicitur arbitrium ex parte rationis; quod supponitur, dicitur liberum, et hoc est ex parte voluntatis. Eligere autem, prout ponit Damascenus [8], est primus actus voluntatis, penes quem [o] attenditur libertas. Secundum autem [p] quod ponitur in definitione Augustini [9], cum dicitur « qua bonum eligitur », 'eligere' respicit tam rationem quam voluntatem, et sic simpliciter dicitur actus principalis. Denominatur ergo [q] ut materialiter ab ipso iudicio vel arbitrio, formaliter vero ab eo unde est liberum, quod scilicet est electio.

ARTICULUS III. 415

De ordine ipsorum actuum.

Deinde quaeritur de ordine ipsorum actuum, quorum quidam [r] sunt ex parte rationis et quidam ex parte voluntatis, et quare in una enumeratione in principio et in ultimo ponuntur actus voluntatis, in medio autem actus rationis, in altera vero qui sunt rationis primo, qui sunt voluntatis consequenter [s] [10]. Praeterea, in actibus rationis ab imperfecto proceditur ad perfectum; non sic autem videtur in actibus voluntatis.

[Solutio]: Ad quod dicendum [t] quod in illa enumeratione, ubi primo ponuntur appetere et velle, sic fit actuum distinctio et ordo, ut illi actus, qui sunt liberi arbitrii ut est universalis potentia,

---

[a] V om. *c. l. a.* [b] V add. *pre.* [c] ST om. *e. e. l. a.* [d] Ita ST, alii *appetitus.* [e] V *iudicare super* pro *s. l.* [f] Z *aut.* [g] R om. [h] LCZ *istius.* [i] L *fit.* [k] V *quod* pro *e. q. c. d.* [l] VST *in libro* pro *e. l.* [m] R add. *ergo.* [n] T add. *sed.* [o] C *quam.* [p] S om. [q] V om. [r] T *quidem.* [s] S *sequenter.* [t] Ita VS, alii add. *est.*

1 Cf. *De grat. et lib. arbit.*, c. 9, n. 28 (PL 182, 1016).
2 *De fide orthod.*, II, c. 25 (PG 94, 958).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 25, p. 1, a. 1, q. 3, *ad 5* (II, 599).
4 Damasceni, de qua cf. supra, p. 488, nota 1.
5 Damasc., loc. cit., c. 22 (PG 94, 946).
6 Damasceni, de qua cf. supra, p. 488, nota 4.
7 *In Aristot. Periherm.*, ed. 2, III (PL 64, 492).
8 Cf. supra, nota 5.
9 Cf. supra, p. 471, nota 10.
10 Cf. supra, num. 413.

cuius actus transit super actus et super res, primo ponantur, et illi sunt appetere et velle: possum enim [a] velle iudicare et disponere, et ita de aliis actibus; similiter est de appetere. Sequentes vero actus pertinent ad liberum arbitrium ex parte rationis; ultimi vero ex parte voluntatis operativae. In alia vero divisione ponuntur actus liberi arbitrii ex parte rationis primo, et deinde ex parte voluntatis operativae. Et ponuntur tres ex parte rationis, qui procedunt ab imperfecto ad perfectum [b]: primo est motus inquisitivus [c] de faciendo vel non faciendo, scilicet consilium; secundo est iudicium de faciendo; tertio est propositum faciendi, quod dicitur dispositio vel potest dici arbitrium. Ex parte vero [d] voluntatis primo est electio, et ille est simpliciter motus interior; deinde progressus ad motum exteriorem, et dicitur impetus; deinde motus exterior, et dicitur usus.

416

MEMBRUM VII.

Utrum secundum liberum arbitrium attendatur meritum vel demeritum [1].

Sequitur ultima quaestio de libero arbitrio, utrum sit potentia secundum quam attenditur meritum vel demeritum.

Quod videtur: *a.* I Ioan. 3,3: *Qui sanctificat se,* Glossa [2]: « Non aufert liberum arbitrium ». Ergo est illud in quo est meritum.

b. Item, in libro *De hebdomadibus* [3]: « Motiva boni est in libero arbitrio ».

c. Item, Bernardus [4]: « Totum et solum opus liberi arbitrii est, eius meritum quod consentit [e] »; unde in consentire meritum, in non consentire demeritum; ergo liberum arbitrium est in quo est meritum vel demeritum.

Sed quod debeat esse in voluntate, videtur: *d.* Bernardus, in libro *De virtutibus* [5]: Sensus iste est: « Penes voluntatem residet ratio meriti vel demeriti ». Et haec est ratio: « Nihil est tam in potestate nostra sicut voluntas [6] »; ergo voluntas est illud in quo primo attenditur ordo ad Deum: ultimum enim in Trinitate est summa voluntas Patris et Filii, primum autem in nobis est voluntas creata. Unde secundum voluntatem debet attendi meritum vel demeritum.

e. Praeterea, dicit Bernardus [7]: « Sola voluntas, quoniam pro ingenua sui libertate aut dissentire aut consentire, nulla vi, nulla cogitur necessitate, non immerito capax est iustitiae vel iniustitiae ». Ergo est vis penes quam attenditur meritum.

Quod autem illa vis sit ratio, videtur *f.* per hoc quod pueri et phrenetici non possunt mereri, licet voluntatem habeant, quia non habent usum rationis; ergo penes rationem residet [f] vis merendi.

g. Praeterea, in illa distinguitur imago Dei: mens enim habet imaginem in potentia cognoscendi [8].

[Solutio]: Ad quod dicendum [g], quod illud, penes quod attenditur meritum sive quod est capax meriti, attenditur secundum [h] liberum arbitrium, rationem et voluntatem. Meritum enim est, cum conformatur in actu gratuito ipsa anima rationalis, quae est ad imaginem ex parte motivae, imagini increatae. Unde conformitas liberi arbitrii est ex parte posse, rationis ex parte iudicare [i] vel arbitrari, voluntatis ex parte velle sive eligere: tollatur enim aliquod istorum, non iam dicitur capacitas meriti. Nam si non esset potestas [aut esset potestas] ex necessitate determinata, unde esset meritum? Si iterum sine iudicio ageret vel appeteret, non esset meritum: tunc enim non habentia usum rationis, quae agunt secundum impetum, mererentur [k]. Si iterum esset iudicium [l] et non esset voluntas in illud, non esset meritum. Restat ergo quod penes haec tria attenditur meritum, ut sic [m] trinitas creata Trinitati increatae in actu conformetur.

---

[a] T om. [b] T *perfectionem.* [c] V *inquisitionis.* [d] T om. [e] T *sentit.* [f] R add. *ibi.* [g] Ita V, alii add. *est.* [h] V add. *quod,* quod T exp. [i] T *iudicari.* [k] V *merentur,* quod T corr. [l] R *in Deum.* [m] VZ *sit,* quod C corr.

1 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 11, c. 1, q. 2 (f. 69c sqq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 19, a. 1, q. 2, *ad 6* et d. 24, p. 2, dub. 3 ac d. 25, p. 1, dub. 1 (II, 464, 587b, 607b).

2 *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 698).

3 *De regulis fid.,* cf. reg. 90 (PL 210, 669).

4 *De grat. et lib. arbit.,* c. 14, n. 46 (PL 182, 1026).

5 Cf. Pseudo-Bernard., *De statu virtutum,* p. 2, n. 17 (PL 184, 800).

6 Augustin., *De lib. arbit.,* III, c. 3, n. 7 (PL 32, 1274).

7 *De grat. et lib. arbit.,* c. 3, n. 6 (PL 182, 1004).

8 Cf. supra, num. 337 et 339.

TITULUS IV.

DE SYNDERESI ET CONSCIENTIA.

MEMBRUM I.

De synderesi.

Consequenter dicendum est de synderesi et ratione eius de conscientia. Circa autem synderesim:

Primo quaeritur utrum sit potentia vel habitus;

secundo, si est ratio vel voluntas vel differens potentia ab iis;

tertio, utrum secundum eam contingat peccare;

quarto, utrum contingat [a] eam extingui vel non extingui;

quinto, si extinguitur in parte, secundum quem actum extinguitur et in quibus extinguitur [b].

CAPUT I. 417

UTRUM SYNDERESIS SIT POTENTIA VEL HABITUS [1].

Quod autem sit potentia, 1. accipi potest ex eo quod dicit B. Gregorius [2], super illud Ezech. 1, 10: *Facies aquilae desuper ipsorum quatuor:* « Dicunt plerique iuxta Platonem rationabilitatem et irascibilitatem et concupiscibilitatem, quartam ponentes supra has, quam Graeci vocant συντήρησιν ». Cum ergo aliae tres sint potentiae, potentia autem potentiis condividatur, erit [c] synderesis potentia.

2. Item, synderesis et sensualitas sunt oppositae quantum ad inclinationem, quia sicut sensualitas inclinat rationem ad bona transitoria, ita synderesis inclinat ad bona spiritualia et aeterna; sed sensualitas est vis motiva ex parte inferiori [3]; erit ergo synderesis vis [d] motiva a parte superiori; ergo est potentia.

3. Item, Mal. 2, 15: *Custodite spiritum vestrum, et uxorem adolescentiae nolite despicere,* Glossa [4]: « Per uxorem adolescentiae intelligit legem naturalem scriptam in corde, spiritus vero dicitur non animalis pars, quae *non* [e] *percipit quae Dei sunt* [5], sed rationalis spiritus qui *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* [6] ». Est ergo rationalis spiritus, de quo loquitur, potentia quaedam in nobis quae inclinatur in Deum, cui coniungitur lex naturalis a principio vitae; sed non est alia quam synderesis, quae semper stimulat ad bonum; ergo est potentia.

Contra, videtur quod sit habitus: *a.* Prohaeresis enim et synderesis opponi videntur quemadmodum voluntas naturalis et deliberativa; sed prohaeresis est habitus quo informatur voluntas deliberativa; ergo synderesis ex opposito erit habitus quo informatur voluntas naturalis.

b. Item, synderesis et fomes peccati opponuntur [f]: sicut enim fomes peccati trahit ad malum ex parte carnis, ita synderesis trahit ad bonum ex parte spiritus et retrahit [g] a malo; sed fomes est incentivum quoddam ad malum praeter substantiam ipsius animae et quasi accidens illi; ergo synderesis erit quoddam incentivum ad bonum praeter substantiam animae, et ita non erit potentia, sed habitus.

c. Item, synderesis videtur esse lumen quo potentia illuminatur ad bonum, sicut habetur in I libro *De Baptismo parvulorum* [7]: « Si [h] rationem ipsam, quae adhuc velut quieta et quasi sopita, tamen insita et quodam modo inseminata in

---

[a] T add. *aut.* [b] V om. *e. i. q. e.* [c] V om. [d] R om. [e] L om. [f] L *opponitur.* [g] Ita V, alii om. [h] R om.

[1] Cf. supra, num. 151; S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, a. 2, q. 1 (II, 910). Apud Philip. Grev., *Summa,* II (f. 41a-446) verbotenus vel ad sensum occurrunt multa eorum quae hic et in sequentibus de synderesi ponuntur.

[2] Rectius Hieronym., *In Ezech.,* I, c. 1, (PL 25, 22).

[3] Cf. supra, num. 364-365.

[4] *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran., ex Hieronymo, in h. l. (PL 25, 1562sq).

[5] I Cor. 2, 14.

[6] Rom. 8, 26.

[7] Lib. I, c. 25, n. 38 (PL 44, 130).

parvulis latet, illuminationem voluerit appellare, tamquam interioris oculi creationem [a], non resistendum est tunc eam fieri, cum anima creatur, et non [b] absurde hoc intelligi, cum homo venit in mundum ». Sed hoc lumen quid aliud est quam synderesis? cum synderesis [c] dicatur [1] « scintilla conscientiae ». Ergo synderesis est lumen quo potentia rationalis illuminatur; ergo non est potentia, sed habitus.

d. Item, circa cognoscenda [d] ponebatur a philosophis lumen intellectus, quod vocabant [e] intellectum agentem [2]; pari ratione vel multo ampliori erit lumen in parte motiva ad operanda, et illud erit synderesis; est ergo synderesis lumen quo illuminatur potentia motiva.

e. Praeterea, Augustinus [3] ponit lumen rerum cognoscendarum et bonum agendarum aeternum; sed huic aeterno respondet aliquod [f] lumen intra creatum; ergo etc.

[Solutio]: Ad quod dicendum quod synderesis nec tantum sonat in potentiam nec tantum in habitum, sed in potentiam habitualem, ut notetur habitus naturalis, non acquisitus; et ratione potentiae [g] potest opponi aliis potentiis, ratione [h] vero habitus aliis habitibus vel inclinationibus. Unde eo modo quo est potentia, dividetur in ratione contra alias potentias.

[Ad obiecta]: 1. Et per hoc [i] solvetur illud quod obiectum est. Secundum enim quod per [k] aquilam significatur, dividetur contra rationabilitatem, prout est potentia deliberativa.

2-3. Sic etiam intelliguntur aliae rationes obiectae ex illa parte.

a-b. Illae vero rationes, quae obiciuntur ex alia parte, ad habitum naturalem referuntur.

c-e. Quod autem dicitur esse lumen, hoc attenditur de lumine innato, prout cognitio rerum faciendarum quae pertinent [l] ad adeptionem gloriae et vitationem poenae, lumen intelligitur, et haec etiam cognitio habitus naturalis dicitur. Unde ratio, in libro *De Baptismo parvulorum,* quae lumen dicitur, huiusmodi habitus [m] intelligitur, et forte [n] illud est quod Philosophus [4] rectam dixit rationem.

418

CAPUT II.

UTRUM SYNDERESIS SIT RATIO VEL VOLUNTAS [5].

Secundo quaeritur si est ratio vel voluntas vel differens potentia ab iis.

Quod autem sit differens, videtur 1. per hoc quod dicit Gregorius in Glossa super Ezechielem [6]. Dicit enim hanc esse quartam non se tribus miscentem, sed errata corrigentem; sed una illarum est ratio; ergo synderesis non est ratio.

2. Praeterea, ratio, sicut dicit Augustinus, in libro *De Trinitate* [7], dividitur in duo, quorum unum aptatur viro, alterum mulieri; sed in utraque parte rationis contingit esse peccatum; ergo in utraque parte potest esse rectitudo et non rectitudo; sed ipsa synderesis, quantum est de se, remurmurat peccato; ergo differens est synderesis ab utraque; ergo synderesis non est ratio.

Contra, videtur quod sit ratio *a.* per hoc quod dicitur super illud Iob 1,15: *Evasi solus, ut nuntiarem tibi,* Gregorius [8]: « Unus, id est rationis discretio, ad animum redit, quae amissa nuntiat, ut quod praeoccupata mens perdidit, afflicta recipiat »; sed unus iste quis est nisi synderesis? Ergo synderesis est ratio.

b. Item, videtur hoc idem per hoc quod dicitur in libro *De Baptismo parvulorum* [9], ubi dicitur quod ratio « insita sive inseminata » lumen animae dicitur; et hoc lumen synderesis iudicatur.

c. Item, Luc. 10,30: *Abierunt, semivivo relicto,* Glossa [10]: « Immortalitatem exuere [o], sed rationis sensum abolere non possunt quin homo sapere et Deum possit cognoscere ». Sed illud quod tolli non potest in parte motiva, synderesis dicitur; erit ergo synderesis ille sensus rationis.

d. Item, III *De libero arbitrio* [11]: « Ante omne meritum boni operis non est parum accepisse naturale iudicium, quo sapientiam praeponat errori et quietem difficultati »; sed hoc naturale iudicium est syndereseos — est enim « naturale iudicatorium », sicut dicit Basilius [12]: « Iniacet [p] nobis iudicativum », id est [q] discretivum, « vitandi et

[a] Codd. *curationem.* [b] V *sl.* [c] S om. *c. s.* [d] V *potentia cognoscendi* pro *c. c.* [e] T *notabant.* [f] V *aliud.* [g] T om. [h] Z *ratio.* [i] C *illud.* [k] T add. *aliquam.* [l] R *pertinet;* T om. *ad.* [m] VRLZ add. *non,* quod C exp. [n] Z om. *e. f.* [o] S *exue.* [p] V add. *in.* [q] Z *et* pro *i. e.*

[1] Cf. supra, p. 491, nota 2; Lombard., II *Sent.*, d. 39, c. 3 (p. 517).

[2] Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 5 (III, 468); cf. supra, num. 372.

[3] Cf. *De Trinit.,* XIV, c. 15, n. 21 (PL 42, 1051).

[4] Aristot., *Ethica ad Nicom.,* II, c. 2; V, c. 11 et VI, cc. 1, 4, 5, 13 (II, 15, 65, 66, 68, 69, 75).

[5] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, a. 2, q. 1 (II, 908sqq.).

[6] Cf. supra, p. 491, nota 2.

[7] Lib. XII, c. 7, n. 12 et c. 8 (PL 42, 1065).

[8] Cf. *Moral.,* II, c. 46, n. 73 (PL 75, 590).

[9] Augustin., I, c. 25, n. 38 (PL 44, 130).

[10] *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran.

[11] Augustin., cap. 20, n. 55 (PL 32, 1298).

[12] *In Hexaëm.,* hom. 7, n. 5 (PG 29, 158sq.); *Super princip. Proverb.,* n. 9 (PG 31, 406).

eligendi ». Erit ergo synderesis ipsa ratio, cum iudicativum in nobis ratio dicatur.

Quod autem sit voluntas, videtur *e.* per hoc quod duplex ponitur voluntas a Damasceno[1] naturalis et deliberativa[a]. Voluntas autem naturalis est « virtus appetitiva eius quod secundum naturam est, et omnium quae[b] naturae substantialiter adsunt contentiva[2] »; sed haec est synderesis; ergo synderesis est voluntas.

f. Item, voluntas naturalis est naturaliter appetitiva boni et detestativa[c] mali; sed haec est synderesis; ergo synderesis est voluntas naturalis.

Respondeo: Dicendum[d] ad hoc quod ratio dicitur multipliciter. Uno modo secundum quod ratio dividitur ex opposito contra sensibilem[e] vim, et hoc modo synderesis pertinet ad rationem et dicitur ratio. Sed ratio, secundum quod sic dicitur, accipitur multipliciter: nam ratio dicitur[f] cognitiva et motiva. Secundum vero quod cognitiva, potest dici dupliciter: vel in quantum est iudicativa credibilium vel operabilium quae[g] pertinent ad bonos mores, vel in quantum est iudicativa cognoscibilium quae non pertinent ad[h] mores: et hoc ultimo modo non pertinet synderesis ad rationem. Primo autem modo accepta ratio adhuc dicitur dupliciter: vel in quantum est naturalis vel in quantum est deliberativa. Prout est naturalis, dicitur synderesis, sed[i] non prout est deliberativa.

[Ad obiecta]: 1. Per hoc patet solutio ad ea quae obiciebantur. Nam ratio, contra quam dividitur synderesis, sicut dicit Gregorius, dicitur ratio deliberativa, et de hac concedimus quod ipsa non est synderesis. Et per hoc patet solutio ad primum.

2. Similiter et ad secundum. Nam cum dividit Augustinus rationem in duas portiones, scilicet superiorem et inferiorem, accipit[k] rationem prout est deliberativa; et hoc patet per hoc quod dicitur quod secundum utramque[l] portionem contingit peccare: non enim ratio peccat in quantum naturalis, sed solum in quantum est deliberativa.

e-f. Ad hoc autem quod quaeritur utrum sit voluntas, dicendum[3] quod sicut ratio dicitur dupliciter, similiter et voluntas, scilicet naturalis et deliberativa. Synderesis autem est eadem cum voluntate naturali, sed non est idem quod[m] voluntas deliberativa. Voluntas tamen[n] naturalis communior est quam sit synderesis: nam voluntas naturalis se extendit ad ea quae sunt meriti vel praemii et ad ea quae non sunt meriti vel praemii[o]; synderesis autem coarctatur solum circa ea quae sunt meriti vel praemii.

CAPUT III. 419

UTRUM SECUNDUM SYNDERESIM CONTINGAT PECCARE[4].

Deinde quaeritur de synderesi utrum secundum eam sit peccare.

Quod sic, videtur: 1. Quia[p] idem est synderesis quod conscientia[5]. Unde Gregorius, *Super Ezechielem*[6]: « Hanc conscientiam, cum impius in profundum peccatorum venerit, videmus praecipitari », et loquitur de synderesi; sed secundum conscientiam est peccare; ergo et secundum synderesim.

2. Item, anima tota punitur; et poena aeterna non debetur nisi peccato; ergo, cum vermis conscientiae sit poena, ergo est in ea peccatum, et ita in synderesi.

3. Item, conscientia dicitur erronea; hoc[q] autem non esset nisi erraret[r] synderesis; ergo synderesis errat; ergo secundum eam contingit[s] peccare.

4. Item, contraria nata sunt fieri in eadem vi[7]; sed virtus et vitium sunt contraria; ergo sunt nata in eadem vi esse; sed virtus, quae est donum sapientiae, est nata esse in eadem vi animae, et ita in synderesi; ergo est peccatum in ea.

Contra: *a.* Remurmurare peccato et consentire sunt opposita; ergo, cum unum per se sit[t] ipsius synderesis, scilicet remurmurare peccato, reliquum, scilicet consentire peccato, non erit eius.

b. Item, synderesis et fomes se habent per modum oppositionis, quia contrarias habent inclinationes: fomes semper ad malum, synderesis semper ad bonum; sed peccatum est secundum fomitem; ergo et secundum synderesim est meritum[u]; ergo nunquam peccat.

c. Item, synderesis[v] respicit bonum et malum secundum differentias communes: haec enim est

---

[a] S *liberativa.* [b] T om. [c] T *detestinativa.* [d] Ita VR, alii om. [e] VS *sensualem.* [f] T *est.* [g] C add. interl. *non.* [h] T add. *bonos.* [i] Ita R, alii *scilicet.* [k] T *incipit.* [l] S *utraque* pro *s. u.*; V om. *secundum.* [m] Z *cum.* [n] V *autem.* [o] ST om. *et... praemii.* [p] R *quod.* [q] ST *hec.* [r] R *errasset.* [s] T om., R *convenit.* [t] T *se.* [u] R add. *hec.* [v] L (mg.) C add. *semper.*

1 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 943).
2 Damasc., loc. cit.
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, dub. 2 (II, 916sq.).
4 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 12, qq. 1-3 (f. 72asqq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, a. 2, q. 3 (II, 913sqq.).
5 Cf. infra, num. 426.
6 Rectius Hieronym., *In Ezech.*, I, c. 1, (PL 25, 22).
7 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 2 (II, 565).

eius differentia ad ea quae sunt potentiae deliberativae; sed peccatum, cum sit circa opus, est in singularibus ex omissione bonorum et transgressione malorum; ergo non est in synderesi peccatum.

Respondeo quod non est secundum synderesim peccare.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc autem [a] quod obicitur quod 'videmus eam praecipitari' etc.: respondeo quod praecipitari [b] dicitur duobus modis. Uno modo [c] dicitur 'praecipitari' ruere in peccatum et cadere [d] a statu gratiae, et hoc modo solum [e] liberum arbitrium dicitur praecipitari [f]. Alio modo dicitur 'praecipitari' retardari a suo effectu sive [g] non consequi suum effectum, et hoc modo dicitur praecipitari. Est enim duplex effectus eius, scilicet illuminare ad bonum et retrahere a malo remurmurando contra peccatum sive etiam stimulare ad bonum. Quantum ad primum effectum dicitur obnubilari per peccatum, cum scilicet anima non consequitur effectum illuminationis [h]; quantum ad secundum dicitur praecipitari, cum anima per eam non retrahitur a malo.

2. Ad aliud dicendum quod, licet tota anima puniatur, non tamen secundum quamcumque partem punitur, peccat [i]. Dicitur enim puniri anima, non solum ratione eius quod principaliter peccat, scilicet voluntatis [k] vel liberi arbitrii, sed ratione eius quod ordinatur ad illud. Licet ergo anima puniatur ex parte syndereseos, quia non potest consequi actum eius, non tamen in synderesi est peccatum.

3. Ad tertium dicendum quod conscientia [l] habet respectum ad id quod supra est, et ex illa parte non dicitur erronea; habet etiam respectum ad id quod inferius est sive [m] quod accipit ab inferiori, et ex illa parte dicitur erronea, sed tamen non pertinet ad synderesim. Utrum autem conscientia sit idem quod synderesis, tractabitur postea in Quaestione de conscientia [1].

4. Ad quartum dicendum quod donum sapientiae et alii habitus gratuiti non sunt in synderesi, sed in suprema parte rationis, in quantum est deliberativa; illa autem non est eadem cum [n] synderesi, sicut dictum est [2].

b. Ad illud quod obicitur pro alia parte, dicendum quod [o], cum dicitur quod 'peccatum est secundum fomitem', hoc potest intelligi dupliciter: vel scilicet formaliter, ut sit in ea peccatum sicut in subiecto, et hoc modo non est [p] peccatum secundum fomitem [3] nec meritum secundum synderesim; vel potest intelligi causaliter, ut scilicet fomes sit [q] causa peccati sive inclinans ad peccatum, et hoc modo dicitur esse peccatum secundum fomitem et meritum secundum synderesim, sed non ideo est peccatum secundum synderesim, quia neutro illorum modorum potest dici peccatum secundum eam.

420

CAPUT IV-V.

UTRUM ET SECUNDUM QUEM ACTUM CONTINGAT SYNDERESIM EXTINGUI [4].

Deinde quaeritur utrum synderesis possit extingui.

Quod autem ita sit, videtur 1. in haeresiarchis, quibus conscientia dictat subire martyrium pro fide sua defendenda; sed hoc est error peccati; ergo non remurmurat synderesis in eis contra peccatum.

2. Item, in [r] Glossa super Ezechielem [5]: «Hanc conscientiam, cum impius in profundum peccatorum venerit, videmus locum suum amittere»; sed quid est locum suum amittere [s] nisi non semper esse contra peccatum? Ergo, cum omnino in damnatis irreparabiliter sit praecipitata, in eis erit extincta.

3. Item, Ierem. 2, 16: *Filii Mempheos et Caphnes constupraverunt te usque ad verticem,* Glossa [6]: «Malignus spiritus de membris inferioribus usque ad verticem pertingit, quando castam celsitudinem mentis diffidentiae morbus corrumpit»; sed celsitudo mentis dicitur synderesis; ergo etc.

4. Item, super illud Psalmi [7]: *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt,* Glossa [8]: «Omni vi rationis privati»; sed [t] quaedam vis animae est synderesis; ergo etc.

5. Item, synderesis et fomes se habent per modum oppositionis propter diversas inclinationes; sed ex toto potest fomes extingui per gratiae amplitudinem, ut in B. Virgine; ergo per cumulum

---

[a] Ita V, alii om. [b] S om. *e. r. q. p.*; R *et dicendum* pro *respondeo.* [c] S om. [d] Z om. *e. c.* [e] T om. [f] R *precipitare.* [g] S om. [h] RLCZ add. *scilicet.* [i] Z om. [k] Z *voluntas.* [l] ST *scientia.* [m] RLCZ add. *scilicet;* LC (correcti) *secundum* pro *sive.* [n] LC om., in Z est add. mg.; T om. *est;* R *synderesis* pro *e. c. s.* [o] T om. [p] V *potest esse.* [q] LZ *sicut.* [r] Z om. [s] V om. *sed... amittere.* [t] V *scilicet.*

1 Cf. infra, num. 426.
2 Cf. supra, num. 418.
3 Cf. supra, p. 443a, *Solutio.*
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, a. 2, qq. 2 et 3 (II, 911 sqq.).
5 Hieronym., *In Ezech.*, I, c. 1 (PL 25, 22).
6 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
7 Psalm. 13, 1.
8 Lombardi, in h. l. (PL 191, 163).

malitiae synderesis poterit in aliquo reproborum extingui, ut in Antichristo.

Contra hoc est *a.* quod dicitur Isai. ultimo, 24: *Vermis eorum non morietur;* vermis autem ille est remorsus conscientiae; ergo non extinguitur synderesis in damnatis.

b. Item, Sap. 5,38 dicitur: *Dicent intra*[a] *se poenitentiam agentes: Quid profuit nobis iactantia?* etc.

c. Item, hoc videtur per illud quod dicitur Luc. 16,24, ubi[b] petiit dives ut mitteretur Lazarus, ut[c] extremo digiti[d] tactus refrigerium sentiret et nuntiaret duobus fratribus ne venirent in hunc locum tormentorum, Glossa[1]: « Reproborum mentem poena sua erudit quandoque inutiliter ad dilectionem, ut etiam suos spiritualiter diligant, qui hic, dum peccata diligerent, nec se amabant ». Petiit ergo sibi[e] bonum et aliis; ergo non videtur in damnatis synderesis extincta.

d. Item, Bernardus, in libro[f] *De libero arbitrio*[2]: « Quo modo non est ibi aliquod sapere, ubi mala, quae tolerantur, cogunt poenitere malorum quae facta sunt? Numquid aut[g] in tormentis non est poenitere aut poenitere[h] mali non est sapere? » Ergo in damnatis etiam est aliquis actus syndereseos.

e. Item, Hieronymus[3]: « Scintilla conscientiae in Cain non extinguitur », sicut habetur super Ezechielem.

[Solutio]: Ad quod dicendum[4] quod non ex toto extinguitur synderesis, etiam in damnatis: remanet enim aliquis actus. Notandum autem[i] quod sunt quidam effectus syndereseos quantum ad instinctum boni[k] et quantum ad displicentiam mali, et hoc dupliciter: vel in collatione ad poenam vel praeter. Dicendum ergo quod, quantum ad instinctum boni et displicentiam mali culpae, absolute extincta est synderesis in diabolo et damnatis; secundum vero tertium modum non est extincta et haec remanet ad poenam. — Quod patet per alteram partem Glossae[5] Luc. 16,27: « Servatur diviti ad poenam et cognitio pauperis quem despexit et[l] memoria fratrum quos reliquit, ut de[m] visa gloria despecti et de poena inutiliter amatorum amplius torqueatur ». Et de hac dicitur in fine Isai.: *Vermis eorum non morietur.* Habent ergo displicentiam mali in collatione ad poenam. — Quod patet[n] ex petitione illius divitis: petiit enim ut hoc[o] nuntiaretur fratribus *ne in hunc locum veniant tormentorum*[6], hoc est ne digna faciant poenis aeternis; et hoc est opus syndereseos, cui displicet malum in collatione ad poenam.

[Ad obiecta]: 2. Ad secundo[p] obiectum dicendum quod conscientia sive synderesis dicitur amittere locum suum, quia[q] retardatur a suo effectu sive non consequitur effectum, qui est retrahere a malo vel trahere ad bonum, non quia non habeat aliquem actum.

1. Ad hoc quod obicitur de haeresiarchis, dicendum quod non omnino in ipsis extinguitur, sed propter depravationem liberi arbitrii non sentitur actus eius. In inferno autem magis sentietur, quia erit eis in poenam, eo quod non poterit consequi effectum suum, qui est retrahere a malo vel trahere[r] ad bonum, et habebit ibi remorsum conscientiae sibi manifestum.

3. Ad tertium dicendum quod celsitudo mentis non dicitur synderesis, sed fides, quae est in superiori parte rationis. Unde anima dicitur corrumpi *usque ad verticem,* quando integritas fidei in ea corrumpitur.

4. Ad hoc quod obicitur quod erunt omni vi rationis privati, sicut habetur[s] in Glossa super illud Psalmi: *Corrupti sunt*[t] *et abominabiles facti sunt* etc., dicendum quod ratio dicitur ibi vis animae deliberativa: unde non supponit pro synderesi.

5. Ad ultimum dicendum quod non est simile de fomite et de[u] synderesi. Nam synderesis naturaliter est in homine et potentia naturalis; illud autem, quod naturae[v] est, non potest ex toto amitti per peccatum; sed fomes accidentaliter est in anima: unde potest extingui per gratiae excellentiam.

e. Ad illud[x] quod obicitur de Cain, dicendum[y] quod aliter est in viatore et aliter in damnato. Nam in viatore stimulat ad bonum et potest, dum est viator, habere effectum in illo, et similiter[z] de retrahendo a malo; sed in damnato nullum potest huiusmodi elicere effectum, et ideo quoad hos effectus dicitur extingui in damnato, non autem in viatore. Licet enim Cain desperaret, ex libero arbitrio tamen potuit, dum erat viator, non desperare, et ita aliquem usum potuit elicere synderesis.

---

[a] Z *inter.* [b] V om. [c] RZ add. *in.* [d] R add. *sui.* [e] L om. *e. s.* [f] T add. *autem.* [g] VT *ut,* L *autem.* [h] T om. *a. p.* [i] RLC om., in Z est add. mg. [k] S om. [l] ST om. [m] C om. [n] T om. *q. p.* [o] V om. [p] Codd. *primo;* V om. *quod.* [q] VL om. [r] L *retrahere.* [s] Ita VS, alii om. [t] LCZ om. [u] R om. [v] S *ex natura;* V *omnino* pro *ex toto.* [x] ST *aliud.* [y] Ita V, alii add. *est.* [z] C om.

1 *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran.
2 *De grat. et lib. arbit.,* c. 9, n. 31 (PL 182, 1017).
3 *In Ezech.,* I, c. 1 (PL 25, 22).
4 Cf. S. Bonav., IV *Sent.,* d. 50, p. 2, a. q. 2, *ad 4* (IV, 1052).
5 *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran.
6 Luc. 16, 28.

MEMBRUM II.

De conscientia.

Consequenter quaerendum est[a] de conscientia: Primo, an sit potentia vel habitus;
secundo, si sit habitus, utrum naturalis vel acquisitus;
tertio, si sit habitus naturalis, utrum sit cognitivus vel motivus;
quarto, utrum sit semper in actu;
quinto, utrum sit idem quod lex naturalis;
sexto, utrum sit idem quod synderesis.

421

CAPUT I.

UTRUM CONSCIENTIA SIT POTENTIA VEL HABITUS.

Quod autem non sit potentia, sic videtur: 1. Quia[b] conscientia dicitur erronea et recta, tranquilla et perturbata; sed ista nulli potentiae conveniunt; ergo[c] conscientia non est potentia.

2. Item, conscientia est scientia qua aliquis sibi conscius est; sed scientia non est potentia, sed habitus; ergo conscientia est habitus[d].

Quod autem non sit habitus[e], **videtur**: *a.* Quia conscientia in damnatis est poena; sed nullus habitus est eis poena; ergo conscientia non est habitus.

b. Item, conscientia dicitur aliquando munda, aliquando immunda; sed nullus habitus immundus aliquando potest esse mundus nec e converso; ergo conscientia non est habitus[f].

Item, videtur quod nec sit potentia nec habitus. *c.* Dicit enim Damascenus[1] quod « conscientia est lex nostri intellectus »; sed lex non dicitur potentia vel habitus; ergo nec conscientia.

[Solutio]: 2. Ad quod dicendum quod conscientia tripliciter accipitur. Aliquando enim accipitur pro eo quod conscimus[g], et sic conscientia nec est potentia nec habitus, sicut nec scibile in anima proprie dicitur potentia vel habitus, et sic accipitur a Ioanne Damasceno[2], cum dicitur « conscientia est[h] lex nostri intellectus ». Aliquando vero accipitur pro eo quo[i] conscii sumus, et sic dicitur habitus, quo scilicet conscimus, et sic procedebat secunda obiectio, quae dicebat quod conscientia est scientia. Tertio modo accipitur conscientia pro ipsa potentia habente vel recipiente illud quod conscimus, secundum quod dicitur quod lex mentis nostrae scripta est in conscientia; et sic dicitur conscientia naturalis potentia animae.

1. Ad hoc quod obicitur quod 'conscientia dicitur esse recta vel erronea, tranquilla vel perturbata[k], munda vel immunda[l], quod non convenit potentiae naturali': dicendum[m] quod conscientia accipitur ibi pro habitu acquisito, qui scilicet relinquitur in anima ex eo quod conscitur; unde concedo quod secundum hunc modum non dicitur potentia primo et principaliter.

a. Quod autem obicitur quod 'conscientia in damnatis est poena': dicendum quod conscientia accipitur ibi pro afflictione consequente, non pro habitu vel pro[n] potentia.

b. Cum autem dicitur quod 'conscientia dicitur esse munda vel immunda', accipitur pro potentia, quae dicitur aliquando munda, adveniente gratia, aliquando immunda, adveniente culpa.

Et sic patet solutio ad omnia obiecta per distinctionem conscientiae supra dictam[3].

422

CAPUT II.

UTRUM CONSCIENTIA SIT HABITUS NATURALIS VEL ACQUISITUS[4].

Secundo quaeritur utrum conscientia sit habitus naturalis vel acquisitus.

Et videtur quod sit habitus acquisitus: 1. Quia conscientia aliquando est munda, aliquando

---

[a] R om. [b] T *quod*. [c] S *esse*. [d] S om. *e. c. e. h.* [e] Ita S, alii om. [f] V *bona*. [g] R (corr.) *conscitur*. [h] Ita L (mg.) C, alii om. [i] C *quod*. [k] Ita CZ (correcti), alii *erronea vel tranquilla, munda vel immunda* pro *recta... perturbata*. [l] Z exp. *m. v. i.* [m] ST *dicitur*. [n] S om.

[1] *De fide orthod.*, IV, c. 22 (PG 94, 1199).
[2] Loc. cit.
[3] Hic in *Solutione*.
[4] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, a. 1, q. 2 et a. 2, q. 3, *ad 4* (II, 901 sqq., 915).

immunda; sed hae differentiae contrariae non insunt[a] ei a natura, sed potius ab acquisitione, quia quod naturaliter ei inest, semper inest et a principio; conscientia autem non semper est sub huiusmodi differentiis; ergo non videtur esse habitus naturalis, sed potius acquisitus.

2. Item, modo potest quis habere conscientiam alicuius rei quam prius non habuit, sicut patet de Iudaeis, qui ante dationem Legis non habebant conscientiam de[b] immundis, sed post dationem habuerunt vel habere debuerunt; conscientia ergo incipit[c] esse de aliquibus de quibus ante[d] non fuit; sed habitus naturalis semper est de iis de quibus est; ergo ut prius.

Contra: *a.* Ioannes Damascenus[1] dicit conscientiam esse legem nostri intellectus, prout legi mentis repugnat lex carnis; sed lex carnis[e] est in homine quam cito homo incipit esse: quam cito enim anima[f] coniungitur carni, habet homo legem carnis; unde, quia ex coniunctione ad carnem habet homo legem carnis, ideo eam habet quam cito incipit esse. Cum ergo[g] lex mentis insit animae a sua creatione, patet quod multo magis debet habere homo legem mentis quam cito incipit esse; ergo et conscientiam, cum haec dicatur illa[h]; sed quod inest[i] homini a principio et est habitus, est habitus[k] naturalis; ergo[l] conscientia est habitus naturalis.

b. Item, Rom. 2,14: *Cum gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt*[m], *faciunt, ipsi sibi sunt lex,* Glossa[2]: « Etsi gentiles non habeant legem scriptam, habent tamen legem naturalem qua[n] quisque intelligit et sibi conscius est quid sit bonum et quid sit malum »; sed huiusmodi lex naturalis habitus est naturalis; ergo et ipsa conscientia, quia ea conscius est quid sit bonum et quid sit malum.

Respondeo: 1-2. Sicut scientia accipitur secundum actum et secundum habitum — secundum actum, quando aliquis habet scientiam actualiter alicuius scibilis et actualiter[o] convertitur super illud; secundum habitum, quando, etsi habeat scientiam alicuius scibilis, non tamen convertitur actualiter super illud[p] — similiter et conscientia, quae in se scientiam[q] includit, potest accipi secundum actum et secundum habitum. Unde conscientia est talis habitus, a quo potest elici actus qui prius non fuit elicitus; nihilominus tamen semper habet aliquem actum secundum habitum[3], etsi non secundum actum, ut post videbitur[4]. Prout ergo accipitur secundum habitum, bene concedimus quod est habitus naturalis, sed prout[r] secundum actum, acquisitus. Unde bene concedimus quod huiusmodi differentiae 'mundum et immundum' et sic de aliis differentiis, non sunt differentiae conscientiae prout est habitus naturalis, sed prout dicit acceptionem iuxta huiusmodi habitum, et hoc prout se tenet ex parte rationis. Et iterum conscientia de se dicit duo: scilicet 'scientiam', et sic potest dicere habitum naturalem; vel potest dicere acceptionem ratione eius quod dicitur 'cum', et sic recipit errorem, et potest dicere habitum acquisitum.

CAPUT III. 423

UTRUM CONSCIENTIA SIT HABITUS COGNITIVUS VEL MOTIVUS[5].

Tertio, quaeritur utrum sit habitus cognitivus vel motivus.

Et videtur quod motivus 1. per hoc quod dicit Damascenus[6] quod « conscientia est lex nostri intellectus; sed immissio perniciosi, hoc[s] est lex peccati, superveniens membris carnis, per eam se nobis immittit ». Et subditur: « Conscientia congratulatur legi Dei, scilicet mandato, lex autem peccati, scilicet immissio per legem, quae est in membris, scilicet per[t] corporis surrectionem et motum et irrationalem partem animae, repugnat legi intellectus nostri[u] ». Ex quo apparet quod Damascenus dicit conscientiam esse legem mentis, prout ei opponitur lex carnis; sed lex carnis[v] motiva est et semper inclinat ad malum; ergo per oppositum conscientia, quae est lex mentis, in bonum, et ita, cum[x] conscientia sit habitus, erit habitus motivus.

2. Ad idem, delectabile et poenale attenduntur penes voluntatem: unde delectabile dicitur quod est consonum voluntati, poenale quod non est consonum; sed delectabile et poenale attenduntur circa conscientiam; unde super illud II ad[y] Cor. 1,12: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae,* Glossa[7]: « Sicut impiis

---

[a] C *sunt.* [b] T om. [c] ST *concipit.* [d] Ita L, alii om. [e] V om. *s. l. c.* [f] S om. [g] S om. [h] V *habere.* [i] V *interest.* [k] VS om. *e. h.* [l] V add. *et.* [m] R om., in L est add. mg. [n] C *quo.* [o] V om. *a. s. e. a.* [p] S om. *secundum habitum... illud.* [q] R *conscientiam.* [r] ST add. *est.* [s] VRL *hec.* [t] L om. [u] Ita R, alii *mei.* [v] V om. *s. l. c.* [x] S om. [y] V om.

[1] *De fide orthod.*, IV, c. 22 (PG 94, 1199).
[2] Lombardi, in h. l. (PL 191, 1345).
[3] Cf. supra, num. 418. [4] Cf. infra, num. 424.
[5] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, a. 1, q. 1 (II, 898sqq.).
[6] Loc. cit., ubi et sequens. Cf. Rom. 7, 22-23.
[7] Lombardi, in h. l. (PL 192, 13).

est magna poena conscientia, ita piis est gaudium ». Ergo conscientia est [a] ex parte voluntatis, et ita, cum sit habitus, erit habitus motivus.

Contra: *a.* Conscientia ponit scientiam; sed scientia determinat habitum cognitivum; ergo et conscientia.

b. Hoc idem arguitur per simile, quia, cum dicitur 'iste homo est conscius secretorum huius [b] hominis', sensus est quod iste novit secreta illius [c]. Unde 'conscius' dicitur propter aliquam notitiam communem, et ita 'conscius' ponit cognitionem; ergo et conscientia; ergo est habitus cognitivus.

c. Item, I Cor. 4,4: *Nihil mihi conscius sum;* non est sensus: 'non moveor ad peccatum', sed potius 'non cognosco me esse in peccato'; unde Glossa [1], ibidem: « In nullo me remordet conscientia mea ». Quare conscientia non erit habitus motivus, sed potius cognitivus.

d. Item, corrigere, consiliari et huiusmodi ad cognitionem pertinent [d]: corrigere enim magistri [e] est, consiliari sapientis; sed ista ad conscientiam pertinent. Unde in Glossa [2] super Ezech. 1,10, ubi loquitur de conscientia, dicitur quod putant ipsam errata corrigentem; et ita ad cognitionem pertinet.

e. Item, Eccle. 7,23: *Scit conscientia tua, quia et tu crebro maledixisti aliis,* et ita conscientiae [f] est scire; et ita ut prius.

f. Hoc idem arguitur ex hoc quod dicitur [g] in Glossa [3]: « Qua iudice nemo absolvitur nocens ». Ex quo apparet quod iudicare ad conscientiam pertinet; sed iudicare cognoscentis est; et ita ut prius.

Respondeo: Est habitus pure cognitivus, sicut habitus huius principii: 'omne totum est maius sua parte'; et est habitus pure motivus, sicut est habitus virtutis; et est habitus qui non solum est cognitivus, sed etiam inclinativus in motum, sicut in prosecutionem [h] [boni] aut fugam mali, et talis habitus [i] est conscientia. Unde non debemus ponere conscientiam sub uno habitu, sed sub duobus, secundum quod dicit Philosophus [4], quod peccant qui ponunt sub uno genere ea quae sunt sub diversis generibus. Sic est de conscientia, quia [k] ratione cognitionis ordinatur sub habitu cognitivo; ratione eius quod ordinat ad prosecutionem boni et fugam mali, ordinatur sub [l] habitu motivo. Et prout est habitus naturalis non dicitur mala, cum est de malo, et bona, cum est de bono. Tamen prout dicimus acceptionem quamdam rationis, recipit aliquo modo istas differentias 'rectum, erroneum' et alias huiusmodi, secundum quod dictum fuit superius [5], secundum quod intellectus semper est rectus, ratio autem recta et non recta [6]. Sic conscientia prout est habitus naturalis, semper est recta; prout vero dicit acceptionem quamdam rationis, potest dici quandoque recta, quandoque non recta.

[**Ad obiecta**]: 1. Ad id quod primo obicitur quod 'lex carnis solum pertinet ad motivam et non ad cognitivam, ergo et lex mentis, quae ei opponitur': dicendum [7] quod non est omnino simile, quia lex mentis semper dirigit ipsam motivam per cognitivam, lex carnis sine praecedente cognitione potest movere et aliquando praecedente cognitione. Quemadmodum enim fomes est poenale inflictum ex primo peccato, similiter lex carnis, quae ipsum dirigit: et ideo se ipsa sine praecedenti cognitione potest dirigere ipsam motivam in malum, et ideo accidit quod ipsam praecedat aliquando cognitio, sed essentialiter exigitur cognitio ad hoc ut lex mentis dirigat motivam [8]. Unde primo respicit quod est intellectus, postmodum, mediante hoc, quod est voluntatis; et ideo etiam appellatur 'lex mentis' ab eo quod est meminisse quae sunt facienda. — Ad hoc ergo quod obicitur quod 'lex mentis opponitur legi carnis': dicimus quod solummodo opponitur [m] ei ex parte qua est motiva in bonum, et non ex parte qua est cognitiva. Unde ex illo non potest concludi quod non dicat rationem motivi, sed non solum quod dicat rationem cognitivi, et hoc bene concedimus.

2. Ad secundum dicimus [9] quod, cum dicitur 'conscientia est poena aut gaudium' [n], quod non dicitur per essentiam, sed solum ex consequenti. Unde ipsa disponit ad hoc vel ad illud secundum quod diversimode est in diversis, quemadmodum cognitio [o] disponit ad motum. Unde quandoque accidit quod aliquis habens conscientiam de malo, affligatur et habens conscientiam de bono, delectetur.

---

[a] V om. [b] V *huiusmodi.* [c] R *ipsius.* [d] S add. *et.* [e] LC *magnum.* [f] V add. *tue.* [g] R add. *ibi.* [h] V *persecutionem.* [i] S om. [k] L add. *de.* [l] V om. [m] ST om. *legi... opponitur.* [n] Z add. *dicendum.* [o] S om.

1 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1565).
2 Hieronym., in h. l. (PL 25, 22).
3 *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran.
4 Aristot., *Topic.*, IV, c. 5 (I, 215).
5 Cf. supra, p. 497b, *Respondeo.*
6 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 10 (III, 472).
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, a. 2, q. 2, *ad 4* (II, 913).
8 Cf. supra, num. 364-366.
9 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 39, a. 1, q. 1, *ad 5* (II, 900).

CAPUT IV. 424

UTRUM CONSCIENTIA SEMPER SIT IN ACTU [1].

Consequenter quaeritur utrum conscientia semper sit in actu suo.

Quod videtur: *a.* Quia ignis materialis semper est in actu suo: unde quamdiu est ignis, semper habet aliquem actum; sed conscientia dicitur esse ignis, Ezech. 28,18: *Producam ignem de medio tui,* Glossa [2]: « Omnia quae aedificasti male, conscientiae ignis absumet »; unde Ezech. 1,10, in Glossa [3] dicitur synderesis « scintilla conscientiae »; ergo sicut ignis, ita et conscientia semper erit in actu suo.

b. Praeterea, etsi ponderosum non semper feratur deorsum, nihilominus semper inclinatur ad hoc ut deorsum feratur: unde semper est sub actu suae inclinationis naturalis; sed inclinare liberum arbitrium ad fugiendum malum et prosequendum bonum est actus qui inest [a] conscientiae a natura: non dico movere liberum arbitrium ad hoc aut [b] ad illud, quia liberum arbitrium non potest moveri ad hoc aut ad illud [c] sine proprio consensu; conscientia ergo semper erit sub huiusmodi actu, et ita semper erit in suo actu.

Contra: 1. Conscientia est scientia; scientia autem habitus est; habitus autem non semper est in actu; ergo conscientia non semper est in actu.

2. Item, conscientia non efficit actum in parvulis; ergo, cum conscientia sit in parvulis, eo quod naturalis est, non semper est in suo actu.

Respondeo 2. quod, etsi [d] non appareat actus conscientiae in parvulis, tamen in adultis semper apparet in suo actu. Semper enim stimulat in adultis liberum arbitrium ad bonum vel ad malum, licet ipsum non ducat ad consensum: hoc enim non est actus eius.

1. Ad aliud vero dicendum [e] quod, licet conscientia ponat scientiam, scientia habitum, nihilominus conscientia est semper in aliquo actu, quia [f] quidam habitus potest semper esse in actu aliquo et quidam non semper est: de primo autem genere est conscientia.

CAPUT V. 425

UTRUM CONSCIENTIA SIT IDEM QUOD LEX NATURALIS [4].

Quinto quaeritur utrum conscientia sit idem quod lex naturalis.

Et videtur quod non: *a.* Lex enim [g] naturalis non est deponibilis; sed conscientia est [h] deponibilis: unde habenti conscientiam erroneam dicitur 'depone conscientiam tuam'; ergo lex naturalis non est idem cum [i] conscientia.

b. Praeterea, quorum sunt diversae differentiae, ipsa sunt diversa; sed huius et illius sunt diversae differentiae: non enim lex naturalis recipit istas differentias 'mundum et [k] immundum' [l], et ita de aliis; ergo etc.

c. Item, Ioannes Damascenus [5]: « Lex Dei [m] intellectum nostrum attrahit [n] ad se ipsam et pungit nostram conscientiam [o] »; et ita ut prius.

Contra: 1. Rom. 2,14: *Cum enim gentes* etc., Glossa [6]: « Etsi [p] gentiles non habeant legem scriptam, habent tamen legem naturalem, qua quisque intelligit et sibi conscius est quid sit bonum et quid sit malum ». Lege ergo naturali est unusquisque conscius; sed conscientia est illud quo sibi unusquisque conscius est [q]; ergo conscientia est idem quod lex naturalis.

Respondeo: Dicimus quod haec differunt quemadmodum aliquod principium, quod facit scire aliquam conclusionem, et scientia illius principii. Lex enim naturalis scripta est in corde: unde est sicut quoddam scibile quod dirigit potentiam intellectivam ad motum, prout habet in se rationem cogniti. Unde sicut in scientia principii includitur ipsum principium, sic in conscientia [r] lex naturalis.

[Ad obiecta]: 1. Ad id quod obicitur quod 'conscientia [s] est qua aliquis sibi conscius est, et similiter lege naturali', dicimus quod diversa habitudo notatur per hunc ablativum et per illum [t]: per hunc enim ablativum 'conscientia' notatur habitudo formalis, sed per hunc ablativum 'lege naturali' dispositio materialis.

---

[a] R *est.* [b] V *ut,* quod R corr., item infra. [c] ST om. *quia... illud.* [d] ST *si.* [e] RLCZ add. *est;* V *illud* pro *aliud.* [f] Z *et.* [g] S *autem.* [h] S om. [i] C *quod.* [k] V om. [l] R add. interl. *erroneum non erroneum.* [m] R om. [n] R add. *scilicet.* [o] Z *scientiam.* [p] S *et non.* [q] R om. *quid sit bonum... est.* [r] S add. *est.* [s] R *scientia.* [t] T add. *et.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 39, dub. 2 (II, 916sq.).
2 *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran.
3 Loc. cit., ex Hieronymo, *In Ezech.,* I, c. 1 (PL 25, 22).
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 39, a, 2, q. 1, *ad 4* (II, 911).
5 *De fide orthod.,* IV, c. 22 (PG 94, 1199).
6 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1345).

426

CAPUT VI.

UTRUM CONSCIENTIA SIT IDEM QUOD SYNDERESIS [1].

Sexto quaeritur utrum conscientia sit idem quod synderesis.

Quod sic [a], **videtur**: 1. Ezech. 1, 8, super illud: *Quatuor partes habebant*, Glossa [2]: « Synderesis est scintilla conscientiae »; et postea subditur: « Hanc autem conscientiam, cum impius in profundum peccatorum venerit, praecipitari videmus ». Ex quo videtur quod conscientia sit idem quod synderesis.

2. Hoc idem patet argumentis quae dicuntur in eadem Glossa. Vult enim dicere quod quatuor sunt vires animae, scilicet rationabilis, irascibilis et [b] concupiscibilis, quarta, quae supra has et extra has est, dicitur synderesis. Et, ut patet ex eadem Glossa, conscientia reducitur ad aliquam istarum virium. Cum ergo non sit alia vis ab iis in anima [c] nisi synderesis, patet quod conscientia ad synderesim reducitur.

Contra: *a.* Praedictae differentiae conscientiae non competunt synderesi; ergo haec non est illa.

b. Et iterum, synderesis est in [d] parte motiva, conscientia vero plus est in parte cognitiva, licet inclinet ad motum, sicut dictum est [3].

Respondeo quod conscientia habet duo in se: unum, quod est sicut supremum, et quoad hoc coniungitur ipsi synderesi et dicit habitum naturalem [4]; et aliud, quod est inferius, et sic coniungitur magis rationi, et sic dicit rationem acceptionis quae notatur in hoc quod dicitur 'cum', et sic recipit errorem et perturbationem et huiusmodi similia. A parte enim inferiori bene potest accidere error; tamen [e] quod erret, hoc non est de se: plus enim se tenet ex parte synderesis, quae potentia habitualis dicitur, quam [f] ratione scientiae quae includitur in ipsa, ratione cuius est in ipsa rectitudo. Unde ratione eius quod dicit habitum, se tenet ex parte synderesis, quae potentia habitualis dicitur; sed ratione eius quod dicit acceptionem ex parte rationis, ex parte huius recipit praedictas differentias. Et ita patet solutio: dicendum enim est [g] quod conscientia a [h] parte superiori secundum rem reducitur ad synderesim [i].

---

[a] C *sit*. [b] SZ om. [c] R *animo*. [d] S *ex*. [e] V add. *hec*. [f] Codd. *quia*. [g] V om. [h] R *ex*. [i] In Z (fol. 92d) per *Vacat* deletur dimidia columna, id est a *Quoniam dictum est de substantia spirituali* usque ad *id est immobilitas et incommutabilitas in aliqua* (cfr. infra, p. 501-502a), sed fol. 93a iterum eadem manu incipit: *Quoniam* etc. Hic cessat cod. C (f. 76d) et relicto vacuo unius fere columnae transit ad Secundam Partem Libri II, *De malo*. Huic deinceps substituitur Florentinus Bibl. Laurentianae, S. Crucis, Plut. 24, Dext., cod. 4, quem littera F signabimus. Alii etiam codices, sed pauci, hic finem faciunt Primae Partis Secundi Libri. Solus cod. Vindobonensis, Bibl. Nation., cod. 1384 (U. 615), fol. 63r (nova foliatio 152r) in margine superiori, ad initium quaestionum sequentium *De corpore humano*, annotat: *Hic incipit addicio fris Gil. de Militona*. De iis in Prolegomenis actum est.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 49, a. 2, q. 1 (II, 911).
2 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ubi et sequentia.
3 Cf. supra, num. 423.
4 Cf. supra, num. 422.

TRACTATUS SECUNDUS

DE CORPORE HUMANO

SECTIO I. — De corpore humano quoad fieri.

QUAESTIO I.

DE CAUSA EFFICIENTE CORPORIS ADAE.

Quoniam dictum est de substantia spirituali unibili, cuiusmodi est anima rationalis, dicendum est de substantia corporali unibili, cuiusmodi est corpus humanum. De quo considerandum est quantum ad duplicem statum, innocentiae scilicet et naturae lapsae.

Quantum ad statum innocentiae, considerandum est de ipso et [a] conditionibus eius dupliciter, scilicet [b] quoad fieri et quoad esse.

Quoad fieri considerandum est de ipso quadrupliciter [c] secundum genera quatuor causarum:

Et primo, quoad causam efficientem;
secundo, quoad [d] formalem;
tertio, quoad [e] materialem;
quarto, quoad finalem.

Quoad efficientem tria quaeruntur:

Primo [f], si corpus humanum, scilicet corpus [g] Adae in statu innocentiae, fuit a Deo;
secundo, si potuit esse a creatura spirituali, scilicet ab angelo;
tertio, si a creatura corporali, cuiusmodi est natura aliqua inferior creata.

CAPUT I. 427

UTRUM CORPUS ADAE FUIT A DEO [1].

Circa primum sic: *a. Formavit Deus hominem de limo terrae,* Gen. 2,7, quod intelligitur quantum ad corpus.

b. Item, Iob 10,8: *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me,* et, ut patet ex Glossa [2], loquitur ibi Iob in persona hominis simpliciter sive hominis primi; Glossa [3]: « *Fecerunt* secundum animam, *totum in circuitu* secundum corpus »; et post [h]: « Manibus dicitur factus, praemisso consilio [4]: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* ».

c. Item, si corporis alicuius decebat Deum esse causam, maxime decebat eum esse causam corporis primi hominis, cum in genere corporum

---

[a] F add. *de.* [b] V om. [c] T *dupliciter.* [d] F add. *causam.* [e] F add. *causam.* [f] Ita V, alii *primum.* [g] VZ om. [h] V *primo.*

1 Cf. S. Bonav., *Breviloq.*, p. 2, c. 10 (V, 227sq.).
2 Cf. Gregor. M., *Moral.*, IX, c. 49, n. 74sq. (PL 75, 900).
3 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
4 Gen. 1, 26.

fuerit nobilissimum; sed constat quod aliquod corpus[a] conditum est a Deo, scilicet corpus supremum; ergo etc.

d. Item, Augustinus, *83 Quaestionum*, 35[b][1], arguit omne corpus esse a Deo, sic: « Omne bonum[c] a Deo; omne speciosum[d] bonum; ergo omne speciosum[e] a Deo; sed omne corpus, ut corpus sit[f], aliqua specie continetur; ergo omne corpus a Deo ». Ex hoc potest argui ulterius: ergo corpus Adae est a Deo.

Contra: 1. Sicut in genere essendi extrema non coniunguntur nisi per medium, ita in genere operandi inter primam[g] causam et effectum ultimum debet intercidere[h] operatio causae mediae; sed Primum est causa prima, corpus humanum ultimus effectus; ergo inter haec debet intercidere causa media in operando ad hoc quod sit effectus ultimus, scilicet corpus humanum. — Quod corpus humanum sit ultimus effectus, confirmatur theologice: Nam corpus humanum est ultima creatura in operibus sex dierum. Similiter et philosophi, istum ponentes ordinem: ut primo sit Deus, deinde angelus, deinde corpus caeleste, deinde elementa, quae sunt corpora simplicia, deinde mineralia, deinde vegetabilia, deinde sensibilia, ultimo corpus humanum.

2. Item, Primum est substantia immobilis et[i] immutabilis, corpus humanum substantia mobilis et mutabilis; inter haec autem est aliqua[k] substantia mobilis et immutabilis, ut corpus caeleste, quod est mobile quoad situm, immutabile[l] quoad formam[2]; est et alia, quae immobilis, sed mutabilis, ut terra, quae est immobilis[m] quantum ad situm et mutabilis quantum ad formam[n]; nulla autem creatura est immobilis et immutabilis, sed solus Deus[3]. — Quod patet per Gregorium Nyssenum[4] ostendentem quod haec duo in creatura esse non possunt; unde dicit[o] cap. 1: « Sapientia Dei, proprietates uniuscuiusque permutans, immobilem[p] naturam convertibilem fecit, mobilem vero inconvertibilem, providentia quadam haec ita dispensans, ne quod[q] divinae naturae est singulare vel proprium, id est immobilitas et[r] incommutabilitas[s], in aliqua creatura conspecta Deum aestimare faceret creaturam, ostendens haec extrema, caelum scilicet et terram, participare[t] has proprietates, ut caelum sit mobile, sed immutabile, terra immobilis, sed mutabilis ». Sed sicut est ordo in essendo, ita debet esse in operando sive in causando[a]: aliter enim destrueretur[b] bonum ordinis in universo; et si sic, erit ultima substantia, scilicet corpus humanum, a mediis vel a[c] media.

3. Item, causa primaria causando influit super suum[d] causatum[5]; sed sua influentia est ex infinita potentia; igitur quod est immediate causatum influentia divinae potentiae, maximae debet esse potentiae; ergo, cum corpus primi hominis maximae fuerit[e] infirmitatis, non videtur fuisse effectus primae potentiae. — Si dicatur quod ex actu ipsius Adae secuta est haec infirmitas – contra: Plus erat causa prima potens influere quam aliquod aliud infirmare vel destruere; non ergo videtur ex aliquo infirmitatem huiusmodi incurrisse, si[f] esset immediatus effectus primae potentiae. — Si adhuc diceretur quod, licet conditum fuisset corpus primi hominis a summa potentia, non tamen[g] ex hoc sequeretur[h] quod non esset impotens sive infirmum – contra: Bonitati artificis attestatur bonitas artificiati, eodem modo[i] videtur quod potentiae artificis attestetur potentia artificiati.

4. Item, corpus humanum in genere rerum est ultimae compositionis, quia maxime est compositum[k]: unde inter creaturas maxime distat a summo simplici; propter quod videtur quod, si quae non tantum distant, causantur a causis mediis, et istud[l].

5. Item, Dionysius[6]: « Optimi est optima facere[m] »; igitur, cum corpus hominis primi, in quantum corpus est sive determinatum omnino in esse corporali, non fuerit[n] de numero optimorum, non[o] fuit productum in esse ab Optimo.

6. Item, ut habetur in Commento super librum *De causis*[7]: « Anima facta est causa corporum, et[p] facta est creata[q] ab intellectiva quae est ante ipsam[r] »; sed magis decet[s] divinam providentiam creare animas per se quam corpora, cuiuscumque sint[t] conditionis; igitur, si non per se creat animas, sed creatae sunt ab intelligentiis, ut habetur in verbo proposito, multo fortius et corpus, cuiuscumque sit[u] conditionis, debet ab intelligentiis creari.

7. Item, corpus primi hominis productum fuit ad esse ultimum, scilicet beatitudinis, mediante

---

[a] Ita V, alii om. [b] Ita VF, alii add. *dist.* [c] V add. *est.* [d] V add. *est.* [e] V add. *est.* [f] V *sub*, quod F corr. [g] T om. [h] V *intercedere*, item infra; STRZ *opera* pro *operatio*, quod L corr. [i] L om. [k] V *alia.* [l] Z *immobile.* [m] V *in ea.* [n] V om. *quantum ad situm... formam.* [o] F add. *in;* V om. *cap. 1.* [p] R *mobilem.* [q] V *neque* pro *n. q.* [r] V om. [s] V add. *ne.* [t] V *precipitare.* [a] VSTL *creando*, quae confusio saepius in omnibus codd. occurrit. [b] V *destitueretur* pro *e. d.* [c] V om. [d] V add. *creatum.* [e] STRZ *fuit.* [f] SLZ *sed.* [g] V om. [h] Ita V, alii *sequitur.* [i] V *eadem ratione* pro *e. m.* [k] V *maxime est compositionis* pro *m. e. c.* [l] Ita F, V (corr.) *meditate* pro *m. e. l.;* alii *etc.* pro *istud.* [m] V om. *Item... facere.* [n] Ita F, alii *fuit.* [o] V *nec.* [p] F add. *anima.* [q] S *creatura.* [r] V om. *et facta... ipsam.* [s] V *est* pro *m. d.* [t] S *fuit.* [u] R *sint* et om. *debet.*

[1] Quaest. 10 (PL 40, 14).
[2] Cf. Aristot., *De caelo*, II, c. 1 (II, 389).
[3] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 48; supra, num. 63-66.
[4] *De hominis opificio*, c. 1 (PG 44, 129sq.).
[5] Cf. *Liber de causis*, § 1 (p. 163).
[6] *De divin. nomin.*, c. 4, § 19 (PG 3, 715, PL 122, 1138).
[7] Est verbotenus ipse textus § 13 (p. 176).

creatura; similiter, et ratione fortiori, videtur quod productum fuerit[a] ad esse primum aliqua[b] creatura mediante, cum esse ultimum sit nobilius quam primum.

8. Item, prima rerum conditio lex erat originalis[c] naturae succedentis; unde Basilius, in *Hexaëmeron,* V, in fine[1]: « Naturae ratio, ex priori Dei mandato sortita principium, per omne transit aevum, donec ad communem terminum finemque perveniat ». Si ergo corpus humanum in processu naturae originalis ab alio corpore eiusdem generis producitur in esse mediante virtute superiori — homo enim generat hominem et sol[d 2] — videtur quod similiter tunc[e] debuit in esse produci.

[Solutio]: Ad hoc potest dici quod corpus primi hominis fuit conditum a Deo, ut ex textu Gen. 2,7 patet, non ab angelo vel alia creatura[3]. Unde Augustinus, *Super Genesim ad litteram*[4]: « Formare vel aedificare costam ut mulier esset, usque adeo non potuit nisi Deus, ut nec illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod in illius[f] costae successit locum, ab angelis esse crediderim, sicut nec ipsum hominem de terrae pulvere ». Ratio autem quare decebat[g] divinam providentiam ut homo, etiam[h] secundum corpus, esset a Deo, est quaedam ex duabus completa[i], quarum prima est sumpta a causa exemplari, secunda a causa finali. Prima est haec[5]: Homo secundum corpus est imago Dei, quia sicut Deus est principium simpliciter omnium, sic homo, secundum corpus, corporum omnium sui generis fuit principium. Unde II *Sententiarum,* 17 dist.[6]: « Imago Dei in homine apparuit, quia sicut Deus[k] omnibus rebus[l] extitit principium creationis, ita homo omnibus hominibus principium generationis »; proximitas enim imaginis ad illud cuius est imago, omnem renuit[m] mediationem in creando sicut in imitando[n]. Alia est haec: Cum Deus sit *alpha et omega, principium et finis,* Apoc. 1,8, voluit ut homo, quantum ad utramque sui partem, a nullo alio sortiretur esse, ut se totum sciret Deo esse obnoxium, quem etiam quantum ad corpus tantum nobilitavit ut illi soli serviret, ut eum assequeretur quasi finem. Nec est contra hoc quod omnes homines sunt Deo omnino[o] obnoxii, quia omnes in primo homine quodam modo conditi sunt. Non enim conditus fuit primus homo, etiam quantum ad corpus, solum ut res quaedam singularis, sed potius ut generale principium omnium corporum generis humani. Praeterea, successores[a] primi hominis non sunt ea ratione imago Dei quantum ad corpus qua ipse; unde tota ratio, qua convenit primum hominem a Deo formari, non convenit eis.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad prima duo obiecta dicendum quod, licet ordo creandi conveniat partibus universi sicut essendi, non tamen attendendus est ordo iste in productione[b] principiorum originalium in esse, quorum unum erat primus homo secundum corpus, sed potius in productione principiatorum sive causatorum ab eisdem, immo conveniebat ut a[c] causa primaria et summa immediate producerentur in esse secundariae et inferiores et[d] ab utrisque effectus ultimi, scilicet qui non sunt de numero causarum. Theologi vero ponunt ipsum ultimum conditione — unde[e] Hugo[7]: « Constat creationem hominis rerum omnium visibilium conditione posteriorem quidem tempore, sed causa[f] priorem fuisse, quia qui factus est post omnia, propter eum facta sunt omnia[8] » — philosophi[g] autem natura, eo modo quo compositum posterius est simplici natura et magis compositum minus composito: omnium enim corporum corpus hominis est compositionis maximae, cuius ratio infra patebit[9].

3. Ad tertium dicendum[10] quod influentia a[h] Primo, qua creaturae exeunt in esse, non est naturalis vel[i] necessitatis, sed est electiva. Propter quod secundum libertatem electionis influentis sunt quaedam potentiora, quaedam minus potentia. Unde non sequitur si maxima est potentia causae influentis, quod propter hoc maximae sit potentiae ipse effectus. Primaria[k] autem causa dicitur maxime influere a Philosopho[11], quia quod[l] aliae causae influunt super[m] causata, hoc habent a causa prima: unde[n], quia aliae causae habent potestatem influendi ab ipsa et cum hoc in omni actione ipsa est intime agens, ideo dicitur maxime influere. — Ad id quod inducitur quod 'bonitas artificis attestatur bonitati artificiati'[o],

---

[a] Ita F, alii *fuit.* [b] V *alia.* [c] V *corporalis.* [d] T add. *et.* [e] V om. [f] TZ *istius.* [g] Ita VF, alii *dicebat.* [h] V *etc.* [i] V *complexus,* TFRL *complexa;* RLZ *de* pro *ex.* [k] L add. interl. *in.* [l] Ita VF, Z *omnium,* alii *omnibus* pro *o. r.* [m] Z *tenuit.* [n] Ita FR (corr,), alii *mutando;* V om. *sicut.* [o] L *ideo,* STR om., in Z est add. mg.; V om. *Deo.*

[a] Ita V (corr.) F, alii *successiones.* [b] Ita VF, alii *productionem.* [c] T om. [d] R om. [e] RZ *ut.* [f] V *eam.* [g] F *posterius;* L *a* pro *autem.* [h] V om.; R *prima* pro *primo.* [i] V *et,* T *nec.* [k] V *prima.* [l] L (corr. mg.) *quedam.* [m] F add. *alia.* [n] V *vel.* [o] S *artifici;* V add. *etc.*

1 Num. 10 (PG 29, 115) sec. version. Eustathii (PG 30, 922).
2 Cf. Aristot., *Phys.,* II, c. 2 (II, 263).
3 Cf. supra, num. 316, IV; S. Bonav., II *Sent.,* d. 18, dub. (II, 454).
4 Lib. IX, c. 15, n. 26 (PL 34, 403).
5 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 16, a. 2, q. 1 (II, 401 sqq.).
6 Dist. 18, c. 1 (p. 388).
7 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 2, c. 1 (PL 176, 205).
8 Cf. supra, num. 88.
9 Cf. infra, num. 434-443.
10 Cf. supra, num. 18.
11 *Liber de causis,* § 1 (p. 163).

dicendum [1] quod non est simile: esse enim boni determinatum est in sui communicatione [a] sive diffusione. Unde, quando aliquid est sui diffusivum sive communicativum, sicut accidit in rei [b] creatione, hoc est quia bonum est et quantum ad hoc se esse bonum ostendit. Unde, etsi [c] quis per potentiam aliquid alii [d] communicat vel per scientiam, per se loquendo hoc ut bonus facit, non ut potens vel sciens. Quia igitur in creatione rei est diffusio quaedam a causa in causatum et communicatio, bonitas [e] causae attestatur bonitati causati, non autem [f] potentia potentiae vel sapientia sapientiae. Unde bene sequitur 'causa est bona, ergo effectus, per se loquendo'; non autem sequitur 'causa est potens vel sapiens, ergo effectus'.

4. Ad aliud dicendum quod est distantia [g] multiplex creatorum a prima causa sicut appropinquatio sive approximatio. Est enim appropinquatio [h] per conformitatem et quantum ad esse et quantum ad nobilitatem sive dignitatem; similiter est [i] duplex distantia per difformitatem duplicem. Creaturae spirituales, scilicet angelus et anima, utroque modo maioris sunt approximationis creaturis corporalibus et minoris distantiae; sed inter res corporales secundo modo propinquitatis [k] fuit corpus primi hominis maximae propinquitatis et minoris distantiae, quia maximae [l] dignitatis et nobilitatis, utpote inter omnia [m] corpora maxime imago Dei sive homo [n] secundum illud, et quod mediante sui perfectione est Deo uniendum unione gloriae et sic beatificandum. Licet igitur maxime distet a Deo ratione suae compositionis, minime tamen distat et maximae est appropinquationis [o] ratione suae dignitatis vel nobilitatis.

5. Ad aliud [p] dicendum quod corpus primi hominis erat optime factum et de optimis, immo potius optimum in genere corporum, tum ratione finis, utpote speciali ministerio Deo serviturum et consequenter beatificandum, tum quia principium omnium sui generis. Licet igitur non sit de optimis simpliciter, est tamen de optimis in genere corporum. Praeterea, etsi non fuerit optimum per se, fuit tamen optimum in universo, quasi [q] quodam modo necessarium ad perfectionem universi.

6. Ad aliud dicendum [2] quod illud verbum 'anima creata est ab intellectiva [a]' simpliciter loquendo falsum est et haeresim sonat [3], tamen aliquo modo intellectum habet veritatem. Secundum autem quod 'creare' dicitur quandoque communiter, prout dicitur productio in esse cuiuscumque sive [b] substantiae sive accidentis, secundum quod dicit Psalmista [4]: *Emitte spiritum tuum et creabuntur* [c], scilicet quantum ad innovationem in bonis operibus, sic [d] potest dici quod animae creantur [e] ab angelis, quia multae innovationes fiunt in animabus mediantibus angelis, a quibus animae frequenter recipiunt illuminationes; sed prout 'creare' dicitur proprie productio rei de non-ente in ens, sic est falsum. — Aliter etiam potest intelligi et habet verum intellectum secundum ponentes intelligentias [f] esse motores orbium caelestium [5], quia, cum motu orbium fiunt corpora organizata et sic disponuntur et aptantur ad animarum susceptionem, cum huiusmodi motus fiat ab intelligentiis [g], secundum hanc opinionem, aliquo modo loquendo, sed valde per accidens, potest dici animas creatas esse ab intelligentiis. Licet autem sic soleat [h] exponi verbum praedictum, sanius tamen est illud ut simpliciter falsum negare quam sic exponendo concedere.

7. Ad hoc quod obicitur quod 'corpus primi hominis productum est ad esse ultimum mediante creatura' etc. [i]: dicendum quod est esse primum, scilicet naturae, secundum, scilicet gratiae, tertium, scilicet gloriae, quorum nullius [k] est operator creatura, cooperari tamen potest ad unumquodque. Dicit enim Augustinus, IX *Super Genesim ad litteram* [6]: « Solus uniuscuiusque [l] naturae creator est Deus, non quod [m] nulla sit angelorum operatio ut quid creetur, sed non ideo sunt creatores ». Loquitur enim Augustinus de formatione mulieris ex costa viri, quam ipse dicit [7] quamdam creationem, forte ratione multiplicationis qua de tantilla materia fiebat corpus tantum; quae quidem formatio fuit a Deo, tamen, ut ipse dicit [8], aliquod fuit ibi ministerium angelorum. Eodem modo Deus est per se operator et dator gratiae et gloriae, aliquo tamen modo angeli operantur, scilicet illuminando et excitando sive disponendo [9].

---

[a] Ita VF, alii *communione;* L *diffusio* pro *diffusione.* [b] S om. [c] F *etiam si.* [d] Z om. [e] V *bonitatis.* [f] F om. [g] S *instantia,* quod Z corr. [h] V om. *e. e. a.* [i] V *et.* [k] TL *appropinquitatis.* [l] S *aut.* [m] V *divina.* [n] STRZ om., in L est add. mg. [o] T *appropinquitatis.* [p] L (corr.) *quod.* [q] V *quod.*

[a] F *intelligentia;* S om. *creata.* [b] V om. [c] F *etc.* pro *e. c.* [d] STLZ *sicut,* quod R corr. [e] S om. *q. a. c.* [f] Ita VF, alii *intellectivas.* [g] SL add. *et.* [h] Ita VF, alii *solet.* [i] F om. [k] R *nullus.* [l] STRZ *unus cuiuslibet,* L *unus cuius.* [m] L om. *naturae... quod.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 172, *Solutio.*
2 Cf. supra, num. 329; S. Bonav., II *Sent.*, d. 18, a. 2, q. 3 (II, 452).
3 Cf. supra, num. 329.
4 Psalm. 103, 30.
5 Cf. supra, num. 291, III.
6 Cap. 15, n. 26 (PL 34, 403).
7 Loc. cit., nn. 26 et 28 (PL 34, 403 sq.).
8 Loc. cit. Cf. supra, num. 316, IV.
9 Cf. supra, num. 211-212.

8. Ad ultimum dicendum quod prima rerum conditio est lex originalis naturae succedentis in hoc quod [a] virtus et proprietates collatae rebus tunc conditis perseverant, et [b] hoc principaliter quantum ad tria, scilicet quantum ad collationem virtutis et proprietatum quae requiruntur ad perfectum esse individui in se et quantum ad potestatem operandi temporibus congruis ad sui similis multiplicationem et quantum ad incessationem operationis [c] huiusmodi, quousque sit status multiplicationis sive creationis rerum a divina providentia determinatus. Cum enim dixit Gen. 1, 11: *Germinet terra herbam virentem*, virtute huius verbi accepit terra virtutem fructificandi in se et renovandi [d] fructum secundum congruam temporis renovationem [1] et hoc ipsum incessabiliter [e] faciendi quousque venerit status multiplicationis rerum. — De primo Basilius [f], *Hexaëmeron*, V [2]: « *Germinet terra.* Respice quoniam ex parva voce, ex [g] praeceptione brevissima tellus arida sterilisque repente parturiens et ad effectum fructificationis impulsa, velut quodam luctuoso amictu deposito [h] sumptisque laetioribus indumentis et cultu proprii decoris exultans, omnia, quae iussu caelesti conceperat, effundebat ». — De secundo idem, in fine V libri [3]: « *Germinet terra.* Parva ista [i] praeceptio cogit terram vires proprias, quantas [k] habet, singulis annorum curriculis [l] ad informandum genus herbarum, seminum lignorumque producere ». Et in principio V [4]: « Vox, quae tunc emissa est, et prima illa praeceptio veluti lex quaedam naturae fuit et inhaesit terrae, creandi fructificandique sibi praebens in posterum facultatem ». — De tertio idem Basilius, in principio IX [5]: « Adverte igitur Dei verbum currens per omnem creaturam, quod olim coepit, sed *usque nunc operatur* [6] et properat ad finem, donec consummationem mundus accipiat. Sicut enim pila cum ab aliquo fuerit impulsa, cum spatia divexa [m] repererit, ipsa, sui volubilitate [n] locique proclivitate velocius incitata, profertur nec prius stare poterit quam ad plana descendat, ita natura rerum, Dei praeceptione commota, nascentium morientiumque passim [o] facturam penetrans, uniuscuiusque generis sobolem per similitudinem sui custodit aequaliter, donec ad statutum terminum valeat pervenire. Equum enim facit equo succedere et leonem leoni et aquilam aquilae et singulas [p] animantes sequentium successione servata usque ad finem omnium exitumque perducit. Nullum [q] enim tempus valebit proprietates animantium commutare, sed tamquam nuper constituta natura, ita recens fertur cum tempore ». Unde non dicitur lex naturae servari quoad hoc quod produceretur [r] corpus ex corpore, sicut modo fit per decisionem substantiae, sed modis praetactis: tunc enim oporteret generationem esse [s] vel circularem vel infinitam [t] a parte ante.

CAPUT II.

UTRUM CORPUS ADAE POTUIT FORMARI A CREATURA SPIRITUALI [7].

Sequitur inquirere si corpus primi hominis potuit formari a creatura spirituali, scilicet ab angelo.

Et primo, si a bono angelo [u];

secundo, si a malo, scilicet a diabolo vel daemone aliquo.

ARTICULUS I. 428

Utrum corpus Adae potuit formari a bono angelo.

Primo ergo quaeritur si bonus angelus potuit formare sive condere corpus primi hominis.

Quod non, videtur sic [v]: *a.* Sicut ostendit Augustinus, IX *Super* [x] *Genesim ad litteram* [8], angeli non poterant formare mulierem ex costa viri; sed [y] in maiori distantia et minori dispositione est pulvis sive lutum ad corpus humanum quam os et caro humana et difficilior transmutatio, cum in habentibus symbolum sit facilior transmutatio [9];

---

[a] T add. *dico.* [b] V *ex.* [c] F *operum.* [d] T add. *in se.* [e] V *incessanter.* [f] Z add. *in.* [g] F *et.* [h] S *disposito.* [i] S om. [k] L *quantis.* [l] LZ *circulis.* [m] V *diversa;* VSTFL *reperit* pro *repererit.* [n] VSTL *volubili.* [o] Ita F, alii *passimque.* [p] T om. *e. s.;* codd. *naturam* pro *facturam.* [q] T *nullumque.* [r] Ita VF, alii *perduceretur.* [s] F add. *nature.* [t] S *finitam.* [u] R om. *Et... angelo.* [v] R om. [x] Ita F, alii om. [y] VSZ *licet.*

1 Cf. supra, num. 309.
2 Homilia 5, n. 2 (PG 29, 98), sec. version. Eustathii (PG 30, 913).
3 Loc. cit., n. 10 (PG 29, 115, PG 30, 922).
4 Loc. cit., n. 1 (PG 29, 95, PG 30, 911).
5 Loc. cit., hom. 9, n. 2 (PG 29, 190, PG 30, 959).
6 Ioan. 5, 17.
7 Cf. supra, num. 316, IV.
8 Cap. 15, n. 26 (PL 34, 403).
9 Cf. Aristot., *De generat. et corrupt.*, II, c. 4 (II, 457).

igitur, si angeli impotentes erant [a] facere corpus humanum sive muliebre ex carne et osse humano, multo fortius erant impotentes [b] corpus humanum formare ex pulvere vel [c] luto.

b. Item, non est diminuta virtus sive potestas [d] angeli post tempus conditionis primi hominis; ergo, si nunc non potest angelus educere corpus humanum in esse ex seminalibus rationibus existentibus in elementis, nec tunc poterat. — Quod nunc non potest, ostenditur sic: Nullius rei substantia, proprie et per se educenda [e] in esse per naturam, potest educi in esse ministerio angelico [f]; corpus humanum est tale; ergo etc. — Probatio primae: Ut dicit Augustinus, IX *Super Genesim* [1]: « Insunt rebus corporeis rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, prorumpunt in species debitas suis modis et finibus ». Prorumpunt, inquam, per se operatione naturae: quantacumque enim sollicitudine operaretur angelus circa horum productionem in esse, nunquam in esse [g] producerentur nisi natura operante, bene [h] tamen operatione naturae in esse producerentur angelo non cooperante, sicut quantacumque sollicitudine operaretur agricola circa productionem segetum vel arborum, nunquam producerentur in esse nisi operaretur natura [2]. Unde angelus, cooperans naturae in naturalium productione, solummodo expedit et accelerat operationem naturae nec est educens rem naturalem in actum vel esse nec potens [i] educere, sicut nec agricola segetes vel arbores, sed natura potius, quae propria virtute sufficit ad horum productionem in esse tempore congruo [k].

c. Item, si angelus potuit formare vel condere corpus humanum, tunc fuit possibile et ponibile. Ponatur ergo; inde sic: Angelus eduxit in esse corpus Adae; ergo angelus fuit conditor alicuius substantiae. — Contra: Damascenus [3]: « Quicumque dicunt angelos conditores alicuius substantiae, ii omnes sunt os [l] patris sui diaboli ». — Si dicatur quod ibi sumitur conditor pro creatore – nec hoc impedit processum rationis, cum formatio corporis primi hominis ex pulvere fuerit [m] creatio quaedam, ut infra patebit [4].

Contra: 1. Eiusdem est potentiae vel amplioris reformare corpora mortuorum ex pulvere et formare ex pulvere [n]: utrobique enim videtur esse tantum potentia passiva vel obedientia materialis [o] tantum [5]; primum autem fiet ministerio angelorum, sicut dicitur [6]; ergo videtur quod et [p] secundum fieri possit, et ita videtur quod corpus primi hominis potuit formari ex luto vel pulveribus ministerio angelorum.

2. Praeterea, IX *Super Genesim,* Augustinus [7]: « Nonnulla est in angelis potentia ut aliquid creetur ». Ex hoc arguitur sic: Cuicumque convenit potentia, potest convenire actus illius potentiae [8]; sed potentia creandi [q] convenit angelis, ut patet ex auctoritate praedicta; ergo et actus convenire potuit, et ita nihil impedit quin corpus Adae potuerit [r] educi in esse ab angelo, etiam si illa [s] eductio esset creatio.

3. Item, ut habetur ab Augustino, VII [t] *Super Genesim* [9], corpus Adae fuit in operibus sex [u] dierum seminaliter, scilicet in quatuor elementis. Si ergo angeli noverunt proportiones elementorum quae requirebantur ad conditionem corporis humani, et constat quod ministerio [v] eorum poterant coaptari et compingi in tali proportione, relinquitur quod poterant corpus primi hominis formare.

Respondeo: Concedo quod angeli non potuerunt per eorum ministerium educere corpus humanum nec ad hoc erat eorum potentia ordinata, ut patet in Quaestione de miraculo [10]. Et hoc dicit Augustinus, IX *Super Genesim* [11]: « Formare vel aedificare costam ut mulier esset usque adeo non potuit nisi Deus, a quo universa natura subsistit, ut nec illud quidem [x] carnis supplementum in corpore viri, quod in illius costae successit locum, ab angelis factum esse crediderim, sicut nec ipsum hominem de terrae pulvere ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum [12] ergo dicendum quod non est simile de formatione et reformatione. Nam in pulveribus, ex quibus erit reformatio, erit quaedam aptitudo sive appetitus ad hoc quod simul uniantur in corpore et ulterius ad unionem [y] cum anima, cui attestatur ordinatio corporis ad necessitatem non moriendi; quae quidem aptitudo non erat in pulveribus vel in luto ex quibus [z] formabatur corpus primi hominis. Praeterea, etsi ministerio angelorum, sicut dicitur, quod tamen ego non assero, fiat reparatio corporum quae resurgent, non credo tamen quod illa

---

[a] SL *erat.* [b] R add. *in.* [c] F add. *ex.* [d] F *potentia.* [e] Ita F, V *educendo,* alii *educende.* [f] F *per ministerium angeli* pro *m. a.* [g] T om. *i. e.* [h] V *unde.* [i] Z *potest.* [k] STR om. *t. c.,* in LZ est add. mg. [l] Ita VF, alii om.; V om. *sui.* [m] Ita F, alii *fuit.* [n] S om. *e. f. e. p.* [o] S *naturalis.* [p] F om. [q] V *creanda.* [r] Ita V, alii *potuit.* [s] F *ista.* [t] Ita VF, alii om. [u] STRL *vij.* [v] TR *misterio.* [x] V *quod.* [y] Ita VF, alii *unitatem.* [z] T *quo.*

1 Potius *In Heptat.,* II, c. 21 (PL 34, 602).
2 Cf. supra, num. 244.
3 *De fide orthod.,* II, c. 3 (PG 94, 874).
4 Cf. infra, num. 431-432.
5 Cf. supra, num. 244.
6 Cf. Matth. 24, 31; I Thessal. 4, 16.
7 Cf. c. 15, n. 26 (PL 34, 403).
8 Cf. Aristot., *De somno et vigilia,* c. 1 (III, 500).
9 Cf. c. 6; item VI, c. 14 ac IX, c. 17, n. 32 (PL 34, 358sq., 351, 406).
10 Cf. supra, num. 227 et p. 293b.
11 Cap. 15, n. 26 (PL 34, 403).
12 Cf. S. Bonav., IV *Sent.,* d. 43, a. 1, q. 6, *ad 6* (IV, 893sq.).

reparatio, in quantum erit ab angelis, sit ultimae completionis sive perfectionis, sed quaedam compictio sive coadunatio [a] partium in toto ultima completione a suo Conditore reformando. De hoc habebitur [b] plenius infra, cum agetur de resurrectione [1].

2. Ad aliud dicendum quod angeli creare non possunt, possunt [c] tamen iussu Dei, in quantum voluntati eius obediunt, de rebus subiectis tamquam materiam [d] ministrare ut aliquid creetur [2]. Unde Augustinus, IX *Super Genesim* [3]: « Cum Deus universam creaturam suam bipartito [e] quodam modo opere providentiae et in naturalibus et in voluntariis motibus administret [f], creare naturam tam nullus angelus potest quam nec se ipsum. Voluntas vero angelica, obedienter Deo subdita [g] eiusque executa iussionem, naturalibus motibus de rebus subiectis tamquam materiam [h] ministrare, ut secundum illas principales in Verbo Dei non creatas vel secundum illas in primis sex dierum operibus causaliter creatas rationes aliquid in tempore creetur, more agricolandi vel medendi potest ». Et est exemplum Augustini [i 4] de medico qui aegro adhibet alimentum et vulnerato [k] medicamentum: non hoc facit de rebus quas creavit, sed quas creatas invenit; de huiusmodi autem quae adhibet nec vires [l] creat nec carnem, sed natura potius hoc agit operatione medici adiuta.

3. Ad ultimum dicendum quod, etsi angeli sciant proportiones elementorum quae requiruntur ad formationem corporis humani et elementaria materialia corporis humani debita formatione membrorum compingere, tamen corpus humanum formare non possunt. Illam [m] enim harmoniam et dispositionem, qua aptum est ad susceptionem animae rationalis et illa tamquam propria et debita perfectione perfici, imprimere sive inserere non possunt, quod necessario requiritur ad corpus humanum: quod [n] infra melius patebit [5].

ARTICULUS II. 429

Utrum corpus Adae potuit formari ab angelo malo [6].

Sequitur inquirere I. utrum corpus primi hominis poterat educi in esse ministerio mali angeli, hoc est utrum malus angelus poterat illud educere in esse.

Quod non, *a.* patet ex rationibus quibus ostensum est supra [7] quod nec angelus bonus hoc potuit.

Contra: 1. Angelus malus tempore conditionis primi hominis [o] non fuit minoris potentiae quam nunc; sed constat quod tam boni angeli quam mali assumunt corpora humana in quibus apparent, quae formant ex ipsis elementis [8]; ergo videtur quod tunc [p] similiter potuerunt; et ex hoc videtur quod mali angeli poterant formare corpus primi hominis.

2. Item, Augustinus, in libro *83 Quaestionum,* 45 quaest. [9], dicit: « Non hoc oportet mirari, quia omnia quae visibiliter fiunt [q], etiam per inferiores potestates aëris huius non absurde fieri posse creduntur ». Ex hoc videtur quod non solummodo corpora humana, sed etiam alia « quae visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aëris », id est daemones, « fieri possunt ».

3. Si diceretur quod Augustinus loquitur de operibus mirabilibus sive miraculosis quae quandoque visibiliter fiunt, quod videtur per hoc quod loquitur de factione serpentum a Magis et a [r] Moyse, Exod. 7 [10]: – hoc non impedit processum rationis, quia si opera mirabilia quae [s] « visibiliter fiunt, possunt fieri per [t] inferiores potestates aëris [11] », multo fortius et alia quae subiacent naturae.

4. Item, cum optime sciant naturas et proportiones rerum [u] naturalium sive elementorum et semper sciverint, non est dubium quin scirent a principio conditionis hominis quantum debeat [v] esse in semine humano de quolibet elemento, similiter et proportiones [x] elementorum in semine et portiones [y] elementorum in tali proportione commisceri, et sic semen, quod est materia corporis humani, facere. — Praeterea, cum scirent qua proportione caloris [z] et quibus nutrimentis embrio coalesceret [a] et confoveretur, et constat quod

---

[a] R *adunatio.* [b] STRLZ *habetur.* [c] S om. [d] Ita V, alii *materia.* [e] Ita F, alii *bipartitam.* [f] Z *administrat,* quod L corr. [g] F *subiecta.* [h] Ita V, alii *materia.* [i] L om. [k] Z add. *adhibet.* [l] V *vitam.* [m] V *illa.* [n] V *sicut,* quod F corr. [o] S om. *p. h.* [p] Ita VF, alii om. [q] Ita V, alii add. *fiunt.* [r] S om. [s] L om. [t] V om. [u] Z om. [v] F *debebat.* [x] Ita V, alii *proportionem.* [y] LF *proportiones;* R *ut* pro *et.* [z] V *coloris.* [a] T *calesceret.*

1 De resurrectione non agitur in *Summa.*
2 Cf. supra, num. 48.
3 Cap. 15, n. 28 (PL 34, 404).
4 Loc. cit., n. 27 (PL 34, 404).
5 Cf. infra, p. 509, *ad 4* et num. 437.
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 8, p. 1, a. 3, q. 1 (II, 219 sq.).
7 Cf. supra, num. 428.
8 Cf. supra, num. 185-186.
9 Cf. cap. 79 (PL 40, 90).
10 Cf. supra, num. 243.
11 Cf. supra, nota 9.

sciverunt vas aliquod parare [a] quod tali calore vigeret et huiusmodi nutrimentis [b] abundaret et ita foetum huiusmodi [c] nutrire et nutriendo ad statum convenientem perducere, videtur quod tunc sciebant et poterant corpus humanum in esse sine viro et muliere producere [d].

5. Item, hoc videtur per hoc quod, quia dracones erant seminaliter in rebus corporeis [e], mali angeli perduxerunt eos in esse, similiter et boni [1]. Quod vult Augustinus [2], dicens [f]: « Si veri dracones facti sunt ex virgis Magorum, non fuerunt tamen creatores draconum nec Magi nec angeli mali, quibus ministris illa fiebant: insunt enim rebus corporeis » etc. ut supra [3]. Et post: « Nec dicuntur angeli, qui faciunt ista, animalium creatores, sicut nec agricolae segetum vel arborum » etc. Ecce plane habetur ab Augustino quod dracones fiebant a bonis angelis et malis et illos facere poterant, et hoc quia erant in rebus corporeis secundum seminalem rationem; similiter videtur in proposito.

6. Item, maius est corpus organizare quam qualitates elementares ad aequalitatem perfectam deducere; ergo, cum malus angelus possit illud quod est [g] maius, potest illud quod est minus; sed ad hoc quod corpus humanum educatur in esse ista duo sufficiunt, scilicet perfecta aequalitas qualitatum et corporis humani organizatio. De primo dicit Algazel [4]: « Cum commixtio elementorum fuerit pulcrioris et perfectioris aequalitatis, tunc erit dispositio ad susceptionem animae rationalis ».

II. Item, quaeritur incidenter si daemones possunt generare et sic corpus humanum ad esse perducere, sicut opinatur de Merlino [h] [5], qui, ut dicitur, genitus fuit a daemone incubo [6].

Quod videtur 1. ratione praetacta [7], quia noscunt quantum sit in [i] tanto semine de quolibet elemento et in qua proportione et portiones elementorum et tales portiones [k] in tali proportione [l] sciunt commisceri et sic semen humanum facere et matrici infundere et sine viro corpus humanum producere [m].

2. Item, sciunt semen decisum a viro colligere et in illa virtute, qua decisum est, observatum in matricem aptam [n] ad prolis productionem infundere, et ita ut prius.

3. Item, Iob 41, 24: *Non est super terram potestas quae comparetur ei.* Ergo, si aliqua est potestas in terra quae potest corpus humanum in esse producere, etc.

[Solutio]: I. Ad hoc dicendum, sine praeiudicio, quod nullam rem, cuius proprie natura est causa, potest angelus bonus vel malus educere de potentia seminali in actum vel in esse, sicut supra tactum est in opponendo [8]. Cuius ratio est haec quod [o], cum duplex sit operatio creaturae, quaedam scilicet agentis necessitate, ut illa quae est naturae, quaedam agentis per electionem, ut illa quae est voluntaria, illa, quae est angeli, cadit sub secunda differentia. Unde Augustinus, VIII *Super Genesim* [9]: « In ipso mundo gemina operatio [p] providentiae reperitur, partim naturalis, partim voluntaria: naturalis quidem per occultam Dei administrationem, qua etiam lignis et herbis dat incrementum; voluntaria per angelorum opera et hominum ». Est ergo operatio angelica, quantum ad ea quae operatur in mundo, voluntaria: unde et artificialis, maxime cum operatur [q] circa haec inferiora in [r] producendo illa in esse vel perficiendo. Unde angelus in talibus est agens ut artifex et operatio eius operatio artis et operatum ab eo artificiale. Unde nihil quod est proprie producendum in esse secundum decretum naturae, potest ab angelo produci [s] in esse, sicut nec naturale potest esse artificiale. Potest tamen angelus naturam expedire et in productione [t] rerum naturalium in esse opus illius accelerare, sed illud in esse producere non potest, sicut nec agricola segetes vel arbores. — Quod manifeste patet, quia [u] si in huiusmodi producendis in esse multa sollicitudine angelus operaretur, cessante operatione naturae in nullo proficeret. Unde Anselmus [v], *De conceptu virginali* [10]: « Sicut creata natura nihil per se facere potest nisi quod a voluntate [x] Dei accepit, sic voluntas creaturae nequit quidquam [y] per se operari nisi quod natura adiuvat vel concedit ». Est ergo agens ut artifex; propter quod ab Augustino comparatur medico et agricolae, ut supra dictum est [11]. Unde corpus compositum ab angelo, sive bono sive malo, ad effigiem corporis humani est corpus artificiale, non naturale [12]: unde nec est [z] corpus humanum, quod per se est corpus naturale, sicut

---

[a] S *parere*, quod L corr. [b] V *nutrimentum*. [c] F add. *et*. [d] Ita F, alii *perducere*. [e] V *corporis*. [f] V om. [g] Ita F, V om., alii om. *q. e.* [h] V *Mellino*. [i] F *de*. [k] V *proportiones*. [l] Z *portione*. [m] V *perducere*. [n] V *apta*, F *aptatam*. [o] F *quia*. [p] V add. *divine*. [q] V add. *in mundo*. [r] SRZ om. [s] Ita F, alii *perduci*. [t] Z *productionem*. [u] S *quod*; V om. *in*. [v] R add. *in libro*; VS *virginis* pro *virginali*. [x] R *auctoritate* pro *a. v.*; V om. *a*. [y] R *quisquam*. [z] Ita F, alii om.

1 Cf. supra, num. 243-244.
2 *In Heptat.*, II, c. 21 (PL 34, 602), ubi et sequens.
3 Cf. supra, p. 506, nota 1.
4 Cf. *Philosophia*, II, tr. 4, c. 5 (ed. Colon. 1506).
5 De quo cf. A. Potthast, *Biblioth. hist. medii aevi*, I, voce *Galfridus Monmutensis* (ed. Berlin. 1896, 487 sq.).
6 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, XV, c. 23 (PL 41, 468 sqq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 8, p. 1, a. 3, q. 1 (II, 220).
7 Cf. supra, p. 507, n. 4. 8 Cf. supra, num. 428.
9 Cap. 9, n. 17 (PL 34, 379). 10 Cap. 11 (PL 158, 445).
11 Cf. supra, p. 506, sub *b* et p. 507, *ad 2*.
12 Cf. supra, num. 186-188 et 191.

nec corpus artificiale ad effigiem corporis humani compositum, ut statua vel huiusmodi.

[Ad obiecta]: 1. Patet ergo qualiter ad primum respondendum est [a], quia corpora formata et assumpta ab angelis, sive bonis sive malis, non sunt corpora humana, sed artificialia quaedam ad humani [b] corporis effigiem composita.

2. Ad illud quod dicit Augustinus, in libro *83 Quaestionum*, scilicet [c] quod « omnia quae visibiliter fiunt » etc.: dicendum quod Augustinus intendit determinare quod [d] daemones facientes miracula sive mirabilia, similia illis quae fiunt ab angelis bonis, faciunt illa vere et [e] non phantastice. Unde vult dicere quod ab angelis malis fiunt mirabilia [f] similia illis quae fiunt ab angelis bonis, sicut fuit de serpente Moysi et serpentibus Magorum. Sicut enim verus fuit serpens, qui, proiecta virga Moysi in terra, fiebat quodam modo [g] ministerio bonorum angelorum, similiter veri fuerunt serpentes Magorum, quodam modo facti ministerio malorum [1].

3. Ad illud [h] quod obicitur quod 'si possunt [i] in opera mirabilia quae sunt supra naturam, multo fortius et in alia quae subsunt naturae': dicendum [2] quod non sequitur, quia quandoque dicitur opus mirabile sive miraculosum ratione modi agendi, non ratione rei actae sive productae in esse, sicut fuit de mirabilibus quibusdam factis in Aegypto, ut scilicet de mutatione aquae in sanguinem et virgarum in colubros, et aliis huiusmodi, quae, ut vult Augustinus, naturalia erant. Determinat [3] enim quod « insunt rebus corporeis per omnia elementa mundi quaedam occultae seminariae rationes, quibus cum data fuerit opportunitas, prorumpunt in species debitas », quibus agricolae praebent « quasdam visibiles opportunitates et causas » nascendi et « quod illi faciunt visibiliter, hoc angeli faciunt invisibiliter ». Unde, quia [k] angeli ministrant invisibiliter et repente productioni [l] talium, quod ministraret natura visibiliter et successive, nec est differentia nisi [m] in modo producendi, quia hic repente et invisibiliter, illic temporali protelatione et visibiliter [n], dicit Augustinus huiusmodi opera naturalia. Verumtamen ratione modi producendi in esse, qui quidem repentinus fuit et contra solitum cursum naturae, qui erat ministerio angelorum, erant illa opera mirabilia. Ex quo patet quod angelorum ministerio quandoque evenit [o] aliqua mirabiliter produci in esse, quae tamen secundum ordinationem effectuum ad suas causas naturalia sunt et opere naturae in esse [a] producta. Ex hoc patet quod hoc argumentum non valet [b] per se loquendo: 'angeli possunt in opera mirabilia, ergo possunt producere [c] in esse naturalia'. Intelligendum est tamen quod in opere praedicto et consimilibus opus operans erat mirabile, in quod solum potest angelus, opus operatum naturale, in quod non potest [d]. Potest enim angelus mirabiliter operari, id est contra cursum naturae sive supra, ut fiant naturalia, non tamen potest illa facere [4].

4. Ad aliud dicendum quod, supposito quod noverunt proportiones elementorum et portiones quae requiruntur ad seminis compositionem et quibus nutrimentis et qua temperantia caloris foetus est [e] conservandus et nutriendus, non tamen possunt de seminalibus rationibus educere corpus humanum in esse, quia ad hoc quod corpus humanum ex semine educatur in esse, praeter substantiam seminis requiritur [f] dispositio sive virtus [g] quae relinquatur in semine ex virtute decidentis sive generantis et forte a tota specie illius, qua praeparetur et disponatur ipsum corpus ad animae susceptionem, sicut proprie et per se perfectibile ab [h] eadem. Quod patet per hoc quod non omnes qui possunt decidere semen, possunt generare. Dicendum igitur quod semen, quocumque modo fuerit habitum, nisi fuerit decisum a corpore perfecto anima rationali, in quo relicta fuerit virtus a decidente, qua corpus ex illo educendum praeparetur et disponatur ad animae susceptionem ut ad propriam sui perfectionem, non potest esse materia corporis humani.

5. Ad aliud dicendum quod non intendit Augustinus quod dracones, de quibus obiectum est, facti fuerunt sive a bonis sive a malis angelis, quia tunc non determinaret illa opera naturalia fuisse, sed dicit [i] illos factos fuisse [k] ab angelis eo genere loquendi quo ille dicitur facere qui iuvat et expedit facientem per se.

6. Ad illud [l] quod sequitur patet responsio, quia corpus compositum ab [m] angelis, cum sit artificiale, ut supra tactum est [5], non est corpus organizatum nec potest angelus corpus huiusmodi organizare, licet possit partes quasi membra quaedam compingere et illis [n] quasi instrumentis uti [o], non organis [6]. Qualiter autem [p] intelligendum est

---

[a] Ita V, alii om. [b] Ita VF, alii *humanam*. [c] Z om. [d] S *et*. [e] F om. [f] V *miracula*. [g] L om. [h] Ita VF, alii om. [i] Ita F, alii *possent*. [k] L (corr.) *quando*. [l] Ita V, alii *productionem*. [m] Ita VF, alii om. [n] R *invisibiliter*. [o] S *evenitur*.

[a] R add. *nature*. [b] L *videt*. [c] Ita VF, alii *perducere*. [d] SL om. [e] F om. [f] VTRL *requiretur*. [g] V *virtutis*. [h] S *ad*, quod L corr. [i] V *si dicat* pro *s. d.* [k] STR om. *s. d. i. f. f.*, in LZ est add. mg. [l] V *aliud*. [m] S om. [n] V *illic*. [o] V *ut* [p] Ita F, alii om.

1 Cf. supra, p. 297, *Solutio*.
2 Cf. supra, num. 234.
3 Augustin., *In Heptat.*, II, q. 21 (PL 34, 602sq.).
4 Cf. supra, num. 232.
5 Cf. supra, p. 508, *Solutio*.
6 Cf. supra, num. 187.

illud verbum Algazel, scilicet « cum commixtio [a] elementorum fuerit » etc., infra determinabitur [1].

II. 1-2. Ad hoc quod postea quaeritur 'si daemones incubi possunt [b] generare et sic corpus humanum ad esse perducere': dicendum quod non possunt; quod patet ex praedictis [2]. Potest tamen dici, sine praeiudicio, quod si semen, matrici infusum a daemone incubo, fuerit decisum a potente generare et validum ad hoc ut de eo fiat corpus humanum et servatum fuerit usque ad infusionem in virtute in qua decisum fuit, similiter et fuerint ex parte mulieris recipientis quae requiruntur et sufficiunt [c] ad foetum perficiendum, bene [d] poterit perduci [e] ex tali materia in esse corpus humanum. Si autem semen infusum matrici aliqua arte extractum fuerit a [f] corporibus elementaribus, in quibus latent [g] rationes seminariae, nullo modo ex huiusmodi semine educetur in esse corpus humanum: cuius ratio patet ex dictis [h].

3. Ad hoc quod obicitur quod '*non est super terram potestas*' etc.: dicendum quod, etsi maxima sit potestas illius et maior potestate potentis generare, quia tamen a datore potestatis illius non est data ad hoc, nullo modo potest in hoc. Non enim potest creatura in aliquid, nisi in illud in quod data est illi potestas a Conditore sive [i] datore eiusdem.

430

CAPUT III.

UTRUM CORPUS ADAE POTUIT FORMARI A NATURA ALIQUA INFERIORI.

Sequitur [k] inquirere utrum natura inferior, ut virtus caelestis sive astrorum vel etiam ipsa virtus insita [l] corporibus inferioribus, potuit producere corpus primi hominis in esse.

Et videtur primo quod non, sic: *a.* Omne educens [m] aliud in esse, nobilius est eo quod educitur per ipsum; igitur, si in genere corporum [n] corpus primi hominis sit nobilissimum etiam [o] secundum statum in quo conditum erat [p], nulla virtus corporis [q] poterat illud educere in esse, cum nulla virtus sit nobilior substantia [r] cuius est virtus.

b. Item, dicit Damascenus [3]: « Nos dicimus quoniam astra non sunt causa alicuius eorum quae fiunt neque corruptionis eorum quae corrumpuntur ». Igitur nulla fuit eis data potestas faciendi [s] aliqua eorum quae fiunt a suo Conditore, cum ipse nihil agat frustra neque deficiat in necessariis [4].

c. Praeterea, si poterat producere illud in esse, aut hoc [t] fuit mirabiliter aut voluntarie aut naturaliter. Non mirabiliter, quia solus Deus operatur in cursu mirabili, secundum quod dicit Anselmus [5]. Non voluntarie, quia haec est [u] operatio substantiae agentis per electionem. Non naturaliter, quia operatio naturae requirit assimilationem in materia et specie: est enim natura vis insita rebus procreandi similia ex similibus [6]; sed inter corpora caelestia et alia corpora inferiora non est huiusmodi assimilatio cum corpore primi hominis; ergo etc.

Contra: 1. Augustinus [7], in Glossa Exodi 7, 12: « Insunt rebus corporeis per omnia elementa mundi quaedam occultae seminariae rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis [v], prorumpunt in species debitas suis modis et finibus ». Ex hoc verbo Augustini patet quod ea, quorum [x] rationes seminariae occultatae sunt in rebus elementaribus vel elementis, data temporis opportunitate exeunt in esse; et constat quod ille exitus [y] est per operationem naturae; igitur, cum corpus primi hominis secundum seminalem rationem [z] erat in rebus operum sex dierum [8], videtur quod data temporis opportunitate eductum esset in esse operatione naturae; sed hoc esse non posset nisi natura hoc posset; ergo etc.

2. Item, Augustinus, VI *Super Genesim ad litteram* [9], dicit: « Si omnium futurorum causae mundo sunt insitae, cum ille factus est dies quando Deus *creavit omnia simul* [10], non aliter Adam factus est, sicut est credibilius, iam perfectae [a] virilitatis quam erat in illis causis ubi Deus hominem in sex dierum operibus fecit: ibi enim erat non

---

[a] FR *mixtio*, STL *contractio*, quod Z corr. [b] R *possint*. [c] F *tunc sufficient* pro *e. s.* [d] Ita SZ, alii *unde*. [e] V *produci*. [f] Z *ex*. [g] V *latenti*. [h] F *predictis*. [i] F add. *a*. [k] F totum hoc caput alio modo disponit. Sic incipit: *Sequitur inquirere utrum corporalis natura inferior vel superior potuit producere corpus primi hominis in esse. Primo ergo potest queri utrum insita vis corporibus inferioribus hoc potuit; secundo, utrum virtus celestis sive astrorum; tertio, ad idem queritur de cometa sive stella comata. Circa primum sic: Omne educens* etc. Deinde omnia argumenta transponit. [l] V *infra*. [m] Ita F, alii *ducens*. [n] F om. *i. g. c.* [o] F *nobilius erat* pro *s. n. e.* [p] F add. *omni corpore huiusmodi*. [q] F add. *huiusmodi*. [r] F add. *vel eo*. [s] T *facienda*. [t] F om. [u] Z om. [v] S om. [x] V add. *sunt*. [y] V *iste* pro *q. i. e.* [z] Z om. [a] V *perfectione*; F *et* pro *est*.

1 Cf. infra, p. 512, *ad 3* et num. 436.
2 Cf. supra, p. 509, *ad 4*.
3 *De fide orthod.*, II, c. 7 (PG 94, 894).
4 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 9 (III, 471).
5 *De conc. virg.*, cap. 11 (PL 158, 446).
6 Aristot., *Magn. Moral.*, I, c. 10 et *Metaph.*, IV, c. 4 (II, 140, 517).
7 *In Heptat.*, II, n. 21 (PL 34, 602).
8 Cf. supra, num. 315.
9 Cap. 18, n. 29 (PL 34, 351).
10 Eccli. 12, 1.

solum ut ita fieri posset, verum etiam ut eum ita fieri necesse esset ». Si ergo ita erat corpus primi hominis in illis causis, non solum ut fieri [a] posset, sed ut ipsum fieri necesse esset, videtur quod in causis illis non erat tantum possibilitas producendi illud in esse, sed necessitas.

3. Item, solum corpus humanum est dispositum ad susceptionem animae rationalis; quod ergo potest facere corpus dispositum ad susceptionem animae rationalis, potest facere corpus humanum; sed hoc potest natura caelestis; ergo etc. — Quod potest, probatio: Dicit Algazel[1]: « Cum commixtio elementorum fuerit pulcrioris et perfectioris aequalitatis, tunc erit dispositio ad susceptionem animae rationalis ». Sed natura caelestis potest facere huiusmodi commixtionem elementorum: potest enim per influentiam [b] virtutis lucis contrarietates elementorum conciliare[2] et consequenter per actiones frequentes quod erat intensum remittere et quod remissum intendere; igitur, cum inter qualitates elementares contrarias non sit infinita distantia et natura agens incessanter agat — dicit enim Algazel[3]: « Non cessat natura operari in materia sicut nec dator formarum influere » — videtur quod possit huiusmodi aequalitatem facere elementorum.

4. Item, triplex est conditio materiae: potentia, dispositio et necessitas; omne [c] agens in materia inducens dispositionem in illa, per actuum multiplicationem inducere potest necessitatem in eadem. Hoc patet per exemplum et rationem. Exemplum est quod calidum, ut ignis, disponens materiam aeris ad susceptionem formae ignis, potest continua actione inducere necessitatem ad eamdem. Hoc idem patet ratione tali: Cum non sit infinita distantia inter qualitates elementares, sive contrarias sive alias, cum unum agat in aliud, si [d] quo modo agens potest disponere patiens ad illius formae susceptionem, potest actione frequenti inducere necessitatem ad eamdem, ideo [e] videtur de virtute caelesti quod, cum possit materiam corporis humani disponere ad susceptionem animae rationalis, ut ex praedictis patet[4], cum sit continue agens, potest in eadem [f] necessitatem inducere ad eamdem: quod non potest esse nisi per eductionem corporis humani in esse.

5. Item, anima [g] vegetabilis, cum sit vita quaedam [h], dignior est omni corpore humano in quantum est corpus: hoc autem [i] patet per Augustinum[5], in multis locis; sed natura caelestis educit animam vegetabilem in esse: quod patet in libro *De vegetabilibus*[6], ubi appellatur terra mater plantarum et sol pater; si igitur potest illud quod est maius et nobilius, potest et [k] illud quod est minus et ignobilius; ergo [l] etc.

6. Item, per impressiones relictas in inferioribus a corporibus supercaelestibus sive a virtute caelesti educuntur in esse minuta animantia: per accessum enim solis secundum motum eius annuum, ut manifeste videmus, minutorum sensibilium fit renovatio[7]. Si ergo huiusmodi minuta, ratione animae sensibilis qua agunt et sensificantur, nobiliora sunt omni humano corpore, in quantum est corpus, videtur idem quod supra.

7. Item, ut ostendit Philosophus, scilicet [m] Albumasar, in *Libro introductorio ad* [n] *artem astronomiae*[8], in locis, in quibus abundat frigus vehemens [o] sive superfluum propter solis remotionem aut calor immoderatus sive superfluus propter nimiam eiusdem appropinquationem, non educitur aliquod animal in esse, sed solummodo in locis mediis, in quibus calor et frigus in quodam temperamento se habent ex convenienti situ solis. Ex iis patet quod ex praesentia virtutis corporis solaris in proportione convenienti animalia sortiuntur esse et ex contrario non-esse. Ex quo patet virtutem caelestem, et maxime solis, posse animalia producere in esse; ex quo [p] videtur quod et corpus humanum, ut prius.

8. Item [q], ut dicit Hugo[9], « homo factus est ut Deo serviret propter quem factus est, et mundus factus est ut serviret homini propter [r] quem factus est ». Si ergo mundus factus est ut serviat homini, si aliqua quae sunt de nobilioribus partibus mundi [s], sicut stellae, sunt causa dissolutionis corporis humani et in illam possunt, videtur quod aliae [t] stellae vel alia aliqua in mundo sint causa compositionis corporis humani et in illam possint; sed potestatem quam habent ea quae principaliter agunt in mundo, habebant a principio; ergo a principio erat potestas in eis componendi corpus humanum. — Quod autem stella aliqua, videlicet comata, sit causa dissolutionis huiusmodi, videtur sic: Ut volunt philosophi[10], in omni re complexionata terrestri sunt res corporeae [u] spiritales[11] assimilatae naturis

---

[a] S om. [b] L *influentia.* [c] V *omnis.* [d] VT *sed.* [e] SFLZ *idem,* TR *item;* L *dandum* pro *eamdem.* [f] FR *eamdem;* V om. *i. e.* [g] V *cum.* [h] V *quia;* R *anima quedam vita* pro *v. q.* [i] V *etiam.* [k] Ita F, alii om. [l] Ita F, alii om. [m] S om. [n] F *de introductione in* pro *i. a.* [o] V *vehementis.* [p] F *hoc.* [q] F *Adhuc ad idem obicitur sic.* [r] Ita SF, alii *per.* [s] F om. [t] F *ille.* [u] S *in corpore.*

1 *Philosophia,* II, tr. 4, c. 5.
2 Cf. supra, p. 350b.
3 Cf. loc. cit., II, tr. 2, c. 5.
4 Cf. argumentum praecedens
5 Cf. *De div. quaest. 83,* q. 54 (PL 40, 38).
6 Pseudo-Aristot., *De plantis,* I, c. 7 (IV, 21).
7 Cf. supra, num. 292, I.
8 Cf. lib. II, c. 4 (ed. Augustae Vindelicorum 1489).
9 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 2, c. 1 (PL 176, 205).
10 Cf. Avicenna, *De anima,* tr. 2, c. 8 (f. 28b).
11 Scilicet *spiritus qui sunt in corporibus;* cf. infra, p. 514b.

caelestibus, incorporatae ipsis rebus complexionatis, quae res spiritales separabiles sunt a rebus complexionatis [a] per actiones corporum supercaelestium. Cumque fit [b] haec separatio, derelinquitur res a natura complexionata sive dissolvitur complexio et infirmatur [c] res et corrumpitur. — Praeterea, ponunt astronomi quod omnis stella sit de natura unius septem planetarum [1]. Ponunt etiam quod si fuerit aliqua stella trahens comam de natura solis, virtus eius, quae scilicet [d] sublimavit comam et separavit a natura terrestri, separavit spiritus, qui sunt in corporibus complexionatis assimilati naturae solis, et erit infirmatio ac corruptio in hominibus et sementis [e], quibus sol principaliter dominatur. Similiter, si fuerit stella trahens comam de natura Martis, patientur detrimentum aut corruptionem res martiales, et similiter currit res per ceteros planetas. Ex iis videtur quod stella comata sit causa infirmationis et corruptionis corporum humanorum. — Praeterea, astronomi ponunt stellam aliquam esse causam corruptionis corporum [f] humanorum et aliorum naturalium. Damascenus [2] ponit contrarium, scilicet quod ipsa astra « non sunt causa alicuius eorum quae fiunt neque corruptionis eorum quae corrumpuntur ».

[Solutio]: Ad hoc [g] dici potest quod nulla natura inferior [h] poterat corpus primi hominis deducere in esse: hoc enim [i] non fuit alicui creaturae inferiori neque superiori datum a Deo. Ut enim dicit Augustinus, *Contra Faustum* [3]: « Id erit cuique rei naturale quod ille fecerit a quo est omnis modus, numerus et ordo naturae ». Unde, cum natura inferior [k] nihil potest nisi quod est ei naturale, hoc est inditum a Conditore naturae, educere corpus primi hominis in esse non fuit ei naturale; ergo etc. [l]

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo [m] dicendum quod, licet corpus primi hominis secundum seminalem rationem esset in elementis, non tamen [n] debuit operatione naturae produci in esse sicut [o] alia quae secundum eamdem rationem erant in elementis. Et haec est ratio: summa potentia, quae in elementis mundi rationes causales et [p] seminales inseruit [4], non indidit illis sive eorum naturae ut illorum [q] operatione omnia huiusmodi in esse educerentur, sed eductionem quorumdam sibi reservavit, de quorum numero erat corpus primi hominis. Licet enim praefixerat in primis rerum causis, ut corpus primi hominis fieret et sic vel sic fieret, non tamen praefixit ut operatione illarum [a] fieret vel sic fieret. Unde Augustinus, VI *Super Genesim ad litteram* [5]: « Sic factus est homo quemadmodum illae primae causae habebant ut fieret primus [b] homo, quem non ex parentibus nasci qui nulli [c] praecesserant, sed de limo formari oportebat secundum causalem rationem, in qua [d] primitus erat factus. Si ergo in illis primis rerum causis, quas mundo primitus Creator inseruit, non tantum posuit quod de limo formaturus erat hominem, sed etiam quemadmodum formaturus, utrum sicut [e] in matris utero an in forma iuvenili, procul dubio sic fecit ut illic [f] praefixerat: neque enim contra dispositionem suam faceret. Si autem vim tantum [g] ibi posuit possibilitatis ut homo fieret, ut sic et sic posset, id est ut ibi esset quia [h] sic et sic posset [i]; unum autem ipsum modum quo erat facturus in sua voluntate servavit, non mundi constitutioni [k] contexuit ».

2. Ad aliud dicendum quod non est intentio Augustini quod necesse erat corpus primi hominis ab illis causis inferioribus, in quibus causaliter erat, educi in esse nec in quantum in ipsis erat, sed potius in quantum erat in divina voluntate ut sua potentia produceretur in esse, sed [l] ab illis quibus dederat ut de [m] illis fieri posset. Et hoc patet ex verbis Augustini, ibidem dicentis [6]: « Manifestum est sic non factum esse hominem, contra quod [n] erat in illa prima conditione causarum, quia ibi erat etiam sic fieri posse, quamvis non ibi erat ita fieri necesse esse: hoc enim non erat in conditione creaturae, sed in placito Creatoris, cuius voluntas rerum est necessitas ». Ecce quod dicit plane quod non ibi, id est [o] in causis inferioribus, erat necesse ita [p] fieri, sed ut erat sic fieri [q] in voluntate Creatoris.

3. Ad tertium [r] dicendum quod hoc [s] 'solum corpus humanum dispositum est ad susceptionem animae rationalis', verum est si intelligatur dispositum propinqua sive [t] coniuncta dispositione, ut illa quae est necessitas, quo modo disponitur corpus humanum quando est organizatum. Si vero intelligatur dispositum [u] dispositione remota, non est verum, quia semen humanum dispositum est quodam modo, scilicet dispositione remota,

---

[a] V om. *quae res... complexionatis*, in SF est add. mg. [b] Ita F, alii *sit;* V *comparatio* pro *separatio*. [c] V *informatur*. [d] S om. [e] F *sementibus*. [f] F add. *et*. [g] SL *hec*. [h] F *corporum inferiorum*. [i] Ita F, alii *autem*. [k] F add. *vel etiam superior*. [l] F om. *e. e.* [m] F *obiectum in contrarium*. [n] Ita F, alii om. [o] R add. *et*. [p] V om. [q] V add. *divina*.
[a] V *illorum*. [b] T om. [c] S *nihil*. [d] Z *quo*. [e] F *sic*, Z om. [f] V *illis*. [g] V *tantam*. [h] F add. *etiam*. [i] V om.; F *utrum* pro *unum*. [k] Codd. *cum mundi constitutionem* pro *n. m. c.* [l] F *non*. [m] Z *ab*. [n] R *quamquam* pro *c. q.* [o] S om. *i. e.* [p] Z *ibi*. [q] T om. *sed... fieri*. [r] F *primum in contrarium*. [s] V *non*. [t] V *vel*. [u] Ita F, alii *intelligatur* pro *v. i. d.*

1 Cf. Aristot., *Meteor.*, I, c. 6 (III, 559).
2 *De fide orthod.*, II, c. 7 (PG 94, 894); cf. supra, num. 289.
3 Lib. XXVI, c. 3 (PL 42, 480).
4 Cf. supra, num. 235-238.
5 Cap. 15 (PL 34, 349 sq.).
6 Loc. cit.

secundum quod dicit Algazel: « Cum commixtio [a] elementorum fuerit pulcrioris et perfectioris aequalitatis, tunc erit dispositio », et [b] tamen intelligitur de dispositione remota, quia loquitur de spermate sive semine humano, in quo, ut ipse dicit, cum est commixtio elementorum in aequalitate [c] pulcriore et perfectiore, « qua [d] nihil possit inveniri subtilius et pulcrius, tunc est aptum ad susceptionem formae pulcherrimae », scilicet animae humanae. Dicit enim sic [1]: « Cum commixtio elementorum fuerit pulcrioris et perfectioris aequalitatis, qua nihil possit inveniri subtilius et pulcrius, sicut est sperma hominis, cuius necessitas venit in corpus hominis ex cibis qui sunt subtiliores cibis animalium et cibis vegetabilium et ex virtutibus et mineriis [e] [2], quae sunt pulcriores virtutibus et mineriis animalium, tunc fiet apta ad recipiendum a datore formarum pulcriorem formam [f], quae est anima hominis ».

4. Ad illud quod obicitur 'quod illud agens, quod potest inducere dispositionem ad formam aliquam in patiente, potest necessitatem inducere in eodem': dicendum quod quando sic est quod dispositio, quae est necessitas, sequitur ad remotam dispositionem sine aliqua innovatione formae alterius generis, bene [g] verum est, sicut patet de igne inducente in materiam aeris dispositionem remotam ad formam eiusdem, qui per actionem continuam potest inducere illam quae est necessitas. Quando autem inducitur necessitas per innovationem formarum diversorum generum, sicut fit in deductione corporis humani in esse ex elementis, ubi primo requiritur commixtio elementorum in [h] perfecta aequalitate, deinde coagulatio spermatis, deinde informatio eiusdem in mineriis [i] et harmoniis, quibus [k] aptatur ad susceptionem animae rationalis virtute relicta ab ipso decidente [l], unde efficitur semen et materiale congruum corpori humano, deinde post multas innovationes actionum partium organizatio: non est verum.

5-6. Ad illa quae consequenter obiciuntur, scilicet quod 'natura inferior [m] potest educere vegetabilia in esse et animalia minuta [n] sive quae exeunt in esse per putrefactionem' etc.: dicendum quod, etsi [o] ista sint nobiliora aliqua ratione corpore humano, in quantum corpus est, non tamen in quantum humanum, propter ordinem quem habet ad animam rationalem et maxime quia corpus primi hominis mediante sua perfectione, scilicet anima [p] rationali, erat serviturum Deo, et a quo erat totum genus humanum accepturum esse et etiam Christus secundum carnem, unde erat Deus maxime [a] glorificandus, et etiam erat glorificandum et Deo uniendum, nobilius erat quantum ad hoc re aliqua vegetabili et etiam omni minuto animante. Et sic interimitur media supra dicta, quia vegetabilia et animantia minuta se habent sicut excedentia et excessa respectu corporis primi hominis. — Praeterea, etsi vegetabile quodcumque et minuta animantia cuiuscumque generis essent corpore primi hominis nobiliora, non tamen sequeretur quod, si natura inferior [b] posset educere illa in effectum [c], quod similiter posset [d] corpus primi hominis [e]. Ratio huius est, quia quandoque quae ignobiliora sunt cum maiori difficultate educuntur in esse: cum maiori enim difficultate educitur lapis vilissimus in esse, ad cuius eductionem requiritur congelatio multorum annorum, quam planta aliqua valde nobilis in genere suo. Propter quod non sequitur: 'hoc potest educere [f] in esse illud quod est nobilius, igitur et illud quod est minus nobile'. — Praeterea, alia causa est, quia creatura non potest in aliquid nisi in illud in quod data est illi potestas a suo Conditore. Unde Anselmus, *De conceptu virginali* [3]: « Creata natura nihil per se facere potest nisi quod a voluntate Dei accepit ». Idem [g], in eodem: « Sola Dei voluntas fecit [h] in principio rerum naturas, dans quibusdam competentes [i] singulis voluntates, ut naturae et voluntates secundum ordinem sibi traditum suum opus in rerum cursu persolverent ». Propter hoc dico quod id quod potest facere illud quod est maius, non potest facere illud quod est minus: sicut qui potest generare hominem non potest generare asinum, quia hoc non est sibi datum ab illo a quo est [k] omnis potestas. — Praeterea, ut volunt aliqui, sol non producit in esse animam vegetabilem [4]. Et hoc ostendunt [l] sic: Sol quarto die conditus est, vegetabilia tertio die; causa autem origine et natura debet praecedere suum effectum et non sequi. Unde Basilius, in principio V *Hexaëmeron* [5]: « *Germinet terra herbam pabuli* [6]. Per se videlicet tellus germinare praecepta est, nullius indigens adiumento. Quoniam quidam opinantur plantis ac seminibus solem causas praestare crescendi, dum ea, quae de terra pullulant, proprii caloris attractu [m] ab imis sedibus ad summa perducit [n], idcirco sole antiquior

---

[a] S *mixtio.* [b] Ita V, alii *etc.* [c] T add. *et.* [d] Ita F, alii *quo.* [e] Codd. hic et passim infra, *nervis* vel *numeris.* [f] Ita F, alii *formis.* [g] Z *unde.* [h] F om. [i] Z om. *i. m.*, TF om. *in.* [k] Ita F, V *qua*, alii *quia.* [l] V *decindende*, F *descindente.* [m] F *celestis.* [n] V *munita.* [o] V *si.* [p] V om.

[a] V add. *gloria.* [b] V *non.* [c] S *tantum*; L *quasi* pro *quod.* [d] V om. *educere... posset.* [e] Z add. *et.* [f] V add. *illud.* [g] Ita F, alii *quod.* [h] S *facit.* [i] L *competens*; T om. *quibusdam.* [k] R om. [l] V *ostenditur*, L *ostendit.* [m] V *attracta.* [n] Ita F, alii *producit.*

1 Cf. *Philosophia*, II, tr. 4, c. 5.
2 Cf. Algazel, loc. cit., tr. 3, c. 5.
3 Cap. 11 (PL 158, 445), ubi et sequens.
4 Cf. supra, num. 285.
5 Num. 1 (PG 29, 95, PG 30, 911).
6 Gen. 1, 11.

terrenae foecunditatis ornatus emicuit ut occasio venerandi solem, utpote auctorem nascentium, iis, qui in errore positi sunt, auferretur, si tamen suaderi potuerint quia priusquam [a] ipse creatus est, erat iam terra suis fructibus decorata, considerantes quod herbis et pabulis sol in nascendo posterior est ».

7. Ad aliud dicendum quod in locis valde remotis a sole et valde propinquis non componitur animal, quia materia, ex qua fieret animal, non aptatur per operationem solis, non quia sol habeat naturam productivam [b] animalium in esse, sed solum dispositivam. Cum enim ex vapore et fumo, resolutis ex elementis, habeant esse diversae compositiones, virtute corporis supercaelestis disponente, cum fuerit nimia elongatio solis, coagulantur et compinguntur ibidem vapores et non elevantur in sublime et flant ibidem et [c] hieme et [d] aestate venti validi et non componitur ibidem aliquid ex animalibus et sementibus. Similiter si sit nimia approximatio, sicut est in locis meridianis combustis propter vehementem exustionem, nihil componitur ibi. Haec [e] est ratio Philosophi [1].

8. Ad ultimum dicendum quod cometae neque compositionis neque dissolutionis sunt causae, sed signum tantum. Ut enim ponunt astronomi [2], coma est ignis sublevatus a partibus mundi sensibilis, generatus ex materia deorsum veniente, habens diuturnitatem permanentiae suae, cuius natura est sublimata virtute alicuius stellae, separata a natura terrestri et assimilata naturae caelesti. Stella autem trahens comam et sublimans [f] et separans a natura terrestri separat spiritus qui sunt in corporibus complexionatis assimilati [g] naturae stellae, unde fit infirmatio et corruptio in hominibus et sementis, quibus dominatur stella illa. Unde coma signum est praecedens sublimationis et separationis naturae spiritualis a rebus complexionatis et assimilatae stellae trahenti comam in natura spirituali. Sic igitur patet quod cometae sunt signa tantum: apparent enim in mortibus regum iussu [h] Dei, non tamen semper, sed secundum dispensationem divinam. Unde Damascenus [3]: « Constituuntur multotiens et coniugae cometae signa quaedam mortis regum, quae non sunt ex iis quae a principio genita sunt astra [i], sed divina iussione secundum ipsum tempus constituuntur et rursum dissolvuntur ». Et quod dicit « non esse eorum quae a principio genita [k] sunt astra », hoc intellige non quantum ad planetam trahentem comam, sed quantum ad comam. Et nota quod dicit « signa ».

Si vero quaeratur [4] unde est quod apparet aliquando stella comata in morte regum, responsio brevis est secundum Damascenum [l 5]: « Secundum dispensationem hoc fit et voluntatem divinam [m] ».

Dicunt autem astronomi quod hoc non fit propter mortem hominis, ut est homo individuus, sed propter turbationem regni aut aliquid circa regnum: sic enim ponunt significationem comae. — Sed, quidquid sit de cometa, ut ex dictis patet, stellae sunt causae dissolutionis corporum humanorum, quia, ut dictum est [6], stella trahens comam separat spiritus qui sunt in rebus complexionatis quibus dominatur stella, unde infirmantur et corrumpuntur.

Respondeo quod, secundum philosophos [7], quandoque operatione alicuius [n] stellae fit immutatio aliqua in corpore humano, ad quam sequitur defectus naturae conservantis et continuantis rem complexionatam in esse, ad quem defectum sequitur rei dissolutio. Unde operatio stellae non est per se loquendo causa dissolutionis, sed potius natura deficiens, non conservans rem huiusmodi in esse: unde operatio stellae est dispositiva ad dissolutionem, non causa, sicut sol per se loquendo non est causa hominis, quamvis operetur ad generationem eius, disponendo materiam generationis et aptando ad hoc quod sit materiale corpori humano. Potest ergo dici ad obiectum quod sicut stella quandoque est [o] causa dissolutionis, scilicet dispositiva, sic et stella est causa compositionis, scilicet dispositiva.

Ad hoc quod dicit Damascenus quod « astra non sunt causa alicuius eorum quae fiunt »: dicendum [8] quod Damascenus intelligit de causa per se, cuiusmodi est illa quae est infallibiliter operans et coniuncta effectui. Bene autem [p] vult quod sint causae disponentes ad esse complexionis. Dicit enim [9]: « Qualitas aëris facta sole [q], luna et astris, aliis et aliis [r] diversas [s] complexiones et habitus et dispositiones constituit ».

---

[a] Codd. *postquam.* [b] V *productus.* [c] Ita F, alii *in.* [d] R add. *in.* [e] F add. *enim.* [f] V *sublevans.* [g] V *assimilari,* Z *assimilate.* [h] T *iusti;* L *dicitur* pro *Dei.* [i] Ita FL, alii om.; F *pre* pro *sed.* [k] Ita F, alii om. [l] L *hoc Damasceni.* [m] L om.; F *a voluntate divina* pro *e. v. d.* [n] Z om. [o] V om. [p] F *enim.* [q] F add. *et.* [r] Ita F, ceteri *alii et alii* pro *a. e. a.* [s] Ita VF, alii *diversa.*

1 Cf. Aristot., *Meteor.*, I, c. 9 (III, 564).
2 Cf. Aristot., *Meteor.*, I, c. 6 (III, 558).
3 *De fide orthod.*, II, c. 7 (PG 94, 894).
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 2, a. 2, q. 3, *ad 4* (II, 364).
5 Loc. cit.
6 Cf. supra, *ad 8.*
7 Cf. supra, p. 511b, n. 8.
8 Cf. supra, num. 289.
9 Loc. cit.

QUAESTIO II.

DE CAUSA FORMALI CORPORIS ADAE.

Sequitur consideratio de causa formali ipsius corporis. Et appellamus causam formalem, non illam quae est essentialis rei vel quae est exemplaris — haec enim magis pertinet ad esse corporis quam ad fieri — sed [a] formam huiusmodi [b] dicimus, prout in fieri consideratur, modus exeundi in esse. Et de hac tria quaeruntur:

Primo, utrum corpus primi hominis exivit in esse per creationem vel aliter;

secundo, supposito quod aliquo modo per creationem, utrum maioris potentiae fuerit creare de nihilo ipsum vel de limo;

tertio, utrum iste modus educendi corpus de limo pertineat [c] ad perfectionem universi.

CAPUT I. 431

UTRUM CORPUS PRIMI HOMINIS FUERIT CREATUM VEL NON [1].

Quaeritur ergo **I.** utrum corpus primi hominis fuerit creatum vel non.

Quod sic, videtur: 1. Nobilissimus modus exeundi in esse est per creationem, qui est a Deo ut a tota causa et qui tollit omnem obnoxietatem respectu creaturae; igitur, si convenit quod aliquod corpus hoc modo fuerit egressum in esse, maxime hoc convenit corpori nobilissimo; hoc autem est corpus primi hominis; sed alia quaedam corpora exierunt in esse per creationem; igitur etc.

2. Item, est distinguere spiritus per differentias nobilitatis maioris et minoris: maioris enim sunt nobilitatis spiritus qui immediate ordinati sunt ad fruendum Deo, cuiusmodi sunt angelus et anima, quam alii, ut [d] spiritus vitales corporei et alii huiusmodi, ut quibus quasi mediis unitur anima cum corpore [2]. Similiter est distinguere corpus per differentias nobilitatis maioris et minoris. Cum igitur quidam spiritus exierint [e] in esse per creationem, similiter corpora quaedam; spiritus autem nobilioris conditionis sic exierunt in esse [3], et similiter videtur quod et [f] corpora nobiliora debuerunt; sed inter corpora corpus nobilissimum fuit primi hominis; ergo etc.

3. Item, Eccli. 17,1: *Deus creavit de terra hominem;* sed ista creatio non fuit ratione animae, cum anima non sit [g] ex elemento vel elementis, ut ostendit Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [4]; ergo quantum ad corpus.

Contra: *a.* Gen. 2,7: *Formavit Deus hominem de limo terrae;* ergo formatus fuit quantum ad corpus, non creatus, quia, ut dicit Hugo [5], « quod creatum est, de nihilo factum est: nam quod de aliquo factum est, factum est [h], sed creatum non est, quia de nihilo factum non est ».

b. Item, creatura spiritualis et corporalis distinguuntur per conditionem nobilitatis et ignobilitatis: cuiuscumque enim [i] conditionis sit res corporalis, ignobilis est et vilis [k] respectu creaturae spiritualis, et loquor de spiritualibus separabilibus et [l] separatis a corpore; si ergo nobilioribus creaturis debetur nobilior modus producendi in esse, qui est creare, et aliis debetur minus nobilis modus; ergo etc.

c. Item, Anselmus, in *Monologion* [6], videtur ostendere quod nulla res sit ex nihilo, et ita nihil creatur, sic: « Ex quocumque fit aliquid, id causa est eius quod ex se fit; et omnis causa necessario aliquod [m] ad essentiam effecti praebet adiumentum; si ergo factum est ex nihilo aliquid, ipsum 'nihil' causa fuit eius quod ex ipso factum est. Sed quo modo id, quod nullum habebat esse, adiuvit [n] aliquid ut perveniret ad esse? Si autem

---

[a] Ita FR (corr.), alii *secundum.* [b] STRZ *hic,* quod L corr. [c] Ita F, alii *pertinet.* [d] S *et.* [e] Ita VF, alii *exierunt.* [f] F om. [g] V *fit.* [h] L om. *f. e.* [i] L *causa.* [k] Z om. *e. v.* [l] V om. [m] F om., S om. *ad.* [n] Ita V, alii *adiuvat.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 17, a. 2, q. 1 (II, 419sq.).
2 Cf. supra, p. 420, *Solutio.*
3 Cf. supra, num. 99.
4 Lib. VII, cc. 12 et 14 (PL 34, 362sq.).
5 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 1, c. 1 (PL 176, 187).
6 Cap. 8 (PL 158, 155), ubi et sequentes duo loci.

nullum adiumentum de nihilo pervenit ad aliquid, cui aut qualiter persuadeatur quia ex nihilo aliquid efficiatur? »

d. Praeterea, idem ad idem: « 'Nihil' aut significat aliquid aut non significat aliquid [a]; sed si 'nihil' est aliquid, quaecumque facta sunt ex nihilo, facta sunt ex aliquo; si vero 'nihil' non est aliquid, quoniam intelligi non potest ut ex eo, quod penitus non [b] est, fiat aliquid, nihil fit ex nihilo: sicut [c] vox omnium est quia ex nihilo nihil. Unde videtur consequi, ut quidquid fit [d], fiat ex aliquo ».

II. Item, potest quaeri quo vocabulo proprie nominanda est eductio corporis humani [e] de limo.

[Solutio]: I. Ad hoc intelligendum quod quando [f] aliquid educitur in esse secundum legem [g] propagationis naturalis, necessaria est sufficientia in principiis et quantum ad principium passivum [h] sive materiale et quantum ad principium activum sive formale: formale dico quodam modo, eo modo quo philosophi ponunt in naturalibus actionibus materiale, quod est subiectum transmutationis, non solummodo esse principium passivum, sed quodam modo activum. Ubi autem aliquid educitur in esse cum defectu horum duorum vel alterius, est potius cursus secundum legem creationis quam naturalis propagationis vel eductionis, et tunc non potest esse [i] eductio alicuius in esse nisi ab illo qui potest creare.

Sed attendendum est quod in productione rei potest multiplex esse [k] defectus in principiis. Potest enim esse defectus, quia neutrum aliquo modo est, ut quando utrumque simpliciter non est, aut quia aliquo modo principia sunt, sed non sufficiunt. Haec autem insufficientia potest esse vel ex parte principii formalis vel ex parte principii [l] materialis et formalis: quandocumque enim est insufficientia ex parte principii materialis, est [m] et ex parte formalis, non autem e converso. Et dico insufficientiam ex parte principii materialis, quia materia sive res materialis [n], de qua aliquid educi debet, est imperfectae [o] quantitatis respectu rei educendae, sicut fuit in costa respectu corporis Evae. Unde Hugo [1]: « Quando [p] simplex corpus in semetipso multiplicatur et in plura excrescit, fit aliquid de aliquo in maius. Hoc modo operandi de substantia costae, in se divina virtute absque extrinseco additamento multiplicata, corpus mulieris [a] factum est ». Quando autem neutrum dictorum [b] aliquo modo est, sicut fuit in productione rerum primo creatarum in esse, tunc est vere et simpliciter [c] creatio [2], de qua Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus caelum et terram* [d], secundum quod exponit Hugo [3] verbum istud, dicens: « Per *caelum et terram* materiam illam omnium caelestium terrestriumque hoc loco significari puto, de qua postea succedenter in forma facta sunt quae in ipsa prius per essentiam simul creata fuerunt. Ibi namque terra erat ipsum terrae elementum, et caelum erat mobilis illa et levis confusio reliquorum trium, quae [e] in circuitu medio iacentis [f] terrae suspensa ferebatur ». Haec Hugo. Quando autem est defectus principiorum, ut dictum est [4], tunc est creatio secundum quid, sicut fuit in formatione corporis Adae de limo, Eccli. 17, 1: *Deus creavit de terra hominem,* et in formatione Evae de costa Adae, de qua Augustinus, IX *Super Genesim* [g] *ad litteram* [5]: « Natura quippe mulieris creata est [h], quamvis ex viro qui iam erat ». Formatio autem Adae de limo creatio erat, quia in limo erat defectus principii activi [i]. Nec enim habuit limus ut corpus humanum ex eo fieret, sed ut ex eo fieri posset, sicut dicit Anselmus, *De conceptu virginali;* dicit enim 11 cap. [6]: « Limus terrae non acceperat naturam aut voluntatem, qua operante vir primus de illo fieret, quamvis esset de quo a Deo fieri posset ».

Praeterea, Scriptura [7] dicit illud esse creatum, cuius materia [k] creata est. Unde Augustinus, in libro [l] *De Symbolo* [8]: « Rectissime credimus Deum omnia fecisse de [m] nihilo, quia etsi de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est, ut ordinatissimo Dei munere prima capacitas formarum fieret ac deinde [n] formarentur quaecumque formata sunt. Hoc [o] autem diximus, ne quis putet [p] contrarias [sibi] esse [q] divinarum Scripturarum sententias, quoniam et omnia Deum de nihilo fecisse scriptum est et mundum factum de informi materia ». Et iste modus creandi communis est, qui fere omnibus convenit creaturis et quorum omnium dicitur Deus [r] creator. Iste tamen modus forte potest reduci ad illum modum creationis quo aliquid educitur in esse ex aliquo in quo est defectus principii activi sive

---

[a] S om. *a. n. s. a.*; T om. *si.* [b] F *nihil.* [c] F *item sic;* VTR repet. *omnium,* quod SLZ exp. [d] Ita VF, alii *sit.* [e] Ita F, alii om. [f] T om. [g] L add. interl. *in.* [h] L *passionum.* [i] S om. [k] F *inesse.* [l] Ita F, alii om. [m] Z om. [n] S add. *sive.* [o] V *in perfectione.* [p] V *quoniam.*

[a] V *numeris.* [b] Z add. mg. *principiorum in* et om. *modo.* [c] F *simplex.* [d] T add. *etc.* [e] R *quo.* [f] V *iacentes,* F *subiacentis.* [g] Ita F, alii *Genesis* pro *S. G.* [h] V om. [i] V *acturi.* [k] V *natura.* [l] VSTR om. *i. l.,* in LZ est add. mg. [m] F *ex.* [n] Z *demum.* [o] Ita F, alii *hec.* [p] F *putaret.* [q] F om. [r] Ita F, alii add. *dicitur.*

1 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 6, c. 37 (PL 176, 286).
2 Cf. supra, p. 53, in *Solutione.*
3 Loc. cit., I, p. 1, c. 6 (PL 176, 190); cf. supra, num. 52.
4 Cf. hic, parum supra.
5 Cap. 15, n. 26 (PL 34, 403).
6 PL 158, 445; cf. Augustin., loc. cit., c. 18, n. 34 (PL 34, 407) et supra, p. 512b, *ad 2.*
7 Cf. Gen. 1, 27 et 5, 2.
8 *De fide et Symbolo,* c. 2, n. 2 (PL 40, 183); cf. supra, p. 34, *ad 2,*

formalis, cum non erat in illa materia ut ex ea fieret mundus, sed solum ut fieri posset, cum solummodo in elementis et rebus elementaribus, in quibus sunt rationes [a] seminales rerum, sit unde res fiant.

Praeterea, adhuc dicitur aliquid esse creatum in Scriptura ratione eductionis formae illius in esse, sicut Gen. 1,21: *Creavit Deus cete* [b] *grandia.* Unde Hugo[1]: « Lectorem admonere volumus ut quotiens in iis operibus, videlicet [c] sex dierum, aliquid fieri audierit, ut verbi gratia cum dicitur prima die *facta est lux*[2], secunda die factum est firmamentum[3], tertia die facta est terra [d 4], quarta die facta sunt luminaria[5], non modo primum cum facta dicuntur haec, de nihilo creata fuisse existimet, sed potius de ipsa, quae prius creata erat de nihilo, materia formata intelligat, etiamsi aliquando verbum creationis positum repererit [e], ut est ibi[6]: *Creavit Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem,* non ad materiam qua esse coeperunt, sed ad formam, qua hoc quod sunt esse coeperunt, referendum esse sciat [f] ». Ecce quod vult Hugo quod haec creata dicuntur ratione eductionis formae illorum in esse.

[Ad obiecta]: *a.* Ex iis patet quod ista possunt simul stare, scilicet corpus primi hominis fuisse creatum et formatum de limo et quo modo intelligendum est corpus primi [g] hominis fuisse creatum de terra, quia tribus modis ultimis, et quot modis aliquid dicitur creatum.

b. Patet etiam quo modo ad aliud quod sequitur est [h] respondendum, quia etsi quodam modo creatum fuerit corpus primi hominis, non tamen simpliciter sicut substantiae [i] spirituales. Spirituales enim substantiae, sicut nobiliores sunt, sic nobiliori modo creationis eductae [k] sunt in esse, quia creatione simpliciter, corpus primi hominis creatione secundum quid.

c-d. Qualiter autem respondendum est ad obiecta ab Anselmo patet ex distinctione quam subiungit consequenter, ubi [l] distinguit quod tribus modis dicitur [m] aliquid fieri ex nihilo, sic[7]: « Tribus modis, quod ad praesentis impedimenti sufficit expedimentum, exponi potest si [n] qua substantia dicitur esse facta ex nihilo. Unus quidem modus est quo [o] volumus intelligi penitus [p] non factum esse quod factum dicitur ex nihilo, cui simile est cum quaerenti de tacente 'de quo loquatur', respondetur 'de nihilo', id est 'non loquitur': secundum quem modum de summa essentia et de eo quod penitus nec fuit nec est quaerenti 'unde factum sit', recte responderi potest 'de nihilo', id est 'nequaquam factum est', qui sensus de nullo [q] eorum quae facta sunt intelligi potest. Alia significatio est, quae dici quidem [b] potest, vera tamen esse non potest, ut [c] si quidem dicatur aliquid sic esse factum de [d] nihilo ut ex ipso nihilo, id est [e] ex eo quod penitus non est, factum sit, quasi [f] ipsum 'nihil' sit aliquid existens ex quo possit aliquid fieri: quod quoniam semper falsum est quotiens esse ponitur, impossibilis inconvenientia [g] consequitur. Tertia interpretatio, qua dicitur aliquid esse factum ex nihilo, est cum intelligimus quidem [h] factum esse, sed non esse aliquid unde sit factum. Per similem significationem dici videtur, cum homo contristatus [i] sine causa dicitur contristatus de nihilo ». Hoc autem ultimo modo dicuntur res simpliciter creatae esse ex nihilo. Unde subiungit Anselmus: « Secundum igitur hunc sensum si [k] intelligatur quod supra conclusum est, quia praeter summam essentiam cuncta quae sunt, ab eadem ex nihilo facta sunt, id est non ex aliquo, sicut ipsa conclusio praecedentia convenienter consequetur, ita ex eadem conclusione nihil inconveniens subsequetur ». Obiectiones autem Anselmi currunt secundum modum secundum, et illo modo non [l] dicitur vere aliquid fieri ex nihilo, sicut ipse dicit. Adhuc autem subiungit[8] quartum modum quo potest dici aliquid fieri ex nihilo, illo scilicet « modo quo dicitur dives ex paupere factus [m], id est qui prius pauper erat, nunc est dives, quod ante non [n] erat ». Unde subiungit: « Non inconvenienter [o] et sine omni repugnantia ea [p] quae facta sunt a creatrice substantia dici possunt esse facta ex nihilo, eo modo quo dici solet dives [factus] ex paupere et recepisse quis sanitatem ex aegritudine ».

Ad obiecta ex alia parte, quibus ostendi videtur quod debuit simpliciter fuisse creatum, dicendum quod non: conveniebat enim ut [q] Deus hominem faceret ex materia praeiacente propter plures rationes. Nota ergo quod ratio conditionis creaturarum et praecipue creaturae rationalis est [r] declaratio divinae potentiae, sapientiae, bonitatis[9].

Una ergo rationum talis eductionis in esse fuit congruentia declarationis divinae potentiae in mirabili unione corporis et animae primi hominis pro maxima diversitate sive differentia [s]

---

[a] R om. [b] T *cetera.* [c] F om. [d] Ita F, alii om. *t. d. f. e. t.* [e] TF *reperit.* [f] V *sciet*; LZ *cete* pro *ecce.* [g] VTFR om., in L est add. mg. [h] F om. [i] V add. *sunt.* [k] Ita F, alii *deducte*; STRLZ om. *sunt.* [l] V *et ibi.* [m] L exp. [n] Ita F, alii *sed.* [o] Ita F, alii *quod.* [p] V *ponitur.*

[a] LZ *nihilo.* [b] V *aliquid.* [c] Z om. [d] F *ex.* [e] V *licet* pro *i. e.* [f] S *quod.* [g] Codd. *convenientia.* [h] F *quid.* [i] V *contristatur.* [k] Z *sub.* [l] S *ideo.* [m] ita V, alii om. [n] V om. [o] Z *convenienter.* [p] V *est.* [q] V *quod.* [r] V om. [s] VF *dicta.*

1 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 7 (PL 176, 193).
2 Gen. 1, 3.
3 Gen. 1, 7.
4 Gen. 1, 9.
5 Gen. 1, 15.
6 Gen. 1, 21.
7 *Monol.*, c. 8 (PL 158, 156), ubi et sequens; cf. supra, num. 50.
8 Anselm., loc. cit. (PL 158, 157), ubi et sequens.
9 Cf. supra, p. 69b.

distantium. Unio enim animae cum corpore propter eorum ab invicem [a] distantiam est una de mirabilibus assignatis ab Augustino, in [b] libro *De spiritu et anima*[1]; dicit enim: « Plenum fuit miraculo quod tam divisa et [c] tam diversa ab [d] invicem ad invicem potuerunt coniungi ». Distantia enim corporis [e] primi hominis ab anima [f] fuit multiplex, scilicet existentis [g] in differentia esse a posse ad non existens [h][2], corporalis ad spirituale, corruptibilis ad incorruptibile. Corpus enim [i] eius fuit corruptibile [k], corporale, in quo differebat esse a posse; anima autem incorruptibilis, spiritualis, in qua non differebat esse a posse. Quia ergo ad hoc ut divina potentia in unione tam distantium ostenderetur, corpori tantum distanti [l] a sibi unibili congruebat modus huiusmodi eductionis in esse, quia omne corruptibile corporale, in quo differt esse a posse, est ex praeiacenti materia, convenienter formabatur sic, ut formatio talis congrueret manifestationi potentiae eius in tam distantium unione.

Alia ratio est congruentia declarationis [m] divinae sapientiae in convenienti ordine finis [n] et consequentis ad finem ad principia [o] et antecedentis ad principium. Conveniebat enim quod resolutionem corporis in materiam manentem post resolutionem praecederet compositio ex materia existente ante compositionem: nunquam enim est talis resolutio quin sequatur talem compositionem et quam [p] talis non antecedat [q] compositio; congruebat ergo ut sic fieret corpus illud, ut ex ordine praetacto divina sapientia ostenderetur.

Tertia ratio est congruentia ostensionis divinae bonitatis [r], quae ostenditur in completione universi: perfectioni enim universi congruebat quod corpus illud sic fieret. Quia [s] enim omnis corporalis creatura in homine perficitur et completur, cum omnis forma naturalis ordinetur ad animam rationalem sicut ad [t] dignissimam omnium formarum, et corpus humanum constituatur ex natura omnium corporum ut [u] in quo complentur [v] et quodam modo beatificantur [x], rectissime dicitur homo finis omnium[3] et ideo fieri debuit post omnia septimo die, sicut dicunt auctoritates [y][4], scilicet ut ostenderetur esse illorum complementum. Si ergo hanc perfectionem creaturarum in homine exigebat perfectio universi — in homine, inquam, qui ratione dicta post alia [a] conditus est, etiam quantum ad corpus, quod ex natura aliorum corporum fuit constitutum — necessario sequitur ipsum fuisse ex materia praeexistente et hoc congruere ad universi perfectionem. — Item, alia ratione: Hoc enim congruebat [b] ad perfectionem universi quod essent quaedam res corporales simpliciter, quaedam [c] spirituales simpliciter et [d] quaedam corporales quantum ad sui partem et spirituales quantum ad aliam, cuiusmodi est homo. Similiter conveniebat horum productioni in esse quod quaedam fierent ex nihilo, quaedam ex materia praeiacenti, quaedam secundum quamdam sui partem fierent ex nihilo [e], secundum quamdam sui partem [f] ex materia praeiacenti: talis fuit primus homo.

1. Ad primo ergo obiectum ex illa [g] parte dicendum quod, licet Deus creaverit de [h] nihilo aliqua corpora, utpote materiam primam et caelum primum, ut dicit Beda[5], licet in genere corporum corpus primi hominis esset nobilissimum, non tamen [i] conveniebat ut educeretur in esse per creationem propter rationes praedictas: unde secus fuit de hoc corpore et de [k] aliis. — Ad illud quod [l] tangitur quod 'creari debuit ex nihilo ne obnoxius esset homo creaturae': dicendum quod propter hoc quod fuit ex aliqua creatura, non magis erat obnoxius creaturae, sed Deo, cuius erat illa [m] et a quo condita. Unde Augustinus, in libro *De Symbolo*[6]: « Si aliquid Deus fecit ex aliquo, sicut [n] hominem de limo terrae, non utique fecit ex eo quod ipse non fecerat, quia terram, unde limus erat [o], ex nihilo fecerat ».

II. Ad hoc quod [p] ultimo quaerebatur, scilicet quo vocabulo nominanda est haec eductio, potest dici quod [q] plasmatio. Unde Iob 10,8: *Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me,* Glossa[7]: « *Fecerunt* quantum ad animam, et [r] *plasmaverunt* quantum ad corpus ». Unde Damascenus [s][8], volens assignare differentiam inter factionem animae et corporis, dicit corpus eductum per plasmationem, animam vero factam per insufflationem [t], dicens: « Ex visibili et invisibili natura condidit hominem Deus propriis manibus secundum imaginem et similitudinem suam [u], ex terra corpus plasmans, animam autem rationalem et intelligibilem per familiarem insufflationem [v] dans ei ».

---

[a] F om. *a. i.* [b] Ita FL, alii om. [c] S om. [d] VTZ *ad.* [e] Ita VF, alii om. [f] Ita VF, alii om. *a. a.* [g] F *existens;* STZ *in deum* pro *in differentia,* quod VL exp. [h] R *ad non existens, esse ad posse* pro *esse... existens.* [i] T om. [k] L om. *corpus... corruptibile.* [l] V *distantia.* [m] F *congruentie declaratio* pro *c. d.* [n] S *filius.* [o] F *ad principia ad finem* pro *a. f. a. p.* [p] SZ *quod.* [q] Z *antecedit.* [r] Ita T (corr.) F, alii *ostensioni divine bonitati* pro *o. d. b.* [s] T *quod.* [t] L (corr.) *in.* [u] Ita VF, alii om. [v] VST *compleretur.* [x] V *beatificatur,* F *deificantur.* [y] Ita F, alii *auctores.*

[a] F *omnia.* [b] Ita F, V *conveniebat,* alii *autem conveniebat* pro *e. c.* [c] S om. [d] Z om. [e] T om. *quaedam ex materia... nihilo;* V add. *ergo.* [f] Ita SF, R add. *fieret,* alii add. *fierent.* [g] VZ *alia;* F *obiecta* pro *obiectum.* [h] R *ex.* [i] Ita F, alii om. [k] Ita F, alii om. [l] L om. [m] F add. *creatura;* S om. *et.* [n] V *ut.* [o] V om. [p] T om. [q] VSTL add. *hec,* quod R exp. [r] F om. [s] F add. *II cap.* [t] Ita VF, alii *inflationem.* [u] Ita F, alii om. [v] S *sufflationem.*

1 Cap. 14 (PL 40, 790).
2 Supple *in differentia esse a posse.*
3 Cf. supra, num. 88 et 343.
4 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 15, c. 5 (p. 375).
5 Cf. *In Gen.,* c. 1 et *Hexaëm.,* I (PL 91, 191, 15sq.).
6 *De fide et Symbolo,* c. 2 (PL 40, 182).
7 *Ordin.,* in h. l. (PL 113, 786); cf. supra, p. 501, litt. *b.*
8 *De fide orthod.,* II, c. 11 (PG 94, 911).

CAPUT II. 432

UTRUM MAIORIS POTENTIAE FUERIT CREARE DE NIHILO CORPUS PRIMI HOMINIS QUAM FORMARE DE LIMO.

Sequitur inquirere utrum maioris potentiae fuerit creare corpus primi hominis de nihilo an formare de limo.

Quod maioris, videtur sic: *a.* Augustinus, in libro *De Symbolo*[1]: « Ideo dicitur Deus omnipotens, quia de nihilo fecit omnia quae fecit; non enim aliqua materies eum iuvit[a] ex qua demonstraret artis suae potentiam, sed ex nihilo cuncta creavit ». Si ergo manifestatur Dei omnipotentia in creando aliquid ex nihilo, non autem formando aliquid de aliquo quocumque, cum in illa formatione iuvet eum materia subiecta, videtur maioris potentiae esse creare de nihilo quam formare de limo.

b. Item, inter aliquid et nihil est infinita distantia, inter aliquid et aliquid finita[b]: unde in factione alicuius de nihilo est actus potentiae infinitae, in formatione alicuius de aliquo[c] est actus finitae; igitur, cum infiniti ad finitum[d] nulla sit proportio[2], improportionabiliter est maioris potentiae formare aliquid de nihilo quam facere aliquid de aliquo; ergo etc.

Contra: 1. Ut habetur ab Augustino[3], maius est facere de impio pium quam creare caelum et terram, et hoc est, ut dicitur, quia in creatione caeli et terrae non est aliqua dispositio contraria, sicut in iustificatione, ubi invenitur dispositio liberi arbitrii repugnans gratiae. Ergo a simili, cum limus haberet suam formam, quia erat hoc aliquid, nec illa materia inclinationem haberet ad corpus humanum, sed quasi oppositam[e], eo quod complebatur per[f] formam suam, videtur, cum de limo factum fuit corpus humanum, maioris fuisse potentiae quam si illud fuisset ex nihilo.

2. Praeterea, arguit[g] Magister, in *Sententiis*, II libro, dist. 18, cap. *Solet quaeri*[4]: « Angeli non possunt creare naturam, ergo nec formare costam in mulierem[h] »; sed sive hic sit argumentum a simili sive a maiori, non sequitur quod maior sit potentia facere aliquid ex nihilo quam facere mulierem ex costa. A simili videtur in proposito, cum eadem fuerit conditio in formatione mulieris de costa et corporis Adae de limo, quia sicut in costa non fuit unde fieret mulier, sed unde fieri posset[5], similiter in limo non fuit unde fieret corpus Adae, sed unde fieri posset; igitur non fuit maioris potentiae creare corpus illud de nihilo quam formare de limo.

3. Item, Deus est infinitae virtutis et[i] necessario agit tota virtute quidquid agit, quia eius virtus, cum sit ipse[k], simplex est et impartibilis; igitur in formatione hominis de limo operatus est tota virtute, scilicet infinita; sed maiore non operabatur[l] in creando caelum et terram; ergo etc.

4. Praeterea, ut habetur a Philosopho[6], potentia est principium transmutationis in aliud in quantum aliud; sed non-ens non est subiectum transmutationis; ergo potentia est principium transmutationis eius quod est in aliud; ergo ubi salvatur ratio potentiae agentis sive facientis, necessario erit materia subiecta actioni; ergo ubi non est materia subiecta actioni[m], nulla est actio potentiae; igitur nihil est quaerere utrum fuerit maioris potentiae creare etc., ex quo nulla potentia agit aliquid ex nihilo.

[Solutio][7]: Ad hoc[n] notandum quod duplex est potentia materiae sive subiecti transmutationis, scilicet activa et passiva: passiva, quae nihil cooperatur[o] formae inducendae in materiam ipsam, sed[p] est tantum potentia recipiendi formam; activa, quae aliquo modo cooperatur ipsi agenti ad inductionem formae, quia aliquid formae latet in materia vel quia appetitus materiae habet aliquam[q] inclinationem ad illam formam[8], sicut est in illis in quibus est ratio seminalis ad aliqua producenda in esse ex illis. Quandoque ex parte materiae sive subiecti est defectus potentiae sive principii activi, sicut fuit in limo, in quo non erat ut fieret ex eo corpus Adae, quia non erat in illo potentia formalis sive activa, quae cooperabatur[r] eductioni illius in esse, potentia Creatoris educente illud ex eo. Quandoque est duplex defectus, scilicet diminutio ex parte materiae et carentia principii

---

[a] V *innuit.* [b] F add. *distantia;* T om. *unde.* [c] V om. *nihilo... aliquo.* [d] STRL *infinitum.* [e] Codd. *opposita.* [f] V *secundum.* [g] V *arguitur.* [h] Codd. *muliere.* [i] V om. [k] Codd. *ipsum.* [l] Ita FR (corr.), alii *comprobatur.* [m] Ita V, F *ibi,* alii om. [n] S *hec.* [o] F *operatur.* [p] V *et.* [q] V om. [r] Ita F, L *comparabatur,* alii *operabatur.*

1 Quodvultdeus, c. 3, n. 6 (PL 40, 640).
2 Cf. Aristot., *De caelo,* I, c. 6 (II, 375).
3 Cf. *In Ioan.,* tr. 72, n. 3 (PL 35, 1823).
4 Cap. 4 (p. 389); cf. Augustin., *De Gen. ad litt.,* IX, c. 15, n. 26 et c. 16, n. 30 (PL 34, 403sq.).
5 Cf. Augustin., loc. cit., c. 18, n. 34 (PL 34, 407); cf. supra num. 227.
6 *Metaph.,* VIII, c. 1 (II, 564).
7 Cf. supra, p. 516, *Solutio.*
8 Cf. Aristot., *Phys.,* I, c. 9 (II, 260).

activi, sicut fuit in costa. Unde Hugo[1], distinguendo operationes quibus substantiae producuntur in esse, ponit opus unum, quod est « facere de aliis aliquid secundum substantiam et quantitatem in maius », et hoc modo operandi dicit[2] corpus mulieris factum ex costa « divina virtute absque extrinseco [a] additamento », ut supra tactum est[3]. In eductione autem [b] rei sive formae de materia sive subiecto primo modo sumpto potest natura in eductione [c] rei de subiecto; secundo modo sumpto non potest et multo fortius nec tertio, sed solus Creator. Secundum igitur hos gradus est facilius et magis difficile [d] educere res in esse, quia ex materia vel [e] subiecto primo modo se habente est modus facillimus, ex secundo modo se habente[f] difficilior et ex tertio adhuc difficilior, sed adhuc producere aliquid in esse ex nihilo simpliciter difficillimum est et magis mirabile est[g]. Unde Hugo[4]: « Magis [h] est mirabile de nihilo aliquid facere quam de aliquo plus facere ». Haec autem ultima tria genera operum [i] sunt de genere mirabilium et nonnisi a solo Deo esse possunt.

Cum ergo quaeritur 'utrum maioris potentiae sit creare' etc.: dicendum quod neque [k] maioris neque minoris, sed omnino indifferentis, quia divina potentia, quae est idem cum ipso, omnino simplex est et impartibilis in se; opus tamen sive effectus eius, qui est productus [l] in esse ex nihilo, simpliciter est magis mirabile eo quod producitur in esse ex aliquo, scilicet ex limo, sicut habetur ab Hugone[m] [5]. Concedenda est ergo ratio Augustini qua ostenditur Deum esse omnipotentem, *quia fecit omnia* [n] *ex nihilo*[6].

[Ad obiecta]: *a.* Cum autem obicitur quod 'non ostenditur eius potentia esse infinita in formando aliquid de aliquo, cum in illa formatione iuvet eum materia ex qua': dicendum quod hoc non dicitur quia aliquo modo eius [o] possit iuvari potentia in [p] actione, sed hoc dicitur [q] illo tropo [r] loquendi quo illud dicitur 'iuvare' agentem quo effectus agentis facilius exit in esse. Unde, quia quod educitur in esse de aliquo, facilius exit in esse quam quod ex nihilo, quantum est de se, quia minus distat ab esse sive forma fienda [s], quando scilicet proportionatur [t] virtus agentis distantiae rei educendae in esse ad illud de quo dicitur educi, dicitur 'iuvare' eum materia ex qua.

b. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod illa ratio argumentandi locum non habet ubi eadem est potentia et substantia agentis: ibi enim [a] non commensuratur virtus sive potentia agentis distantiae existenti [b] inter illud de quo fit aliquid et quod fit, quia potentia est impartibilis sicut est [c] substantia. Unde, quia in Deo est idem potentia quod essentia, impartibilis est potentia sicut et essentia: unde in omnimoda indifferentia se habet quidquid [d] ea producitur in esse. Sicut enim eadem voluntate potentia et indifferenti volo maiora et minora, similiter si eadem esset in me voluntas et potentia agendi, ipsa indivisa potentia et omnino indifferenti facerem maiora et minora.

1. Ad illud [e] quod obicitur ex alia parte, scilicet quod 'maius est facere de impio pium' etc.: dicendum [7] quod hoc non dicitur quia maior vel minor difficultas faciendi hoc vel illud sit ex parte Dei, sed potius propter repugnantiam ex parte creaturae fiendae. Cum autem Deus creavit caelum et terram, nulla erat [f] repugnantia ex parte aliqua divinae potentiae sive voluntati; cum autem Deus de impio facit pium, infundendo [g] gratiam disponentem et praeparantem ad gratiam perficientem, ipsa voluntas impii est contraria et repugnans divinae operationi. — Ad argumentum autem dicendum quod non est simile de forma quae continue transmutatur circa materiam et de [h] deformitate liberi arbitrii quam solus Creator removere potest per gratiam. Unde forma illa quae erat in materia passibili [i], scilicet limo, de facili transire poterat et eo facilius quo erat subiectum eius transmutabilius, quod competebat limo, in quo erat natura terrea et aquea: haec enim duo maxime ordinantur ad passionem, humor et humus, sicut dicit Augustinus[8], et etiam Philosophus[9] probat ea, quae [k] ex iis duobus resolvuntur, maxime esse materialia et passibilia, scilicet vaporem et fumum, et ideo non valet argumentum.

3. Ad hoc quod postea [l] obicitur quod 'Deus agit tota virtute sua, quae est infinita, quandocumque aliquid agit' etc.: dicendum quod verum est et vera est conclusio quae ex hoc consequitur [m]. — Si autem quaeratur: unde est ergo differentia tanta effectuum et quo modo ex tanta, scilicet infinita, potentia agente exeunt effectus minoris

---

[a] Ita VF, alii *intrinseco*. [b] L (corr.) *secundum*, S *aut*. [c] Ita VF, alii *eductionem*. [d] Ita F, alii *facile*. [e] F *sive*. [f] T om. *est... habente*. [g] F om. [h] Ita V, alii *maius*. [i] F *operationum*. [k] T om.; F om. *quod*. [l] L (corr.) *producitur*. [m] Z *Augustino*, quod L corr. [n] R om. [o] V *Deus*. [p] VL add. *esse*, Z add. *esse in*. [q] Ita F, alii add. *de*. [r] SZ *modo*. [s] L *facienda*. [t] V *proportionata*. [a] L om. [b] F *exigentis*; alii *existentis*. [c] F add. *in*. [d] F add. *in*. [e] F *aliud*. [f] SL *erit*, quod R corr. [g] F *influendo*. [h] F om. [i] F *possibili*. [k] Z om. [l] T om. [m] Ita V, alii *concluditur*.

1 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 37 (PL 176, 285).
2 Loc. cit. (PL 176, 286).
3 Cf. supra, p. 516, *Solutio*.
4 Loc. cit.
5 Loc. cit.
6 II Machab. 7, 28. Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 137.
7 Cf. supra, num. 228.
8 Cf. *De Gen. ad litt.*, III, c. 10 (PL 34, 284sq.).
9 Cf. Aristot., *De generat. animal.*, V, c. 4 (III, 423).

virtutis et maioris [a] in esse? Dicendum quod in Deo idem est potentia quod essentia et quod voluntas, et quod voluntas [b] est causa propinqua et coniuncta effectui; propter quod divina potentia, cum agit, non agit ex necessitate [c], sed potius elective [1], immo, quod plus est, suum velle est efficere. Propter quod, licet semper indifferenti agat potentia et infinita, secundum congruentiam sui beneplaciti moderate et distincte producuntur effectus in esse.

2. Ad argumentum Magistri, in *Sententiis*, dicendum quod bene tenet et est argumentum a simili, quia utrobique, scilicet in formatione alicuius de nihilo [d] et in formatione corporis Adae de limo et mulieris de costa [e], est actus infinitae potentiae et creatio, communi modo [f] sumpta creatione, licet unum opus sit magis [g] mirabile alio, ut dictum est [2].

4. Ad hoc quod obicitur de auctoritate Philosophi, scilicet quod 'potentia est principium transmutationis in aliud' etc.: dicendum [h] quod Philosophus determinat virtutem potentiae creaturae [i] quae non potest aliquid agere nisi in materia sive natura subiecta: unde actioni naturae sive potentiae creaturae [k] agenti semper subest aliqua materia. Non sic est de potentia increata, cuius virtus in agendo non est determinata sive distincta circa materiam sive [l] in materia, immo ex nihilo facit quod competit sicut ex aliquo.

CAPUT III. 433

UTRUM MODUS EDUCENDI CORPUS PRIMI HOMINIS PERTINEAT AD PERFECTIONEM UNIVERSI.

Sequitur inquirere utrum modus educendi corpus primi hominis, scilicet [a] formando illud de limo, pertinet ad perfectionem universi.

Quod [b] sic, videtur: *a.* Gen. 2,2: *Igitur perfecti sunt caeli et terra et omnis ornatus eorum.* Haec est autem conclusio quae infertur ex eis quae educta sunt in esse in [c] operibus sex dierum, cuiusmodi fuerunt conditio, distinctio, ornatus [3], et [d] ad haec pertinebat eductio corporis humani de limo, sicut in sexta die determinatur [4]. Patet ergo quod non fuit completio universi sine hac eductione.

b. Praeterea, Anselmus, II [e] *Cur Deus homo* [5]: « Quoddam est corpus humanum eductum in esse de viro et non de femina, cuiusmodi [f] fuit corpus Evae; aliud ergo respondere debuit per oppositum, scilicet quod esset eductum de femina et non de [g] viro: et hoc fuit corpus Christi; tertium fuit de viro et [h] femina, ut corpus Abel; ergo per oppositum respondere debuit quarta corporis differentia, scilicet quod neque de viro neque de femina: et hoc fuit corpus Adae de limo, aliter esset diminutio et defectus ». Et haec ratio confirmatur per illud XI *De civitate Dei*, cap. 18 [6], ubi dicitur quod [i] antitheta, id est oppositiones, valent ad ordinem universi; ubi notatur ordo unius contra unum, quod hic reperitur.

c. Item, non esset completum universum sine modo dispositionis et modo ornatus; ex quo patet quod modus dispositionis et ornatus [k] requiritur ad perfectionem universi. A simili videtur de modo conditionis; igitur, cum corpus primi hominis erat de nobilibus partibus universi, modus educendi illud in esse erat de completione universi.

d. Item, illa proprie sunt de perfectione universi quae habent similitudinem aliquam, scilicet vestigii vel imaginis, cum eo qui est complementum et [l] perfectio omnium, scilicet Deo; talis fuit eductio praedicta, in qua erat unitas, veritas et [m] bonitas; ergo etc.

e. Si autem diceretur quod, licet aliquo modo haberet similitudinem vestigii, tamen quia statim transiit, non est de complemento universi – contra: Transitus rei temporalis non impedit quin res transiens sit de pulcritudine universi. Unde Augustinus, in [n] libro *De natura boni* [7]: « Fit decedentibus et succedentibus rebus temporalis quaedam in suo genere pulcritudo, ut nec ipsa quae moriuntur vel desinunt [o] esse quod erant, turpent aut [p] turbent modum, speciem et ordinem universae [q] creaturae, sicut sermo bene compositus pulcher est, quamvis in eo syllabae atque omnes soni nascendo, moriendo transeant ». A simili videtur quod, licet res transeant sive

---

[a] F add. *virtutis.* [b] L om. *e. q. v.*, quod Z exp. [c] V om. *e. n.*; S om. *non agit.* [d] STRZ *aliquo*, quod L corr. [e] F om. *m. d. c.*; SLZ om. *et.* [f] Z *omnimoda* pro *c. m.* [g] Ita V, alii *maius*; L om. *est*; F *altero* pro *alio.* [h] V add. *quidem.* [i] STRZ *create*; S add. *et.* [k] Ita VF, alii *create.* [l] F *vel.*

[a] Ita VF, alii om. [b] V *et.* [c] Z om. [d] S om. [e] V *in libro.* [f] TR *eiusmodi*; V om. *non.* [g] F *sine* pro *e. n. d.* [h] L add. interl. *de.* [i] V *quomodo.* [k] T om. *ex... ornatus.* [l] Z *vel.* [m] F om. [n] RLZ om. [o] F *deficiunt.* [p] F *ac.* [q] V *universi.*

1 Cf. supra, num. 18 et p. 503, *ad 3.*
2 Cf. supra, p. 520a.
3 Cf. supra, num. 257, 305, III et 306, I.
4 Cf. supra, num. 298.
5 Cap. 8 (PL 158, 406).
6 PL 41, 332.
7 Cap. 8 (PL 42, 554).

transcurrant [a], bene sunt de completione universi; ergo etc.

Contra: 1. Ut habetur [b] a Philosopho [1], natura est causa totius ordinationis; quae ergo fiunt contra naturam sive contra cursum naturae, ordinatione totius carent, id est non sunt ordinata in toto sive in [c] universo; quae autem ordine carent in universo, magis ipsum dedecorant [d] quam compleant vel perficiant; sed eductio corporis primi hominis fuit contra cursum naturae; ergo etc.

2. Item, nihil quod non est aliquo modo de universo sive in universo, est de complentibus universum vel ad completionem universi; modus autem quo educebatur [e] corpus illud in esse, id est formatio de limo, non est aliquo modo de universo, quia nullo modo est; ergo etc. — Si autem diceretur quod hoc quod [f] non est sive transiit, non impedit quin sit de completione universi, sicut videtur ex obiectis ad aliam [g] partem [2] – contra: Malum, eo quod necessario substantificatur in bono [3], non tantum distat ab illis quae simpliciter sunt, quantum [h] illud quod simpliciter non est; sed malum non confert ad completionem universi [4], ut habetur a Dionysio; ergo nec illud quod simpliciter non est. Dicit enim Dionysius, *De divinis nominibus*, 5 cap. [i] [5]: « Inconveniens est [k] quod malum conferat ad completionem omnis et toti [l] non imperfectum esse per se ipsum largiatur ».

3. Item, magis videntur esse de perfectione universi nobilissimae creaturae, cuiusmodi est anima hominis, quam eductio corporis humani in esse, quia nobilior est anima humana quam corpus humanum, et corpus humanum [m] quam sua eductio in esse; igitur, si non existente anima humana esset completum universum — quod videtur haberi ab Augustino; dicit enim [n], in libro *De libero arbitrio*, III [6]: « Si deessent animae, sive peccarent sive non peccarent, nihil universitatis ordini minueretur [o] » — multo fortius si non esset vel fuisset exitus corporis humani in esse. Igitur eductio huiusmodi non est de completione universi.

[Solutio]: Ad horum evidentiam intelligendum est quod universum universalitatem [p] dicit et quod continentia eius non arctatur ad universalitatem [q] subiectorum, sed coimportat temporis generalitatem: continet enim omnia quae nunc [a] sunt et omnia quae aliquo tempore fuerunt [7]. Unde ad completionem universi non sufficiunt quae nunc sunt tantum, sed requiruntur quae a mundi exordio extiterunt, id est a primo exitu rerum in esse. Quae autem a primo exitu rerum in esse extiterunt sunt sub duabus differentiis, quarum quaedam ad productionem generum rerum pertinent, quaedam ad ipsa genera producta. Quae ad genera rerum producta spectant, principaliter sunt tria, penes quae exprimitur vestigium Conditoris [b] omnium, scilicet essentia sive substantia, virtus et operatio [c]: essentia Patrem repraesentat, virtus Filium, operatio Spiritum Sanctum [8]. Operatio autem a [d] virtute educitur, virtus vero in essentia radicatur. De completione ergo universi sunt haec: eductio generum rerum in esse, substantia, virtus et operatio eductorum. Nec dico haec cum praecisione esse de completione hac, sed simpliciter haec esse necessaria: non enim posset compleri universum nisi genera rerum, quae sunt eius partes, producerentur [e] in esse; nec perpetuarentur partes in esse nisi data esset eis [f] virtus multiplicandi se sive suam speciem in sibi similibus, secundum quod determinatum est a Philosopho [9]. Dicit enim [g] quod simul cum individuo collata est virtus multiplicandi se ipsum in suo simili, ut salvetur illud divinum appetibile: sic enim Deus complevit omnia, continuam faciens generationem. Adhuc autem requiritur egressio operationis a virtute. De qua Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [10]: « Potest intelligi Deum requievisse a condendis generibus creaturae, quia ultra iam non condidit alia genera nova; deinceps autem *usque nunc* et ultra *operatur* [11] eorumdem generum administrationem ». Dicitur autem Deus operari, cum operatur virtus data [h] creaturae, quia in omni operatione creaturae Deus intime operatur. Concedi ergo potest quod eductio corporis primi hominis pertinet ad completionem universi. Haec autem eductio sive modus educendi differens fuit ab aliis secundum speciem, ut ex [i] dictis patet.

Praeterea, non fuit eductio rei tantum singularis, immo quodam modo generalis, eo quod in ipso corpore completo sua perfectione, scilicet

---

[a] SLZ *transcurrent*, quod R corr.; V *unde* pro *bene*. [b] F *dicitur*. [c] SRL om. [d] L *decorant*. [e] R *ducebatur*. [f] T om. [g] L *aliquem*; Z *de* pro *ex*. [h] Ita F, alii add. *ad*. [i] V add. *quod*. [k] STL om.; R om. *i. e.*; Z om. *est quod*. [l] R *totius*. [m] L om. *e. c. h.* [n] Z om. [o] V *diminueretur*. [p] Ita FZ, alii *universitatem*. [q] V *universitatem*.

[a] V *non*. [b] V om. [c] ST *comparatio*, item infra. [d] V om. [e] Ita VF, alii *perducerentur*. [f] Z om. [g] V om. [h] L om. [i] F add. *iam*.

1 *Phys.*, II, c. 1 (II, 260).
2 Cf. supra, sub litt. *e*.
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 125.
4 Cf. supra, num. 92.
5 Cf. c. 4, § 19 (PG 3, 718, PL 122, 1139).
6 Cap. 11, n. 32 (PL 32, 1287).
7 Cf. supra, num. 97.
8 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 179b.
9 Cf. *De anima*, II, c. 4 (III, 448).
10 Lib. VIII, c. 12, n. 22 (PL 34, 304), ubi et sequentia ad sensum.
11 Ioan. 5, 17.

anima rationali, erat[a] seminaliter totum genus humanum: unde ratione qua modus educendi differebat ab aliis secundum speciem et ratione qua educebatur res non omnino singularis, sed quodam modo universalis, non immerito debet dici esse de completione universi.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod primo obicitur in contrarium, dicendum[1] quod non dicitur esse contra naturam quod ab auctore naturae efficitur in conditione naturae, ut in conditione generum rerum, quibus inseruit legem secundum quam debebat esse cursus naturae in productione consimilium: in illa enim conditione naturam condidit et esse rerum naturale et legem propagationis naturalis. Ut enim dicit Augustinus, *Contra Faustum*[2], « hoc erit unicuique rei naturale quod ille fecerit a quo est omnis modus, numerus et ordo naturae ». Tamen potest dici hanc eductionem fuisse supra naturam, non contra. — Si contra hoc obiciatur per illud Augustini dicentis ibi, *Contra Faustum*[3]: « Non incongrue dicetur aliquis[b] facere contra naturam, qui facit contra id quod novimus in natura; hoc appellamus cognitum nobis cursum, solitumque naturae » – ad hoc patet responsio, quia quando erat illa eductio, nondum fuit cognitus neque solitus cursus naturae producendi corpus hominis secundum modum qui fuit ipsi naturae insertus. Aliter tamen intelligitur verbum Augustini secundum quod illud dicitur esse contra naturam quod est destructivum naturae sive cursus naturae in operando, sicut faciunt abusores[c] naturarum et earum[d] cursus pervertentes.

2. Ad illud quod sequitur patet responsio ex dictis[e], quia continentia universi non extendit se solum ad illa quae sunt, sed ad omnia quae aliquando fuerunt et ita ad ea quae modo non sunt, sicut patet ex auctoritate Augustini supra dicta, *De libero arbitrio*[4]. — Ad hoc quod obicitur de verbo Dionysii dicentis quod « inconveniens est ponere quod malum[f] conferat ad completionem omnis » etc.: dicendum[5] quod loquitur Dionysius de malo culpae, quod potest considerari multipliciter, scilicet ut est malum, hoc est privatio boni, scilicet modi, speciei et ordinis; item, ut est culpa, id est prout suum perpetratorem foedat et culpabilem et reum reddit. Et neutro istorum[g] modorum sumptum est ad completionem universi. Unde Augustinus[6]: « Non ipsa peccata vel[h] ipsa miseria sunt perfectioni[i] universitatis necessaria ». Item, potest considerari ut ex[k] eo elicitur bonum. Unde Augustinus, XI *De civitate Dei*[7]: « Neque Deus ullum, non dico angelorum, sed vel hominum[l] crearet, quem malum futurum esse praescisset, nisi pariter nosceret[m] quibus eos bonorum usibus commodaret atque ita ordinem saeculorum tamquam pulcherrimum carmen etiam ex[n] quibusdam quasi antithetis honestaret ». Item, potest considerari in quantum ordinatur[o] ad poenam. Unde Augustinus, XI *De civitate Dei*[8]: « Sicut Deus naturarum bonarum optimus creator est, ita et[p] malarum voluntatum iustissimus ordinator, ut, cum[q] illae male utuntur naturis bonis, ipse bene utatur etiam voluntatibus malis ». Item, potest considerari in quantum bonum ei oppositum et comparatum magis apparet bonum. Hoc ostendit Augustinus[r], *De civitate Dei*[9], exemplo tali: « Sicut pictura cum colore nigro in suo loco posito[s] congruit, ita universitas rerum cum peccatoribus pulcra est ». Secundum istos modos tres occasionaliter est de completione universi. — Ad hoc igitur quod obicitur quod 'malum[t] non tantum distat' etc.: dicendum quod distantia mali ab esse non impedit quin sit de completione universi, sed quod est privatio modi, speciei et ordinis, quae sunt de completione et pulcritudine universi, et deturpatio illius cuius est ut subiecti. Unde sicut quod partem deturpat, totum deturpat, sic quod a parte alicuius perfectionem tollit, ipsi toti subtrahit aliquid perfectionis. Quia ergo peccatum partem universi reddit imperfectam[u], habet Dionysius pro inconvenienti quod « non imperfectum esse largiatur toti ».

3. Ad illud quod ultimo obicitur, quod scilicet 'completum esset[v] universum si deessent animae' etc.: dicendum quod ad completionem universi duo requiruntur[x], scilicet partes, et maxime principales, quae requiruntur ad integritatem universi, et ordo earumdem in eodem. Si igitur animae, quae sunt partes principales universi, deessent, constat quod deficeret aliquid de integritate completionis, similiter quantum ad completionem ordinis. Tamen, si aliquae animae deficerent, et non omnes, nihil deficeret ordini universitatis,

---

[a] T om. [b] Ita F, alii *aliquid*. [c] Ita VFL (corr.), alii *illusores*. [d] SRL *eorum*. [e] Z *predictis*. [f] V add. *fiat*. [g] F *illorum*. [h] V *sed et*. [i] Z *ad perfectionem*. [k] V om.; F om. *unde*. [l] V *hominem*. [m] Ita VF, alii *nosset*. [n] F *a*; V om. *etiam*. [o] R om. [p] Ita F, alii om. [q] L om. [r] T add. *libro*. [s] Codd. *posita*. [t] T *malis*. [u] V *imperfectiorem*. [v] Ita VF, alii *esse*. [x] F *exiguntur*.

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 152 et supra, num. 230.
2 Lib. XXVI, c. 3 (PL 42, 480).
3 Loc. cit., (PL 42, 481).
4 Cf. supra, p. 522, nota 6.
5 Cf. supra, num. 82 et 92.
6 *De lib. arbit.*, III, c. 9, n. 26 (PL 32, 1284).
7 Cap. 18 (PL 41, 332).
8 Cap. 17 (PL 41, 332).
9 Lib. XI, c. 23, n. 1 (PL 41, 336).

licet [a] fortasse aliquid deficeret integritati; ordo enim non attenditur in numero vel in multitudine quacumque, sed in differentia eorum quae numerantur: propter quod idem potest esse ordo paucorum et multorum, dummodo sint eaedem differentiae paucorum quae sunt multorum. Intentio ergo Augustini videtur esse quod, si quaedam animae deessent, nihil minueretur ordini universitatis, non [b] autem quod nihil minueretur integritati; hoc autem videntur sonare verba sua, scilicet haec [1]: « Si deessent, scilicet animae, quae sive peccarent [c] sive non peccarent, nihil universitatis ordini minueretur, etiam si plurimum [d] deessent [2] », id est in plurium multitudine, vel forte littera est « si plurium deessent », scilicet animae. Nec videtur quod Augustinus intelligat [e] quod nihil minueretur [f] universitati, quia tunc contradiceret sibi ibidem. Dicit enim [3]: « Inferioris officii est ista, quae tantummodo si non esset, non autem si peccaret, aliquid minus haberet universitas [g] ». Item, ut videtur ex serie litterae, loquitur ibi Augustinus de ordine officiorum. Quaedam enim sunt officia angelorum, quaedam sunt [h] animarum sive hominum; officia autem hominum omnia continentur et comprehenduntur in officiis angelorum. Unde videtur Augustinus dicere quod, si animae deessent, nihil deperiret ordini universitatis, scilicet quantum ad ordinem officiorum, quia angeli habent exercere omnia officia [i], scilicet in genere, ut hominum sunt; unde quod supra dictum est, intelligit [k] de ordine in officiis, ut habetur [l] ex littera.

QUAESTIO III.

DE CAUSA MATERIALI CORPORIS ADAE.

TITULUS I.

DE CORPORE ADAE QUOAD COMPOSITIONEM EX ELEMENTIS.

Sequitur consideratio de causa materiali, de qua duo quaeruntur:
Primum, quoad [m] compositionem illius ex elementis;
secundum, quoad aequalitatem elementorum in composito.

De primo duo quaeruntur:

Primum, si corpus illud fuit sive debuit esse ex quatuor elementis vel non;

secundum, supposito quod ex quatuor elementis, cur denominatur ab uno, scilicet terra.

434 CAPUT I.

UTRUM CORPUS ADAE DEBUIT ESSE EX QUATUOR ELEMENTIS [4].

Quaeritur ergo primo utrum corpus primi hominis debuit esse ex quatuor elementis.

Quod sic [n], **videtur**: *a.* Anima enim unitur corpori ut perficiatur in illo quoad actum vel usum cognitivae sive cognitionis et hoc mediantibus sensibus corporalibus; sed sensus apprehendit per simile; cum ergo sensus omnia corpora et corporalia apprehendat, necesse est quod habeat convenientiam cum omnibus corporalibus; sed hoc non posset fieri nisi compositum esset [o] ex quatuor elementis. Et voco sensum corporalem non solummodo ipsam virtutem sensitivam, sed ipsum organum cum virtute qua [p] perficitur [5].

b. Item, quanto forma nobilior, tanto plurium operationum differentium specie est [q] principium; sed anima rationalis est formarum nobilissima; ergo est principium plurium operationum; sed

[a] S om. [b] V *nunc.* [c] V add. *primo carent.* [d] V *passi.* [e] V *intelligeret.* [f] V *diminueretur.* [g] L *universitatis;* S om. *aliquid;* R om. *ut.* [h] F om. [i] R om. *o. o.* [k] R *intelligitur.* [l] F *videtur.* [m] V *ergo ad.* [n] V *si.* [o] T *est.* [p] L *quia.* [q] Z *dicitur* pro *s. e.*

[1] Cf. supra, p. 522, nota 6.
[2] Textus Augustini habet: *etiam sic plurimum deesset.*
[3] *De lib. arbit.*, III, c. 11, n. 33 (PL 32, 1287).
[4] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 15, a. 1, qq. 2 et 3 et d. 17, a. 2, q. 2 (II, 377sqq. et 420sqq.).
[5] Cf. supra, num. 354-357.

operationum huiusmodi usum exercet mediantibus organis propriis [a]; ergo, cum organum proprium ei respondeat in convenienti proportione, necesse est ipsum esse ex multis naturis compositum; illae autem naturae sunt elementa; ergo etc.

c. Item, corpora secundum quod progrediuntur in esse in maiori difformitate sive distantia ab imperfectissimo corpore, scilicet prima materia, nobiliora sunt et perfectiora, sicut mixta quam elementa; si ergo corpus primi hominis in genere corporum erat [b] nobilissimum, maxime debuit distare per difformitatem a prima materia; ergo debuit esse maxime mixtum.

d. Item, sicut dicit Algazel [1]: « Cum commixtio elementorum fuerit pulcrioris et perfectioris aequalitatis » etc., ut supra; sed corpus primi hominis fuit aptum ad susceptionem animae rationalis; ergo in ipso fuit commixtio elementorum.

Contra: 1. Anima est substantia simplex; cum ergo omnis unio sit secundum similitudinem, videtur quod debuit illud corpus cui unitur, esse simplex et ita non [c] ex elementis.

2. Praeterea, anima unitur corpori sicut motor [d] et forma; sed corpus simplex magis est habile ad motum quam compositum; ergo magis ei aptari debuit per unionem prout ipsa anima est motor; similiter prout est forma, cum utrobique simplicitas esset symbolum, sicut tactum est supra [2].

3. Item, Augustinus, *De anima et spiritu* [3]: « Sicut Deus est capabilis et participabilis omnibus, sic anima omnium capax est »; haec autem capacitas est omnium per acceptionem similitudinum mediante ipsa cognitiva; ergo, si necessarium est acceptioni [e] sive comprehensioni animae corpus sibi multum [f] conveniens in similitudine et [g] conformitate, prout possibile est [h], prima autem materia inter corpora maximae erat capacitatis, quia erat capax omnium formarum sensibilium [4], videtur quod debuit corpus huiusmodi, prout possibile [i] est simile esse suae perfectioni in capacitate, fieri ex prima materia.

4. Praeterea, elementa singula aptiora sunt et habiliora ad susceptionem plurium formarum quam mixtum aliquod: secundum enim quod corpora [k] elongantur a capacitate primae materiae per susceptionem formarum ultimarum, minus habilia sunt ad susceptionem diversarum formarum; unde elementa habiliora sunt ad susceptionem huiusmodi quam mixta. Si ergo convenit animae quod uniatur corpori organizato, cuius organa maxime debent esse susceptibilia specierum sensibilium — species enim sive idolum rei sensibilis relinquitur in organo in comprehensione rei sensibilis a sensu [5] — magis convenit quod corpus huiusmodi fiat ex uno elemento quam quod sit mixtum ex omnibus: si enim fieret ex uno elemento, propter convenientiam eius cum illo elemento organa sensuum habiliora essent ad specierum diversarum sensibilium susceptionem quam si esset mixtum ex omnibus.

5. Item, cum corpus primi hominis erat in genere corporum nobilissimum, videtur quod debebat fieri ex aliquo corpore vel corporibus nobilissimis, cuiusmodi sunt corpora caelorum et corpora caelestia; ergo etc.

Respondeo, ut habetur in libro *De fonte vitae* [6]: Corpus hominum inter omnia corpora compositissimum est. Et ratio huius est [l], sicut scribitur in libro *Fontis vitae* [7]: Quanto substantia aliqua magis est immunis a materia, tanto plurium operationum est effectiva; anima igitur intellectiva, cum maxime sit immunis a materia eo quod non dependet ex ea secundum essentiam, et cum similiter multarum sit operativa [m] operationum, et ideo, cum has operationes de se habere non possit nisi prout utitur organis, oportuit ipsum corpus, per quod eas [n] exercet, esse heterogeneum et maxime compositum.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo in contrarium dicendum [8] quod, licet anima sit simplex propter carentiam dimensionis quantitativae sive molis [o], multiplex est nihilominus multiplicitate potentiarum sive virtutum operativarum. Attendenda est ergo convenientia corporis et animae in hoc quod utrumque est multiplex: ista multiplicitate [p] potentiarum, illud multiplicitate [q] naturarum et partium organicarum [r]; unde multiplicitas potentiarum attestatur multiplicitati operationum, et quod tale est habilius est ad merendum et per consequens ad glorificandum. Nec debet attendi convenientia in simplicitate, cum simplicitatis [s] corporis et animae convenientia nulla est nisi secundum nomen: huius enim est per carentiam dimensionis quantitativae sive molis, illius per carentiam commixtionis [t].

2. Per hoc patet responsio ad sequens, quia, etsi habilius esset ad motum corpus simplex, non tamen ita conveniens ad eliciendas [u] multas operationes. — Ad aliud dicendum quod angelus,

---

[a] R om. [b] SRLZ *erit.* [c] T add. *est.* [d] V *motori.* [e] V *acceptionis,* LZ *acceptionem.* [f] V *unitum.* [g] V om. [h] R *in.* [i] V *passibile;* F *esset* pro *esse.* [k] L (corr. mg.) *forma.* [l] T om. [m] R om. [n] Z *ea.* [o] V *mobilis.* [p] Ita VF, alii *multitudine.* [q] Ita F, alii *multitudine.* [r] F *organizatarum.* [s] Ita F (corr.), alii *simplicitas.* [t] Z *illius.* [u] STRLZ *aliiciendas.*

1 *Philosophia,* II, tr. 4, c. 5; cf. supra, p. 513, nota 1.
2 Cf. supra, num. 331.
3 Cap. 6 (PL 40, 783).
4 Cf. Aristot., *Metaph.,* VII, c. 6 (II, 563); Augustin., *De natura boni,* c. 18 (PL 42, 556).
5 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 8 (III, 470).
6 Avencebrol, V, 42 (ed. Baeumker, p. 333).
7 Cf. loc. cit., 15 (p. 285).
8 Cf. supra, num. 349-353.

cum sit motor tantum, aptat sibi corpus habile ad motum, anima autem, cum sit forma, aptat sibi habile ad cognitionem: nam [a] nec angelus intendit ut in corpore perficiatur nec anima nisi mediantibus sensibus perfectionem cognitionis assequitur.

3-4. Ad duo quae sequuntur dicendum quod alius generis et modi est capacitas corporalium formarum in materia susceptibili et alius generis et modi est [b] susceptibilitas specierum sensibilium sive idolorum in organo sensitivae, nec una disponit ad aliam, sed potius ad contrarium. Multiplicitas enim [c] operationum, quas exercet anima in corpore, requirit multiplicitatem organorum et ita multiplicitatem naturarum et harmoniarum. Unde multiplex susceptibilitas [d] specierum sensibilium multiplicitati naturarum attestatur; e contra habilitas ad capacitatem multarum formarum attestatur simplicitati naturarum sive naturae: unde elementum habilius est [e] ad capacitatem plurium formarum quam mixtum [f]. Unde rationes propositae magis sunt contra propositum quam pro.

5. Ad ultimum dicendum quod Conditor generum rerum in operibus sex dierum res et naturas rerum legibus certis et immutabilibus distinxit, in illa autem distinctione instituit quid ex quo vel ex quibus debuit esse immutabiliter et ex quibus [g] nihil. Unde Augustinus, *Super Genesim*, IX [1]: « Elementa mundi huius corporei habent definitam vim qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non [h] possit ». Unde quaedam condita erant in possibilitate ad formas diversas, ut illa quorum materiei appetitui non fuit satisfactum per formae impressionem, qualia fuerunt elementa et [i] elementata quaedam; quaedam [k] condidit in immutabilitate et in [l] impossibilitate ad formas diversas, cuiusmodi sunt corpora supercaelestia et caelorum, quorum materiei appetitui satisfactum fuit per propriarum formarum impressionem. Haec instituit Dominus certa lege et immutabili, provida et ordinatissima voluntate, contra quae ire non deceret [m]. Augustinus, *Super Genesim*, VI libro [2]: « Tam non facit Deus [n] contra causam, quam volens praestituit [o], quam contra voluntatem suam non facit ». Fecisse ergo corpus humanum ex materia caelesti esset contra legem et naturam rebus a sua causa Deo praestitutam [p] [3]. Non enim indidit [q] Deus ipsis caelestibus ut rei alicuius corruptibilis essent materia; propter quod nec ex [r] illis debuit aliquod corruptibile componere. Dicit enim Augustinus, *Super Genesim*, IX [4]: « Potestas Creatoris habet apud se posse de iis omnibus facere aliud quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id quod non in eis posuit ut de iis fieri vel ab ipso possit. Neque enim potentia temeraria, sed sapiente [s] virtute omnipotens est, et hoc de [t] unaquaque re in tempore suo facit, quod [u] antea in ea [v] fecit ut possit ». Quare autem convenit ut ex luto fieret [x], infra dicetur [5]. — Ad illud ergo quod [y] obicitur, quod 'corpus primi hominis erat nobilissimum' etc.: dicendum quod, etsi nobilissimum esset in quantum erat perfectibile ab anima rationali et consequenter ordinatum ad serviendum Deo et beatificandum, tamen corruptibile fuit, corpora autem caelestia incorruptibilia et sic quodam modo digniora, contra divinam dispositionem esset si ex incorruptibili fieret corruptibile.

435

CAPUT II.

QUARE CORPUS ADAE DICITUR FACTUM DE TERRA.

Deinde [a] quaeritur, ex quo corpus Adae factum [b] fuit ex quatuor elementis, quare dicitur factum de terra, Eccli. 18, 1: *Deus creavit de terra hominem.*

Et obicitur sic: 1. Quod pluribus est commune, non est uni attribuendum; sed commune erat quatuor elementis ut ex illis fieret corpus Adae; ergo non [c] debuit terrae attribui.

2. Praeterea, cum terra maxime sit passibilis [d], secundum Augustinum [6], et corpus Adae in statu illo minime passibile, videtur quod non debuit dici ipsum factum ex terra.

3. Praeterea, cum homo [e] dignissima creaturarum sit et [f] aliarum bestiarum corpora de terra facta sint, videtur quod similiter [g] corpus hominis deberet fieri de digniori materia: sexto enim die dicitur Deus fecisse bestias de terra, Gen. 1, 25.

---

[a] L *anima.* [b] V *cum*, T *autem.* [c] L *omni.* [d] Ita FL (corr.) Z (corr.), alii *multiplicitas* pro *m. s.* [e] L om. [f] V *materia.* [g] Ita VF, alii *quo.* [h] TL om. [i] S (corr.) *per.* [k] VL om. [l] VTL om. [m] V *decet.* [n] R om.; T om. *tam.* [o] V *prestatuit.* [p] V *institutam.* [q] V *indit.* [r] T om. [s] Ita F, alii *sapientie.* [t] Ita F, alii om. [u] L *ex.* [v] R om. *i. e.*; Z *non* pro *i. e.*; V *quam* pro *a. i. e.* [x] L om. [y] Ita VF, alii *quod ergo* pro *i. e. q.*

[a] F *secundo.* [b] L *ad effectum* pro *A. f.* [c] T om. [d] V *passibilitatis.* [e] Z *non.* [f] V om. [g] Ita VF, alii om.

1 Cap. 17, n. 32 (PL 34, 406).
2 Cap. 18, n. 29 (PL 34, 351).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, a. 2, q. 1 (II, 419sq.).
4 Cap. 17, n. 32 (PL 34, 406).
5 Cf. infra, num. 435.
6 Cf. *De Gen. ad litt.*, I, c. 15, n. 20 (PL 34, 257).

4. Item, dicit Augustinus, *Super Genesim*, VII [a] [1]: « Limus est terra humida ». Idem [b], *Contra Manichaeum* [2]: « Limus est aquae et terrae commixtio ». Potest igitur quaeri quare magis dicitur formari ex materiali continente haec duo elementa quam ex continente alia duo.

5. Item [c], quare dicitur quandoque materia corporis Adae terra, quandoque limus, quandoque pulvis?

Contra: *a.* Denominatio sequitur naturam praedominantis [3]; cum ergo in corporibus humanis praedominetur terra, debet dici potius de terra quam de aliquo alio elemento: secundum enim Philosophum [4], corpora constantia maxime solido terreno participant [d].

Respondeo [e]: Quatuor sunt causae quare corpus humanum dicitur esse factum de terra: prima est Philosophi, secunda Augustini, tertia Bernardi, quarta Basilii. Nam, secundum Philosophum [5], plus est de terra in compositione mixti, quia minus habet de specie et magis de materia. Quod patet per hoc quod motus sequitur naturam praedominantis secundum quantitatem [6], et ideo dicitur potius factum de terra. Secunda ratio est secundum Augustinum [7], scilicet [f] haec: Duo sunt elementa habilia ad patiendum, humor et humus [g], duo ad agendum, ignis et aer; et quia fieri ex hoc dicit rationem passibilis et terra inter alia passibilior est [h], ideo potius dicitur fieri de terra. Tertia ratio [i]: Quia terra est vilissimum elementum, ideo ad humiliationem et cohibitionem elationis dicitur factus de terra limosa, quae est vilissima, vel *de pulvere* [k], secundum aliam litteram [8]. Unde Bernardus, *Ad Eugenium* [9]: « Cogitans te summum pontificem, cogita vilissimum pulverem; unde non sine mysterio [l] hae duae differentiae 'rationale, mortale' positae sunt in definitione hominis, ut, si elevetur [m] ex uno, deprimatur ex altero ». Item, Gregorius Nazianzenus [n] [10], *De primis epiphaniis:* « Homo [o] caelestis est et terrestris, temporalis et immortalis, visibilis et invisibilis, humilis et excelsus, spiritus propter gratiam, caro propter elationem, illud ut intellectum habens gratiae magnificet et collaudet Auctorem, hoc ne magnitudine muneris elatus lapsum ruinae excelsioris incurrat ». Quarta ratio: Quia in terra reperiuntur omnia alia elementa, secundum Basilium, in [p] *Hexaëmeron*, I [11], dicentem: « Aquam et aerem et ignem terrae cohaerere certissimum est; nam ex ferro et [q] lapide ignis per fricationem [r] solet excuti, quae utique de tellure nascuntur [s]; aquarum quoque naturam venis inesse [t] terrarum fossores indicant puteorum; nihilominus aerem etiam esse permixtum ex eo cognoscere possumus quod, cum fuerit humectata tellus et temperiem solis acceperit, mox vapores exhalat largissimos ».

[**Ad obiecta**]: 1. Ad primum ergo obiectum dicendum quod denominatio erat secundum rationem praedominantis, sicut ex dominio cholerae dicitur aliquis cholericus, non quia non sint in [u] ipso humores alii.

2. Ad secundum patet responsio ex iam dictis. Deberet enim argui ad oppositum: 'quia maxime terra [v] passibilis, ideo de terra factum debuit dici', cum hoc quod dico 'fieri aliquid ex aliquo' passibilitati attestetur. Posset tamen distingui de hoc nomine 'passibile' quod dicere potest vel passionem vel differentiam: sic uno modo passibile, alio modo non. Sed de hoc melius infra [12].

3. Ad tertium dicendum quod, licet homo sit dignissima creaturarum ratione qua est imago Dei, nihilominus habet aliquid commune cum bestiis. Propter quod non est inconveniens si communicet cum eisdem quantum ad ea quae sunt materialia corporum eorum, materialia dico remota, quia, etsi [x] ex eisdem materialibus eorum corpora componantur, tamen non in eadem aequalitate et harmonia existentibus; quanta autem sit aequalitas elementorum et harmonia in commixtione corporis humani, patet ex auctoritate Algazelis supra dicta [13].

4. Ad hoc quod quaeritur 'quare magis debuit formari ex materiali continente terram et aquam quam' etc., patet responsio, quia, ut dictum est [14], fieri dicitur ex aliquo ex parte eius ex quo [y] passibilitati attestatur; humor autem et humus habilia sunt ad patiendum, ut habetur ab Augustino [15]. Item, revera nomine 'limi' non tantum intelliguntur terra et aqua, sed materia quatuor

---

[a] Ita VFL, alii om. [b] V *ideo*, FL *Hieronymus*. [c] T add. *queritur*. [d] VL (corr.) *percipiunt*. [e] F *responsio*. [f] V *sed*. [g] L *huiusmodi*. [h] Ita F, V *passibiliora* pro *p. e.*, alii om. *est*. [i] F add. *est*. [k] F *pulveribus*. [l] V *ratione*, SRZ *ministerio*. [m] TL *elevatur*, R *elevaretur*. [n] VR *Nyzanzenus*. [o] Z add. *et*. [p] L om. [q] STRL add. *ex*. [r] F *confricationem*. [s] V *nascitur*. [t] Z *que esse*. [u] T add. *eo*; Z om. *i. i.* [v] F add. *est*. [x] L (corr.) *vel si*; F om. *ex*. [y] F *qua*.

1 Cap. 11, n. 18 (PL 34, 362).
2 *De Gen. c. Manich.*, II, c. 7, n. 8 (PL 34, 200).
3 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 1 (II, 262).
4 *De generat. et corrupt.*, II, c. 8 (II, 462).
5 Cf. loc. cit.
6 Cf. Aristot., *De animal. generat.*, V, c. 1 (III, 417).
7 *De Gen. ad litt.*, III, c. 10, n. 14 (PL 34, 284 sq.).
8 Scilicet Italam.
9 *De consider.*, II, c. 9, n. 18 (PL 182, 753).
10 Cf. *Oratio 38 in Theophania*, n. 11 (PG 36, 323).
11 Num. 7 (PG 29, 19, PG 30, 877).
12 Cf. infra, *ad 4*.
13 Cf. supra, p. 513, nota 1.
14 Cf. supra, *ad 2*.
15 Cf. supra, nota 7.

elementorum, prout erat ad susceptionem formae corporis humani; sed Augustinus loquitur prout qualitates aquae et terrae magis notabiliter apparent secundum sensum in limo. Item, alia ratio est, ut ex nominatione materialis, ex quo formatur corpus, ostendatur opus vel officium quod exercet anima in corpore. Unde Glossa Augustini[1], super illud: *Formavit Deus hominem de limo,* Gen. 2,7: « Sicut fit limus ex [a] commixtione [b] pulveris et liquoris, sic anima corporis materiam unit nec patitur dissolvi ».

5. Ad hoc quod quaeritur de multiplici nominatione materialis corporis Adae, potest dici quod potest considerari ut est massa quaedam simpliciter nondum in formatione, et sic dicitur terra; vel [c] ut est in formatione [d] corporis, et sic dicitur limus; vel ut est terminus [e] resolutionis ipsius corporis, et sic [f] pulvis. Unde Philosophus[2] ponit tria, in quae [g] alia resolvuntur, et ipsa ulterius in alia non resolvuntur, scilicet pulvis, cinis et arena. Vel potest dici quod limus dicitur, ut est materia in formatione; pulvis, ut est terminus resolutionis; terra, ut est communis ad utrumque. Unde Eccli. 17,1: *Deus creavit de terra hominem* [h] *et secundum imaginem suam fecit illum et convertit illum* [i] *in ipsam,* id est terram; unde Interlinearis[3]: « Terra es et in terram ibis ».

TITULUS II.

DE CORPORE ADAE QUOAD AEQUALITATEM ELEMENTORUM IN COMPOSITO.

Deinde quaeritur si corpus Adae erat ex elementis mixtis secundum aequalitatem. Et quoniam triplex est aequalitas, molis vel ponderis, virtutis et iustitiae, ideo quaeritur:

De aequalitate molis primo;
secundo, de aequalitate virtutis;
tertio, de aequalitate iustitiae.

436

MEMBRUM I.

Utrum elementa secundum aequalitatem molis fuerint in corpore Adae [4].

Circa primum sic proceditur. Quaeritur [k] primo si elementa secundum aequalitatem molis fuerunt in corpore Adae.

Quod non, videtur sic: *a.* Ut supra dictum est[5] et vult Philosophus, denominatio fit a natura praedominante; unde, licet corpus primi hominis formatum fuerit ex quatuor elementis, tamen dicitur formari de terra propter rationem praedominantis; sed non habet terra praedominium virtutis: quod patet, cum sit elementum, minimum [l] habens de specie et minime activum[6]; igitur [m] praedominatur in mole.

b. Item, Augustinus, VII [n] *Super Genesim*[7], assignans differentiam inter creationem animae et corporis plasmationem, dicit: « Quid est, unde anima flatu Dei facta est? Nam quid est aliud limus nisi terra humida? » Ex hoc videtur quod corpus primi hominis fuerit [o] solummodo compositum ex limo, qui est terra et aqua, vel [p] quod dicitur ex iis componi propter praedominium illorum in corpore ipso, et, sive sic sive sic, elementa non sunt in aequalitate molis in ipso.

c. Si diceretur quod haec, scilicet terra et aqua, habent praedominium in virtute, quod tamen non credo esse verum, ex hoc adhuc sequeretur propositum, quia impossibile est haec [q] habere in aliquo praedominium virtutis nisi haberent praedominium molis.

d. Item, si aequalis essent molis aut [r] quantitatis, igitur ibi esset omnimoda intemperantia et improportio virtutis, quia virtus ignis improportionaliter

---

[a] Ita F, TL om., alii *in.* [b] R add. *et.* [c] T *unde.* [d] S om. *et sic... formatione.* [e] S add. *tantum;* R *solutionis* pro *resolutionis;* F om. *est.* [f] Z add. *dicitur.* [g] SL *qua,* quod R corr. [h] S om. [i] Ita VF, alii om. [k] T om. [l] TLZ *nimium.* [m] Ita F, alii add. *quia;* L *actuum* pro *activum.* [n] Ita VF, alii *v.* [o] L *fiunt.* [p] Ita VF, alii om. [q] STLZ *hoc.* [r] F *vel.*

1 Cf. *De Gen. c. Manich.,* II, c. 7 (PL 34, 201).
2 *De plantis,* II, c. 3 (IV, 33).
3 In h. l., ap. Lyran.
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 17, a. 2. q. 3 (II, 424 sqq.).
5 Cf. supra, p. 527, nota 3.
6 Cf. supra, p. 527, nota 5.
7 Cap. 12 (PL 34, 362).

excederet virtutem terrae et ipsam [a], cum sit corpus inflammabile, ut patet in impressionibus elementatis [b], ex vapore terrestri inflammaret et consumeret [c] vel forte aqua ignem destrueret, et ita nullo modo miscerentur.

e. Praeterea, in corpore humano abundant partes grossae respectu subtilium; sed grossae fiunt ex soliditate terrena; ergo per inaequalitatem molis se habent elementa. — Maior manifesta est sensui [d]. Minor patet per Augustinum, *Super Genesim*, VII [e] [1]: « Non est quidem animae humanae natura nec de terra nec de aqua nec de aëre nec de igne quolibet, sed tamen crassioris corporis sui materiam, hoc est humidam quamdam terram, quae in carnis versa est qualitatem, per subtilioris naturam corporis administrat, id est per lucem et aerem »; et parum infra: « Anima, quoniam res est incorporea, corpus, quod incorporeo [f] vicinum est, sicuti ignis vel potius quasi [g] lux et aer, primitus agit, et per haec cetera quae crassiora sunt corporis, sicuti humor et terra, unde carnis [h] substantia solidatur ».

Contra: 1. Omnis mixtio est secundum minima [2]; igitur et mixtio [i] in corpore Adae erat secundum minima; sed minimi [k] ad minimum non potest esse proportio inaequalitatis; ergo etc.

2. Item, quaelibet pars mixti est mixta [3]: unde in singulis partibus mixti est reperire unionem miscibilium. Ex iis potest sic argui: Ubicumque est reperire unum elementum secundum molem, est reperire [l] aliud, et eisdem terminis clauduntur; ergo nullum excedit vel exceditur ab alio; aequalis est ergo extensio omnium secundum molem sive molis dimensionem; ergo sunt ibi in aequalitate molis.

3. Item, ut habetur ab Algazel [4], « cum commixtio [m] elementorum fuerit pulcrioris et perfectioris aequalitatis » etc., tunc est corpus aptum ad susceptionem animae rationalis; sed constat quod corpus Adae fuit aptum ad susceptionem animae rationalis; ergo in illo erat commixtio elementorum in perfectiori aequalitate; sed, ut habetur a Constantino, in *Pantechni* [5], aequalis [n] est commixtio elementorum quae continet aequaliter quantitates et qualitates [o] elementorum; ergo etc.

[Solutio]: Ad horum [p] evidentiam notandum quod duplex est aequalitas complexionis: vel in qua nullius qualitatis est excessus ab optima temperantia, ubi [a] nullum elementum vel qualitative vel quantitative abundat respectu alterius, et haec est magis secundum rationem quam secundum rei et existentiae [b] naturam: ista non fuit in Adam; alia est aequalitas, in qua, licet qualitatis vel qualitatum sit excessus, non tamen ultra metam secundi gradus extenditur, secundum quod dicunt physici [6] quod complexio [c] aequalis dicitur [d] incolumis usque ad secundum gradum, et ista [e] aequalitas non ponit aequalitatem a mole, sed magis a iustitia, et haec fuit in corpore Adae, et tanto melior quanto melius complexionatus. Non tamen intendimus de aequalitate a iustitia hoc modo, hoc [f] est in sensu [g] quo utuntur physici, sed alio modo, ut [h] infra [7] patebit. Concedendum est [i] ergo, sicut ostensum est [8], quod elementa non [k] erant in corpore Adae secundum aequalitatem [l] molis; et dicimus hic [m] molem quantitatem [n] materialem mixtorum. — Quod autem elementa non possunt esse in corpore secundum aequalitatem a mole, haec est ratio: Quaedam sunt elementa magis habentia de materia, alia magis de specie. Quae magis habent de materia, magis comprimuntur [o]; quae magis de specie, magis distenduntur: propter quod non potest esse aequalitas molis, sed necessitate inaequalitas [p]. Ratio alia ad idem est: Si esset aequalis complexio hoc modo, « tunc corpus illius complexionis nec quiesceret nec moveretur; si enim quiesceret in terra, tunc terra vinceret; similiter si quiesceret in aëre, tunc [q] aer vinceret; si autem moveretur ab aëre in ignem, tunc ignis vinceret; si vero moveretur ad terram, tunc esset terra vincens; si autem quiesceret in aëre, tunc aer esset vincens. Convenit igitur ei ut nec quiescat in loco nec moveatur ad locum: quod est impossibile ». Et haec est ratio Algazelis [9].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur contra hoc, dicendum quod pars dicitur minima secundum [r] speciem et secundum materiam. Secundum speciem, illa scilicet [s] in qua salvatur species et in quo minori non potest species sive forma salvari, et hoc modo sumpto 'minimo' non est mixtio secundum minima [t], quia secundum hoc miscibilia [u] essent in mixto secundum suas species et esset compositio, non

---

[a] VF *ita*; V om. *et*. [b] VSTL add. *ut patet*, quod RZ exp. [c] VSZ *consummaret*. [d] Z *ad sensum*. [e] Ita VF, alii *v*; Z om. *non*. [f] VTR *in corpore*, SLZ *incorporee*. [g] F *sicut*. [h] V add. *corpulentia*, quod F exp. [i] T om. *est... mixtio*. [k] Ita FZ, alii *minimum*. [l] F add. *secundum*. [m] F *mixtio*. [n] L *inequalis*. [o] L om. *e. q.* [p] R add. *enim*.
[a] V *ubique*, F *ibique*; Z om. *elementum*. [b] F *existentem*; R om. *et*. [c] Ita VTF, alii *completio*. [d] TF *ducitur*, L *ducitur dicitur*. [e] S *ita*. [f] Ita VF, alii om.; R add. mg. *enim non*. [g] V add. *in*. [h] F *sicut*. [i] S om. [k] STR om., in L est add. interl., in Z add. mg. [l] V *qualitatem*. [m] T *ubi*. [n] V *qualitatem*. [o] Z *deprimuntur*. [p] T *inequalitatis*. [q] Ita F, alii om. [r] Z om. [s] R om. [t] V *minimum*. [u] Z *mutabilia*.

1 Cap. 15 (PL 34, 363), ubi et sequens.
2 Cf. Aristot., *De generat. et corrupt.*, I, c. 10 (II, 452).
3 Cf. Aristot., loc. cit.
4 Cf. supra, p. 513, nota 1.
5 Cf. *Theorica*, c. 5 (ed. Lugdun. 1515, f. 2r).
6 Cf. Avicenna, *Canon.*, I, Fen. 1, doctr. 3, c. 1 (ed. Venet. 1564, p. 11).
7 Cf. infra, num. 440.
8 Cf. supra, sub *a. e.*
9 Cf. *Philosophia*, II, tr. 3, c. 1.

mixtio. Secundum materiam, et hoc dupliciter: uno modo secundum quod quanta est, et hoc modo, quia materia, in quantum est quanta, divisibilis est in infinitum [1], non est reperire in ea minimum secundum actum, sed solum secundum potentiam; alio modo, secundum quod est perfectibilis forma elementari, et sic dicitur minimum illud quo minus non est susceptibile speciei: hoc ultimo modo dicitur quod mixtio fit secundum [a] minima. Praeterea, notandum quod non est possibilis mixtio plurium corporum manentium in suis [b] corporeitatibus [2]; sed [c], sicut solet dici, sicut ex pluribus [d] formis fit una forma media, sic ex pluribus corporeitatibus fit una corporeitas, cuius est locus unus. Unde miscibilia in mixto non sunt distincta secundum locum et situm, quia habent unam formam et unam corporeitatem.

Ad id ergo quod obicitur quod 'minimi ad minimum non est proportio inaequalitatis': dicendum quod non est verum, prout dicitur mixtio fieri secundum minima; sicut enim determinatur a Philosopho [3], ex uno pugillo aquae fiunt decem pugilli aëris. Cuius ratio est quia huius [e] est materia grossior, illius subtilior; unde hoc habet [f] magis de mole, illud minus. Unde minimum materiae elementi, quod habet magis [g] de specie et minus de materia, longe minus est minimo materiae [h] elementi, quod habet magis de materia et minus de specie. Unde patet quod minimum est proportionale [i] minimo proportione inaequalitatis; unde minimum elementi ignis et minimum elementi terrae, prout sunt in mixto, valde sunt inaequalia, sicut illud quo minus non est susceptibile speciei terrae et illud quo minus non est susceptibile speciei ignis, quorum unum est ad aliud in magna distantia et [k] inaequalitate.

Si autem quaeratur quo modo illud minimum, quod est ignis elementi, potest diffundi sive extendi per omnes partes mixti [l] per quas se diffundit et extendit illud minimum, quod est terrae elementi, quod est magnae quantitatis respectu illius: dicendum quod hoc est [m] ratione materiae, quae, ratione qua quanta est, potest extendi et diffundi secundum extensionem corporis longe maioris; sicut patet de gutta vini, si effundatur in vas aquae magnum, respectu illius diffunditur materia illius per totum vas illud secundum quantitatem aquae, cui commiscetur [4], et, ut volunt aliqui [n], aliquid parvae quantitatis possibile est ad [o] diffusionem infinitam ratione quantitatis suae materiae, sicut divisibile [p] est in infinitum ratione qua quantum est [q].

2. Ex iis patet responsio ad illud quod sequitur, quia, licet miscibilia in mixto aequaliter se diffundant et extendant, non ex hoc sequitur quod sint aequalis molis, quia partes materiales eorum elementorum, quae minus habent de specie et magis de materia, magis consertae [r] sunt in mixto et compactae, partes autem [s] materiales elementorum, quae habent plus [t] de specie et minus de materia, minus [u] consertae sunt et magis [v] diffusae.

3. Ad illud Algazel quo videtur dicere quod 'commixtio [x] elementorum in corpore apto ad susceptionem animae rationalis debet esse pulcrioris et perfectioris aequalitatis' etc. [y]: dicendum quod ipse loquitur comparative, scilicet habita comparatione ad corpora brutorum, ut patet per ea quae dicuntur ibidem. Dicit enim ibidem consequenter [5]: « Spermatis necessitas [z] venit in corpus hominis ex cibis, qui sunt subtiliores cibis animalium et cibis vegetabilium, et ex virtutibus et mineriis, quae sunt pulcriores virtutibus et mineriis animalium ». — Ad illud quod dicit Constantinus quod 'aequalis est commixtio elementorum' etc.: dicendum quod illa aequalitas, quam ibi describit, est magis secundum rationem quam secundum rei existentiam, sicut tactum est [6].

---

[a] T add. *quod*. [b] V add. *corporibus*. [c] V *et*. [d] Ita VF, alii *plurimis*. [e] V *homo*. [f] Ita VF, alii *hec habent* pro *h. h.*; STZ *maius*, F *plus* pro *magis*. [g] Ita VF, alii *maius*, item infra. [h] L *modo*. [i] V *improportionale*. [k] VSTR om. *d. e.*, in LZ est add. mg. [l] T *mixtionis*. [m] Z om. [n] T om. [o] Ita F, alii *posse est aliquid per* pro *p. e. a.* [p] Ita F, alii *divisibilis*; STRLZ om. *in*. [q] T om. [r] V *consite*. [s] L (corr.) *secundum*. [t] F *magis*. [u] Ita FRZ, alii *magis*; V *consecte*, F *consite* pro *consertae*. [v] Ita FZ, alii *minus*; V *distincte* pro *diffusae*. [x] Ita VF, alii *mixtio*. [y] F om. [z] Ita VF, alii *necessaria*.

1 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 6 (II, 281 sq.).
2 Cf. Aristot., *De generat. et corrupt.*, I, c. 10 (II, 451 sq.).
3 Cf. loc. cit., II, c. 6 (II, 460).
4 Cf. Aristot., loc. cit. (II, 452).
5 *Philosophia*, II, tr. 4, c. 5.
6 Cf. supra, p. 529, *Solutio*.

MEMBRUM II.

De aequalitate virtutis et potentiae elementorum in corpore Adae.

Sequitur inquirere de aequalitate virtutis et potentiae:

Primo, quantum ad proprias qualitates elementares, quae sunt caliditas [a], frigiditas etc.;

secundo, quantum ad qualitates consequentes, quae sunt gravitas, levitas.

CAPUT I. 437

UTRUM ELEMENTA ERANT AEQUALIA SECUNDUM VIRTUTEM QUALITATUM ELEMENTARIUM IN CORPORE ADAE.

Quaeritur ergo si elementa erant [b] aequalia secundum virtutem qualitatum elementarium in corpore Adae.

Quod sic, videtur: *a.* Complexio aequalis ponit aequalitatem qualitatum elementarium, ut habetur a Constantino [1], aequalitas [c] qualitatum elementarium ponit aequalitatem [d] virtutis; in Adam autem fuit aequalis complexio; ergo etc. Aequalis autem complexio est quae qualitates elementares aequaliter continet in se vel quando cum moderatione [e] ducitur corpus incolume. Constat enim quod [f], cum Adam secundum corpus esset optimae complexionis, complexio eius continebat aequaliter [g] qualitates elementares, non solummodo ducens corpus cum moderatione incolume.

b. Item, effectus proprius in causa propria radicatur [h]; sed longaevitas effectus est aequalis proportionis elementarium qualitatum in corpore; patet igitur, cum Adae fuerit haec longaevitas, poterat enim diu vivere et sine dissolutione, quia, elementares qualitates in ipso fuerunt secundum aequalitatem virtutis [i]. Si enim mixtum propter inaequalitatem dissolvitur, videtur quod [k] illud quod non est dissolubile aequalitatem habuit in proportione virtutis; cum [l] enim omnia corpora ex quatuor elementis constituantur, non est ex mixtis diuturnitas, sed ex proportione mixtorum.

c. Item, ubi in corpore alicuius est inaequalitas [m] virtutis elementarium qualitatum, virtus excellens in potentia, inferens aliis violentiam, frequenti actione abicit a substantia illarum; quod autem est tale, causam suae corruptionis habet in se. Sed dicit Hugo [2] quod « in corpore primi hominis ante peccatum corruptio et infirmitas nulla fuit »; ergo in illo non erat inaequalitas virtutum huiusmodi.

Contra: 1. Si proportio qualitatum elementarium in corpore Adae causa erat continuationis vitae, poterat [n] igitur sine cibo esse immortalis et continuare vitam; ad quid igitur lignorum fructus in paradiso iussus est edere [o]?

2. Item, elementa, quae minus habent de mole, magis abundant virtute, et quae magis, minus: unde quantitas virtutis non respondet [p] quantitati molis et e converso, ita quod maior minori et minor maiori, et hoc necessario et infallibiliter; ex quo igitur nullo modo in mixto potest esse aequalitas mixtorum in mole, videtur similiter quod [q] nullo modo potest esse aequalitas in virtute.

3. Item, elementa, quae abundant in levitate, abundant in virtute respectu illorum [r] quae abundant in [s] gravitate: unde levitas attestatur abundantiae virtutis, gravitas diminutioni; si ergo levitas quorumdam elementorum et gravitas aliorum nunquam in aequalitate corporis conveniunt — quod patet per hoc quod gravitas abundat in corporibus animalium respectu levitatis — igitur nec virtutes elementorum similiter [t], et ita, cum gravitas in corpore Adae abundabat respectu levitatis, et virtus [u] similiter respectu virtutis, et ita non erant elementa aequalia secundum virtutem.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod virtutes elementares possunt considerari dupliciter: vel in relatione ad elementa quorum sunt virtutes vel in relatione ad elementa contraria in quae agunt et quibus agentibus resistunt. Eodem modo duplex est aequalitas virtutum: una virtutum relatarum ad elementa propria ut in quibus radicantur, et haec non est in elementis prout sunt in mixto: ignis enim, sicut plus habet de specie et minus de materia quam terra, sic abundat virtute activa respectu terrae; alia autem est aequalitas ipsarum secundum quod considerantur in relatione ad elementa contraria respectu quorum est mutua actio et resistentia, et haec aequalitas est quando ita proportionantur virtutes quod

---

[a] F add. *et.* [b] R *sunt.* [c] F add. *autem.* [d] Z *qualitatem.* [e] T *est* pro *c. m.*; F *dicitur* pro *ducitur.* [f] Ita F, alii om. [g] Ita VF, alii om. [h] F *indicatur.* [i] F *virtutum.* [k] S *per.* [l] TL *tunc.* [m] S *equalitas.* [n] Ita VF, alii *poterit.* [o] V *comedere.* [p] Ita F, Z *abundat* pro *n. r.* alii om. *non.* [q] Ita VF, L *similiter* pro *v. s. q.*, quod alii om. [r] T *illarum.* [s] Ita VF, alii om. [t] V *scilicet.* [u] T *virtutum.*

[1] Cf. supra, p. 529, nota 5.

[2] *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 18 (PL 176, 275).

quantum una potest in agendo, tantum alia potest in resistendo, vel quando ita est quod non est ibi actio aliqua neque resistentia: et haec aequalitas potuit esse in corpore Adae. Unde in corpore eius erat aequalitas complexionis et virtutum eo modo quo dictum est[1]. Nec dico quod aequalitas virtutum erat tota causa perpetuae continuationis vitae in primo homine, sed cum hoc requirebatur fomentum aliquod fructuum paradisi[2]. Unde Hugo[3]: « In corpore eius », id est [a] Adae, « corruptio et infirmitas nulla fuit et extrinsecus praeter [b] cuncta fomenta ciborum, quibus corporalem vitam nutrire et sustentare debuit, specialem in ligno vitae medicinam acceperat, qua eamdem vitam contra mortis defectum sanam [c] atque incorruptam potuit conservare ». Cum enim corpus illius esset animale, id est indigens alimoniis, defecisset utique nisi alimoniis conservatus esset [d]. De hoc infra[4] plenius dicetur.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur in contrarium, potest dici[5], sine praeiudicio, quod perpetuitas vitae corporalis Adae ex [e] tribus fuit, scilicet ex proportione mixtorum in aequalitate virtutum, ex fomento fructuum paradisi et natura continente mixta. — Ad huius [f] rei evidentiam nota quod unum elementum agit in aliud magis vel minus secundum maiorem virtutem vel minorem resistentis. Verbi gratia, ignis tantus agit in tantam aquam et minus agit sive abicit minus a substantia quam in minorem, et iterum in maiorem [g] maiori primo minus quam [h] in minorem minori primo, et, secundum quod additur aliquid quanti aquae, detrahitur proportionaliter aliqua aliquota actionis ignis agentis. Esset ergo possibile tantam aquam esse et tanta virtute resistere quod penitus in eam [i] ignis non ageret, scilicet abiciendo aliquid de [k] substantia, nisi virtus ignis roboraretur. Istud autem accideret, si tanta esset aqua et tantus ignis quod virtutes eorum penitus aequarentur [l], ita scilicet quod huius esset tanta in resistendo quanta illius in agendo, vel tanta fieret aequalitas quod unum in aliud omnino [m] non ageret, sed [n] esset ibi pax et harmonia secundum commensurationem virtutum, et ita [o] esset mixtio [p] optima. Haec autem mixtio, cum sit nobilissima, decet nobilissimam formam, scilicet animam rationalem primi hominis. Quod si [q] alterius mixtionis [r] corpus aptaretur sibi [s], cum anima naturaliter amet corpus suum, cum corpus naturaliter deficeret, iniuste ageretur cum ea, cum sine culpa sua privaretur suo amato [a], quod esset ei poena. Formae igitur in aeternum duraturae congruebat corpus in aeternum duraturum; talis ergo debebat esse mixtio in corpore Adae: talis autem [b] mixtio est causa optimae complexionis et perfectissimae sanitatis, qualis erat ipsius. Dicit enim Augustinus, *De civitate Dei*[6], quod in carne eius « summa sanitas erat ». Sed adhuc [c] poterat talis mixtio deficere, etsi esset optima ex proportione virtutum [d] in elementis prout erant in mixto, nisi alicuius extrinseci adiutorio conservaretur et nisi natura continens mixta salvaretur. Unde ad longaevitatem sive perpetuitatem corporis eius haec [e] tria requirebantur. De iis dicetur infra[7], ubi agetur de corruptione corporis Adae.

2. Ad aliud quod obicitur, dicendum quod, licet virtutes elementares respondeant [f] proportionaliter moli elementorum secundum quod elementa sunt completa in suis formis et speciebus, nihilominus, quia virtutes illae confringuntur [g] in mixtione et diminuuntur, nihil autem [h] deperit de mole in ipsa mixtione, unde [i] rediguntur virtutes ad aequalitatem et efficitur in mixtis aequalitas virtutis, non existente aequalitate molis. Nec valet argumentum illud, quia, licet quantitas molis respondeat quantitati virtutis [k] eo modo quo tactum [l] est in opponendo, tamen, quia non respondet uniformiter, scilicet [m] maior moles maiori quantitati virtutis et minor minori, sed e contrario, non sequitur quin possit esse aequalitas virtutis in mixto, licet non [n] possit esse aequalitas in mole, quia elementum minoris virtutis posset [o] esse in tanta mole et elementum maioris in tantilla, quod virtutes reducerentur [p] ad quamdam aequalitatem, ut ex dictis patet. Si autem sibi invicem responderent [q] uniformiter, bene sequeretur.

3. Ad aliud dicendum quod gravitas et [r] levitas sunt qualitates materiales respondentes proprie quantitati molis ipsorum elementorum, et propter hoc, sicut [s] non potest esse aequalitas [t] molis elementorum in mixto, sic non [u] potest esse aequalitas gravitatis et levitatis; aliae autem sunt [v] qualitates formales, penes quas attenditur virtus elementaris. Unde, quia, licet levitas, gravitas respondeant virtuti maiori et minori, non sunt qualitates formales, non se habent consequenter ad aequalitatem virtutum elementarium, quae penes qualitates formales attenduntur.

---

[a] V *primo.* [b] R om. [c] V *salvam.* [d] F *fuisset.* [e] V *in.* [f] L *eius.* [g] V *minorem.* [h] V om. [i] T *causam.* [k] Z *a.* [l] L *equaretur.* [m] R om. [n] Ita VF, alii *si.* [o] Ita VS, alii *ista;* F *sed* pro *et,* T add. *etiam.* [p] F *commixtio,* item infra. [q] V *etsi.* [r] F *commixtionis.* [s] Ita VSF, alii om.

[a] R om. *s. a.;* F om. *sua.* [b] Ita F, alii *enim.* [c] T *ad hec.* [d] Ita V, alii *virtutis.* [e] V om. [f] V *responderent.* [g] RL *confinguntur.* [h] VT *aliud.* [i] Ita V, alii *bene,* quod L corr. [k] V *quantitas.* [l] S (corr.) *actum.* [m] L (corr.) Z *si.* [n] V *hec autem* pro *l. n.* [o] Ita VF, alii *possit.* [p] V *educerentur.* [q] TZ *respondent;* V *informiter* pro *uniformiter.* [r] Ita F, alii om. [s] T *sic.* [t] R *equalis.* [u] Ita VF, alii *nec.* [v] L (corr.) *esse.*

[1] Cf. hic, in *Solutione* et supra, p. 529, *Solutio.*
[2] Cf. supra, num. 314.
[3] *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 18 (PL 176, 275).
[4] Cf. infra, num. 492.
[5] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 19, a. 3, q. 1 (II, 468 sqq.).
[6] Lib. XIV, c. 26 (PL 41, 434).
[7] Cf. infra, num. 473.

CAPUT II.

DE AEQUALITATE QUALITATUM CONSEQUENTIUM, SCILICET GRAVITATIS ET LEVITATIS.

Sequitur inquirere de aequalitate qualitatum consequentium ad qualitates elementares, scilicet gravitatis et levitatis.

Primo ergo quaeretur si erant in corpore Adae secundum aequalitatem vel [a] non;

secundo, dato quod non, quae illarum praedominabatur in illo.

ARTICULUS I. 438

Utrum gravitas et levitas erant in corpore Adae secundum aequalitatem [1].

De primo sic: 1. Ut habetur a Philosopho, scilicet Isaac, in *Dietis universalibus* [2], quaedam sunt quae componuntur ex materia cui dominantur elementa gravia, scilicet terra et aqua; quaedam quae componuntur [b] ex materia cui dominantur elementa levia, scilicet aer et ignis; quaedam quae componuntur ex materia cui aequaliter dominantur quatuor elementa, et haec sunt aequaliter gravia et levia. Sed duo prima se habent ut extrema respectu tertii: esse enim ex [c] materia cui dominantur gravia, et esse ex materia cui dominantur levia, sunt extrema eius quod est esse ex materia cui aequaliter [d] dominantur gravia et levia; quae autem sunt huiusmodi, aequaliter participant gravitatem et levitatem. Illa autem complexio, quae tenet proportionem et harmoniam in ratione medii, melior est illa quae tenet harmoniam et proportionem in ratione extremi; illa autem quae tenet rationem medii, est illa quae tenet aequalitatem gravitatis et levitatis, ut patet ex dictis; igitur, cum primi hominis erat complexio optima, erat in aequalitate gravitatis et levitatis.

2. Item, ratio conditionis corporis Adae fuit ut obediret voluntati rationali animae eiusdem et consequenter cursu praesenti finito praemiaretur perpetuitate gloriae; conveniens ergo fuit ut sic esset conditum sive dispositum in conditione, ut obedire posset imperio voluntatis iuxta nutum imperantis; voluntas autem rationalis animae est quod corpus sibi subiectum se moveat ascendendo et descendendo, et non solummodo quod [e] graviter, sed quod [f] expedite et agiliter se moveat et circumferat, et consimiliter se habebat voluntas Adae. Cum ergo anima Adae non determinate se habebat ad imperandum hoc vel illud, sed ad imperandum [g] in quadam indifferentia respectu utriusque, conveniens fuit ut corpus eius ita dispositum esset in conditione, ut se haberet in indifferentia ad descendendum et ascendendum et ad transferendum se graviter et agiliter; sed hoc esse [h] non posset nisi in eo esset aequalitas gravitatis et levitatis; ergo etc.

Contra: *a.* Proprietas levis est ferri sursum, gravis deorsum [3]; si ergo aliquid aequaliter participet gravitatem et levitatem, aequaliter trahitur sursum et deorsum; igitur, si corpus Adae fuisset tale, eius locus neque fuisset sursum neque deorsum neque, si esset deorsum, ascendere posset per naturam neque, si sursum, descendere: quod esset inconveniens; non igitur habebat aequalitatem gravitatis et levitatis.

b. Praeterea [i], aequalitas gravitatis et levitatis sequitur aequalitatem molis; sed corpus Adae non habebat aequalitatem molis, ut supra ostensum est [4]; ergo non habebat aequalitatem [k] gravitatis et levitatis.

[Solutio]: 1. Quod concedimus, dicentes ad primum quod aequalitas gravitatis et levitatis, licet ponat quamdam rationem medii, tamen non ponit illam harmoniam et rationem medii quae est laudabilis complexionis vel commixtionis, quia ponit aequalitatem molis et per consequens improportionem qualitatum elementarium. Unde ratio medii, consequens ad aequalitatem gravitatis et levitatis, vituperabilis est; illa autem quae est virtutum elementarium, bona est et laudabilis, et haec erat corporis Adae. — Si autem quaeratur quo modo possunt duo elementa dominari in aliquo et quatuor, sicut dicit Isaac, dicendum quod ille loquitur de gravitate et levitate secundum quod disponunt ad motum vel stabilitatem. Quod patet; dicit enim sic [5]: « Quae

---

[a] S *et*, quod L corr. [b] L *ponuntur*. [c] R om., S *in*. [d] R *equantur*. [e] Ita VF, alii om. [f] S om. [g] T om. *hoc... imperandum*. [h] T om. [i] Ita VTF, alii om. [k] S om. *molis... aequalitatem*.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, a. 2, q. 3 (II, 424 sqq.).
2 Cap. 29 (ed. Lugduni 1515, f. 63a).
3 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 9 (II, 272).
4 Cf. supra, num. 436.
5 Loc. cit.

componuntur[a] ex materia cui gravia dominantur duo elementa, inde illa fiunt quae sunt[b] stabilia, sicut arbores, herbae; quae vero ex materia cui[c] principantur ambo elementa levia, fiunt inde mobilia et motu localia, sicut animalia a loco in[d] locum mobilia; quae autem ex materia cui aequaliter quatuor elementa dominantur, id est gravia et levia commixtim, fiunt animalia ad movendum dura, sicut testudines et similia, unde in testudine quiddam sensibile, quiddam insensibile habetur ». Vult ergo iis verbis determinare in quibus est maior aptitudo ad motum ex dominio levium et in quibus ad stabilitatem ex dominio gravium, in quibus secundum partes diversas est aptitudo ad motum et ad eius oppositum, ut testudines, quae sunt sensibiles secundum aliquid et insensibiles secundum aliud: secundum quid habent possibilitatem ad motum, secundum quid nequaquam. Unde non intelligendum est quod in aliquo corpore dominentur quatuor elementa simpliciter loquendo, sed hoc[e] dicit quia in aliquo duo dominantur[f] comparative in una parte, sicut gravia in concha[g] testudinis, et duo comparative in alia parte, sicut levia in corpore. Quod ergo dicit duo dominari, intelligitur comparative respectu aliorum duorum. Quod[h] dicit quatuor dominari, intelligitur quantum ad partes diversas, ut duo intelligantur dominari in una parte magis[i] quam alia duo et alia duo in alia similiter.

2. Ad aliud dicendum quod nulla ratione debuit corpus Adae fieri in tali aequalitate, scilicet gravitatis et levitatis, quia hoc nullo modo posset esse, nisi maxima[k] esset improportio et pugna consequenter in ipso et ita aptitudo propinqua ad dissolutionem: quod non conveniebat corpori perpetue duraturo. Praeterea, si ista aequalitas fuisset in corpore Adae, induxisset impotentiam sive difficultatem maximam transferendi se secundum imperium voluntatis, immo ineptum esset omnino ad motum animalem, quia, cum motus animalis efficiatur ex influentia virtutis animae in corpus organizatum et existens in debitis mineriis et harmonia secundum quod congruit corpori perfectibili anima rationali; corpus autem existens in aequalitate praetacta vel esset ineptum ad organizationem debitam vel, si forte distingueretur per[l] organa, propter defectum harmoniae, cuius gratia organa habilia sunt ad recipiendum virtutem influentem ab ipsa anima, omnino esset ineptum ad motum huiusmodi. Sicut enim[m] parvuli et paralytici inepti sunt ad motum animalem propter defectum ex parte corporum — unde est quod virtus animae non habet effectum talem in illis — similiter aliquid habens corpus existens in proportione praetacta propter defectum a parte[n] ipsius corporis ineptum esset ad motum animalem propter causam praetactam. Immo verisimile[o] est quod tale corpus ineptum[p] esset ad hoc quod perficeretur anima rationali, cum corpus aptum ad susceptionem animae debeat esse ex quatuor elementis mixtim[q] in aequalitate pulcriore et perfectiore et virtutibus et mineriis, quae[r] sunt pulcriores virtutibus animalium, ut habetur a Philosopho[1]. — Praeterea, motus animalis est quasi medius inter naturalem et violentum[2]; in motu enim animali uterque[s] exercetur et rectificatur virtute animae sive potentiarum animae; cum ergo huiusmodi corpus non esset mobile motu naturali quantum est de sua natura — quia[t] quantum traxisset illud gravitas ad motum deorsum, tantum traxisset illud levitas ad motum sursum[u] — impotens esset vel inexpeditum et difficile[v] ad motum talem vel talem. Unde ratio illa est magis contra propositum quam pro. Ad exequendum autem imperium voluntatis rationalis ascendendo et descendendo, secundum quod viatori congruebat, sufficiebat ei potentia movendi motu animali, quoadusque merito huius executionis pervenisset ad statum gloriae et remuneratum esset dote agilitatis, cuius virtute poterit se transferre quocumque voluerit et secundum quod voluerit[x] ipsa voluntas, cuiusmodi motus sive translatio illi statui tantum congruit.

439

Articulus II.

Utrum gravitas vel levitas praedominabatur in corpore Adae[3].

Sequitur inquirere utrum gravitas praedominabatur in corpore Adae vel levitas.

Et videtur quod gravitas: *a.* Sicut habetur a Philosopho, IV *Metaphysicorum*[y 4], animalia

---

[a] S *exponuntur.* [b] Ita VF, alii *fiunt.* [c] L (corr.) *cum;* V om. *ambo.* [d] F *ad.* [e] F om. [f] L add. interl. *et;* V *comparatione* pro *comparative.* [g] F *concham.* [h] S *et;* T om. *quatuor.* [i] T om. [k] L *maxime.* [l] V *vel.* [m] L (corr.) *tam.* [n] T om. *a. p.* [o] T *visibile.* [p] Z om. [q] S *mixtum.* [r] Codd. *qui;* S *erunt* pro *sunt,* quod L corr. [s] V *utrumque.* [t] F om. [u] FL add. *et ita.* [v] T *facile;* S om. *et;* L *expeditum* pro *inexpeditum.* [x] V om. *e. s. q. v.,* quod L exp. [y] Ita F, alii *Meteororum.*

1 Scilicet Algazel; cf. supra, p. 530, nota 5.
2 Cf. supra, p. 428b.
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 15, a. 1, q. 3 (II, 379 sqq.).
4 Cf. c. 4 (II, 517); *De respirat.,* c. 14 (III, 547).

constant ex illis per praedominium in quibus habitant et ex quibus nutriuntur. Unde omnia animalia [a] sunt ex gravibus elementis per praedominium, quae [b] habitant in terra et in [c] aqua et quae [d] ex illis nutriuntur, scilicet sicco terreno et humido aqueo; sed corpus Adae erat habitaturum in terra et nutriendum ex fructibus terrae, quae erant [e] gravia per praedominium; ergo in eo abundabat gravitas per praedominium, quae est proprietas gravis.

b. Item, hoc probatur ex motu eiusdem: motus enim sequitur praedominans [1]; sed constat quod, si sursum esset elevatum statim post eius conditionem et [f] sibi relictum, deorsum descendisset [g]; ergo in illo gravitas praedominabatur.

Contra: 1. Corpus illud magis erat aptum et dispositum ad agendum quam ad patiendum: omnino enim erat indispositum in statu innocentiae ad patiendum. Unde Isidorus, in libro *De Trinitate* [2]: « Dum homo in paradiso innocenter viveret, ignis eum non ureret [h] nec aqua mergeret nec spinarum aculei vulnerarent ». Sed ex proprietatibus gravium habet esse passio in corpore, ex proprietatibus levium habet esse actio in corpore; ergo magis abundabat in illo levitas quam gravitas. — Quod virtus agendi sit a proprietatibus levium, patet per Augustinum dicentem, *Super Genesim ad litteram,* libro V [3]: « Sicut Deus omnem [i] creaturam, sic anima omnem creaturam corpoream naturae dignitate praecellit. Per lucem tamen et aerem, quae in ipso quoque mundo praecellentia sunt [k] corpora magisque habent faciendi praestantiam quam patiendi corpulentiam, sicut humor et terra, tamquam per ea, quae spiritui similiora sunt, corpus administrat ».

2. Item, corpus Adae erat in convenienti et propinqua dispositione ad vitam; haec autem dispositio fit maxime per calidum et humidum: calor enim et humor disponunt ad vitam et illam [l] in esse conservant: unde vita stat per calidum et humidum [4]; igitur in corpore Adae erat dominium eorum quae dant caliditatem et humorem vitalem; haec autem sunt elementa levia.

3. Item, natura lucis maxime disponit ad receptionem vitae, quia, secundum Avicennam [5], natura lucis est media ad vitae receptionem; ergo corpora quae magis naturam lucis participant, cuiusmodi sunt elementa [m] in quibus dominatur levitas, erant per praedominium in illo corpore quod erat in propinqua dispositione [a] ad vitam.

4. Item, est aliquod genus animalis, cuius esse et actus sive perfectio est omnino temporalis, utpote cuius esse determinatum est in corpore, et vita corruptibilis, tamen ex praedominio elementorum levium [b] habet potestatem efferendi se de terra et transferendi ad loca caelo propinquiora. Est et [c] aliud genus animalis, cuius esse et actus sive perfectio non est omnino temporalis, sed [d] quodam modo caelestis, utpote cuius vita est spiritualis quodam modo et incorruptibilis, ut homo et maxime primus homo. Praeeminebat ergo primus homo aliqua [e] nobilitate et dignitate, et ratione nobilitatis eius et dignitatis [f] dignus erat mansione caelesti, scilicet in statu innocentiae; videtur ergo fortiori ratione quod debebat habere potestatem elevandi se a terra et transferendi se ad loca caelo propinquiora [g]; hoc autem esse non posset nisi praedominaretur in illo levitas gravitati; ergo etc.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod in corpore primi hominis erat praedominatio duplex: quaedam enim elementa dominabantur in illo quantum ad molem, quaedam quantum ad virtutem. Quantum ad molem terra et aqua, quantum ad virtutem aer et ignis; gravitas et levitas consequuntur molem sive materiam: propter quod dominabatur in illo gravitas et non levitas.

[Ad obiecta]: 1. Respondendum ergo ad primo obiectum, quod in illo corpore abundabant corpora levia et praedominabantur, non quantum ad molem, sed quantum ad virtutem; nec propter hoc consequens est quod in illo praedominabatur levitas, sed quod elementa levia, et [h] hoc quantum ad praedominium virtutis: gravitas enim et [i] levitas molem sive materiam elementorum comitantur [k] et praedominantur in mixtis secundum praedominium molis, non autem secundum praedominium virtutis.

2. Ad aliud similiter dicendum [l] quod in corpore Adae abundabat calor et humor vitalis et praedominabantur elementa a quibus est calor et humor [m] huiusmodi; nec tamen sequitur quod levitas, ut [n] ex praedictis patet [o 6]. Nota tamen hic [p] quod secundum physicos duplex est caliditas naturalis: una elementaris, et ista non est medium in participatione vitae; alia est quae resultat ex oppositione [q] elementorum ad invicem et ex

---

[a] VTLZ *alia.* [b] ST *qui.* [c] Ita V, alii om. [d] T om. [e] SF *erat.* [f] F om. [g] Ita SF, VZ *descenderet,* TRL *descendet.* [h] V *cum noceret* pro *e. n. u.* [i] L *hominem.* [k] V om. [l] Ita S (corr.) F, alii *illata.* [m] T *omnia.*
[a] V *propinquatione* pro *p. d.* [b] V *bonum.* [c] V om. [d] V *licet.* [e] Ita F, alii *alia.* [f] L om. *e. e. d.* [g] F *viciniora.* [h] S *ad.* [i] L om. [k] F *consequuntur.* [l] S om. [m] R om. *vitalis... humor.* [n] V om. [o] V om. [p] V *Et notandum,* STRZ *nota cum hoc* pro *n. t. h.* [q] Ita V, alii *compositione.*

1 Cf. Aristot., *De animal. generat.,* V, c. 1 (III, 417).
2 Potius *De ordine creaturar.,* c. 10, n. 8 (PL 83, 940).
3 Lib. VII, c. 19 (PL 34, 364).
4 Cf. Aristot., *De longit. vitae,* c. 5 (III, 529).
5 *De anima,* p. 4, c. 5 (f. 21a); cf. supra, p. 433 et num. 266.
6 Cf. hic, *ad 1.*

confractione qualitatum, sicut ex commixtione elementorum resultat mixtum.

3. Ad tertium patet responsio ex dictis. Nota tamen quod triplex est lux. Prima lux[a] caelestis, cuiusmodi est illa quae est[b] in corpore caelesti, alia ignea: et neutra secundum sui essentiam dispositiva est ad susceptionem vitae; tertia est lux quae consistit in commixtione elementorum perductorum ad ultimam subtilitatem: et haec lux[c] est dispositiva ad vitam et vocatur, secundum physicos, spiritus[1].

4. Ad quartum dicendum quod in illis animalibus sive volucribus, quibus data est virtus efferendi se ad loca caelo propinquiora, non praedominatur levitas gravitati, sed e converso[2], sed virtus levium elementorum in illis praedominatur sicut in homine. Quare autem[d] illis data est potestas efferendi se sic, ratio est declaratio divinae sapientiae in convenienti ornatu aëris sive mediae regionis. Ratio autem quare habitatio sive mansio hominis primi quantum ad corpus erat in terra, utpote in quo maxime gravitas praedominatur[e], similiter et aliorum, est declaratio virtutis divinae, scilicet[f] sapientiae, potentiae, et bonitatis: sapientiae in conditione, potentiae in reformatione, bonitatis in remuneratione. Sapientiae, inquam[g], in conditione, quia Deus, faciens illud ex elementis gravibus per praedominium molis, providit[h] illi de optima complexione secundum quod conveniebat perfectibili perfectione in perpetuum duratura; si enim esset in illo levitas praedominans, necessario abundasset in eo calor in tanta intemperantia quod proximum esset dissolutioni. — Praeterea, in reformatione corporis talis dotibus gloriae ostenditur maxima potentia Dei, talis dico, id est in quo dominabatur per praedominium[i] elementum maxime grave, ex quo erat contrariarum dispositionum ad proprietates dotum et in maxima distantia ab illis; ex hoc enim quod praedominabatur in illo elementum maxime grave, scilicet terra, erat passibile, obscurum, grossum et ponderosum et minus agile ad motus diversos[k], quibus sunt contraria impassibile, clarum, subtile et agile, cuiusmodi fiet in reparatione. — Praeterea, in remuneratione corporis talis ostendetur[l] bonitas Dei, scilicet iustitiae, quia sicut primus angelus, in puritate maxima conditus et sine mole[m], merito elationis deiectus est de caelo empyreo ad loca inferiora iustitia divina, ita corpus illud, in mole gravi conditum, in remunerationem[n] obedientiae et servitii suo Conditori in gravitate illa exhibiti, transferetur[o] ad locum excelsum et luminosum, et eo magis congrue et iustius quo in gravitate, in qua conditum erat, prout debuit, Deo obedivit.

Ex iis patet responsio ad ultimo quaesitum, quia illa quae habent potestatem efferendi[p] se ad loca caelo propinquiora, hoc non habent quia in eis praedominatur levitas gravitati, sed quia virtus levium praedominatur in illis virtuti gravium, sicut praedominatur[q] in homine. Quare autem in illis tantum dominatur[r] quod sic se possunt[s] efferre, et non in homine, ratio tacta est[3].

MEMBRUM III.

De aequalitate a iustitia in corpore Adae.

Sequitur de aequalitate a iustitia. Et non intendimus hic de huiusmodi aequalitate, secundum quod physici[t] intendunt, quae attenditur penes mensuram elementorum cum suis quantitatibus et qualitatibus in optima proportione quam debet habere natura humana, de qua dicit Avicenna[4]: « Debes scire quod 'aequale', de quo medici in suis inquisitionibus tractant, non est denominatum ab aequalitate, in qua[u] aequalitas cum pondere aequaliter existit, sed denominatur a iustitia in divisione: et hoc est quod complexionatum[v] in primis attenditur, sive sit corpus totum sive sit membrum unum[x], ut sit in eo de elementis cum suis quantitatibus et qualitatibus mensura, quam humana natura habere debet secundum meliorem proportionis et divisionis aequitatem ». Sed intendimus de illa aequalitate quae fuit in corpore Adae a divina iustitia ante peccatum.

Quaeritur ergo:

Primo, de aequalitate collata;

secundo, de aequalitate eadem sublata;

tertio, de eadem restituta.

---

[a] FZ om. [b] Ita F, alii om. [c] V *duplex;* T om. *est.* [d] Ita F, alii om. [e] S *dominatur;* F *predominabatur.* [f] F *id est.* [g] T *quam.* [h] R *previdit.* [i] S *dominium.* [k] T om. [l] Ita F, alii *ostendebatur.* [m] FL (interl.) add. *tamen.* [n] Ita F, alii *remuneratione;* R add. *gravi.* [o] Ita V, alii *transferretur.* [p] V *offerendi.* [q] FZ *predominantur,* S *dominatur.* [r] Z *predominatur.* [s] S *possint.* [t] Ita SF, alii *philosophi;* V *intenderunt* pro *intendunt.* [u] Z add. *est.* [v] F *complexatum.* [x] R om.

[1] Cf. supra, p. 328, nota 1.
[2] Cf. supra, num. 295, II.
[3] Cf. supra, *ad 4.*
[4] Cf. *De animal.,* XII, c. 1 (f. 45a).

CAPUT I. 440

UTRUM AEQUALITAS FUERIT CORPORI ADAE COLLATA A DIVINA IUSTITIA.

Quaeritur ergo si aequalitas corporis Adae erat [a] ei collata a divina iustitia.

Quod sic, videtur: *a.* Dicit enim Dionysius, *De divinis nominibus,* cap. 8 [1]: « Iustitia Deus velut omnibus quae sunt, secundum [b] dignitatem distribuens laudatur et mensurationem et formam et ordinationem et [c] dispositionem ». Ex hac littera sumitur in scholis [d] haec ratio: « Iustitia est habitus aequalitatis distributorius ». Et dicit ibi Abbas Vercellensis [2]: « Deus dicitur iustitia tamquam distribuens omnibus secundum [e] singulorum congruentiam et commensurationem et pulcritudinem et bonam ordinationem ». Si ergo [f] divina iustitia est [g] omnium commensuratio [h] et ordinatio, ut ex auctoritate [i] Dionysii patet, igitur et mensuratio et ordinatio aequalitatis, quae fuit in corpore Adae, fuit a divina iustitia.

b. Item, Dionysius, *De divinis nominibus,* cap. 8 [3]: « Divina iustitia est secundum quam omnis aequitas mensuratur et terminatur », et ponit aequitatem pro aequalitate. Si ergo omnis aequalitas mensuratur a divina iustitia, et aequalitas corporis primi hominis.

Contra: 1. Dionysius, *De divinis nominibus,* cap. 8 [4]: « Divina iustitia, omnia ab omnibus clara et inconfusa salvans, unicuique cognata omnibus existentibus donat secundum unicuique [k] existentium insitam dignitatem ». Abbas Vercellensis, ibidem [5]: « Iustitia divina singula a singulis incommixta et inconfusa salvat ». Ex hoc verbo Dionysii duo videntur, scilicet quod divina iustitia salvat singula a singulis sine commixtione et quod [l] ea, quae donat, donat [m] secundum quod exigit dignitas rei cui dat [n]. Ex primo videtur quod [nec] in corpore primi hominis similiter nec in aliquo alio sit aliqua commixtio a divina iustitia; ex secundo videtur quod, cum corpus primi hominis ante conditionem nullius esset dignitatis et sic illius dignitas nihil exigebat, quod a divina iustitia nihil ei donabatur [o].

2. Item, aliquid fieri de iustitia dicit debitum fiendi, quod autem [a] mera liberalitate fit, non dicitur de iustitia fieri; igitur, cum minus recte diceretur Deum aliquid facere ex debito et praecipue quoad illud quod ex sola liberalitate eius factum est, sicut fuit corpus Adae, non videtur quod debeat dici aliquid in illo factum a divina iustitia.

3. Item, Dionysius, in eodem [6]: « Divina iustitia [b] et salus omnium laudatur, et propriam uniuscuiusque et puram ab aliis essentiam et ordinem [c] salvans et custodiens ». Ex hoc verbo patet quod propria, quae rebus creatis distribuit, in suo ordine et virtute salvat. Si igitur aequalitas corporis Adae fuisset a divina iustitia, esset [d] salvata in suo ordine et virtute ab eadem; igitur ex quo non fuit salvata — quod patet per hoc quod necesse erat ipsum dissolvi [e] — relinquitur quod illa aequalitas non fuit a divina iustitia.

4. Item, idem, in eodem [7]: « Oportet scire divinam iustitiam in hoc vere existentem, quia omnibus retribuit [f] propria secundum uniuscuiusque existentium dignitatem, et uniuscuiusque naturam in propria salvat ordinatione et virtute ». Ex hoc patet idem quod supra.

5. Item [g], Dionysius, in eodem [8]: « Iustitia est secundum quam omnis aequitas mensuratur et omnis inaequitas [h], quae est per privationem in ipsis singulis aequitatis, exterminatur ». Hic sumitur aequitas et inaequitas pro aequalitate et inaequalitate [i]. Abbas [9]: « Iustitia est secundum quam omnis aequalitas mensuratur et definitur et omnis inaequalitas, quae privat dictam aequalitatem, a singulis exterminatur [k] ». Ex iis verbis habetur quod divina iustitia exterminatur [l] inaequalitas, quae est privatio aequalitatis, quae est a divina iustitia. Igitur, cum inaequalitatem, quae fuit privatio aequalitatis quae erat primo corporis Adae, non exterminavit [m], sed esse permisit, videtur quod illa aequalitas non erat a divina iustitia.

6. Praeterea, potest quaeri quam inaequalitatem sustinet divina iustitia in rebus et quam exterminat.

---

[a] S *erit.* [b] R om. [c] S om. [d] V *solis.* [e] Z om. [f] R add. interl. *in.* [g] Ita FR, alii *et.* [h] Ita F, alii *mensuratio.* [i] Ita F, alii *ordinatione.* [k] V *uniuscuiusque.* [l] Ita SF, alii *per.* [m] L om. [n] S *credit* pro *c. d.* [o] RF *dabatur;* S *enim* pro *ei.*

[a] V om.; S om. *q. a.,* T *fiunt* pro *fit.* [b] VT om. *Item... iustitia,* in SRLZ est add. mg. [c] V *essentia et ordines* pro *e. e. o.* [d] V *esse.* [e] V add. *et;* Z *fuit* pro *erat.* [f] V *distribuit.* [g] F *idem.* [h] Ita F, alii *iniquitas,* item infra. [i] R *iniquitate.* [k] STLZ *exterminantur,* quod R corr. [l] L *exterminantur.* [m] V *exterminatur;* T *permansit* pro *permisit.*

1 § 7 (PG 3, 893, PL 122, 1158).
2 *Paraphrasis* in h. l. (inter opp. Dionysii Cartus., ed. Tornac., XVI, 287a).
3 § 9 (PG 3, 898, PL 122, 1159).
4 § 7 (PG 3, 895, PL 122, 1158).
5 Loc. cit. (XVI, p. 287b).
6 Cap. 8, § 9 (PG 3, 895, PL 122, 1159).
7 Cap. 8, § 7 (PG 3, 895, PL 122, 1158).
8 Cap. 8, § 9 (PG 3, 898, PL 122, 1159).
9 Vercellensis, loc. cit. (XVI, p. 288b).

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod illa aequalitas erat a divina [a] iustitia.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod primo obicitur quod 'divina iustitia [b] salvat singula sine commixtione' etc.: dicendum quod est multiplex commixtio. Una est, quae ponit confusionem rerum quantum ad dignitates earum, et virtutes et ordinem rerum [c] auferens, quam ponunt illi qui dicunt Deum debuisse eos, qui mortales sunt, fecisse immortales et [d] eos, qui imperfecti sunt, fecisse perfectos et eis, qui habent liberum arbitrium eligendi bonum et malum, induxisse necessitatem faciendi bonum, et variabilibus contulisse invariabilitatem, et consimiliter de aliis, dignitatem [e] rerum et ordinem [f] confundendo. Et hoc est quod dicit Dionysius post [g] determinationem sive definitionem divinae iustitiae subiungens [h 1]: « Etsi haec recte dicimus, quicumque divinis maledicunt, iustitia eos latet, suam iniustitiam [i] in aperto condemnantes. Aiunt enim debere inesse mortalibus immortalitatem et imperfectis perfectionem [k] et per se ipsos motis alteram moventem necessitatem et mutabilibus immutabilitatem et perfectam potentiam [l] infirmis et aeterna esse temporalia et intransmutabilia natura mobilia et temporales delicias [m] aeternas, et omnino [n] quae sunt aliorum aliis porrigunt [o] ». Alia autem est mixtio [p], quae ponit harmoniam et proportionem miscibilium secundum temperamentum conveniens naturae mixti [q] producendi in esse. Ex huiusmodi convenientia miscibilium et sine hac mixtione non salvat divina iustitia singula, sed potius mediante hac mixtione salvat et conservat mixta in esse. Unde Dionysius, *De divinis nominibus*, cap. 8 [2]: « Procedunt ea quae sunt indeficientis virtutis, et ad homines et ad animalia et plantas et totam hominis [r] naturam, et firmat unita ad sui invicem amicitiam et communionem ». Unita autem vocat ea quae mixta sunt in aliquo, quae firmat et confortat virtus indeficiens ad amicitiam, quando [s] mensurate et mansuetudine quadam unita sunt in toto. Unde Expositor [3]: « Deus largitur et confortat ad amicitiam unita et ad communionem, id est semina omnium seu elementa mensurate ad collegium pariter incedentia, et ad invicem mixta, id est [t] propinquantia, mensurate et mansuete ad virtutem deducit sensibilia gignendi ». Sic ergo duplex est mixtio: una, quam non sustinet divina iustitia; alia, quam salvat et confortat, qua conservantur mixta in esse. — Ad aliud quod obicitur quod 'ea, quae donat, donat [a] secundum exigentiam dignitatis rei cui dat' etc., dicendum quod in rebus est duo considerare: ipsam substantiam [b] et essentialem proprietatem, qua [c] substantia et virtus rei huius speciei distinguitur a re alterius speciei. Quod ergo dicitur aliquid dari rebus a divina iustitia secundum uniuscuiusque dignitatem, hoc intelligendum est quantum ad proprietates essentiales ipsarum rerum, secundum quas ordinem habent et virtutem, sicut alia est virtus et ordinatio terrae et alia ignis, et hoc est [d] ex proprietatibus eis datis secundum convenientiam suae speciei. Unde dare existentibus secundum suam dignitatem, hoc est dare illis secundum convenientiam specierum eorumdem [e]. Quod autem intelligi habet quantum ad huiusmodi proprietates, patet ex verbo supra dicto B. Dionysii [4], quod est [f]: « Oportet scire divinam iustitiam in hoc vere existentem, quod omnibus retribuit propria [g] secundum uniuscuiusque existentium dignitatem, et uniuscuiusque naturam in [h] propria salvat ordinatione et virtute ». Nota quod dicit « existentium » et « propria », ex quibus [i] patet quod intelligit de existentibus et proprietatibus collatis ipsis existentibus.

2. Ad aliud dicendum quod, sicut dicit [k] Anselmus, in *Proslogion*, 10 [5], Deus dicitur [l] quandoque iustus secundum se, quandoque secundum nos: secundum se, quando non est aliqua ratio ex parte eius respectu cuius dicitur iuste agere, sed solummodo ratio est condecentia suae bonitatis; secundum nos, quando meritum ex parte nostra hoc requirit. Cum ergo dicitur 'aliquid fieri de iustitia importat debitum fiendi' [m], dicendum quod hoc verum est quando aliquid dicitur fieri de iustitia secundum nos, non autem quando dicitur aliquid fieri de iustitia secundum Deum, nisi velimus extendere quod dicitur 'debitum' ut sumatur pro decenti, ut illud dicatur debitum quod est decens [6].

3-4. Ad hoc quod postea obicitur quod 'propria quae rebus creatis distribuit, in suo ordine et virtute salvat' etc.: dicendum quod hoc [n] intelligitur de illis quorum virtus et operatio determinatur secundum legem naturae, non de illis quae subiacent libero arbitrio. Illa enim, quorum virtus

---

[a] Z om. *a. d.*; S om. *a.* [b] S om. [c] SF *in rebus.* [d] V *vel.* [e] Ita F, alii *dignitates.* [f] F add. *etiam.* [g] V om. [h] V *subiungamus.* [i] V *iustitiam.* [k] Ita V, alii *perfectum.* [l] Ita V, alii *perfecte potentia* pro *p. p.* [m] F *divitias.* [n] LZ *ideo*, V *non.* [o] VZ *porrigant.* [p] V *commixtio;* R om. *autem.* [q] V *commixti,* item infra. [r] F *omnis.* [s] V *quare.* [t] V *et* pro *i. e.*
[a] F *dat.* [b] V *liberam.* [c] L *quam.* [d] T *etiam.* [e] V *earumdem.* [f] V *aliter.* [g] RZ *propriam.* [h] Ita F, alii om. [i] V *quo.* [k] S om. [l] F *Christus Deus noster* pro *10 D. d.* [m] F *faciendi.* [n] T om.

1 Loc. cit., c. 8, § 7 (PG 3, 895, PL 122, 1158).
2 § 5 (PG 3, 891, PL 122, 1157).
3 Maxim. Conf., in *De divin. nomin.*, c. 8, § 3 (PG 4, 358).
4 Cf. supra, p. 537, nota 7.
5 PL 158, 233.
6 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 281 et 282.

et operatio secundum legem naturae determinatur [a], secundum legem eis inditam [b] in operibus suis progrediuntur: unde, quia non declinant a lege indita quoadusque [c] sua claudantur periodo, influentia virtutis primae [d] salvantur in esse. Aliter [e] est de iis quae subiacent libero arbitrio, quorum potestas est declinandi a lege eis indita, quae, cum declinant a lege eis indita, avertunt se a suo Conditore et Salvatore; unde influentiam ab illo non recipiunt: propter quod necessario deficit quod in illis conditum est. Tale fuit corpus Adae, quod erat regendum libero arbitrio, quod peccato sui motoris et perfectionis cecidit in defectum et carentiam naturalis iustitiae; unde in illud, quodam modo aversum a Deo, non influebat virtus divina salvans quod condiderat in illo: propter quod defecerunt quae in eo [f] condita erant. Auctor autem duos insinuat intellectus verbi propositi, quorum unum ponit, alium approbat [g]. In illo, quem ponit, intelligitur salvatio quantum ad esse rei, quantum ad ordinem [h], quantum ad operationem; quod patet ex verbis ipsius, quae sunt haec [1]: « Divina iustitia et salus omnium laudatur, propriam uniuscuiusque et puram ab aliis essentiam et ordinem salvans et custodiens, foetida purgans in omnibus propriae actionis ». Et secundum Expositorem [2]: « Propriam actionem nominat uniuscuiusque existentium secundum naturam specialem motum; neque enim quae angelorum sunt, hominibus est possibile agere, aut quae ignis, aquae et e converso ». Intellectus iste plenius patet ex verbis Abbatis dicentis [3]: « Ipsa divina iustitia recte etiam dicitur omnium salvatio, in quantum salvat et custodit uniuscuiusque propriam substantiam munde segregatam ab aliis, similiter et cuiuslibet rei ordinem, et in singulis rebus munde existit propriae operationis causa ». Et vocat ipsam mundam segregationem, quando nulla est communicatio alienarum proprietatum, sicut ignis munde segregatus est ab aliis [i] elementis, quia nullum illorum communicat cum illo in essentialibus proprietatibus illius nec e converso. — Alius autem est intellectus quem approbat, scilicet de salvatione morali, scilicet quando salvator salvat a statu deteriore deducens ad meliorem. Unde Dionysius [4]: « Si quis salutem laudaverit et sic ex malis velut parturientem eripientem, omnino [a] ibi et hunc laudabilem laudatorem largissimae salutis accipiemus ». Abbas [5]: « Si Deitas vocatur salvatio tamquam ex statu peiori ad meliorem cuncta salvatorie [b] quocumque modo deducens, nos hanc laudem dignissimae salvationis bene recipimus [c] ».

5. Ad hoc quod obicitur postea quod ' divina iustitia exterminatur inaequalitas, quae est privatio aequalitatis ' etc.: dicendum quod ista exterminatio inaequalitatis est salvatio rerum in intransmutabilitate [d] ad alienas proprietates et operationes. Unde salvat [e] ignem in intransmutabilitate [f] ad alienas proprietates et operationes, scilicet aquae et terrae et huiusmodi. Unde paulo ante dicitur in eodem [6]: « Et hanc primam salvationem totorum rogabimus ipsum definire, qui [g] omnia in se ipsis intransmutabilia [h] et fortia contra peiora salvat et omnia custodit non pugnantia et non bellantia, singula suis [i] ipsorum rationibus ornata, et omnem inaequalitatem et alienam operationem ex [k] totis exterminat et proportiones uniuscuiusque constituit, non valentes cadere ad contraria nec [l] transire ». Hanc autem inaequalitatem exterminavit in Adam, scilicet salvans eum in intransmutabilitate [m] ad alienas proprietates et operationes.

6. Ad illud quod ultimo quaeritur, dicendum quod duplex est inaequalitas: una est, quae privatur [n] omnino, alia, quae salvatur. Prima duplex, scilicet peccatum in animabus [o] et confusio in rebus. Utramque removet Dominus [p]: primam per gratuitam misericordiam, secundam per iustitiam provisivam, scilicet providendo ne subintrasset universum. Alia est inaequalitas, quae salvatur scilicet, vel differentia unius totius ad aliud totum, ut quando unum maius est altero aut qua totum maius est sua parte. Hanc enim inaequalitatem salvat divina iustitia et custodit, sicut dicit Dionysius, non permittens turbari universitatem commixtione. Et hoc est, quod [q] sequitur [7]: « Etenim inaequalitatem si quis accipiat differentias in toto [r] totorum ad tota, et huius iustitia est servativa, non concedens commixta tota in totis facta turbari, custodiens autem existentia omnia secundum speciem unumquodque, in qua unumquodque [s] esse naturam habet [t] ». Ex hac enim

---

[a] Ita F, alii *determinantur*. [b] V *indictam*. [c] V *quousque*. [d] V *potentie*. [e] F add. *autem*. [f] Z *eis*. [g] STLZ *appropriat*. [h] V om. *quantum... ordinem*. [i] V om. *similiter... aliis*.

[a] V *omnia*; L *huc* pro *hunc*. [b] V *salvatoris*. [c] F *accepimus*. [d] FRZ *transmutabilitate*. [e] Ita F, alii *salvavit*. [f] Ita V, alii *transmutabilitate*. [g] Ita V, alii *que*. [h] VL *transmutabilia*. [i] Ita F, alii *sui*. [k] Z om. [l] L *nedum*. [m] Ita V, alii *transmutabilitate*. [n] L *privant*. [o] V *animalibus*. [p] SL *Deus*. [q] SZ *quo*, quod R corr. [r] F om. *i. t.* [s] S om. *i. q. u.* [t] V *debet esse natura* pro *u. e. n. h.*

1 Pseudo-Dionys., *De divin. nomin.*, c. 8, § 9 (PG 3, 895, PL 122, 1159).
2 Maxim. Conf., *Scholia*, in h. l. (PG 4, 366).
3 Vercell., *Paraphr.*, in h. l. (XVI, 228a).
4 *De divin. nomin.*, c. 8, § 9 (PG 3, 895sq., PL 122, 1159).
5 Cf. supra, nota 3.
6 Pseudo-Dionys., loc. cit.
7 Loc. cit.

inaequalitate consistit pulcritudo in universo, sicut tangit Commentator, super cap. 1 *Angelicae hierarchiae*[1], vocans eam « unificam[a] contemperantiam provisorum ». Alia est inaequalitas similiter[b], quam salvat divina iustitia, quae est manifestativa et commendativa divinae iustitiae, et illa est in corpore humano et fuit in corpore[c] Adae post peccatum, secundum quod non permisit Deus dedecus culpae in illo[d] sine decore vindictae.

441

CAPUT II.

UTRUM A DIVINA IUSTITIA SUBLATA FUIT AEQUALITAS QUALITATUM MIXTORUM IN CORPORE ADAE.

Sequitur inquirere utrum a divina iustitia erat sublata aequalitas qualitatum mixtorum in corpore Adae.

Quod sic, videtur: *a.* Ut habetur ab Augustino[e], *De civitate Dei*[2], summa sanitas erat[f] in corpore Adae ante peccatum, post peccatum infirmus effectus est[g] et hoc demerito peccati; infirmitatem autem sequitur inaequalitas qualitatum huiusmodi: sequitur enim, si corpus aliquod infirmatur, quod in illo sint qualitates mixtorum in inaequalitate[h]; subtracta ergo fuit a corpore primi hominis aequalitas praehabita[i] propter peccatum; sed omne quod redditur pro meritis aut subtrahitur pro demeritis, iuste redditur et subtrahitur; ergo haec[k] aequalitas iuste fuit illis subtracta sive sublata.

b. Item, iuste fuit illi inflicta necessitas moriendi et dissolutionis corporalis; ad haec autem[l] sequitur necessario inaequalitas qualitatum praedictarum; ergo iuste; sed si divina iustitia punitus fuit necessitate moriendi[m] et dissolutionis corporalis, quibus annexum est necessario et consequenter se habens carentia aequalitatis[n] praedictae, ergo haec[o] inaequalitas fuit inflicta divina iustitia.

c. Item, primus homo peccavit in corpore et in anima; divina autem iustitia punitus fuit in anima divisione partium ipsius, qua erat pugna quaedam in ipsa: unde sensualitas concupiscit adversus partem superiorem; ergo videtur a simili quod fuit punitus divina iustitia in corpore divisione partium ipsius, qua erat pugna in corpore ipso; huius autem pugnae causa est sublatio aequalitatis; ergo[p] etc.

Contra: 1. Sublatio sive subtractio[q] aequalitatis non est aliud quam defectus aequalitatis; subtrahere autem aequalitatem non est aliud quam deficere ab illa: non enim dicitur aliquod[r] bonum huiusmodi subtractum a Deo vel a divina iustitia, quia Deus agat aliquid circa illud cui dicitur subtrahi, sed quia deficit ab illo; sed dicit Anselmus, *De conceptu virginali*, cap. 5[3]: « Deesse bonum, quod debet adesse, non est aliquid esse »; ergo huiusmodi defectus boni nihil est; sed omne quod est a divina iustitia, aliquid est; ergo ista sublatio non est a divina iustitia.

2. Item, Anselmus[4]: « Iniustitia[s] omnino nihil est, sicut caecitas. Non enim est aliud caecitas quam absentia visus, ubi debet esse, quae non magis est in oculo, ubi debet esse, quam in ligno, ubi non debet esse ». A simili patet quod inaequalitas qualitatum nihil est; ergo non fuit in corpore Adae a divina iustitia.

3. Item, in inflictione iusta alicuius requiritur quod aliquid infligatur et propter aliquid; sed illa absentia aequalitatis, ut tactum est[5], nihil est, neque[t] peccatum, propter quod dicitur fuisse inflicta, aliquid est[u]. — Quod autem peccatum nihil sit, habetur ab Anselmo, *De conceptu virginali*[6]. Dicit enim: « Sicut iniustitia nihil aliud est quam absentia debitae iustitiae[v], sic malum non est aliud quam absentia debiti boni; deesse vero[x] bonum, quod debet adesse, non est aliquid esse ». Et ex hoc concludit ipse quod malum sive peccatum esse non est aliquid esse. Ex hoc sequitur idem quod prius.

4. Item, potest quaeri unde defectus iste sive absentia erat, ex quo nulla fiebat circa corpus illud operatio a Deo neque ab alio.

5. Item, videtur quod iniuste sit corpori illata haec inaequalitas. Si[y] enim lege naturali condita a divina iustitia tenebantur membra obedire

---

[a] F *vivificans*, Z *vivificam*; V om. *eam*, F *esse* pro *eam*. [b] Z om. [c] V om. *h. e. f. i. c.* [d] Ita V, alii om. *i. i.* [e] V add. *in libro.* [f] V om. [g] STLZ *effectusque* pro *e. e.*, quod R corr. [h] Ita FR (corr.), alii *equalitate.* [i] F *physica.* [k] T om. [l] V *hanc* pro *h. a.* [m] SL *movendi.* [n] Ita VF, alii *qualitatis.* [o] V om. [p] Ita F, alii om. [q] V om. *s. s.* [r] Ita FR, alii *ad.* [s] STLZ *iustitia*, quod R corr.; V om. *Anselmus.* [t] S *nisi.* [u] Ita F, alii om. *a. e.* [v] T om. [x] S *nec.* [y] V *nam.*

[1] Scotus Eriugena, *De cael. hier.*, I, § 2 et *Expos.*, in h. l. (PL 122, 1038, 135).
[2] Cf. lib. XIV, c. 26 (PL 41, 434).
[3] PL 158, 439.
[4] Loc. cit. (PL 158, 438).
[5] Cf. supra, sub nn. 1-2.
[6] Loc. cit. (PL 158, 439).

voluntati illa moventi, immo peccarent ordinem impositum transgrediendo, si non moverentur ad voluntatis nutum [a]: ergo iniuste actum est cum corpore, infligendo poenam illam quae est in ipso. Unde Anselmus, in [b] libro *De conceptu virginali*, cap. 4 [1]: « [Si] de actionibus voluntariis, quae iniuste fiunt, arguuntur membra et sensus, quibus fiunt, respondere possunt: Deus nos et potestatem, quae in nobis est, subiecit voluntati, ut ad imperium eius non possimus non movere nos et facere quod vult, immo illa movet nos velut instrumenta sua et facit opera quae videmur facere, nec nos possumus illi per nos resistere, nec opera, quae facit, possunt non fieri; divinae legi, quam nobis Deus dedit, nec debemus nec possumus non obedire; cum illi obedimus, Deo, qui [c] nobis hanc dedit legem, obedimus [d]. Ergo quid peccant membra vel sensus vel opera, quae Deus sic subiecit voluntati, si servant quae Deus illis ordinavit? Quidquid [e] ergo faciunt, totum imputandum est voluntati ».

[Solutio]: Ad hoc dicendum [f] quod illa aequalitas fuit sublata a divina iustitia.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur in contrarium, scilicet quod 'defectus aequalitatis nihil est, ergo non est a divina [g] iustitia' etc.: dicendum quod Deus non est solummodo causa conditionis rerum sive productionis in esse, sed custodiae earum et salutis. Unde Dionysius, *De divinis nominibus* [2]: « Divina iustitia et salus omnium laudatur essentiam et ordinem salvans et custodiens ». Quia ergo, peccato Adae exigente [h], non salvavit Deus in illo aequalitatem illam, necessario defecit. Unde illo modo loquendi, quo ille dicitur subtrahere beneficium vel auferre qui non praestat ut solet, dicitur illa aequalitas [i] subtracta vel sublata a Deo, et quia, peccato eius exigente, dicitur iuste sublata sive subtracta [k] a divina iustitia. Cum ergo dicitur quod 'illud, quod est [l] a divina iustitia, aliquid est', dicendum quod [m] quandoque dicitur Deus agere de iustitia, et tunc quod est a [n] divina iustitia, aliquid est; quandoque cessare ab actione, et tunc quod divina iustitia est, defectus est sive carentia boni praehabiti; et sic est in casu proposito: quia enim Deus cessavit ab actione conservationis praehabitae aequalitatis in corpore Adae, illa defecit et subsecuta est inaequalitas in illo.

2. Ex iis ergo patet responsio ad aliud [a] quod sequitur.

4. Ad consequenter quaesitum dicendum quod illa absentia aequalitatis et defectus provenit ex cessatione virtutis divinae ab actione conservationis, non ex hoc quod aliquid fecerit sive [b] agendo reliquerit in corpore illo [c].

3. Ad tertium dicendum [d] quod Anselmus, *De conceptu virginali*, cap. 5 [3], determinato quod peccatum nihil est [e], ponit hanc quaestionem: « Si peccatum nihil est, cur [f] punit Deus hominem pro peccato, cum pro nihilo nemo puniri debeat? » Et determinat hanc quaestionem sic, quod, « licet nihil sit absentia iustitiae et ubi debet esse et ubi non debet esse [g] », non tamen est peccatum et [h] ubi non debet esse, sed solum ubi debet esse. Peccatum ergo dicit haec duo sive concernit absentiam iustitiae [i] ubi debet esse. Unde, licet absentia iustitiae nihil sit, tamen [k] debitum habendi illam aliquid ponit. Unde, cum Dominus non puniat creaturas pro absentia iustitiae in quibus iustitia esse non debet, sed solum illas in quibus esse debet, non omnino [l] punit pro nihilo, quia punit pro debito habendi, cum absit quod adesse debet. Dicit autem sic: « Licet pariter nihil sit absentia iustitiae et ubi debet esse iustitia et ubi non debet esse, punit tamen Deus recte peccatores, non pro nihilo, sed propter aliquid. Creaturas autem, in quibus iustitia esse non debet, non punit pro absentia iustitiae, hoc est pro nihilo, quia non est aliquid quod ab illis exigat, nec ordo congruus universitatis rerum hoc expostulat. Sic itaque, cum punit Deus pro peccato, quod est absentia debitae iustitiae, quae nihil est, non omnino punit pro nihilo; et verum est, quia [m] nisi sit aliquid, propter quod punire debeat, omnino non [n] punit pro nihilo ».

5. Ad ultimum respondet Anselmus [4]: « Cum nihil sit poena alicui nisi quod est contra voluntatem, membra autem vel [o] sensus voluntatem non habent per se, sicut voluntas in corpore operatur, ita ipsa in corpore aut torquetur aut delectatur ». Punita ergo erat voluntas Adae in hoc defectu, quia multiplices et frequentes sustinuit ex hoc molestias.

---

[a] L *meritum*. [b] Ita F, alii om. [c] T *in*. [d] V om. *Deo... obedimus*. [e] Ita VF, alii *quid*. [f] V *Respondeo ad hoc dicunt* pro *A. h. d.* [g] V *summa*. [h] L *existente*. [i] S *qualitas*. [k] Ita V, alii om. [l] T om. [m] T om. [n] Ita F, alii om.
[a] FZ *illud; F om. ergo*. [b] V *immo*. [c] S om. [d] Ita V, alii *notandum*. [e] L om. [f] R *quare*. [g] VSTL om. *e. u. n. d. e.*, in RZ est add. mg. [h] F om. [i] F add. *et*. [k] Ita F, alii om. [l] V om., L *ideo*. [m] F *quod*; S *nihil* pro *nisi*. [n] F om. [o] Z om.

1 PL 158, 438.
2 Cap. 8, § 9 (PG 3, 895, PL 122, 1159).
3 Cap. 6 (PL 158, 440), ubi et sequentia.
4 Loc. cit., c. 5 (PL 158, 438).

442

CAPUT III.

UTRUM ILLA AEQUALITAS FUIT DIVINA IUSTITIA RESTITUTA PER GRATIAM.

Sequitur inquirere utrum illa aequalitas, divina iustitia sublata propter peccatum, fuit divina iustitia restituta per gratiam.

Et videtur quod sic: 1. Si oppositum est causa oppositi, et propositum [a] propositi [1], et hoc est consonum omni aequitati et iustitiae; ergo, si aversio a summe aequalibus, scilicet tribus personis, et summe indivisibili, scilicet [b] divina essentia, fuit causa divisionis et inaequalitatis in corpore Adae, igitur conversio ad idem et eadem [c] per recuperationem [d] gratiae sive per gratiam debuit esse causa aequalitatis reparatae [e]; sicut ergo aversio iuste fuit causa inaequalitatis, et conversio iuste fuit causa [f] reparationis aequalitatis vel esse debuit.

2. Item, iustum est Deum esse summe misericordem [g] sicut summe bonum: misericordia enim bonitas est; unde Anselmus [h 2]: « Ideo misericors es, quia totus et summe bonus es [i] »; iustum enim est ipsum esse summum [k] in omni bono; sed summa misericordia est qua maior excogitari non potest, sicut summa bonitas, summa potentia [l], summa scientia; sed si gratia data de misericordia non essent omnia reparata et restituta quae sunt amissa per peccatum de iustitia, posset maior misericordia excogitari, scilicet illa qua [m] omnia essent restituta; igitur misericordia, quam Deum habere iustum fuit, debuit fieri omnium amissorum reparatio; igitur et aequalitatis; ergo [n] de iustitia debuit esse illius reparatio.

3. Item, Matth. 8,15: *Dimisit eam febris et surrexit et ministrabat* [o] *eis*, Glossa [3]: « Sanitas quae datur Domini imperio, tota simul redit [p] ». Sed sanitas dabatur Adae in receptione gratiae post lapsum; ergo tota rediit; sed ante lapsum erat in corpore eius summa sanitas, ut dicit Augustinus [4]; ergo, cum illa redire non posset nisi rediisset aequalitas praedicta, ergo [q] etc.

Contra [5]: *a.* Si primi parentes non peccassent, propagata esset natura humana quantum ad corpus in illa integritate, in qua condita fuit, et ita esset propagata in [a] ista aequalitate virtutum elementarium, in qua condita fuit; et hoc iustum [b] erat, quia, ut dicit Anselmus, 2 cap. *De conceptu virginali* [6], « tota humana natura in illis erat et extra ipsos nihil erat »; sed qua ratione iustum erat ut natura illa esset propagata in sua integritate in qua erat, et iustum erat ut esset propagata in illa corruptione et inaequalitate in [c] qua illa erat. Hoc concludit Anselmus, 2 cap. *De conceptu virginali*, dicens [7]: « Sicut itaque si non peccasset, qualis facta est a Deo, talis propagaretur, ita post peccatum qualem se peccando [d] fecit, talis propagatur ». Ex hoc patet quod illud quod fuit corruptum in corpore primi hominis, non debuit reparari, sed ipsa natura humana sive [e] corporea in sua corruptione propagari.

[Solutio]: Quod concedimus. Praeter hanc rationem alia est haec [f]: Ut habetur Rom. 6,23, *stipendium* [g] *peccati mors* [h], et hoc iusto Dei iudicio, propter [i] quod primus homo peccando iuste fuit addictus necessitati moriendi; ad casum autem ab aequalitate [k] et carentiam illius sequitur divisio et pugna ipsorum mixtorum in corpore illius, quae praeparant et disponunt ad dissolutionem et animae separationem, quibus executum [l] est decretum divinae [m] iustitiae de poena debita peccato; Dominus ergo, qui iusto iudicio decrevit ipsum pro peccato morte [n] puniendum, defectum inducentem [o] mortem non debuit reparare, ne [p] sic impediret quod futurum decreverat. Ut enim [q] dicit Augustinus, *Super Genesim ad litteram*, VI [r 8]: « Tam non facit Deus contra [s] causam, quam sine dubio [t] volens praestituit, quam contra voluntatem suam non facit ». Quia ergo non praestituit contra voluntatem suam [u] quod esset causa mortis, nec debet aliquid facere unde mors non sequatur peccatum. Propter quod dicitur Gen. 3,22-23: *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam et sumat de ligno vitae* [v] *et comedat*

---

[a] Ita F, alii add. *est causa.* [b] V om. *tribus... scilicet.* [c] F *vel eumdem* pro *e. e.* [d] V *temperationem.* [e] V *temperate,* SLZ *separate.* [f] S om. *inaequalitatis... causa.* [g] V *misericordie.* [h] F *Augustinus.* [i] R om. [k] F *bonum summum et;* T om. *enim.* [l] F *sapientia.* [m] T add. *divina.* [n] F add. *et.* [o] Z *ministravit.* [p] V *dedit.* [q] Ita F, alii om.

[a] L (corr.) *quia.* [b] F *iustitia.* [c] L om. [d] R om. [e] V *fuit.* [f] V *hic.* [g] F *stipendia.* [h] F add. *est.* [i] Ita FL (corr.), alii *sed.* [k] Z *ob equalitatem* pro *a. a.* [l] L *exutum.* [m] S *anime.* [n] F add. *fore.* [o] S *ducentem.* [p] V *ut,* SZ *nec.* [q] T om. [r] F add. *libro;* V *cum* pro *tam.* [s] L om., V *habet.* [t] V *sint duo* pro *s. d.* [u] V om. *non facit... suam.* [v] Z om.

1 Cf. Aristot., *Topic.*, IV, c. 4 (I, 212).
2 *Proslog.*, c. 9 (PL 158, 232).
3 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 113).
4 Cf. *De civit. Dei*, XIV, c. 26 (PL 41, 434).
5 Cf. supra, num. 315.
6 PL 158, 434.
7 Loc. cit.
8 Cap. 18 (PL 34, 351).

et vivat in aeternum. Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis etc.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo [a] obiectum in contrarium, dicendum quod gratiae imperfectae, ut [b] quae est viatoris [c], effectus est liberare a dominio peccati, non a [d] defectibus corporis; gratiae autem perfectae, ut quae est comprehensoris, effectus est liberare ab illis. Unde Augustinus, *Contra Iulianum*, libro VI [1]: « Gratia perfecte novum hominem facit, quandoquidem, quantum ad corpus attinet, ad immortalitatem plenamque felicitatem [e] ipsa perducit. Nunc autem ipsa perfecte innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omni dominio peccati, non quantum attinet ad liberationem ab omnibus malis et ab omni corruptione mortalitatis [f] qua nunc *corpus aggravat animam* », Sap. 9, 15. — Ad illud [g] quod obicitur ' si oppositum est causa oppositi ' etc.: dicendum quod verum est, secundum quod causae oppositae comparantur ad effectus immediatos et proprios, ut si [h] albedo est causa disgregationis [2], et nigredo congregationis; proprius autem effectus peccati non est inaequalitas corporis, sed deformatio imaginis [i] Dei in anima, cuius reformatio est per gratiam. — Vel aliter potest dici quod inaequalitatis [k] qualitatum in corpore Adae non fuit peccatum causa, in quantum est sive erat [l] oppositum gratiae, sed potius in quantum oppositum [m] naturali iustitiae; unde, cum non sit per gratiam reparatio [n] naturalis iustitiae, nec est reparatio illius inaequalitatis. Praeterea, peccatum non fuit causa inaequalitatis praedictae nisi meritoria; similiter est gratia causa [o] meritoria reparationis aequalitatis. Quare autem non statim adveniente gratia facta est reparatio, plures sunt rationes, quarum una est illa quae tacta est [3], scilicet quod haec [p] inaequalitas disponit et [q] praeparat quodam modo ad executionem divini decreti, cui contraire non deceret. Alia est ratio Anselmi praetacta [4].

2. Ad aliud dicendum quod Deus est summe misericors, sicut summe bonus, summe potens, summe sapiens; sed sicut non deceret aliquid fieri ab eius potestate vel [r] bonitate, quo derogaretur eius sapientiae — dicit enim Augustinus, IX *Super Genesim* [5]: « Neque potentia temeraria, sed sapiente [a] virtute omnipotens est » — sic [b] non deceret aliquid fieri de misericordia, quo derogaretur eius iustitiae. Ad hoc ergo quod obicitur quod ' summa misericordia [c] est qua maior excogitari non potest ' etc.: dicendum [d] quod hoc verum est, sed hoc non intelligitur in singulis operibus misericordiae. Sicut enim in operibus Dei differentibus in quadam differentia erat [e] Dei bonitas, scilicet quantum ad differentiam in effectu, verbi gratia in opere incarnationis et passionis et in aliis quibuscumque, similiter dico de operibus misericordiae; in aliquibus enim est magis divina misericordia quam in aliis. Unde, licet maior posset [f] excogitari misericordia quam illa qua reparati fuerunt casus Adae, non propter hoc sequitur quod Deus non sit summe misericors; summitas enim sive abundantia divinae misericordiae non in [g] uno effectu neque [h] in multis, quotquot essent, esse potest, sed est in voluntate miserendi. Unde sicut non sequitur ' Deus est ita bonus quod [i] melior excogitari non potest, ergo quaecumque fiunt a divina bonitate ita bona sunt [k] quod non possunt excogitari meliora fieri ', ita nec sequitur ' Deus est ita [l] misericors quod non potest excogitari magis misericors, ergo omnia quae divina [m] misericordia reparantur, ita reparantur quod non possunt excogitari melius reparari ': Deus enim, etsi sua summa [n] bonitate, summa misericordia res [o] reparet, non tamen summe.

3. Ad aliud dicendum quod Glossa illa quae dicit quod « sanitas, quae datur Domini imperio, tota simul redit », non generaliter intelligitur, sed intelligitur iuxta nutum divini imperii, sub hoc sensu: « sanitas, quae datur Domini imperio, tota simul redit », scilicet secundum Domini imperium, quia aliquando Dominus simul integram sanitatem dabat, aliquando non simul, sed successive, ut patet Marc. 8, 24-25 in caeco illuminato, qui prius vidit *homines velut arbores ambulantes* [p] et postmodum vidit *clare;* unde dicit ibi Glossa [6]: « Quem [q] uno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, ut magnitudinem humanae caecitatis ostendat, quae vix et quasi per gradus ad lucem redeat ». Et sic non est generaliter et ubique intelligendum quod dicitur: « sanitas tota simul redit ».

---

[a] F *primum*. [b] V om. [c] R *motoris*. [d] V om. [e] T om., V *facilitatem*. [f] F *immortalitatis*. [g] STLZ om., in R est add. interl. [h] V om. [i] Z om. [k] Z *inequalitas*. [l] Ita F, alii *erit*. [m] S om., F *opponitur*. [n] Ita FZ (mg.), alii om. [o] Ita F, alii om. [p] S om. [q] L *ut*. [r] Ita F, alii add. *a*.

[a] Ita F, alii *sapientie*. [b] VL *sicut*. [c] Ita F, alii om. [d] V om. [e] S om. [f] V *possit*. [g] Ita V, alii om. [h] Ita FR (corr.), alii *sed*. [i] F *quo*. [k] Ita F, alii *fiunt*. [l] Z om. [m] Ita F, alii *de sua*. [n] T om.; L om. *s. b.* [o] F *sua*. [p] F om. [q] VFR *quod*.

1 Cap. 13, n. 40 (PL 44, 844).
2 Cf. Aristot., *Topic.*, III, c. 4 (I, 203).
3 Cf. supra, p. 542, *Solutio*.
4 Cf. supra, p. 542, nota 7.
5 Cap. 17, n. 32 (PL 34, 406).
6 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 210).

QUAESTIO IV.

DE CAUSA FINALI CORPORIS ADAE.

Deinde quaeritur de causa finali corporis ipsius Adae, et quaeruntur tria: Primo [a], si voluptas carnalis est finis illius; secundo, si anima; tertio, si Deus.

443 CAPUT I.

UTRUM VOLUPTAS CARNALIS FUIT FINIS CORPORIS ADAE.

Quaeritur ergo primo si voluptas carnalis [b] fuit finis corporis primi hominis [c].

Quod sic, videtur: 1. Rerum differentium in substantia sunt fines differentes in substantia: unicuique enim respondet finis proprius; sed corpus et anima differunt in substantia; ergo eorum fines sunt differentes, et non differentia quacumque, sed differentia respondente relatione conformi, quae reperitur penes spirituale et corporale, eo modo quo corporale respondet corpori et spirituale spirituali; sed voluptas spiritualis erat finis animae eius; ergo voluptas corporalis erat finis corporis.

2. Item, sicut se habet spiritus ad spirituale, sic se habet corpus ad corporale; ergo eodem apposito utrique consimiliter [d] se habebunt; ergo si spiritus se habet ad voluptatem spiritualem ut ad finem, ergo et [e] corpus se habebit ad voluptatem corporalem ut ad finem, et ita [f] ut prius.

3. Item, solummodo rationalis creatura et intellectualis aptae sunt ad appetendum quod est maius se et supra se: aliae enim creaturae, quia appetunt appetitu naturali, qui quidem appetitus reflectitur in suum subiectum, non extendunt se ad aliquid quod est supra illud, sed terminatur earum appetitus in appetendo quod est suis subiectis delectabile; ergo, si appetitus rerum est maxime respectu [g] finium suorum, finis corporis cuiuscumque, in quantum huiusmodi, terminatur in delectatione sive voluptate corporali; ergo etc.

4. Item, homo quantum ad corpus et corporales proprietates convenit cum brutis; ergo quantum ad ea quae corpus [h] consequuntur, similiter convenit; sed in brutis est finis voluptas [i] corporalis; ergo, cum hoc sit generale et conveniens homini simpliciter, convenit primo homini; ergo etc.

Contra [k]: *a.* Corpus hominis animatum sive homo ipse est in propinqua materia et magis dispositum ad voluptatem [l] carnalem quam corpus simpliciter; ergo, si corpus hominis anima perfectum sive ipse homo non habet finem voluptatem corporalem, multo fortius nec corpus simpliciter [m]. — Quod autem corporis humani sive ipsius hominis non sit finis voluptas carnalis, ostenditur sic: Omne quod appetitur, sub ratione delectabilis appetitur; si ergo voluptas carnalis non habet rationem delectabilis, sed afflictivi, patet ipsam non esse in ratione finis. Boethius, in [n] libro *De consolatione* [1]: « Quid loquar de corporis voluptatibus, quarum appetentia plena est anxietatis, satietas vero poenitentiae? Quantos illae [o] morbos, quam intolerabiles dolores, quasi [p] quemdam fructum nequitiae fruentium solent [q] ferre corporibus! »

b. Praeterea, Tullius, in *Paradoxis* [2]: « Dicunt quidam voluptatem summum bonum. Quae quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum, cum tibi sive Deus sive mater, ut ita dicam, omnium [r] rerum, natura, dederit animum, quo nihil praestantius atque divinius sit. Te ipse abicies [s] atque prosternes, ut nihil inter te et quadrupedem interesse putes? » Ex iis ergo patet quod voluptas carnis non est finis corporis humani informati anima sive ipsius hominis; ergo etc.

c. Item, corporis, in quantum est corpus, nulla est concupiscentia. Ut enim habetur in Glossa

---

[a] STL om. [b] V *carnis.* [c] F *Ade* pro *p. h.* [d] V *a simili.* [e] Ita F, alii om. [f] Ita VF, alii om. [g] V *quod.* [h] F *corpora;* S om. *quae.* [i] Ita F, alii *voluptatis.* [k] V *item.* [l] V *voluntatem.* [m] F *simplex.* [n] STR *ultimo,* quod L corr. [o] TF *illos.* [p] S *quod.* [q] S *solet.* [r] SL *omni.* [s] V *adicies,* S *abiciens;* Z *ipso* pro *ipse.*

[1] Lib. III, pr. 7 (PL 63, 749). [2] Lib. I, n. 3.

Augustini[1], super illud ad Gal.[a] 5, 17: *Caro concupiscit adversus spiritum:* « Caro nihil nisi per animam concupiscit »; sed concupiscere dicitur, cum anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur; sed voluptas carnalis nullius est nisi concupiscentis; ergo voluptas carnalis, si[b] est finis alicuius, nullius est finis nisi concupiscentis, quale non fuit corpus Adae[c] in quantum corpus.

Respondeo[d] quod corporis[e], in quantum est[f] corpus simpliciter, non informatum neque motum[g] ab anima, nullo modo voluptas carnalis est finis. Ut enim habetur ab[h] Anselmo, *De conceptu Virginis,* 4 cap.[2]: « Nihil poenam sentit[i] et delectationem nisi quod habet voluntatem »; et ita nihil est voluptuosum aut delectabile corpori simpliciter, sed solummodo rei habenti voluntatem[k]; unde corporis Adae, in quantum corpus[l], non erat voluptas carnalis finis.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo ergo[m] obiectum dicendum quod bene[n] verum est quod diversorum secundum substantiam sunt diversi fines respondentes relatione conformi, sed ex hoc non sequitur quod corporis et animae sint fines voluptas carnalis et voluptas spiritualis: haec enim non respondent illis[o] relatione conformi. — Quod patet, cum voluptas carnalis non appetatur aliquo modo a corpore in quantum huiusmodi; quod oporteret, si esset finis eius, sicut voluptas spiritualis appetitur a spiritu. — Si autem arguatur ad idem per regulam illam[p] 'si oppositum est causa oppositi, et propositum erit[q] propositi'[3] etc.: dici potest quod corpus Adae et anima illius non habent[r] illius rationem oppositionis quam habent opposita, circa quae tenet huiusmodi modus arguendi, licet disparationem habeant et naturarum differentiam, quoniam substantialiter conveniunt et unam constituunt personam, et unum ad aliud ordinatur sicut perfectibile ad suam perfectionem: unde finis unius ex altero dependet.

2. Ad aliud dicendum quod voluptas, secundum quod additur iis quae dico 'spiritualis' et 'carnalis', non est eiusdem[s] rationis: trahitur enim ad significandum diversa prout illis additur, ita ut huic addita vitium[t] sonet et peccatum, illi autem contrarium. Unde sicut in alia facultate dicitur quod saepe in definitionibus latet assequens aequivocum[4] — verbi gratia, significativum et perfectivum sanitatis est quod mediocriter se habet ad sanitatem[a], quod dicitur 'mediocriter' dicit hic[b] mediocritatem in significando, ibi[c] in faciendo — sic quodam modo est in proposito quantum ad hoc quod voluptas huic addita unum significat, illi addita[d] aliud.

3. Ad aliud quod sequitur dicendum quod, licet omnia bonum appetant[5], quod quidem bonum est participatio esse divini, differens tamen est appetitus rerum secundum differentiam perfectionum[e] earumdem. Unde alterius est appetitus inanimati, ut lapidis, quia participationis divini esse in continuatione essendi[f]; alterius est appetitus plantae, quia participationis divini esse in continuatione essendi et[g] vivendi; alterius est appetitus animalis, bruti scilicet, quia participationis divini esse in continuatione essendi[h], vivendi et sentiendi sive cognoscendi; alterius est appetitus rationalis creaturae, quia participationis[i] esse divini in praedictis et in coniunctione cum Optimo per gloriam, quae est finis eius et beatitudo, nec ante assecutionem huius stat[k] appetitus creaturae rationalis[l], cui nihil minus Deo sufficit. Augustinus[6]: « Tantae dignitatis est humana conditio, ut nullum[m] bonum praeter summum ei sufficere possit ». De isto appetitu et distinctione appetentium habetur a Dionysio, *De divinis nominibus,* cap. 4[7], ubi dicitur: « Optimum concupiscunt omnia, intellectualia quidem et rationalia scienter, sensibilia[n] vero sensibiliter, sensus autem expertia[o] insito motu vitalis appetitus, inanimalia et tantummodo existentia ad solam essentialem participationem »; sensus expertia dicuntur plantae, inanimalia[p] quae nullo genere animae animantur, ut lapides. Haec[q] omnia optimum appetunt, id est[r] participationem esse divini, non solummodo ut sint, sed ut consistant. Unde cap. 1 eiusdem dicitur[8]: « Ipsam », id est divinam providentiam, « omnia desiderant ». Commentator[9]: « Omnia divinam providentiam desiderant[s], per quam sunt et consistunt ». Dicendum ergo quod, quia[t] corpus primi hominis conditum fuit ut perfectibile anima rationali et illa mediante beatificabile, appetitus illius non erat determinatus circa voluptatem corporalem

---

[a] V *Cor.* [b] V *non.* [c] V *anima.* [d] F *responsio.* [e] F add. *Ade.* [f] Z om. [g] V om. *n. m.* [h] S *in.* [i] V *incutit.* [k] V *voluptatem,* item infra. [l] Ita VF, alii *corporis;* VZ *erit* pro *erat.* [m] F om. [n] V om. [o] Ita V, alii *altis.* [p] S om. [q] V add. *causa.* [r] V *habuit.* [s] V *quid.* [t] V *malum.*

[a] Ita FR (mg.), alii om. *a. s.* [b] V om. [c] V *vel.* [d] F add. *significat.* [e] F *dominium perfectionis* pro *d. p.* [f] F add. *et non vivendi.* [g] S *ut.* [h] F add. *et.* [i] F *participatio.* [k] F *status.* [l] F add. *terminabitur.* [m] Z *nullius.* [n] Ita VF, alii *sensualia;* F *sensualiter* pro *sensibiliter.* [o] F *experientia,* item infra; S *in suo* pro *insito.* [p] V *animalia et.* [q] Z add. *enim.* [r] V *et* pro *i. e.* [s] V om. *Commentator... desiderant.* [t] Ita F, alii om.

1 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 584), ex Augustino, *De Gen. ad litt.*, X, c. 12 (PL 34, 416sq.).
2 PL 158, 438.
3 Cf. Aristot., *Topic.*, IV, c. 4 (I, 212).
4 Cf. Aristot., *Topic.*, VI, c. 10 (I, 249).
5 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 104.
6 *De spir. et anima*, c. 14 (PL 40, 790).
7 § 4 et c. 1, § 5 (PG 3, 699, 395, PL 122, 1131, 1117).
8 § 5 (PG 3, 395, PL 122, 1117).
9 Maximus Conf., *Scholia*, in h. l. (PG 4, 206).

sive carnalem, sed extendebatur ad sui beatificationem: unde beatitudinem appetebat tamquam finem ultimum. Licet igitur aliorum corporum sive rerum corporalium determinatus sit [a] appetitus circa voluptuosa sensibilia sive corporales delectationes, et hoc quia illorum [b] amor sive appetitus est pure naturalis, scilicet reflexus supra sua subiecta, non sic est de appetitu corporis primi hominis, qui extendebat se ad illius assecutionem [c], quo suam assequeretur beatitudinem, et hoc figura eiusdem [d] praetendit. Unde Basilius, *Hexaëmeron,* IX [1]: « Pecudes omnes terrenae sunt, ob [e] hoc inclinantur ad terram; sed alia est plantatio caelestis, homo, qui quantum habitu figurae, tantum dignitate distat a pecoribus. Illorum facies deorsum flexa est uterumque prospectat, et quod [f] libidini iucundum est, hoc sectatur; tuum vero caput ad caelum semper erigitur, oculi tui superna respiciunt. Sed, si tu quoque te corporis foedaveris voluptate, obediendo luxui [g] ventris et inferioribus eius partibus, *comparatus es iumentis insipientibus et similis factus es illis* [2] ». — Ad illud [h] ergo quod obicitur quod 'appetitus corporis cuiuscumque terminatur in voluptate corporali sive carnali': dicendum quod non est verum, et est instantia in corpore humano, cuius perfectio est anima rationalis, qua mediante est particeps esse divini eo modo quo dictum est [3]. Aliorum autem animalium appetitus terminatur in voluptate corporali, quorum perfectio est ab anima sensitiva: voluptate dico naturali, quae attenditur in delectatione cibabilis, quod requiritur ad restaurationem deperditi et sic ad conservationem [i] individui, vel in decisione seminis, quae requiritur ad [k] salvationem speciei.

4. Ad hoc quod postea obicitur quod 'corpus hominis convenit cum brutis': dicendum quod hoc non est verum quantum ad tendentiam [l] ad finem consimilem, licet forte verum sit quantum ad quasdam conditiones generales. — Quod autem dicit Augustinus, XII *De Trinitate* [4], 'hominem habere aliquid commune cum brutis', hoc non est ratione corporis simpliciter, sed ratione impetus passionum sive motuum insurgentium [m] ex sensualitate [5]. Ut enim habetur ab Augustino [6], « carnalis vel sensualis animae motus, qui in sensibus corporis intenditur, nobis pecoribusque communis est ». Unde commune illud quod habet homo cum brutis, unde appetit voluptatem corporalem, non communicabat corpus Adae secundum quod hic intendimus de ipso, hoc est in quantum erat [n] corpus simpliciter, non coniunctum animae.

a. Ad illud [o] quod obicitur pro alia parte, scilicet quod 'voluptas [p] corporalis est afflictiva' etc., quia ratio sophistica est, licet verum concludat, dicendum quod hoc non est quia voluptas, sed quia ducta [q] cum excessu et culpa, quae fit cum [r] remorsu conscientiae, secundum quod dicit Augustinus, in III *De* [s] *libero arbitrio* [7], quod in nullo instanti permittit Deus dedecus peccati sine decore vindictae.

444

CAPUT II.

UTRUM ANIMA FUERIT FINIS CORPORIS ADAE.

Deinde quaeritur si anima est finis corporis.

Quod sic, videtur: 1. Augustinus, *De moribus Ecclesiae,* cap. 4 [8]: « Corporis si quaerimus quid optimum sit, id certa ratio cogit fateri per quod [t] fit ut sese corpus optime habeat [u]. Nihil est autem omnium quae vegetant corpus anima melius atque praestantius. Est [v] ergo summum bonum corporis non voluptas eius, non vires, non pulcritudo, non velocitas et si quid [x] aliud in bonis corporis numerari solet, sed omnino anima. Nam ista, quae commemorata sunt, praesentia sui exhibet corpori et, quod antecellit omnibus, vitam ». Sed illud est finis quod est summum et optimum rei [9]; ergo etc.

2. Item, secundum Gregorium Nazianzenum [10]: « Hoc est anima corpori quod Deus animae »; sed Deus est finis animae; ergo anima corporis [y].

3. Item, secundum Philosophum, in *Metaphysicis,* libro V [z] [11], finis est ex quo fit motus;

---

[a] Ita VF, alii om. [b] V *illarum;* T *amorum* pro *amor.* [c] Z *executionem;* V om. *se.* [d] F *eius.* [e] V *ab.* [f] F add. *eius.* [g] VF *fluxui,* quod L corr. [h] Ita VFR (interl.), alii om. [i] V *servationem* [k] T add. *conservationem vel;* F *quod* pro *quae.* [l] Ita F, alii *tendentia.* [m] F *resurgentium.* [n] F *est.* [o] Ita VFR (interl.), alii om. [p] Ita F, alii *voluntas.* [q] VZ *dicta,* STRL *dieta.* [r] Z *in.* [s] Ita FR (corr.), alii om. *III. De.* [t] V *quid.* [u] L *habebat.* [v] F om. [x] Ita FR (corr.), alii *numquid* pro *s. q.* [y] S om. *e. a. c.* [z] VST om. *l. v.*; T om. *secundum.*

1 Hom. 9, n. 2 (PG 29, 191, PG 30, 960).
2 Psalm. 48, 12.
3 Cf. supra, *ad 3.*
4 Cap. 12, n. 17 (PL 42, 1007).
5 Cf. supra, num. 363-366.
6 Loc. cit.
7 Cf. c. 9, n. 26 (PL 32, 1284).
8 Lib. I, c. 5, n. 7 (PL 32, 1313).
9 Cf. Aristot., *Mor. Eudem.,* II, c. 1 (II, 192).
10 *Oratio apologetica* II, n. 17 (PG 35, 428).
11 Lib. IV, c. 17 (II, 528).

sed ex influentia animae fit motus in corpore; ut enim dicit Philosophus, in fine I *De anima* [a] [1], recedente anima corpus exspirat et marcescit: ex quo patet [b] quod movetur ab anima; ergo anima est finis illius. Ex iis videtur quod finis corporis Adae fuit anima.

4. Praeterea, omnes dispositiones materiales ordinantur ad ultimam formam ut ad finem et ad quod stant; sed omnia corpora ordinantur ad animam, similiter omnes dispositiones materiales secundum Avicennam, in principio *De anima* [2], et secundum Aristotelem, in II *De anima* [3], dicentem omnia corpora esse instrumenta animae [c]; et inde ut prius.

Contra *a*. Finis est in ratione boni [4]: unde nihil deterius efficitur ex assecutione finis; sed corpus primi hominis deterius efficiebatur ex anima, quia ab illa corruptionem contraxit, et harmoniam [d] aequalitatis, in qua conditum erat, amisit; ergo etc.

b. Item, finis extra rem, de cuiusmodi nunc intendimus, non est idem quod forma eiusdem: licet enim tres causae in unam incidant, scilicet efficiens, formalis et finalis, quod potest esse de fine intra, qui est finiens actionem sive motum operantis, nunquam tamen forma et finis extra in [e] unam causam incidunt; sed anima fuit forma et perfectio corporis Adae; ergo etc.

c. Item, dicitur [f] in *Commento* super 13 propositionem libri *De causis* [5], quod « anima facta est causa corporis »; ergo non est finis corporis, sed potius e converso, cum finis sit cuius gratia fiunt alia [6].

Respondeo quod sumendo finem proprie, prout definitur 'cuius gratia sunt alia', ut quod est primum in [g] intentione et ultimum in [h] executione [7], anima non fuit finis corporis Adae. Si autem distinguatur finis, ut dicatur finis sub fine sive propinquus et remotus, sic potest dici anima, immo potius unio corporis cum anima, fuisse finis corporis illius. Nota ergo quod corpus Adae potest considerari quantum ad statum conditionis sive quo condebatur [i], quantum ad statum unionis cum anima sive quo uniebatur, et [k] quantum ad statum remunerationis. Prout consideratur in primo statu, erat [l] finis duplex: primus sive propinquus, unio cum anima; secundus sive consequens, aptitudo ad meritum beatificationis. Propter hoc enim fecit Deus corpus Adae, ut animae uniretur et mediante illa unione efficeretur aptum [m] ad merendum beatitudinem cooperando ipsi animae. Prout autem consideratur in statu coniunctionis, multiplex est eius finis: duplex ex parte animae et duplex ex parte illius. Ex parte animae est primus exercitium bonarum [n] operationum ordinatarum ministerio eiusdem, non operationum voluptatis, quae nullo modo cadunt [o] sub fine conditionis illius neque unionis cum anima: non enim condidit Deus corpus illud neque animae univit hoc fine ut converteretur ad explenda opera voluptatis. Secundus est augmentum meriti in exercendo debite et ordinate huiusmodi opera; propter hoc autem voluit Deus quod corpus animae uniretur ut anima illo mediante ordinate operaretur et operando mereretur. Gregorius Nazianzenus [8]: « Una causa quare colligavit Deus animam corpori, quantum [p] ego opinor, est ut per agones certaminum, quae sunt adversus terrena [q], caelestis gloriae hereditatem petat [r], et, sicut aurum igni, praesentis vitae aerumnarum probetur examine, quo virtutis praemia [s], non ex Dei dono tantum speret, sed ut vere virtus summum ei bonum sit, sic eam opere et labore conquirat, ut a Creatore nobis naturaliter insitum videatur bonum, a nobis autem voluntate nostra ac proposito excultum et liberi arbitrii motibus [t] exterius propagatum ». Ex parte autem corporis est primus obedientia et cooperatio animae moventi, secundus dignitas ad beatificationem. Propter hoc enim univit Deus corpus Adae animae, ut illi imperanti obediret et operanti cooperaretur, ut [u] sic obediendo et cooperando efficeretur dignum [v] beatificatione. Ad haec sequitur finis obtinendus in statu remunerationis, qui est beatitudo utriusque: beatitudo enim unius, scilicet [x] corporis, dependet ex beatitudine animae [y]. Gregorius Nazianzenus [9]: « Alia causa quare Deus colligavit animam corpori est ut hanc deteriorem substantiam corporis secum traheret et sursum in supernis sedibus collocaret, et complementum gloriae ipsius animae quodam modo dependeret ex gloria corporis ». Augustinus, ultimo *Super Genesim ad litteram* [10]: « Inest animae quidam naturalis appetitus corpus administrandi, quo appetitu [z] retardatur quodam modo ne tota intentione pergat in illud summum caelum, quamdiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat ».

---

[a] VSTL om. *i. f. I. D. a.* [b] V *apparet.* [c] Ita FR (mg.), alii om. *et secundum... animae.* [d] TLZ *harmonia.* [e] Z om. [f] L om. [g] V om. [h] F om. [i] Z *debeatur* pro *q. c.* [k] F om. [l] Ita FR, alii *erit;* R *fuit* pro *sive.* [m] Codd. *apta.* [n] Ita V, alii om. [o] V *cedunt.* [p] V *quam.* [q] V om. [r] Ita F, alii *petit.* [s] V *premio.* [t] Codd. *motus.* [u] Z *et.* [v] Codd. *digna.* [x] Ita F, alii om. [y] T om. [z] VZ *appetitui.*

1 Cap. 5 (III, 443).
2 Parte 1, prooem. (f. 1a).
3 Cap. 4 (III, 449).
4 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 3 (II, 264).
5 Est ipse textus § 13 (p. 176).
6 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 8 (II, 271).
7 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 570).
8 *Oratio apologetica* II, n. 17 (PG 35, 426sq.).
9 Loc. cit. (PG 35, 428).
10 Lib. XII, c. 25 (PL 34, 483).

Ex iis patet ordinatio finium formationis corporis Adae et eorum distinctio, quia proprie loquendo aliquis finis respondet conditioni simpliciter, aliquis conditioni addita unione cum anima, ad quos sequitur ille qui est ultimus et optimus, scilicet beatificatio. Patet etiam quod anima non est finis corporis nisi per accidens, eo modo quo dicitur homo esse finis domus, cum potius finis eius sit utilitas [a] contingenda homini, ut protectio ab imbribus et caumatibus vel tuitio a laesione.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud Augustini 'anima est optimum corporis' etc.: dicendum quod hoc intelligitur habita comparatione ad illa quae circumstant corpus in via, ut patet ex exemplis suppositis [b] et etiam ex [c] verbo Augustini, ibidem, quod est [1]: « Nihil autem omnium, quae vegetant corpus, anima melius atque praestantius », quasi dicat eorum quae circumstant corpus, dum est in vegetatione, anima est optimum eius, quia [d] est illud quo optime se habet, ut qua proficit ad beatitudinem. — Vel potest dici quod, sicut bonum non solum dicitur finis, sed quandoque quod promovet et expedit ad finem, sic optimum non solum dicitur finis summus, sed quod ad illud optime perducit sive quo mediante ad illud optime pervenitur, et sic hic.

2. Ad aliud dicendum quod similitudo illa, de qua loquitur Gregorius Nazianzenus, attenditur quantum ad effectum vivificationis. Deus enim vivificat animam infundendo ei [e] gratiam et virtutes vivificativas praecipue, ut fidem, Rom. 1, 17: *Iustus ex* sua *fide vivit,* et caritatem, I Ioan. 3, 14: *Qui non diligit manet in morte,* et eodem: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

3. Ad aliud dicendum quod finis dicitur a quo fit motus metaphorice dictus, quia finis movet efficientem [2], non quia sit proprie movens, sicut anima movet corpus.

4. Ad ultimum dicendum quod revera omnium corporum aliorum a corpore humano finis est homo, quia condita sunt ut homini deserviant, et praecipue ratione corporis. Unde Hugo, *De arrha sponsae* [f] [3]: « Respice universum mundum istum et considera si aliquid in eo [g] sit quod tibi non serviat. Omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit ut obsequiis tuis famuletur et utilitati deserviat tuisque oblectamentis pariter et [h] necessitatibus secundum affluentiam indeficientem occurrat [i]; hoc caelum, hoc [k] terra, hoc aer, hoc maria cum iis quae in eis sunt universis, explere non cessant ». Corpus autem humanum servit animae, et non solum in iis quae simpliciter et absolute sunt ipsius animae, cuiusmodi sunt scientialia [l] tantum, sed in illis quae spectant ad cultum Dei; et non servit illi ut instrumentum, sed ut organum, propter quod assequetur praemium cum ipsa anima, quod est finis eius: propter hoc enim conditum est ut huiusmodi ministerio hunc finem consequatur. Unde secus est de hoc corpore et de [m] aliis quae homini serviunt, quorum licet homo sit finis, non ex hoc sequitur quod anima sit finis corporis, cuius est perfectio et motor. Praeterea, philosophi [4] posuerunt materiales dispositiones et corpora ordinari ad animam, non quia anima sit finis eorum sive causa finalis, sed quia inter formas completivas et perfectiones corporum, ultimum gradum et terminum tenet nobilitatis et dignitatis [n], et fini simpliciter, scilicet Deo, est propinquissima.

c. Ad illud [o] quod obicitur pro alia parte quod 'anima facta est causa corporis et ita anima [p] non est finis corporis, sed [q] e converso': dicendum quod hoc non dicitur quia corpus sit causa principalis [r] quare creata sit anima, sed quia anima est causa completiva et perfectiva corporis. Unde sensus est: « anima facta est causa corporis », scilicet [s] ut sit perfectio sive causa perfectiva corporis.

445

CAPUT III.

UTRUM DEUS SIT FINIS CORPORIS ADAE.

Deinde quaeritur si Deus est finis corporis primi hominis.

Quod sic, videtur: *a.* Dionysius, *De divinis nominibus,* 4 cap. [5]: « Omnia ad se ipsam bonitas convertit, et principaliter congregatrix est dispersorum ut principalis et vivifica deitas, et omnia ipsam ut principium, ut continentiam, ut finem appetunt ». Si autem omnia ipsam [t] ut finem appetunt [u], ergo est finis omnium; ergo corporis Adae.

---

[a] S add. *et.* [b] V *super positis.* [c] F om. [d] T *qua.* [e] VT add. *per.* [f] Ita F, alii *sponsi.* [g] TRL *esse.* [h] Ita F, alii om. [i] V *occurrunt.* [k] Ita FZ, alii *hec,* item infra. [l] V *seminalia.* [m] Ita VF, alii om. [n] V *dignitatem.* [o] Ita VF, alii om. [p] V *anime.* [q] F *et.* [r] V *primordialis.* [s] V *id est.* [t] R om. [u] V om. *si... appetunt.*

1 Cf. *De morib. Eccl.,* I, c. 5 (PL 32, 1313).
2 Cf. Aristot., *Phys.,* II, c. 3 (II, 264).
3 *De arrha animae* (PL 176, 955).
4 Cf. Aristot., *De animal. generat.,* II, c. 4 (III, 353sqq.); Avicenna, loc. cit.
5 § 4 (PG 3, 699, PL 122, 1131).

b. Item, Philosophus, in *Ethicis*[1]: « Optime enuntiant bonum quod omnia optant ». Optabile ab omnibus est finis omnium; et idem est summum bonum, ut vult Dionysius[2].

c. Item, illud est finis rei, propter quod deducitur in esse ab efficiente; sed dicitur Prov. 16, 4: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* [a]; ergo ipse est finis universorum; ergo corporis Adae.

Contra: 1. Secundum Augustinum, *De Trinitate*[3], invisa possumus diligere, incognita nequaquam. Ergo motus cognitionis praecedit motum dilectionis; ergo, cum non sit ponere in corpore naturam cognitionis, nec appetitum dilectionis; et si sic, non erit Deus finis corporis, cum finis appetatur ab eo cuius est finis.

2. Praeterea, secundum Philosophum[4], finis est ultimum rei et est in re; sed Deus, etsi sit ultimum rerum omnium, tamen non est in re sicut pars rei: hoc enim modo intelligit 'esse in [b]', sicut patet in exemplo, cum dicitur 'cutis ultimus est finis corporis, et tamen est aliquid corporis'; non ergo est finis corporis ipse Deus.

3. Praeterea, cum finis sit illud ad quod est motus, ut habetur V *Primae Philosophiae*[5], et corpus non moveatur in Deum, non erit Deus finis corporis. — Quod autem corpus aliquod non moveatur in Deum [c], patet, quia omnis motus aut est circularis aut rectus aut obliquus, ut patet ex Dionysio, *De divinis nominibus*, 4 cap. [6], ubi determinat quod creaturae spirituales, scilicet [d] intellectuales et rationales sive animae, isto triplici motu moventur in Deum, dicens sic: « Et moveri quidem [e] divini dicuntur animi, circulariter quidem uniti non inchoantibus et non terminatis illuminationibus boni et optimi; directim [f] vero quandocumque [g] proveniunt in subiectorum providentiam, recta [h] omnia terminantes; oblique, quia et providentes inferioribus irreversibiliter manent in immutabilitate, circa immutabilitatis causale bonum et optimum incessanter circumeuntes ». Post ostendit illud idem de animabus[7]. Ibi dicit Commentator[8]: « Caelestibus essentiis, quas etiam caelestes angelicasque virtutes divina nominant Eloquia, nil aliud esse substantialiter a sanctis traditur patribus nisi intelligibiles, aeternos incessabilesque motus circa principium omnium, a quo et per quem et [i] in quo et ad quem et moventur et subsistunt. Est enim iste circularis motus caelestium virtutum circa suum principium: ab eodem videlicet incipiens ut a principio; per ipsum, per causas creatas currens; in ipso, ut in [k] legibus naturalibus, quae in ipso [l] sunt; ex utrisque, quas egredi nec vult nec potest nec posse vult, in ipsum ut in finem rediens. Et in sola intelligentia talis motus est: intelligunt enim se ab ipso esse et per ipsum et in ipso intellectum suum moveri, et nullum alium finem praeter illum [m] se habere non ignorant. Quid obstat ne similiter intelligamus humanos intellectus circa Deum volvi, quoniam ab ipso et per ipsum [n] et in ipso et ad ipsum sunt? Eodem namque intelligibili circulo volvuntur, praesertim cum divina Eloquia hominem ad imaginem Dei factum perhibeant ». Cum ergo nullo istorum modorum moveatur corpus aliquod in Deum nec movebatur corpus primi hominis, Deus non est finis illius.

4. Si autem diceretur quod aliae creaturae moventur hoc triplici motu in Deum — quod videtur velle Dionysius, in eodem, dicens[9]: « Et sensibilium in universo trium motuum »; ibi Expositor [10]: « Et sensibilium tres ait esse motus quos dixit » — contra: Revera bene determinat ibi tres esse motus sensibilium [o], sed non circa Deum. Unde Commentator, ibidem [11]: « Docemur [p] autem intelligere ex iis quae de anima dicta sunt, circularem quidem, quando ipsa sensibilia secundum proprias virtutes et qualitates operantur, ut ignis calefaciens et aqua frigens [q]; oblique vero [r], quando transmigranter [s] sive transmutabiliter operatur, ut ex aquis pisces et volatilia et virga Moysi in serpentem et iis similia; porro rectum, quando rursus in propria [t] principia recurrit, ut post dissolutionem factorum iterum in elementa, quae corrupta sunt, resolvuntur ».

5. Item, quaeritur unde est quod omnia appetunt Deum ut finem.

6. Praeterea, hoc non videtur verum, cum sint aliqua corpora, in quibus tota materia terminatur per formam, sicut sunt corpora supercaelestia; unde, cum in [u] talibus satisfactum sit eorum appetitui, non moventur ad aliquid appetendum, ut videtur.

---

[a] Ita F, alii *Deus.* [b] R *rei.* [c] V *ut dicunt* pro *l. D.* [d] S *id est.* [e] F *quidam,* item infra. [f] F *directi,* alii *directivi.* [g] TF *quandoque.* [h] FZ *recte.* [i] F om. [k] V *patet.* [l] Z *ipsis;* V om. *in.* [m] Z *ipsum.* [n] Z om. *e. p. i.* [o] V *sensibiles.* [p] R *docemus.* [q] R *frigefaciens.* [r] Ita VF, alii add. *que.* [s] Z *transmigrantur.* [t] V om. [u] V om.

1 Lib. I, c. 1 (II, 1).
2 Cf. *De divin. nomin.*, c. 1, § 5; c. 4, § 10 et § 35 (PG 3, 594sq., 707, 755, PL 122, 1117, 1134, 1146).
3 Lib. X, cc. 1-5 (PL 42, 971sqq.).
4 *Metaph.*, IV, c. 16 (II, 528).
5 *Metaph.*, IV, c. 17 (II, 528).
6 § 8 (PG 3, 703sq., PL 122, 1133).
7 Loc. cit., § 9 (PG 3, 706, PL 122, 1133).
8 Cf. Maxim. Conf., *Scholia* in *De divin. nomin.*, c. 4, § 9 (PG 4, 258); Abbas Vercell., *Paraphr.*, in h. l. (XVI, 204), ad sensum.
9 Loc. cit., § 10 (PG 3, 706, PL 122, 1133).
10 Maxim. Conf., loc. cit., c. 4, § 10 (PG 4, 258).
11 Maxim. Conf., loc. cit.

Respondeo [1]: Ad praedictorum evidentiam nota quod, cum [a] idem sit finire et terminare, finitum et terminatum, nomen finis et termini concurrunt in idem. Cum ergo sit terminus rei permanentis et rei succedentis et rei dependentis sive inclinantis, erit et tripliciter dictus finis, scilicet extensionis sive rei extensae, operationis et appetitus sive inclinationis. Finis autem extensionis rei est duplex, ultimum et pars, sicut cutis corporis et terminus agri, et ultimum et non pars, ut punctus est finis [b] lineae. Finis autem operationis similiter est duplex, quia quidam [c] est per modum deficientis sive consumentis, sicut finis combustionis candelae dicitur ipsa consumptio, quo modo finitur panis in manducando; quidam est per modum perficientis et [d] consummantis, sicut complementum operis, ut consummatio domus est finis domificationis. Finis vero inclinationis est duplex, quia quidam est respectu appetitus mobilis, quidam respectu appetitus motoris: respectu appetitus mobilis, forma est finis; respectu appetitus motoris, utilitas est finis vel etiam honestas. Secundum autem quod appetitus motoris fertur ad finem sub fine, utilitas est finis, quia utilitas est occasio ducens in finem; secundum autem quod fertur ad finem ultimum, sic est finis honestas, quoniam honestum est propter se appetibile, et maxime illud in quo consistit laus et honor Dei, qui est summe honestum [e]. Et hic est finis ultimus [2], qui ab omnibus [f] debet intendi et *propter* quem *universa operatus est Dominus,* Prov. 17, 4; et propter hunc finem inter alia corpora specialiter et praecipue fecit Deus corpus primi hominis, scilicet in laudem suae potentiae, sapientiae et bonitatis. Laus autem suae potentiae apparet in eius creatione sive conditione; laus sapientiae in debita et proportionata et ordinata spiritus et corporis coniunctione; laus vero bonitatis in eius glorificatione [3]. Haec autem dicta sunt per appropriationem. Ex iis patet quo modo Deus fuit finis primi corporis, scilicet [g] Adae, et hoc evidentius apparebit consequenter [4].

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo in contrarium, dicendum quod duplex est appetitus: quidam naturalis, quidam deliberativus. Deliberativus est ex cognitione praehabita, et de isto bene opponitur. Alius vero naturalis, et istum habet omnis creatura, sed quaedam creatura habet eum ad continuationem sui esse et conservationem, ut creaturae omnes irrationales, quaedam vero ultra hunc appetitum addunt appetitum ad unionem cum Deo, secundum quod possibile est. Et hoc fit duobus modis: vel immediate, sicut creaturae spirituales, vel [h] mediate, sicut corpus humanum, quod [i] mediante anima unitur Deo per intellectum et affectum ipsius animae. Unde Dionysius, *De divinis nominibus,* cap. 1 [5], ostendit quo modo omnia Deum appetunt secundum suam capacitatem et in ipsum moventur et differenter, ut supra tactum est [6], scilicet intellectualia et rationalia [k] cognitive, irrationalia [l] sensibiliter, terrae virentia per motum vivificum, inanimata secundum habitudinem substantialem. Unde dicit [7]: « Intellectualia quidem et rationalia appetunt eum scienter, subiecta vero iis essentialiter, et alia secundum vitalem motum et essentialem et conditionalem necessitatem ».

2. Ad aliud [m] dicendum quod illud verbum Philosophi [n]: Finis est ultimum rei etc., potest intelligi de fine secundum quod dicitur respectu inclinationis mobilis, eo modo quo finis et perfectio rei sive forma in idem concurrunt; vel etiam potest intelligi ita quod sit pars rei [o], eo modo quo cutis est finis hominis et terminus finis agri, sicut tactum est [8] et sicut habetur in Glossa [9] I ad Tim. 1,5, ibi: *Finis praecepti est caritas.* Alio modo dicitur ultimum finis, ita [p] quod non sit pars rei, et iste est [q] alius modus appellandi finem; unde exemplificat in magnitudine; sic autem punctus est finis lineae: non enim [r] est pars lineae nisi secundum rationem aut definitionem. Et hoc modo metaphorice potest Deus dici finis omnis creaturae, quia sicut linea non extenditur ultra punctum, qui tamen non est pars lineae, sic nullius creaturae appetitus extenditur ultra illam summam diffusionem quae est divinae bonitatis.

3. Ad aliud dicendum quod contingit moveri in Deum dupliciter: mediante alio et non mediante; non mediante alio [s], sicut angeli et anima. Angeli tripliciter, scilicet circulariter, recte et oblique, eo modo quo tactum est in opponendo. Similiter anima tripliciter: circulariter, recte et oblique. Circulariter [t], quando investigando, quasi egrediens a se intellectualiter, quasi ad punctum, de quo exiit [u], circulariter reflectitur et, in se unita et uniformis facta, manuducitur [v] ad unum, qui est sine principio et sine fine: in quo est quasi circulus. Movetur et [x] recte, quando non in se

---

[a] V om.; S om. *et.* [b] Ita R (corr.), alii *pars.* [c] S *quidem.* [d] STF *vel;* R *efficientis vel* pro *p. e.* [e] F *honestus.* [f] L *hominibus.* [g] F *id est.* [h] Ita VF, alii om. [i] Ita FR (corr.), alii *quo.* [k] V add. *intellectualia.* [l] STLZ *rationalia,* quod R corr. [m] F *illud philosophi.* [n] F om. [o] S om. [p] V *rei.* [q] V om. [r] VS om. [s] T om. *et non... alio.* [t] V om. *r. e. o. c.* [u] Z *exit.* [v] T *manudatur,* L *mundatur.* [x] Z *etiam.*

1 Cf. Avicenna, *Metaph.,* tr. 6, cc. 4-5 (f. 93b sqq.).
2 Cf. supra, num. 14-17.
3 Cf. supra, p. 517b sq.
4 Cf. hic, in solutionibus ad obiecta.
5 Cap. 4, § 4 (PG 3, 699, PL 122, 1131).
6 Cf. supra, p. 545, *ad 3.*
7 Loc. cit.
8 Cf. hic, sub *Respondeo.*
9 Lombardi, in h. l. (PL 192, 328).

reflectitur, sed ad exteriora progreditur et ex eis symbolice sursum agitur. Movetur et oblique, quando non simplici extensione, sed quadam naturali investigatione manuducitur in divina: quae quidem investigatio secundum proprietates aut conditiones aut effectus in creatura dicitur quaedam esse [a] obliquitas. Praeterea, sensibilia moventur in Deum per appetitum participationis esse divini, ut tactum est supra [1], sensibiliter, terrae nascentia per motum vivificum, inanimata [b] per habitudinem substantialem, ut habetur a Dionysio [2]. Corpus autem primi hominis movebatur in Deum non mediante alio, consideratum quoad statum conditionis; mediante alio, scilicet anima, consideratum quoad statum coniunctionis. Dicendum est ergo quod [c], cum omnia participent divinum esse differenter secundum gradum differentem suae naturae, sicut determinatum est a Dionysio [3], ubi quinque membra assignantur, de primo membro planum est quod corpori Adae non conveniebat nec humano corpori convenit; quatuor vero alia conveniebant, sed differenter, quia ultimum conveniebat per [d] se, alia tria conveniebant per accidens, habito respectu ad statum coniunctionis.

Nota ergo quod illi tres modi movendi [e] in Deum conveniebant corpori Adae et conveniunt corpori humano, per accidens tamen, quia [f] non ratione qua corpus, sed ratione qua erat [g] animatum. Sed adhuc differenter, quia duo modi, scilicet sensibiliter [h] et per motum vitalem, conveniebant quasi per participationem [i], quia hos actus anima communicabat corpori, exercendo eos in corpore et per corpus; sed tertius modus, qui est moveri scienter sive rationabiliter, conveniebat per redundantiam, sicut dicimus quod passiones spiritus redundant in corpus quod unitum est spiritui: affectiones [k] spirituales, sive gaudii sive doloris, miro modo redundant in corpus, ut experientia docet; simili modo motus in Deum sive affectio in Deum corpori convenit per quamdam redundantiam. — Vel posset dici quod hic motus appetitus in Deum personalis est, licet primo et per se sit ipsius animae; tamen, quia corpus et anima in eamdem concurrunt personam, quodam modo convenit corpori, sicut intelligere et huiusmodi, qui sunt actus personales, secundum quod dicit Philosophus [4]: « Qui dicit animam intelligere, nihil aliud dicit quam animam texere vel aedificare »; et ideo quodam modo excellentiori respectu aliorum corporum corpus humanum participat summum bonum.

4. Ad hoc quod obicitur quod 'nullo motu movetur in Deum, scilicet neque motu circulari' etc.: dicendum quod immo, quia movetur [l] motu circulari; motus autem circularis est quando fit reflexio ab eodem in idem. Unde quando aliquid movetur per appetitum in Deum, ut participet esse divinum per continuationem sui esse, quia in isto appetitu fit reflexio appetentis [m] in se, dicitur esse motus circularis. Unde Commentator [5] super illud Dionysii, *De divinis nominibus*, cap. 4 [6]: « Et sensibilium in universo trium motuum », dicit circularem esse motum, quando sensibilia secundum proprias virtutes et qualitates operantur, ut ignis calefaciens et aqua frigens. Quia enim [n] ignis calefaciens agit ut esse suum conservet, dicitur moveri circulariter [o], et ita, cum [p] appetitus agentis reflectitur supra se, dicitur moveri circulariter. Similiter dicendum est in proposito; unde respondendum [q] ad obiectum per interemptionem.

5. Ad illud [r] quod consequenter quaeritur 'unde est quod omnia, id est omnes creaturae, Deum appetant': potest dici secundum quosdam quia, cum tria sint principia naturae, scilicet materia, forma [s] [7], privatio, ex parte privationis est appetitus vel [t] instinctus naturalis in omni re desiderandi Deum. Quod non credo propter duo: unum est [u], quia non esset haec ratio univoca in animabus et angelis, in quibus nulla est privatio ex parte principii naturalis; secundum est, quia privatio non remanet in re, sed est tantum principium in fieri quoad ea tantum quae per actum naturae educuntur. Potest ergo dici, sine praeiudicio, quod [v] ratio univoca quare Dei appetitus inest [x] cuilibet creaturae, est quia ex nihilo. Unde, quia inditum est unicuique [y] creaturae appetere continuationem in [z] esse, quod non potest aliquis assequi nisi ab eo a quo est omne quod est, propter hoc omnia appetunt illud summum bonum, a quo est non solummodo esse, sed continuatio et permanentia in esse. De quo Dionysius, *De divinis nominibus*, 4 cap. [8]: « Principium omnium bonum velut factivum et movens omnia et continens ea propriae pulcritudinis amore, et summum omnium et dilectissimum velut perfectissimum causale ». Ibi Expositor [9]: « Summum

---

[a] V om. [b] V *in animam.* [c] V *ergo* pro *e. q.*; F om. *est.* [d] Ita F, alii *secundum.* [e] V om. [f] F om. [g] V om. [h] F *essentialiter.* [i] V *anticipationem.* [k] V *actiones.* [l] VST om., in RLZ est add. mg. [m] V *appetitus.* [n] V *non.* [o] Ita F, alii om. *d. m. c.* [p] Ita F, alii om.; V *effectus* pro *appetitus.* [q] Ita VF, alii add. *est.* [r] VSTR om. [s] F add. *et.* [t] VSTR om. [u] Ita F, alii om.; T om. *credo.* [v] F *quia.* [x] F *dicitur appetitus inesse* pro *D. a. i..* [y] F *cuilibet.* [z] Ita FL (interl.), alii om.; T om. *aliquis.*

1 Cf. supra, p. 545, *ad 3.* 2 Cf. supra, p. 550, nota 3.
3 Cf. supra, p. 545, nota 7.
4 *De anima*, I, c. 4 (III, 439).
5 Maxim. Conf., *Scholia*, in h. l., § 10 (PG 4, 258).
6 § 10 (PG 3, 706, PL 122, 1133).
7 Cf. Aristot., *Phys.*, I, cc. 6 et 7 (II, 255 sqq.).
8 § 7 (PG, 3, 703, PL 122, 1132).
9 Maxim. Conf., in h. l. (PG 4, 254).

omnium est Deus sive finis, et omnia in munimentum circumprehendens[a] et velut iis per ipsum productis. Unde sicut principium omnium, utpote auctor omnium, dicitur, ita et medietas, ut dans statum ad consistendum, et finitio, ut in voluntate ipsius finita sunt[b] quae sunt, in quibus conversus est secundum id quo etiam finalem[c] eum ait, ut initium existentem et finem, iuxta sacrum Ioannem in Apocalypsi[1] ».

6. Ad id quod obicitur de illis quorum totus appetitus materiae terminatur per formam, sicut de corporibus supercaelestibus[d]: dicendum quod, licet sit terminatus appetitus materiae[e] quantum ad esse, tamen appetunt continuationem esse, quae a diffusione summi boni est, a qua est continuatio et conservatio[f] rei in esse. Ut enim dicit Gregorius[2]: « Cuncta ex nihilo facta sunt[g] eorumque essentia ad nihilum tenderet nisi ea auctor omnium manu regiminis contineret. Omnia ergo quae creata sunt, per se subsistere non valent nec moveri, sed in tantum subsistunt, in quantum ut esse debeant, acceperunt ».

SECTIO II. — De corpore humano quoad esse.

QUAESTIO I.

DE CORPORE VIRILI.

TITULUS I.

DE CONDITIONIBUS INTRINSECIS CORPORIS ADAE.

Quoniam expeditum est de corpore primi hominis prout consideratur ut in fieri, sequitur de eodem prout consideratur[h] in esse.

Primo ergo investigabitur de conditionibus respicientibus corpus virile; secundo, de conditionibus respicientibus corpus muliebre.

Item, de virili dupliciter:

Primo, quoad eius conditiones intrinsecas;

secundo, quoad extrinsecas.

In prima parte primo agetur[i] de unitate illius corporis;

secundo, de veritate;

tertio, de dignitate et nobilitate;

quarto, de animalitate eius[k].

MEMBRUM I.

De unitate corporis Adae.

Circa conditiones illas corporis, quae quidem respiciunt unitatem, tria principaliter quaeruntur:

Primum est si congruebat ex uno corpore in specie humana propagare omnia hominum corpora;

secundum est[l] si hoc decebat fieri propter causam mutuae dilectionis[m];

tertium est[n] si propter hanc unitatem est maxima dilectio inter individua[o] speciei humanae plus quam inter individua aliarum specierum.

---

[a] T *comprehendens*, quod F corr. [b] VT add. *et*. [c] F *finale*; T om. *ait*. [d] V *celestibus*. [e] VTL *modo*. [f] STR *conservantia*. [g] S om. [h] Z add. *ut*. [i] Ita F, alii *agitur*. [k] Ita R add. poster., alii om. *q. d. a. e.* [l] Ita V, alii *secundo* pro *s. e.* [m] V om. *p. c. m. d.* [n] Ita V, alii *tertio* pro *t. e.* [o] VSTR om. *i. i.*, in LZ est add. mg.

[1] Cap. 1, 8.

[2] *Moral.*, XVI, c. 37, n. 45 (PL 75, 1143).

CAPUT I. 446

UTRUM CONGRUEBAT OMNIA CORPORA HUMANA PROPAGARI EX CORPORE ADAE [1].

Primo igitur quaeritur si congruebat omnia corpora humana propagari ex corpore Adae.

Quod sic, videtur: *a.* Corpus humanum conformitatem habet ad spiritum secundum quod convenit et possibile est, cuius signum est quod corpus humanum alterius est figurae quam corpus aliorum animalium [2]. Unde Basilius [a], *Hexaëmeron*, IX [3]: « Pecudes omnes terrenae sunt, ob hoc inclinantur ad terram; sed alia est plantatio caelestis, homo, qui quantum habitu figurae, tantum dignitate distat a pecoribus. Illorum [b] deorsum facies flexa [c] est uterumque prospectat et quod eius libidini iucundum est, hoc sectatur; tuum vero [d] caput ad caelum semper erigitur, oculi tui superna respiciunt ». Conformitas autem corporis cum anima signum est conformitatis et unitatis in ordine ad unum et idem bonum et signum indivisionis in beatitudine; conveniens ergo fuit quod sicut conformes erant in esse et in ordine et indivisione ex parte finis, quod convenirent sive conformes essent ex parte principii, ut scilicet [e] sicut omnes spiritus perficientes corpora humana ab uno Spiritu producuntur in esse [4], sic omnia corpora humana ab uno corpore humano producerentur in esse.

b. Item, in divinis personis est processio prima [f] ab una [g], consequenter a duabus; sed expedit humanae imperitiae et divinae [h] convenit providentiae quod ad [i] illa, quae in divinis consistunt, per illa, quae in [k] inferioribus reperiuntur, manuducatur; oportuit ergo quod illa emanatio [l] personalis quae est in divinis, in illis quae homini innotescunt, manifestaretur; sed non potuit decentius manifestari quam in productione hominis, quia non [m] in productione [n] angeli in esse, cum unus ex altero non procedat, nec in productione brutorum ita competenter; ergo etc.

c. Item, duplex est principium generationis hominis: activum et materiale; activum autem quoddam est universale ordinatum a divina sapientia, sicut sol; ergo a simili videtur [o] quod a divina sapientia debuit aliquid [p] ordinari, quod esset principium materiale, universale dico; hoc [a] non potuit esse nisi esset primus homo; ergo etc.

Contra: 1. In nulla lege licitum fuit patrem contrahere [b] cum filia, filium cum matre: cuius ratio est, quia filia est de patre secundum propagationem carnalem et filius de matre; cum ergo prima mulier condita fuit ut esset primo viro *in adiutorium* [5] ad multiplicandum genus humanum, et hoc in contractu matrimoniali, videtur quod non debuit aliquo modo ex carne viri propagari.

2. Item, ut habetur ab Augustino [6], homo est animal sociale; conveniebat ergo ut huius proprietatis conditio in formatione primi hominis, qui erat causa et principium huiusmodi societatis [c], esset expressa; sed melius esset expressa si plures essent simul conditi quam si [d] unus tantum solitarius conditus esset, ex quo alii; ergo etc.

3. Praeterea [e], animantium quaedam sunt solivaga, quaedam in congregatione viventia [f]; sed animantia, quae solivaga sunt [g], non propagavit Dominus ex uno corpore, sed multa simul [h], cuiusmodi sunt milvi, leones etc.; ergo multo fortius huiusmodi plura individua facere debuit. Et est locus a maiori: nam si quod magis videbatur facere debere [i], non fecit, ut solivaga solitaria [k], nec quod minus, ut hominem solitarium. Unde Augustinus, X *De civitate Dei*, cap. 2 [7]: « Animantes ceteras alias solitarias et quodam modo solivagas, id est [l] quae solitudinem magis appetant, ut aquilae, milvi, leones, lupi, alias congreges instituit, quae congregatae atque in gregibus malint [m] vivere, ut columbae, sturni [n], cervi, damulae, utrumque tamen genus non ex singulis propagavit, sed plura simul iussit existere ».

4. Praeterea, si conveniens fuit quod omnes homines propagarentur ex uno, videtur quod debebant propagari ex muliere, quae est vas congruum [o] propagationi tali, et non ex viro.

Respondeo quod multae sunt rationes, praeter eas quae tactae sunt, quare conveniebat genus humanum propagari ex uno [p], non ex pluribus. Quarum una sumpta est a perfectione conditionis

---

[a] Ita VF, alii add. *in.* [b] F *aliorum.* [c] F *reflexa.* [d] F *quoque.* [e] Ita F, alii om. *u. s.* [f] VSTR *primo*, quod LZ corr. [g] F add. *vel.* [h] L *divitie.* [i] ST *ab.* [k] T om. [l] T *enuntiatio.* [m] Ita F, alii om. [n] S om. *h. q. n. i. p.* [o] S om. [p] Ita F, alii *aliquod.* [a] F add. *vero.* [b] T om. [c] F *socialitatis.* [d] Ita F, alii om. [e] T *item.* [f] S *conviventia.* [g] T om. [h] SR *sunt.* [i] V om. [k] L om. [l] V *et* pro *i. e.* [m] F *malunt.* [n] Ita F, alii add. *et.* [o] V *contrarium.* [p] T om. *e. u.*

1 Cf. supra, p. 378, *ad 3.* Quae in tribus sequentibus capitibus diffuse tractantur, S. Bonav. breviter tangit II *Sent.*, d. 18, a. 2, q. 3, dub. 1 (II, 454 sq.).

2 Cf. supra, num. 320, sub *b.*

3 Hom. 9, n. 2 (PG 29, 191, PG 30, 960).

4 Cf. supra, num. 322.

5 Cf. Gen. 2, 18.

6 *De bono coniugali*, c. 1 (PL 40, 373).

7 Potius lib. XII, c. 21 (PL 41, 372).

rerum, alia a sacramentorum expressione, tertia ab expeditione meritorum, quarta a commendatione divinorum iudiciorum.

Perfectio conditionis sumitur a duobus, scilicet ab ordine [a] in producendo et a sufficientia numerali in multiplicando. Una ergo ratio sumpta est ab ordine propagationis, ut scilicet sicut homo medius est in ordine inter angelos et animalia [b] bruta, sic in modo propagandi ordinem teneret eumdem. Propter hoc conveniens fuit, cum in conditione sive [c] creatione rerum originalium conditi essent angeli ita quod nullus ex alio erat propagandus, bruta vero ita quod omnia erant propaganda ex duobus, quod in genere hominum, quod est medium tenens in ordine, unus esset conditus ex quo alii propagarentur. Unde Augustinus, XII *De civitate Dei,* cap. 21 [1]: « Non est arduum videre multo fuisse melius quod factum est, ut [d] ex uno homine, quem primum condidit, multiplicaret genus humanum quam si id [e] inchoasset a pluribus. Nam, cum animantes alias solitarias et quodam modo solivagas, id est quae solitudinem appetant, sicuti sunt aquilae, milvi, leones, lupi et quaecumque ita sunt, alias vero congreges instituerit, quae congregatae atque in gregibus malint vivere, ut sunt [f] columbae, sturni, cervi, damulae et cetera [g] huiusmodi, utrumque tamen genus non ex singulis propagavit, sed plura simul [h] iussit existere. Hominem vero, cuius naturam quodam modo mediam inter angelos bestiasque condebat, unum ac singulum creavit ». — Item, perfectio quantum ad sufficientiam numeralem in multiplicando ostenditur in hoc quod sicut vir processit in esse a sola muliere, scilicet Christus a Beata Virgine, tam viri quam mulieres a duobus, nisi mulier processisset a solo viro, non esset numerus sufficiens in multiplicatione; in hoc ergo [i] quod a primo viro processit mulier sine mulieris adiutorio, fuit sufficientia in multiplicatione. Unde Anselmus, II [k] *Cur Deus homo,* cap. 8 [2]: « Quatuor modis potest Deus hominem facere, videlicet aut [l] de viro et femina, sicut assiduus monstrat usus; aut nec de viro nec de femina, sicut creavit Adam; aut de viro sine femina, sicut fecit Evam; aut de femina sine viro, quod nondum fecit. Ut igitur hunc quoque modum probet suae subiacere potestati et ad hoc ipsum opus dilatum esse, nil convenientius quam ut de femina sine viro assumat illum hominem quem quaerimus ».

Item, alia ratio sumitur a sacramentorum [a] expressione, et haec sumitur a duobus. Primum est sacramentum sive significativum spiritualis propagationis a secundo Adam, ut sicut primus Adam fuit principium omnium [b] procedentium in esse carnali per generationem carnalem, ita secundus Adam, scilicet Christus, fuit principium [c] omnium procedentium [d] in esse spirituale per generationem spiritualem. Unde I Cor. 15, 45: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem,* Glossa [3]: « Totum genus humanum quodam modo sunt illi duo homines, scilicet primus Adam et secundus, quia ex illo sunt nati, ex isto renati, et ideo uterque dicitur pater humani generis ». Et ad Rom. 5, 14: *Adam, qui [e] est forma futuri,* Glossa [4]: « Sicut iste fuit [f] pater omnium secundum carnem, sic Christus est pater omnium secundum fidem ». — Secundum est sacramentum spiritualis unionis, ut scilicet sicut Adam et Eva quasi unum corpus carnale erant, quia mulier formata fuit de viro, sic Christus et Ecclesia quasi unum corpus spirituale sunt [g], quia Ecclesia de ipso formata est, ad Ephes. 5, 30: *Membra sumus corporis eius et de carne eius et de ossibus eius;* ibi Glossa [5]: « In cuius rei signum Adam, qui erat *forma futuri,* cum de costa sua factam mulierem vidisset, in [h] Gen. [6], dixit: *Hoc nunc os de [i] ossibus meis et caro de carne mea est [k]* ».

Item, tertia ratio sumitur ab expeditione meritorum, et haec sumitur a duobus. Primum est commendatio unitatis, scilicet duplicis, membrorum ad invicem et membrorum cum capite. De prima [l] Augustinus, XII *De civitate Dei,* cap. 21 [7]: « Hominem unum ac singulum creavit, non utique solum sine humana societate deserendum, sed ut eo modo [m] vehementius ei commendaretur ipsius societatis [n] unitas vinculumque concordiae, si [o] non tantum inter se naturae [p] similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur [q], quando nec ipsam quidem feminam copulandam viro, sicut ipsum creare [r] illi placuit, sed ex ipso, ut omne ex [s] homine uno diffunderetur [t] genus humanum ». De secunda

---

[a] FRLZ *origine.* [b] F *alia.* [c] RLZ add. *in.* [d] V om. [e] F *idem.* [f] R om. [g] SRZ om., L exp. [h] Ita VFL (mg.), alii om. [i] S om. [k] L om. [l] T *ut.*

[a] T om. *a. s.* [b] V om. [c] FL (mg.) add. *et causa.* [d] TL *precedentium.* [e] Ita F, alii om. [f] VT *est,* F om. [g] Ita V, alii *erant.* [h] F *ij.* [i] Z *ex.* [k] S om. [l] Z *primo.* [m] SRLZ *medio.* [n] R *societas.* [o] Ita F, alii *sed.* [p] SRZ *nec.* [q] V *venerentur.* [r] S add. *et.* [s] Z om. [t] V *diffunderentur.*

1 PL 41, 372.
2 PL 158, 406.
3 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1688).
4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1392).
5 Lombardi, in h. l. (PL 192, 215).
6 Cap. 2, 23.
7 PL 41, 372.

Augustinus, XXI *De civitate Dei*, cap. 22[1]: « Ut in exordio generis humani de latere viri dormientis costa detracta femina fieret, Christum et Ecclesiam tali facto iam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe[a] ille viri[2] mors erat Christi, cuius exanimis in cruce pendentis latus lancea perforatum est atque inde[b] sanguis et aqua fluxit[c][3], quae sacramenta esse novimus, quibus aedificatur Ecclesia. Nam hoc[d] etiam verbo Scriptura usa est, ubi non legitur 'formavit aut finxit', sed *aedificavit eam in mulierem*[4]. Creatura ergo Dei femina sicut vir, sed ut de viro fieret, unitas commendata est; ut autem illo modo fieret, Christus et Ecclesia figurata est ». — Secundum est incitatio caritatis sive amicitiae. Augustinus, *De bono coniugali*, in principio[5]: « Quoniam[e] unusquisque homo humani generis pars est[f] et sociale quiddam est humana natura magnumque habet et[g] naturale bonum, vim quoque amicitiae, ob hoc ex uno Deus voluit omnes homines condere, ut[h] in sua societate non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur ». Et II *Sententiarum*, 28 dist.[6]: « Ideo ex uno homine omnes esse voluit Deus, ut dum ab uno cognoscerent se esse, omnes se quasi unum[i] amarent ».

Item, quarta ratio sumitur a commendatione divinorum iudiciorum, et hoc a duobus. Primum est humilis sublimatio, id est sublimatio[k] hominis primi, ad excellentiam imaginis Dei; secundum est superbi, id est[l] diaboli, confusio. De iis duobus II *Sententiarum*, 18 dist.[7], ubi dicitur: « Hic attendendum est quare non creavit simul virum et[m] mulierem sicut angelos, sed prius virum, deinde mulierem de viro. Ideo[n] scilicet ut unum esset generis humani principium, quatenus in hoc et superbia diaboli confunderetur et hominis[o] humilitas Dei sublimaretur similitudine. Diabolus quippe aliud a[p] Deo principium esse cupierat, ideoque, ut eius superbia retunderetur, hoc homo in munere accepit quod diabolus perverse rapere voluit, sed obtinere non potuit: et per hoc imago Dei in homine apparuit, quia sicut Deus omnibus rebus existit[q] principium creationis, ita homo omnibus hominibus principium generationis ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo dicendum quod inter generantes et genitos sive parentes et prolem est ordo prioris ad posterius, inter generantes est ordo paritatis: parentes enim sunt comites generationis. Si ergo altera persona parentum conveniret cum prole sua in opere generationis, sortirentur ordinem paritatis existentes[a] in ordine prioris ad posterius, et ita confunderetur ordo generationis. Propter hoc copula coniugalis non sustinetur neque in lege aliqua sustinebatur inter parentem et prolem. Ratio autem quare non sustinebatur non fuit solummodo quia proles sumpsit originem materialem a parentibus, sed quia pars illa sive portio, ex qua erat originaliter, per coitum descindebatur: ordo enim paritatis qui[b] est inter generantes et prioris ad posterius inter parentes et prolem maxime est[c] ex cooperatione generantium in decisione seminis, qua mediante disponitur semen mineriis convenientibus et debita harmonia ad organizationem et per consequens ad susceptionem informationis animae rationalis[8]; illud autem corporis Adae, de quo formata fuit Eva, non fuit divisum[d] ab ipso hoc modo; propter quod non est similitudo inter Evam et Adam, quae est inter patrem et filiam[e].

2. Ad aliud quod obicitur quod 'melius esset expressum quod homo est animal sociale, si plura individua simul essent condita' etc.: dicendum quod, etsi[f] forte citius, non tamen melius, immo minus bene, quia[g] socialitas sive societas animalis semper provenit ex convenientia aliqua naturali, magis autem conveniunt quorum est conformitas sive convenientia in natura propinqua, sicut fuit primorum[h] parentum, quam quorum est convenientia generalis sive in natura remota, cuiusmodi esset inter illos si essent simul conditi de limo. Respondendum[i] ergo ad obiectum per interemptionem.

3. Ad aliud dicendum quod in animantibus duplex concreatus[k] est appetitus, scilicet conservationis[l] individui et multiplicationis speciei. In signum primi quaedam sunt animantia solivaga, cuiusmodi sunt praedaria omnia: melius enim provident sibi solitarie incedendo quam si congregata incederent; propter secundum tempore[m] coitus conveniunt. Unde Basilius[n], VIII *Hexaëmeron*[9]: « Quaedam sunt animantes congregales, exceptis praedatricibus, quarum[o] nulla cum aliis praeter coitum sociatur[p]. Aliae sunt communiter

---

[a] F *quidem*. [b] Ita F, alii *idem*. [c] F *profluxit*. [d] T om. [e] Ita F, alii *quando*. [f] SRZ om. [g] Z om. [h] RZ *aut*. [i] SRZ *quasi se* pro *s. q. u.* [k] T om. *i. e. s.* [l] L om. *i. e.*; Z *superbia* pro *s. i. e.* [m] L *ut*. [n] TL *Hieronymus*. [o] Z om., L *omnis*. [p] S om. [q] F *extitit*.

[a] Codd. *existentis*. [b] Ita F, alii *que*. [c] Z *cum*. [d] Ita FZ, alii *divisa*. [e] F *filium*. [f] F *si*. [g] Ita F, alii add. *cum*, quod F exp. [h] F *priorum*. [i] Ita F, alii add. *est*. [k] FL *creatus*. [l] Ita F, alii *generationis*; R om. *individui*. [m] Ita VFL, alii *tempus*. [n] Ita V, alii add. *libro*. [o] Ita F, alii *quorum*. [p] V *sociantur*; RL *que* pro *aliae*.

1 Lib. XXII, c. 17 (PL 41, 778); cf. supra, num. 316, I.
2 Cf. Gen. 2, 21.
3 Cf. Ioan. 19, 34.
4 Gen. 2, 22.
5 Cap. 1 (PL 40, 374).
6 Cap. 1 (p. 388).
7 Loc. cit.
8 Cf. supra, p. 513a.
9 Hom. 8, n. 3 (PG 29, 171, PG 30, 950).

viventes, ut columbae, sturni, graculi ». Quia ergo in iis[a] animantibus intendebat Dominus specialiter salvationem speciei ad ornandum terram et non individuorum principaliter — non enim *est Deo cura de bobus*[1] — in humana vero specie maxime circa individuum ferebatur intentio Domini: ideo illum fecit Dominus solitarium et illa plura, in signum quod intentio divina[b] erat per se et principaliter circa salutem individuorum in quantum huiusmodi, id est ut in[c] singulis salvaretur divinum esse et perpetuaretur. — Ad illud quod obicitur patet responsio ex[d] dictis, quia quod[e] primus homo conditus fuit solitarius et post factum *adiutorium simile sibi* de ipso, Gen. 2,18, causa[f] fuit amicitiae tam in primis parentibus quam in posteris, ut ex dictis patet[2], quia, ut dicit Augustinus, *De bono coniugali*[3], « ob hoc ex uno Deus voluit omnes homines condere, ut in sua societate non[g] sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur ».

4. Ad hoc quod ultimo quaerebatur, dicendum quod conveniens fuit ut sexus esset principalioris qui humani generis debebat esse principium. — Ad hoc quod obicitur quod ' mulier est vas propagationis ', dicendum quod hoc verum est quantum ad illos qui coitu seminis ex[h] viro et muliere propagantur.

447

CAPUT II.

UTRUM CONVENIEBAT EX UNO HOMINE TOTUM HUMANUM GENUS PROPAGARI PROPTER CAUSAM MUTUAE DILECTIONIS.

Deinde quaeritur si conveniebat ex uno homine totum humanum genus propagari propter causam mutuae dilectionis.

Quod sic, videtur *a.* ex illo verbo II *Sententiarum*, dist. 18, cap.[4] *In eodem quoque paradiso* etc.: « Ex uno[i] homine voluit Deus omnes esse, ut dum cognoscerent se ab uno esse, omnes se[k] quasi unum amarent ». Ratio huius est, quia similitudo est causa amicitiae sive amoris, Eccli. 13,19: *Omne animal diligit sibi simile, sic et omnis homo proximum sibi;* conveniens ergo fuit ut Dominus omnes homines ex uno produceret, quos a se invicem amari voluit.

b. Item, causa immediatissima[l] et proxima amoris est conformitas sive identitas naturae, cuius signum est quod ubi est summa[m] identitas naturae, ut in divinis personis, ibi est summus amor. Volens ergo Deus homines a se invicem amari, non sine congruentia et ratione, ut in quadam unitate[n] persisterent et ex hoc se invicem[o] magis diligerent, omnes ex uno in esse produxit.

Contra: 1. Unitas, per quam ex uno corpore[p] prodeunt et educuntur alia, est unitas carnalis; ergo erat radix et causa carnalis amoris; igitur, si ideo voluit Deus[q] omnia corpora hominum ex una propagari carne ut se amarent, videtur quod Deus voluit ut se homines amarent carnaliter; quod non est verum, cum dicatur, Matth. 10,34-35: *Non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem suum et filiam adversus matrem suam et nurum adversus socrum suam*[r].

2. Item, amor carnalis est impedimentum amoris spiritualis; non ergo debebant omnes homines ab[s] uno propagari, ut se maiori affectu carnali ad invicem complecterentur, cum huiusmodi affectu amoris impediatur amor spiritualis.

3. Item, si amor praesentiae Christi corporalis discipulos eius reddidit non idoneos ad gratiam Spiritus Sancti, multo fortius quilibet amor quorumlibet conformium natura vel generis propinquitate; sed amor praesentiae Christi corporalis discipulos reddidit non idoneos; unde Ioan. 16,7: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos;* Glossa[5]: « Non quod positus in terra non possit dare, sed quia[t] non sunt idonei accipere, nisi eum secundum carnem desistant nosse »; sed non est divinae providentiae, cuius est omnium[u] saluti providere, aliquid facere unde aliqui reddantur[v] non idonei ad gratiam Spiritus Sancti; hoc autem facit amor hominum, quorumcumque sit; ergo etc.

4. Item, odium propinquorum expedit ad vitae perfectionem; igitur amor impedit. — Prima patet, Luc. 14,26: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et filias et fratres et sorores, adhuc autem et*

---

[a] F *aliis.* [b] F *domini.* [c] S om. [d] F add. *iam.* [e] F om. [f] R om. [g] F add. *in.* [h] F *de.* [i] TLZ *viro.* [k] R om. [l] F *immediata.* [m] R add. *bonitas.* [n] V *virilitate.* [o] S om. *amari... invicem.* [p] Z add. *in esse.* [q] Ita F, alii *Dominus;* SR *non* pro *ideo.* [r] Ita VL,alii *suum;* F *etc.* pro *et nurum... suam.* [s] F *ex;* V om. *se.* [t] T *quod.* [u] SR *omni.* [v] F *redderentur,* RL *reddentur.*

1 Cf. I Cor. 9, 9.
2 Cf. supra, p. 555a.
3 Cf. supra, p. 555, nota 5.
4 Cap. 1 (p. 388).
5 *Ordin.*, in h. l. (PL 114, 413).

animam suam, non potest meus esse discipulus[a]. Ecce quod odium propinquorum expedit ad vitae perfectionem; sed nihil debebat fieri a summa bonitate quod istud bonum impediret; non ergo conveniebat ut primus homo aliquo modo factus esset quo illud bonum impediretur; sed si factus esset modo aliquo quo excitaretur ad amorem proximorum[b], impediretur istud bonum; ergo etc.

Respondeo: Dicendum quod convenienter ordinavit Deus ut omnes homines ex una prodirent origine, ut ex hoc magis excitarentur[c] ad mutuam dilectionem. Quia enim via dilectionis sive amoris graditur in patriam, providit divina providentia humano generi in multis quae, ipsum ad amorem excitando[d], expediunt in hac via. Unum est identitas originis, aliud est sustentatio eodem cibo spirituali. De quo I Cor. 10, 3, ubi[e] loquitur de patribus nostris, dicit: *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt et omnes eumdem potum spiritalem biberunt.* Quia, sicut[f] illis datum est manna de caelo, Exod. 16, 14, sic nobis corpus Christi, Ioan. 6, 49-50: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt; hic est panis de caelo descendens, ut si quis*[g] *ex ipso manducaverit, non moriatur*[h]. Aliud est cohabitatio in eadem domo, aliud est subiectio uni Domino, aliud est unitas legis, aliud est unitas[i] sacramentalis. De iis Cyprianus[1]: « *Unum corpus, unus spiritus, una spes vocationis vestrae, una fides, unus Dominus*[k]*, unum Baptisma*[2], et quo modo multi radii sunt et[l] unum lumen, et multi arboris rami et[m] unum robur, unum tenaci radice foecundatum, et quo modo[n] de fonte uno rivuli plurimi defluunt et numerositas[o], licet diffusa videatur ex undantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine ». Quod quidem tam verum est de corpore primi hominis quam de ecclesiastica[p] unitate.

[Ad obiecta]: 1-2. Ad argumentum ergo in contrarium dicendum quod triplex est amor: carnalis, naturalis, spiritualis. De carnali dilectione, Isai. 57, 8-9: *Dilatasti cubile tuum et pepegisti cum eis foedus*[q]*, dilexisti stratum eorum manu aperta et ornasti te regio unguento.* De naturali, II Reg. 1, 26: *Sicut mater amat unicum filium suum, ita te diligebam,* dicit[r] David de Ionatha. De spirituali, Ioan. 15, 12: *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Unitas autem carnis propagatae ad hoc fuit ut se mutuo diligerent homines, non carnaliter, sed naturaliter, et per naturalem amorem induceretur spiritualis. Non ergo omnis amor carnis carnalis est, sicut[a] nec omnis amor spiritus spiritualis est[b]. Amor autem carnalis, qui est libidinosus sive inordinata[c] affectio carnalis, est quem Christus venit evacuare. — Ex iis patet responsio ad duo primo[d] obiecta, quia amor carnalis, qui est pure naturalis et nullo modo libidinosus, spiritualem non impedit; spiritualem[e] dico simpliciter et absolute, non ut ponit gradum perfectionis: huiusmodi enim fortasse impedit, ut infra patebit[3]. Non ergo huiusmodi amor impedit amorem spiritualem simpliciter, sed potius ad illum disponit ut quo perficiendus est, nec[f] huic amori contradicitur a Sacra Scriptura. Unde Gregorius[4], in homilia quadam super illud Ioan. 15, 12: *Hoc est praeceptum meum,* dicit: « Sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis, quibus in hac dilectione Sacra Eloquia non contradicunt ».

3. Ad illud[g] quod obicitur quod 'amor praesentiae corporalis[h] Christi reddidit discipulos non idoneos ad gratiam Spiritus Sancti' etc.[i]: dicendum quod discipuli, quando Dominus promisit eis Spiritum Sanctum, Ioan. 14, 16, habebant Spiritum Sanctum, sed non in illa abundantia gratiae in qua erant habituri. Unde Augustinus[5], super illud Ioan. 14, 15-16: *Si diligitis me, mandata mea servate et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis*[k], dicit: « Iam habebant Spiritum discipuli quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant, nec tamen adhuc eum habebant sicut eum Dominus promittebat. Habebant itaque[l] minus, dandus[m] erat eis amplius; habebant occulte, accepturi erant manifeste, quia et hoc ad[n] maius donum Spiritus Sancti pertinebat ut eis innotesceret quod habebant ». Quia ergo ad hoc quod discipuli essent idonei ad illam abundantiam gratiae Spiritus Sancti, quam erant recepturi[o], oportuit quod essent elevati quantum ad intellectum et abstracti quantum ad affectum[p] a delectatione corporali sive sensibili et[q] quasi omnino conversi ad primam veritatem et summam bonitatem. Unde oportebat quod esset eis subtracta praesentia Christi corporalis, in qua maxime delectabantur secundum hominem exteriorem, ut illa[r] subtracta quasi omnino elevarentur et converterentur ad ipsam divinitatem

---

[a] F *etc.* pro *et uxorem... discipulus.* [b] V *proximi.* [c] SR *incitarentur.* [d] F *amorem* pro *a. a. e.* [e] Z om. [f] Ita F, alii om. [g] F om. [h] Ita F, alii *morietur.* [i] S om. *l. a. e. u.* [k] F *Deus.* [l] L om. [m] Ita V, alii *sed.* [n] S om. [o] F *numerositatis.* [p] F *ecclesie.* [q] R om. [r] Ita F, alii *diligam dixit* pro *d. d.*

[a] R *sic.* [b] V om. [c] SRL *inordinatio.* [d] R *prima.* [e] F add. *autem.* [f] S *primo.* [g] Ita VF, alii om. [h] F *corporis.* [i] S om. [k] Ita F, alii om. [l] F *utique.* [m] R *dandum.* [n] Z *et.* [o] F *accepturi.* [p] L *effectum.* [q] L om. [r] F *ista.*

1 *De unitate Ecclesiae,* n. 4 sq. (PL 4, 501 sq.).
2 Ephes. 4, 4 sq.
3 Cf. infra, p. 558a.
4 *In Evang.,* hom. 27, n. 1 (PL 76, 1205).
5 *In Ioan.,* tr. 74, n. 2 (PL 35, 1827).

in qua delectarentur secundum hominem interiorem. Amor ergo praesentiae corporalis [a] Christi non reddidit eos non idoneos ad gratiam Spiritus Sancti, sed [b] fecit illos minus idoneos ad abundantiam gratiae praedictam [c].

Si autem obiciatur adhuc quod si amor praesentiae corporalis Christi reddidit eos minus idoneos ad illam abundantiam gratiae, multo fortius amor quicumque, quantumcumque [d] sit conformium in natura vel generis propinquitate, idem faciet; ergo amor naturalis, de quo quaerimus, est boni impedimentum; ergo non conveniebat etc.: dicendum quod sicut timor, qui est introductivus amoris, non stat cum perfecta caritate, I Ioan. ultimo, 18: *Perfecta caritas foras* [e] *mittit timorem,* immo impedit quodam modo perfectionem [f] caritatis, sic quodam modo amor naturalis praeparat et disponit ad amorem gratuitum sive spiritualem. Tamen quandoque accidit quod impedit progressum ad perfectionem amoris spiritualis, scilicet [g] si nimis adhaereat. Unde, sicut decet divinam bonitatem quandoque incutere timorem, ut illo mediante praeparetur timens ad amorem et illo introducatur, sicut vult Augustinus [1], licet timor non stet cum amore perfecto, immo progressum ad [h] illum impedit, sic convenit divinam bonitatem inter homines amorem mittere naturalem, ut illo mediante disponerentur ad spiritualem, quamvis eo quandoque [i] impediatur progressus ad perfectionem amoris spiritualis. Non est ergo inconveniens Deum in conditione hominum aliquid fecisse unde excitarentur ad amorem naturalem, quamvis eo [k] quandoque tardatur sive impeditur progressus ad statum caritatis perfectae.

4. Ad illud quod ultimo obicitur quod 'odium propinquorum expedit ad vitae perfectionem' etc.: dicendum quod est odium personae, et illud odium non expedit, sed impedit; et est odium vitii sive malitiae, et hoc odium non est contrarium amori naturali, ad quem invitamur ex hoc quod sumus ab uno principio. Unde Gregorius [l 2], super illud Luc. [3]: *Qui* [m] *venit ad me, et non odit* etc., dicit: « Si vim praecepti perpendimus, utrumque agere per discretionem valemus, ut eos, qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt et [n] quos proximos novimus, diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo [o] et fugiendo nesciamus. Quasi [p] enim per odium diligitur qui carnaliter sapiens, dum prava nobis ingerit, non auditur ».

448

CAPUT III.

UTRUM PROPTER HANC UNITATEM MAGIS SE DEBEANT DILIGERE INDIVIDUA SPECIEI HUMANAE QUAM ALIARUM SPECIERUM.

Deinde quaeritur utrum [q] propter hanc unitatem magis se debeant diligere individua huius speciei 'homo' quam individua aliarum specierum.

Quod sic, videtur *a.* ex rationibus praetactis [4]. Similitudo enim est causa dilectionis; unde Eccli. 13, 19-20: *Omne animal diligit sibi simile, sic* [r] *et omnis homo proximum sibi* [s]*; sic omnis caro ad sibi simile coniungitur et omnis homo simili* [t] *sibi sociabitur.* Si ergo inter individua huius speciei 'homo' est maior propinquitas et similitudo quam inter individua alterius, et hoc est ratione convenientiae et similitudinis, de qua hic intendimus, ergo etc.

b. Item, hoc patet per hoc quod in divinis personis, ubi est summa similitudo, est summus amor.

c. Item, istud patet ex supra tactis auctoritatibus [5].

Contra: 1. Unum dividitur sicut et idem [6]; erit ergo dividere unum genere, specie et numero [7]; sed individua huius speciei 'homo' sunt unum genere et specie et non unum numero, similiter individua aliarum specierum; ergo non est maior identitas vel unitas inter individua hominis quam alicuius [u] alterius speciei. Si ergo ratione unitatis aut identitatis est dilectio, non erit [v] maior inter hominis individua propter unitatem iam dictam quam inter individua alterius speciei.

2. Praeterea, maius signum affectionis videmus in individuis quibusdam quorumdam animantium, utpote gallinae et aliorum multorum, quae erga pullos suos plus afficiuntur quam individua

---

[a] SRZ *corporis.* [b] L exp. [c] Ita F, alii *predicte.* [d] R *quantuscumque.* [e] Ita VF, alii *foris.* [f] V *imperfectionem.* [g] Ita F, alii om. [h] V om. [i] SRZ om. [k] SRZ *eos.* [l] Ita F, alii *Augustinus;* VL *supra* pro *super.* [m] R *que.* [n] Z om. [o] SRZ *obediendo.* [p] RZ *quod.* [q] FZ *si,* TL om.; R *pe*ꝛ pro *propter.* [r] SRZ *sunt.* [s] Ita F, alii om. [t] L *similis.* [u] Z om. [v] T *enim.*

[1] *In Epist. ad Parthos,* tr. 9, c. 4, n. 4sqq. (PL 35, 2047 sqq.).
[2] *In Evang.,* hom. 37, n. 1 (PL 76, 1275).
[3] Cap. 14, 26.
[4] Cf. supra, num. 447.
[5] Cf. supra, num. 447.
[6] Cf. Aristot., *Metaph.,* IV, c. 10 (II, 522).
[7] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 74.

speciei rationalis; et sic videtur quod propter unitatem iam dictam non sit maior dilectio inter individua huius speciei 'homo' quam inter individua alterius speciei.

3. Praeterea, supposito quod in una specie angelorum sint multi angeli[1], non est dubium quin se plus diligant quam individua hominis, et tamen non est unus ab alio.

4. Item, non videtur ratio quare haec individua debeant se maiori affectu diligere quia descenderunt ab aliquo uno, quia hac ratione Adam et Eva et alii [a] homines se magis dilexissent, quia fuerunt [b] de eodem limo.

5. Item: *Omnis creatura vanitati subiecta est,* Rom. 8, 20, et hoc est proprium creaturae ratione qua est originaliter ex nihilo, habet autem aliquid veritatis ratione qua est ab eo qui [c] essentialiter est; sed ratio sive causa dilectionis, specialis dico, non est emanatio creaturarum ab eo qui essentialiter est, quia tunc esset ratio aliqua specialis quare debeamus quaecumque vilia et nociva nobis diligere [d]; multo fortius, ut videtur, non est ratio aliqua specialis quare individua huius speciei 'homo' debeant se diligere ratione emanationis in esse a creatura.

Respondeo quod, sicut primis rationibus ostensum est[2], magis se debent [e] diligere individua huius speciei 'homo' propter causam praedictam quam individua alterius.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum in contrarium dicendum quod, etsi individua [f] hominis non sint unum numero sicut nec individua aliarum specierum, tamen amplior est in eis similitudo quam in aliis vel unitas, sicut aqua [g] fontis cum aqua eiusdem, signatis diversis partibus aquae in eodem fonte, similiores sunt quam aqua unius fontis cum aqua alterius, sicut vult Philosophus, in libro *Topicorum*[3]: hic enim est unitas speciei et ultra hoc identitas originis, ibi vero unitas speciei tantum. Similiter et [h] in individuis humanae speciei ultra rationem unitatis in specie est identitas originis, quae non est in [i] individuis alterius speciei.

2. Ad aliud dicendum quod divina bonitas ita providit quod quando pulli vel catuli animalium, sive quocumque alio nomine nominentur, sibi providere non possunt, extat eis necessaria parentum provisio et inest parentibus appetitus sive affectio naturalis ad providendum eisdem [k]; et quia illa affectio currit secundum impetum naturae non moderatae regimine rationis, in illa providentia magis affici videntur quam individua hominis. Unde Basilius, *Hexaëmeron,* VII [4], ait specialiter de piscibus: « Belluarum pars maxima et delphini et phocae catulos pariunt, quae foetus suos recenter editos, cum ex aliqua causa fuerint territi, denuo sublapsos in uterum protegere et fovere narrantur ». Sed quod non sit verum generaliter, patet, cum processu temporis pugnent cum parentibus et coeant.

3. Ad aliud dicendum, sine praeiudicio, quod angelus plus diligit angelum amore naturali et spirituali sive gratuito quam homo hominem. Quod [l] gratuito, non est dubium. Quod naturali, patet: quia, cum homo propter carnis infirmitatem maiore indigeat sustentatione et fulcimento, amor illius magis incurvatur et reflectitur super ipsum quam amor angeli super ipsum, et amor naturalis quo [m] magis recurvatur super ipsum cuius est, eo minus ad aliud se dilatat, sicut est de amore spirituali, secundum quod vult Bernardus[5], dicens: « Domine, qui tecum aliquid diligit, quod [n] propter te non diligit, minus te diligit ». Quia ergo [o] amor angeli naturalis[6], eo quod non ita incurvatur sicut hominis, libertate ampliori se extendit ad alium et dilatat — propter quod magis diligit unus alium amore naturali quam unus homo alium — unde, quia divina providentia, attendens amorem naturalem hominis non posse nisi in actum debilem propter carnis infirmitatem, providit homini in multis quae excitant ad amorem proximi, ut quae supra tacta sunt, in [p] auctoritate B. Cypriani[7]. Volunt [q] tamen quidam[8] dicere quod non sunt [r] duo amores, naturalis et spiritualis, cum sint in eodem. Cum enim amor naturalis per se est, sine spirituali potest in actum debilem; superadditur autem gratia amori naturali et fit caritas et fit naturalis spiritualis per additum gratiae, sicut color [s] vehementer illuminatus mediante luce potest in actum suum et non distinguitur actus coloris ab actu lucis in illa operatione ubi concurrunt. Unde dicunt quod in patria non erunt [t] duo amores, naturalis et spiritualis, sed transibit naturalis in spiritualem. Sed amor spiritualis est quo nihil [u] diligitur nisi propter Deum: unde homo diliget

---

[a] S om. [b] L *fluerunt,* F *fuerant.* [c] R add. *eorum.* [d] SRZ add. *et.* [e] SL *debet,* Z *debeant.* [f] SRZ *dividua.* [g] V om. [h] F om.; VSTL om. *in.* [i] STL om. [k] SRZ *eidem.* [l] Ita VF, alii *quia.* [m] F *qui;* V *incurvatur* pro *recurvatur.* [n] T *et.* [o] S om.; V om. *quia.* [p] Ita VF, alii *et.* [q] Ita F, alii *voluit.* [r] R add. interl. *nisi.* [s] SRZ *calor.* [t] RL add. *nisi.* [u] Ita F, alii om.

1 Cf. supra, num. 114.
2 Cf. supra, sub *a-c.*
3 Cf. lib. I, c. 5 (I, 176).
4 Num. 2 (PG 29, 151, PG 30, 940).
5 Potius Augustin., *Confess.,* X, c. 29 (PL 32, 796).
6 Cf. supra, num. 164-172.
7 Cf. supra, p. 557, nota 1.
8 Cf. Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 1, c. 6 (f. 39d sq.).

Deum maxime in patria, et angelus similiter. Deinde ordine distributo, si homo magis habeat Deum quam angelus, plus diliget homo [a] hominem quam angelum; si [b] angelus plus, plus [c] diliget angelum. Sic est de angelo respectu hominis. Sed, etsi ita sit de amore [d] patriae aliquo modo, sicut dicunt, non credo quod ita sit de amore in via, immo vehementer opinor duos esse amores, scilicet naturalem et gratuitum sive spiritualem.

Si autem obiciatur quod homo convenit magis cum homine quam angelus cum angelo — homo enim convenit cum homine in hoc quod omne genus naturae, scilicet corporalis et spiritualis, repraesentat [1], non autem sic individua [e] aliarum specierum, sed vel corporale [f] tantum, ut omnia homine inferiora, vel spirituale [g] tantum, ut angeli — igitur si unitas et convenientia est causa dilectionis, etc.: dicendum quod hoc verum est aliis existentibus paribus; non autem sunt alia paria in homine et in [h] angelo, quia, ut tactum est [2], non aequali libertate extendit se affectus angeli in diligendo et hominis. — Praeterea, forte maior est unitas et convenientia angeli ad angelum quam hominis ad hominem, licet [i] in pluribus conveniant homines ad invicem [k] quam angeli, sicut maior est unitas et conformitas [l] universaliter puncti ad punctum quam lineae ad lineam: universaliter dico, quia [m], licet lineae omnes unitatem quamdam habeant et conformitatem, possunt quasi infinitis modis differre, quod non possunt punctus et punctus. Similiter est in proposito: homo potest differre [n] multis modis ab homine, scilicet [o] ratione commixtionis multiplicis et compositionis illius, quibus non potest differre angelus ab angelo.

4. Ad aliud dicendum quod individua humani generis in duobus conveniunt, in quibus nulla individua [p] alterius speciei conveniunt, scilicet quod sunt ex uno et ab uno; 'ab' autem dicit circumstantiam efficientis, 'ex' vero materiae. Quia materia omnium corporum humanorum fuit in Adam, de singulis hominibus potest dici quod sunt ex uno: et haec est unitas materiae, quae [q] in individuis aliarum specierum non reperitur; non enim creata erat [r] inter rerum originalia una avis ex qua aliae essent propagandae, sed plures, nec unus equus vel bos ex quibus debebant alii descendere. Et quia non quocumque modo processerunt posteriores, scilicet filii et filiae, ab Adam, sed per generationem sunt omnia eorum [a] corpora propagata [b] ex uno corpore, sicut inferius patebit [3], ideo, cum ipse Adam fuerit principium generationis omnium humanorum corporum sive primus generator, verum est nos fuisse ab uno sicut a principio generante et ex uno sicut ex [c] principio materiali. Non ergo propagatio materialis a primo parente est tantum in [d] individuis generis humani ratio sive causa dilectionis, sed potius formalis, quae est similitudo aliqua occulta [e] vel manifesta relicta [f] in individuis huiusmodi ex virtute et operatione primi generantis. Haec autem plana sunt consideranti. Patet ergo quod non est ratio quare individua huius speciei 'homo' debeant se magis diligere, quia quodam modo fuerunt de eodem limo, de quo non habebant esse nisi materiale remotum, sicut quia fuerunt de eodem parente, a quo sunt, non solummodo secundum esse materiale, sed quodam modo secundum esse formale: formale [g] dico, non ultimum, quod habent ab anima, sed ultimum quantum ad esse corporis, quo [h] aptatur ad animae susceptionem.

5. Ad illud quod postea obicitur dicendum [i] quod in communicando individuis huius speciei 'homo' a propinquis parentibus esse [k] derivatum et propagatum a primis parentibus, non solum communicatur eis [l] illud quod est vanitatis, sed quod est veritatis. Ratione enim vanitatis, cui *subiecta est creatura* ex hoc quod est [m] ex nihilo, statim deficeret nisi a veritate, quam habet ex hoc quod est ab eo qui essentialiter est, fulciretur et sustentaretur in esse [4]. Unde in esse individuorum huius speciei 'homo' duo continentur, scilicet vanitas et veritas, et haec sunt derivata et propagata ad [n] posteros a primo parente mediantibus propinquioribus. Non ergo conveniunt posteri primi parentis solum in participatione vanitatis [o] in quantum sunt ab ipso, sed etiam in participatione veritatis. — Cum ergo dicitur [p] quod 'emanatio ab eo qui essentialiter est non est [q] causa dilectionis specialis' etc.: dicendum quod immo, in quantum illa emanatio est mediante primo parente, a quo omnes sumus materialiter et formaliter eo modo quo dictum est [5].

---

[a] T om. [b] V *et ita*, Z *sed*. [c] V om. [d] T om. [e] V *individuarum*. [f] Ita F (corr.), alii *corporalem*. [g] Ita F, alii *spiritualem*; SRZ *et* pro *vel*. [h] Ita F, alii om. [i] R *sed*. [k] Ita F, alii om. *a. i.* [l] SRZ om. *e. c.* [m] S *quod*. [n] T add. *etiam*. [o] V om. [p] T om. *humani... individua*. [q] STRLZ *et*, F *quod*. [r] SRZ *erant*.

[a] R *earum*. [b] F add. *in esse*. [c] Ita F, alii *a*. [d] STL om. [e] SRZ *occultata*. [f] V *relictis*; S om. *in*; R *manifestata* pro *manifesta*. [g] L om. [h] F *quod*. [i] Ita F, alii om. [k] Ita F, alii *est*. [l] F *illis*. [m] F *eo quod* pro *e. h. q. e.* [n] VT *quod*, quod L corr. [o] Ita VF, alii *unitatis*. [p] F *obicitur*. [q] R om.

[1] Cf. Augustin., *De div. quaest. 83*, q. 67, n. 5 (PL 40, 67).
[2] Cf. supra, *ad 3*.
[3] Cf. infra, num. 451.
[4] Cf. Gregor. M., *Moral.*, XVI, c. 37, n. 45 (PL 75, 1143).
[5] Cf. supra, *ad 4*.

MEMBRUM II.

De veritate corporis Adae.

Quaeritur consequenter de veritate corporis Adae. Et quoniam [a] veritas illius corporis tripliciter [b] variatur — consideratur enim ut creata [c] tantum vel ut creata et propagata vel ut creata [d], propagata et occasionata — ideo tria sunt hic quaerenda.

Quaeritur ergo primo de veritate corporis Adae creata, scilicet si erat vere corpus [e] humanum;

secundo, de veritate propagata;

tertio, de veritate occasionata.

CAPUT I. 449

UTRUM CORPUS ADAE ERAT VERE CORPUS HUMANUM.

Circa primum obicitur [f] **sic:** *a.* Anselmus, in libro [g] *De conceptu virginali* [1]: « Pariter verus est [h] homo et Adam de non homine et Iesus de sola muliere et Eva de solo viro, sicut est verus homo, quilibet vir [i] aut mulier de viro et muliere »; sed non esset verus homo nisi habuisset veritatem corporis humani.

b. Item, veritas causati est a veritate causae; omnia autem corpora humana sunt a corpore primi hominis, ut tactum est [2]; ergo, cum humana corpora, propagata a corpore illo, sint vera corpora humana, relinquitur quod illud fuit corpus huiusmodi.

c. Item, Anselmus, in libro [k] *De veritate* [3]: « Magister: Quidquid est, vere est, in quantum est [l] hoc quod in summa veritate est. Discipulus: Absolute potes concludere quia [m] omne quod est, vere est, quoniam [n] non est aliud quam quod ibi est ». Sed ibi fuit ut producendum in esse secundum veritatem: quod patet ex Sacra Scriptura [4]; ergo etc.

Contra: 1. Christus, ut probaret se assumpsisse veritatem humanae naturae, assumpsit defectus nostros; ergo, si non fuerunt in illo corpore defectus, non fuit in eo veritas humanae naturae.

2. Item, participatio naturalium proprietatum attestatur veritati rei; sed corporis compositi ex elementis naturalis est proprietas pugna et dissolutio: ut enim dicit Damascenus [5], « compositio [o] est principium pugnae, pugna dissolutionis » etc.; ergo, si pugna et dissolutio non erant naturales proprietates corporis Adae, ergo non erat verum corpus; ergo nec verum corpus huiusmodi.

3. Item, ad hoc ostendendum inducunt quidam [p] illud: Gen. 2, 7, secundum [q] aliam translationem [6], dicitur: *Finxit Deus hominem de terra;* sed veritas et fictio opponuntur; si ergo corpus illud fuit fictum, non fuit corpus verum.

4. Item, ut ex verbis Anselmi, libro *De veritate,* supra dictis [7] patet quod veritas in creatura [r] non est aliud quam [s] quod est in summa veritate [8]; sed nihil est in summa veritate nisi quod [t] est immutabile et invariabile. Praeterea, dicitur ibidem [9]: « Veritas est in omnium quae [u] sunt essentia, quia hoc sunt quod in summa veritate sunt ». Ex hoc patet, cum corpus illud possibile fuit et perductum ad [v] non esse, corpus hominis non habuit veritatem corporis humani.

5. Item, quod incipit esse quod non erat, desinit esse [x] quod fuit vel quod est; quod autem est tale non habet verum esse, quia veritas, in quantum veritas, semper manet una et eadem, ut vult Augustinus [y] [10]; sed corpus Adae desiit esse quod erat: primo enim fuit immortale et [z] incorruptibile et postmodum mortale et corruptibile;

---

[a] Z *quomodo.* [b] L om. [c] F *creatura,* item infra. [d] L add. *et;* V om. *e. p. v. u. c.* [e] F om. [f] F om.; V *Augustinus* pro *Anselmus.* [g] F om. *i. l.;* L *ij.* [h] L om.; Z om. *non.* [i] Ita F, T *ubi,* alii *nisi.* [k] L om. *i. l.* [l] V *autem.* [m] TZ *quod.* [n] F *quando.* [o] V *oppositio.* [p] F om. [q] T *supra.* [r] V *creaturis.* [s] S om. [t] T *quia.* [u] S add. *in.* [v] S *et.* [x] T add. *etiam.* [y] Ita V, alii *Anselmus;* S *et* pro *ut.* [z] T add. *etiam.*

1 Cap. 11 (PL 158, 446).
2 Cf. supra, num. 446.
3 Cap. 7 (PL 158, 475).
4 Cf. Gen. 1, 26 et 2, 7.
5 *De fide orthod.,* I, c. 4 (PG 94, 798).
6 Scilicet Italam.
7 Cf. supra, nota 3.
8 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 91.
9 Anselm., *De veritate,* c. 7 (PL 158, 475).
10 Cf. *De div. quaest. 83,* q. 9 (PL 40, 14).

ergo incepit esse quod non erat et desiit esse quod fuit[a]; ergo in eo non fuit veritas essendi, et ita ut prius.

6. Item, aut erat corpus illud[b] artificiale aut naturale. Si artificiale, habeo propositum, quia nullum corpus artificiale potest esse verum corpus humanum. Nec naturale, probatio: Quia non fuit productum in esse operatione naturae; natura enim est vis insita rebus simile ex simili procreans[1]; ergo non fuit in eo veritas huius rationis[c].

7. Praeterea, haeretici[2] quidam ponebant Christum non esse filium naturalem Virginis, quia non erat ex similibus productus in esse, qui eadem ratione possent ponere corpus Adae non esse corpus humanum naturale.

8. Ad hoc potest esse confirmatio, quia substantia spiritualis, cum format corpus ex aliqua materia, non dicitur formare verum corpus, sicut angelus, cum assumit corpus aliquod, illud non est verum corpus humanum[3]; ergo a simili videtur in proposito.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod corpus illud verum corpus humanum erat.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum in contrarium, dicendum quod Christus assumpsit de quatuor statibus hominis: de statu ante peccatum immunitatem peccati, de statu naturae lapsae poenam et defectus, de statu gratiae plenitudinem gratiae, de statu gloriae perfectam contemplationem, ut patet III[d] *Sententiarum*, dist. 16, cap. ultimo[4]. Christus ergo, assumendo nostros defectus, ostendit se assumpsisse veritatem humanae naturae quantum ad statum naturae lapsae: unde ex hoc non sequitur quod Adam in statu conditionis suae sive innocentiae[e] non habuit verum corpus humanum, eo quod non habuit quasdam proprietates accidentales quas postea habuit, scilicet in statu naturae lapsae.

2. Ad aliud dicendum quod, sicut dicitur in VI *Topicorum*[5], si mortale fiat immortale, non est facta[f] differentia secundum substantiam, sed secundum statum, ita dicendum est[g] hic quod, si primo[h] fuit corpus immortale, post vero mortale, non propter hoc variata erat essentia; cum ergo veritas essentiam respiciat, patet quod veritas erat corporis humani in illo corpore. Ad hoc ergo quod obicitur quod 'pugna et dissolutio sunt proprietates naturales' etc.: dicendum quod non sunt proprietates simpliciter, sed habito respectu ad statum humanae naturae lapsae universaliter[i] loquendo. In corpore enim primi hominis, antequam lapsus esset[k], erat tanta aequalitas virtutum elementarium quod non erat ibi actio abiciens a substantia, sed potius pax et harmonia secundum optimam earum commensurationem, ut dictum est supra[6]. Unde verbum Damasceni intelligitur quantum ad statum naturae[l] lapsae.

3. Ad aliud dicendum quod 'fingere' aequivoce dicitur: uno[m] modo idem est quod componere, secundum quod dicit Gregorius[7] quod « compositores luti figulos vocamus », et sic Dominus, operans in massa lutea, fingere dictus est, et haec fictio veritati non opponitur; alio modo dicitur 'fingere' actus virtutis aestimativae componentis et dividentis ea quae veritatem non habent, et tale 'fingere' non fuit ibi: nam illud opponitur veritati secundum quod dicitur Sap. 14, 16: *Hic error tamquam lex*[n] *custoditus est et tyrannorum imperio colebantur figmenta.*

4. Ad illud quod consequenter obicitur quod 'veritas in creatura non est aliud quam quod est in summa veritate, ubi[o] nihil est mutabile et variabile' etc., dicendum, sine praeiudicio, quod ratio dicti[p] huius est haec: quia veritas creaturae est[q] secundum artem et exemplar aeternum, quod est ipsa summa veritas. Unde veritas in creatura dicitur esse in veritate aeterna, sicut aliquid dicitur esse in exemplari vel arte secundum quam est. Ratione enim[r] trium quae sunt in creatura, quae sunt unitas, veritas, bonitas, est ipsa vestigium Creatoris, scilicet Trinitatis, repraesentans potentiam Patris per unitatem, sapientiam Filii per veritatem, bonitatem Spiritus Sancti per bonitatem[8], secundum quae[s] tria ipsa Trinitas cadit in triplex genus causae, scilicet efficientis ratione potentiae, formalis ratione sapientiae sive veritatis vel exemplaritatis[t], finalis ratione bonitatis[9]. Non ergo dicitur veritas quae est in creatura, esse in veritate summa, quia[u] sit in illa per essentiam, sed quia est in illa sicut effectus in causa formali exemplari sive in arte secundum quam est. — Quod autem dicitur quod 'ibi nihil est variabile et[v] mutabile' etc.: dicendum quod hoc verum est in quantum ibi est. Illa enim ars sive exemplar aeternum nulli subiacet varietati; quae tamen secundum[x] ipsam producuntur in esse, variabilia sunt. Unde Augustinus, *De*

---

[a] R *defuit.* [b] F om. [c] V *hominis*; F *huiusmodi* pro *h. r.* [d] F *in.* [e] V om. *s. i.* [f] Ita F, alii om. [g] VSTR om. [h] Z add. *modo.* [i] Ita FLZ, alii *vel.* [k] Ita F, VSTL om., RZ *erat.* [l] V om. [m] F add. *enim.* [n] Ita VF, alii add. *est*; T *custodiens* pro *custoditus.* [o] F *ibi.* [p] V *dicta.* [q] VTL om. [r] TF om. [s] S *quod.* [t] V *exemplaris.* [u] Ita F, alii *quod.* [v] V om. [x] R om.; V om. *tamen.*

1 Aristot., *Metaph.*, IV, c. 4 (II, 517).
2 V. g. Docetae, Manichaei et Priscillianus.
3 Cf. supra, num. 185-186.
4 Cap. 2 (p. 622).
5 Cap. 6 (I, 245).
6 Cf. supra, num. 437.
7 *In Evang.*, hom. 23, n. 1 (PL 76, 1189).
8 Cf. supra, num. 36.
9 Cf. supra, num. 6-18.

confessionibus [1]: « Apud te, Deus, omnium rerum instabilium stant [a] causae et omnium rerum mutabilium immutabiles manent origines et omnium irrationabilium [b] et temporalium sempiternae vivunt rationes ».

5. Ad hoc quod consequenter obicitur, dicendum quod, si corpus illud prius [c] fuit incorruptibile et post corruptibile, non propter hoc desiit esse quod prius fuit, sed [d] cuiusmodi primitus fuit. Tamen circa hoc notandum quod quidquid in corporibus humanis immutabile intelligitur, primae conditionis est [e] proprium; quidquid vero mutabile et varium [f], illud superadditum est et extra naturam substitutum, quantum ad statum conditionis. Unde universaliter in omnibus corporibus humanis una et eadem forma communis [g] intelligitur et semper incommutabiliter stat: variabiles enim differentiae, quae eidem formae accidunt, non contingunt ex ratione primae conditionis. Unde Gregorius Nyssenus, cap. 27 *De imagine* [2]: « Non per omnia quod [h] est nostrum in fluxu et transmutatione est. Si enim esset, reprehensibile esset universaliter quod nullum statum habet ex [i] natura; sed iuxta subtiliorem rationem eorum quae in nobis sunt, quoddam quidem stat, quoddam [k] vero ex mutabilitate occidit. Mutatur enim secundum augmentationem [l] et diminutionem corpus, veluti vestimenta quaedam secundum consequentes aetates indutum. Stat vero per omnem conversionem intransmutabilis in se ipsa forma insitis sibi semel ex natura signis non desistens, sed in omnibus secundum corpus transmutationibus cum suis notionibus apparet. Subtrahetur per verbum », Domini videlicet, « ipsa, quae ex passione est, mutatio, quae formae superaccidit ». Notatur ergo in hac auctoritate triplex status naturae humanae, scilicet naturae conditae per statum immutabilitatis ipsius formae, naturae lapsae per mutabilitatem [m] passionum variarum circa ipsam essentiam, naturae reparatae per subtractionem mutationis [n], quae accidit circa essentiam vel formam.

6. Ad aliud dicendum quod corpus illud erat naturale. Sed naturale dicitur [o] dupliciter. Uno modo dicitur 'naturale' in quo est veritas quae [p] congruit naturae tali: et secundum hunc modum erat [q] corpus illud naturale, quia in illo [r] erat tota veritas quae congruebat naturae corporis humani. Alio modo dicitur 'naturale' quod actione naturae producitur in esse: et secundum hunc modum non erat naturale; non enim producebatur in esse operatione [s] naturae, sed potius operatione Conditoris naturae. Cum enim sit triplex cursus sive exitus rerum in esse, ut habetur ab Anselmo, *De conceptu virginali* [3], scilicet mirabilis, naturalis et voluntarius, naturalia primo modo dicta cursu mirabili exeunt quandoque in esse. Unde originalia rerum principia, et maxime corpus Adae producebatur in esse cursu mirabili [4]; erat tamen corpus humanum habens quidquid requiritur ad veritatem corporis huiusmodi: unde non sequitur 'non fuit productum in esse operatione naturae, quae est vis insita etc., ergo non fuit naturale'.

7. Ad positionem haereticorum dicendum quod aliquando Deus ex simili simile producit in esse, aliquando ex dissimili, sicut dicit Cassianus, *De incarnatione Verbi* [5], contra haereticos praedictos scilicet, qui ponebant Christum non esse Filium naturalem Virginis, dicens sic: « Si ideo natum ex Virgine Deum non putas, quia homoousios parenti debet esse [t] nativitas, quo modo [u] res dissimiles ex dissimilibus crediturus es substitisse [v] naturis? Ergo apud te nec coturnices subito ventus intulit [6] nec manna decidit [7] nec vinum ex aqua prodiit [8] nec multa millia hominum ex uno cibo pasta sunt [9] nec post lutum caeco lumen apparuit [x 10] ». Et ponit [11] aliam instantiam de apibus quae nascuntur ex [y] floribus. Unde in hoc patet quod differt virtus infinita a virtute naturali sive creaturae, quoniam virtus increata operatur et ex similibus et ex dissimilibus, in quibus non est potentia activa; virtus vero creata ex similibus similia aut saltem ex talibus in quibus est potentia quodam modo activa, non solum materialis sive passiva.

8. Ad illud quod adiungitur quod 'spiritualis substantia non format verum corpus humanum' etc.: dicendum [12] quod non est simile, quia illa formatio non est nisi quaedam compactio artificialis ad operationem aliquam exercendam per usum illius corporis nec [z] est ibi proportio numeralis ad animam humanam, quae debet esse inter corpus organicum perfectibile anima rationali, nec inter substantiam angelicam et illud. Sed corpus Adae, quamvis formatum fuerit a Deo de limo, tamen fuit organum verum animae Adae et ipsa forma eiusdem.

---

[a] V *sunt.* [b] S *rationabilium.* [c] VZ om.; L om. *post.* [d] FZ (mg.) add. *eiusmodi.* [e] RZ om. [f] SRZ *vanum.* [g] F *veritas formationis* pro *f. c.*; V om. *una*; R om. *communis.* [h] T om. [i] F *a.* [k] T *quidam.* [l] F *per auctionem* pro *s. a.*; V add. *et mutationem.* [m] T om. [n] R *immutationis.* [o] V add. *multipliciter.* [p] Z *quod.* [q] Ita VF, alii *erit.* [r] Z *illa*; L *erit* pro *erat.* [s] F *opere.* [t] Ita F, alii om. [u] RL om. [v] V *substituisse.* [x] F *aperuit.* [y] T om. [z] Ita F, alii *non.*

1 Lib. I, c. 6, n. 9 (PL 32, 664).
2 *De homin. opif.*, c. 27 (PG 44, 225 sq.).
3 Cap. 11 (PL 158, 446). 4 Cf. supra, num. 227.
5 Lib. VII, c. 4 (PL 50, 204 sq.).
6 Cf. Exod. 16, 13. 7 Cf. Exod. 16, 14.
8 Ioan. 2, 9.
9 Matth. 14, 19; Marc. 6, 41: Luc. 9, 16; Ioan. 6, 11.
10 Ioan. 9, 6-7.
11 Cassian., loc. cit., c. 5 (PL 50, 206).
12 Cf. supra, num. 186.

CAPUT II.

DE VERITATE PROPAGATA CORPORIS ADAE.

Sequitur inquirere[a] de veritate propagata. Et quaeritur:

Primo, si tota veritas humanae naturae fuit in corpore Adae quoad esse corporale;
secundo, de modo propagationis.

450

ARTICULUS I.

Utrum tota veritas humanae naturae fuit in corpore Adae quoad esse corporale[1].

De primo arguitur quod[b] **sic:** *a.* Augustinus, libro XIII *De civitate Dei*, cap. 14[2]: « Omnes fuimus in illo uno quando fuimus ille unus, qui per peccatum lapsus est »; sed non fuimus in illo secundum animam; ergo secundum corpus fuimus omnes corporaliter in illo primo corpore.

b. Praeterea, Anselmus, *De conceptu virginali*, cap. 2[3]: « Quia tota in primis parentibus erat humana natura et extra ipsos nihil erat, de illa tota infirmata et corrupta est »; sed similiter in principio fuit Eva in Adam; ergo nullum humanae naturae individuum exceptum[c] est, et inde ut prius.

c. Praeterea, idem, in[d] eodem libro, cap. 9[4]: « Poterat Deus de[e] Adam, in quo semen omnium hominum creaverat, aliam facere mulierem, per quam de Adam propositum Dei perficeretur ». Praeterea, quod hoc possit esse, patet per Augustinum, *De vera religione*[5], dicentem: « De uno semine possunt secundum suam naturam vel segetes segetum vel silvae silvarum vel greges gregum vel populi populorum per saecula propagari, ut nullum folium sit vel nullus pilus per tam numerosam[f] distensionem, cuius non[g] ratio in illo primo et uno semine fuerit ». Ergo, cum[h] ex uno grano seminentur omnia grana et in eo contineatur omnium granorum virtus, videtur similiter quod ex uno corpore propagari possit vel propagatum sit omne corpus humanum seminaliter.

Contra: 1. Si[i] in illo corpore fuit tota humana natura, ergo aut secundum formam aut secundum materiam[k] aut secundum utrumque. Non secundum materiam, quia non erant in illo corpore tot atomi quot ex eo seminata sunt corpora[6]. Neque secundum[l] formam, quia, cum veritas humanae naturae, quae fuit in Adam, sit transfusa ad posteros, formarum autem non est transfusio sine transfusione materiae, videtur quod non fuerit in eo natura humana secundum formam, cum non possit[m] materia ad tot corpora formanda dividi quot sunt ex eo propagata. — Praeterea, cum veritas illa naturae sit transfusa ad posteros, transfusio autem illa per divisionem facta est, forma autem simplex est et indivisibilis[7], patet quod non fuit[n] in illo humana natura secundum formam.

2. Praeterea, ut habetur in alia Philosophia[8], semen est ex superfluo ultimae[o] digestionis sive nutrimenti. Dicit enim Aristoteles, in[p] libro *De animalibus*[9], quod sperma est superfluitas ultimi cibi; quod autem est tale non est de veritate substantiae generantis; ergo corpora propagata de primo homine non erant de veritate substantiae illius.

3. Praeterea, cum illud quod est hominis debeat in ipso resurgere, si omnium hominum corpora fuerunt in Adam, ergo in ipso resurrectura sunt.

4. Praeterea, pars non est idem per essentiam cum suo toto; ergo, si quod in Adam fuit secundum carnem, propagatum est lege naturae et per decisionem partium a toto, non remansit in ipso Adam tota veritas saltem post decisionem nec insuper eadem est humana natura in nobis et in Adam.

5. Item, omnis divisio alicuius partis, naturaliter unitae cum toto, in re habente sensum fit cum dolore et tristitia; sed decisio spermatis fit per divisionem alicuius ab aliquo in re habente sensum sine dolore; ergo non fit per divisionem alicuius partis unitae naturaliter alii.

6. Item, differenter est in appetitu et potestate rationalis et simpliciter naturalis, quia appetitus et potestas[q] rationalis est ad opposita, naturalis

---

[a] Ita F, alii om. [b] F om. [c] F *exemptum*. [d] Ita F, alii om. [e] Ita F, alii om. [f] V *innumerosam*. [g] Z add. *est*. [h] T om. [i] R om. [k] V *naturam*. [l] Z om. [m] F *posset*. [n] V om. [o] V *ultimo*. [p] Ita F, alii om. [q] SRZ *potestatis*; Z om. *est*.

1 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 30, cc. 13-14 (p. 466 sq.); S. Bonav., II *Sent.*, d. 30, a. 3, qq. 1 et 2 (II, 726 sqq.).
2 PL 41, 386.
3 PL 158, 434.
4 PL 158, 443.
5 Cap. 42, n. 79 (PL 34, 158).
6 Cf. Lombard., loc. cit.
7 Cf. Gilbert. Porretan., *De sex princip.*, c. 1 (I, 31c).
8 Aristot., *De animal. generat.*, I, c. 18 (III, 334); cf. Avicenna, *De nat. animal.*, XV, c. 2 (f. 60c).
9 Loc. cit.

simpliciter ad unum; igitur, cum appetitus naturae sit ad hoc quod uniatur illud quod est pars membri cum suo toto, eius appetitus non erit ad divisionem eiusdem; ergo nunquam appetit aliquid dividi a membro quod est de substantia illius; ergo decisio seminis est per divisionem alicuius quod non est de membro aliquo.

Respondeo: Cum 'totum' tripliciter dicatur in V *Primae Philosophiae*[1] — uno modo idem est[a] quod perfectum; alio modo secundum quod dicitur totum aliquod unum continens naturaliter partes in eo, quae uniuntur in aliqua forma una substantiali: sic[b] dicitur totum universale, uniens quodam modo contenta in[c] forma una; tertio modo dicitur totum aliquod unum continens plures partes, quae, existentes[d] in tota potentia, uniuntur in eadem quantitate vel secundum naturam vel secundum artificium: et hoc modo dicitur totum in quantitate respondens parti in quantitate — primo modo erat tota natura in Adam, qui perfectus erat homo ex anima et corpore; similiter secundo modo: erat enim in eo tota humana natura[e], in quantum hoc quod dico 'humana natura' quaedam forma erat dans[f] esse contentis, secundum illud Boethii[2]: « Species est totum esse individuorum »; quae quidem participata est ab omnibus hominibus et in qua omnes uniti sunt[g], secundum quod dicit Porphyrius[h3]: « Participatione speciei plures homines unus »; tertio modo solum in potentia et non in actu per materiam[i] distinctam erat omnium corporum materia in corpore Adae. Tripliciter igitur dicitur tota humana natura fuisse in Adam: et quia natura humana perfecte erat in eo et quia species humana quandoque in illo[k] solo salvata erat, quae postea ab aliis est participata, et etiam quia aliquid in ipso erat quod per propagationem est[l] de constitutione corporum omnium hominum.

Cum ergo quaeritur quo modo tota humana natura fuit in Adam, scilicet secundum materiam aut etc.[m]: dicendum quod secundum materiam, quia materia omnium corporum sive materiale, quod est de constitutione omnium corporum humanorum, erat in corpore Adae. — Et ad maiorem huius notitiam notandum[n] quod in corpore Adae erat quantitas molis cum ratione seminali. Ratione quantitatis illius molis poterat extendi et diffundi secundum extensionem corporis quasi improportionaliter maioris, sicut gutta vini effusa in magno vase aquae, materia illius diffundit se per totum vas illud, immo, ut ponunt noti in[o] Philosophia alia[4], aliquid parvae quantitatis possibile est ad diffusionem quasi infinitam ratione quantitatis suae materiae, sicut quantum, ratione qua quantum est, divisibile est in infinitum. Ratione ergo quantitatis molis sive materialis corporis Adae partes ipsius decisae in generatione, quantacumque eis facta fuerit additio per susceptionem alimenti, diffundebant se secundum extensionem quantitatis additae. Praeterea, ratio seminalis in illo virtutem habuit[p] activam, qua poterat se multiplicare in materia susceptibili, sicut potest virtus lucis et ignis et consimilia. Quia ergo portio decisa a corpore illo ratione quantitatis materialis poterat se extendere secundum extensionem corporis cuiuscumque quantitatis additae, virtus autem multiplicare se in materiali addito sufficiebat ad omnia corpora generis humani seminanda.

Ad praedictorum evidentiam potest suaderi sic: Constat quod corpus parvum[q] sive humor modicus potest ita commisceri magno, quod nulla est post commixtionem distinctio, ut, quando est commixtio usque ad homogeneum[r], tali mixtione facta, nihil fit[s] de illo magno corpore quod non fit de parvo eidem commixto. Similiter intelligatur illud mixtum commisceri maiori, et sic procedendo intelligatur quod res parvae quantitatis sic possit commisceri et uniri rei maiori, ut nihil de maxima re fiat quod non possit rationabiliter dici[t] factum de illo parvo. Sic igitur intelligendo, satis rationabile videri potest etiam secundum operationem naturae omnes homines materialiter fuisse in Adam et de Adam, quamvis modicum ex ipso fuerit decisum.

Et si obiciatur quod res parvae quantitatis non possit adeo extendi: dicendum quod hoc non impedit[u], cum omne corpus, quantum est de natura quantitatis, sit divisibile in infinitum. Et hoc dicunt physici[5] et approbat[v] Augustinus, II *Super Genesim ad litteram*[6], ita dicens: « Physici autem subtili ratione persuadent nullum esse[x] quantumlibet exiguum corpusculum, in quo divisio finiatur, ac per hoc si potest aqua ad tantas guttarum minutias pervenire, ut super istum aerem vaporaliter feratur, qui natura levior est aquis, cur non possit et super illud levius caelum minutioribus guttis et levioribus immanare[y] vaporibus? » Praeterea, quo modo haberet illud

---

[a] STL om. [b] F *sicut*. [c] F *sub*. [d] V *existens*. [e] L om. [f] Ita FR, V *totum*, alii om. [g] F *erant*. [h] L add. mg. *dicit*. [i] F *naturam*. [k] V *eo*. [l] Z *et*. [m] V *secundum formam*; S *et* pro *a. e.*, quod Z om. [n] V *sciendum*. [o] SZ om. [p] TL *habent*, R *habet*, SZ om. [q] T om. [r] Ita V, alii *homotomerum*. [s] Ita VF, alii *sit*. [t] F add. *esse*. [u] VSTL *impeditur*. [v] F *probat*. [x] F add. *corpus*. [y] F *manare*.

1 *Metaph.*, IV, cc. 16 et 26 (II, 527, 531).
2 *In Porphyr.*, III (PL 64, 112 et 115); cf. *De divisione* (PL 64, 882).
3 *De praedicam.*, c. *De specie* (PL 64, 111).
4 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 6 (II, 281 sq.).
5 Cf. Aristot., loc. cit.
6 Cap. 4, n. 8 (PL 34, 266).

verbum Augustini[1] veritatem, quod Christus fuit in Adam secundum corpulentam substantiam, nisi aliquid descendisset de corpore Adae usque ad Christum[2]? Item, Isai. 11, 1: *Egredietur virga de radice Iesse;* ergo in Christo fuit aliquid *de radice Iesse;* Rom. 1, 3: *Factus est ex semine David secundum carnem*[a]*;* ergo in Christo fuit aliquid de carne David; Hebr. 2, 16: *Semen Abrahae apprehendit.*

[Ad obiecta]: 1. Cum ergo obicitur quod 'non erant in illo corpore tot atomi' etc.: dicendum quod, etsi non erant tot atomi[b] existentes in actu et secundum speciem sive secundum formam, erant tamen tot existentes in potentia et secundum materiam, quia materiale, decidendum de corpore illo, ratione quantitatis illius fuit possibile[c] quasi ad infinitam extensionem et divisionem.

2. Ad aliud dicendum quod semen dicitur esse de superfluo nutrimenti, non quia[d] in embrione non[e] sit alia substantia quam de illo superfluo, sed[f] quia pars maior in quantitate est de illo, secundum quod solet quandoque totum a parte maiori denominari[3]. Duae enim circa hoc sunt opiniones: una, quae ponit prolem seminari et propagari de vera[g] substantia patris[4]; alia, de superfluo nutrimenti[5]. Prima autem habet respectum ad quantitatem virtutis, secunda ad quantitatem molis: aliquid enim in generatione descinditur de vera substantia patris, quod, licet forte minoris sit quantitatis illa parte quae est de superfluo nutrimenti, est tamen maioris virtutis et plus conferens substantiae foetus sive prolis genitae. Propter quod videtur quod medium sit tenendum et ponendum sit prolem de utraque substantia seminari.

3. Ad aliud dicendum quod natura in primo homine erat duplex: una, quae erat simpliciter ipsius ut erat individuum; alia, quae erat illius ut erat principium aliorum. Haec[h] autem natura duplex respondet duplici appetitui — quorum[i] unus erat respectu salutis in se, alius respectu[k] salutis in alio — et duplici virtuti, scilicet nutritivae, qua intenditur salus sive conservatio rei in se, et generativae, qua intenditur conservatio rei in alio. Unde Eccli. 30, 4: *Mortuus est pater eius, et quasi non est mortuus, similem enim*[l] *reliquit post se.* Unde filius dicitur quia fit ut ille qui genuit. Huic duplici naturae duplex respondet veritas: una quae respicit esse individui absolute[m]; alia quae respicit esse in quantum est principium aliorum: hoc est una est[a] veritas naturae quae respicit esse Adam in se, alia quae respicit esse illius ut est ad producendum alios in esse. Veritas ergo naturae, quae erat in Adam respectu sui, resurget in ipso Adam, sed[b] quae erat in ipso respectu speciei resurget in alio. Et est[c] simile: dicimus enim Petrum verum hominem, quia participat naturam speciei et quia habet collectionem proprietatum quas in alio impossibile est reperire: ratione primi non distinguitur ab aliis hominibus, sed ratione secundi. Similiter[d] veritas humanae naturae in Adam, prout[e] respicit naturam speciei, non appropriatur Adae, et ideo in ipso non[f] resurget, sed prout consideratur in quantum est proprietas rei naturae, ipsum distinguit et in ipso resurget.

4. Ad aliud dicendum quod[g], secundum quod 'totum' sumitur primo modo, id est dicitur perfectum, sic post propagationem factam per decisionem portionis carnis Adae remansit in ipso tota veritas humanae naturae; similiter, secundum quod 'totum' sumitur secundo modo. Licet enim species humana, antequam de eo[h] fieret aliqua propagatio, in illo[i] solo salvata esset, post autem in eo et in aliis, nihilominus in eo[k] post propagationem erat perfecte quantum ad suam essentiam sicut et ante: non enim eo quod in pluribus existit, minus perfecte existit in singulis. Quantum autem ad esse quod attenditur in actu continendi et dicendi, non erat[l] tota post sicut et ante, quia, cum ante[m] continebat actu solummodo individuum primi hominis[n] et de eo solo actu dicebatur, post continebat plures et de pluribus dicebatur. Secundum quod 'totum' dicitur tertio modo, sic non remansit in ipso tota veritas humanae naturae uno modo, quia cum[o] veritas humanae naturae in Adam non tantum determinata erat circa esse ipsius Adae prout erat persona ista[p], sed prout erat principium aliorum — unde[q] respectum habebat ad speciem salvandam per propagationem aliorum de sua substantia — cum uniuscuiusque substantia et virtus sua mensuretur periodo, subtracta aliqua portione substantiae suae in generatione, similiter et virtutis, non habebat substantiam et virtutem in illa totalitate qua prius, scilicet secundum quod erat principium aliorum, licet haberet secundum quod erat hoc individuum vel[r] persona. Sic ergo quantum ad primum modum sumendi

---

[a] R om. *s. c.*; F *de* pro *ex.* [b] Ita V, alii om. [c] Ita F, alii *potentia.* [d] R (corr.) *quin.* [e] Ita F, alii om. [f] Z *et.* [g] F *mera.* [h] V *st.* [i] V om. [k] Ita F, alii om. [l] V *ei.* [m] V om.

[a] Ita F, alii om. [b] F add. *illa.* [c] F *est enim* pro *e. e.* [d] S *ergo.* [e] R om. *similiter... prout.* [f] V om. [g] Ita F, alii om. [h] FZ *ea.* [i] V *eo.* [k] F om. *i. e.* [l] Ita TF, alii *erit.* [m] F *aliquando.* [n] L om. [o] V *est.* [p] F *illa.* [q] F om. [r] VL *et.*

1 *De Gen. ad litt.*, X, c. 20, n. 35 (PL 34, 424).

2 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 3, p. 2, a. 2, q. 2, *ad 3* (III, 89sq.).

3 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 1 (II, 262).

4 Est opinio Alexandri Aphrodisii; cf. Averroes, *De generat.*, I, text. 38 (V, 161).

5 Est opinio Aristotelis et Avicennae, cf. supra, p. 564, nota 8.

'totum', tota humana natura fuit in ipso post propagationem factam de eo et ab eo sicut ante; quantum ad secundum uno modo similiter, alio modo non [a]; similiter quantum ad tertium. — Quod autem infertur quod 'non erat in nobis eadem natura humana quae in eo': dicendum quod eadem fuit quantum ad veritatem naturae humanae, licet non quantum ad totalitatem sive multiplicitatem veritatis; in nobis enim est veritas humanae naturae quantum ad esse individui, non [b] quantum ad esse principii, generalis scilicet, sicut fuit in eo.

5. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod quandoque fit divisio uniti naturaliter et iuxta appetitum naturae, et illa non infert tristitiam, sed delectationem, in quantum huiusmodi; quandoque contra appetitum naturae et per violentiam factam naturae, et illa infert tristitiam.

6. Ad illud [c] quod obicitur quod 'appetitus naturae est ad unum' etc., dicendum [d] quod est considerare naturam in homine dupliciter: vel ut appetitus naturae est salvare se, in quantum potest in hoc individuo, et sic eius appetitus est unire, et in quantum huiusmodi exercet opera nutritivae et [e] augmentativae; vel ut appetitus eius est salvare se in simili specie, cum non potest in eodem, et sic eius appetitus est dividere, et, in quantum huiusmodi [f], exercet opera generativae.

ARTICULUS II. 451

De modo propagationis humani generis ab Adam [1].

Quaeritur consequenter de modo propagationis, id est utrum propagatio humani generis ab Adam sit [g] per multiplicationem substantiae decisae ab eodem in generatione, *a.* sicut ponit Magister, II libro *Sententiarum,* 30 dist. [2], dicens [h]: « Omne, quod in humanis corporibus naturaliter est descenditque a primo parente lege propagationis et in se auctum et multiplicatum est, nulla exteriori substantia in idem [i] transeunte, et ipsum in futuro resurget, fomentum quidem habet a cibis, sed non convertuntur cibi in humanam substantiam, quae scilicet per propagationem descendit ab Adam ». Ex hoc verbo videtur quod illud solum sit de veritate substantiae posterorum [k] quod propagatum est a primis parentibus.

b. Item, ad idem, Beda [3] super illud Marc. 7, 15: *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare* etc.: « Quia ad primum tactum liquidior cibus et potus per membra diffunditur, quamvis tenuissimus humor et liquens esca, cum in venis et [l] artubus cocta fuerit et digesta, per [m] occultos meatus, quos Graeci poros vocant, ad inferiora dilabitur et in secessum [n] vadit ». Igitur omnino quod intrat os, exit nec cedit in naturam eius quod alitur.

c. Item, Augustinus, XXII *De civitate Dei,* cap. 20 [4], quaerit: Si aliquis nutriatur carnibus humanis, in quo debent carnes illae resurgere? Et dicit [o] respondendo: « Reddetur caro illa homini, in quo esse caro illa [p] humana primitus coepit; ab illo quippe altero tamquam mutuo sumpta deputanda est [q] ». Ex hoc patet quod non convertitur [r] alimentum in veritatem naturae alendi [s].

d. Item, Augustinus, in [t] eodem, determinat de parvulis quod resurgent in perfectione corporali. Unde dicit, cap. 14 [5]: « Ipsa membra omnia iam [u] sunt latenter in semine, cum etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dentes et si quid eiusmodi. Secundum hanc rationem profecto in resurrectione corporis detrimenta non timemus » etc. Igitur videtur quod in semine lateant omnia membra quantum ad perfectionem corporalem, et ita nihil de nutrimento est de veritate naturae.

e. Item, in libro *De animalibus* [6], habetur quod semen, quod est materia generationis, assimilatur filio egredienti de domo patris sui. Quod sic exponitur: sicut filius egrediens defert secum partem substantiae suae et eam negotiando multiplicat, sic semen partem substantiae prolis augmentandae secum defert et eam multiplicat [v].

f. Item, Augustinus, XXII *De civitate Dei,* cap. 14 [7]: « In ratione uniuscuiusque materiae indita corporali, iam quodam modo, ut ita dicam, liciatum [x] videtur esse quod nondum est, immo quod latet, sed accessu temporis erit vel potius apparebit. In hac ergo infans [y] iam brevis aut longus est, qui brevis longusve futurus est ». Ex hoc patet quod tota quantitas hominis [z] est in portione illa quae descinditur a parentibus, et quantitas in qua resurget. Unde subiungitur

---

[a] V add. *est;* F om. *modo.* [b] Z add. *autem.* [c] Ita VF, alii om. [d] F add. *est.* [e] Ita R, alii om. [f] T om. [g] F *futt.* [h] F om.; T om. *libro.* [i] F *id.* [k] Ita F (corr.), alii *posteriorum.* [l] S om. [m] Z *et.* [n] V *seorsum.* [o] Ita V, alii *dicitur.* [p] Ita F, alii om. [q] F om. [r] F *vertitur.* [s] F *alende.* [t] Ita FL, alii om. [u] F add. *facta.* [v] VSTR om. *e. e. m.,* in LZ est add. mg. [x] Codd. *limitatum.* [y] F *ergo* pro *i. h. e. i.* [z] T om.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 30, a. 3, qq. 1 et 2 (II, 726 sqq.).
2 Cap. 14 (p. 467).
3 *In Marc.,* II, c. 7 (PL 92, 201).
4 Num. 2 (PL 41, 783)
5 PL 41, 777.
6 Cf. Aristot., *De animal. generat.,* II, c. 4 (III, 356)
7 Loc. cit., ubi et sequentia.

ibidem: « Secundum hanc rationem profecto [a] in resurrectione corporis detrimenta non timemus ». Igitur, ut videtur, nihil resurget nisi quod est in semine.

g. Item [b], eodem libro et eodem cap.: « Creatori rerum, qui creavit cuncta de nihilo, quo modo deesse posset unde adderet quod addendum fore mirus Artifex nosset? » Ex hac auctoritate arguit Augustinus, ibidem, cap. 14 [1], quod, cum tota giganteae [c] magnitudinis moles sit in ratione modica, possibile est resurgere eum qui brevis est cum [d] moritur, in magna mole et sine additamento extrinseco, ut videtur, cum Dominus tantam ibi [e] veritatem in illa ratione creaverit. Ergo a simili in proposito.

Contra: 1. Omnes fuimus in Adam seminaliter, secundum Anselmum [2]. Sed, licet in grano uno sit virtus seminalis ad granum producendum in esse, non tamen [f] illud in esse producit nisi subintrante humiditate extrinseca. Quod sic determinant [g] habentes notitiam huius: dicunt enim quod granum, terrae mandatum, si fuerit nimis [h] calidum, aduritur; si nimis frigidum, mortificatur; si nimis siccum, arescit; si nimis humidum, putrescit. Similiter est, si terra, in qua seminatur, eamdem patitur intemperiem, corrumpitur granum; si vero conveniant in temperie granum et terra, vis humorositate relaxatur; caliditas autem existens in ipso, elementaris dico, inveniens substantiam grani relaxatam agit quod suum est, dissolvit ipsum et dissolvendo humiditatem multiplicat; humiditas autem replet substantiam grani, donec repleto grano fiat ruptura et post fit transsubstantiatio alicuius partis egredientis in radicis [i] essentiam, quae terrae infigitur et mediante ipsa attrahitur [k] nutrimentum, quod transit in substantiam grani. Similiter est de semine quod deiectum est in moneta conceptionis, sicut patet in medicina [3], ubi determinatur quo modo fit relaxatio humorosae substantiae et attractio [l] nutrimenti et multiplicatio et augmentum per nutrimenti subingressum. Non ergo in propagatione a primo homine est hominum productio et esse completum per multiplicationem eius quod decisum est ab Adam, sed [m] per additionem factam ex subingressu alimenti.

2. Item, opus multiplicationis est a solo Deo: est enim creatio quaedam, ut supra tactum est [4].

3. Item, Hugo [5]: « Sane sex sunt opera, quibus omnia, quae fiunt, ad effectum perducuntur [a]. Primum opus est de nihilo aliquid facere. Secundum opus est de aliquo aliqua [b] facere secundum substantiam et quantitatem in maius. Tertium opus est de [c] aliquibus aliquid facere secundum substantiam et quantitatem in minus. Quartum opus est de aliquo aliqua [d] facere, non tamen secundum substantiam et quantitatem in maius. Quintum opus est de aliquibus aliquid facere, non tamen secundum substantiam et quantitatem in minus. Sextum opus est de aliquo nihil facere. Ex iis sex operibus quatuor soli Deo possibilia sunt, duo reliqua tantum creaturae possibilitati conveniunt. De nihilo enim aliquid facere et de aliquo aliqua [e] in maius et de aliquibus aliquid in minus sive de aliquo nihil, solus Deus potest [6]. Duo reliqua, id est de aliquo aliqua non in maius, sicut cum totum in partes dividitur, vel de aliquibus aliquid non in minus, quemadmodum cum partes in toto uniuntur, creatura facere potest [f] ». Facere autem de aliquo aliquid secundum quantitatem et substantiam in maius, est opus multiplicationis, sicut habetur ab eodem [7]; ergo etc.

4. Item, Anselmus [8]: « Triplex est cursus rerum in esse, voluntarius, naturalis et [g] mirabilis ». Propagatio ergo [h] hominum a primo homine aut est secundum cursum voluntarium aut etc. Non secundum [i] voluntarium: non enim est generatio vel productio hominis ad statum completum secundum actum voluntatis. Neque secundum mirabilem: non enim sunt opera mirabilia generatio et productio hominis ad [k] esse completum, ex quo fiunt secundum cursum naturae. Neque secundum naturalem, quia actio naturae est finita. Sed si fieret huiusmodi multiplicatio per naturam, natura posset [l] in actionem infinitam, quia non reperiret ubi staret et semper inveniret materiam [m] convenientem suae actioni, quia qua ratione ex illa materia parva successive sive consequenter possent multiplicari quasi homines infiniti per naturam, eadem ratione possent alii tot multiplicari ex eadem, et ita in infinitum.

5. Si autem diceretur, sicut supra tactum est [9], quod ratione quantitatis materiae divisibilis et extensibilis est in [n] infinitum – contra, habetur a Philosopho [10]: Omnium constantium

[a] Ita F, V *profectio*, alii *perfectio*. [b] RL (interl.) add. *in*. [c] Ita FZ (corr.), alii *gigantis*. [d] STL *tamen*. [e] Z *sibi*, quod S corr. [f] V add. *in*, quod R exp.; Z *nec* pro *nisi*. [g] SLZ *determinat*. [h] VT *minus*. [i] V *radice*. [k] V *attrahit*. [l] T add. *autem*. [m] Z *et*; S om. *per*.

[a] VT *producuntur*. [b] Z *aliquid*. [c] T om. [d] F *aliquid*. [e] FZ *aliquid*. [f] Z om. [g] R om. [h] F om. [i] F add. *cursum*. [k] L om. [l] S *poneret*. [m] F *naturam*. [n] SL om.

1 Loc. cit. et c. 15.
2 Cf. *De conc. virg.*, cc. 2 et 23 (PL 158, 434, 454).
3 Cf. Alfred. Anglic., *De motu cordis*, c. 14, n. 2 (p. 70).
4 Cf. supra, num. 431.
5 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 37 (PL 176, 285).
6 Cf. supra, num. 24.
7 Loc. cit.
8 *De conc. virg.*, c. 11 (PL 158, 446).
9 Cf. supra, p. 565, nota 4.
10 *De anima*, II, c. 4 (III, 449).

natura terminus est et ratio magnitudinis et augmenti; sicut [a] ergo est status in rebus naturae et terminus in augmentando, similiter est, ut videtur, in diminuendo; ergo non est possibile huiusmodi extensionem vel divisionem esse [b] per naturam.

Respondeo: Circa quaestionem propositam diversi diversa sentiunt, quorum propter difficultatem quaestionis expedit manifestatio. Sunt [c] igitur quidam consentientes determinationi Magistri *Sententiarum*, quidam dicunt contrarium.

Ponunt enim quidam [1] cum Magistro [2] quod « transmisit Adam modicum quid de sua substantia in corpora filiorum quando eos procreavit, id est aliquid modicum de massa substantiae eius divisum est et inde formatum corpus filii, suique multiplicatione sine rei extrinsecae adiectione auctum est ». Ad ostendendum autem quod quandoque fit [d] augmentum rei per multiplicationem huiusmodi, dicunt quod materia, quae est in minimo aëre, hoc modo est sufficiens ut ex ea fiat quasi infinitum, non quidem alterius speciei, ut ignis vel terrae, sed etiam eiusdem, ut aëris; et eadem ratione, cum semen decisum de Adam, habuit in se quatuor elementa, in minimo terrae, quod fuit in semine illo, fuit materia sufficiens quasi ad infinitam terram et in minimo aquae quasi ad infinitam aquam, et similiter de aëre et [e] igne: et ita in illo minimo semine erat materia sufficiens quasi ad infinitos homines, non dico materia nuda, sed materia cum rationibus seminalibus. Materia enim, ut dicunt, quae est sub modico aëre, est possibilis ad tantam extensionem quantae est totus aer, immo quod tantus aer inde posset fieri quantus est totus aer universi. Cum ergo sit triplex natura in nobis, infima, ut terrena, media, ut diaphana, suprema, ut caelestis, potest fieri multiplicatio sic: ex natura enim [f] media, quam habet materia ex aqua [g] et aëre [3], habet ut rarefiat et sic fiat maior per rarefactionem; ex natura lucis, quam habet materia cum corporibus caelestibus communem, habet ut maxime diffundat se sine sui diminutione, ut patet in lumine candelae, quod per sui multiplicationem crescit et diffundit se in alias candelas sine sui diminutione. Volentes ergo opinionem [h] Magistri sustinere de huiusmodi multiplicatione, dicunt quod ex potentia et sufficientia materiae et ex rationibus seminalibus, quae erant [i] in ipsa materia, secundum quod dicit Augustinus, *De vera religione*, quod de uno grano sunt segetes segetum vel silvae silvarum etc., ut supra [4], quae quidem habent materiam distendere, quatenus eis inditum est a Creatore, et ex congruentia rarefactionis, quae fit secundum proprietates qualitatum elementorum mediorum, cuiusmodi sunt aer et aqua, et ex proprietate lucis diffundentis se — quae quidem est in corpore humano, sicut natura, qualitates contrarias elementorum concilians, cuius nunc actus occulti sunt — erat potentia in illa materia diffundendi et multiplicandi se sine quanti extrinseci additione, sicut dicit Magister in *Sententiis* [5]. Et ponunt exemplum in puncto, qui est conterminalis infinitarum linearum, a quo si auferatur una linea, habet eumdem punctum separata pro termino quem prius habebat, nec est ille punctus nunc auctus, licet obtineat duo loca punctalia et prius nonnisi unicum, sed est multiplicatus. Similiter in proposito: sicut enim non est hic novi puncti creatio, sed prioris multiplicatio, sic non est hic novae materiae creatio, sed prioris multiplicatio.

Huic autem opinioni assentientes ulterius explanando dicere possunt quod, cum in homine sit [k] caro secundum speciem, caro secundum materiam [6] et similiter de aliis partibus — quia in singulis et similium [l] partium et dissimilium est quaedam pars secundum speciem, quaedam secundum materiam — quantum ad illud quod in homine dicitur esse secundum speciem, est descensus secundum propagationem a primo homine; quantum ad illud quod in homine est secundum materiam, est ab [m] alimento. Quantum igitur ad illud quod est in homine secundum speciem, est augmentatio per multiplicationem; quantum ad aliud, per receptionem alimenti. Et potest dici quod in homine est natura habens potentiam multiplicandi se a natura elementari et virtute lucis coexistentis in tali harmonia. Et videtur posse persuaderi ad hoc per hoc quod si minimum ignis convertatur in aquam vel [n] aerem vel terram, materia, quae fuit prius sub specie ignis, iam est sub specie [o] alterius elementi: quod esse non potest nisi iuxta congruentiam formae fiat multiplicatio materiae. — Praeterea [p], materia, secundum se considerata, est in termino simplicitatis; quod sic est, non potest augmentari per rarefactionem nec augeri per appositionem; igitur nulla est [q] eius augmentatio nisi per multiplicationem. — Praeterea, ubicumque est forma, cuius

---

[a] Ita F, alii *sic*. [b] VTFL om. [c] V *item*. [d] V *sit*. [e] T add. *de*. [f] F om. [g] L *quam*. [h] T *volentesque ergo* pro *v. e. o.* [i] SRL *erat*. [k] Z *fit*. [l] S add. *et*. [m] V *in*. [n] Ita F, alii *et*. [o] L *substantie* pro *s. s.* [p] V om. [q] Z om.

1 Cf. Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 37 (PL 176, 286); Pseudo-Hugo, *Summa Sent.*, tr. 3, c. 10 (PL 176, 105 sq.). Cf. Petr. Pictav., *Sentent.*, II, c. 19 (PL 211, 1017 sq.).

2 *Sentent.*, II, dist. 30, c. 14 (p. 467).

3 Cf. supra, p. 340b.

4 Cf. supra, p. 564, nota 4.

5 Loc. cit.

6 Cf. Aristot., *De generat. et corrupt.*, I, c. 5 (II, 441 sqq.).

esse determinatur circa materiam quantam, materia divisionem habet et extensionem. Hoc etiam patet: quia, si consideretur materia sine omni forma, considerabitur ut sine omni extensione et dimensione; prout consideratur cum forma, consideratur ut in maiore vel minore [a] quantitate iuxta exigentiam formae; natura autem ignis ad salutem suae speciei minus requirit de materia quam natura aëris, et natura aëris quam aquae, et [b] aquae quam terrae. In [c] animabus autem et angelis, secundum Damascenum et alios [1], est ponere materiam, quae quidem materia nullius est dimensionis, quia extensio materiae, qua locum occupat, non est a se, sed a sua forma eam extendente, et ideo, si tota materia universi posset esse sine forma extendente eam, ut est forma in spiritibus, non occuparet locum nisi punctalem, ut spiritus. Unde videtur dicendum quod materia multiplicabilis [d] est naturaliter iuxta congruentiam formae cuius est materia, et potestatem huius multiplicationis dicimus esse in natura elementari et virtute lucis [2]. Cum autem augmentatio per additionem et rarefactionem data est infimae [e] naturae corporali et nobilissimae naturae, quare non data est virtus augmentandi per multiplicationem?

Dicimus ergo, secundum hanc opinionem, quod in semine deciso a parentibus ad procreationem prolis est duplex natura: quaedam est ad illud quod requitur ad partes secundum materiam [f], et illa habet virtutem augmentativam per susceptionem nutrimenti; quaedam ad illud quod requiritur ad partes secundum speciem, et illa habet virtutem augmentativam per multiplicationem. Quantum igitur ad illud quod in nobis est partium secundum speciem, descendimus a primo homine per multiplicationem ipsius naturae [g]; quantum ad illud quod est in nobis secundum materiam, nequaquam.

Si obiciatur quod semen est ex superfluo cibi ultimi secundum Philosophum [3] – responderi potest, sicut supra tactum est [h] [4]. Vel potest dici quod hoc intelligitur quantum ad illud de quo sunt partes secundum materiam, non de quo sunt secundum speciem.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur in contrarium, dici potest quod revera sicut ad propagationem grani ex grano requiritur subintratio humoris, ut tactum est [5], similiter in propagatione generis humani ex primo homine requiritur subintratio alimenti ut fiat multiplicatio et augmentum partium secundum materiam per nutrimenti subingressum et fomentum partium secundum speciem. Unde propter duo necessaria est attractio alimenti, scilicet ut sit materia partium secundum materiam et fomentum partium secundum speciem, quae multiplicantur [i] et augmentantur ex portione [k] substantiae generantis decisae in generatione.

2. Ad aliud quod sequitur, scilicet quod 'opus multiplicationis est a solo Deo': dicendum quod hoc intelligitur ubi res multiplicabilis nulla substantia coniuncta vel communicata aliquo modo multiplicatur, ut erat in multiplicatione panum, Marc. 6, 34-44; similiter in formatione Evae de costa Adae [6]. Unde multiplicatio lucis, quae est substantia, secundum Augustinum [7], nulla ei coniuncta substantia, non [l] posset esse nisi a solo Deo, ut si vacuum esset circa corpus solare, credo quod lux solis non posset multiplicare se per naturam nec posset [m] fieri nisi a prima potentia; potest autem lux multiplicare se, coniuncta [n] illi substantia apta [o] ad susceptionem huius multiplicationis. Similiter potest dici in proposito: nisi illi parti, quae est de vera substantia patris, esset aliqua substantia coniuncta, scilicet substantia alimenti ministrantis fomentum eidem [p], non multiplicaretur nec posset multiplicari nisi a solo Deo. Sic videtur posse dici de multiplicabilibus [q] habentibus esse completum per aliquam formam determinatam. De re autem completa, ut quae caret forma complente [r], ut de prima materia in ratione qua prima, potest dici quod illa est multiplicabilis iuxta quod requirit forma perficiens eamdem. Et hoc videtur probabiliter posse dici quod sicut [s] dispositione ordinatissima summae sapientiae a prima potentia est creaturis, praeditis virtute activa, data potestas multiplicandi se sive formas proprias in earum susceptibilibus, ut patet de quibusdam elementis, similiter existenti in [t] gradu extremo possibilitatis debeat [u] dari possibilitas apta ad sui ipsius multiplicationem a forma completiva illius sine [v] natura alia. Et hoc videtur congruere perfecto et ordinatissimo Artifici omnia ordine

---

[a] Ita F (mg.), alii om. *v. m.* [b] Z add. mg. *natura.* [c] S om. [d] V *multiplicatur.* [e] Ita F (corr.) R, alii *infirme.* [f] Ita FZ, alii *naturam.* [g] S add. *qua.* [h] L om. [i] VSTL add. *autem.* [k] Z *proportione.* [l] Z om., in F est add. interl. [m] L *possent.* [n] Z *coniunctam,* quod F corr. [o] F (corr.) *substantie apte,* Z *substantia apte* pro *s. a.* [p] V *quod.* [q] Ita F (corr.), VST *multiplicibus,* RLZ *multiplicationibus.* [r] V *completa,* T *complete.* [s] Ita V, alii add. *a;* VSTRZ om. *q. s.,* in F est add. mg.; F (corr.) *videri* pro *dici.* [t] S *inde.* [u] VSTR om., in FLZ est add. mg. [v] Ita V, alii *sive.*

[1] Cf. Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 3 (PG 94, 867); Ambros., *De virgin.*, I, c. 8, n. 53 (PL 16, 203); S. Fulgent., *De Trinit.*, c. 9 (PL 65, 505); supra, num. 106 et 328.

[2] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 141, *ad 5.*

[3] Cf. supra, p. 564, nota 2.

[4] Cf. supra, p. 566, *ad 2.*

[5] Cf. supra, p. 568, n. 1.

[6] Cf. Gen. 2, 22.

[7] Cf. *De Gen. ad litt.*, III, c. 4, n. 7; VII, c. 15, n. 21 et c. 19, n. 25; XII, c. 16, n. 32 (PL 34, 281, 363, 364, 466); S. Bonav., II *Sent.*, d. 13, a. 2, q. 2 (II, 319sqq.).

congruentissimo producenti in esse, ne a tanto Artifice sit aliquid productum in esse ut forma naturali perficiatur, quod nullo modo natura perfici possit: quod esset, si materia, naturali forma perficienda, quae [a], in quantum est materia, omnino simplex et ita nulli formae [b] naturali apta, in quantum huiusmodi, per naturam aliquam inferiorem multiplicari non posset ita ut aptaretur ad [c] formae convenientis susceptionem. Nec videtur dissonum rationi quod carni primi parentis, quae condita fuit ut esset principium omnium sui generis et ita divinae gereret imaginis rationem [1], quae etiam in aliqua sui parte erat deificabilis, scilicet per gratiam unionis cum Dei virtute necnon et [d] in multis partibus per glorificationem, data esset aliqua [e] praerogativa naturae quantum ad potestatem multiplicationis sui, cum hoc datum sit quibusdam creaturis incomparabiliter minoris dignitatis quantum ad formas earumdem. Unde ponentes materiam simpliciter posse in se naturaliter multiplicari, similiter et illud quod erat decisum a primo parente, non videntur a ratione sive a probabilitate deviare. Non hoc [f] autem sic se habere assero, sed quadam congruentia coniciendo, ne videar dicto a tantis doctoribus obviare, ex quo non invenio ab aliquo doctorum sanctorum dici [g] contrarium.

Si obiciatur contra hoc per verbum Augustini, *Super Genesim ad litteram,* X [2], in fine, quod videtur asserere quod nullum corpus augetur per multiplicationem, opponens contra Tertullianum [3], qui ponebat animam esse corpus et commetiri se corpori maiori et minori sine aliqua sibi facta additione, et hoc explanat ponens exemplum de massa metalli, quae aliquando dilatatur per tunsionem [h] sine aliqua additione sibi facta — contra istum dicit Augustinus: « Quid absurdius quam putare massam cuiuspiam metalli ex aliqua parte crescere posse, dum tunditur [i], nisi decrescat ex altera, vel augeri latitudine, nisi crassitudine minuatur, aut ullum esse corpus, manente naturae suae quantitate [k], quod undique crescat, nisi rarescat? » Ex ultimo verbo hic posito videtur quod absurdum sit ponere corpus aliquod, manente sua quantitate, crescere, nisi rarescat; ex quo videtur quod nunquam crescit aliquod corpus per sui multiplicationem. — Ad quod dici potest quod Augustinus loquitur secundum modum communem quo res crescunt sive efficiuntur maiores. Rei enim manentis in sua quantitate, id est cui nulla fit [l] additio, non est alius modus crescendi secundum cursum communem quam per rarefactionem. Vel potest fieri vis in hoc quod dicit « manente sua quantitate », ut sit sensus: corpus manens in sua quantitate, ita quod non sit augmentata per additionem quanti neque per multiplicationem, non crescit nisi per rarefactionem, quia istis tribus modis, ut videtur, est corporum augmentatio, scilicet aut per additionem quanti aut per [m] multiplicationem aut per rarefactionem.

3. Ad hoc quod sequitur potest dici quod opinio Hugonis fuit quod haec multiplicatio a solo Deo fuit et inter opera mirabilia computanda. Unde dicit [4] quod « quando simplex materia sive atomus simplex factus est, de nihilo aliquid factum est; quando vero id [n] ipsum simplex corpus in semetipso multiplicatur et in plura excrescit, fit aliquid de aliquo in maius, quod, licet mirabile videatur, maius tamen est de nihilo aliquid facere quam de aliquo plus facere. Hoc modo operandi de substantia costae, in se divina virtute absque extrinseco additamento multiplicata [o], corpus mulieris factum est ». Et post quibusdam interpositis subiungitur: « Non itaque costae illi [p] extrinsecus aliquid additum est, sed ipsa ex semetipsa, divina virtute operante, multiplicata est, quemadmodum postea naturam humanam a primis parentibus in subsequentem generationem seminatam a modico iam in tantum multiplicatam cernimus, ut multa hominum millia ex ea iam excrevisse videamus. Et hoc totum ad secundum opus pertinet, quando de aliquo fiunt aliqua in maius ».

In hoc ergo consentiunt illi, quorum praetacta est opinio [5], et Hugo cum Magistro *Sententiarum,* quod illud quod seminatum est a primis parentibus ad sequentem generationem non crescit neque crevit additione extrinseca, sed sui in se multiplicatione. Sed differunt in positione modi, quia Hugo ponit quod illa multiplicatio est opus mirabile et sola virtute divina; alii ponunt [q] quod est a natura et virtute data naturae. Et forte possent hae opiniones, quae diversae videntur, concordari, si verba Hugonis retorquerentur ad conditionem originalem corporis primi hominis, in qua praeter legem communem aliis corporibus inditam, potestas multiplicativa sui, quae est potestas mirabilis, fuit data eidem, ut ex congruentia praedicta potest supponi [r].

4. Ad id [s] quod postea obicitur, dicendum quod huiusmodi propagatio est secundum cursum

---

[a] V *qua.* [b] V *nulla forma* pro *n. f.* [c] Ita VF, alii *aliquid.* [d] SFL om. [e] R *e;* SRZ add. *partibus.* [f] Ita VZ, alii *hec;* T om. *se.* [g] T add. *in.* [h] VTRL *tensionem,* Z *fusionem;* V *sive* pro *sine.* [i] STRLZ *tenditur.* [k] V *entitate.* [l] R om. [m] F om. [n] V *ad.* [o] V *multiplicato.* [p] VTR *illius.* [q] V *dicunt.* [r] F *sumi.* [s] Ita V, alii om.

1 Cf. supra, p. 503, *Solutio* et p. 547, *Solutio.*
2 Cap. 26, n. 45 (PL 34, 428).
3 Cf. *De anima,* c. 37 (PL 2, 715).
4 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 1, c. 37 (PL 176, 286), ubi et sequens.
5 Cf. supra, p. 569, nota 1.

naturalem. — Ad id[a] quod obicitur quod 'operatio naturae finita est': dicendum quod verum est; unde et multiplicatio generis humani et propagatio finita est. Nec videtur inconveniens aliquod sequi, posito quod actio esset infinita, concurrentibus causis superioribus et inferioribus in actione illius, sed quia operatio naturae, et maxime in propagatione humani generis, est propter finem specialem, scilicet multiplicationem electorum quantum ad quemdam numerum praeordinatum in divina sapientia, illo numero adimpleto, iuxta nutum primae causae, cessabit efficacia actionis causarum illarum. Sicut enim scribitur in libro *Fontis vitae*[1], causa, propter quam omnia facta sunt, est voluntas adinveniens omnia, quia motus, per quem fiunt omnia, alligatus est voluntati Primi; sed voluntas agit secundum beneplacitum volentis; ergo omnis creatura pro voluntate Creatoris deficiet, non habens in ratione sua[b] causam permanendi.

5. Ad[c] aliud quod sequitur, dicendum quod sicut omnium constantium natura terminus est magnitudinis et augmenti, ita omnium constantium natura terminus est diminutionis et detrimenti[d], univoce loquendo, quia sicut est terminus in actu magnitudinis habentis formam et speciem, ita[e] est terminus in actu detrimenti et diminutionis habentis formam et speciem: forma enim hominis non salvaretur in corpore cuiusque magnitudinis neque forma ignis. Unde res naturalis quanta, existens in quacumque differentia, non est apta ad susceptionem cuiusque formae, sed quantitas materiae limitata est secundum exigentiam formae, et hoc est quod dicit Philosophus: Omnium constantium etc. Si vero consideretur res quanta ut est quanta, non terminata sub finita forma aliqua, non est determinatus status eius sive limitatus neque a parte magnitudinis et[f] augmenti neque a parte diminutionis et detrimenti.

Alii sunt opinionis contrariae, ponentes illud modicum, quod decisum erat a primo parente, augmentari exteriori substantia in id transeunte, non autem fuisse auctum in se et multiplicatum. Qui[g] possunt sic respondere ad obiecta pro Magistro.

a. Ad primum ergo pro illa parte dici potest quod alimentum non totaliter emittitur per secessum. Ut enim habetur ab Augustino, *De vera religione*[2]: Aliquid de cibo sive de alimento « foeculentissimum redditur terrae ad aliquas formas assumendas », et foeculentissimum illud vocat stercora; « aliquid per totum corpus exhalat », scilicet per fumositates et sudores; « aliquid totius animalis latentes numeros accipit et inchoatur in prolem » — et vocat « latentes numeros » rationes et distinctiones quae necessariae[h] sunt ad hoc quod corpus perfectibile anima rationali sit in convenienti harmonia et organizatione, quae requiritur ad animae susceptionem — aliquid mutatur in carnem. Sic ergo, secundum Augustinum, alimentum in quatuor dividitur, quorum unum inchoatur sive transit in prolem. Quod ergo dicit Dominus[3]: *Omne quod in os intrat* etc., non intelligit universaliter, sed sub hoc sensu: de omnibus cibis aliquid in secessum vadit, utpote de cibis corporalibus pars foeculentissima. Unde dicit Guitmundus, II libro *De corpore Domini contra Berengarium*[4]: « De cibis nostris corruptibilibus physici et medici docent, dicentes partem ciborum et potuum eam quae corpulentior et corruptior est per secessum egeri; partem autem subtilitate utiliorem vi naturae per diversas corporis partes distrahi et in carnis naturam et[i] sanguinis versum iri; partem vero aliam, subtilem quidem, sed minus utilem, per partes corporis similiter transfusam, per poros evaporari; partem vero residuam, neque[k] tantisper subtilem neque adeo, ut post est, corpulentam, per fluxum narium aut per sputa vel quolibet simili modo iactari. Quae si ita sunt, immo quia ita sunt, non igitur cibus omnis, qui *in ventrem vadit, in secessum emittitur*[5], sed id tantum dixit '*et in secessum emittitur*', de parte videlicet cibi notissima loquens ».

b. Et similiter[l] patet responsio ad auctoritatem Bedae.

c. Ad aliud dicendum quod, cum in homine dividatur substantia corpulenta, quia quaedam pars illius est de veritate humanae naturae, quaedam nequaquam, quantum ad illud quod fuit de veritate naturae illius, quia hoc fuit illi proprium — et dico de veritate illius quantum ad veritatem quae requiritur ad hoc quod salvaretur in esse[m] proprio, non in suo simili — si quis educatus esset carnibus humanis huiusmodi, illae essent reddendae illi in quo prius fuerunt, tamquam mutuo sumptae ab illo.

Ex[n] hac ratione patet quod in homine est veritas naturae duplex, scilicet illa[o] quae requiritur ad hoc quod persona salvetur in proprio esse et quod salvetur in simili in specie. Quaeritur ergo, posito quod illud veritatis quo appetit generans salvari in sibi simili, non descinderetur

---

[a] Ita VZ (mg.), alii om. [b] VT add. *etiam*. [c] V *Et ad*. [d] Z *decrementi*. [e] V om. [f] R om. [g] L *quia*. [h] S *necessaria*. [i] R add. *in*; V *usum* pro *versum*. [k] V om. [l] F *simul*. [m] V add. *in*. [n] V *quia*. [o] T om.

[1] Tract. 1, n. 2 (p. 4).
[2] Cap. 40, n. 74 (PL 34, 155).
[3] Matth. 15, 17.
[4] Num. 14sq. (PL 149, 1451).
[5] Matth. 15, 17.

per coitum, utrum resurgeret in illo. Si non, ergo aliquid de veritate primi hominis non resurget, posito [a] quod propagatio facta est per multiplicationem partis decisae ab illo. Si autem resurget in illo [b], ergo videtur quod illud, quod proprie est ad hoc quod sit de veritate unius personae, in casu resurgere possit in alia; ergo, cum nihil resurget in aliquo quod non sit proprie [c] de veritate illius, nulla est praetacta distinctio.

Ad hoc potest dici quod non resurget in illo neque in alio. — Quod patet sic: Ratio resurrectionis corporum est ordinatio eorumdem ad animam rationalem, et non ordinatio cuiuslibet [d] corporis ad quamlibet animam, sed corporis ad animam sibi quadam individua coniunctione sociatam, ex qua sortitur esse perpetuum, quale est corpus cuius veritas est fundamentum fabricae corporis humani, et qua [e] fulciuntur quae non habent esse fixum in corpore illo, sed fluunt et refluunt, cuiusmodi est caro secundum materiam et illa pars substantiae quae est ad alium producendum in esse per generationem. Quia [f] ergo veritas naturae carnis sive substantiae quae est ut sit principium alterius, non habet esse fixum in corpore, cuius aliquo modo est pars, nec est animae individua coniunctione sociata, ex coniunctione cum illa anima, quae est perfectio corporis huius, non sortitur esse perpetuum nec rationem resurgendi. Si ergo non fiat per generationem apta ad susceptionem alterius animae nec ex ordinatione ad illam [g] sortiatur esse perpetuum, non resurget. Nec est inconveniens aliquam partem corporis Adae, ut illam quae erat ad [h] corpus producendum in esse, non resurgere. Et hoc etiam patere potest per hoc quod semen decisum sufficiens ad prolem producendam, si fiat in coitu cum sterili, ex eo quod nunquam perficitur anima rationali, non resurget.

d. Ad aliud dicendum [i] quod non est intentio Augustini quod parvuli mortui debeant resurgere in perfectione corporali, quia fuerunt in semine deciso ab Adam secundum totalitatem molis corporalis actu vel potentia — potentia dico, propter opinionem Magistri [1], ex qua sequitur quod in illo fuerunt potentia [k] — sed quia fuerunt in illo secundum seminalem [l] rationem, secundum quam sive cuius determinationem [m] supplebit Dominus quod deficit ex parte molis. Unde dicitur, XXII libro *De civitate Dei,* 14 cap. [2]: « Secundum hanc rationem profecto in resurrectione corporis detrimenta non timemus, scilicet quia Dominus supplebit quod deficit ex parte molis ». Unde subiungitur eodem cap.: « Creatori rerum, qui creavit cuncta de nihilo » etc., ut supra [n 3].

e. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod praedictam expositionem ponunt tenentes opinionem Magistri. Tenentes autem [o] contrariam aliter exponunt, scilicet sic: materia generationis assimilatur filio egredienti de domo patris, quia [p] sicut filius egrediens de domo patris [q] defert secum partem substantiae patris et illam [r] accrescere facit acquirendo et addendo illi aliam, scilicet acquisitum, sic [s] semen partem substantiae prolis secum defert quae augetur alimento converso in illud sive addito illi.

f. Ad aliud quod sequitur, patet responsio ex dictis. Intelligit enim [t] Augustinus de latentia [u] in ratione seminali, secundum quam limitata est quantitas et determinata ipsius prolis, iuxta illud Philosophi [4]: Omnium constantium natura etc.

g. Ad ultimum dicendum quod verbum Augustini est magis ad oppositum quam ad propositum. Dicit enim: « Creatori rerum quo modo deesse posset unde adderet quod addendum? » etc. Ex quo liquet quod necessaria erit ibi additio. Unde quod ibidem tangit Augustinus quod moles giganteae magnitudinis est in ratione modica, non dicitur quia in particula decisa a parentibus sit illa magna moles potentia perducenda [v] ad actum per sui multiplicationem, sed quia ratio seminalis cum illa particula est determinata ad magnitudinem tantam.

CAPUT III. 452

DE VERITATE OCCASIONATA CORPORIS ADAE.

Deinde quaeritur de veritate occasionata. Et quoniam veritas corporis potest occasionari dupliciter: vel per operationem erroris, ut in peccatis et [x] monstris, vel per debilitatem caloris, prout dicitur, in libro *De animalibus* [5], quod mulier est mas occasionatus, de hoc secundo nihil ad

---

[a] Ita V, alii *proposito.* [b] V *et ille* pro *i. i.* [c] V om. [d] F *cuiuscumque.* [e] Ita F, alii *que.* [f] V om. [g] Codd. *illa.* [h] F add. mg. *aliud.* [i] F add. *est.* [k] V *potentie.* [l] V *seminariam.* [m] V *determinatione.* [n] L add. mg. *tactum est.* [o] V *opinionem.* [p] Ita V, alii *quod.* [q] S om. *quia... patris.* [r] T *nullam.* [s] SR *sive,* L *sit.* [t] Ita F (corr.), alii *autem.* [u] SR *latenti.* [v] V *perducendi,* F *producenda.* [x] T add. *in.*

1 Cf. supra, p. 569b.
2 PL 41, 777.
3 Cf. supra, p. 568, litt. *g.*
4 Cf. supra, p. 568, nota 11.
5 Aristot., *De animal. generat.,* II, c. 3 (III, 352).

propositum. De primo ergo agendum est[a] et ponatur quaestio, quam quaerit Augustinus, *De civitate Dei*, libro XVI, 8 cap.[1], « utrum ex corpore primi hominis propagata sint monstruosa genera hominum, quae gentium narrat historia ». Et enumerantur ab Augustino, ibidem, dicente: « Perhibentur quidam unum habere oculum in fronte media; quibusdam plantas versas esse post crura; quibusdam utriusque sexus esse naturam et dextram mammam virilem, sinistram muliebrem, vicibusque[b] inter se coeundo et gignere et parere; aliis ora non esse eosque per nares tantummodo halitu vivere; alios statura esse cubitales, quos Pygmaeos a cubito Graeci vocant »; et alia monstrorum genera enumerantur ibidem.

Ostenditur autem quod huiusmodi monstra sunt propagata de corpore primi hominis: *a.* Dicit enim Augustinus, ibidem[2]: « Quisquis uspiam nascitur homo, id est animal rationale, quodlibet[c] nostris inusitatum sensibus gerat » corpus seu « corporis formam seu colorem[d] sive motum sive sonum sive qualibet vi, qualibet parte, qualibet qualitate naturam, ex illo protoplasto originem ducere nullus fidelium dubitaverit ».

b. Praeterea[e], monstruosi partus apud nos in genere hominum deputantur; ergo et monstruosae gentes inter homines. Quod vult Augustinus, in eodem cap.[f 3], dicens: « Qualis redditur ratio de monstruosis apud nos partubus, talis de monstruosis quibusdam gentibus reddi potest ». Sed constat quod omnes homines ab uno; et inde ut prius.

c. Praeterea, grammaticus aliquando scribit recte, aliquando non recte et medicus recte et non recte dat potionem; sed, sive sic sive sic[g] scribat, nihilominus ad grammaticam pertinet; ergo a simili, sive recte sive non recte propagatum sit aliquid ab humana natura, nihilominus ad naturam humanam pertinet.

Contra: 1. Maior est similitudo, ut videtur, inter simias et homines quam inter multa genera monstrorum quae ponuntur in genere hominum, sicut recitat Augustinus, in XVI[h] *De civitate Dei*, 8 cap.[4], ponens « quosdam sine cervice oculos habere in humeris », et cynocephalos inter homines monstruosos, et dicuntur cynocephali « quorum canina capita atque ipse latratus magis bestias quam homines confitetur ».

2. Item, quod magis naturam bestiae quam hominis confitetur, non distinguitur a bestiis specifica differentia; quod autem tale est, non pertinet ad propagationem factam ex Adam; tales autem sunt cynocephali; ergo etc.

3. Item, natura est vis insita rebus ex simili simile producens[5]; ergo corpora, quae per naturam propagationis de corpore primi hominis producuntur, sunt illi corpori similia; talia autem non sunt corpora monstruosa, sicut illa quae utriusque sexus naturam et membra participant et sicut existentes sine cervice et habentes oculos in humeris et sicut sunt cynocephali et alia huiusmodi; ergo etc.

4. Item, anima est actus sive entelechia corporis physici organici potentia vitam habentis[6]; corpus ergo huiusmodi est proprie susceptibile animae et perfectibile ab eadem et secundum diversitatem generum animarum diversorum generum[i] et diversarum dispositionum sunt corpora perfectibilia ab eisdem; ergo nullum corpus, habens organa aliqua similia in specie vel eadem organis animalis irrationalis, est corpus perfectibile anima rationali; sed omne corpus humanum, secundum legem propagationis descendens a primo homine, est perfectibile anima rationali; ergo nullum corpus, habens[k] organum simile organo animalis irrationalis, descendit a primo homine.

5. Item, nulla ratione dicendum esset corpus canis naturale, quod secundum propagationem naturalem et[l] consuetam capite careret canino vel quod haberet caput alterius animalis, ut bovis vel ovis vel simiae; eadem ratione non dicendum est corpus humanum vel quod secundum consuetam et naturalem propagationem caret capite vel quod habet caput alicuius animalis irrationalis.

6. Item, cum virtus et veritas corporis humani principaliter attendatur penes organa sive membra principalia, quorum unum est cerebrum, videtur quod nullo modo dicendum est esse corpus humanum quod caret capite; et si hoc, cum lege propagationis descendant omnia corpora humana a primo homine, nullum tale descendit ab ipso. Sunt enim quatuor membra principalia, scilicet cerebrum, cor, hepar et testiculi[7]. Cerebrum, cor[m], hepar dicuntur principalia, quia conservant rem speciei; testiculi, quia conservant speciem rei; quod autem caret capite, caret cerebro.

7. Occasione autem dictorum[n] quaeritur per quam viam monstra procedere possunt in natura humana, cum dicat B. Augustinus, in multis locis[8], « nihil esse inordinatum in universo ».

---

[a] T om. [b] Ita F, alii *vicibus*. [c] Codd. *quamlibet*; L *usitatum* pro *inusitatum*. [d] Ita F (corr.), alii *calorem*. [e] Ita F, alii add. *in*. [f] T om. [g] V om. *s. s.* [h] F add. interl. *libro*. [i] L om. *a. d. g.* [k] T om. [l] Z om. [m] T om. [n] V *istorum*, STLZ *dictarum*.

1 Num. 1 (PL 41, 485); cf. supra, num. 79.
2 Loc. cit. (PL 41, 486).
3 Num. 2 (PL 41, 486).
4 Num. 1 (PL 41, 485 sq.).
5 Aristot., *Metaph.*, IV, c. 4 (II, 517).
6 Aristot., *De anima*, II, c. 1 (III, 444).
7 Cf. Alfred. Angl., *De motu cordis*, c. 16, n: 1 (p. 85 sq.).
8 Cf. *De div. quaest. 83*, q. 27 (PL 40, 18); supra, num. 79.

Respondeo quod, sicut dicit Augustinus, « quisquis uspiam nascitur homo, id est animal rationale et[a] mortale » etc., ut supra[1]. Et in eodem Augustinus[2] ait: « Illa, quae talia de quibusdam gentibus[b] scripta sunt, nulla sunt; aut si sunt, homines non sunt; aut si homines sunt, ex Adam sunt ». Et narrat ibidem Augustinus[3], ad manifestationem huius, quod in tempore illo erat « duplex[c] homo natus in superioribus membris et in[d] inferioribus simplex. Nam duo erant capita, duo pectora, quatuor manus, venter autem unus et pedes duo sicut uni homini ». Narrat etiam de quodam homine, qui « quasi lunatas[e] habebat plantas, et in eis binos tantummodo digitos et manus similes ». Et post dicit: « Sicut haec ex illo uno negari[f] non possunt originem ducere, ita quaecumque gentes in diversitatibus corporum ab usitato naturae cursu, quem plures et prope omnes tenent, velut exorbitasse traduntur[g], si definitione illa includuntur ut rationalia animalia sint atque mortalia, ab eodem ipso uno primo patre omnium[h] stirpem trahere confitendum est[i] ».

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur quod 'maior est similitudo inter simias et homines' etc.: dicendum quod si sunt homines, quae ibi numerantur, non est verum. Augustinus[4] enim relinquit indeterminatum utrum sint homines vel non, dicens: « Omnia genera hominum quae dicuntur esse, credere non est necesse ». Ponatur ergo quod illi qui sunt sine cervice et habent oculos in humeris et cynocephali homines sint, maior est eorum convenientia cum hominibus habentibus perfectam et decentem organizationem membrorum quam simiae, licet forte, quantum ad dispositionem exteriorem organorum, simia videatur esse similior. Ut enim vult Augustinus[k 5], in iis monstris, licet videatur aliquid mirabile ex inconsuetudine[l] et raritate indecentiae alicuius partis, plura sunt ibi secundum naturam rectam ordinata. Dicit enim ibidem, scilicet[m] XVI libro *De civitate Dei*, 8 cap.[6]: « Apparet quid[n] in pluribus natura obtinuerit et quid sit ipsa raritate mirabile ». Nec videtur mihi verum[o] nec verisimile quod huiusmodi animalia sine cervicibus sive capitibus sint homines, nisi aliquod organum sit in corpore illorum quod, quantum ad virtutem et opera, vicem capitis gerat. Similiter non videtur mihi verisimile quod cynocephali, si[p] sint homines, habeant omnino capita similia capitibus canum et quod omnino modo canino latratus emittant, sed potius quod ex indecenti et turpi capitis dispositione quodam modo capita canum repraesentent eo modo quo quandoque dicitur quod aliquis habet vultum cati vel simiae, quia indecens dispositio partium vultus deformitatem vultus simiae vel cati repraesentat: sic videtur mihi de latratu eorum, scilicet quod dicuntur emittere latratus, non quia omnino latrent ut canes nec aliam habeant loquelam, sed quia habent modum loquelae sive pronuntiationis latratui aliquo modo consimilem.

2. Ad illud quod obicitur quod 'animal quod magis confitetur naturam bestiae quam hominis non differt a bestia differentia specifica' etc.: dicendum quod, sicut habetur ab Augustino[7], plura sunt in talibus quae ordinata sunt secundum naturam rectam sive non errantem, pauciora ex raritate[q] mirabilia. Unde, etsi in aliquo sit aliquid quod propter suam raritatem magis confiteatur nomen bestiae quam hominis et in pluribus magis naturam hominis quam bestiae, bene[r] potest differre a bestia[s] differentia specifica, et ita fuit in talibus, si homines censendi sunt.

3. Ad aliud[t] quod sequitur, dicendum quod in talibus monstris natura producit simile quantum ad ea quae sunt substantialia[u] rei speciei, licet dissimile quantum ad quid aliud, scilicet quod non est de necessitate rei speciei. Natura enim dicitur producere simile ex simili, sive producat marem sive feminam de viro: hae enim differentiae non ponunt differentiam rerum secundum speciem: ut enim vult Philosophus[8], mulier est mas occasionatus; et etiam, quia natura producit huiusmodi ex mare et femina, non omnino est dissimile quod de eis producitur, cum androgynus in esse propagatur[9]. — Vel potest dici quod supra dicta ratio convenit naturae agenti sine errore, quod non accidit in[v] monstrorum productione. Vult autem Augustinus huiusmodi homines esse de primo et denominari viros a sexu principaliori, ut patet XVI libro[x] *De civitate Dei*, cap. 8[10].

4. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod est[y] quaedam dispositio organorum exteriorum

---

[a] T om. [b] Ita FLZ in mg., alii om. [c] SRL *dupliciter*. [d] ST om., VF om. *et*. [e] Codd. *limatas*. [f] SRL *vegetari*. [g] Ita F, alii *tradunt*. [h] Ita F (corr.), alii *omnem*. [i] Ita F (interl.), alii om. [k] V add. *originali*. [l] L *consuetudine*. [m] V *in*. [n] Ita F, alii *quod*. [o] L om. [p] S *non*. [q] RZ *caritate*. [r] Z *unde*. [s] Ita FZ, alii om. *a. b.* [t] F *illud*. [u] R *sub alia;* S om. *sunt*. [v] Ita F, alii om. [x] LZ om.; STFL om. *Dei*. [y] TZ *cum*.

1 Cf. supra, p. 574, nota 2.
2 Loc. cit., n. 2 (PL 41, 487).
3 Loc. cit. (PL 41, 486), ubi et sequentia.
4 Loc. cit., n. 1 (PL 41, 486).
5 Loc. cit.
6 Num. 1 (PL 41, 486).
7 Loc. cit.
8 *De animal. generat.*, II, c. 3 (III, 352).
9 Cf. Augustin., loc. cit., n. 2 (PL 41, 486).
10 Num. 2 (PL 41, 486).

quae attenditur in lineamentis talibus vel talibus: et quantum ad hanc potest esse similitudo inter homines et bruta, ut patet de urso, qui excoriatus habet membra exteriora valde membris hominis similia, et de porco dicitur quod habet intestina in simili dispositione cum intestinis corporis humani, immo etiam inter homines et plantas est organorum exteriorum similitudo, sicut patet de mandragora. Et est dispositio interior, quae attenditur in convenientia et congruitate [a] numerorum et harmoniae corporis organici [b] ad animam: et quantum ad hanc dispositionem secundum differentiam animarum est diversitas dispositionum ipsorum organorum. Nec habent homines et bruta quantum ad huiusmodi dispositionem organa similia: non enim [c] requiritur diversitas multa quantum ad dispositionem exteriorem inter membra hominum et brutorum quorumlibet, etiam quantum ad principalia membra, cuiusmodi sunt cerebrum, cor, hepar et testiculi, ut patet in multis.

5. Ad aliud dicendum quod non est simile de corporibus irrationalium et rationalium quantum ad rationem et causam [d] exitus monstruosi. Plures enim sunt rationes quare congruit corpora creaturarum rationalium esse monstruosa, quae non congruunt irrationalibus. Una est deordinatio peccati: solummodo enim inter res corporales homo deordinat se per peccatum, quod non faciunt bruta animalia; propter quod de [e] divina iustitia est quod in poena deordinationis et deformationis culpae deordinationem et deformationem incurrunt in corpore, ut [f] dicere possint illud Augustini [1]: « Quod patimur, nostra peccata meruerunt ». — Alia ratio est pulcritudo universi. Unde Augustinus, XVI libro *De civitate Dei,* 8 cap. [2]: « Deus creator est omnium, qui ubi et quando creari [g] quid oporteat vel oportuerit, ipse novit, sciens universitatis pulcritudinem, quarum partium vel similitudine vel diversitate contexat [h]. Sed qui totum inspicere non potest, tamquam deformitate partis offenditur [i], quoniam cui congruat et quo [k] referatur, ignorat ». Et hoc est quod habetur, XI *De civitate Dei,* cap. 18 [3]: « Sicut contraria contrariis opposita sermonis pulcritudinem reddunt, ita [l] quadam, non verborum, sed rerum eloquentia contrariorum oppositione saeculi pulcritudo componitur. Apertissime hoc positum est in [m] Eccli. hoc modo: *Contra malum bonum, contra mortem vita* etc., Eccli 33, 15 ». — Si obiceretur quod eadem ratione monstra in brutis et plantis essent ad decorem [n] universi: dicendum quod non, quia penes quae principaliter consistit pulcritudo universi, sunt creaturae rationales. Unde illorum opposita [o], ex quibus ipsae creaturae rationales magis fiunt commendabiles et pulcritudinis maioris, maxime sunt ad decorem universi. Praeterea, decor iustitiae, quae apparet in talibus, cooperatur [p] decori provenienti ex ordine oppositionis. — Tertia ratio est cautela contra errorem, ne scilicet crederent aliqui monstra, quae inter nos accidunt, errore perfecti Opificis contigisse. Unde Augustinus, XVI libro [q] *De civitate Dei,* 8 cap. [4]: « Si homines sunt, de quibus illa mira conscripta sunt, quid si [r] propterea Deus voluit etiam nonnullas gentes ita creare ne in iis monstris, quae apud nos oportet ex hominibus nasci, eius sapientiam qua naturam fingit humanam, velut artem cuiuspiam minus perfecti opificis putaremus errasse? Non itaque nobis videri debet absurdum ut quemadmodum in singulis quibusque gentibus quaedam monstruosa sunt hominum, ita in universo genere humano quaedam monstruosa sint [s] gentium ».

6. Ad illud [t] quod sequitur patet responsio ex dictis supra [5], quia, ut dictum est, animalia sine cervicibus sive capitibus non sunt homines, nisi aliquod organum sit in corpore illorum, quod quantum ad virtutem et opera vicem capitis gerat.

7. Ad ultimum dicendum quod duobus modis potest fieri monstrum in natura vel peccatum, scilicet vel ex improportione virtutum inter se vel ex improportione virtutum [u] coniunctarum ad materiam. Et hoc manifestatur sic: determinatum est percutienti chordas in cithara, in quo minore non potest chordas percutere; in libro *De coelo et mundo* [6], virtuti etiam moventi primum mobile, secundum philosophos, determinatum est, in quo minore non potest movere totum corpus, et etiam determinatum est ei quod si moveret minus corpus, in minori tempore moveret, et si maius in maiore: unde determinata est proportio moventis ad mobile primum. Similiter determinatum est a natura universali quod virtus naturae particularis in tempore tanto potest movere

---

[a] Z *congruentia et veritate* pro *c. e. c.*; V add. *augmento.* [b] V *armonici,* STL *argonici.* [c] F add. mg. *semper.* [d] Ita FL (corr.), alii *tamen.* [e] R om.; L add. interl. *et.* [f] L add. *cum.* [g] Z *creare.* [h] Ita F (corr.), alii *contexerat.* [i] SRZ *ostenditur.* [k] T om. [l] L add. *ut.* [m] Ita VF, alii om. [n] V add. *et.* [o] Ita VF, alii *apposita.* [p] V *comparatur.* [q] T om. [r] Ita F (corr.), alii *sibi.* [s] VR *sunt.* [t] Ita VL (mg.), alii om. [u] T om. *inter... virtutum.*

1 Cf. *Enarr. in Psalm. 37,* n. 5 (PL 36, 398); *Annot. in Iob,* c. 38 (PL 34, 871).
2 Num. 2 (PL 41, 486).
3 PL 41, 332.
4 Num. 2 (PL 41, 487).
5 Cf. supra, p. 575, *ad 1.*
6 Lib. II, c. 9 (II, 399).

hanc materiam. Similiter determinata est materia secundum magnitudinem vel parvitatem, in qua magnitudine vel parvitate erit proportio virtutis moventis ad materiam motam. Si ergo diminuatur [a] vel augmentetur quantitas, cum iam in materia non sit proportio, iam erit improportio [b] virtutis moventis ad materiam motam. Sed proportio virtutis ad materiam est causa cur natura operatur recte; ergo improportio [c] erit causa erroris; improportio [d] autem potest esse, quia materia potest augeri vel minui; si augetur, monstrum est; si minuitur, peccatum dicitur. — Alia ratio est: Si non movet natura inferior nisi per influentiam virtutis naturae superioris vel caelestis neque virtus naturae [e] inferioris agentis intra sufficiat ad movendum materiam, sed fit [f] unum movens ex virtute moventis intra [g] et virtute caelesti quae influit, et hoc est movens sufficiens quod est compositum ex illis duabus naturis, et etiam hoc habet movere quotiescumque aliquid fit [h] in natura etc., et tunc oportet quod sit proportio illarum duarum virtutum inter se et harum coniunctarum ad materiam; similiter multipliciter erit improportio [i], quia et a parte materiae et a parte harum virtutum coniunctarum ad materiam. Cum enim sit possibilis proportio inter virtutes, similiter et improportio: corpus enim superius sive stella aliqua in tali positione tantam influit virtutem et in tali tantam et in maiori approximatione maiorem et in minori minorem; sed, si determinata est virtus quae est proportionalis huic virtuti ad hunc effectum, ergo, cum aliquando possit [k] esse plus de virtute, nihilominus tunc possibilis est improportio [l] virtutum inter se. Si autem sit superfluitas in materia, virtus super eam non poterit; si diminutio, effectus non producitur ab ipsa [m]. Haec tamen omnia, etsi lateat [n] nos cur Dominus haec producat, tamen augent [o] pulcritudinem universi, sicut determinat B. [p] Augustinus, in libro *De civitate Dei*, ut [q] supra tactum est [1]; unde ex ipsis non provenit aliqua inordinatio in universo, sicut tactum est [2].

MEMBRUM III.

De dignitate et nobilitate corporis Adae.

Quaeritur de dignitate et nobilitate corporis humani. Et quoniam haec nobilitas est quoad quatuor, scilicet quoad compositionem, quoad habitus exterioris dispositionem, quoad unionem, quoad locationem, ideo de iis quaeritur:

Primo, de compositione corporis humani;

secundo, de dispositione quoad rectitudinem habitus;

tertio, de unione quoad animam rationalem;

quarto, de loco eius.

CAPUT I. 453

DE DIGNITATE CORPORIS HUMANI QUOAD COMPOSITIONEM.

Quoad primum proceditur sic: *a.* Dicit Philosophus, *De caelo et mundo* [3], quod stellae [r] multae sunt in caelo propter multitudinem operationum; ergo a simili inferiora corpora, et maxime corpus humanum, propter multitudinem operationum multiplicitatem habebit organorum; ergo maxime compositum erit corpus humanum: anima enim rationalis plures elicit operationes a corpore humano quam aliqua alia forma.

b. Item, ars imitatur naturam quantum potest [4]; sed ita est in arte quod secundum diversitatem operum requiritur diversitas instrumentorum; ergo et in [s] natura, quam imitatur ars, ita est quod quanto plura elicit genera operationum, tanto pluribus utitur organis; anima autem humana est motor per naturam corporum in elicione generum operum diversorum; ergo etc.

c. Item, corpora, secundum quod aptiora sunt ad formas nobiliores, maiorem habent partium diversitatem, sicut patet — elementa non habent distinctionem partium secundum speciem: quaelibet enim [t] pars ignis est ignis [5]; plantae habent,

---

[a] F *dominatur.* [b] T (corr.) *proportio.* [c] L (corr.) *proportio.* [d] T (corr.) *proportio.* [e] S om. *superioris... naturae.* [f] V *si sit* pro *s. f.* [g] T *in terra.* [h] Ita FZ, alii *sit.* [i] Codd. *proportio.* [k] S add. *et*, TRL add. *vel.* [l] V *proportio.* [m] R *ea.* [n] Codd. *lateant.* [o] F *augeret.* [p] V om. [q] L *et.* [r] V add. *que.* [s] Ita RZ, alii om. [t] Ita F (mg.), alii om.

[1] Cf. supra, p. 576, nota 2.
[2] Cf. supra, p. 576, *ad 5.*
[3] Lib. II, c. 12 (II, 401).
[4] Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 2 (II, 263).
[5] Cf. Aristot., *De caelo*, III, c. 5 (II, 418).

sed non tantam quantam sensibilia — igitur, cum anima rationalis sit forma nobilissima, corpus perfectibile illa maximam habet diversitatem partium; et ita est compositissimum.

Contra: 1. Tria sunt in rebus penes quae attenditur vestigium Creatoris, earum scilicet essentia sive substantia, virtus et operatio [1]; sed quanto aliquid est simplicius essentia, tanto est multiplicius virtute [2], et quanto multiplicius virtute [a], tanto multiplicius operatione: quod enim magis abundat virtute plures potest elicere operationes; ergo simplicitati rei attestatur multiplicitas operationum; ergo propter multiplicitatem operationum non requiritur compositio multiplex in eo quo fiunt operationes; et ita ut prius.

2. Item, simplicitas attestatur nobilitati: unde summe nobile est summe simplex et minus nobile minus simplex; cum ergo corpus primi hominis et aliorum hominum consequenter in genere corporum sint nobilissima, videtur quod sint simplicissima; ergo [neque] corpus primi hominis neque corpus humanum est compositissimum.

3. Item, genera animalium imperfectissima maxime abundant organis; ergo nobilissimum in genere animalium et perfectissimum minime debet abundare organis; ergo [b] pauca debet habere organa ad eliciendum opera sua.

4. Item, nobilitati intelligentiarum adscribitur quod ipsae faciunt per unum, scilicet intelligunt et sentiunt virtute intellectiva, quod homo facit per plura; et ita ut prius.

5. Praeterea, si propter multiplicationem operationum requireretur multiplicitas [c] in corpore humano, ergo, cum in sole sint multiplices operationes, sol esset corpus multiplex et eo compositius quo plures operationes ab ipso egrediuntur. Et haec ratio confirmatur per Dionysium, *De divinis nominibus*, cap. 5 [3], dicentem: « Sol sensibilium essentias et qualitates et quidem multas et discretas existentes, tamen ipse unus [d] ens et uniformis illuminans lux, renovat et nutrit et custodit et perficit et discernit [e] et refovet et foecunda facit et auget et mutat et collocat et plantat et removet et vivificat omnia ».

6. Praeterea, in caelo sunt diversae partes et secundum illuminationem et secundum situm [f] et diversae operationes secundum diversas [g] influentias, nec tamen dicitur caelum esse corpus compositum, immo simplex [4]; ergo propter diversas operationes non requiritur compositio in corpore humano. Et haec ratio confirmatur per Basilium, I [h] *Hexaëmeron*, 11 [5], dicentem caelum esse quintam naturam simplicem corporis et esse aliquid praeter naturam elementorum.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod corpus primi hominis et generaliter corpus humanum est compositissimum inter omnia corpora: quod [i] conveniebat propter multiplicem actionem ipsius animae, quae tum [k] elicitur sive exercetur mediante motu qui est ab anima, tum qui est ad animam. Cum enim anima sit omnium similitudo, ut dicitur libro *De spiritu et anima* [6], et quamdam gerens Dei imaginem ex hoc quod in Deo est multitudo idearum, in anima multiplicitas virtualis [7] quam exercet mediante corpore, necessario requiritur quod in illo sit multiplicitas partium consimilium et organizatarum, ut sit conformitas inter motorem et mobile, sicut ex altera parte est conformitas inter imaginem et illud cuius est imago. Hoc patet ex motu in rebus extra ad [l] animam: habet enim recipere sensibilia diversorum sensuum, in quorum apprehensione opus erat multiplicitate organorum, quibus apprehensis anima movetur. Et est exemplum Gregorii Nysseni, in libro *De imagine*, cap. 10 [8], dicentis: « Mens per oculos ea quae extra corpus sunt [m] apprehendit et in se similitudines apparentium pertrahit, figuras similium sibi ipsa describens et quemadmodum si qua civitas multitudinis capax, quae diversis aditibus ad se recipit confluentes [n], non tamen in unum civitatis locum universi conveniunt, sed alii ad forum, alii ad habitacula sua, alii ad ecclesias et [o] plateas iuxta suam quisque sententiam properant, talem quodam modo mentis nostrae civitatem considero interius constitutam, quam licet sensus nostri diversis aditibus impleant, tamen singula introeuntium genera mens eadem diiudicans et discernens, locis intelligentiae congruis universa disponit ». Unde patet quod, si tantum simplex esset natura corporis, non esset organum congruum animae neque quoad apprehensionem neque quoad motum sive operationem. — Praeterea, sicut ponunt noti in medicina [9], tres sunt cellulae deservientes viribus cognitivis, scilicet phantastica, logistica et memorialis. Phantastica cellula est [p] in anteriori parte capitis, in qua sedem suam habet imaginatio; logistica cellula est in medio, in qua sedem suam habet ratio; memorialis cellula est in posteriori parte

[a] T om. *e. q. m. v.* [b] L *et.* [c] V *multiplicatio.* [d] Z *minus.* [e] F add. mg. *et unit.* [f] Z *statum.* [g] T om.; V om. *tamen.* [h] F om.; Z add. *in.* [i] V *et*, L om. [k] Ita F, alii *tamen*; item infra. [l] V om. [m] R om. [n] STRLZ *conferventes.* [o] L om. [p] V om. *c. e.*

1 Cf. Pseudo-Dionys., *De cael. hier.*, c. 11, § 2 (PG 3, 283, PL 122, 1059); supra, p. 522b.
2 Cf. *Liber de causis*, § 16 (p. 179).
3 § 8 (PG 3, 823, PL 122, 1150).
4 Cf. Aristot., *De caelo*, II, c. 4 (II, 393).
5 Hom. 1, n. 11 (PG 29, 26, PG 30, 880).
6 Cap. 6 (PL 40, 783).
7 Cf. supra, num. 350-353.
8 *De hom. opif.*, c. 10 (PG 44, 152sq.).
9 Cf. supra, p. 423, *Solutio*.

capitis, in qua sedem suam habet memoria. Et habetur a Damasceno[1] quod organum imaginativae est ventriculus cerebri anterior, et excogitativae est « medius ventriculus cerebri instrumentum et [a] animalis spiritus qui est in ipso [2] », et memorativae « est organum posterior ventriculus cerebri et spiritus animalis qui est in illo [3] ». Similiter ipsi intellectui operanti deservit aliquod [b] organum corporale, quod patet ex Philosopho [4] dicente quod corrumpitur intellectus, id est actus sive operatio intellectivae, interiori quodam corrupto. — Praeterea, hoc idem patet ex motu qui est ab anima, secundum quod determinatur [c] in alia Philosophia, scilicet in *Ethicis* [5], I, quod est motiva rationalis imperans et non imperata, ut liberum arbitrium sive intellectus practicus [6], scilicet quae omnibus aliis motivis imperat et a nulla sibi imperatur; alia autem est motiva, quae subiecta est imperio rationis, cui etiam alia vis subicitur, sicut concupiscibilis et irascibilis [7], quibus subiecta est vis sensibilis sita in musculis et lacertis, sicut dicit Avicenna [8], quae exequitur imperata a motivis superioribus: unde executio imperii motivarum organa requirit. Et ita quoad motus qui fiunt ab anima et ad animam, necessaria sunt organa corporalia, et hoc propter multitudinem actionum, quae mediantibus potentiis animae exercentur.

Multitudinis autem [d] actionum huiusmodi duplex est causa, scilicet animae immaterialitas et virtutum diversarum substantialis [e] identitas. De primo dicitur in libro *Fontis vitae* [9], ubi dicitur: « Quanto substantia aliqua magis est immunis a materia, tanto plurium operationum est effectiva ». Immaterialitas autem huius patet sic: multiplex [f] enim est forma [10]; quaedam enim formae perficiunt partes et totum similiter, ita quod partes denominantur a perfectione totius, cuiusmodi sunt formae elementorum; et denominantur partes a perfectione propter distensionem [g] materiae et partium eius: unde, quia tota perfectio, quam dat forma, est in qualibet parte materiae, ideo dicitur quod quaelibet pars ignis calet et quaelibet pars ignis est ignis [11] et ita de aliis elementis. Unde forma huiusmodi communicat actum et complementum in genere suo partibus suis sive operationem et denominationem, ut dictum est [12]; et huiusmodi forma, quia maxime est materialis et distensa secundum distensionem suae materiae, non requirit distinctionem [h] partium sui perfectibilis. Aliae sunt formae minus materiales, ut quae non habent distensionem in materia neque distenduntur [i] secundum distensionem suae materiae: cuiusmodi sunt anima vegetativa in plantis, sensitiva in brutis et anima rationalis sive intellectiva, quarum minime immaterialis est [k] vegetativa, magis sensitiva, maxime intellectiva. — Quod sic patet [13]: Anima vegetativa perficit totum et partes suae materiae, sed dissimiliter: perficit enim totum dando illi actum suum, influendo ei vitam et complementum generis sui; partibus autem communicat actum, sed non complementum in actu, sed solum in potentia: partes enim plantae vivunt, non tamen pars plantae est planta actu, sed solum in potentia. Anima autem sensitiva perficit totam materiam suam et partes, sed dissimiliter: toti [l] enim communicat actum et complementum, sed partibus communicat actum, non tamen omnibus: non enim omnes partes animalis sentiunt, sicut nec ossa nec ungulae [m] et huiusmodi; nec partibus communicat complementum nec actu nec potentia: pars enim animalis non potest fieri animal, sicut pars plantae planta — et loquimur de partibus quae proprie dicuntur partes, ut membra quae dividuntur per membra [n] consimilia et officialia — pars enim plantae abscissa efficitur planta, pars autem animalis nunquam. Magis ergo materialis est vegetativa, quae communicat partibus plantae vitam et potentiam propinquam ad [o] complementum, quam sensitiva, quae neque omnibus partibus communicat sensum et nulli sensibilis parti complementum neque actu neque potentia. Alia autem est rationalis sive intellectiva, quae nec communicat partibus actum neque complementum sive operationem et denominationem [p], quia nec pars eius materiae est homo nec pars intelligit; et sic patet quod haec forma est minime materialis. Anima ergo rationalis principatum tenet inter formas et plus elongatur a natura materiae sive materialitate [14]; unde ipsa est forma nobilis et multarum operationum principium, et propter hoc necesse [q] est multas esse compositiones et distinctiones [r] in partibus corporis, cui unita est, ut quibus mediantibus multiplices eius potentiae progrediantur in actus suos.

---

[a] L om. [b] Ita FL, alii *ad*. [c] V *determinantur*. [d] L om. [e] V *substantialitas*. [f] V *materia*. [g] Ita F, alii *defensionem*. [h] Ita F (corr.), alii *distensionem*. [i] F *distenditur*. [k] Z add. *anima*. [l] Z *tota*. [m] V *ungula*. [n] L add. *et*. [o] S om. [p] Ita LZ add. mg., alii om. *e. d.* [q] Z *necessario*. [r] Ita FLZ, alii om. *e. d.*; V *operationes* pro *compositiones*; L *partes* pro *partibus*.

1 *De fide orthod.*, II, c. 17 (PG 94, 934).
2 Loc. cit., c. 19 (PG 94, 938).
3 Loc. cit., c. 20 (PG 94, 939).
4 *De anima*, I, c. 4 (III, 440).
5 Cf. lib. I, c. 13 (II, 13).
6 Cf. supra, num. 389 sqq.
7 Cf. supra, num. 362.
8 Cf. *De anima*, p. 1, c. 5 (f. 4d).
9 Cf. tr. 4, n. 14 (p. 243).
10 Cf. supra, p. 422, *Solutio*.
11 Cf. Aristot., *De caelo*, III, c. 5 (II, 418).
12 Cf. hic, parum supra.
13 Cf. supra, num. 325.
14 Cf. supra, p. 525, *ad 1*.

Item, alia causa est virtutum diversarum substantialis[a] identitas. Multae enim virtutes sunt in eadem substantia, scilicet animae rationalis. Hoc autem patet per hoc quod vegetativa, sensitiva et rationalis non differunt in substantia in homine: una enim[b] est anima, scilicet rationalis, indifferens in substantia a vegetativa et sensitiva, a qua[c] est vegetatio et sensificatio in homine[1]. Unde distinctio, quae est in plantis ab anima vegetativa — licet enim ab anima vegetabili non sit[d] distinctio in plantis per organa, est tamen distinctio quaedam partium gerentium officia quorumdam organorum, secundum quod dicit Philosophus[2] quod radices sunt ori similes — et distinctio quae est in brutis per organa a sensitiva, sunt in homine ab anima rationali, quae unica est in homine, cuius partes vel potentiae sunt sensitiva et vegetativa. Et praeter has distinctiones addita est alia, quae attenditur penes interiora organa et motiva, ut patet ex dictis[3].

Dicendum est[e] ergo quod corpus primi hominis et generaliter corpus humanum compositissimum est, quia, cum anima sit plurium effectiva operationum, quas sine corpore ut instrumento illius exercere non possit, necesse est corpus esse multiplicium organorum, ut multiplicitati potentiarum et consequenter operationum ex parte motoris respondeat multiplex[f] compositio sive organizatio ex parte mobilis sive[g] organi. De hoc supra tactum est, ubi determinatum est si corpus primi hominis erat ex quatuor elementis[4].

[Ad obiecta]: 1. Ad id ergo quod[h] primo obiectum est[i], dicendum quod, licet non requiratur multiplex compositio in eo quo[k] fiunt operationes ut[l] eliciente primo propter multitudinem operationum, nec aliud concludit ratio prima, tamen requiritur multiplex compositio in eo quo fiunt ut[m] organo, id est ex parte animae non requiritur multiplex compositio, sed ex parte corporis.

2. Ad aliud dicendum quod, cum forma nobilitet materiam per eius informationem et completionem, materia censenda est magis et minus nobilis ex aptitudine eius ad formam nobiliorem et minus nobilem[n], corpus autem humanum ineptum esset perfici anima rationali nisi[o] abundaret organis in convenienti harmonia et numero virtutibus sive potentiis animae respondentibus. Quod ergo dicitur[p] quod simplicitas attestatur nobilitati eiusdem, intelligitur de illis quorum substantia separata est a materia corporali, cuiusmodi sunt angeli et animae et etiam primum principium.

3. Ad aliud dicendum quod non quaecumque[q] multitudo organorum attestatur imperfectioni animalium, sed illa, quae est organorum eorumdem in specie, sicut vermium imperfectioni attestatur multitudo pedum.

4. Ad aliud dicendum quod secus est de anima et de angelo[5]: anima enim de sua conditione nata est ut sit corporis talis actus sive perfectio et motor. Unde non requiritur solummodo convenientia proportionalis corporis ad[r] animam, quae est perfectibilis ad suam perfectionem, sed quae est mobilis ad motorem. Quia ergo anima habet diversos motus exercere corpore mediante, et hoc secundum distinctionem suarum virium sive potentiarum, oportet ipsum corpus varietate partium organizatarum distingui, quae[s] ipsis potentiis deserviant in elicione suarum operationum. Non sic est de angelo qui actus proprios, scilicet sentire, intelligere et huiusmodi, sine instrumento corporali natus est exercere. Unde sicut innatum est angelo, qui est omnino spiritus separatus a corpore, in ultima simplicitate, quae convenit creaturae, existens, unica potentia indistincta per essentiam sentire et[t] intelligere, sic animae rationali, quae actus est et motor corporis huiusmodi, potentiis diversis ad diversa organa aptatis[u], operationes suas exercere. Unde sicut simplicitas attestatur nobilitati angelicae, sic multiplicitas organorum, quibus corpus humanum suo motori convenienter deserviat, illius nobilitati et dignitati.

5. Ad aliud dicendum quod sol habet unam essentialem operationem, scilicet lucere, tamen multae sunt eius accidentales operationes per relationem ad materiam, quas exercet in diversis materiis; et secundum hunc modum loquitur Dionysius, et hoc patet ex verbis Dionysii ibidem, cum dicit: « Sol sensibilium essentias et qualitates et quidem multas et discretas existentes, tamen ipse unus ens et uniformis[v] illuminans lux, renovat et nutrit » etc. Ex hoc verbo videtur quod actus illius proprius est[x] uniformiter lucere sive illuminare, et ex illo actu uniformi in se relinquuntur multae operationes consequentes, quae ibidem enumeratae sunt.

6. Ad ultimum dicendum quod caelum, prout unum est, unam habet essentialem operationem et unum motum, qui est aequalis; tamen,

---

[a] S *specialis.* [b] Ita F (mg.), alii om. [c] Ita F, alii *quo.* [d] RL *fit.* [e] T om. [f] S *multipliciter.* [g] VT add. *ex parte.* [h] Ita V, alii *quod ergo* pro *i. e. q.* [i] Ita VF, alii om. [k] L *quod.* [l] L om. [m] Ita F (corr.), alii *in;* V *et* pro *id est.* [n] Ita F, alii *nobile.* [o] Ita F (corr.), alii *nec.* [p] V *dicit.* [q] VL *oportet quod.* [r] V *et.* [s] L om. [t] Ita F, alii om. [u] Ita V, F *aptis,* alii *aptans.* [v] R *informis;* T om. *ens.* [x] T om.

1 Cf. supra, num. 332.
2 *De plantis,* I, c. 9 (IV, 23).
3 Cf. supra, p. 579a.
4 Cf. supra, num. 434.
5 Cf. supra, num. 112.

secundum quod in caelo sunt diversae partes secundum distinctionem sphaerarum aut stellarum diversarum, in sphaeris diversis possunt esse diversae operationes, sicut probat Avicenna ostendens aequalitatem motus in caelo quoad se, et tamen sunt diversi motus in caelo propter diversas rationes, sicut probat Avicenna, 11 et 12 cap. *De caelo et mundo*[1].

CAPUT II. 454

DE DIGNITATE CORPORIS HUMANI QUOAD RECTITUDINEM HABITUS[2].

Secundo quaeritur de dignitate hominis sive corporis humani quoad dispositionem sive rectitudinem habitus. Quaeritur ergo utrum competat[a] corporis humani dignitati habere figuram erectam.

Quod sic, videtur: *a.* Summus Opifex omnia prudenter condidit, Psalm.[3]: *Omnia in sapientia fecisti* etc.; unde secundum congruentiam statuum diversorum diversas dedit rebus dispositiones. Unde animalia, quorum forma et motor omnino ad terrena conversus est, quantum ad corporalem dispositionem in terram reflexit; quorum autem forma et motor ad caelestia conversus est, quantum ad dispositionem corporalem in caelum erexit, et hoc in[b] indicium status dignioris et minus digni, et hoc est[c] quod dicit poeta[4]:

> Pronaque cum spectent[d] animalia cetera terram,
> Os homini sublime dedit caelumque videre
> Iussit et erectos ad sidera tollere vultus.

Ex hoc patet propositum.

b. Item, ut habetur a Philosopho[5], mirabilis[e] est potentia loci, qua unumquodque[f] appetit locum proprium; igitur, cum corporis primi hominis et similiter aliorum sit caelum locus naturalis — inditum enim fuit corpori[g] Adae in sui conditione ut in caelo quasi in loco collocaretur, et ad hoc factum est: propter quod videtur esse locus eius naturalis — unumquodque autem locabile erigit se ad suum locum, quod maxime videmus in igne flamma[h]; relinquitur quod corpus[i] huiusmodi debet habere vultum erectum ad caelum, quod dignitati eius convenit ratione qua est in caelo collocandus.

Contra: 1. Quaedam creaturae minimae dignitatis habent figuram rectitudinis et ad caelum eriguntur, sicut fere omnia genera plantarum et quaedam corpora nobilissima in genere corporum, ut[k] supercaelestia et lapides pretiosi; nequaquam ergo huiusmodi rectitudini vel[l] erectioni ulla[m] dignitas adscribenda est; ergo ex huiusmodi rectitudine in corpore humano nulla erit dignitas in homine.

2. Item, quod est dignitatis in homine reddit hominem commendabilem, quia efficit illum dignum[n] bono aliquo; sed quod a natura est non est laudabile vel vituperabile[6]; habitus autem rectitudinis sive erectionis in homine est naturale; ergo non est laudabile; ergo ex hoc nulla est dignitas homini.

3. Item, per peccatum cecidit anima a rectitudine sua; ergo huiusmodi deperditionis factae in anima debuit esse aliquod vestigium in corpore; sed nullum congruentius quam curvitas corporalis. — Si dicat quod corpus nihil demeruit – hoc nihil est, quia corpus fuit instrumentum demerendi.

4. Praeterea[o], homo propter peccatum *comparatus est iumentis* Psalm.[7]: *Homo*[p], *cum in honore esset, non intellexit*[q], *comparatus est*[r] *iumentis insipientibus*[s] *et similis factus est illis;* haec autem similitudo est quantum ad curvitatem animae, quae attenditur[t] in concupiscentia noxiorum: ut enim habetur ab Augustino[8], duo sunt nobis inflicta propter peccatum, scilicet ignorantia agendorum et concupiscentia noxiorum. Quare non similiter quantum ad curvitatem corporis?

Respondeo: *Deus fecit hominem rectum,* ut Eccle. 7,30 habetur, et quoad dispositionem corporis et quoad habitum mentis. Unde concedo quod naturalis rectitudo dignitas est corporis humani et attestatur ista dignitas homini secundum triplicem statum, innocentiae, gratiae, gloriae.

Vestigium ergo innocentiae quoad tria repraesentatur in hac rectitudine: quoad potentiam[u] in praesidendo, sapientiam in loquendo, bonitatem in diligendo. Haec tria, scilicet[v] potentia, sapientia et bonitas, erant conditionis[x] hominis quantum ad statum innocentiae, antequam cecidit in

---

[a] L *competit.* [b] Ita F (interl.), alii om. [c] L om. [d] V *spectant.* [e] Ita F (corr.), alii *mutabilis.* [f] V *unusquisque.* [g] T *corpora;* V om. *enim.* [h] VSTR *flammam.* [i] L om. [k] R *vel.* [l] VLZ *et,* quod F corr. [m] Codd. *nulla.* [n] Z om. [o] Z *propterea.* [p] Ita V, alii om. [q] V om. *n. i.* [r] Ita V, alii om. [s] Ita V, alii om. [t] V *ostenditur.* [u] Ita F (corr.) Z, alii *primum.* [v] V om. [x] V *conditiones.*

1 Fol. 40c sqq.
2 Cf. supra, num. 320, sub *b, c.*
3 Psalm. 103, 23.
4 Ovid., *Metamorph.,* I, 84-86. Cf. Isidor., *Etymol.,* XI, c. 1 (PL 82, 397).
5 *De caelo,* I, c. 8 (II, 378).
6 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.,* III, c. 5 (II, 30).
7 Psalm. 48, 12.
8 Cf. *De continentia,* c. 3, n. 8 (PL 40, 354); Lombard., II *Sent.,* d. 32, c. 1 (p. 473 sqq.).

infirmitatem potentiae et tenebras ignorantiae et malitiam concupiscentiae. De primo manifestum est secundum illud Gregorii Nysseni, *De imagine,* cap. 8[1], quod « rectus est hominis habitus et ad caelum sese sustollens sursumque respiciens; principalia haec dona certissimum est esse approbantia regiam potestatem: quod enim [a] solus ita formatus est ceterorumque omnium prona sunt corpora et in deorsum proclivius inclinata, manifesta differentia eius honoris ostenditur, dum constet illa esse huius subiecta potentiae, hunc [b] autem supereminentis existere dignitatis ». — De secundo manifestum est in hunc modum: Solus homo [c] est animal rationale mortale; sed si corpus eius esset inclinatum et non erectum, non [d] posset habere usum sermonis et ita non esset excellentissimum signum sapientiae divinae. Et quod ita sit, patet per Gregorium Nyssenum, cap. 9[2], ostendentem [e] quod solus homo habet manus ad loquendum. Unde potest confici ratio secundum consequentias huiusmodi: si enim [f] homo haberet corpus inclinatum, non haberet manus, quia in omnibus animantibus inclinatis anteriora membra corporis pedes sunt [g] et, secundum Gregorium[3] eumdem et secundum Philosophum[4], si non haberet manus, non haberet [h] usum sermonis in communicatione ad alterum, et tunc non ita manifestaretur in ipso sapientia, et inde [i] ut prius. Unde Gregorius Nyssenus, cap. 9[5]: « Si homo sine manibus extitisset, percipiendorum ciborum necessitate membra vultus eius ad instar quadrupedum formarentur, ita quod oblonga facies tenuaretur simul et emineret in naribus [k], oris etiam labia callosa et grassiora essent atque firmissima et ad carpendas herbas competenter aptata, et lingua [l] grandiori corpore durior esset et asperior, quae cooperaretur dentibus ad ea quae mandenda perciperet, liquidior existens. Si ergo manus non adessent corpori, quo modo ei vox articulata figuraretur? cum talis eius oris formatio ad usum sermonis minime conveniret; nunc autem sunt manus accomodatae corpori, ut os ad ministerium verbi liberum permaneret ». — De tertio manifestum est, quoniam, cum [m] illud sit amor in spiritibus quod est pondus in corporibus[6], ipsa autem corpora naturali suo pondere tendant deorsum, ipsum autem corpus humanum, quod est organum spiritus et ita [a] quodam modo spirituale [b], quodam [c] naturali affectu tendit sursum, secundum illud: ubi amor, ibi oculus; unde Cassiodorus, cap. 9 *De anima*[7]; « Procerum animal homo et in effigiem pulcherrimae speculationis erectum ad res supernas intuendas ».

Vestigium gratiae imitandae apparet in hac erectione, et hoc quoad duo: primum est quoad carnalem delectationem abiciendam, secundum quoad spiritualem sectandam. Primum patet sic: animantia cetera prona sunt et in ventrem suum reciprocatur eorum visus: in quo designatur voluptas carnalis quam appetunt; homo vero non. Unde Basilius, *Hexaëmeron,* libro IX[8]: « Pecudes omnes terrenae sunt, ob [d] hoc inclinantur ad terram. Sed alia est plantatio caelestis, homo, qui quantum habitu figurae, tantum dignitate distat a pecoribus. Illorum facies deorsum fixa est uterumque prospectat, et quod eius libidini iucundum est, hoc sectatur; tuum vero caput ad caelum semper [e] erigitur, oculi tui superna respiciunt. Sed si tu corporis te voluptate foedaveris obediendo luxui ventris et [f] inferioribus eius partibus, *comparatus es iumentis insipientibus* [g] *et similis factus es illis*[9] ». — Secundum patet per Bernardum, *Super Cantica,* sermone 24[10]: « Corporis staturam dedit Deus homini rectam, forsan ut illa corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti hominem illum, qui ad imaginem Dei factus est spiritualis, suae servandae [h] rectitudinis admoneret et decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius quam curvum recto [i] corpore gerere animum? Perversa res est et foeda luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, caelos libere suspicere [k] caelorumque luminaribus [l] oblectare aspectus, spiritualem vero caelestemque creaturam suos e [m] contrario oculos, id est internos sensus, atque affectus trahere in terram deorsum, et quae debuit nutriri *in croceis,* haerere luto tamquam unum de suibus [n] amplexarique *stercora* [11] ».

Similiter vestigium gloriae proponitur ei in hac rectitudine quoad contemplationem duplicem, scilicet terrestrium et caelestium [o]. Inter terrestria, ut contempletur se ipsum pulcherrimum. Unde

---

[a] V *etenim* pro *q. e.* [b] Ita F (corr.), alii *huic.* [c] L om. [d] L om. [e] V *ostendendum.* [f] Ita VF, alii om. [g] Z om. [h] V om. *m. n. h.* [i] V *ita.* [k] Ita SZ, alii *natibus;* R *collosa* pro *callosa.* [l] VRZ *ligna.* [m] Z om.

[a] Ita F (interl.), alii om. *e. i.* [b] V *spirituali et.* [c] Ita TF (corr.), alii add. *modo.* [d] S *ab.* [e] T om. [f] S om. [g] Codd. *insensibilibus;* R om. *similis.* [h] V *conservante.* [i] F *rectum.* [k] L *suscipere.* [l] STL *liminaribus,* quod F corr. [m] Ita F, alii om. [n] Z *ex suis* pro *d. s.* [o] L om. *e. c.*

1 *De hom. opif.,* c. 8 (PG 44, 143).
2 Loc. cit. (PG 44, 147).
3 Loc. cit.
4 *De partib. animal.,* IV, c. 10 (III, 290).
5 Loc. cit. (PG 44, 147).
6 Cf. Augustin., *Confess.,* XIII, c. 9 (PL 32, 849).
7 PL 70, 1295.
8 Hom. 9, n. 2 (PG 29, 191, PG 30, 960).
9 Psalm. 48, 12.
10 Num. 6 (PL 183, 897).
11 Cf. Thren. 4, 5.

Ambrosius, in *Hexaëmeron*, homilia 6 et ultima[1]: « Iam aliqua dicenda sunt de corpore hominis, quod praestantius ceteris decoris gratia esse quis abnuat? Nam si una atque eadem omnium terrenorum corporum videatur esse substantia, fortitudo quoque et proceritas quibusdam maior in bestiis, forma tamen humani corporis est venustior, status erectus et mediocris, ut neque enormis proceritas sit neque vilis et abiecta pusillitas ». — Inter caelestia [a], ut ibi semper habeat animam. Unde Bernardus, 24 sermone *Super Cantica*[2]: « Erubesce, anima, divinam pecorina [b] commutasse similitudinem: erubesce volutari in coeno, quae es de caelo »; et sequitur[3]: « Quaerere et sapere *quae sunt super terram*[4], curvitas est animae, et de regione meditari et desiderare *quae sursum sunt*, rectitudo ». Huius autem rectitudinis vestigium est in erectione [c] corporis: unde Poeta[5]:

> Os homini sublime dedit caelumque videre
> Iussit [d] et erectos ad sidera tollere vultus.

Et hoc dicit Augustinus, 83 [*Quaestionum*], 27 quaest.[6]: « Corpus hominis solum inter animalium terrenorum corpora non pronum in arvum [e] prostratum est, cum sit visibile, et ad intuendum caelum erectum ». Et infra[7]: « Tale est ut ad contemplandum caelum sit aptius; magis in hoc ad imaginem et similitudinem Dei quam cetera corpora animalium merito videri potest ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum contra hoc obiectum dicendum quod non tantum attestatur dignitati corporis humani habitus rectitudinis, sed et [f] erectionis; habitus enim rectitudinis erectae indicat ad quid conditum est corpus huiusmodi: signum enim est perfectionis eius forma nobili et caelesti et aliorum quae supra tacta sunt[8], et appetitus beatitudinis obtinendae in caelo. Non sic est de plantis, quae, licet rectae sint, non tamen sunt erectae, sed potius demissae per fixionem partis, a qua habent vitam et motum, in terra: homo enim et planta in contraria positione se habent, propter quod homo dicitur ἄνθρωπος, id est arbor eversa[9]. Unde neque plantae neque corpora caelestia neque terrestria, cuiusmodi sunt lapides cuiuscumque generis, regulariter habent rectitudinem in illa positione quam habet corpus humanum, cuius habitus et partium dispositio magnorum indicia sunt sacramentorum. Dicit enim Cassiodorus, *De anima*, cap. 9[10]: « Corporis hominis harmonica dispositio ingentia nobis sacramenta declarat ». Et statim manifestat illa sacramenta, quae propter prolixitatem videntur hic subticenda [g].

2. Ad aliud dicendum quod, sicut habetur a Philosopho[11], honor est exhibitio reverentiae in testimonium virtutis, cui superaddit laus ad expressionem sermonis: unde laus est exhibitio reverentiae in testimonium virtutis expressae per sermonem. Unde honor et laus referuntur ad aliquod bonum vel dignum in ipso qui honoratur vel laudatur [h]. Illud autem bonum vel dignum potest sumi specialiter ad bonum vel dignum in genere morum; et sic intelligit Philosophus, loquens, in *Philosophia Morali*[12], dicens [i] quod propter illud, quod a natura est, non est aliquid laudabile. Vel potest sumi bonum vel dignum communius, secundum extensionem ad ea quae sunt naturae, et [k] sic laudabile est bonum quod est a [l] natura, magis tamen Auctor naturae [m], qui, nulla creatura rationali cooperante, talia perducit ad [n] esse. Unde dignitas corporis humani ex nobilitate habitus sui non est laudabilis, secundum quod laus refertur ad bonum vel dignum in genere moris; secundum autem quod ad bonum communiter sumptum, est utique.

3. Ad aliud dicendum quod bene manifestatur signum in corpore rectitudinis spiritualis deperditae. Cum enim rectitudo sit motus animae in Deum, sicut determinat B. Dionysius[13], anima, quae non potest libere exercere operationes spirituales, sed volvitur ad creaturas et delectatur in eis per condescensum ad corpus, bene praetendit in hoc signum rectitudinis deperditae, quia, cum constet animam creatam fuisse a Deo[14] et ita ratione suae originis nullum habuisse vitium, constat ipsam a corpore sibi unito [o] fuisse corruptam et rectitudinem, in qua condita fuit, amisisse. Et loquor de posteris primi hominis, qui contraxerunt corruptionem ab illo cuius corporis curvatio fuit obnoxietas incinerationi, iuxta sententiam Domini, Gen. 3, 19: *Pulvis es et in pulverem reverteris.* — Et si dicatur quod rectitudo corporalis debuit amitti in corpore, sicut spiritualis amittebatur in anima: dicendum quod non

---

[a] Z *cetera.* [b] Codd. *divina pecorinam* pro *d. p.* [c] T *rectitudine.* [d] V *tussis.* [e] Ita V, alii *altum.* [f] Ita F, alii om. [g] Ita SFL, alii *subicienda.* [h] F *honorantur vel laudantur* pro *h. v. l.* [i] V om. [k] Ita F, alii om. [l] F om. [m] V add. *nisi.* [n] V *in.* [o] T *iuncto.*

1 Num. 54 (PL 14, 264sq.).
2 Num. 6 (PL 183, 897).
3 Loc. cit., n. 7 (PL 183, 897).
4 Col. 3, 1-2.
5 Ovid., *Metamorph.*, I, 85-86.
6 Quaest. 51, n. 3 (PL 40, 33).
7 Loc. cit.
8 Cf. supra, sub *Respondeo.*
9 Potius *inversa.* Cf. Alex. Neckam, *De naturis rerum*, p. II, c. 152 (ed. Wright, p. 232).
10 PL 70, 1295.
11 Cf. *Ethica ad Nicom.*, IV, c. 3 (II, 44).
12 *Ethica ad Nicom.*, III, c. 5 (II, 30),
13 Cf. *De divin. nomin.*, c. 4, § 9 (PG 3, 706, PL 122, 1133).
14 Cf. supra, num. 322.

est verum, immo eo[a] magis confundi debet anima, quia amisit suam[b] rectitudinem et corpus non suam, et per hoc etiam ulterius admonetur ad revertendum in Deum, sicut determinat B. Bernardus[1]. Praeterea, cum primus homo post peccatum fuit reconciliatus Deo et anima eius purgata a culpa et imago Dei per gratiam reparata, nullo modo deceret corpus deorsum inclinatum illi uniri. Cassiodorus, *De anima*, 8 cap.[2]: « Convenit ut de animae templo, id est corpore, dicamus quoniam illa imago Dei non patitur ut corpori deformi coniuncta esse videatur ». Propter quod non decrevit divina Sapientia, a qua[c] omnia decenter fiunt, hominem propter peccatum debere puniri corporis inclinatione.

4. Ad illud[d] quod obicitur quod 'peccator est similis iumentis', dicendum quod hoc non est verum quantum ad corporis inclinationem, sed quantum ad mortalitatis necessitatem, Eccle. 3, 19: *Unus interitus est hominis et iumentorum et aequa utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur;* et[e] antecedit[3]: *Dixi*[f] *in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus et ostenderet similes esse bestiis.* Haec autem est poena convenientissima corpori damnato propter peccatum: conveniens enim fuit quod corpus primi hominis, exequens opus inobedientiae contra praeceptum vitae et eius qui dederat ei vitam per unionem cum anima[g], eadem privaretur, iuxta divinum decretum, Gen. 2, 17: *Quacumque die comederitis, morte moriemini.* Praeterea, dicitur peccator esse similis iumentis propter impetum desiderii et inclinationem[h] quasi brutalem ad illa turpia quae carni placent et in quibus delectatur. Et hoc est quod dicit Bernardus[4]: « Erubesce[i], anima, divinam pecorina » etc. Et Basilius, in *Hexaëmeron*[5]: « Si tu te corporis voluptate foedaveris » etc.

455

CAPUT III.

DE DIGNITATE CORPORIS HUMANI EX UNIONE CUM ANIMA RATIONALI[6].

Tertio quaeritur de dignitate corporis primi hominis et generaliter cuiuslibet quantum ostenditur ex unione eius cum anima rationali.

Circa quod arguitur sic: *a.* Non quaelibet materia apta est ad susceptionem cuiuslibet formae, sed quanto forma sit nobilior, tanto requiritur materia nobilior; ergo, cum anima rationalis sit[k] forma nobilissima, requiritur quod perfectibile ab illa sit nobilissimum in genere suo. Hoc autem[l] patet ex hoc[m] quod quando aliquid unitur rei nobili, manifestatur eius nobilitas: unde unio animae cum Deo attestatur eius nobilitati; ergo, cum anima sit nobilissima formarum, unio corporis cum anima attestatur nobilitati corporis.

b. Item, finis est optimum in re et cuius gratia alia[7]; ergo in genere causarum finis est optimum et ad quem ut ad eorum optimum alia referuntur et etiam secundum illum distinguuntur: non enim unumquodque ad unumquemque finem ordinatur, sed comparabilia ad illum; unde ex nobilitate finis ostenditur nobilitas eius quod est ad finem; ergo, cum corporis Adae et generaliter omnium hominum finis sit beatitudo[n] gloriae, et hoc mediante coniunctione eorum cum anima[8], patet manifeste quod unio ista est nobilitatis[o] eorum ostensiva.

c. Item, unio, quae maxime conformis est nobilissimae unioni, attestatur nobilitati unibilium: hoc patet, quia quod conformius est nobili, illud est magis nobile; sed unio corporis cum anima maxime conformatur unioni gloriae, quae est animae[p] cum Deo, post illam summam unionem quae est trium personarum in una essentia; ergo haec unio attestatur nobilitati corporis uniti. — Minor patet, II *Sententiarum*, 1 dist.[9], ubi dicit Magister: « Pro exemplo futurae societatis, quae inter Deum et spiritum rationalem in glorificatione eiusdem perficienda erat, animam corporeis indumentis et terrenis mansionibus copulavit luteamque materiam fecit ad vitae sensum vegetare, ut sciret homo quod, si potuit Deus tam disparem naturam corporis et animae in foederationem unam et in amicitiam tantam coniungere, nequaquam ei impossibile futurum, rationalis creaturae humilitatem, licet longe inferiorem, ad suae gloriae participationem sublimare ».

Contra: 1. Corpora caelestia nobilioris sunt conditionis corpore humano, nec tamen sunt[q] apta ad unionem cum anima rationali nec cum

---

[a] L *est.* [b] L om. [c] Ita F, alii *quo.* [d] TRL om. [e] Z add. *quando.* [f] Ita F, alii *dixit.* [g] FL add. *illa.* [h] Ita F, alii *declinationem.* [i] Z *erubescere.* [k] Z om. [l] V *etiam.* [m] V om. [n] R *habitudo;* Z om. *finis.* [o] L *nobilitas.* [p] S *anima.* [q] L om.

1 Cf. supra, p. 582, nota 10.
2 PL 70, 1295.
3 Eccle. 3, 18.
4 Cf. supra, p. 583, nota 2.
5 Cf. supra, p. 582, nota 8.
6 Cf. supra, num. 334, *ad 1* et *2*.
7 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 8 (II, 271).
8 Cf. supra, num. 443-446.
9 Cap. 6 (p. 311).

aliqua forma ita nobili; non ergo videtur quod unio corporis humani cum anima rationali attestetur dignitati illius. — Probatio primae: Nobilius est illud corpus quod magis est activum quam illud quod est passivum; corpus autem supercaeleste maxime est activum et formae suae maxime unitum, quia ibi tota forma terminat totum appetitum materiae[1], corpus autem humanum maxime passivum nec insuper forma sua terminat totum appetitum suum; ergo dignius est corpus caeleste quam humanum.

2. Item, ut habetur ab Augustino, coniunctio corporis humani cum anima fuit opus mirabile sive miraculosum. Dicit enim, in [a] libro *De spiritu et anima*[2]: « Plenum fuit miraculo quod tam divisa et tam diversa ab invicem ad invicem potuerunt coniungi ». Et ratio huius est quantitas distantiae inter limum terrae et spiritum vitae. Unde dicit ibidem: « Tanta societas carnis et animae, spiritus vitae et limi terrae! » Ex [b] horum autem mirabili societate ostenditur vilitas corporis humani; ergo haec unio non attestatur nobilitati eius, sed potius vilitati.

3. Item, opposita iuxta se posita magis apparent[3]; ergo [c] defectus corporis humani ex positione iuxta animam, hoc est ex [d] unione corporis cum anima, magis apparent; igitur illa unio magis est indicium defectus in corpore quam attestans nobilitati.

4. Item, unio corporis cum anima rationali est opus plenum miraculo, ut habetur in [e] libro *De spiritu et anima*[4]; in operibus autem miraculosis materia existit in sola potentia obedientiae et passiva ad susceptionem formae[5]; unio autem formae cum materia tali non attestatur nobilitati materiae, cum ipsa materia sit omnino indisposita ad illam formam; ergo etc.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod unio corporis primi hominis ad animam attestatur nobilitati corporis eiusdem et generaliter aliorum corporum humanorum, ut [f] rationibus praetactis [g] ostenditur; et non solum manifestando, sed faciendo in hoc quod ex tali unione corpus humanum habet dignitatem magnam in participatione vitae rationalis et effectuum gratiae: gratia enim, informans animam, incentiva vitiorum corporalium mitigat. Habet et ampliorem dignitatem ex hoc quod propter vitam illam particeps efficitur beatitudinis, quia illa unio, quae est animae ad Deum per deiformitatem gloriae, quodam modo redundat in ipsum corpus. Habet etiam et [h] perfectissimam dignitatem in genere corporum ex hoc quod ex illa unione, quam habet [i] cum anima, redditum est idoneum ut secundum aliquam partem sui sive aliquod generis sui [k] uniretur Filio Dei in unitate personae, quae unio praecellit et illam quae est naturae et gloriae; quam etiam dignitatem manifestavit [l] Filius Dei per incarnationem suam. Sic ergo secundum modos iam dictos unio talis et [m] ad nobilitatem corporis primi hominis et generaliter omnium hominum facit et plurimum attestatur eidem.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo obiectum contra hoc dicendum [n] [6] quod revera corpora caelestia quantum ad aliquid nobiliora sunt quam erat corpus primi hominis et similiter quam corpora aliorum hominum: habent enim aliquas conditiones, scilicet impassibilitatem, incorruptibilitatem [o], subtilitatem, claritatem, virtutem, quam influunt in corpora inferiora, et appetitum materiae omnino terminatum per formam, quas non habuit corpus primi hominis, in quantum corpus, nec corpora aliorum. Habuit autem corpus primi hominis et similiter corpora posterorum eius aliquas conditiones, quas non habent corpora caelestia, et nobiliores simpliciter conditionibus illorum: ut quod sunt perfecta sive perfectibilia forma nobilissima et mediante illa sunt in potentia producendi in esse sibi similia et [p] in participatione vitae rationalis et aliorum quae tacta sunt[7]. Unde nobilitas corporum supercaelestium terminata est in nobilitate naturae [q], corporis humani non, sed potius quodam modo gratuita, scilicet gratiae et gloriae, ut ex dictis patet [r]. Praeterea, hoc argumentum non valet: 'corpora nobiliora non sunt apta ad huiusmodi unionem, ergo unio ista non attestatur nobilitati corporis unibilis', quia ex alia causa habent esse nobile quam ex habilitate ad huiusmodi unionem, corpus autem unibile habet esse nobile ex [s] aptitudine et habilitate ad illam.

2. Ad aliud dicendum quod corpus humanum et anima possunt dupliciter ad invicem comparari: vel secundum quod utrumque habet proprietates sibi determinatas in genere suo vel secundum quod ad invicem ordinantur ut perfectio et perfectibile. Secundum quod primo modo comparantur [t], sic propter oppositas conditiones corporis et animae ex comparatione corporis,

---

[a] Ita F, alii om. [b] R *et.* [c] Ita V, alii om. [d] V *de.* [e] Ita F, alii om. [f] SZ *et.* [g] V *premissis.* [h] L om. [i] S om. [k] S om. *s. a. g. s.* [l] L om. [m] Ita F (corr.), alii *est.* [n] V add. *est.* [o] V *incorruptionem.* [p] V om., in F est add. interl. [q] V om. [r] L om. [s] VSR om. *habilitate... ex,* in LZ est add. mg.; T *aptitudinis* pro *aptitudine et.* [t] L *comparatur.*

1 Cf. Aristot., *Phys.*, I, c. 9; *De caelo*, I, c. 9 (II, 260, 380 sqq.).
2 Cap. 14 (PL 40, 790), ubi et sequens.
3 Cf. Aristot., *Rhetor.*, III, c. 2 (I, 387).
4 Loc. cit.
5 Cf. supra, num. 239, II.
6 Cf. Aristot., *De caelo*, II, c. 9 (II, 389).
7 Cf. supra, in *Solutione*.

cuius sunt conditiones ignobiles, ad animam, cuius [a] conditiones nobiles sunt, ostenditur corpus esse ignobile [b] respectu animae: et secundum hanc considerationem unio huiusmodi non attestatur nobilitati corporis, sed ignobilitati potius. Si autem secundo modo comparantur, sic, quia nonnisi aliqua conditione nobilitatis ipsius corporis et harmonia convenienti aptum est et habile ad unionem formae tantae nobilitatis, unio ista attestatur nobilitati illius. Unde ipsorum unio in alia consideratione attestatur nobilitati corporis, in alia ignobilitati.

3. Et per hoc patet responsio ad illud quod sequitur.

4. Ad aliud dicendum quod Augustinus, dicens illam unionem esse mirabilem, habebat respectum ad originem materialem ipsius corporis [1], ut patet ex verbis eius, quia corpus humanum vocat limum, confirmans quod dicitur per illud Gen. 2, 7: *Fecit Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.* Vel potest verbum Augustini intelligi de corpore primi hominis formato de limo [c] et disposito [d] ad susceptionem animae.

456

CAPUT IV.

DE DIGNITATE CORPORIS HUMANI QUOAD LOCATIONEM [2].

Quarto quaeritur de dignitate corporis humani quantum ad locationem, et quaeritur utrum caelum sit locus eius.

Et videtur quod sic: *a.* Quorum eadem est natura, idem est locus naturalis [3]; sed angelus et anima eiusdem sunt naturae: dicit enim Augustinus, in libro *De libero arbitrio* [4], quod « angelus et anima natura sunt pares, officio dispares »; ergo locus naturalis eorum est idem; sed corpus et anima unam personam constituunt; idem autem habere diversa loca naturalia impossibile est [5]; ergo, cum homo sit unus et idem, non debebitur ei alius locus ratione animae et alius ratione corporis.

b. Praeterea, si deberetur ei alius locus ratione corporis et alius ratione animae, aut [e] haberet corpus locum sibi debitum naturaliter et anima suum aut non. Si non, non esset illis perfecta quies, cum unumquodque quiescat naturaliter in loco suo [6]. Si sic, non esset similiter perfecta quies, quia anima esset in uno loco et corpus in alio; ergo divisa essent; ergo non esset terminatus appetitus animae quem habet ad unionem corporis.

c. Item, secundum considerationem Aristotelis, in *Topicis* [7]: « Si optimum in hoc genere est melius optimo in illo genere, tunc hoc genus est simpliciter illo genere melius »; sed corpus Christi, quod est optimum in genere humanorum corporum, est melius omni [f] alio corpore; ergo corpus humanum simpliciter melius est [g] omni alio corpore; ergo sole et luna et stellis etc. — Quod etiam patet sic: Nec natura nec Artifex naturae facit melius propter peius [h], sed potius e contra [i], finis est optimum et melius iis quae sunt ad finem [8]; sed stellae factae sunt in ministerium corporum humanorum, Deuter. 4, 19: *Ne forte elevatis oculis ad caelum videas solem aut lunam et omnia astra caeli, et errore deceptus adores ea et colas* [k] *quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus* etc.; sed ista [l] non ministrant [m] animabus nostris, sed corporibus; igitur corpus humanum melius est stellis; sed, ut patet per inductionem, corporis melioris et nobilioris locus [n] naturalis est locus superior; ergo locus naturalis corporis humani est caelum.

d. Item, locus naturalis corporis Christi est caelum, alioquin, cum locus naturalis animae [o] eius sit caelum, concupisceret *caro adversus spiritum* [9] etiam nunc, quia caro naturaliter appeteret suum locum naturalem, et tunc Christus miser esset; sed idem est locus naturalis totius terrae et unius glebae [10], eadem ratione unius corporis et omnium [p]; igitur corporis nostri locus naturalis est caelum.

e. Item, materia et sua per se forma proportionantur, ita ut nobilioris materiae sit nobilior forma et e converso [11]; sed forma corporis humani est nobilissima, scilicet anima rationalis; ergo ipsum est nobilissimum; ergo naturaliter ei debetur locus supremus.

---

[a] R exp. [b] Ita F, alii *nobile.* [c] F add. *terre.* [d] S *disposita.* [e] Ita FR (corr.), alii *ut.* [f] Z *omnium.* [g] Ita V, R exp., alii om. [h] VT *penas.* [i] R *converso.* [k] Ita V, alii *coles.* [l] Ita V, F *constat quod,* alii *constat.* [m] Ita SF, alii *ministrat.* [n] V add. *est.* [o] Ita FL (mg.), alii om. [p] SZ om., in L est add. mg.; S add. *et.*

1 Cf. supra, num. 435.
2 Cf. supra, p. 130, *ad 5* et num. 312; S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, dub. 2 (II, 246 sq.).
3 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 5 (II, 280).
4 Lib. III, c. 11, n. 32 (PL 32, 1287).
5 Cf. Aristot., loc. cit.
6 Cf. Aristot., *Phys.*, IV, c. 1 (II, 285).
7 Lib. III, c. 2 (I, 200).
8 Cf. Aristot., *Moral. Eudem.*, II, c. 1 (II, 192).
9 Gal. 5, 17.
10 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 5 (II, 280).
11 Cf. Aristot., *De generat. et corrupt.*, II, c. 3 (II, 456).

f. Item, cum absque ambiguitate et haesitatione animae locus naturalis sit caelum, habet naturalem caeli appetitum, cuius indicium est manifestum quod omnibus insitus est appetitus caeli; sed quod inest omnibus, est naturale, ut dicit Augustinus, in libro *Unde malum*[1]; igitur anima humana naturaliter appetit locum supremum, qui[a], si esset innaturalis corpori nostro, accideret hominem nunquam fore plene beatum, quia[b] nunquam haberet quietum appetitum.

Contra: 1. Ioan. 3, 13: *Nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo;* sed corpus humanum non descendit de caelo; ergo non ascendit in caelum; sed res naturaliter ascendit ad locum suum, et ita videtur caelum non esse locus corporis.

2. Praeterea, corpus et locus easdem proprietates participant; sed natura corporis humani et[c] caeli sunt penitus oppositarum conditionum et proprietatum; ergo unum[d] non est locus alterius.

3. Praeterea, sicut dicit Augustinus, ultimo *De civitate Dei,* 11 cap.[2], et in aliis multis locis, arguunt philosophi[3] caelum non esse locum corporis humani: res enim[e] ponderosa et ex elementis constituta locum superiorem non obtinet; sed corpus hominis ex elementis est et grave est[4]; ergo etc.

4. Praeterea, homo creatus est propter caelum[5], non caelum propter hominem; ergo dignior res est caelum quam sit homo, ergo multo fortius quam corpus humanum; ergo locus ignobilior[f], quam caelum debetur ei. — Prima patet per Magistrum, in *Sententiis,* II libro, 14 dist., cap. *Sequitur: Dixit Deus*[6], et in fine subiungitur: « Post omnia factus est homo de terra et in terra[g], non ad terram neque propter terram, sed ad caelum et propter caelum ».

5. Item, arguit Mercurius[7] hominem existentem duplicis naturae, corporalis et spiritualis, debere creari in caelo propter naturam spiritualem quae excellit in eo et non in terra propter naturam corporalem; sed dicit quod proprietates terrae magis dominantur in eo; locus autem sequitur naturam praedominantis, et ita patet corpus humanum pertinere ad terram et non ad caelum.

Respondeo quod corpori humano de divina providentia triplex debetur locus, scilicet paradisus terrestris, terra et caelum. Fuit enim homo collocatus in statu innocentiae *in paradiso voluptatis, ut*[h] *operaretur et custodiret illum,* Gen. 2, 15: *operaretur,* inquam, non ad fastidium vel laborem, sed[i] ad solatium et[k] corporis exercitium[8]. In statu culpae eiectus de paradiso positus fuit in terra, ut laboribus et sudoribus ea vesceretur, sicut habetur Gen. 3, 17. In statu gloriae collocandus est in caelo, ut ibidem in vita beata et perpetua glorietur. Dicendum ergo quod caelum est[l] locus corporis humani quantum ad statum gloriae, et caelum empyreum sive angelorum, ubi erit in participatione gloriae cum anima. Unde Augustinus, *De anima et spiritu*[9]: « Si enim tam disparem naturam carnis et animae ad unam foederationem atque amicitiam Deus coniungere[m] potuit, nequaquam erit ei impossibile rationalem spiritum, qui usque ad consortium terreni corporis humiliatus est[n], cum eodem corpore glorificato, ut sit ei gloriae quod fuit sarcinae, ad consortium beatorum spirituum, qui in sua puritate perstiterunt, exaltare atque ad suae gloriae participationem sublimare; ad hoc siquidem sola caritate, nulla necessitate, illum creavit Altissimus, ut suae beatitudinis particeps fieret ». Argumenta igitur quae sunt ad istam partem, sunt concedenda.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum in contrarium dicunt quidam quod, quamvis debeatur corpori humano locus superior, non tamen ascendit in caelum nisi virtute divina uniente[o] corpus animae et elevante animam et corpus; quod quidem corpus dicitur descendisse de caelo ratione animae, quae creata est, in qua sunt proportiones[p] numerales et harmonicae concreatae ad corpus suum. Sed, quia ista solutio videtur[q] alludere errori philosophorum ponentium animas creatas in caelo et descendere per zodiacum ad incorporationem, quod est error et haeresis[10], ideo potest responderi ad illam auctoritatem aliter, secundum quod respondet Augustinus, in libro *De agone*[r] *christiano*[11]. Illa enim auctoritas magis intelligitur de Christo[12] quam de puro homine; unde sequitur[13]: *Filius hominis, qui est in caelo.* Dicit

---

[a] R *que.* [b] S *quod.* [c] V om. [d] VT om. [e] S *id est* pro *r. e.* [f] Ita F, alii *nobilior.* [g] Ita F, alii *terram.* [h] R *et.* [i] Z *ad laborem vel* pro *l. s.* [k] Z *vel.* [l] S *enim.* [m] Ita S (corr.) F, alii *contingere.* [n] Z om.; F om. *corpore.* [o] VST *vivente,* Z *vivante.* [p] V *portiones.* [q] Ita VF, alii *videretur.* [r] Ita FL (corr.), alii *agno.*

1 *De natura boni,* c. 3 (PL 42, 553).
2 Lib. XXII, c. 11, n. 1 (PL 41, 773); cf. XIII, c. 18 (PL 41, 390 sq).
3 Nempe Platonici, de quibus loquitur hic Augustinus.
4 Cf. supra, num. 434.
5 Cf. supra, num. 88.
6 Cap. 9 (p. 373).
7 Cf. *Ad Asclepium,* cc. 7, 9, 11, 22, 23.
8 Cf. supra, num. 313.
9 Cap. 14 (PL 40, 790).
10 Neoplatonicorum. Cf. Macrob., *In somnium Scipionis,* I, c. 12; S. Bonav., *In Hexaëm.,* coll. 7, n. 5 (V, 366).
11 Cap. 25 (PL 40, 304).
12 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 2, p. 2, dub. 2 (II, 85 sq).
13 Ioan. 3, 13.

enim Augustinus: « Non intelligunt quoniam corpus non ascendit in caelum. Dominus enim ascendit, corpus autem non ascendit, sed levatum est in caelum, illo levante qui ascendit. Verbi gratia si quis descendat [a] de monte nudus, cum autem descenderit [b], vestiat se et vestitus iterum ascendat, recte dicimus: Nemo ascendit nisi qui descendit; nec vestem consideramus quam secum levavit, sed ipsum, qui vestitus est, solum dicimus ascendisse ». — Vel potest intelligi de membris verbum illud, ut patet ex Glossa [1], quae, etsi ascendunt in caelum, non ascendunt propria virtute, sed virtute [c] capitis cui adhaerent. Unde Glossa ibidem: « Renati spiritualiter ascendunt in caelum, sed nonnisi sint membra cohaerentia illi qui in una persona est homo et Filius Dei, ut sciat iste nullum ex se, sed per Christum [d] posse ascendere, et ideo non dicit homines ascendere, sed *Filium hominis* totum cum corpore, qui secundum deitatem descendit de caelo et est in caelo ».

2. Ad aliud dicendum quod, licet corpus humanum et caelum sint oppositarum conditionum, scilicet habito respectu ad statum viae, communicabunt tamen easdem, quantum requirit convenientia quae debet esse loci et locati, quando ablata erit corruptio, corpulentia [e], obscuritas et ponderositas a corpore, ut quando dotatum erit dotibus gloriae, quod erit, quando verificabitur illud Apoc. 21, 18: *Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo.* Quod verbum exponens Gregorius, Iob 38 [2], dicit: « Auri metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere, vitri vero natura est ut extrinsecus visum pura [f] intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quidquid intrinsecus continetur, absconditur, in vitro quilibet liquor, qualis continetur interius, talis exterius demonstratur atque, ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid ergo aliud in auro vel vitro accipimus nisi illam supernam patriam, illam beatorum civium societatem, quorum corda sibi invicem et claritate fulgent et puritate translucent? Unde hic dicitur: *Ipsa vero civitas* etc. [g]. Quia enim sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instructa auro dicitur. Et quoniam ipsa [h] eorum claritas vicissim sibi in alternis [i] cordibus patet, et dum uniuscuiusque vultus attenditur, simul et conscientia penetratur, hoc ipsum *aurum* [k] *simile vitro mundo* esse memoratur. Ibi quippe uniuscuiusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis [l] sibi ».

3. Ad illud quod sequitur patet responsio ex dictis. Praeterea, potest addi verbum Petri Alphonsi [3] dicentis: « Passer et anser ex [m] eisdem elementis sunt, sed passer sursum ascendit, anser non. Unde hoc? Si [n] quia passer minoris corporis et ideo levior, anser maioris et ideo gravior, ergo secundum hoc vultur et aquila, quae grandiora sunt, non volarent [o] superius. Si forte quia ex subtilioribus [p] elementis, patet tamen quod spiritus facit ea ascendere sursum: nam sine spiritu non ascenderent ». Cum ergo corpora unita erunt spiritibus, deposita [q] corruptione omni et gravedine [r], quid mirum si corpora facta conformia spiritui sursum poterunt ascendere et ad nutum spiritus moveri? Augustinus, ultimo [s] *De civitate Dei,* 11 cap. [4]: « Cum valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum, aliquando et animae levare [t] sursum terrena corpora non valebunt? » Quasi diceret: sic.

4. Ad aliud dicendum quod, cum homo dicatur factus esse propter caelum, haec praepositio 'propter' non dicit habitudinem finalem illo sensu quo caelum sit finis hominis, sed potius habitudinem [u] suppositionis, sub hoc sensu: 'propter caelum', id est ut sit dominus caeli, eo modo quo dicit Apostolus: *Omnia vestra sunt,* I Cor. 3, 22. Vel potest dicere habitudinem loci ad locatum, sub hoc sensu: homo factus est propter caelum, scilicet inhabitandum.

5. Ad aliud patet responsio ex dictis. Et intelligendum est quod, licet homo sit duplicis naturae, propter quam videtur ei duplex locus congruere, tamen propter plures causas congruebat homini terra ad inhabitandum: una fuit aptitudo ad poenitudinem; alia fuit aptitudo ad merendum: aptior enim erat locus ad faciendum poenitentiam et ad merendum terra ista miseriae et defectus multiplicis quam alius locus; alia fuit convenientia corporis humani corrupti cum terra maledicta, Gen. 3, 17; alia fuit indigentia alimoniae quae congruebat. — Si autem obiciatur quod videtur fieri violentia animae ex hoc quod detinetur in loco inferiori, sicut fieret corpori tali si teneretur in [v] loco superiori: dicendum quod anima potest esse deorsum sine violentia, quia non est ita essentialis spiritibus locus sursum sicut corporibus locus deorsum.

---

[a] L *descendit.* [b] Codd. *ascenderit.* [c] S om. *s. v.* [d] VTL *exemplum.* [e] Ita F, alii *corpulenta.* [f] S *puram.* [g] FLZ add. mg. *Gregorius.* [h] T om. [i] Codd. *alterius.* [k] V *auro.* [l] V om. *alteri... conspicabilis.* [m] Ita F, alii om. [n] Ita F, alii *non.* [o] S *valerent.* [p] Ita F, alii *subtilibus.* [q] F *disposita;* VF om. *omni.* [r] Ita F, VSTL *ingredine,* RZ *nigredine* pro *e. g.* [s] V *iij.* [t] Ita F, alii *levate.* [u] Ita F, STRZ *beatitudinis;* V *superposittionis* pro *suppositionis.* [v] Ita V, alii om.

1 *Ordin. in Ioan.,* 3, 13, ap. Lyran., ubi et sequens.
2 *Moral.,* XVIII, c. 48, nn. 77-78 (PL 76, 83sq.).
3 *Dialog.,* tit. 11 (PL 157, 652), ad sensum.
4 PL 41, 773.

MEMBRUM IV.

De animalitate corporis Adae.

Quarto quaeritur de animalitate illius corporis. Primo quaeritur utrum corpus Adae erat [a] animale; secundo, utrum magis conveniebat esse animale an spirituale.

CAPUT I. 457

UTRUM CORPUS ADAE ERAT ANIMALE.

Circa primum proceditur sic, et videtur plane quod animale fuit: *a.* Augustinus, in I libro *De Baptismo parvulorum*[1], convincens eos qui dicunt Adam sic creatum esse ut etiam sine peccati merito moreretur, non poena culpae, sed necessitate [b] naturae. Dicit enim: « Quid ergo respondebunt, cum legitur hoc Deum primo homini [c] etiam post peccatum increpando et damnando dixisse[2]: *Terra es et in terram ibis*? Neque enim [d] secundum animam, sed, quod manifestum est, secundum corpus terra erat et morte eiusdem corporis erat iturus in terram. Quamvis enim secundum corpus terra esset, et corpus, in quo creatus est, animale gestaret, tamen, si non peccasset, in corpus [e] foret spirituale mutandus [f] et in illam [g] incorruptionem, quae fidelibus et sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus ». Ecce quod animale erat.

b. Praeterea, Adam, si non peccasset, transisset ab animali corpore in spirituale; ergo animale corpus habebat ante peccatum. — Prima patet per Augustinum, in eodem libro[3]: « Si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate et incorruptione [h], *ut absorberetur mortale a vita*[4], id est ab animali in spirituale transiret ».

c. Praeterea, si dicatur quod non habuit corpus animale, quia tunc paulatim senesceret et deficeret, quod non competebat illi statui – contra hoc arguit Augustinus, in eodem, dicens[5]: « Si Deus Israelitarum vestimentis et calceamentis praestitit quod per tot annos non sunt obtrita [6], quid mirum si obedienti homini eiusdem [i] praeceptis potentia praestaretur ut animale hoc et mortale habens corpus, haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu esset annosum, tempore quo Dominus vellet a mortalitate ad immortalitatem [k] sine morte media transiturus? » Praeterea, Augustinus, in eodem[7]: « Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis [l], qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neque enim Enoch et Elias per tam longam aetatem senectute marcuerunt nec tamen credo eos iam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos ».

d. Praeterea, si non esset corpus illud animale, cur praeciperetur comedere de lignis? « Habebat enim de lignorum fructibus refectionem contra defectionem et de [m] ligno vitae stabilitatem contra vetustatem », ut ibidem dicit Augustinus[8].

Contra: 1. Corpus illud erat conveniens organum animae; sed anima [n] erat deiformis; ergo, cum animae deiformi corpus mutabile et [o] animale magis opponatur quam congruat, non erat tunc corpus Adae animale. Unde Gregorius Nyssenus, cap. 27[9], secundum aliam translationem: « In deiformitate animae non fluxibile corpus per mutabilitatem et transmutabile est, sed quod permanet ».

2. Praeterea, corpus illud beatum [p] fuit; sed nullum animale beatum; ergo animale non fuit. — Prima patet per Augustinum, *De civitate Dei*, XIV libro, 10 cap.[10]: « In illo memoriali beatitudinis loco, id est paradiso, quis tandem absolute dici beatus potest, qui timore afficitur vel dolore? Quid autem timere aut dolere [q] poterant

---

[a] Ita VFR (corr.), alii *aderat* pro *A. e.* [b] L exp. et corr. mg. *venente.* [c] Ita FL (mg.), alii om. *p. h;* codd. *dictum* pro *Deum.* [d] V om. [e] L om. *i. c.* [f] T *immutandus.* [g] S *anima.* [h] V *incorruptibilitate.* [i] Ita FL (mg.) Z (mg.), alii om. [k] T *mortalitatem.* [l] Ita VF, alii *illi.* [m] S om. [n] F *anime.* [o] S *est.* [p] Ita T (corr.) F, alii *verum.* [q] L *delere.*

1 Lib. I, c. 2 (PL 44, 109 sq.).
2 Gen. 3, 19.
3 Loc. cit.
4 II Cor. 5, 4.
5 Cap. 3 (PL 44, 110 sq.).
6 Cf. Deuter. 29, 5.
7 Loc. cit. (PL 44, 111).
8 Loc. cit.
9 *De hom. opif.*, c. 27 (PG 44, 227).
10 PL 41, 417.

homines illi in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur nec ulla corporis mala valetudo, nec aberat quidquam quod bona voluntas adipisceretur nec inerat quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet?»

3. Item, Augustinus, *De civitate Dei*[a] [1]: «Summa in carne sanitas erat». Sed summa sanitas illa requirebat mixtionem elementorum in tali pace et harmonia virtutum, quod in illo[b] non fieret passio aliqua quae abiceret a substantia [2]; ergo non requirebatur aliqua restauratio deperditi per alimentum; ergo non fuit indigens alimento et ita non animale: calor enim digestivus in nobis semper resolvit, et ideo semper oportet fieri restaurationem per alimentum; huiusmodi autem resolutio non fuit in illo, propter quod nec restauratio necessaria; huiusmodi autem deperditio poena est; propter quod non debebat antecedere culpam.

4. Item, esse in huiusmodi egentia sive indigentia videtur attestari statui culpae: sic enim egere poena est, quam praecedere culpam non convenit.

5. Item, si Adam indiguisset alimento in statu innocentiae et illo usus esset, necessario indiguisset purgatione per egestionem: quod videtur inconveniens, cum huiusmodi purgatio sit poenalis.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod hoc nomen[c] 'animal' quandoque sumitur generalius, quandoque specialius. Quandoque enim dividitur genus in duo, quorum unum habet nomen proprium, aliud non habet [3]; illud autem dividentium, quod non habet nomen proprium, retinet nomen generis, sicut patet cum dicimus[d] animal dividi in rationale et irrationale: animal rationale habet nomen proprium, quia huius speciei 'homo'; irrationale vero non, et ideo irrationalia nomine generis nominantur et dicuntur 'animalia'. Cum ergo animal dupliciter dicatur, uno modo est nomen generis communis[e] ad rationalia et irrationalia, alio vero modo est nomen brutorum. Similiter 'animale', derivatum ab eo quod est 'animal', dicitur[f] dupliciter. Nam, si derivetur ab 'animali' quod est genus ad hominem et bruta, tunc convenit homini secundum omnem statum, sive innocentiae sive culpae sive gratiae sive gloriae; si vero derivetur ab 'animali' quod est nomen brutorum, tunc dicitur homo animalis, id est similis brutis, sed hoc dupliciter, quia vel similis brutis secundum corpus vel secundum animam. Si primo modo, sic dicimur animales nunc et Adam similiter tunc in paradiso, quia cibis indigemus ut bruta et cibis indigebat Adam secundum corpus [4]. Unde[g] Augustinus, XIV *De civitate Dei*[h], cap. 26 [5]: «Cibus erat ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitae ne illum senectus dissolveret». Si vero animalis dicatur homo secundum animam, scilicet similis bruto, hoc dicitur adhuc dupliciter, secundum Augustinum, in libro *83 Quaestionum* [6]: dicitur enim homo animalis vel vita vel animi[i] sensu. Vita animalis dicitur, quando[k] «fertur dissoluta lascivia animae suae, quam intra naturalis ordinis metas spiritus rector non continet, eo quod ipse se Deo regendum non subicit», et sic animalis idem est quod carnalis. Animi[l] vero sensu dicitur animalis, qui de Deo iuxta corporum phantasiam vel Legis litteram vel rationem philosophicam iudicat, et de tali dicitur illud I Cor. 2, 14: *Animalis homo* etc. Iis duobus modis ultimis non erat Adam animalis in paradiso [7] nec de iis modis est quaestio, quia hic intendimus de animalitate quantum ad corpus secundum quod dicitur animale, id est egens alimoniis, et sic intendit Augustinus et alii loquentes de materia ista. Concedimus ergo quod corpus Adae erat animale, id est indigens alimoniis, sicut determinat Magister, II *Sententiarum*[m], 19 dist., cap. 1: *Solent plura*[n] *quaeri* [8] etc. Dicit enim ibi: «In primo statu fuit corpus hominis animale, id est egens alimoniis ciborum». Et ad hoc ostendendum introducit[o] illud I Cor. 15, 45: *Factus est primus homo Adam in animam viventem,* id est in animam corpus sensificantem, quod adhuc erat animale, quod egebat cibis, ut per animam viveret.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum contra hoc dicendum quod anima nondum erat in plena et perfecta deiformitate, quam erat[p] habitura in acceptione propriae stolae. Unde illam[q] deiformitatem non impediebat animalitas corporis propter eius omnimodam puritatem — nihil enim impuritatis sive corruptionis erat tunc in corpore illo — et obedientiam animae. Quod autem dicit Gregorius Nyssenus: «In deiformitate» etc., intelligitur de homine quantum ad conditionem intelligibilem, non quantum[r] ad temporalem. Conditionem autem[s] intelligibilem hominis appellat illam quae est quaedam notio existens ab aeterno in mente divina, et illi conditioni non[t] competit

---

[a] F add. *XIV libro, 26 cap.* [b] Z *illa.* [c] T om. [d] V *dicitur.* [e] V *commune.* [f] Z om. [g] Ita F, alii om. [h] STRL om. [i] VR *omni,* SZ *cum.* [k] R *quare;* codd. *fruitur* pro *fertur.* [l] V *si.* [m] T *in Sent. II* pro *II. S.* [n] Ita F, alii *philosophi.* [o] V *inducit.* [p] T om. [q] S *illa.* [r] Ita VF, alii *nunquam* pro *n. q.* [s] SRZ om. [t] S om.

1 Lib. XIV, c. 26 (PL 41, 434).
2 Cf. supra, num. 437.
3 Cf. Aristot., *Topic.*, I, c. 4 et II, c. 4 (I, 175, 189).
4 Cf. supra, num. 303 et 314.
5 PL 41, 434.
6 Quaestio 67, n. 5 (PL 40, 68).
7 Cf. supra, p. 364, *ad 5-6.*
8 Pag. 393.

corpus fluxibile vel animale [a]. Unde, in penultimo capitulo *De imagine*[1], hanc duplicem hominis conditionem distinguit, scilicet intelligibilem et temporalem. De intelligibili dicit: « In praescientia divinae virtutis omnem plenitudinem [b] humanae conditionis subsistere confitemur, contestificante nobis Propheta[2], qui dicit Deum nosse omnia antequam fiant ». Et consequenter loquitur de temporali.

2. Ad aliud dicunt quidam[3] quod animale potest dicere differentiam vel passionem. Si primo modo, bene compatiuntur se [c] animale et brutum; secundo modo non, et hoc ultimo modo opponitur. Alio modo potest dici quod status innocentiae dicitur beatitudo sive status beatitudinis propter abundantiam bonorum et absentiam malorum, ut innuit Augustinus, XIV *De civitate Dei,* cap. 10[4], qui post multam bonorum [d] enumerationem quae in statu isto affluebant, subiungit: « Quam igitur felices erant et nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum laedebantur incommodis [e]! Atque ista permanente felicitate, donec per illam benedictionem, qua dictum est[5]: *Crescite et multiplicamini,* praedestinatorum sanctorum numerus compleretur, alia maior daretur, quae beatissimis angelis data est ». Huic ergo felicitati sive beatitudini non est contraria animalitas de qua hic intendit, licet sit contraria illi quae est patriae.

3. Ad aliud dicunt quidam quod in corpore illo [f] erat calor naturalis resolvens et disperdens carnem secundum materiam, non tamen omnino sicut in nobis, sed [g] moderamine maiore, ad cuius restaurationem necessarium fuit illi alimentum. — Videtur autem aliter dicendum, quia si aliqua qualitas ita fuisset praedominans in corpore illo, quae posset inducere passionem quae abiceret a subiecto, in illo corpore fuisset principium dissolutionis illius, et ita non esset conveniens materiale sive perfectibile anima rationali, dum erat omnino subiecta et obediens Deo, ut supra tactum est[6]. Praeterea, si corpus illud fuisset passibile modo praedicto a calore intrinseco vel aliqua alia qualitate, quae non erat ibi in ultimitate suae virtutis, sed in proportione et [h] harmonia convenienti optimae complexioni, tunc multo fortius passibile fuisset a calore vel aliqua alia [i] qualitate extrinseca, quae non erat in tali harmonia sive proportione respectu qualitatum quae erant corporis illius. — Si autem diceretur quod nulla res sive qualitas extrinseca agere poterat in illo propter continentiam animae, cui omnia huiusmodi erant subiecta in statu illo, multo fortius videtur quod illa quae erant de esse illius corporis et in harmonia convenienti, debebant moderari ipsius animae continentia, ita quod nullam inducere possent passionem, quae abiceret a substantia ipsius corporis, cuius anima illa erat perfectio et actus. Videtur ergo aliter dicendum, scilicet quod corpus illud fuit defectibile, non quia haberet in se [k] qualitates activas et passivas, ex quarum actione et passione fieret aliqua deperditio substantiae ipsius corporis, sed ratione qua erat creatura, cuius appetitui non fuit omnino satisfactum per formam propriam. Unde videtur dicendum quod fuit defectibile, non propter actionem et passionem qualitatum interiorum nec propter huiusmodi defectibilitatem erat illi alimentum necessarium, sed magis quia ex hoc quod erat creatura talis, possibilis [l] erat deficere in se. Unde sicut est de spiritibus, scilicet angelo et anima rationali, quod [m] deficerent ex hoc quod creaturae sunt, nisi virtute Conditoris [n] sui influente sustentarentur [o] in esse[7], nec tamen in eis est aliqua actio sive aliquod agens corrumpens vel detrahens a substantia eorum: sic corpus illud fuit defectibile [p] et defecisset, etiam si permansisset primus homo in innocentia in qua conditus fuit, nisi [q] sustentatum esset virtute cibi concessi, non propter aliquam violentiam illi illatam a virtute aliqua intrinseca, sed quia de se non habebat unde stare posset in esse perpetuo, ratione qua erat creatura talis, sicut ignis quandoque deficit per [r] violentiam illatam ab agente contrario, quandoque in se sive ex se ipso. Virtutes autem activae et passivae erant in ipso in quadam harmonia et [s] pace, neque per se neque per adiutorium alicuius virtutis extrinsecae se mutuo infestantes neque de substantia corporis illius abicientes, sed potius ipsum in esse salvantes per conversionem alimenti sive cibi sumpti ad restaurationem deperditionis ortae vel oriundae ex ipsa natura vel substantia deficiente in se.

4. Ad aliud dicendum quod est indigentia necessitatis naturalis et est indigentia passionis secundum sensum. A prima est defectus, a secunda est sensus defectus. Prima non ponit poenam,

---

[a] S *anima;* L *influxile* pro *fluxibile.* [b] L *plenitudinis.* [c] R *scilicet,* L *si.* [d] R om. [e] V *incommoda.* [f] S *illorum.* [g] S add. *in.* [h] T add. *in;* V *portione* pro *proportione.* [i] Z om. [k] Z om. *i. s.* [l] Ita FZ, alii *passibilis;* L om. *talis.* [m] V *quia.* [n] V *creatoris.* [o] L (corr.) *sustentantur.* [p] TRLZ *delectabile.* [q] V *sed.* [r] S *propter.* [s] L add. *est,* Z om. *quadam.*

1 Cf. *De hom. opificio,* c. 29 (PG 44, 234).
2 Dan. 13, 42.
3 Cf. supra, p. 527, *ad 2.*
4 PL 41, 417.
5 Gen. 1, 28.
6 Cf. supra, p. 590, *Solutio.*
7 Cf. Gregor. M., *Moral.,* XVI, c. 37, n. 45 (PL 75, 1143).

sed manifestat naturam; secunda vero ponit; a prima est deficere, a secunda sentire defectum. Adam vero, si defecisset sine culpa sua, non sensisset aliquam passionem; unde appetitus naturalis [a] infuit illi cum indigentia necessitatis naturalis, non autem appetitus vel indigentia passionis secundum sensum. Indigentia ergo illa non attestabatur statui culpae, sed defectui naturae, defectui dico [b] respectu perfectionis ultimae, quae erit in participatione gloriae.

5. Ad aliud potest dici, sine praeiudicio, quod in statu illo bene poterat esse purgatio sive separatio impuri per egestionem; nec esset huiusmodi egestio poena aliqua, quia nullus fuisset consecutus foetor sive immunditia vel turpitudo, sicut modo quando teruntur fructus vel calcantur uvae et eliquatur illud quod est puritatis et subtilitatis maioris a substantia grossiore [c] [1]. Nec aestimandum est fructus paradisi, qui erant parentibus primis dati in cibum, fuisse similes fructibus quibus vescimur, qui nascuntur ex terra maledicta, in grossitie vel sapore vel [d] etiam virtute, sed erant multo maioris [e] subtilitatis, saporis et virtutis. — Vel potest dici, sicut forte ponebant quidam [2], purgationem illam fieri per evaporationes et exhalationes [f]. Vel, ut ponunt quidam, totus ille cibus aptus fuit ad conversionem propter sui puritatem et virtutem.

458

CAPUT II.

UTRUM MAGIS CONVENIEBAT CORPUS ADAE ESSE SPIRITUALE QUAM ANIMALE [3].

Secundo quaeritur si conveniebat corpus primi hominis magis esse spirituale quam animale.

Quod sic, videtur: 1. Quia conveniebat ut nobilissimae formae sive perfectioni nobilissimum in genere suo aptaretur materia sive perfectibile; anima autem est forma nobilissima, corpus autem spirituale nobilissimum est in genere corporum; ergo etc.

2. Item, optimo et nobilissimo Artifici, scilicet Deo, convenit cum forma nobilissima [g] nobilissimam in genere suo coaptare materiam; et ita ut prius.

3. Item, inter creaturas spirituales, quae sunt ad imaginem Dei, sunt nobilissimae, ut angelus et [h] anima; a simili videtur quod inter corporales, quae sunt ad imaginem Dei, deberet [i] esse nobilissima; sed inter omnes creaturas corporales corpus primi hominis maxime gerit imaginem Dei; ergo debuit esse de genere corporum nobilissimorum.

4. Item, perfectio universi hoc videtur requirere, quae semper requirit [k] in singulis rerum generibus differentiam et distinctionem: verbi gratia, in spiritibus aliquis est unitus corpori, aliquis separatus; unitorum aliquis est separabilis, ut spiritus rationalis, aliquis inseparabilis, ut spiritus qui est perfectio brutorum. Similiter videtur quod ex parte [l] corporum unitorum debeat esse aliquod animale unitum et aliquod spirituale. Unde I Cor. 15,44: *Si est corpus animale, est et spirituale,* Glossa [4]: « Cum dicit '*corpus*', frustra additur '*animale*' nisi sit aliud spirituale, ad cuius discrepantiam [m] dicitur '*animale*' »; tale non posset esse nisi corpus unitum animae rationali; ergo etc.

5. Item, animae quae perficiunt corpora, quaedam sunt spirituales, ut anima rationalis, quae separabilis est a corpore et spiritus dicitur; ut enim dicitur, in [n] libro *De anima et spiritu* [5], « anima et spiritus idem sunt in homine, quamvis aliud [o] notet anima et aliud spiritus: spiritus namque ad substantiam dicitur, anima ad vivificationem ». Quaedam quodam modo sunt animales, ut animae in brutis, quae neque secundum substantiam neque secundum esse possunt esse nisi in animalibus [p]. A simili videtur quod debeat esse ex parte corporum perfectibilium, scilicet [q] quod quaedam sint animalia [r], quaedam spiritualia, et ita idem [s] quod prius.

6. Item, formae immortali et perpetuae convenit habere materiam sive perfectibile huiusmodi, et secundum hunc modum producere res in esse convenit optimo Artifici, cuius est omnia optime facere, ut vult Dionysius [6]; ergo animae rationali convenit habere corpus, ab [t] ea perfectibile, immortale; sed non potest esse immortale nisi sit spirituale; ergo etc.

---

[a] V *simul.* [b] Ita F, LZ *defectus dico* pro *d. d.*, quod alii om. [c] T *grossitie.* [d] V *et.* [e] Z *minoris.* [f] Z *exaltationes.* [g] RL om. [h] Ita F, alii om. [i] Codd. *deberent.* [k] L (corr.) *requirere.* [l] F add. *brutorum.* [m] S *decrepantiam.* [n] Ita F, alii om. [o] S *alius.* [p] T *animabus.* [q] Ita F, alii om. [r] R *alia;* T add. *et.* [s] T om. [t] V *ad.*

[1] Cf. supra, num. 314.
[2] Cf. p. 572b.
[3] Cf. supra, num. 303.
[4] Lombardi, in h. l. (PL 191, 1688).
[5] Cap. 9 (PL 40, 784).
[6] *De div. nomin.*, c. 4, § 19 (PG 3, 715, PL 122, 1138).

7. Item, constat quod Adam habiturus est corpus spirituale post resurrectionem, quando homines *erunt sicut angeli Dei*, Matth. 22, 30 et sicut habetur I Cor. 15, 44, ubi dicitur: *Surget corpus spirituale*; sed si Adam habuit corpus animale, et constat quod resurget spirituale, ergo quod fuit factum a sapientissimo Artifice, minus sapienter factum est, cum primo factum est destruendum et post permanendum, I Cor. 6, 13: *Deus autem hunc et has* [a] *destruet*, Glossa[1]: « Id est [b] ventrem et escas; quod erit, cum *corruptibile* [c] *hoc induet incorruptionem*[2] »; et ibi loquitur de necessariis naturae [d], sicut dicit Glossa. Ex quo [e] patet quod Deus destruet corpus animale. Quod videtur inconveniens: si quis enim vellet construere domum, convenientius faceret si statim faceret eam bonam et pulcram quam si primo faceret vilem et turpem destruendam, et post [f] ex eadem faceret bonam et pulcram permanendam.

Contra: *a.* Primus homo [g] conditus erat ut esset principium humani generis, I Cor. 15, 45: *Factus est primus Adam in animam* [h] *viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem* [i]. Ibi Glossa Augustini[3]: « Attende quare Christus dicitur *Adam* et *novissimus*. *Adam* dicitur, quia de eadem materia est [k]; *novissimus*, quia post eum non succedit alius qui sit caput vel auctor humani generis sicut illi duo fuerunt. Totum enim genus humanum quodam modo sunt illi duo homines, scilicet primus Adam et secundus, quia ex illo sunt nati, ex isto renati, et ideo uterque dicitur pater humani generis ». Non [l] autem posset esse principium humani generis nisi [m] corpus haberet animale: corpus enim spirituale non potest esse principium propagationis per generationem; ergo conveniens fuit ut haberet corpus animale, non spirituale, ne auctor naturae aliquid egisset frustra.

b. Item, in rerum conditione, ut vult Augustinus[4], non utitur Deus rebus ad miraculum suae potentiae, sed omnia producit secundum exigentiam suae [n] naturae; sed anima rationalis praesupponit vegetabilem et sensibilem; ergo secundum conditionem competentem naturae debuit uniri corpori habili ad actus istarum potentiarum, scilicet vegetabilis et sensibilis; sed tale est animale; ergo etc.

c. Item, anima rationalis ex sua prima unione cum corpore facit animatum et animal; sed in hoc communicabat homo cum brutis; quae autem communicant in forma, debent communicare in dispositione ex parte [o] materiae; sed si corpus hominis esset spirituale, non communicaret in aliqua [p] dispositione huiusmodi nec etiam cum ipsis brutis; ergo quantum est de primaria conditione, naturale videtur animae rationali habere corpus animale.

[Solutio]: Quod concedimus, dicentes quod illud multipliciter congruebat ad manifestandam sapientiam Conditoris, quae ex hoc manifestatur ex ordine multiplici [q]. Primo, propter ordinem producendi ab imperfecto ad perfectum: secundum enim ordinem rectum imperfectum praecedit perfectum, et *prius* est *quod est animale, deinde quod* est *spirituale*, I Cor. 15, 46. — Secundo, propter ordinem meriti ad praemium: cum enim homo prius debebat [r] poni in statu meriti quam praemii, debuit tale corpus eius fieri quod esset aptius et efficacius ad merendum; sed corpus animale maxime competit statui merendi, spirituale statui praemii, et ideo *prius animale, deinde spirituale*. — Tertio, propter ordinem lapsus ad resurrectionem: quia enim habuit liberum arbitrium potens labi et resurgere[5], debuit habere corpus quod posset etiam labi in mortem et postea, anima facta invertibili, ipsum per resurrectionem omnino fieret immortale; et ideo *prius animale, deinde spirituale*. — Quarto, propter ordinem qui [s] attenditur in comparatione unius creaturae ad alteram: ut sicut homo in terris factus fuerat ut servaretur perfectus ordo ex comparatione hominum ad angelos, qui facti sunt in caelis, sic [t] et decebat ut primo haberet corpus competens habitationi terrestri magis quam caelesti; sed corpus competens terrestri habitationi est animale, sicut caelesti spirituale, et ideo *prius animale, deinde spirituale*. — Quinto, propter ordinem principii ad principiata in propagatione generis humani: propter hoc enim conditum fuit corpus Adae ut ab eo propagaretur genus humanum secundum corpus, quod fieri non posset nisi esset [u] animale[6]. Propter istum ergo multiplicem [v] ordinem in prima conditione, scilicet propter ordinem imperfecti ad perfectum, meriti ad praemium, lapsus ad resurrectionem, unius spiritus rationalis ad alterum sive hominis ad angelum, principii [x] ad principiatum in genere hominum, decebat [y] animae rationali dari corpus animale.

---

[a] Codd. *hanc*. [b] L *in* pro *i. e.* [c] F *incorruptibile*. [d] S *vero*. [e] V *hoc*. [f] F (corr.) *postea*. [g] T om. [h] S om. *i. a.* [i] V *viventem*. [k] V om; F add. *cum Adam*. [l] TL *animo*, Z *anime*. [m] R *qui*. [n] S add. *potentie*, quod TLZ exp. [o] L om. [p] S om. *i. a.* [q] V *multipliciter*. [r] Z *habebat*. [s] Ita VF (corr.), alii *que*. [t] VT *sicut*, quod L corr. [u] F add. *corpus*. [v] SL (mg.) add. *statum*. [x] SZ *principium*. [y] Ita F, alii add. *esse*.

1 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1579). 2 I Cor. 15, 53.
3 *Epist. 205*, c. 2, n. 11 (PL 33, 946), ap. Lombard., in h. l. (PL 191, 1688).
4 Cf. *De Gen. ad litt.*, II, c. 1, n. 2 (PL 34, 263).
5 Cf. supra, num. 389.
6 Cf. supra, num. 303.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum contra hoc[a] dicendum[1] quod est considerare animam rationalem diversimode, habito respectu ad diversos status, scilicet[b] imperfectionis et perfectionis: primus est status viae, secundus patriae; similiter et corpus humanum. Convenit ergo ut animae existenti in statu suae perfectionis et nobilitatis aptetur corpus nobilissimum in genere suo, scilicet spirituale. Unde tres sunt status hominis, scilicet innocentiae, lapsus et gloriae, in quibus corpus et anima primi hominis quamdam paritatem in nobilitate et ignobilitate[c] communicabant. Sicut enim anima in primo statu, scilicet ante lapsum, sortita fuit esse nobile, in quo vivebat vita naturae integrae, roborata et sustentata vita[d] gratiae, qua erat in potentia et habilitate ad esse eius finale et ultimatum nobilitate, similiter corpus in illo statu erat in[e] integritate naturae optimae in genere suo et, mediantibus fructibus sibi datis ad sustentamentum, poterat perpetuari in esse illo quoadusque perductum esset ad esse corporis nobilissimum. Unde sicut anima in vita[f] naturae alebatur et sustentabatur gratia quasi alimento spirituali in progressu ad suum esse optimum, sic corpus alimento corporali, scilicet fructibus paradisi. Praeterea, sicut in statu culpae anima sortita est esse ignobile per lapsum in culpam, duplex malum incurrens, scilicet corruptionis et mortis spiritualis, unde indigna efficiebatur bono ad quod condita erat, similiter corpus sortitum est esse ignobile, duplex malum incurrens, scilicet corruptionis et necessitatis[g] moriendi, et indignum efficiebatur bono[h] ad quod conditum erat. Praeterea, sicut anima poenitendo recuperavit aptitudinem et dignitatem recuperandi suum optimum[i] quod amiserat per culpam, quo habito sortitur esse nobilissimum, similiter omnino erit de corpore. Unde secundum congruitatem divinae dispositionis corpus existens in suo esse nobilissimo non est aptandum animae antequam sit in suo esse nobilissimo. Unde ante statum gloriae non convenit corpus primi hominis nec alterius esse spirituale.

2. Ad aliud dicendum quod optimo Artifici convenit etc., salvato[k] rerum ordine secundum divinam statuto providentiam. Quod autem ordo rerum a divina providentia statutus exigat[l] quod in via sit corpus animale perfectibile anima rationali, ex dictis patet[2].

3. Ad aliud dicendum[3] quod primus homo, quantum ad corpus, Dei imago esse non posset nisi corpus eius esset animale, quia aliter non posset[m] esse principium omnium hominum per viam propagationis; propter quod dicitur esse ad imaginem Dei, II libro *Sententiarum*, dist. 17[4], ubi dicitur: « Per hoc imago Dei in homine apparuit, quia sicut Deus omnibus rebus extitit principium creationis, ita homo omnibus hominibus principium generationis ». Unde ratio illa magis est ad oppositum quam ad propositum.

4. Ad aliud dicendum[n] quod bene requirit hoc[o] completio universi, sed non in quocumque[p] statu, immo magis contrarium, sed hoc requirit habito respectu ad statum perfectae completionis, hoc est quando ea, quae sunt de completione universi simpliciter, erunt in suo[q] ultimo, ut quando *Deus* erit *omnia in omnibus*, I Cor. 15, 28.

5. Ad aliud dicendum quod, si anima rationalis perficiens corpus sit spiritualis, non tamen est in plenitudine spiritualitatis antequam sit perfecte unita cum Summo Spiritu. Unde Glossa Augustini[5] super illud I Cor. 15, 45: *Factus est primus homo in animam viventem:* « Anima in corpore spirituali, quia perfecte adhaeret Deo, sic vivificat ut spirituale corpus efficiat ». Quando autem perfecte adhaeret, habetur in Glossa[6] super illud I Cor. 6, 17: *Qui adhaeret Deo* etc., ubi dicitur: « Unus spiritus est cum Spiritu Dei, cum quo est unus spiritus, non substantiae identitate — diversae enim substantiae sunt spiritus hominis et Spiritus Dei — sed quia accedit iste spiritus ad participationem naturae, veritatis et beatitudinis illius[r]. Unus ergo spiritus est cum Spiritu Dei, cum ei[s] sic adhaeret ut sit particeps beatitudinis eius; quod plene erit, cum satiabitur desiderium eius in bonis immutabilibus, scilicet in ipsa Trinitate, Domino suo, cuius imago est ». Unde quando erit anima in illa spiritualitate, competit ei habere corpus spirituale et non ante.

6. Ad aliud dicendum quod, quando anima erit immortalis quantum ad esse sive vitam gratiae, ut quando erit beata, tunc conveniet[t] illi habere perfectibile immortale et corpus spirituale. Sicut enim dictum est[7], dum modo liberum arbitrium animae est potens labi et resurgere, congruit illi habere corpus quod potest labi in mortem; sed anima facta invertibili et corpus ipsum convenit fieri immortale per resurrectionem. Si

---

[a] V om. [b] Z *id est.* [c] R om. *e. i.* [d] S om. [e] L om. [f] L *vite.* [g] V *necessitatibus.* [h] V *dono.* [i] L om. [k] Z *salvari.* [l] Ita V, alii *exigit.* [m] S om. *nisi... posset.* [n] T om. [o] VT *hec.* [p] Z *quolibet.* [q] F add. *esse.* [r] L *alius.* [s] Z *enim.* [t] TRLZ *conveniret.*

[1] Cf. supra, p. 406, *ad 4-5.*
[2] Cf. supra, p. 593, *Solutio.*
[3] Cf. supra, num. 340, I et p. 593, *Solutio.*
[4] Dist. 18, c. 1 (p. 388).
[5] *Epist. 205*, c. 2, n. 11 (PL 33, 946), ap. Lombard., in h. l. (PL 191, 1688).
[6] Lombardi, in h. l. (PL 191, 1582 sq.).
[7] Cf. supra, p. 593, *Solutio.*

enim anima posset labi in mortem, et corpus, perfectibile ab[a] illa, esset immortale et spirituale, accideret multiplex inconveniens, scilicet perfectibile ab ipsa anima perfectissimum esse secundum quod possibile est, perfectione sua existente imperfecta; praeterea, aliud inconveniens, scilicet animam non posse resurgere post lapsum, sicut nec angelum. Ut enim dicitur Gen. 6,3: *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum*[b], *quia caro est;* sed tunc non esset caro in homine, id est pronitas carnalis infirmitatis, et propter hoc permaneret spiritus indignationis Dei in homine, si peccaret.

7. Ad aliud dicendum quod, etsi *corpus animale surget spirituale,* non propter hoc destruetur opus Artificis optimi[c], sed perficietur. — Si obiciatur quod destruitur quando redigitur in pulverem: dicendum quod non omnino destruitur, quia remanet quaedam ordinatio in pulveribus ad animam et ex hac ordinatione possibilitas ad necessitatem non moriendi sive non corrumpendi. Hoc alias explanabitur[1]. Habuit ergo corpus illud ex conditione sua possibilitatem et ordinationem ad necessitatem non moriendi; quae quidem ordinatio attestatur aptitudini relictae in pulveribus ad suam perfectionem, id est ad animam; hanc autem aptitudinem sive possibilitatem reducet[d] Dominus ad esse in corporum resurrectione. Praeterea, in nullo praeiudicatur[e] Artifici sapientissimo, scilicet secundum tempora diversa et exigentiam mutationis rerum, quod factum est uno tempore, in alio mutetur vel pro parte destruatur. Unde Esther, ultimo, 9: *Nec putare debetis, si diversa iubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate et necessitate temporum, ut reipublicae poscit utilitas, ferre sententiam.*

TITULUS II.

DE CONDITIONIBUS EXTRINSECIS CORPORIS ADAE.

Dictum est de corpore primi hominis quoad conditiones intrinsecas. Sequitur quaerere de ipso quoad extrinsecas, quae sunt duae, scilicet tempus et locus. Primo ergo quaerendum est de tempore; secundo, quaerendum est de loco.

MEMBRUM I.

De tempore conditionis corporis Adae.

De primo duo sunt quaerenda:
Primum est si fuit conditum vel creatum simul cum aliis creaturis; secundum, si non cum aliis, de ordine temporis conditionis illius ad tempus conditionis[f] aliarum creaturarum.

CAPUT I. 459

UTRUM CORPUS ADAE FUERIT CONDITUM SIMUL CUM ALIIS CREATURIS.

Quaeritur ergo I. utrum conditum fuit corpus Adae eo tempore quo aliae creaturae, prout videtur 1. ex illo verbo Eccli. 18,1: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Hanc autem quaestionem proponit Augustinus, VI *Super Genesim ad litteram*[2].

2. Item, dicitur in libro *Fontis vitae*[3], scilicet in principio, quod virtus, per quam omnia facta sunt, est voluntas Dei adinveniens omnia[g]; et ibidem[4] dicitur quod sicut resultat imago in speculo ex sola oppositione[h] rei, sic ex sola conversione ad res omnia perduxit[i] in esse; sed non potest

---

[a] L *ad.* [b] V om. *i. a.*; STLZ om. *i. h.* [c] RZ om. [d] V *reducit.* [e] L *preiudicat.* [f] T om. *i. a. t. c.* [g] V om. [h] F *expositione.* [i] V *produxit.*

[1] Cf. infra, num. 491-494.
[2] Cap. 18sqq. (PL 34, 351 sqq.).
[3] Tract. 1, n. 2 (p. 4).
[4] Tract. 5, n. 41 (p. 330).

esse in Deo nisi una conversio, quia, ut scribitur in Epistola Iac. 1, 17: *Apud illum non est transmutatio;* ergo etc.

3. Item, Augustinus, XI *De confessionibus*[1]: « Verbo tibi coaeterno simul dicis omnia quae dicis, et fit quidquid dicis ut fiat, nec aliter quam dicendo facis[a] ».

4. Item, in Psalmo[2]: *Semel locutus est*[b] *Deus,* et ita idem quod prius. Ecce quod simul dicit omnia; ergo ut prius.

II. Et hic potest incidenter quaeri quo modo est hoc verum quod *Deus creavit* multa *simul* vel *omnia,* ut dicunt auctoritates praedictae[3].

Quia huius contrarium videtur sic: 1. Ad hoc quod aliquid creetur sive producatur in esse ex nihilo, requiritur infinita potentia; nec hoc intelligendum est quod existens infinitae potentiae possit in huiusmodi effectum finita potentia, quia et tunc existens finitae potentiae, sed requiritur virtus infinita ad huiusmodi productionem; sed virtute infinita non potest esse virtus maior; igitur Deus non potest esse maioris virtutis quam infinitae; ergo tota virtus divina requiritur in creatione unius rei; igitur in eodem instanti non potest plura creare.

Contra: *a.* Ut habetur Gen. 2,7, post opera sex dierum fecit *Deus hominem de limo terrae.*

b. Item, hoc[c] idem habetur a Magistro, II *Sententiarum*[4], et aliis expositoribus[d] Scripturae[5], scilicet quod omnibus creatis et dispositis, novissime factus est homo[e].

[Solutio]: I. Ad hoc dicendum[f] [6] quod in duobus locis Scripturae fit mentio de conditione corporis Adae, scilicet Gen. 1,27, ibi: *Masculum et feminam creavit eos,* scilicet inter opera sex dierum, et Gen. 2,7, ibi[g]: *Formavit Deus hominem de limo terrae;* et illa formatio, secundum Augustinum[7], non numeratur in operibus sex dierum, sed potius inter opera illa de quibus dicitur Ioan. 5,17: *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Prima conditio fuit in causis suis primordialibus, in quibus seminaliter fiebat; secunda conditio fuit in esse actu et completo[8]. Unde Augustinus, *Super Genesim ad litteram,* VI[9]: « Fecit Deus Adae *adiutorium*[h] *simile* de costa lateris eius; hoc autem factum est, cum easdem bestias agri et volatilia caeli adhuc de terra finxisset et ad illum adduxisset ». Adhuc: « Quo modo sexto die factum[i], hoc potest intelligi, quandoquidem illo die[k] terra produxit animam vivam[10] secundum verbum Dei, volatilia vero quinto die produxerunt[l] aquae[11] similiter secundum verbum Dei? Non itaque hic diceretur[12]: *Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri et omnia volatilia caeli,* nisi quia iam terra produxerat omnes bestias agri sexto die[m] et aqua omnia volatilia caeli quinto die. Aliter ergo tunc, id est potentialiter atque causaliter, sicut illi operi competebat quo[n] creavit omnia simul, a quibus in die septimo requievit[13]; aliter autem nunc, sicut ea videmus quae per temporalia spatia creat, sicut *usque nunc operatur.* Ac per hoc iam per istos notissimos lucis corporalis dies, qui[o] circuitu solis fiunt, Eva facta est de latere viri sui. Tunc enim *Deus adhuc finxit de terra bestias et volatilia,* in quibus cum *adiutorium simile*[14] ipsi Adae[p] non esset inventum[15], illa formata est. In talibus ergo diebus etiam ipsum *de limo finxit*[q] *Deus*[16]. Neque enim dicendum est masculum quidem sexto die factum, feminam vero posterioribus diebus, cum ipso sexto die apertissime[r] dictum sit[17]: *Masculum et feminam fecit eos et benedixit eos,* et cetera quae de ambobus et ad ambos dicuntur. Aliter autem tunc ambo et nunc aliter ambo: tunc scilicet secundum potentiam per verbum Dei, tamquam seminaliter mundo inditam, cum[s] *creavit omnia simul* a quibus in *die septimo requievit,* ex quibus omnia suis quaeque[t] temporibus iam per saeculorum ordinem fierent; nunc autem secundum operationem praebendam temporibus, qua *usque nunc operatur* ».

Sed contra hoc obicitur, quia Gen. 1,29, dicto de conditione hominis, subditur: *Dixitque Deus: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen* etc.; sed constat quod Dominus non locutus est rebus existentibus in causis suis et[u] potentialiter, sed potius habentibus esse in actu. Et haec est obiectio Augustini[18]. — Et respondet Augustinus quod Dominus loquebatur existentibus in potentia et non in esse actuali, eo

---

[a] L om. [b] F *es,* quod R corr. [c] F om. [d] F add. *sancte.* [e] SR om., in Z est add. mg. [f] Ita V, alii add. *est.* [g] SR *id est;* S om. *hominem.* [h] V add. *sibi.* [i] V add. *est;* Z om. *sexto.* [k] Codd. *ille de* pro *i. d.* [l] Z *produxit.* [m] Ita VF, alii om.; T om. *sexto.* [n] S *quomodo.* [o] F *cui.* [p] Ita F, alii *Adam;* Z om. *ipsi.* [q] V *fecit.* [r] F *aptissime.* [s] T om. [t] Codd. *suisque* pro *s. q.* [u] T *in,* RZ om.

1 Cap. 7 (PL 32, 813).
2 Psalm. 61, 12.
3 Cf. hic, sub nn. 1, 3 et 4; supra, num. 250.
4 Dist. 15, c. 5 (p. 375).
5 Cf. Gregor. Nyssen., *De hom. opificio,* c. 2 (PG 44, 1342); Abaelard., *In Hexaëm.* (PL 178, 759).
6 Cf. supra, num. 298 et 324.
7 Cf. nota 9.
8 Cf. supra, num. 431-432.
9 Cap. 5, nn. 7-8 (PL 34, 342), ubi et sequens.
10 Cf. Gen. 1, 24.
11 Cf. Gen. 1, 20; supra num. 317.
12 Cf. Gen. 2, 19.
13 Cf. Gen. 2, 2.
14 Cf. Gen. 2, 18-20.
15 Gen. 2, 20.
16 Gen. 2, 7.
17 Gen. 1, 27-28.
18 *De Gen. ad litt.,* VI, c. 7 (PL 34, 343).

modo quo Christus quandoque loquens praesentibus simul loquebatur et futuris. Unde dicitur, *Super Genesim ad litteram*, VI [1]: « Quo modo loquebatur, inquit, eis qui nondum audiebant nec intelligebant, quia nec erant qui verba perciperent? Possem respondere, sic illos allocutum Deum quemadmodum Christus nos nondum natos, etiam longe post futuros, nec tantum nos, sed etiam eos omnes qui futuri sunt post nos. Omnibus enim dicebat, quos suos futuros videbat [2]: *Ecce ego vobiscum sum usque ad* [a] *consummationem saeculi*, sicut Deo notus erat Propheta, cui dixit [3]: *Priusquam te formarem in utero, novi te* ». Haec autem locutio nihil aliud erat quam insertio causarum sive conditio rerum futurarum. Unde Augustinus, eodem [4]: « Cum vero Deus dicebat [5]: *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale seminans semen, quod est super omnem terram, et omne lignum fructiferum, quod habet in se fructum seminis seminalis, quod erit vobis ad* [b] *escam*, ipse sermo eius ante omnem aëris sonum, ante omnem [c] carnis et nubis vocem, in illa eius summa sapientia, per quam facta sunt omnia, non quasi humanis auribus instrepebat, sed rebus factis rerum faciendarum causas inserebat et [d] omnipotenti [e] potentia futura faciebat, hominemque suo tempore formandum in temporum [f] tamquam semine vel tamquam radice condebat ». Iis visis, patet quo modo responderi potest ad quaestionem propositam.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc ergo quod obicitur quod '*creavit omnia simul*, et ita hominem': dicendum quod hoc verum est eo modo quo dictum est [g] [6], scilicet causaliter et seminaliter in ipsis mundi elementis, non eo modo quo res suis propriis temporibus producuntur in esse completum [7]. Quod insinuat Augustinus, distinguendo [h] modos essendi, VI *Super Genesim ad litteram* [8], dicens sic: « In illa prima conditione mundi, cum Deus *omnia simul creavit*, homo factus est, qui esset futurus, ratio creandi hominis, non actio creati. Sed haec aliter in Verbo Dei, ubi ista non facta, sed aeterna sunt; aliter in elementis mundi, ubi *omnia simul* facta futura sunt; aliter in rebus, quae secundum causas simul creatas, non iam simul, sed suo quaeque [i] tempore creantur, in quibus Adam iam formatus ex limo et Dei flatu animatus ».

2. Ad aliud dicendum quod illa conversio, de qua loquitur liber [k] *Fontis vitae*, non dicit aliquam innovationem sive mutationem circa Conditorem rerum, sed dispositionem aeternam de illis producendis in esse in tempore suae productionis.

3. Ad aliud dici potest quod est dicere res in suo esse completo: et sic non dicit Deus Pater res simul [9] nec sic intelligit Augustinus '*omnia simul*' dici; et est dicere res in sua arte: et hoc modo dicit Deus [l] Pater res simul, scilicet in Verbo suo, quod est ars omnipotentiae illius. — Sed videtur ex hoc quod tangit in fine auctoritatis, scilicet « non aliter quam dicendo facis [m] », quod res non sint [n] aliter quam in Verbo suo vel in [o] arte. Respondeo: Per hoc notatur quod sine omni [p] innovatione orta circa illum suae dispositioni obedit fluxus rerum in esse; unde dispositio sua in arte, quantum ex parte ipsius est, est productio rerum in esse.

4. Ad aliud [q] quod sequitur, patet responsio ex Glossa ibidem, scilicet: *Semel locutus est Deus*, Glossa [r] [10]: « Inter homines multis modis [s] loquitur Deus, apud se semel, quia unicum Verbum genuit, per quod *omnia facta sunt* [11] et in quo simul omnia disposita sunt ». Unde semel loqui, ut vult Glossa, « est Verbum aeternaliter gignere, in quo omnia disposuit ».

II. 1. Ad illud quod quaeritur 'quo modo potest Deus simul multa creare, cum ad unius rei creationem requiratur infinita potentia' etc.: dicendum quod sicut prima bonitas summa dicitur, quia sine sui diminutione diffunditur et diffundi potest in infinitum, sic et virtus summa, quia sine sui diminutione influit; unde eius potentia [t], quantumcumque influat, nunquam in aliquo [u] diminuitur; propter quod infinita simul creare potest. Non [v] autem intelligendum est, cum [x] dicitur quod divina virtus influit in creaturas creando illas vel operando in illis, quod dividatur virtus eius et sic impartiatur illis, immo quia ad nutum suae voluntatis omnipotentissimae sine diminutione suae virtutis fiant vel creentur. Unde in ipso nihil accidit innovationis, sed quidquid innovationis ibi est, accidit circa creaturas. Augustinus, *Ad Marcellinum* [12]: « Nihil corrigi posse asserunt, nisi quod ante non recte factum probaretur. Quibus respondere copiose si velim, tempus me citius deseret

---

[a] Ita VS, alii *in*. [b] Z *in* et om. *ipse*. [c] VTL om. *a. s. a. o.* [d] Ita F, alii *sed*. [e] T *omnipotentia*. [f] VRZ *tempori*, quod F corr. [g] V om. [h] T *distinguendi*, quod L corr. [i] Ita F, alii *quoque*. [k] STLZ *libro*, F *in libro*. [l] T om. [m] V *facit*; L add. interl. *in*. [n] R *sunt*. [o] Z om. [p] V om. [q] V add. *dicendum*. [r] Ita S (corr.), alii add. *est*. [s] R om. [t] V *potius*. [u] Ita F, alii *alio*. [v] V *nam*. [x] V *quando*.

1 Cap. 8 (PL 34, 344).
2 Matth. 28, 20.
3 Ierem. 1, 5.
4 Loc. cit.
5 Gen. 1, 29.
6 Cf. supra, p. 596b.
7 Cf. supra, num. 239, 250 et 260.
8 Cap. 9, n. 16 et c. 10 n. 17 (PL 34, 346).
9 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 422.
10 Lombardi, in h. l. (PL 191, 568), ubi et sequens.
11 Ioan. 1, 3.
12 *Epist. 138*, c. 1, nn. 2 et 4 (PL 33, 526).

quam exempla, quibus rerum ipsa natura et opera humana certa ratione pro temporum opportunitate mutentur, nec tamen eadem ratio sit mutabilis, qua ista mutantur. Nonne [a] hiemi aestas addito calore sensim [b] succedit? Quotiens variantur aetates! Adolescentiae pueritia non reditura cedit, iuventus adolescentiae non mansura [c] succedit. Haec omnia mutantur, nec mutatur divinae providentiae ratio, qua fit ut ista mutentur. Non autem, opinor, cum agricola aestate aliud iusserit quam iusserat [d] hieme, ratio mutatur agriculturae. Et cum mane surgit qui nocte quiescebat, vitae consilium non mutavit. Aliud magister adolescenti quam puero solebat, imposuit. Non itaque verum est quod dicitur, semel recte factum nullatenus esse mutandum. Mutata quippe temporis [e] causa, quod recte ante factum fuerat, ita mutari plerumque vera ratio flagitat, ut, cum ipsi dicant recte non fieri si [f] mutetur, e contra veritas clamet recte non fieri nisi mutetur: quia utrumque tunc erit rectum, si erit pro temporum diversitate diversum ».

460

CAPUT II.

UTRUM CORPUS ADAE CONDITUM FUIT ANTE ALIA VEL POST.

Secundo [g] quaeritur de ordine temporis conditionis corporis Adae [h] ad tempus conditionis aliorum. Et quaeritur utrum conditum fuit ante alia vel post.

Et videtur ex dictis quod post: *a.* Quia [i], ut habetur Gen. 2,7, post opera sex dierum fecit *Deus hominem de limo terrae.*

b. Et hoc idem habetur ab Augustino, VI *Genesis ad litteram* [1].

c. Item, idem habetur a Magistro, II *Sententiarum,* 15 dist., cap. *Omnibus creatis atque dispositis* [2]: « Novissime factus est homo tamquam dominus et possessor, qui et omnibus praeferendus erat ».

Sed videtur quod contrario modo fieri debuit, sic: 1. In emanatione personarum a Patre prius natura est emanatio personae quae est imago Patris quam illius quae non [k] est imago, et hoc secundum ordinem convenientissimum [3]; a simili videtur quod in emanatione sive creatione personarum creatarum a Deo debent primo produci in esse sive causari illae quae sunt ad imaginem creantis sive imago; et si hoc, homo debebat cum primis creaturis creari; ergo et corpus.

2. Item, corpus primi hominis inter omnia corpora singulari ratione fuit imago Dei vel homo secundum illud; unde, ratione qua supra [4], debebat inter prima creata creari.

3. Item, ut dicit Beda [5], quatuor fuerunt simul [l] in principio creata, scilicet angelica [m] natura, caelum empyreum, prima materia et tempus [n]. In genere autem corporum duo sunt nobilissima: humanum, et maxime primi hominis, et caelum empyreum; et si inter haec est differentia nobilitatis, nobilius fuit corpus primi hominis simpliciter — ut illud quod erat forma nobiliori perfectibile et ordinatum ad finem nobiliorem et magis deiforme, ut secundum quod homo erat ad imaginem Dei — quam caelum primum; ergo videtur quod ratione [o] suae nobilitatis debuit creari inter primo creata, sicut caelum empyreum.

4. Et potest hic incidenter quaeri quare illa quatuor tempore fuerunt primo creata.

5. Item, homo et angelus habent paritatem in natura, licet habeant disparitatem in officio; si ergo paritas est sufficiens ratio quare paria debeant pariter, id est simul, creari, ergo etc.; sed homo non potest creari nisi corpus eius creetur; ergo, cum angelus sit de primo creatis, et corpus [p] humanum debet esse similiter vel quare non?

6. Item, Hugo [6]: « In tantum rationalis creaturae conditio ceteris omnibus, quae propter ipsam facta sunt, excellentior esse probatur, quod omnium causa ipsa est ». Ex hoc verbo videtur quod et [q] propter hominis excellentiam et propter eius causalitatem sive dignitatem prius aliis creari debeat.

7. Item, caelum et terra, in quibus omnia alia intelliguntur, primo [r] creabantur [7], unde Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus caelum et terram;* per *caelum* autem materia omnium spiritualium intelligitur sive creatura spiritualis; per *terram*

---

[a] Codd. *immo.* [b] Ita VTL, alii om.; codd. *succeditur. Nonne* pro *succedit.* [c] Codd. *mansure.* [d] Ita FL, alii om. *q. l.* [e] Codd. *corporis.* [f] R *nisi.* [g] Ita F (corr.), alii *ideo.* [h] R om. [i] Ita F, alii om. [k] Ita F (mg.), alii om. [l] Z om. [m] Z *angelorum.* [n] S *tempore.* [o] Ita F (corr.), alii *ratio.* [p] L add. *hoc est.* [q] Ita F (corr.), alii *etiam.* [r] Ita FL (mg.), alii om.; T om. *alia.*

1 Cap. 6, n. 10 (PL 34, 343).
2 Cap. 5 (p. 375).
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 326.
4 Cf. supra, sub n. 1.
5 Cf. *Hexaëm.,* I (PL 91, 15); Pseudo-Beda, *Quaest. super Gen.,* (PL 93, 239sq.); supra, num. 70.
6 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 2, c. 1 (PL 176, 206).
7 Cf. supra, num. 52.

corporalium, sicut ex [a] Glossa[1] patet et Hugone[2]: « Per *caelum et terram* materia omnium caelestium terrestriumque hoc loco significari puto ». Sed similiter homo est quodam modo omnis creatura, ut dicit Gregorius[3], super illud Marci ultimo, 15: *Ite, praedicate Evangelium omni creaturae*. Ergo homo debuit [b] creari inter creaturas primo conditas eadem ratione.

8. Item, aut observatur in conditione rerum ordo naturalis aut artificialis. Non naturalis: non enim praecedunt [c] bruta animalia hominem natura, sed potius homo illa, cum sit causa eorum [d]. Nec artificialis, qui attenditur in ordine dignitatis, ut quando praeordinatur quod est maioris dignitatis. Et sic neutro ordine videtur hominem sive corpus humanum post alia debere creari.

Respondeo: Corpus primi hominis conditum fuit post alias creaturas, et hoc propter multiplicem rationem. Una est, ut hominis dignitas ostenderetur, qui erat aliis creaturis dominaturus. Unde Hugo[4]: « Prius siquidem opifex Deus mundum fecit ac [e] deinde hominem possessorem et dominum mundi, ut ceteris omnibus iure conditionis dominaretur homo ». Nota quod dicit « iure conditionis ». Hanc autem [f] rationem declarat Gregorius Nyssenus tali exemplo[5]: « Prius convenit illud esse, cui debet [g] princeps aliquis principari, quam ipsum principem ». Unde, determinato de conditione mundi sensibilis, dicit: « Nondum [h] magna haec et pretiosa res, homo, mundi dominus, aderat; nec enim decuerat prius existere principem quam illa quorum gereret principatum. Sed ubi cuncta ei subicienda parata sunt, iam consequens erat apparere rectorem. Quia igitur veluti quoddam regni domicilium futuro regi Creator universitatis effecerat, id [i] autem erat terra, insulae, maria, et super hoc caelum in modum carinae curvatum, divitias vero reposuerat regni multiplices, divitias autem dico totam creaturam, quidquid est in herbis et plantis et [k] arboribus, quidquid in spiritalibus et sensibilibus et animatis. Quod si metalla quoque convenit iis annumerari divitiis [l], quae propter colorum [m] pulcritudinem pretiosa humanis oculis visa sunt, ut auri et argenti et lapidum eorum quos homines amant, horum omnium copiam velut quibusdam regalibus thesauris terrae sinibus [n] occultis, in hunc mundum hominem protinus introduxit: propterea [o] in hunc mundum post creaturam novissimus introductus est homo, non ut vilissimus in extrema parte proiectus, sed quem decebat genitum mox esse rectorem ». — Alia ratio fuit ordo incompleti ad completum[6]. Ad completionem [p] enim universi requiritur quod aliqua creatura sit simpliciter spiritualis, aliqua simpliciter [q] corporalis, aliqua composita ex spirituali et corporali, ut sic trinitas creata Trinitatis increatae sequatur sacramentum, sicut habetur II libro *Sententiarum*, dist. 2[7]; creatura autem composita ex spirituali et corporali est homo. — Alia est ordo finitorum [r] ad suum finem. Homo enim est finis aliarum creaturarum, sicut habetur a Philosopho[8] et Hugone[9], dicente: « Constat creationem hominis rerum omnium visibilium conditione posteriorem quidem tempore, sed causa priorem fuisse, quia qui factus est post omnia, propter eum facta sunt omnia ». Hae ergo tres rationes sumuntur ex congruentia ordinis, scilicet servientium ad dominum, incompleti ad completum, finitorum ad finem.

Alia enim ratio fuit compositio ex multis. Homo enim inter omnes creaturas est compositissimus, sicut habetur in libro *Fontis vitae*[10], et ut supra tactum est[11]. Propter quod dicit Isaac, in [s] libro *De elementis*[12]: « Homo in naturali generatione ultimum est ». — Alia ratio fuit communicatio cum multis. Sicut enim dicit Gregorius[13], super illud Marci ultimo, 15: *Praedicate Evangelium* etc.: « Omnis creaturae aliquid habet [t] homo: esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum [u] animalibus, intelligere cum angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, iuxta aliquid omnis creatura est homo ». — Alia ratio est [v] indigentia multorum. Homo enim primus introducendus erat in mundum, ut ibi refectus et educatus transferretur in patriam. Unde ad instar hominis prudentis invitantis aliquem ad refectionem, qui praeparat [x] domum suam et alia necessaria antequam [y] introducat pransorem, sic [z] fecit Dominus: ne homo ad momentum indigeret, praeparavit illi quae erant necessaria ad refectionem et educationem et post introduxit eum in locum, ubi erat reficiendus et educandus. Et hoc est

---

[a] Z om. [b] VTL *habuit*. [c] Ita TF (correcti), alii *impediunt*. [d] R *illorum*. [e] Z *ut*. [f] V om. [g] VL *debetur*. [h] V *mundus*. [i] Ita F (corr.), alii *efficeret idem* pro *e. i.* [k] L om. [l] V *divinitas*, STR *divinitus*, quod FLZ corr. [m] SRZ *celorum*. [n] Ita F (corr.), alii *finibus*. [o] Z *preterea*. [p] V *complexionem*. [q] T om. *s. a. s.* [r] V *futurorum*. [s] Ita V, alii om. [t] T om. [u] V om. *a. s. c.* [v] Ita F (interl.), alii om. [z] R *preparavit*. [y] Ita F (corr.), alii *tamquam*. [x] VST *sicut*.

1 *Ordin.*, in h. l. (PL 113, 67).
2 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 6 (PL 176, 190).
3 *In Evang.*, hom. 29, n. 2 (PL 76, 1214).
4 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 1 (PL 176, 205).
5 *De hom. opif.* c. 2 (PG 44, 132sq.), ubi et sequens.
6 Cf. supra, num. 47.
7 Rectius d. 1, c. 6 (p. 312).
8 Cf. *Phys.*, II, c. 2 (II, 263); supra, num. 88 et 330.
9 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 1 (PL 176, 205).
10 Cf. tract. V, 15 (p. 285).
11 Cf. supra, num. 434 et 453.
12 Fol. 4c.
13 *In Evang.*, hom. 29, n. 2 (PL 76, 1214).

quod dicit Gregorius Nyssenus[1]: « Sicut quidam optimus invitator non prius in domum pransorem quam praeparet epulas, introducit, sed omnem apparatum instruens domumque congruenter exornans discubitumque et mensam et cetera, tunc ad praeparatas iam delicias convocatum invitat: iuxta hunc modum dives et copiosus nostrae conditor educatorque substantiae, bonis omnibus replens habitaculum mundi huius et magnas has epulas variasque disponens [a], sic introduxit hominem, dans ei opus eximium custodire mandatum, quo non appetitu rerum non exstantium, sed praesentium possessione gauderet ». Istae tres rationes sumuntur ex exigentia constitutionis. Quia enim ex multis constabat, cum multis communicabat et multis indigebat quae illi conveniebant ex constitutione sua, conveniebat ut post multa, ex quibus constabat et cum quibus communicabat et quibus indigebat, produceretur [b] in esse.

[Ad obiecta]: Ad evidentiam eorum [c] quae obiecta sunt, sciendum quod in conditione rerum primordialium attenditur ordo naturae. Sed notandum quod natura dicitur multipliciter: uno modo, prout est in ratione efficientis, secundum quod dicitur principium motus et quietis [2] etc.; alio modo, prout est in ratione materiae vel [d] formae vel compositi. Adhuc intelligendum quod est rem considerare dupliciter: vel [e] prout est in productione in esse sive [f] in fieri vel prout est in esse completo sive in facto. Et secundum istam duplicem considerationem est attendendus ordo naturae diversus: quia prout considerantur [g] res in fieri, ordo attendendus est naturae secundum quod natura est in ratione materiae sive in ratione [h] efficientis, quia penes ista duo attenditur fieri rei, quia fieri rei est proprie per actionem agentis in materia; prout in esse, secundum quod est in ratione formae vel compositi. Ubi ergo determinatur de rebus secundum ordinem rerum secundum quod producuntur in esse, attendendus est [i] ordo naturae secundum quod natura dicitur materia. Notandum ergo quod in conditione rerum primo agitur de rebus prout habent esse indistinctum, scilicet ubi agitur de creatione caeli et terrae, quia ibi omnia quodam modo creata sunt, et hoc ante primum diem. Ut enim dicit Hugo[3]: « Operis huius materia ante primum diem creata est, quia mox cum ipsa luce coepit [k] dies ». Consequenter in operibus trium dierum praecedentium agitur de rebus secundum quod ulterius [l] habent esse, scilicet distinctum; in tribus diebus ultimis, adhuc secundum quod ulterius et magis perfectum habent esse, scilicet [m] prout ultimam sortiuntur completionem, scilicet ex eorum ornatu. Et sic [n] proceditur secundum viam naturae, prout natura materia [o] dicitur, quia proceditur a magis materiali ad minus et [a magis imperfecto ad] magis perfectum. In ordine enim causarum, prout creaturae causae dicuntur, primo est materia sive natura ut materia dicitur, secundo efficiens, tertio forma inducta per efficientem operantem circa materiam, cui immediatum sive annexum est ipsum compositum, ad quae secundum ordinem congruum sequitur finis, ut quod est ultimum et cuius gratia alia [4]. In conditione ergo rerum primo creata fuit materia [5] circa quam agens efficiens prius [p] formam induxit distinguendo rem a re et ulterius complendo per rerum distinctionem ornatum, ad quae secundum viam istam sequi debebat illa creatura propter quam aliae [q], scilicet homo. Sic ergo in conditione rerum primum attendendus est ordo naturae prout natura materia dicitur.

Si autem obiciatur quod ordo iste non videtur litterae [6] consonare, quia prima distinctio dierum est penes triplicem naturam sive tres differentias naturae, quae sunt luminosum, transparens et opacum — prima enim distinctio, scilicet diei primi, est lucis a tenebris, secunda est transparentis a transparenti, scilicet aquarum ab aquis, tertia est opaci a transparenti, id est terrae ab aquis — hic non attenditur ordo naturae secundum quod natura materia dicitur, prout ordo huiusmodi est a magis materiali ad minus sive a magis imperfecto ad magis perfectum, sed e converso, ut patet – dicendum quod ordo praedictus attenditur penes partes principales, quae distinctionem habent per opera conditionis, distinctionis et ornatus; partes autem partium alio modo ordinantur et ratione alia: quod hic determinare non est nostrae intentionis.

1. Ad id [r] quod primo obicitur, dicendum quod sicut in emanatione aeterna personae a persona prima emanatio est per maximam conformitatem, sic est in emanatione creaturarum, quia angelus sive natura angelica est de primis exeuntibus in esse a Primo, ut vult Beda[7], qui inter omnes creaturas maxime est [s] deiformis [8].

---

[a] S *dispositiones.* [b] T *produceret.* [c] Ita F (corr.), alii *horum.* [d] RL *et.* [e] Z *et.* [f] Ita F, alii *vel.* [g] V *consideratur;* L om. *quia.* [h] Ita FLZ (mg.), alii om. *m. s. i. r.* [i] V om. [k] L (corr.) *suscepit.* [l] V *interius;* Z om. *scilicet.* [m] Ita FL (interl.), alii om. [n] R *secundum.* [o] Ita F (interl.), alii om. [p] F (corr.) *primum.* [q] V *alia;* L om. *homo.* [r] Ita V, alii om. [s] Ita F (interl.), alii om.

1 *De hom. opif.*, c. 2 (PG 44, 134).
2 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 1 (II, 260).
3 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 1, c. 9 (PL 176, 193).
4 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 8 (II, 271).
5 Cf. supra, num. 248.
6 Nempe Geneseos, c. 1.
7 Cf. *Hexaëm.*, I (PL 91, 14).
8 Cf. supra, p. 142.

Quare homo non est similiter de primis, ratio tacta est [1]. — Vel potest dici quod in divinis personis summa requiritur germanitas, et [a] propter hoc requiritur quod Spiritus Sanctus, qui est tertia persona, ordine naturae procedat a Patre et Filio. Ad quod sequitur quod sit aliqua conformitas notionalis inter Patrem et Filium, quae non est inter Patrem et Spiritum Sanctum: propter quod Filius dicitur imago, non Spiritus Sanctus [2]. Huiusmodi autem germanitas non requiritur inter Creatorem et creaturas: propter quod non requiritur ordo ille in creatione, qui requiritur in emanatione personarum increatarum.

2. Per hoc patet responsio ad illud quod consequenter quaeritur de corpore, quia [b] eadem est responsio ad illud et ad quod praecedit [c].

3. Ad aliud dicendum quod ordo conditionis primi hominis sive corporis eius non attenditur secundum rationem nobilitatis, sed secundum ordinem naturae, eo modo quo dictum est [3]; et hoc maxime quoad [d] opera sex dierum, prout deducta erant in esse ex primis materialibus, quae condita erant ante primum diem.

4. Ad illud [e] quod quaeritur quare illa quatuor, quae dicit Beda, primo creata sunt: dicendum quod iuxta divinae providentiae dispositionem conveniens fuit ut in prima rerum conditione primo exirent in esse quae inter alia magis sortita sunt rationem generalem potentiae, et hoc tam in corporalibus quam in spiritualibus, activis et passivis, et mensuris actionum et passionum. In agentibus spiritualibus maxime habet potentiam agentis natura angelica; in corporalibus caelum primum; in passibilibus [f] sive passivis maximum est materia prima; in mensuris actionum et passionum maximum est tempus, secundum quod est primae mutationis mensura, quod se habet ut praecedens aevum et tempus alio modo sumptum [4]: propter quod conveniens fuit iuxta divinam ordinationem haec primo creari.

5. Ad aliud dicendum quod ordo conditionis [g] rerum non attenditur penes paritatem rerum conditarum, quia tunc conveniret vel hominem fuisse creatum cum angelo in principio vel angelum cum homine ultimo; sed, quia conditio creaturarum erat propter hominem, non propter angelum, conveniens fuit ut ordo conditionis esset secundum relationem creaturarum ad hominem, non ad angelum; propter quod conveniens fuit quod secundum diversos ordines fieret hominis et angeli conditio. Praeterea, intelligendum adhuc quod anima rationalis, ratione cuius homo parificatur quodam modo angelo, potest dupliciter considerari: ut est substantia nata subsistere per se vel ut est actus corporis. Ut autem est nata subsistere per se, sic definitur [5]: « Anima est substantia incorporea, illuminationum, quae sunt a Primo, secunda receptione receptiva »; prout est actus, sic [6]: « Anima est actus corporis physici, organici, potentia vitam habentis ». Dicendum igitur quod, licet in quantum est substantia nata per se subsistere, solum a Creatore [h] dependeat, non tamen prout actus est; sed quia, in quantum talis est [i], conditio eius est ut sit unum cum corpore tali [k], esse eius, in quantum huiusmodi, a corpore dependet et ita quodam modo a terra et aliis elementis. Nota igitur quod, sicut dicit Philosophus [7]: « Vegetativum est in sensitivo sicut trigonum in tetragono »; unde vegetativum est in sensitivo et sensitivum in intellectivo. Unde omnia, quae exiguntur ad conditionem aliorum animalium, exiguntur ad conditionem corporis humani, in quantum est formabile [l] anima rationali ut actu suo ultimo. Requiritur tamen quod illa meliorata sint et quasi sublimata, et ideo post conditionem aliorum omnium determinanda [m] erat conditio hominis et quantum ad animam, quia de ea intenditur in quantum est actus huiusmodi, et quantum ad corpus. Si de animae determinaretur conditione ut est substantia separata et non forma vel actus substantiae corporeae, inter opera prima esset eius conditio numeranda.

6. Ad illud quod sequitur, dicendum quod homo non fuit causa conditionis creaturarum quaecumque, sed causa propter quam sive [n] finalis, sicut dicit Hugo expresse in auctoritate proposita. Hoc autem genus causae, licet primo sit in intentione agentis, convenientius sequitur quantum ad esse ea quae sunt propter ipsum quam antecedit [o] [8].

7. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod alia ratione sunt materialia rerum principia 'omnia' et alia ratione homo. Principia enim materialia rerum sunt potentia 'omnia', et in eis intelliguntur ea quae sunt ex illis, sicut res intelligitur esse in suis principiis materialibus. Sed in homine non sunt 'omnia' nisi per quamdam communicationem,

---

[a] Ita F (interl.), alii om. [b] Ita F (corr.), alii *quod*. [c] Ita F (corr.), alii *procedit*. [d] Codd. *ad*. [e] R *primum*. [f] R add. *vero*. [g] V *creationis*. [h] Ita V, alii *creatione*. [i] R om. [k] Z om. [l] R *formale*. [m] Ita F, alii *determinata*. [n] Ita F (corr.) L, VSTR *fuit*, Z *fuerat*; STFRLZ *quem* pro *quam*. [o] L (corr.) *antecedebat*.

1 Cf. supra, p. 599, *Respondeo*.
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 418.
3 Cf. supra, p. 600, *ad obiecta*.
4 Cf. supra, num. 49.
5 Cf. Alfred. Anglic., *De motu cordis*, prolog., n. 1 (p. 2).
6 Aristot., *De anima*, II, c. 1 (III, 444).
7 *De anima*, II, c. 3 (III, 448).
8 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 8 (II, 570)

ut patet ex verbo Gregorii. Unde ratio proposita non est ad propositum.

8. Ad aliud quod sequitur, patet responsio, quia ordo conditionis rerum respectu hominis est naturalis eo modo quo dictum est[1]. — Ad id[a] quod obicitur quod bruta non praecedunt natura hominem: dicendum quod hoc falsum est secundum quod natura dicitur materia. Licet enim bruta non sint materia hominis, quia tamen eorum esse est maxime materiale respectu esse hominis, et omnia, quae requiruntur ad esse illorum, requiruntur ad esse hominis, et illa etiam meliorata et nobiliori[b] formae propinquiora secundum ordinem naturae, quae est materia, non inconvenienter[c] dicuntur ordinari ad hominem.

MEMBRUM II.

De loco conditionis corporis Adae.

Sequitur de loco corporis primi hominis. Quaeritur:

Primo[d], de loco conditionis;
secundo, de loco habitationis sive educationis.

CAPUT I.

461 UTRUM CORPUS ADAE FUERIT CONDITUM IN PARADISO[2].

Quaeritur ergo primo utrum conditus fuerit in paradiso.

Et videtur quod non: *a.* Dicitur enim Gen. 2, 8: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat.* Ex hoc patet quod formatus fuit et post formationem positus in paradiso, ut[e] ibi dicit Glossa[3]: « Datur intelligi non ibi fuisse hominem conditum, quia Deus praesciebat illum peccaturum et inde pellendum ad hanc terram, ubi condiderat[f] eum ». Ex hac Glossa patet quod conditus fuit in terra hac inferiori, non in paradiso.

b. Praeterea, Magister, in *Historiis*[4], dicit quod formatus fuit in agro Damasceno; ergo etc.

Sed videtur quod debuit creari in paradiso, sic: 1. Conditioni nobilioris creaturae congruit locus nobilior, sicut patet per hoc quod creaturae spirituales, scilicet angeli, creati sunt in caelo empyreo[5], corporales in terra; ergo, cum primus homo fuerit nobilior creatura brutis animalibus, debuit loco condi nobiliori; non ergo in terra hac inferiori.

2. Hoc etiam videtur per hoc quod mulier prima, quae non pervenit ad nobilitatem viri primi, condita fuit in paradiso.

3. Item, in animalibus irrationabilibus et plantis idem est locus conditionis et educationis; similiter videtur quod animalium rationalium idem debuit esse, saltem ante peccatum.

4. Nec videntur rationes, quae assignantur quare conditus fuit extra paradisum, valere, quarum una est quod Deus sciebat illum peccaturum et inde pellendum ad hanc terram[6], quia hac ratione nec angelos apostatas creasset Deus in caelo nec mulierem primam in paradiso, quia Dominus scivit illos peccaturos et de illis locis expellendos.

5. Praeterea, nec primus homo esset conditus in terra, quia in illa non fuit permansurus, sed in caelo.

6. Item, alia assignatur ratio: « ut non naturae, sed gratiae hoc[g] assignaretur ». Hanc ponit Magister, II *Sententiarum*[h], dist. 17, cap. *Hominem autem ita formatum*[7]; sed hac ratione mulier non debuit ibi creari, « ut non naturae[i] » etc.

7. Praeterea, non videtur quod vir, spirituali mente praeditus, tanta ducendus erat ignorantia, quod aliquid sola gratia sibi factum, et maxime tam evidens beneficium gratuitum, naturae adscriberet et non gratiae.

Respondeo quod, sicut dictum est[8], Adam plasmatus fuit extra paradisum in agro Damasci, ubi terra est rubra[9] et crescit quando terra

---

[a] Ita V, alii om. [b] S om. *e. n.* [c] Codd. *convenienter.* [d] Z *ergo.* [e] Ita V, alii *et.* [f] Z *considerat.* [g] T om. [h] V *in Sententiis* pro *II. S.* [i] R *naturam*, Z *natura.*

1 Cf. supra, p. 600, *ad obiecta.*
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, dub. 1 (II, 426sq.).
3 *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran.
4 Petrus Comestor, *Hist. scholastica, lib. Genesis*, c. 13 (PL 198, 1067).
5 Cf. supra, num. 101-103.
6 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 17, c. 4 (p. 385); supra, litt. *a.*
7 Loc. cit. 8 Sub litt. *a-b.*
9 Cf. Hieronym., *De nomin. hebraicis*, voce *Adam* (PL 23, 773).

subtrahitur; ad quam translatus est post peccatum, Gen. 3,23: *Emisit eum Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.* Sunt autem plures rationes quare conditus erat extra paradisum. Una est praevisio eiectionis, ut habetur in Glossa praedicta [1], quae est: « Datur intelligi » etc. — Alia est excitatio gratitudinis: nam quia volebat Dominus quod non naturae, sed gratiae adscriberetur permanentia sua in paradiso, condidit eum extra. Unde Magister, II *Sententiarum,* dist. 17 [2]: « Aperte Moyses insinuat quod homo, extra paradisum creatus, postmodum in paradiso sit positus. Quod ideo factum dicitur, quia non erat in eo permansurus vel ut non naturae, sed gratiae hoc assignaretur ». — Alia ratio est incitatio humiliationis: ne enim homo ex hoc quod universae creaturae erat praepositus, ut patet Gen. 1,26, superbiret, voluit Dominus ut ipse, considerans se de humili parte terrae factum, humilis esset in oculis propriis. — Alia est praemonstratio revocationis: quia enim Deus sic eiecit eum ut aliquando revocaret, non taliter debuit homo fieri ut omnino eiceretur extra locum suum, sicut Lucifer in signum eiectionis irrevocabilis, in nullum locum sibi proprium fuit eiectus, id est in nullam partem caeli. Et ideo alius fuit locus habitationis et alius [a] conditionis, ut eiectus de loco habitationis [b] in signum revocationis inveniret locum conditionis [c] suae. — Alia est congruentia resolutionis, scilicet corporalis: quia enim res debet resolvi in id unde facta est, et Adam merito peccati moriturus erat et in pulverem sive terram resolvendus in hac parte terrae, ideo ex hac debuit fieri. — Alia est minoratio afflictionis: novit enim Deus insitam homini affectionem [d] ad originem suam, scilicet ad locum et terram, de qua est. Unde [e] Poeta [3]:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit et immemores non sinit esse sui.

Unde si hominem primum fecisset Deus in paradiso et de limo paradisi, semper [f] haberet naturalem inclinationem ad illum locum, et ita magis affligeretur ex elongatione ab illo et illa esset ei augmentum miseriarum.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo [g] obicitur, dicendum quod [h] conditioni nobilioris creaturae congruit locus nobilior, salva dispositione divinae providentiae. Unde bene congrueret nobilior locus conditioni hominis loco conditionis animalium, nisi Deus aliter faciendo melius homini providisset et suam magis sapientiam condeceret; melius autem providit Deus homini casuro sic faciendo quam aliter, et plus suam decuit sapientiam, ut ex dictis patet [4]. Praeterea, divina providentia, omnia convenientissime faciens, operatur quandoque quae eius decent nobilitatem circa quod operatur, sicut Dominus creavit angelos in caelo empyreo, quod fuit locus maxime nobilitati angelicae conveniens [5]; quandoque quae [i] magis congruunt perfectioni nobilitatis, sicut Dominus condidit primum hominem in loco longe minus nobili paradiso, et hoc, quia ille locus magis congruebat et quasi cooperabatur perfectioni nobilitatis humanae, quae erit in patria, quia quodam modo excitabat hominem conditum ad humilitatem et ita retinebat a casu, scilicet ne moveretur ad elationem ex collato sibi dominio, ut tactum est [6]. — Si quaereretur quare non hac ratione creavit angelum extra caelum, ut sic incitaretur ad humilitatem et retineretur [k] a casu per elationem: dicendum quod angelus praeditus fuit in creatione bonis longe melioribus bonis quibus praeditus fuit homo [l] in conditione, et propter hoc plus decebat divinam bonitatem providere homini per aliqua quae erant extra hominem quam angelo per aliqua quae erant extra angelum.

2. Ad illud quod obicitur de muliere quod 'condita fuit in paradiso' etc.: dicendum quod ratio huius non fuit nobilitas mulieris, sed hoc factum est dispensatione divinae providentiae. Licet enim condita esset in paradiso, non tamen de aliquo quod erat de paradiso, quia formata fuit de costa viri; unde nihil contraxit de loco illo [m], sicut nec vir: unde ratione originis suae nulla accrevit praerogativa mulieri ex loco conditionis; unde causam habuit ex sua origine humiliationis sicut vir. — Praeterea, licet ex conditione in loco tali nulla sibi accrevit praerogativa ratione originis suae, accrevit tamen ratione loci: propter quod magis debuit excitari ad gratitudinem. Unde sicut vir ex collocatione [n] in loco illo ad inhabitandum [o] excitatus fuit ad hoc quod gratus esset Deo, similiter et mulier, et etiam ad maiorem gratitudinem ratione conditionis suae in loco eodem. Propter hoc ergo Deus condidit eam in paradiso, tamen non de paradiso, sed de viro, ut ratione eius de quo condita erat, humiliaretur, sicut et vir, et [p] ratione collocationis in paradiso excitaretur ad gratitudinem

---

[a] R om. [b] Codd. *conditionis.* [c] V om. *in... conditionis.* [d] Ita FL (correcti), alii *afflictionem.* [e] R om. *e. u.* [f] SRL (corr.) Z *sic,* quod F corr. [g] S om. [h] S om. [i] L om. [k] SF *retineret.* [l] T om. [m] V *ille..* [n] TL *collatione.* [o] V *habitandum.* [p] R om., in F est add. interl.; V *eum ubi* pro *e. v. e.*

1 Cf. supra, p. 602, sub litt. *a.*
2 Cap. 4 (p. 385).
3 Ovid., *Ex Ponto,* I, epist. 3, v. 35sq.
4 Cf. sub *Respondeo.*
5 Cf. supra, num. 101-103.
6 Cf. sub *Respondeo.*

similiter sicut et vir, ratione conditionis [a] in eodem plus quam vir; ut illa, quae non fuit praedita tantis bonis quantis fuit vir et ita minus habilis ad bonum, ex aliquibus praerogativis extrinsecus praestitis magis habilitaretur ad bonum, ut defectus ex parte naturae ex donis superadditis suppleretur.

3. Ad illud quod obicitur consequenter quod 'idem est locus conditionis et educationis aliorum' etc.: dicendum quod in hoc quod aliter fiebat homini et aliis creaturis, maxime animalibus et plantis, ostenditur differenter cura providentiae divinae de homine et de illis, scilicet quia de salute humana est sibi cura, quam non habet de aliis, iuxta illud: *Non est* [b] *Deo cura de bobus*, I Cor. 9, 9. — Quod patet, quia [c] per hoc quod hominem condidit extra paradisum, excitavit illum ad humiliationem; per hoc quod hominem conditum in paradiso collocavit, incitavit ad gratitudinem, et sic duobus modis humanae providit saluti.

4. Ad ea quae obiciuntur contra rationes assignatas, quare ita fieri congruit: dicendum quod revera, quia [d] primus homo eiciendus erat de paradiso, conveniens fuit ut ibi collocaretur tamquam advena, et non ibi [e] plasmaretur tamquam indigena; si enim esset plasmatus ibi, conveniens esset quod ex terra loci illius plasmaretur. Nec est simile de Eva, quae ex costa Adae composita fuit; unde, licet plasmata fuit in paradiso, quia non erat plasmata ex aliquo ipsius, istud non fecit eam indigenam. Nec similiter est simile de angelo, qui ex nihilo creatus erat nec ex aliquo conditus quod erat caeli empyrei. Quando autem aliquis in alieno regno vel loco delinquit, evidentiori ratione meretur eiectionem quam si in proprio, et similiter quando extraneus sive advena iustius quam indigena [f].

5. Ad illud quod obicitur consequenter quod 'nec ratione praedicta esset primus homo condendus in terra, quia in illa non fuit permansurus' [g] etc.: dicendum quod non est simile, quia [h] Glossa supra dicta et Magister, in *Sententiis*, intelliguntur de permanentia in vita mortali, non de permanentia post mortem, sub hoc sensu: non fecit Dominus primum hominem in paradiso, quia expellendus erat, non permansurus ibi in vita ista, quia [i], etsi non peccasset, transferendus erat ad locum alium [k] finito cursu vitae istius, et non semper permansurus ibi.

6. Ad illud quod obicitur de alia ratione quia 'illa non debuit Eva formari in paradiso, quia adscriberet naturae' etc.: dicendum quod non est simile, quia, ut dictum est [1], non de aliquo paradisi, sed de costa viri formata fuit; unde nihil de natura sua fuit de paradiso: propter quod nihil poterat adscribere naturae [l] ex illa conditione.

7. Ad ultimum dicendum quod, si primus homo conditus fuisset in paradiso, quia tunc fuisset conditus de terra paradisi, locus ille esset illi naturalis et ratione participationis in substantia et forte in qualitate, quia, sicut dicit Isidorus, libro *Etymologiarum* [2], perpetua erat in eo temperies et homo ille, qui [m] erat temperatae et optimae complexionis, forte aliquid temperamenti ex loci temperie contraxisset [n]. Unde, licet non sit dubium naturalia ex gratia divina dari, non tamen solent ita movere ad gratitudinem sicut illa quae illis addita sunt, et hoc quia haec attribuuntur naturae, illa gratiae. Unde, licet fuisset mente spirituali praeditus, minus esset excitatus ad gratitudinem ex beneficio praestito in conditione quam ex post addito, quia prima [o] iudicantur naturalia, alia gratuita.

462

CAPUT II.

DE LOCO HABITATIONIS PRIMORUM PARENTUM [3].

Sequitur inquirere [p] utrum paradisus erat locus conveniens habitationi primorum parentum.

I. Ad cuius manifestationem praenotandum est quid sit paradisus et situs eius [4]: situs, dico, duplex, scilicet respectu terrae, cuius est pars, et respectu caeli, a quo ambitur.

Quid autem sit tangit Damascenus [5], dicens [q]: « Quia vero ex visibili et [r] invisibili creatura conditurus erat Deus hominem secundum propriam imaginem et similitudinem sicut quemdam regem et principem omnis terrae et omnium quae sunt in ipsa, constituit ante eum velut quamdam regiam, in qua conversans beatam et omnium ditem [s] habeat vitam. Et hic iste divus paradisus, Dei manibus in Eden plantatus, gaudii et exultationis universae promptuarium: Eden enim voluptas interpretatur [6]. In Oriente quidem omni

[a] T om. [b] T om. [c] S om. [d] L *quod*. [e] L *sibi*, quod STF corr. [f] T *advena*, quod L corr. [g] V *mansurus*. [h] T add. *ex*. [i] Z om. [k] S om. [l] Ita F, alii *nisi*. [m] R om. [n] T *extraxisset*. [o] Ita F (corr.), alii *potentia*. [p] Ita V, alii om. [q] R om. [r] Z om. *v. e.* [s] Ita F, V om. *e. o. d.*, alii om. *e. o.*

1 Cf. supra, *ad 4*.
2 Lib. XIV, c. 3, n. 2 (PL 82, 496).
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 17, dub. 3 (II, 427 sq.).
4 Cf. supra, num. 312.
5 *De fide orthod.*, II, c. 11 (PG 94, 910 sqq.).
6 Cf. Hieronym., *Quaest. hebr.*, c. 2 (PL 23, 940).

terra excelsior positus, temperato vero et tenuissimo et purissimo aëre circumfulgens, plantis semper floridis comatus et bono odore plenus, lumine repletus, pulcritudinis universae et [a] aurae sensibilis superexcedens intelligentiam, divina vere [b] regio et digna eius, qui secundum imaginem erat Dei, conversatio, in quo nullum irrationalium habitabat, solus vero homo divinarum manuum plasma [c] ».

Item, Iosephus [1]: « Deus ad Orientem plantavit paradisum omni germinatione florentem, et in hunc locum introduxit Adam et eius uxorem, praecipiens eis plantationum habere sollicitudinem ».

Et Isidorus, *Etymologiarum* libro XIV, cap. 3 [d 2] ait: « Paradisus est locus in Orientis partibus constitutus, cuius vocabulum a Graeco in Latinum vertitur 'hortus'; porro hebraice Eden dicitur [e], quod in nostra lingua 'deliciae' interpretatur; quod utrumque iunctum facit 'hortum deliciarum'. Est enim omni genere ligni et pomiferarum arborum consitus, habens et lignum vitae. Non frigus ibi, non aestus, sed perpetua aëris temperies; ex [f] cuius medio fons prorumpens totum nemus irrigat, dividiturque in quatuor nascentia flumina. Cuius loci post peccatum hominis aditus interclusus est: septus est enim undique romphaea flammea, id est [g] muro igneo accinctus, ita ut eius cum caelo pene iungatur incendium ». Ex iis patet quid est paradisus, quia locus maximae amoenitatis, et de situ eius respectu terrae.

Item, Strabus [3] et Beda [4] dicunt quod hic locus « in Oriente positus, interiecto Oceano et montibus oppositis » a regionibus, quas incolunt homines, secretus et remotissimus est pertingensque altitudine « usque ad lunarem circulum; unde aquae diluvii minime illuc pervenerunt ».

II. Iis suppositis, quaeritur si paradisus fuit locus conveniens habitationi primorum parentum.

Et videtur quod sic: *a.* Ex verbo Damasceni supra dicto [5], quod est « divina regio et digna eius » etc.

b. Item, tria faciunt locum convenientissimum habitationi, scilicet abundantia bonorum, temperies et amoenitas. Abundantia bonorum [h] fuit maxima in paradiso, ut patet per Augustinum, XIV *De civitate Dei*, cap 10 [6], dicentem: « Quid timere aut dolere poterant in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec aberat quidquam quod bona voluntas adipisceret nec inerat quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet? » Temperies maxima fuit ibi, ut patet per Isidorum, *Etymologiarum* libro XIV [i 7], dicentem: « Non frigus ibi neque aestus, sed perpetua [k] aëris temperies ». Similiter amoenitas, quod patet per Damascenum [8], qui dicit quod est « pulcritudinis universae ».

Contra hoc potest obici ex positione expositorum Sacrae [l] Scripturae, Bedae et Strabi et quorumdam aliorum [9]. Una fuit de loci celsitudine, alia fuit de situ respectu circulorum caelestium.

A. Dicit autem Beda et Strabus [10] quod hic locus altitudine pertigisset « usque ad lunarem circulum ».

Circa quod dubitatur: 1. Quia, cum luna sit frigidissima effective, videtur quod ibi sit maxima intemperies frigiditatis, cuius oppositum dicit Isidorus [11].

2. Item, sub circulo solis tria sunt interstitia, quorum primum est in [m] intemperie caloris propter coniunctionem vel approximationem ad solem; secundum est in intemperie frigiditatis propter remotionem et distantiam a sole, ubi generantur nives et grandines et huiusmodi impressiones frigidae; tertium est infimum, ubi quandoque abundat calor ex reflexione radiorum, sicut quando sol approximat ad zenith nostrum, et quandoque frigus, ut quando sol elongatur. Sed constat quod locus paradisi, secundum eorum positionem, aut est in primo interstitio, et tunc est in intemperie caloris, aut in secundo, et tunc est in [n] intemperie frigiditatis, et ita ut prius.

3. Item, ignis attingit orbem lunae, ut videtur, quia luna est corpus infimum inter caelestia et suus orbis infimus [12]. Aut ergo ignis locatur in illo aut aliquod aliud corpus aut aliquid est vacuum inter ultimum corpus caeleste et supremum corpus elementi; sed constat quod non est ibi vacuum nec aliud a quinque corporibus, scilicet corpore caelesti et quatuor elementis; relinquitur ergo [o] quod ignis sit ibi; igitur amoenitas et foecunditas non potest esse ibi nec locus ille habitabilis.

---

[a] L (add. mg.) *omni forme et.* [b] V *vero*, SR *nature.* [c] TRL *phasma.* [d] Ita F, alii om. [e] V *edentur* pro *E. d.* [f] Ita L (interl.), alii om. [g] V *et* pro *i. e.* [h] R om. *temperies... bonorum.* [i] Ita F, alii add. *cap.* [k] V om. *non... perpetua.* [l] Ita V, alii om. [m] RZ om. [n] TL om. [o] T om.

[1] *Antiq. iud.*, I, c. 2 (ed. Parisiis 1845, I, p. 5). Cf. Petr. Comestor, *Hist. scholastica, lib. Genesis*, c. 17 (PL 198, 1070).
[2] Num. 2sq. (PL 82, 496).
[3] *Glossa ordin. in Gen.* 2, 8 (PL 113, 86).
[4] *Hexaëm.*, I (PL 91, 43); cf. Lombard., II *Sent.*, d. 17, c. 5 (p. 385sq.).
[5] Cf. supra, p. 605a, in principio.
[6] PL 41, 417.
[7] Cf. supra, nota 2.
[8] Cf. supra, p. 605a, in principio.
[9] Cf. Remig. Altiss., *In Gen.*, c. 2 (PL 131, 60).
[10] Cf. supra, nota 3 et 4.
[11] Cf. supra, nota 2.
[12] Cf. Aristot., *De mundo*, c. 2 (III, 628); *Meteor.*, I, c. 4 (III, 556).

4. Item, in monte Olympo, qui multo est inferior sphaera lunae, non vivitur propter puritatem aëris: aëre enim crasso vivimus et nos et animalia; unde ascendentes illum montem spongias aquosas [a] ferebant secum ad nares [1]; ergo multo magis in subtilissimo aëre paradisi non potuit vivere; erat autem Adam [b] in paradiso animalis [2], et ideo [c] crasso aëre indigebat.

5. Item, supposito quod paradisus sit ita elevatus, non erit idem [d] medium sive centrum terrae et caeli [3], quia punctus, qui aequaliter distaret a superficie paradisi et ab alia superficie terrae diametraliter opposita, non esset centrum [e] caeli, quia non aequaliter distaret ab omni parte circumferentiae caeli, sicut facit punctus qui est centrum terrae, circumscripta illa altitudine, qua dicunt paradisum elevari. Item, si tota terra perforaretur diametraliter et lapis unius cubiti descenderet per foramen, descenderet quidem usquequo medium lapidis esset ex [f] parte una centri caeli [g] et alia pars eius ex parte altera. Eadem ratione, si paradisus, scilicet pars terrae, elevaretur ad globum lunae, necesse esset terram ex omni parte, ad minus in duabus partibus diametraliter oppositis, habere consimiles elevationes ad hoc ut centrum terrae esset centrum caeli, et tunc pateret manifeste quod terra respectu caeli non esset punctus sicut nec sphaera lunae; igitur aut paradisus non tantum elevatur aut centrum terrae non est centrum caeli. Ex hoc etiam videtur sequi quod nec paradisus nec locus alius superficiem [h] terrae notabiliter excedat.

6. Item [i], si esset in tantum [k] elevatus, ut dictum est, accideret quod tardius esset dies in parte orientali et locis vicinioribus quam in occidentali et locis remotioribus: amplior enim erit distantia inter supremum paradisi et superficiem reliquae [l] terrae quam inter Oriens et Occidens. Cum ergo oritur sol in Oriente, umbra, quam proicit paradisus, extenderetur ultra terminum terrae occidentalem; unde, sole ascendente, curtabitur umbra ista paulatim in Occidente, et sic in parte occidentali [m] prius erit sol apparens et sic prius dies.

[Solutio]: Ad hoc dicunt quidam quod attingere [n] ad lunarem circulum potest intelligi duobus modis: vel secundum dimensionem localem, et sic non est verum verbum Bedae; vel secundum proprietatem sive [o] conformitatem, et sic verum est, sub hoc intellectu quod sicut circuli lunaris et ipsius lunae est status et natura incorruptionis, similiter et loci paradisi fuit proprietas immortalitatis et incorruptionis. Sed secundum hunc intellectum vere posset dici paradisum attingere ad circulum solis vel Saturni. Propter hoc aliter potest dici, sine praeiudicio, quod circulus lunaris dicitur uno modo orbis lunae, quae ultima est sphaerarum caelestium, alio modo terminus humidarum exhalationum, qui est post istum aerem turbulentum. Quia vero virtuti [p] lunae attribuitur ducatus humorum et [q] augmentum et progressus, potest dici lunaris circulus terminus vaporum humidorum ascendentium. Quod igitur dicitur [r] quod pertingit usque ad lunarem circulum, hoc est usque ad aerem quietum. Vel, ut dicunt quidam, illud verbum Bedae non habet veritatem sermonis proprii, sed potius parabolici: unde dicitur paradisus ascendere usque ad lunarem circulum, ut sic eius altitudo maxima et aliis terrae partibus quasi incomparabiliter excelsior insinuaretur.

[Ad obiecta]: 1. Et ex hoc patet quo modo ad primum sit respondendum.

2. Ad aliud [s] dicendum quod, licet in supremo interstitio propter coniunctionem et approximationem ad solem sit calor intemperatus et in medio frigus, tamen in suprema parte medii interstitii propter coniunctionem cum infima parte supremi interstitii, in qua est intemperies caloris, et puritatem aëris — in illa enim parte non est ita crassus aer sicut in partibus inferioribus illius interstitii, quia exhalationes sive vapores aquei et terrestres non ascendunt ad illam partem sicut ad partes inferiores — non fiunt in illa parte ita sensibiles impressiones neque caloris neque frigiditatis sicut in aliis partibus; unde in illa parte est aer quietus et temperatus et sine excessu caloris vel [t] frigoris.

3. Ad aliud patet responsio ex dictis, quia dicitur verbum Bedae debere intelligi eo intellectu quo circulus lunaris dicitur terminus vaporum humidorum ascendentium; vel verbo illo hyperbolico [u] eius altitudinem maximam voluit intelligi.

4. Ad aliud dicendum quod homo ante peccatum subtiliori contentus erat aëre quam nunc, sicut homines modo contenti sunt subtiliori elemento quam pisces.

5. Ad ea quae sequuntur, dicendum quod locus ille non est ita elevatus ut ad lunarem circulum pertingat, sicut supra dictum est [4]. Nec intelligendum est, ut quidam aestimant, paradisum

---

[a] VT *a quo lac.* [b] R om. [c] R *ita.* [d] Ita SF (correcti), alii *ita.* [e] V *centro.* [f] Z *a.* [g] Z om. *c. c.* [h] T *super faciem.* [i] SR *ecce quod,* quod Z corr., T om., L *quod.* [k] V *terra.* [l] Ita FL (mg.), alii om. [m] Ita S (corr. mg.), alii *orientali;* V *erat* pro *erit,* quod R corr. [n] L *contingere.* [o] T *et,* R *vel.* [p] Ita V, alii *virtute.* [q] S om. [r] V *dicit.* [s] S om. [t] Z *et,* quod L corr. [u] Codd. *hyparabolico.*

[1] Cf. supra, num. 282.
[2] Cf. supra, num. 457.
[3] Cf. Isidor., *Etymol.,* III, c. 32 (PL 82, 171).
[4] Cf. supra, in *Solutione.*

elevari super aliquam [a] partem terrae aequaliter distantem a centro terrae et conformiter aliis partibus, sed [b] ex parte una terrae erigitur magnae profunditatis ita ut vallis undique relinquatur [c], propter quod multo apparet elevatior. Praeterea, quia huiusmodi elevatio sive moles respectu magnitudinis caeli est insensibilis, quod est centrum terrae est centrum caeli: licet enim tota terra sit alicuius quantitatis respectu circulorum inferiorum, nullius iudicatur esse respectu magnitudinis caeli.

6. Ad ultimum dicendum quod, licet magna sit illius loci erectio et extensio, tamen [d] respectu totius orientalis partis et distantiae inter Orientem et Occidentem parva est et quasi insensibilis [e]; unde oriente sole, umbra, quam proiciebat paradisus, non extendebatur ultra terminum terrae occidentalem [f]. Non enim est amplior distantia inter supremum paradisi et superficiem reliquae terrae quam inter Oriens et Occidens, quia, sicut dictum est [1], illa erectio [g] secundum veritatem non [h] fuit usque ad globum lunarem; ratio enim proposita, si quid habet efficaciae, habet ex illa suppositione.

B. Item, ex probabili positione aliorum Scripturae expositorum similiter dubitatur.

Aestimant enim quod sit in sectione orientali duorum marium, scilicet Oceani et maris Mediterranei. Dicit enim Isidorus, libro *Etymologiarum* [1], XIII [i 2], quod « Oceanum Graeci et Latini ideo nominant eo quod in circuli modo ambit orbem ». Idem [3]: « Mare magnum est, quod ab Occasu ex Oceano fluit et in Meridiem vergit, deinde ad Septentrionem tendit. Quod ideo magnum appellatur quod cetera maria in comparatione illius minora sunt. Illud est etiam Mediterraneum, quia per mediam terram usque ad Orientem perfunditur ». Dicunt ergo quod paradisus sit in sectione illorum [k] marium, scilicet in angulo orientali quartae [l] habitabilis; ex quo situ ponunt quod paradisus est sub circulo aequinoctiali. Ad hoc autem potest sic persuaderi: circulus aequinoctialis dividit sphaeram in duo aequalia, qui secundum quamlibet sui partem aequaliter distat ab utroque polo; unde circulus iste dividit sphaeram in duo aequalia super eius centrum. Si ergo mare Mediterraneum transit in Orientem per mediam terram, transit sub circulo aequinoctiali in illa parte in qua transit in Orientem. Ut enim patet per Isidorum [4], licet mare magnum, quod dicitur Mediterraneum, fluens ab Oceano a parte Occasus, obliquando [m] transit per Meridiem in Septentrionem, nihilominus secando terram [n] per medium transit in Orientem, ut [o] dicit Isidorus. Unde, in [p] parte orientali secando terram, in medio terrae transit in Oceanum; medium autem terrae est sub circulo aequinoctiali; et ita patet quod angulus orientalis, iuxta sectionem praedictam, est sub circulo praedicto, et ita paradisus.

Iis autem suppositis, videtur quod locus ille non sit aptus habitationi humanae, scilicet quia locus ille est maxime intemperatus, sic: **1.** Sol bis in anno transit per zenith eorum qui habitant sub aequinoctiali, scilicet quando est in principio Arietis et in [q] principio Librae. Et tunc sunt illis duo alta solstitia, quia sol est in directo super capita eorum. Sunt iterum illis duo ima [r] solstitia, quando sol est in primis punctis Cancri et Capricornii, et dicuntur [s] ima solstitia, quia sol existens in praedictis primis [t] punctis maxime removetur a zenith capitis eorum. Unde patet ex praedictis quod, cum semper habeant aequinoctium, in anno quatuor habent solstitia, duo alta et duo ima. Patet etiam [u] quod duas habent aestates, scilicet sole existente in alterutro duorum punctorum aequinoctialium vel prope; habent et duas hiemes, scilicet sole existente in primis punctis Cancri et Capricornii vel prope. Et hoc est quod dicit Alphraganus [5], quod hiems et aestas sunt eiusdem complexionis, quia illa tempora, quae nobis sunt hiems et aestas, illis sunt duae hiemes et duae aestates. Sed regio illa, in qua solum semel in anno transit super zenith, utpote [v] quae est sub capite [x] Cancri, tam intemperata est ut fere prae calore solis [y] accedente ad eos sit inhabitabilis, sicut sunt forte partes Indiae maioris [6]. Quanti ergo fervoris erunt loca illa, in quibus sol bis in anno transit super zenith!

2. Item, habitantes sub circulo aequinoctiali habent quatuor umbras, quod non habent habitantes sub circulis [z] aliis. Cum ergo umbra obscuritati attestetur, videtur quod in illa habitabili maxime abundat obscuritas et ita lucis carentia, et ita locus ille est minoris amoenitatis et etiam utilitatis quam alia loca, quia ex descensu radiorum corporum luminosorum est amoenitas locorum et fructuositas.

3. Item, videtur quod positio Bedae de elevatione et aliorum de situ sub circulo non

---

[a] V *aliam;* RZ *supra* pro *super.* [b] Z *et.* [c] F om. *ita... relinquatur.* [d] Ita F (mg.), alii om. [e] Ita F (corr.), alii *sensibilis.* [f] Ita F (corr.), alii *orientalem;* Z om. *terminum.* [g] TL *electio;* VL add. *non fuit.* [h] VL *neque.* [i] V add. *cap.* [k] V *duorum.* [l] V *terre.* [m] Ita F (corr.), alii *aliquando.* [n] S om. [o] Z *unde.* [p] Z *ex.* [q] L om. *p. A. e. i.* [r] V *prima.* [s] L *dicunt;* VZ *una* pro *ima.* [t] S om. [u] V *autem.* [v] T *ut.* [x] SR *tropico,* quod Z corr.; F add. *tropico.* [y] T om., F *sole.* [z] Ita V, alii *singulis.*

1 Cf. supra, p. 606, *Solutio.*
2 Cap. 15, n. 1 (PL 82, 484).
3 Loc. cit., c. 16, n. 1 (PL 82, 484).
4 Loc. cit.
5 Cf. *Introd. in astronom.*, diff. 6 et 7 (ed. Ferrariae 1493).
6 Cf. Aristot., *Meteor.*, II, c. 5 (III, 587).

possunt simul stare, sic: Si locus ille esset tantae altitudinis, apud manentes ibidem quaelibet nox esset maior die et plus de anno esset ibi nox quam dies. — Quod patet, si[a] intelligamus lineam rectam transeuntem per superficiem paradisi usque ad punctos Orientis et Occidentis: maior enim erit pars caeli sub illa linea et minor supra; sed sole peragente cursum suum supra lineam, fit dies, peragente sub, fit nox; ergo etc. Hoc autem non potest stare cum illa positione quae est quod paradisus est sub circulo aequinoctiali, quia circulus aequinoctialis dicitur ratione qua est aequatio diei et noctis, quia adaequat diem artificialem nocti. Unde ex situ paradisi sub circulo aequinoctiali sequitur quod ibi omnes dies artificiales suis noctibus essent aequales et esset ibi semper aequinoctium: est enim eis semper aequinoctium quorum zenith est in aequinoctiali circulo, cuius causa est quod videre possunt utrumque polum, et ideo eorum horizon est horizon rectus, transiens scilicet per utrumque polum, circulus autem per utrumque polum transiens omnes parallelas[b] aequidistantes aequinoctiali secat in partes aequales, ita ut arcus super horizonta, qui est arcus diei, sit aequalis arcui sub horizonte[c], qui est arcus noctis.

4. Praeterea, si locus iste esset ita[d] elevatus, ut ponit Beda vel ut ponunt alii exponendo verbum Bedae, esset magis sterilis locis aliis. — Quod sic patet: Montes maxime aduruntur a sole, Eccli. 43,4: *Tripliciter montes exurit sol*[1], et[e] hoc est quia celsitudo montium plus excipit radios solis orientis et radios meridianos incidentes excipit a propinquiori, et ita secundum virtutem calefactivam maiorem, quia pyramides radiosae, quarum omnium communis basis est in sole et coni diversi in punctis diversis celsitudinis montis[f] habent conos obtusiores quam habeant pyramides, quarum coni[g] a sole terminantur ad loca humiliora et remotiora ab ipso; angulus autem pyramidis[h] radiosus quanto est obtusior, tanto est ad urendum efficacior, quia concursus oppositarum linearum in eadem pyramide directe oppositioni sive basi oppositae est vicinior. — Praeterea, omnis pyramis luminosa a singulis punctis solis[i] faciens basim in celsitudine montis plus recipit de quantitate luminis ab unoquoque puncto solis quam eadem quantitas celsitudinis reciperet a singulis punctis, si esset eiusdem celsitudinis spatium[k] maioris elongationis a sole. Adicit autem ad causam adustionis sol occidens, qui radiis suis post occasum diutius illustrat montium celsitudines, sicut scribit Philosophus, in libro *Meteororum*[2], quod cuiusdam montis[l] verticem illustrant radii solis post occasum usque ad tertiam horam noctis. Sed adustio est causa sterilitatis[m] et infoecunditatis; ergo, cum locus ille sit eminentior aliquo alio loco vel monte, videtur quod locus ille maxime uratur a sole; ergo etc. Et ex hoc etiam videtur quod locus ille fuit maxime inhabitabilis. — Si autem diceretur quod irrigatio fontis paradisi non sinit[n] ibi esse aliquam adustionem: dicitur enim Gen. 2,10, quod *fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum* – contra: cum aquae[o] fontium ex mari scaturirent, cum aqua sit ponderosa, non videtur quod possit ad loca tantae celsitudinis ascendere.

5. Item, terra inter omnia elementa est[p] foecundissima, et huius ratio est quia foecunditas et procreatio terrae nascentium et animalium causata est a luce corporis caeli cum suis luminaribus, nec aliquis alius locus extra terram et mundi medium posset esse tam conveniens generationi[q] vegetabilium et sensibilium. — Quod sic probatur: Omne corpus luminosum a quolibet sui puncto undique circa se lumen dirigit et omnium[r] linearum luminosarum ab eodem puncto luminosi[s] corporis directarum illa maioris est[t] virtutis et fortius agens operationem luminis, quae a corpore luminoso procedit ad angulos undique aequales super corporis obiecti superficiem; et quaelibet linea luminosa alia, quanto propinquior est lineae exeunti ad angulos aequales, tanto eidem in fortitudine actionis magis accedit, et quanto ab illa remotius est, tanto minoris est virtutis; omne quoque corpus luminosum sphaericum, concavum, a quolibet puncto sui dirigit unam lineam radiosam in centrum suum ad angulos aequales super superficiem evexam illius corporis sphaerici. Ad aliquod vero punctum praeter centrum signatum non possunt concurrere nisi quatuor lineae radiosae ad angulos aequales exeuntes a superficie evexa illius corporis, quarum videlicet duae lineae veniunt a punctis oppositis per diametrum sphaerae transeuntem per punctum extra centrum signatum, quae duae lineae non sunt nisi una diameter sphaerae secta in duas partes in puncto praeter[u] centrum signato, et aliae duae transeuntes diametraliter a circumferentia ad eumdem[v] punctum. — Item, ad quodlibet[x] punctum intra corpus sphaericum[y] luminosum pervenit unica linea luminosa a quolibet puncto superficiei sphaericae corporis

---

[a] R om. [b] V *parabolas.* [c] T *oriente.* [d] Z om. [e] S *ex.* [f] Ita RF (correcti), alii *montes.* [g] S add. *et.* [h] RFZ *pyramidalis.* [i] Z *solum.* [k] T add. *elusdem.* [l] V add. *virtutem.* [m] V *fertilitatis.* [n] S *fuit,* T *fluit.* [o] S *a quo.* [p] T om. [q] V *generaticum.* [r] S *omni.* [s] L om. [t] R om. [u] Ita F (corr.), alii *propter.* [v] T om. [x] VT *quemlibet.* [y] L om. *i. c. s.*

[1] Cf. R. Baco, *Op. maius,* p. IV (ed. Bridges, I, 214sqq.). | [2] Lib. I, c. 13 (III, 569), ubi loquitur de Caucaso.

luminosi. Unde in quolibet puncto intra concavum sphaerae luminosae aggregantur tot lineae luminosae quot in alio, hoc est quot sunt puncta in concava superficie corporis sphaerici luminosi. Quoad numerositatem igitur luminis quodlibet punctum intra sphaeram luminosam aequaliter habet de lumine, sed quoad fortitudinem virtutis luminis centrum recipit maxime de lumine et quodlibet punctum praeter centrum, quanto est centro propinquius, tanto recipit de virtute luminis maius, et quanto est a centro remotius, tanto recipit minus, quia in puncto propinquiori centro aggregantur plures radii minus oblique egredientes a superficie concava circumdantis luminosi, et in puncto remotiori a centro congregantur plures radii magis oblique egressi.

Ex iis patet quod, cum terra respectu [a] caeli non obtineat nisi vicem puncti, quod in terra est aggregatio maxima virtutis luminis caeli et stellarum, et ideo ipsa maxime congruit generationi et provectui vegetabilium et sensibilium. Unde si haberet terra quantitatem respectu caeli, non caperet sufficienter de virtute luminis ad generationem et provectum [b] illorum; quapropter oportuit et [c] caelum esse quantitate magnum et terram parvam [d]. Ex iis argui potest quod, cum centrum caeli maxime abundet virtute luminis, pars terrae centro propinquior erit fertilior; ideo fertiliores sunt [e] valles naturaliter montibus; unde Psalm.[1]: *Valles abundabunt [f] frumento;* ergo, si [g] paradisus est [h] a centro terrae remotissimus, erit omnibus terris minime [i] fertilis.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod locus ille, ut ex dictis patet, fuit convenientissimus ad inhabitandum.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur de vehementia intemperiei illius[2], dicendum quod causa multiplex est eius temperiei. Quarum una potest esse aequatio diei et noctis, quod accidit existentibus sub circulo aequinoctiali: noctes enim sunt naturaliter frigidae; unde ipsarum noctium succedentium diebus, quorum est naturaliter abundare calore respectu noctium earum, frigiditas non sinit calorem diei in [k] intemperiem intendi. Hoc patet exemplariter, quia [l] in aequinoctiis nostris est regulariter temperies. — Alia causa potest esse suppositio fontis humoris fonti caloris. Fons caloris est sol, fons humoris simpliciter est mare; sed in paradiso fuit fons qui irrigabat paradisum[3] et dividebatur in quatuor flumina, Gen. 2, 10: aquae enim essentialis qualitas est frigiditas [m]; unde ex fonte supposito soli in paradiso, vaporibus humidis virtute solis elevatis, erat in illo repressio intemperiei caloris. — Alia potest esse puritas aëris sive subtilitas: propter enim loci erectionem est aer purior, sicut patet de Olympo monte[4], et [n] sic minus retentivus caloris et minus incorporatur illi aëri calor solis. — Ad id igitur quod [o] obicitur quod 'regio illa, in qua semel in anno transit sol super zenith, est maxime intemperata' etc.: dicendum quod non est simile in proposito propter causas temperantiae praedictas. Praeterea, in inferioribus habitabilibus, inferioribus dico respectu paradisi, non est vehementia caloris tantum ex transitu solis super zenith capitis, in cuius transitu diriguntur radii ad angulos rectos, sed magis propter congregationem et refractionem [p] radiorum. Hic autem inferius est maior congregatio radiorum et refractio radiorum, tum propter spissitudinem aëris, tum [q] propter inaequalitatem terrae, quae valde est valliculosa: ubi [r] enim non est solis directio ad angulum rectum, sed est refractio [s] radiorum et congregatio per aliquod oblique resistens, sicut patet quando aliquis in magno aestu est iuxta murum, ex illa parte qua sol dirigit radios, ibi est vehemens aestus sive intensus, sicut patet in speculis comburentibus. Hoc minime potuit esse in paradiso propter loci planitiem et evexitatem.

2. Ad aliud dicendum quod revera existentes sub circulo aequinoctiali habent quatuor umbras, sed non propter hoc sunt in maiori carentia lucis, quia ista multiplicatio umbrarum est in diversis temporibus secundum diversam peragrationem [t] solis. Quando enim sol est in alterutro aequinoctialium punctorum, in mane iacitur umbra linealiter [u] versus Occidentem, in [v] vespere e converso [x], in meridie est eis umbra perpendicularis super caput eorum. Cum autem est sol in signis septentrionalibus, tunc iacitur umbra ipsorum versus Austrum; et quando sol est in australibus, tunc iacitur versus Septentrionem [y].

3. Ad aliud dicendum quod, licet ille locus altus sit respectu aliarum partium terrae, tamen respectu caeli non est sensibilis quantitatis, ut dictum est[5], et ideo, etsi nox excedat diem, hoc est in quantitate insensibili.

4. Ad aliud dicendum quod locus ille non exuritur aliquo modo a sole, tum propter causas supra tactas [z][6], tum propter fluvii irrigationem. Si autem non esset aliquid temperans aestum

---

[a] T om. [b] P *proventum*. [c] R om. [d] R *pronam*. [e] Z om. [f] TRLZ *abundabant*. [g] V om. [h] V om. [i] L (corr.) *maxime*. [k] Ita F (interl.), alii om. [l] R om., STLZ *quod*. [m] RL *frigiditatis*, quod TFZ corr. [n] V om. [o] Ita V, alii *quod igitur* pro *i. i. q.* [p] F (corr. mg.) *reflexionem*; T om. *propter*. [q] Z *tunc*. [r] VL (corr.) *hic*. [s] F (corr.) *reflexio*. [t] V om. [u] V *lineali et*. [v] V *et*. [x] T add *et*. [y] R *septentrionalem*. [z] Z *dictas*; F *fluminum* pro *fluvii*.

[1] Psalm. 64, 14.
[2] Cf. supra, p. 607b.
[3] Cf. supra, num. 311.
[4] Cf. supra, p. 354, sub *Respondeo*.
[5] Cf. supra, p. 607a.
[6] Cf. supra, *ad 1*.

solis, bene sequeretur quod rationibus illis concluditur, supposito quod in monte fuit congregatio radii in angulo pyramidali sicut in loco plano et non dispersio sive lubricatio radiorum propter nimiam eius evexitatem, quod multi probabiliter ponunt. Ad quod potest esse argumentum quod in montibus excelsis frigus [a] plus abundat quam in terra plana: quod patet per hoc quod nives in montibus diutius permanent quam in terra plana. Sic [b] probabiliter concluderetur illis rationibus propositum de paradiso, nisi [c] essent causae speciales aestum solis temperantes. — Ad illud quod obicitur quod 'propter aquae ponderositatem' etc.: dicendum quod multi montes spongiosi sunt: unde illorum spongiositate aquas sugendo attrahunt, unde fontes et fluvii oriuntur.

5. Ad aliud dicendum quod, quia sua elevatio a centro terrae insensibilis est respectu caeli, non dicenda est fertilitas eius sensibiliter minor fertilitate locorum aliorum ex hac causa. Praeterea, secundum elongationem eius a centro terrae sortitur situm viciniorem soli et proiectioni radiorum solarium perpendicularium super locum illum, propter quae omnia loca excedit fertilitate, aliis concurrentibus, scilicet irrigatione fluvii qui oritur in ipso, perfecta temperie et ceteris conditionibus nobis ignotis, quas divina providentia illi loco inseruit.

QUAESTIO II.

DE CORPORE MULIEBRI.

Dicto de conditionibus respicientibus corpus virile, dicendum est de conditionibus respicientibus corpus mulieris.

Primo ergo quaeritur utrum corpus mulieris formari debuerit in viri adiutorium;

secundo, quod debuerit esse materiale principium, scilicet costa vel aliud membrum;

tertio, utrum illius corporis formatio fuerit a Deo immediate an per ministerium angelicum;

quarto, de illius corporis integritate;

quinto, de illius corporis fortitudine et virtute;

sexto, de illius corporis dignitate, utrum fuerit aeque magnae nobilitatis ut corpus virile.

463

CAPUT I.

UTRUM CORPUS MULIERIS FORMARI DEBUERIT IN VIRI ADIUTORIUM [1].

Gen. [d] 2,18 scribitur: *Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et quaerit Augustinus, *Super Genesim ad litteram,* IX [2], ad quid [e] debuit habere hoc adiutorium. Et determinat quod ad procreationem filiorum, dicens: « Si quaeritur ad quam rem fieri oportuit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit quam propter filios procreandos, sicut adiutorium semini terra est ut virgultum ex utroque nascatur ». Et hoc ostendit sic [3]: Quia non oportuit sibi dari adiutorium mulieris magis quam viri propter terram excolendam nec ad tollendum fastidium nec ad convivendum vel colloquendum nec ad hoc quod unus alteri esset conformis in pace et voluntate. Et huiusmodi causis exclusis concludit quod non fuit alia causa quam procreatio filiorum. Dicit enim sic, *Super Genesim,* IX: « Si ad hoc adiutorium gignendi filios non esset facta mulier viro, ad quod ergo adiutorium facta est? Si [f] quia simul operaretur terram: nondum erat labor ut adiumento indigeret, et, si opus esset, melius adiutorium masculus fieret. Hoc et de solatio dici potest, si solitudinis fortasse taedebat [g]. Quanto enim congruentius ad convivendum et

[a] Ita FZ (in mg.), alii om. [b] Codd. *sed.* [c] S *nihil.* [d] F (corr.) *In Gen.* [e] Codd. *quod;* V *sed* pro *IX.* [f] Ita VF (corr.), alii *sed.* [g] VT *cedebat.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 20, a. 1, q. 1 (II, 478sq.); supra, num. 302 et 303.

[2] Cap. 3, n. 5 (PL 34, 395).

[3] Loc. cit., c. 5 (PL 34, 396), ubi et sequens.

colloquendum duo amici pariter quam vir et mulier habitarent! Quod si oportebat alium iubendo [a], alium obsequendo pariter vivere, ne contrariae voluntates pacem cohabitantium perturbarent, nec ad hoc retinendum ordo defuisset, quo prior unus, alter posterior, maxime si posterior ex priore crearetur sicut femina creata est. An aliquis dixerit de costa hominis Deum feminam tantum, non etiam masculum, si hoc vellet, facere potuisse? Propter quod non invenio ad quod adiutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahitur ».

Quaeritur ergo primo utrum conveniens fuit corpus mulieris formari in viri adiutorium ad prolis procreationem.

Et quod non, videtur: 1. Quia natura operatur in quantum brevius [b] potest [1], et hoc spectat ad eius nobilitatem et dignitatem; ergo, si generatio humana fieret ab uno solo principio, videlicet ab una persona, et uno sexu, natura humana dignius et perfectius esset instituta; ergo videtur quod Deus non debuerit eam condere in sexuum pluralitate.

2. Item, ratio quare omnes homines ex uno procedunt est ut invicem conglutinentur glutino dilectionis per unitatem quam habent in principio propagationis [2]; sed si ab uno solo sexu homines orirentur, magis invicem coniungerentur quam cum propagantur ex plurium sexuum concursu; ergo videtur quod magis competebat hominem fieri in sexus unitate quam in sexuum diversitate.

3. Item, nihil debuit Deus dare homini in [c] adiutorium, quod praevideret ei esse in offendiculum; sed Deus praevidit muliebrem sexum praestiturum esse viro occasionem lapsus, et ita fieri ei in scandalum; ergo minus provide videtur fecisse, cum virili sexui addidit muliebrem.

4. Item, homo in statu innocentiae debuit fieri expeditus ad hoc quod posset assurgere sursum; sed intensio amoris circa creaturam aggravat mentem ne sursum tendat; si ergo mulier, ex viro formata et in coniugium ei copulata, magis attrahebat affectum viri quam aliquid [d] aliud creatum, sicut patet ex [e] textu Geneseos [3] et ex eventu consequente, videtur quod formato viro non fuit conveniens Deum formare [f] mulierem.

5. Item, in genere animalium est aliqua species in qua non est distinctio sexus, sed sunt sexus [g] sive generis promiscui [h], ut cuniculus, lepus et huiusmodi; est et alia species in qua est distinctio huiusmodi [4]; sed illa species animalis videtur esse perfectioris in genere suo, quae sine adiutorio alterius sufficit ad productionem sui similis quam quae non sufficit: perfectum enim est [i] quod nullo indiget, ut [k] dicit Philosophus [5]; ergo, si decet genus humanum communicare cum animalibus naturae perfectioris, videtur quod decebat hominem fieri in [l] unitate sexus.

6. Item, in omni genere animalium, scilicet tam perfectorum quam imperfectorum, fit procreatio foetus sine adiutorio [m] consimilis speciei. Hoc autem [n] patet in genere animalis habitantis in triplici elemento, cuiusmodi sunt reptilia in terra, aquatilia in aqua et volatilia in aëre. Et illorum duplex genus: imperfectum et perfectum. Imperfectum [o] appellatur totalum a Philosopho [6], quod dicitur totalum, quia est totum simul propter carentiam perfectae distinctionis in sensibus vel quia totum in alis, secundum expositionem aliorum, cuiusmodi sunt apes et vespae; perfectum vero quod habet omnes sensus perfecte. De reptilibus, quae habitant in terra [p], hoc patet: cicadae enim nascuntur ex pluvia et ranae et mures de terra [7]. Unde Basilius, *Hexaëmeron*, IX [8]: « Non enim cicadas solum ex imbribus terra rigata producit vel alia plurima volatilium millia, quorum maxima pars propter sui tenuitatem vocabulis caret, sed etiam mures et ranas ex terra generari videmus; denique in Aegyptiacis Thebis si pluvias largiores aestivo tempore terra fuderit, mox infinitis muribus tota completur regio ». Similiter de aquatilibus patet. Dicit enim idem Basilius, eodem libro: « Anguillas [q] non aliter nisi de coeno nasci certissimum est, quarum genus nec ovum [r] nec aliquis alter partus instaurat, sed de limc gignendi sortiuntur originem ». De animantibus aëris vagis vel volatilibus similiter patet: apes enim nascuntur ex floribus, sicut dicunt et philosophi [9] et sancti et maxime Cassianus, in libro VII *De incarnatione Verbi contra Nestorium* [10]: « Apes sicut minima admodum, ita prudentissima ac solertissima animalia, ex diversissimis edi legimus atque exire naturis. Cum enim sint miri

---

[a] V om. *a. i.* [b] V *levius.* [c] S om. [d] L om. [e] F add. mg. *ipso.* [f] S *conformare.* [g] L om. *s. s. s.* [h] Ita V, alii *permiscui.* [i] LZ *esse;* VLZ om. *enim,* in F est add. mg. [k] Ita F (interl.), alii om. [l] Ita F (interl.), alii om. [m] V add. *id est,* T add. *scilicet.* [n] Ita F (corr.), alii *etiam.* [o] V om. *e. p. i.* [p] Ita VF (mg.), alii om. *i. t.* [q] S *angustias,* quod L corr. [r] L om. *n. o.*

1 Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, c. 5 (II, 567); *De partib. animal.*, IV, c. 6 (III, 285).
2 Cf. supra, p. 554 et num. 447-448.
3 Cap. 2, 24.
4 Cf. Aristot., *De animal. generat.*, IV, c. 1 (III, 392).
5 *Metaph.*, IX, c. 4 (II, 578).
6 Cf. *De anima*, III, c. 11 (περὶ τῶν ἀτελῶν); *De somno et vigilia*, c. 2; *De iuventute*, c. 2 (III, 473, 503, 533).
7 Cf. Isidor., *Etymol.*, XII, c. 3, n. 1 (PL 82, 440).
8 Num. 2 (PG 29, 190, PG 30, 959), ubi et sequens.
9 Cf. Theophrast., *De causis plantar.*, II, n. 17 (ed. Didot 1866, 216).
10 Lib. VII, c. 5 (PL 50, 206).

ingenii animantia et non solum sensu[a], sed etiam prudentia abundent, ex quibusdam herbarum floribus procreantur ». De animalibus etiam perfectorum sensuum habemus exemplum a Basilio in vulturibus, *Hexaëmeron,* VIII[1], dicente: « Eorum quae altius[b] volitant animalium quaedam sterilia omnino sunt, sicut vultures, quos asserunt sine coitu generare[c], praecipue cum sint longaevi: nam vitam[d] eorum centum annis manere confirmant ». Praeterea, ut habetur ab Augustino, *De civitate Dei*[2], equa gignit sine commixtione cum mare, scilicet in Cappadocia. Quare ergo oportuit viro, qui conditus fuit in maxima potestate et virtute, dari adiutorium sibi simile ad procreationem prolis?

7. Item, nihil cuius simile in specie occasionaliter deducitur in esse operatione naturae, debuit inter prima principia rerum, id est[e] inter illa opera ex quibus operatione naturae aliqua sunt in esse producta, cuiusmodi sunt de quibus habetur in operibus sex dierum, in esse produci; sed tale quid est mulier, id est occasionaliter operatione naturae producitur in esse. Unde Philosophus, libro *De animalibus*[3], dicit quod « mulier est mas occasionatus »; hoc autem dicit, quia natura intendens producere virum in esse, occasionaliter producit in esse mulierem; igitur mulier[f] non debuit produci in esse inter prima rerum principia.

8. Item, summa sapientia, creaturis optime et discretissime providens, inter creaturas existentes ad eius imaginem non debuit aliquid condere quod non ad divinam formam principaliter conformaretur, sed magis irrationabili naturae: quod enim est Dei imago sive ad eius imaginem, principalem debet habere respectum ad illud cuius est imago et[g] non ad naturam irrationabilem, cuius imaginem non gerit; sed huiusmodi est mulier. Unde Gregorius Nyssenus[4]: « Qui novit *omnia antequam fiant,* sicut Propheta[5] pronuntiat, providens atque prospiciens virtute praescientiae suae, in quae declinaret homo iuxta spontaneam voluntatem humanam motus arbitrii, quia id quod futurum erat inspexit, tribuit imagini differentiam maris et feminae, quae iam non ad divinam formam principalemque respiceret, sed irrationabili naturae propinquaret[h] ».

9. Item, ex ista auctoritate Gregorii Nysseni videtur quod mulier condita non esset in adiutorium viri nisi vir fuisset lapsus per culpam. Unde vult dicere quod, quia Deus sciebat primum hominem peccaturum, et ita merito peccati deficere a virtute in qua conditus erat, formavit Deus mulierem ut esset sibi[i] in adiutorium ad filios procreandos, et sic sexus differentia propter peccatum erat, non propter peccatum ut tunc perpetratum, sed ut perpetrandum sive praecognitum a Deo fore perpetrandum.

Contra: *a.* Cum sit generatio in plantis et in animalibus, perfectiori modo est in animalibus quam in plantis; sed quamvis in plantis non sit manifesta distinctio sexuum, in animalibus tamen est distinctio sexuum manifesta, et hoc attestatur generationi perfectiori; ergo, si homo perfectissimum est omnium animalium, videtur quod conveniens fuerit hominem fieri in distinctione sexuum.

b. Item, ad perfectionem universitatis spectat quod agentia et patientia sint distincta; si ergo ad generationem humanam necessario concurrunt agens et patiens, et hoc secundum quod competit perfectioni universi, videtur quod debeant esse distincta.

c. Item, in primo statu homo conditus erat ex duplici principio, scilicet ex spirituali et corporali, et in primo communicabat cum angelis, in secundo cum animalibus brutis[6]; sed principium spirituale hominis, quod est anima, sicut communicat cum angelis in participatione rationis, sic communicat in modo productionis et cibationis: sicut enim angelus producitur in esse per creationem et reficitur per Verbum vitae[7], sic et anima rationalis; ergo videtur quod consimiliter ex parte corporis homo habeat cum brutis cibari et generari; sed homo habebat cibari ex fructibus arborum et terrae nascentibus sicut animalia bruta; ergo debet communicare in modo generandi cum[k] animalibus brutis; sed, cum sit[l] duplex modus — est enim quidam[m] modus generandi in distinctione sexus, quidam sine — magis convenit[n] homini illa communicatio quae est per modum nobiliorem quam alia; modus autem nobilior est quo distinguitur agens a patiente quam ille quo confunduntur in eodem; ergo etc. — Quod concedimus.

[Solutio]: Ad praedictorum intelligentiam est notandum quod conveniens fuit genus humanum formari in sexuum distinctione secundum quod innuit textus Geneseos[8]. Huius autem ratio fuit litteralis, moralis, allegorica et anagogica. Litteralis quidem, quia natura desiderat perfectionem

---

[a] V *sexu.* [b] ST *alterius.* [c] V *generari.* [d] Ita V, alii *vita.* [e] V *et* pro *i. e.* [f] L *multipliciter.* [g] L om. [h] V *appropinquaret.* [i] V *vel ibi,* TL *ibi.* [k] R om. [l] S om. [m] V *duplex.* [n] SZ add. *illi,* quod F exp.

1 Num. 6 (PG 29, 179, PG 30, 954).
2 Lib. XXI, c. 5, n. 1 (PL 41, 715).
3 *De animal. generat.,* II, c. 3 (III, 352).
4 *De hom. opif.,* c. 22 (PG 44, 206).
5 Dan. 13, 42.
6 Cf. supra, num. 457 sq.
7 Cf. Ioan. 6, 69; Augustin., *In Epist. Ioan. ad Parthos,* tr. 1, n. 1 (PL 35, 1978); *Enarr. in Psalm. 77,* n. 17 (PL 36, 997).
8 Cap. 1, 27.

et refugit confusionem [1], et ideo debuit homo fieri taliter ut esset in eo perfectio ad actum propagandi, et ita in primaria hominis conditione debuit fieri agens et patiens, et haec inconfusa. Et hinc est quod mulier formata fuit a viro distincta, ne, si pluralitas sexuum in unam personam concurreret [a], confusionem faceret [b], quam refugit natura et rectum rationis iudicium, sicut videmus circa [c] hermaphroditum. — Ratio vero moralis fuit ut in hoc erudiretur homo quantum ad usum humilitatis et exercitium caritatis, videlicet ut dum vir videret se alieni sexus indigere, se ipsum humiliaret; dum etiam attenderet alium sexum suo auxilio indigere, se ipsum illi liberaliter [d] impenderet et caritative. — Ratio allegorica fuit ut in illorum sexuum distinctione et coniunctione in carnis unitatem [e] significaretur coniunctio Christi et Ecclesiae [2]. — Postremo [f] ratio fuit anagogica, ut in illa amicabili coniunctione viri et mulieris significaretur coniunctio animae et Dei. Unde Hugo [3]: « Erant duo in ipso coniugio, coniugium ipsum et coniugii [g] officium, et utrumque sacramentum erat. Coniugium constabat in consensu foederis socialis, officium coniugii constabat in copula carnis. Coniugium sacramentum fuit cuiusdam societatis spiritualis quae per dilectionem erat inter Deum et animam, in qua societate anima sponsa erat et sponsus Deus. Officium coniugii sacramentum fuit cuiusdam societatis quae futura erat per carnem assumptam inter Christum et Ecclesiam, in qua societate Christus sponsus futurus erat et sponsa Ecclesia ». Significatur ergo hac coniunctione coniunctio animae et Dei et quantum ad magnitudinem adhaerentiae et quantum ad fructus foecunditatem. Sicut enim mulier in coniunctione ad virilem sexum habet foecundari, sic bona voluntas foecundari habet dum [h] Deo adhaeret per gratiam Spiritus Sancti, quae est tamquam summularium Spiritus Sancti. Unde Hugo [4]: « In hoc officio, masculo quidem, qui superior erat, datum est quod propagandum fuisset de suo semine, feminae autem concipere et parere, ut in eadem similitudine demonstraretur quoniam in illa invisibili societate anima rationalis nullatenus fructificare posset nisi prius semen virtutis a Deo conciperet ». Ad hoc etiam [i] faciunt rationes quae supra in opponendo [5] adductae sunt.

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum in contrarium dicendum quod ' bonitati sive virtuti [k] naturae attestatur quod non facit per plura ' etc., hoc verum est, quando ita bene et ita convenienter facit brevi operatione sicut fieret prolixiore et uno operatore sicut pluribus. Sed non est ita in proposito: melius enim et convenientius producitur proles ex mare et femina quam fieret si ex mare solummodo produceretur, sicut ex dictis patet [6].

Si autem quaereretur quare Deus non fecit virum talis potestatis et virtutis ut sine adiutorio feminae posset genus humanum propagare: dici posset quod Deus sapientissime condidit res et unicuique dedit naturam quae sibi competebat; ut enim dicitur, IX [*Super*] *Genesim ad litteram* [7], « potentia Dei non est temeraria, [sed] sapiente [l] virtute omnipotens ». Et Hugo [8]: « Singulis providet ut habeat unumquodque quod sibi debetur et convenit ». Natura autem creata de sua natura, ratione qua creata est, indigens est: unde alieno eget auxilio. Homo ergo [m], ratione qua est creatura, naturam habet in [n] indigentia constitutam [o]. Unde Hugo [9]: « Homo natura egens erat alieni auxilii, quo vel salvaret quod mutabile acceperat vel augeret quod non consummatum habebat ». Divina ergo sapientia, optime providens hominis indigentiae, providit non solum de adiutorio, quo salvaret quod mutabile accepit, id est [p] bonum quod ad corporis mutabilis salutem spectat, sed quo augeret quod [q] non consummatum habebat, id est bonum quo aptus fuit ad divinam participationem in gloria. Propter hoc Deus in providendo primo homini indigenti adiutorio ad prolis procreationem providit illi modo optimo [r], ut quo illi innotescerent divina sacramenta et humiliaretur et ad amorem Dei et proximi accenderetur, ut patet in assignatione causarum quare data fuit primo viro mulier in adiutorium [10]. Praeterea [s], non decuit humanam [t] dignitatem in tali opere, scilicet propagationis humanae, confusionem agentis et patientis sustinere. Ex iis patet quod melius et decentius factum fuit cum homine, qui erat principium generationis humanae, quando datum fuit illi *adiutorium sibi simile*, quam si esset sibi datum in conditione quod ad modum [u] quorumdam irrationalium sine tali adiutorio posset prolem producere.

---

[a] Ita S, alii *concurrerent*. [b] Ita Z, alii *facerent*. [c] L *sicut*. [d] RL *liberabiliter*. [e] R *unitate*. [f] R *postrema*. [g] V add. *vinculum*. [h] V add. *homo*; S om. *habet*. [i] Ita F (mg.), alii om. [k] S om. *s. v.* [l] Codd. *sapientie* pro *s. s.* [m] L *est*. [n] SL om.; T om. *n. h. i.* [o] T *constituta*. [p] V *et* pro *i. e.* [q] STL *quid*. [r] L *pro ultimo* et om. *ad... modo*. [s] VL *prima enim*. [t] L *humani*. [u] R *quemadmodum* pro *q. a. m.*

1 Cf. Aristot., *De generat. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 465).
2 Cf. Ephes. 5, 32; supra, p. 554b, sub *Respondeo*.
3 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 8, c. 13 (PL 176, 314).
4 Loc. cit. (PL 176, 315).
5 Sub litt. *a-c*.
6 Cf. hic, in *Solutione*.
7 Cap. 17, n. 32 (PL 34, 406).
8 Loc. cit., p. 2, c. 19 (PL 176, 213).
9 Loc. cit., p. 2, c. 1 (PL 176, 205).
10 Cf. hic, in *Solutione*.

2. Ad aliud dicendum quod modus procreandi prolem per commixtionem [a] similium in specie, dummodo una persona commiscentium originem habuerit ex altera, non diminuit rationem mutuae dilectionis in prole, quia et in hoc modo propagationis sicut in alio omnes sunt ab uno, et iste modus est propagatis utilior ratione qua in hac commixtione divina percipiunt sacramenta, et convenientior [b] ratione qua confusio naturarum non admittitur.

3. Ad aliud dicendum quod divina sapientia sive providentia, quae est lex aeterna, non est eventibus temporalibus regulanda: quod fieret, si facienda non faceret neque ordinanda ordinaret nisi secundum proventus consequentes rerum conditionem. Sicut enim divina [c] voluntas non habet causam [1], sed ipsa est causa simpliciter et per se, nec iuste vult aliquid quia illud [d] futurum est iustum, sed e converso — unde Hugo [2]: « Prima rerum omnium causa voluntas est Creatoris, quam nulla praecedens causa movit, quia aeterna est, neque subsequens aliqua confirmat, quoniam ex semetipsa [e] iusta est. Neque enim idcirco iuste voluit, quia futurum iustum fuit quod voluit, sed quod [f] voluit, idcirco iustum fuit, quia ipse voluit » — similiter nec sua [g] dispositio vel providentia recta [h] est sive ordinata, quia aliquod futurum est ordinatum et rectum, sed quae bona sunt et bene facta secundum ipsam sunt talia, et quae mala secundum ipsam [i] ordinata. Unde Hugo [3]: « Secundum hanc universalem providentiam cunctorum non solum suis, quae bona fecit, sed alienis quoque, quae mala non ipse fecit, sed permisit, quod debitum est, dispensat, ut nihil in regno suo iustam ordinationem evadat ». Quod ergo summa sapientia convenienter et utiliter disposuit, scilicet mulierem dari viro in adiutorium, non debuit propter malum, occasionaliter sequens, non fieri, sed malum, si fieret, convenienter ordinari. Unde Hugo [4]: « Bona [k] dispositionem desuper [l] habent, et ut sint, quia bona sunt, et ut sic sint, quia ordinata sunt; mala vero ex dispositione superna non habent quod sunt, quia mala sunt, et tamen habent quod sic sunt, quia [m] ordinata sunt. Deus enim malum non facit, sed, cum factum est, inordinatum esse non permittit, quia malorum auctor non est, sed ordinator ». Multa enim sunt bona quae elicit divina sapientia ex malis, ut supra tactum est [5], propter quae [n] convenienter permittit ea fieri. Ut enim dicit Augustinus, XI libro *De civitate Dei*, cap. 18 [6]: « Neque Deus ullum, non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse praescisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commodaret ».

4. Ad aliud dicendum quod adiutorium illud datum viro non impediebat assurrectionem eius ad superna, quia nondum movebatur aliqua affectione amoris libidinosi, quia adhuc habebat iustitiam naturalem cum integritate naturae, sed potius promovebat, ut patet consideratis rationibus supra dictis [7], scilicet quare datum fuit illi adiutorium tale. Amor enim naturalis proximi in statu innocentiae non impediebat erectionem affectus per amorem in Deum [8]: quod patet, quia regulabatur iustitia naturali.

5. Ad aliud quod obicitur de animalibus promiscui sexus: dicendum quod ad procreationem foetus talium animalium est unum gerens vicem maris et aliud vicem feminae, verumtamen vicissim hoc faciunt: utrumque [o] enim utriusque utitur officio; quod enim uno tempore vicem gerit maris, alio vicem gerit feminae. Unde in talibus non est procreatio foetus ex uno nec modus iste procreationis perfectus est, sed imperfectus, et in natura nobili abusio esset, non usus.

6. Ad illud quod primo obicitur de triplici genere animalium quae non producuntur in esse per commixtionem maris et feminae in suo genere: dicendum quod hoc est naturae defectus in illis et imperfectionis. Ut enim dicit Philosophus [9], tunc est unumquodque perfectum, cum potest attingere propriae virtuti; tunc autem dicitur res naturae attingere propriae virtuti, sicut ibidem [p] [10] patet, quando potest facere [q] quale ipsum est. Iste igitur modus productionis naturae attestatur imperfectioni; quare homini non conveniebat. Nec dicit Basilius vulturem produci in esse sine semine consimilis in specie, sed potius quod dicit relatio est quaedam secundum assertionem aliorum. Quae [r] autem virtus collata huiusmodi avibus et aliis animalibus est a Conditore eorum, meam latet [s] insipientiam et modum propagationis in illis ignoro, sed quod generatione univoca aliquod

---

[a] S *mixtionem.* [b] Ita F (corr.), alii *convenientiori.* [c] Ita V, alii om. [d] Ita F (corr.), S *quod nec,* alii *quod illud* pro *q. i.* [e] R *se ipsa.* [f] V *quia.* [g] Ita F (corr.), alii *ipsa.* [h] S *recte.* [i] V om. *sunt... ipsam.* [k] Ita SF (corr.), alii *bonam.* [l] Ita F (corr.), alii *insuper.* [m] Ita VF, alii *quasi.* [n] S om. [o] V *uterque.* [p] V add. *dicit,* quod S exp. [q] LZ add. mg. *tale.* [r] V om., alii *quia;* V om. *autem.* [s] V *latens,* S *lateat,* TFL *latent;* VTL *in eam* pro *meam.*

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 271.
2 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 4, c. 1 (PL 176, 233).
3 Loc. cit., I, p. 2, c. 19 (PL 176, 213).
4 Loc. cit., c. 20 (PL 176, 213).
5 Cf. supra, num. 82, et *Summa theol.*, I, num. 277 et 279.
6 PL 41, 332.
7 Cf. supra, in *Solutione.*
8 Cf. supra, num. 447.
9 *Metaph.*, IV, c. 16 (II, 527); *De anima*, II, c. 4 (III, 448).
10 Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 448).

huiusmodi sine semine vel aliquo seminis virtutem habente non producatur in esse, vehementer opinor.

7. Ad aliud dicendum[a] quod quaedam est occasio quae importat vitium, sicut inordinatio vel[b] ex parte superfluitatis vel indigentiae, ut in[c] monstris, et ista non fuit in prima conditione; alia est occasio quae magis respicit proprietatem aut veritatem ex parte finis, et sic posset dici mulier occasionata, id est occasione viri facta quodam modo. Sed hoc modo ultimo[d] non loquitur Philosophus nec verbum eius veritatem habet quantum ad statum primae conditionis: natura enim muliebris aeque[e] pertinet ad veritatem naturae humanae sicut natura virilis, sicut probat Iulianus Toletanus, in libro qui dicitur *Prognostica futuri saeculi*, libro III, cap. 23[1], et introducit verbum Augustini[2] dicentis: « 'Non est vitium sexus femineus, sed natura'; corporibus enim illis in futuro vitia detrahentur et natura salvabitur ». Quod nullo modo esset, nisi[f] differentia sexus pertineret ad naturam.

8. Ad illud quod dicit Nyssenus, dici potest[g] quod mulier condita fuit ut esset viro in officium[h], habito respectu ad statum innocentiae, et ut esset illi in remedium, habito respectu ad statum lapsus. Et hoc videntur insinuare verba eius in quibus dicitur: « Quia[i] id, quod futurum erat, inspexit, tribuit imagini differentiam maris et feminae, quae iam non ad divinam formam principalemque respiceret, sed irrationabili[k] naturae propinquare videretur ». In statu enim lapsus irrationabili naturae videbantur appropinquare, quia tunc insurgebant in eis motus brutales et inordinati, nec poterant ad invicem carnaliter commisceri sine libidine et voluptate inordinata, in qua factus est homo totus caro ad modum bruti. Si autem stetissent in innocentia in qua conditi erant, non esset sic. Unde Hugo[3]: « Ante[l] peccatum institutum fuit coniugium et coniugii officium, utrumque ad sacramentum; ut coniugium[m] quidem sanctificaretur[n] pura mentis dilectione, officium quoque coniugii impleretur sine carnis pollutione. Nunc vero, quia per peccatum hominis caro humana corrupta est, iam post peccatum carnis commixtio sine carnali concupiscentia fieri non potest ».

9. Sed, quia videtur esse opinio Graecorum, scilicet Gregorii Nysseni et Ioannis Damasceni, quod non fuisset condita mulier nisi Dominus praevidisset lapsum humanum — dicit enim Damascenus, II[4]: « Sciens praecognitor Deus quod in transgressione fieret et sub corruptione caderet, fecit ex ipso feminam auxiliatricem ipsi secundum ipsum: auxiliatricem autem ad eam quae per genesim, id est[o] per generationem, post transgressionem generis[p] ex successione consistentiam » — propter hoc aliter respondendum[q]. Si enim dictum Nysseni cum praecisione intelligatur et causam importet sub hoc sensu: 'si non peccasset primus parens vel non esset peccaturus, non sequeretur mulieris formatio', ut quasi peccatum praescitum futurum esse causa fuerit formationis corporis muliebris: hoc nullo modo est concedendum, sed est contra catholicos et latinos expositores[5], et maxime contra Augustinum, XIV libro *De civitate Dei*[r], cap. 21[6], dicentem: « Illa benedictio nuptiarum, ut coniugata crescerent et multiplicarentur et implerent[s] terram[7], quamvis et in delinquentibus permanserit, tamen antequam deliquerint data est, ut cognosceretur procreationem filiorum ad gloriam connubii, non ad poenam pertinere peccati ». Et sic patet quod neque coniugium neque filiorum procreatio ex viro et muliere respicit tantum primam culpam. Aliter ergo intelligendum est verbum Nysseni et Damasceni.

Ad quod nota[t]: Primus homo conditus erat ut participaret divinum esse; unde intentio naturae in illo fuit perpetuatio esse talis, id est esse rei rationalis. Non autem in hoc stabat intentio Conditoris, sed intendebat ut ex eo fieret propagatio humana et multiplicatio numeri electorum beatificandorum in participatione Dei in gloria sive deiformitatis. Nyssenus ergo et Damascenus referentes considerationem ad primum finem, scilicet finem intentum a natura, quia primus homo conditus fuit immortalis, si non peccasset — unde poterat assequi finem illum, scilicet perpetuitatem esse sine commixtione sive coniunctione cum muliere — ponunt quod non oportuit sibi dari adiutorium mulieris nisi fuisset casus in culpam. Unde non est dicendum quod ipsi crederent mulierem non debere dari viro in adiutorium nisi peccasset, sed quod non oportuit propter primum

---

[a] V add. *est*. [b] S *et*, quod FZ corr. [c] FLZ add. mg. *peccatis et*. [d] S *ultro*. [e] Ita F (corr.), alii *que*; T *mulieris* pro *muliebris*. [f] R om., in FL est add. mg.; SZ *si*, quod L corr. [g] ST add. *dicit*; R *dicit* pro *d. p.*, quod L corr. [h] R add. *ut*. [i] Ita F (corr.), alii *quod*. [k] VT *irrationali*. [l] V *quando*. [m] Ita L (corr.), alii add. *et*. [n] S *sanctificaret*. [o] STRZ *ibi* pro *i. e.*, quod L corr. [p] L om. [q] Ita VFL, alii *respondit*, quod FL corr. [r] F om. [s] V *replerent*. [t] R add. *quod*.

1 Cap. 24 (PL 96, 507).
2 *De civit. Dei*, XXII, c. 17 (PL 41, 778).
3 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 8, c. 13 (PL 176, 316).
4 *De fide orthod.*, II, c. 30 (PG 94, 975).
5 Cf. Raban., *In Gen.*, I, c. 14 (PL 107, 485). Contrarium tenet Ioan. Scotus Eriugena, *De divisione naturae*, IV, n. 23 (PL 122, 846); cf. Anselm. Laudun., *Sententiae divinae paginae* (ed. Bliemetzrieder, *Beiträge... Baeumker*, XVIII, fasc. 2-3, p. 22sqq.).
6 PL 41, 428.
7 Cf. Gen. 1, 28.

finem; si autem non peccasset, debuit sibi dari in adiutorium ad procreationem sive multiplicationem numeri electorum. Unde si quaereretur [a] utrum Nyssenus et Damascenus ponebant mulierem non debere formari sive creari in adiutorium viri nisi causa vel occasione peccati: potest dici quod non, sed quod ponebant non oportere illam dari viro in adiutorium propter esse sui perpetuationem nisi peccasset, oportuit tamen propter multiplicationem numeri electorum. Unde dicentes quod Deus praevidens transgressionem futuram, sic [b] mulierem etc., non dicunt totam causam conditionis eius neque praecisam, ut dictum est [1].

464

CAPUT II.

UTRUM COSTA VEL ALIUD MEMBRUM FUERIT MATERIALE PRINCIPIUM EVAE [2].

Sequitur de materiali principio ipsius Evae. Quaeritur ergo [c]: quod fuit materiale principium illius, utrum costa vel membrum aliud?

Quod costa, videtur: *a.* Gen. 2, 22: *Aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat* [d] *de Adam, in mulierem.*

b. Item, mulier formata fuit ut esset viro in obsequium sociale sive paritatis: hoc significatur Gen. 3, 12, ubi dicitur: *Mulier quam dedisti mihi in sociam* [e] etc. Ergo debuit fieri ex illo membro quo maxime paritas exprimitur utriusque sexus; sed tale membrum est latus sive costa; ergo etc.

Contra: 1. Omnis sapiens operator, etsi [f] producit rem aliquam de aliquo materiali principio, illud praeeligit quod magis est habile ad illius formae susceptionem; sed humor seminalis, qui [g] erat in corpore viri, habilior erat ad susceptionem formae novi corporis quam costa; ergo etc.

2. Item, mulier formata est de corpore viri, ut sicut illorum magna fuit unio ex parte corporum, sic esset magna ex parte animorum, quae est unio dilectionis, ut scilicet ille diligeret eam tamquam partem sui et illa illum tamquam sui principium; ergo debuit formari illo modo de illo quo magis ipsi coniungerentur, primo carne et consequenter animo; sed si de omnibus membris eius esset formata, magis esset illi colligata unione corporis; ergo [h] etc.

3. Item, si haec formatio sic fiebat ut maior esset inter eos colligatio amoris, debebat ita fieri ut nullo modo esset provocatio odii vel occasio; ergo debebat ita fieri ut nullum posset oriri dispendium ipsi viro ex hac formatione; ergo non debebat fieri ex aliquo membro integro, cuius subtractione passus fuisset dispendium vel incurrisset infirmitatem; sed dicit Glossa Augustini [3] super illud Gen. 2, 20: *Adam non inveniebatur adiutorium:* « Mulier facta est de latere viri, quae per ipsum firma facta est, quia ex osse eius; ille propter ipsam infirmus, quia non costa, sed caro suppleta ». Ergo non debuit illa formatio ex aliquo uno membro fieri, cuius carentia vel subtractione damnificaretur ipse vir, sed ex multis vel omnibus per subtractionem alicuius partis quasi insensibilis, ita quod in nullo passus esset dispendium sensibile.

4. Item, mulier condita fuit ut esset viro in *sociam,* ut patet Gen. 3, 12; ergo debuit ex illis membris formari, in quibus maxima monstraretur aequalitas; sed magis esset monstrata eorum aequalitas, si de omnibus membris esset sumpta; ergo etc.

5. Item, multiplex reperitur formationis modus in genere humano, scilicet quadruplex, sicut monstrat Anselmus [4], ut supra tactum est; sed in quolibet aliorum trium corpus formatum fuit in quadam integritate et perfectione respectu materialis principii: nam corpus Adae ex omnibus elementis, corpus Filii Dei ex humore seminario, quod habet respectum ad omnia membra Virginis, ex quibus operatione Spiritus Sancti erant collecti purissimi sanguines ex quibus erat corpus eius; pari ratione corpus mulieris debuit formari de viro ita ut aliquid haberet de singulis membris viri.

6. Item, non videtur quod corpus mulieris formatum sit de corpore viri. Dicit enim Isidorus [5]: « Adam et Eva conditi sunt simul ». Ergo neutrum ex neutro formatum.

7. Item, si facta fuit ex costa, utrum ex osse tantum aut ex osse cum carne.

8. Item, si facta fuit ex costa viri, quare non supplevit Deus aliam costam pro illa, sed carnem, ut sic in nullo damnificaretur ex formatione mulieris?

---

[a] S *sequeretur* pro *s. q.* [b] Codd. *sicut.* [c] V om. [d] L om. [e] L om. *i. s.* [f] T *et.* [g] Ita F (corr.), alii *quod.* [h] V om.

[1] Cf. supra, p. 615b.

[2] Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 18, c. 2 (p. 388); S. Bonav., II *Sent.*, d. 18, a. 1, q. 1 (II, 431 sqq.); supra, num. 227, 315-317.

[3] Cf. *De Gen. ad litt.*, IX, c. 15 (PL 34, 403), ap. Lyran., in h. l.

[4] *Cur Deus homo,* II, c. 8 (PL 158, 406); cf. supra, p. 554a.

[5] *Sent.*, I, c. 11, n. 4 (PL 83, 560).

Respondeo: Dicendum quod, sicut in praecedentibus habitum est [1], multis de causis mulier debuit formari de viro, quia omnes homines debuerunt esse ex uno, congruitate multiplici exigente. Nec tantum corpus mulieris decens fuit formari ex viro, sed etiam ex costa. Et potest multiplex ratio huius [a] congruentiae assignari: prima attenditur secundum exigentiam identitatis viri; secunda secundum exigentiam significationis sive praefigurationis; tertia attenditur secundum officium paritatis; quarta ratio secundum exigentiam socialis dilectionis.

Prima ratio sive congruentia patet sic: Si aliquod membrum debuit detrahi ad formandum mulierem, illud potissime fuit idoneum in cuius subtractione mutilatio non praeberet deformitatem [b] nec ablatio damnificationem; hoc autem fuit costa inter omnia membra organica: detractio enim costae nullam attulit deformitatem [c], quia costa fuit de membris occultis. Nec aliquod attulit damnum. Dicit enim [d] Cassiodorus [2]: « Costae viginti quatuor radiis pro viscerum defensione flectuntur, ne teneritudo illa intraneorum importuna iniuria facillime laederetur ». Et constat quod ita efficax reperitur ista causa in uno latere sicut in alio. — Alia fuit congruentia praefigurationis sive significationis. Modus enim formandi mulierem fuit ordinatus ad instructionem nostram. Nam sicut debuerat mulier fieri, ut sua coniunctione cum viro significaret coniunctionem Christi cum Ecclesia, sic et formari, ut sua formatione significaretur formatio Ecclesiae de Christo. Unde ad Eph. 5, 31-32: *Et erunt duo in carne una* [3]; *sacramentum hoc magnum in Christo et Ecclesia;* Glossa Augustini [4]: « Dormit Adam ut fiat Eva, moritur Christus ut fiat Ecclesia; dormiente Adam [e] fit Eva de latere; mortuo Christo lancea [f] percutitur latus, ut profluant sacramenta, quibus formetur [g] Ecclesia ». Et Rom. 5, 14: *Qui est forma futuri,* ibi Glossa Chrysostomi [5]: « Sicut ille est pater omnium secundum carnem, sic Christus pater est omnium secundum fidem [h]; et sicut ex latere illius dormientis assumpta est costa, unde [i] formata est [k] Eva, sic ex istius [l] latere profluxerunt sacramenta, scilicet aqua ablutionis et sanguis redemptionis, per quae salvatur Ecclesia ». — Tertia ratio fuit officium paritatis in procreatione prolis; officium autem illud medium tenet inter illos qui vacant huiusmodi operi. Quia ergo hoc officium, scilicet generationis, est officium paritatis et aequalitatis, mulier, quae formata fuit ad hoc officium exequendum, de loco paritatis debuit formari, scilicet de latere sive de costa, hoc est de loco qui [m] medium tenet inter supremum in corpore et infimum. De paritate maris et feminae in hoc opere habetur I Cor. 7, 4: *Similiter et vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier;* ibi Glossa [6]: « In hoc pares sunt vir et mulier ». Et in eodem [7]: *Similiter et uxor viro;* ibi Glossa [8]: « Invicem sibi subici [n] in hac causa dicit, ut una sit eorum voluntas in lege naturae », id est in prolis procreatione sive commixtione in opere carnis, quod fieri debet secundum legem naturae. — Quarta autem ratio est coniunctio sive [o] unio dilectionis. Unde Hugo [9], et idem habetur a Magistro, II *Sententiarum* [10]: « Facta est de latere viri, ut ostenderetur quia in consortium creabatur [p] dilectionis ». De utroque, scilicet officio paritatis et consortio dilectionis, potest intelligi illud quod dicit Augustinus, libro *De bono coniugali* [11], in principio; dicit enim: « Quoniam unusquisque homo humani generis pars est et sociale quiddam est humana natura magnumque habet et naturale bonum vim quoque amicitiae, ob hoc ex [q] uno Deus voluit omnes homines condere, ut in sua societate, non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. Prima itaque naturalis humanae societatis copula vir et uxor est, quos nec ipsos singulos condidit Deus et tamquam alienigenas coniunxit, sed alteram [r] creavit ex altero, significans etiam vim coniunctionis in latere, unde [s] et illa detracta formata est: lateribus enim sibi iunguntur qui pariter ambulant et pariter quo ambulant [t] intuentur ».

Si autem obiceretur contra hoc quod dictum est, scilicet quod ad insinuationem paritatis inter virum et mulierem facta fuit mulier de latere viri, per hoc quod dicitur I Cor. 11, 3: *Caput mulieris vir,* ibi dicit Glossa [12]: « Quia ex eius costa, Dei virtute, formata est, et ideo debet subici viro, de quo facta est »; et ad Ephes. 5, 23:

---

[a] V *huiusmodi.* [b] R *deiformitatem,* quod FLZ corr. [c] VRZ *deiformitatem,* quod F corr. [d] F (corr.) *ut enim dicit* pro *d. e.* [e] F *Ade.* [f] S *lanceam.* [g] VR *formatur.* [h] RZ *fide* pro *s. f.,* quod F corr.; Z om. *est;* VTL *sic* pro *sicut.* [i] SRZ *de qua,* quod FZ corr. [k] VL *facta* pro *f. e.,* F *facta* pro *formata;* R om. *Eva;* T om. *est.* [l] VT *illius.* [m] SFRLZ *quod.* [n] Codd. *subiecti.* [o] S *scilicet.* [p] S *credatur.* [q] Z *quod.* [r] V *alterum.* [s] L om. [t] V *ambulent.*

1 Cf. supra, num. 463.
2 *De anima,* c. 9 (PL 70, 1297).
3 Gen. 2, 24.
4 *Enarr. in Psalm. 126,* n. 7 et *in Psalm. 127,* n. 11 (PL 37, 1672, 1684); ap. Lombard., in h. l. (PL 192, 216).
5 Cf. *In Epist. ad Rom.,* hom. 10 (PG 60, 474sq.); ap. Lombard., in h. l. (PL 191, 1588).
6 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1392).
7 Cap. 7, 3.
8 Lombardi, loc. cit.
9 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 6, c. 35 (PL 176, 284).
10 Dist. 18, c. 2 (p. 388).
11 Cap. 1 (PL 40, 374).
12 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1629).

Vir[a] *caput est mulieris,* Glossa[1] ibi: « Rector et auctor a quo mulier sumpsit initium » – ad hoc potest dici quod mulier fuit indicta duplici subiectioni, scilicet reverentiae — et hoc quantum ad statum innocentiae et quantum ad statum[b] culpae; et hoc insinuatum fuit in formatione mulieris de parte viri: licet enim mulier condita esset ut aliquo modo par esset viro, tamen[c] penes virum residebat auctoritas regiminis respectu mulieris, sicut viri est regere partes corporis sui; et hoc insinuatur in Glossa quadam Augustini mystica super illud Gen. 2,18: *Facta est mulier in adiutorium viri;* quae Glossa sumitur II libro *Contra Manichaeum*[2], et in eadem dicitur: « Vocavit Adam uxorem suam tamquam potior inferiorem[d]: et dixit[3]: *Hoc nunc os ex ossibus meis*[e] » etc. — et subiectioni servitutis, et hoc quantum ad statum culpae, et hoc significatum est Gen. 3,16, ubi dicitur: *Sub viri potestate eris.* De hac subiectione, ad Eph. 5,22[f]: *Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino;* Glossa[4] ibi: « In ea simplicitate, qua Domino subditae sunt, sicut Sara subdita erat viro, quae dominum vocabat Abraham », I Petri 3,6. Haec autem subiectio sive[g] servitus debet intelligi, ut mihi videtur, de subiectione obedientiae. In quibus autem tenetur uxor subdita esse viro sive obedire, habet quaestionem et ad minus, ut aestimo, in iis quae ad bonum spectant matrimonii. In[h] formatione autem mulieris de parte viri[i] quae situm habet in medio corporis, insinuatur illam habere aliquam paritatem cum viro, ut quantum ad ea quae dicta sunt. Unde haec bene compossibilia sunt[k]: mulierem conditam fuisse ut subesset illi quantum ad aliqua — et hoc significatum est ex hoc quod ex parte aliqua illius formata est et maxime ex hoc quod ex parte inferiori, non suprema — et ut esset par quantum ad aliqua, et hoc significatum est per hoc quod fuit formata ex parte quae locum sive situm habet in medio illius, scilicet de costa.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum obiectum in contrarium, dicendum quod omnia sunt apud Omnipotentem eiusdem facilitatis: eadem enim facilitate producit aliquid in esse ex principio materiali habili ad formam rei producendae in esse et ex non habili, ex nihilo et ex[l] aliquo. Propter quod in productione rei in esse ex principio[m] materiali eius omnipotentia non est attendendus ordo habilitatis sive dispositionis ad formam inducendam, sed potius exigentia congruentiae vel utilitatis.

2. Ad aliud dicendum quod non fuit formata de latere propter unionem dilectionis ut[n] totam causam sive praecisam, sed propter alia iam dicta[5] et etiam propter alia quae tangit Magister, II *Sententiarum*[6], et Hugo, libro *De sacramentis*[7], dicens: « Facta est de latere viri ut ostenderetur quia in consortium creabatur dilectionis, ne forte, si fuisset facta de capite, praeferenda videretur viro ad dominationem aut, si de pedibus, subicienda ad servitutem[o]. Quia igitur viro nec domina nec ancilla parabatur[p], sed socia, nec de capite nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda, ut iuxta se ponendam[q] cognosceret quam de iuxta[r] se sumptam didicisset ».

3. Ad aliud dicendum quod in nullo damnificatus est primus homo ex[s] formatione illa. — Ad Glossam supra dictam quae est quod « ille propter illam infirmus, quia non costa, sed caro[t] est suppleta »: dicendum quod Glossa illa intelligitur de futura infirmitate, sub hoc sensu: propter ipsam sive per ipsam infirmandus[u] erat. Unde verbo illo exprimitur causa infirmitatis tunc habita, sub hoc sensu: « propter ipsam infirmus », id est habuit causam infirmitatis. Affectio enim amoris, qua movebatur erga eam, licet non esset inordinata tunc, causa fuit illi[v] infirmitatis subsecutae: quia enim noluit contristari suas delicias, ut dicit Augustinus[8], consensit illi in actum prohibitum; unde peccavit et infirmus effectus est. Non ergo intelligitur illa Glossa de infirmitate aliqua corporali quam incurrit ex subtractione costae. — Si obiciatur contra[x] hoc quia ex ipsa Glossa videtur quod intelligatur de infirmitate corporali, quia in Glossa subditur « quia non costa, sed caro suppleta est[y] »: dicendum quod hoc dicitur significative, non causative, id est suppletio carnis, non costae, signum fuit infirmationis, non confirmationis[z] sive virtutis. De hoc infra habebitur fortasse[9].

4. Ad illud quod sequitur, patet responsio, quia, ut dictum est[10], socialis coniunctio non fuit solum causa formationis mulieris ex costa, sed

---

[a] R *vij,* quod F corr. [b] S om. *innocentiae... statum.* [c] T *cum.* [d] V *infirmiorem.* [e] STFRL om. [f] L add. mg. *dicitur;* F *subiecto* pro *subiectione.* [g] S *non fuit,* TRL (corr.) Z *fuit.* [h] V om. [i] Ita V, alii om. [k] T om., in L est add. mg. [l] SL repet. [m] V om. [n] V add. *propter.* [o] R om. *a. s.* [p] V *putabatur.* [q] Codd. *ponenda.* [r] Ita F (mg.), alii om. [s] T *in.* [t] Codd. *carne.* [u] TRZ *informandus,* quod F corr.; R om. *s. p. i.* [v] R *illius.* [x] S *et.* [y] V om. [z] V om. *n. c.*

1 Lombardi, in h. l. (PL 192, 213).
2 Cf. c. 13, n. 18 (PL 34, 206), ap. Lyran., *In Gen.,* 2, 20.
3 Gen. 2, 23.
4 Lombardi, in h. l. (PL 192, 213).
5 Cf. supra, in *Solutione* et num. 876, I.
6 Dist. 18, c. 2 (p. 388).
7 Lib. I, p. 6, c. 35 (PL 176, 284).
8 Cf. *De Gen. ad litt.,* XI, c. 42, n. 59 (PL 34, 453).
9 Auctor de hoc infra diffuse non tractat; cf. infra, *ad 7.*
10 Cf. supra, *ad 2.*

aliae rationes praetactae hic et illa quae tacta est ab Hugone et Magistro, in *Sententiis* [1].

5. Ad illud quod sequitur, dicendum quod alia fuit ratio compositionis mulieris ex viro et compositionis Adae ex elementis et corporis Christi ex Virgine. Sicut enim patet ex dictis [2], multiplex est ratio quare congruebat quod fieret ex parte corporis et ex parte tali, cuius consimilem [a] non est assignare de formatione corporis primi hominis de limo, in quo erant elementa quatuor [3], et corporis Christi de sanguinibus corporis B. Virginis.

6. Ad illud [b] quod sequitur, dicendum quod verbum Isidori debet intelligi sicut illud verbum Iob 40, 10: *Ecce Behemoth, quem feci tecum,* ubi quod dico '*tecum*' non est nota simultatis in tempore, sed similitudinis in ratione; unde sensus est: *Quem feci tecum,* id est tibi similem in ratione. Unde Gregorius, in *Moralibus* [4]: « Si rerum causas subtili discussione pulsamus, simul factum angelum hominemque cognoscimus, simul videlicet, non unitate temporis, sed [c] cognatione [d] rationis, simul per [e] acceptam imaginem sapientiae et non simul per coniunctam substantiam formae, ut dum homo eum, qui in ratione secum factus est, periisse considerat, vicinum sibi casum superbiae ex ipsa propinqui sui perditione pertimescat ». Ecce vocat diabolum propinquum hominis propter rationabilitatis similitudinem, et hoc est quod dicit: « simul in cognatione rationis ». Similiter dicendum est in proposito quod Eva et Adam dicuntur simul conditi, non [f] unitate temporis, sed cognatione rationis [5]. — Vel aliter posset dici quod dicuntur simul conditi, scilicet in quadam simultate ordinis ad idem. Sicut enim vir est ordinatus ad summum bonum [g] ut participet summum bonum [h] in quadam deiformitate, similiter et mulier. Et hoc videtur Isidorus [6] velle, determinans quo modo 'simul', dicens quod simul sunt conditi rationis ordine, non temporis unitate; et dicitur ordo rationis, quando [i] res rationalis ad summum bonum ordinatur. Vel [k] simul dicuntur conditi rationibus seminalibus, secundum quod dicit Augustinus [7] illa fuisse creata simul cum aliis creaturis, iuxta illud: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul,* Eccli. 18, 1.

7. Ad illud quod quaeritur [l] 'utrum formata erat de costa cum carne' etc.: dicendum quod de costa cum carne, non ex osse tantum; et hoc patet Gen. 2, 23, ex verbis Adae, dicentis: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea* [m]. — Ad aliud potest dici quod secundum quosdam [8] pro costa in latere viri Dominus [n] replevit locum costae carne ad litteram, sicut dicitur Gen. 2, 21. Unde dicunt quod mulier in dextera parte abundat in una costa respectu viri. Alii dicunt quod Dominus pro illa costa supplevit aliam et [o] quod caro ponitur hic pro costa ut significetur [p] affectio viri ad mulierem de se formatam et inclinatio amoris carnalis. Et hoc insinuat hoc nomen 'mulier': dicitur enim mulier molliens herum [q] [9]. Mihi videtur, sine praeiudicio, dicendum quod, sicut dicit textus Gen. 2, 21, quod Dominus replevit carne pro costa, non costa alia. Et hoc dicit Glossa [10] Augustini super [r] Gen. 2, 20: *Adam non inveniebatur adiutorium simile sibi,* et sumptum est a IX *Super Genesim ad litteram* [11]; dicitur enim ibi: « Ille propter ipsam infirmus factus est, quia non costa, sed caro [s] suppleta est ».

8. Ad illud quod quaeritur 'quare non restituit Dominus illi aliam costam': potest dici quod non est sibi alia restituta, ut gereret [t] signum et memoriale formationis ex se, et sic plus eam diligeret ut partem sui, et ipsa magis illi fieret obnoxia ut sui principio et quasi in membro damnificato [u] propter ipsam [12].

CAPUT III. 465

UTRUM FORMATIO CORPORIS EVAE FUERIT IMMEDIATE A DEO [13].

Sequitur inquirere utrum illius corporis formatio fuerit a Deo immediate an per ministerium angelicum. Et haec est quaestio Augustini, IX *Super Genesim ad litteram* [14].

---

[a] S *assimilem.* [b] L *aliud.* [c] L add. *in.* [d] Codd. *cognitione,* item infra. [e] Ita F add. interl., alii om. [f] R *in.* [g] F add. interl. *scilicet.* [h] R om. *u. p. s. b.* [i] R *quare;* T om *res.* [k] Ita F (corr.), alii *ut.* [l] F *dicitur.* [m] Ita V, alii *ex carne* pro *d. c. m.* [n] Z *dicens.* [o] STL om. [p] FL add. mg. *naturalis.* [q] S *heram,* R *virum.* [r] F add. interl. *illud.* [s] Codd. *carne.* [t] R *generet.* [u] V add. *per.*

1 Cf. supra, in *Solutione* et *ad 2.*
2 Cf. supra, in *Solutione.*
3 Cf. supra, num. **434.**
4 Lib. XXXII, c. 23, n. 48 (PL 76, 664); cf. supra, p. 123b.
5 Cf. supra, num. **260** et **459, II.**
6 Cf. *Sent.,* I, c. 11, n. 4 (PL 83, 560).
7 Cf. supra, num. **224.**
8 Cf. infra, nota 11; Beda, *Hexaëm.,* I (PL 91, 51).
9 Cf. Isidor., *Etymol.,* XI, c. 2, n. 18 (PL 82, 417).
10 *Ordin.,* in h. l., ap. Lyran.
11 Cap. 18, n. 34 (PL 34, 407).
12 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 18, a. 1, q. 1, *ad 7-9* (II, 434).
13 Cf. supra, num. **316, IV** et **428-429**; S. Bonav., II *Sent.,* d. 18, dub. (II, 454).
14 Cap. 15, n. 26 (PL 34, 403).

Quod immediate a Deo, videtur *a.* ex textu Gen. 2, 22: *Aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.*

b. Item, Augustinus, IX *Super Genesim ad litteram*[1]: « Natura mulieris creata est, quamvis ex virili quae iam erat; angeli autem nullam omnino possunt creare naturam[a] ».

c. Item, Augustinus, IX *Super Genesim ad litteram:* « Formare vel aedificare costam ut mulier esset, usque adeo non potuit nisi[b] Deus, a quo universa natura subsistit[c], ut ne illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod[d] in illius costae successit locum, ab angelis factum esse crediderim, sicut nec ipsum hominem de terrae pulvere ».

Contra: 1. Nihil occasionatum sive occasione productum in esse est[e] a Deo; sed mulier est mas occasionatus, ut dicit Philosophus[2], et ita prima mulier non fuit immediate formata a Deo de costa neque a natura; ergo mediante ministerio angelico.

2. Item, nullum corporale, quod habet principium praecedens simile in specie, producitur a Deo immediate in esse ut a tota causa, quia multiplicatio individuorum in eadem specie est opus sequens opus primum; sed corpus mulieris habuit principium praecedens simile in specie, quia corpus viri; ergo etc.

3. Item, nihil seminaliter existens in aliquo producitur in esse a Deo immediate sive ut a tota causa; tale fuit corpus mulieris; unde Augustinus, VI *Super Genesim ad litteram*[3]: « Aliter autem tunc ambo et nunc aliter ambo; tunc secundum potentiam per verbum Dei tamquam seminaliter mundo inditam, cum *creavit omnia simul*[4], nunc autem[f] secundum operationem praebendam temporibus qua *usque nunc operatur*[5] ». Ecce quod secundum Augustinum, Adam et Eva seminaliter erant mundo[g] indita.

4. Item, quando aliquid fit ex alio, inter quae non est infinita distantia, ad producendum unum in esse ex alio non requiritur infinita potentia; cum ergo corpus mulieris et costa[h] non differant distantia infinita, non requiritur infinita potentia ad hoc quod unum fiat ex altero; igitur videtur sufficere finita, et maxime illa quae in creaturis est maxima[i], hoc est angelica; ergo etc.

5. Item, Deus in omni operatione naturae intime operatur et[k] natura illi cooperatur; sed quando aliquod opus Deus operatur, in quo potest ei cooperari[l] natura sive cooperatur, nullo modo eius excludit operationem[6]; ergo similiter videtur quod, si angelus poterat cooperari Deo sive cooperabatur in formatione mulieris de costa, quod Deus non debeat eius operationem excludere; sed angelus poterat cooperari sequestrando costam et praeparando; ergo etc. — Media patet ex Augustino[m], *Super Genesim ad litteram*[7], qui dicit quod nonnulla est angelorum operatio ut aliquid creetur. Et in eodem[8]: « Quid mirum si hominem ex osse hominis factam[n] non novimus, quando creanti Deo[o] quemadmodum angeli serviant ignoramus! Fideliter credimus factam feminam ex viro, nullo interveniente concubitu, etsi forte costa hominis ministrata sit per angelos in opere Creatoris, sicut fideliter credimus etiam virum factum ex femina nullo interveniente concubitu ». — Si autem responderetur quod producta fuit in esse opere[p] mirabili, propter quod non potuit ab angelo fieri, sed ab illo qui est super omnem naturam – hoc non videtur verum, cum sit unus ordo angelorum, scilicet Virtutes, quibus attribuitur officium faciendi miracula sive opera mirabilia.

6. Item, II Thess.[q] 2, 9, dicitur de Antichristo: *Cuius adventus est secundum operationem Satanae in omni virtute, signis et prodigiis mendacibus;* Glossa[9]: « Tunc solvetur Satanas, et per illum Antichristus in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur ». Et dicitur 'mendaciter' sive '*mendacibus*' secundum unam expositionem Glossae, quia, etsi[r] vera sint, Dei permissione ad mendacium trahent. Et ita videtur quod angelus apostata potest facere miracula.

7. Idem[s] videtur de hominibus, I Cor. 12, 28: *Deinde Virtutes,* Glossa[10]: « Id est eos qui miracula faciunt ».

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod congruebat mulierem primam fieri ex viro et ex costa, ut patet ex dictis[11]: ex quibus sequitur quod immediate facta fuerit a Deo. Si enim de viro facta est, et[t] non secundum cursum naturae, eo modo quo filia de patre, et hoc congruebat, oportuit quod fieret de ipso opere supra naturam, et ita per potentiam mirabiliter operantem. Praeterea, cum costa non esset in propinqua potentia ut de ea fieret mulier, sed in valde remota et nullo modo disposita, cum de ea debuit fieri corpus

---

[a] S *materiam.* [b] SRZ om., L exp. [c] Ita Z, S *subsistet,* alii *subsistat.* [d] Z *et,* S *et quod.* [e] Z om. [f] Ita F (corr.), alii *ergo.* [g] Z *in Deo.* [h] S *constat,* quod L corr. [i] Z *maxime.* [k] S *a.* [l] Ita FL (correcti), alii *comparari.* [m] Z *per Augustinum* pro *e. A.* [n] R *factum.* [o] T om. [p] F *opera.* [q] V om. *II T.,* SLZ *in* pro *II.* [r] Ita SF, T om., alii *si.* [s] S *item.* [t] V om.

1 Cap. 15, n. 26 (PL 34, 403), ubi et sequens.
2 *De animal. generat.,* II, c. 3 (III, 352).
3 Cap. 5, n. 8 (PL 34, 342).
4 Eccli. 18, 1.
5 Ioan. 5, 17.
6 Cf. supra, p. 503, *ad 3,* p. 593, litt. *b.*
7 Lib. IX, c. 15, n. 26 (PL 34, 403).
8 Loc. cit., c. 16, n. 29 (PL 34, 405).
9 Lombardi, in h. l. (PL 192, 521).
10 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1657).
11 Cf. supra, num. **463** et **464.**

mulieris indilate sive sine mora temporis, oportuit quod fieret illa potentia cui perfecte obedit omnis creatura. Praeterea, sicut mulier debuit fieri de viro, ut monstraretur viri nobilitas quantum ad dignitatem principatus sive principii, et sicut [a] decuit mulierem fieri de latere, ut ostenderetur viri et mulieris aequalitas [1], sic [b] decuit ut immediate fieret a Deo, ut servaretur primi principii dignitas: dico in genere mulierum sive matrum. Unde sicut Adam, qui erat pater omnium viventium, immediate a [c] Deo factus est, sic Eva, quae erat *mater cunctorum viventium,* sicut habetur Gen. 3, 20, immediate debuit ab ipso fieri. Non enim debuit mulier in genere hominum dignitatem perdere, quam habuerunt animalia utriusque sexus in omni genere animalium. Et in hoc mira apparet Dei providentia, qui sic nobilitat unum [d] sexum, ut nihil detrahat de nobilitate alterius. Conveniebat ergo ut immediate fieret a Deo et non ab angelo. Et hoc habetur ab Augustino, IX *Super Genesim,* dicente [2]: « Certissime dixerim supplementum illud carnis in costae locum ipsiusque feminae [e] corpus et animam conformationemque membrorum, omnia viscera, sensus omnes [f] et quidquid erat quo illa creatura et homo femina erat, nonnisi in illo Dei opere factum, quod Deus non per angelos, sed per semetipsum operatus est ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primo obiectum in contrarium patet responsio ex praedictis, scilicet in Quaestione qua quaeritur utrum corpus mulieris debuit formari viro in adiutorium, ubi [g] determinatum est quod Eva non fuit mulier occasionata, eo modo quo occasio vitium importat [3]. Secundum enim quod occasio vitium importat, ut in monstris, sic non est mulier mas occasionatus; secundum autem quod occasionaliter dicitur factum quod factum est praeter primam intentionem naturae, quae respicit esse nobilissimum in re quam intendit, dicitur mulier mas occasionatus: natura enim in productione hominis primo et principaliter intendit producere hominem in sexu nobiliori; unde, quia deficit quandoque ex aliqua causa ex parte materiae vel ex aliqua [h] circumstantia occurrente, ut quando generatur mulier, dicitur mulier occasionaliter producta in esse et dicitur mas occasionatus, id est occasione maris, qui fuit intentus principaliter a natura, in esse productus. Nec hoc modo fuit prima mulier mas occasionatus.

2. Ad aliud dicendum quod instantia est in proposito. Huic enim universali propositioni ' nullum corporale, quod habet principium praecedens simile in specie, producitur ' etc., est instare in proposito. Quare autem in genere hominum primo conditum fuit unum individuum, quod erat principium omnium illius generis et etiam [i] illius individui, quod debuit coexistere principium respectu totius prolis procreandae, quod non fuit [k] in principiis aliorum generum rerum, dictum est supra [4].

3. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod aliquid dicitur esse in alio seminaliter duobus modis: communiter et proprie. Communiter, secundum quod ratio seminalis dicitur quidquid est inditum rei a Conditore eius ut de illa aliquid fiat vel fieri possit, id est ut de illa fiat aliquid vel cursu [l] naturae vel eo qui [m] est supra naturam; proprie autem, secundum quod ratio seminalis dicitur natura quaedam indita rei, qua simile ex simili cursu naturae producitur, ut planta de planta et [n] granum de grano eiusdem generis [5]. Istos duos modos tangit Augustinus, *Super Genesim,* IX [6], dicens: « Elementa [o] mundi huius corporei [p] habent definitam vim qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non possit. Ex iis velut primordiis rerum omnia quae gignuntur suo tempore exitus processusque sumunt finesque et discessiones sui cuiusque generis: unde fit ut de grano tritici non nascatur faba vel de faba triticum vel de pecore homo vel de homine pecus. Super hunc autem [q] motum cursumque rerum naturalem potestas Creatoris habet apud se posse de iis omnibus facere aliud quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id quod non in eis posuit ut de iis fieri vel ab ipso possit: neque enim potentia temeraria, sed sapiente [r] virtute omnipotens est et hoc de unaquaque re in tempore suo facit quod antea in ea fecit [s] ut possit. Alius ergo est rerum modus quo illa herba sic germinat, illa sic [t], illa aetas parit, illa non parit, homo loqui potest, pecus non. Et talium modorum rationes non tantum in Deo sunt, sed etiam ab illo rebus creatis inditae atque concreatae ». Et hoc ostendit tribus exemplis, subiungens et dicens: « Ut autem lignum de terra excisum, aridum, sine radice ulla, sine terra et aqua, repente floreat et fructum gignat [7], ut sterilis femina in senectute pariat [8], ut

---

[a] SRZ *sic.* [b] Z *sicut.* [c] L om. [d] SRLZ *bene,* quod F corr.; SZ *nisi* pro *nihil.* [e] Ita F, alii *semine.* [f] Ita F (corr.), alii *hominis.* [g] Ita VL (corr.), alii *unde.* [h] VT add. *certissima.* [i] R *in.* [k] F *fecit.* [l] Ita FL, T *vel per cursum,* alii *secundum cursum* pro *v. c.* [m] SRZ *quod,* quod TF corr. [n] Ita F, alii om. [o] V *omnia.* [p] V *corpora.* [q] T om.; V add. *rerum.* [r] Codd. *sapientie.* [s] L om. *q. a. i. e. f.*; alii *facit.* [t] Z om. *i. s.*

1 Cf. supra, p. 617, in *Solutione.*
2 Cap. 15, n. 28 (PL 34, 404).
3 Cf. supra, num. 463. 4 Cf. supra, num. 446-449.
5 Cf. supra, num. 227.
6 Cap. 17, n. 32 (PL 34, 406), ubi et sequens.
7 Cf. Num. 17, 8. 8 Cf. Gen. 18, 11 et 21, 2.

asina loquatur[1] et si quid huiusmodi est, dedit naturis quas creavit, ut ex iis haec fieri possent. Neque enim ex eis vel[a] ipse faceret[b] quod ex eis fieri non posse ipse praefigeret, quoniam se ipso non est nec ipse potentior. Verumtamen alio modo dedit ut non haec[c] haberent in motu naturali, sed in eo quo ita creata essent ut eorum natura voluntati potentiori amplius subiaceret ». Ex iis verbis Augustini patet quod ratio seminalis duobus modis[d] sumitur, ut tactum est[2], et natura similiter, quia natura potest dici vel naturalis virtus activa per[e] quam est generatio similis ex simili vel natura potest dici possibilitas secundum quam quaelibet natura subiecta est et possibilis respectu operationis divinae. Prout primo modo sumitur ratio seminalis, corpus Evae fuit seminaliter in primis principiis rerum et etiam in[f] costa, non prout secundo modo. Praeterea, prout natura sumitur secundo modo, potest dici factum materialiter de costa, non prout primo modo.

4. Ad aliud quod sequitur dicendum quod[g] infinitam distantiam esse inter aliqua dicitur duobus modis[h]: vel ratione distantiae primi[i] imaginabilis et sui oppositi, id est[k] esse et non-esse, vel ratione distantiae imaginabilis consequentis et sui oppositi negative, sicut est distantia entis dispositi ad aliquid et non dispositi[l] vel entis potentia ad aliquid et non-entis potentia: inter enim quaelibet opposita negative est quodam modo distantia infinita, quia negatio convenit etiam non-enti. Sicut[m] inter esse et non-esse infinita simpliciter, similiter non-entis potentia et entis actu; maior autem[n] est distantia inter non-ens potentia[o] aliquid et esse illud actu quam inter non-ens potentia ad[p] aliquid et ens potentia ad illud: plus enim distat inter non-ens potentia ad aliquid[q] et illud quam[r] inter non-ens potentia ad aliquid et ens potentia ad illud[s], quia plus distat esse actu a non-esse potentia quam non-esse potentia[t] ab esse potentia respectu eiusdem. Quia ergo costa[u] non se habebat ut ens in dispositione aliqua ad corpus mulieris vel etiam[v] potentia, nisi obedientiali[x], qua omnia obediunt Creatori, producere hoc in esse ex re tantum distante non est potestatis conditae. Dicendum ergo quod, licet inter praedicta non sit infinita distantia simpliciter, est tamen infinita quodam modo. Propter quod[a] ad producendum hoc ex hoc non sufficit potestas aliqua creata, et maxime operatione repentina sive momentanea. Hoc dico, quia fortasse aliqui ponerent quod multiplici transmutatione posset de costa fieri semen unde posset[b] mulier seminaliter produci in esse per motum naturalem aliquo modo; quod ego non assero[3].

5. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod, licet angeli aliquod ministerium exhibuerint[c] in formatione mulieris de costa, sicut vult Augustinus[4], non tamen[d] formatio membrorum aliquo modo erat ab angelo, sed ab opere divino, ut ex verbo Augustini supra posito[5] habetur. Unde, licet angelicum ministerium aliquo modo cooperaretur, ut forte detrahendo costam et[e] praeparando vel aliquod ministerium exterius exhibendo, non tamen formationi corporis cooperabatur: propter quod convenienter excluditur ab illa operatione. Illud autem in rebus producendis in esse non[f] dicitur cooperari Deo, sed quod intime in ipsa rei productione operatur. — Ad illud[g] quod sequitur, dicendum quod angeli dicuntur facere opera miraculosa sive mirabilia ministrando materiam et praeparando, sed Dominus formam et completionem inducendo[6]. Unde solus Deus, proprie loquendo, facit illa quae exeunt in esse cursu mirabili.

6. Si obiciatur, sicut tactum est[h], quod tempore Antichristi fient miracula a diabolo operante, sed non videtur quod diabolus et Deus communicent in aliquo opere, quia *non est communicatio Christi et Belial* sive *conventio,* II Cor. 6, 15, ibi Glossa[7]: « Christus et diabolus non conveniunt » — respondeo[i][8]: quod diabolus non facit[k] aliqua miracula sive mirabilia nec potest facere nisi cooperando naturae, expediendo eam[l] et accelerando, sicut fuit in factis aliquibus, quae erant similia aliquibus plagis Aegypti, ut in serpentibus Magorum[9]; facere autem opera huiusmodi quae sunt omnino supra naturam et ubi nulla est operatio[m] naturae, sed sola obedientia, nullo modo potest. In operibus ergo[n] mirabilibus, quae fiunt a daemonibus modo iam dicto, cooperatur Deus ipsi naturae, quae redditur expedita et accelerator[o] opere daemonis, ipsis daemonibus cooperatur

---

[a] L exp. [b] Z *fieret.* [c] R *hoc.* [d] L om. [e] Ita V, alii *active secundum* pro *a. p.* [f] V om. [g] V add. *in,* quod F exp. [h] Z *dupliciter* pro *d. m.* [i] V *prime.* [k] T *et* pro *t. e.,* quod VF corr. [l] L om. *ad... dispositi.* [m] Ita SF (corr.), alii add. *in potentia.* [n] Codd. *enim.* [o] Ita FL add. mg., alii om. [p] Z *et.* [q] VST om. *et ens... aliquid,* quod in aliis est add. mg. [r] V *etiam,* L *qua.* [s] R om. *plus enim... illud;* Z *et* pro *ad.* [t] VSTR om. *q. n. e. p.,* in aliis est add. mg. [u] Ita FR (corr.) L, alii *constat.* [v] TL *in.* [x] Ita V, alii *obedientia universali.*

[a] L om. [b] Ita F (corr.) Z, alii *possit.* [c] Ita F (corr.), alii *exhibuerunt.* [d] VTRL *tantum,* quod F corr. [e] Ita VF (correcti), alii add. *non.* [f] Ita RZ, alii om. [g] S *aliud.* [h] S om. [i] LZ add. mg. *dicimus.* [k] VL *fecit.* [l] R om. [m] SFL *opera;* R *licet* pro *sed.* [n] V om., S *autem.* [o] V *accelerato,* Z *accelerata.*

1 Cf. Num. 22, 28. 2 Cf. supra, p. 621b, *ad 3.*
3 Cf. supra, num. 428 sq.
4 Cf. *De Gen. ad litt.,* IX, c. 15, n. 28 (PL 34, 404); supra, num. 232.
5 Cf. supra, p. 620, litt. *c.*
6 Cf. supra, p. 299, in *Solutione.*
7 Lombardi, in h. l. (PL 192, 59).
8 Cf. supra, num. 244. 9 Cf. supra, num. 243.

continue influendo in illis potentiam unde operantur. Nec videtur mihi inconveniens ponere Deum cooperari sive communicare cum daemone quandoque in opere operato, licet non conveniant in fine operis. Et sic[a] intelligitur illud II Cor. 6, 15: *Quae autem conventio Christi ad Belial?* Unde Glossa[b] [1]: « *Belial* apostata interpretatur, cum quo Christus non convenit, quia ille omnia male, Christus omnia bene agit »; bonum enim et malum dicunt conditiones finis.

7. Ad hoc quod obicitur per illud I Cor. 12, 28: ' *Deinde Virtutes,* quod homines[c] faciunt miracula ', dicendum [2] quod hoc[d] intelligendum est per invocationem. Neque enim faciunt homines miracula auctoritate et prima[e] potentia operante, quia modus iste est solius Dei, neque praeparando materiam et disponendo, sicut angeli, sed impetrando per invocationem. Et hoc dupliciter: vel invocando sive per invocationem in sanctitate personae, sicut[f] iusti, vel in sanctitate Ecclesiae, non personae, sicut mali, ad quorum invocationem Deus quandoque mirabilia facit[g] propter fidem Ecclesiae confirmandam vel propter fidem Ecclesiae probandam, sicut faciet tempore Antichristi. Quo modo differenter faciunt miracula boni[h] et mali habetur ab Augustino, *83 Quaestionum* [i] [3], dicente: « Aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali; Magi per privatos contractus[k], boni Christiani per publicam iustitiam, mali per signa publicae iustitiae ». De hoc determinatum est in Quaestione de miraculo [4].

CAPUT IV. 466

DE CORPORIS EVAE INTEGRITATE [5].

Sequitur de corporis illius, id est primae mulieris, integritate. Quaeritur ergo[l]: I. Si Eva in statu innocentiae fuisset cognita sive concepisset a viro, perdidisset integritatem carnis in qua condita erat?

Et videtur quod sic, 1. per hoc quod mulierem cognosci a viro et manere in carnis integritate sunt incompossibilia et semper erant.

2. Item, habere integritatem carnis et esse virginem tunc consequenter se habebant, quia tunc non fuit integritas carnis sine integritate mentis; sed cognosci a viro et esse virginem in nullo statu fuerunt compossibilia; ergo cognosci a viro et habere integritatem carnis, tunc fuerunt[m] incompossibilia; ergo, si tunc cognita fuisset a viro, perdidisset integritatem carnis in qua condita erat.

3. Item, duos esse *in carne una* [6] et eosdem non esse in carne una non se compatiuntur ad invicem neque poterant se compati in primis parentibus; primum autem ponit divisionem carnis in muliere secundum integritatem; ergo divisio carnis et integritas non poterant[n] simul esse in prima muliere.

4. Item, singulare privilegium B. Virginis fuit gravidari in integritate carnis, quia hoc fuit supra omnem naturam; sed si aliqua cognosci poterat in integritate carnis, poterat gravidari similiter; ergo hoc est supra omnem naturam, scilicet cognosci in integritate et sine corruptione carnis; ergo, si fuisset cognita a viro in statu illo, incurrisset corruptionem integritatis suae.

Contra: *a.* Sicut determinat Augustinus, XIV *De civitate Dei* [7], si stetissent primi parentes, numerus electorum propagatus fuisset ex illis per semen coitus, et hoc[o] de ordinatione et voluntate Dei ut convenissent in opere tali obediendo divinae voluntati; sed, si altera pars illarum ex hoc incurrisset corruptionem suae integritatis, deterior et indignior effecta esset, et hoc sine culpa sua, quia ex[p] executione divinae voluntatis: quod videtur inconveniens; ergo etc.

b. Item, corruptio integritatis poena est; poena autem[q] non poterat prior esse quam culpa.

c. Item, corruptio integritatis habet annexam divisionem continui; sed dolor est divisio continui; ergo huiusmodi corruptio non poterat esse sine dolore.

d. Item, vir poterat tunc cognoscere mulierem sine corruptione suae integritatis: sicut enim non dicimus modo virum suam amittere integritatem pollutione nocturna, sic[r] nec tunc cognoscendo mulierem. Similiter videtur quod mulier tunc poterat cognosci a viro sine corruptione suae

---

[a] Ita F (corr.), alii *sicut.* [b] Ita FL (in mg.), alii om. *u. G.*; TL om. *Belial.* [c] Ita F (mg.), alii om. *q. h.* [d] T om. [e] Ita F, alii *primo.* [f] R *sic.* [g] Ita F (corr.), alii *fecit*; V *miracula*, S *mira* pro *mirabilia.* [h] S *bona.* [i] FL add. mg. *80 questione.* [k] STF *contractos.* [l] V om. [m] Ita V, STRZ om., FL mg. *erant.* [n] Ita V, alii *poterunt.* [o] Ita F (corr.), alii add. *est.* [p] VS om. [q] Ita V, alii om. [r] V add. *nunc.*

1 Loc. cit.
2 Cf. supra, num. 240.
3 Quaest. 79, n. 4 (PL 40, 92).
4 Cf. supra, num. 247.
5 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, I, tr. 10, c. 2, q. 4 (f. 66c); S. Bonav., II *Sent.*, d. 20, a. 1, q. 4 (II, 482sq.).
6 Cf. Gen. 2, 24.
7 Cap. 23 (PL 41, 430sqq.).

integritatis, cum conditi [a] essent in quadam paritate quantum ad hoc officium. Nec in aliquo demeruerat [b] mulier, propter quod debuerit [c] in sua integritate damnificari, sicut nec vir. — Et potest hic incidenter quaeri quare mulier exigentia peccati magis fuit punita in corruptione poenali quam vir: mulieres enim [d] quando primo cognoscuntur, corruptionem patiuntur poenalem, viri non sic.

e. Item, ab Augustino, XIV *De civitate Dei* [1], habetur quod, si stetissent primi parentes, procreata esset proles sine corruptione integritatis. Dicit enim sic: « In tanta felicitate hominum absit ut suspicemur non potuisse prolem seri sine libidinis morbo, sed eo voluntatis nutu moverentur [e] membra illa quo cetera, et sine ardoris illecebroso stimulo, cum tranquillitate animi et corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris ».

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod duplex est corruptio, proprie sumpta corruptione [f]. Una est integritatis carnis, et hanc non incurrisset Eva, si fuisset cognita in statu innocentiae a viro suo, et de hac loquitur Augustinus, XIV *De civitate Dei.* Alia est corruptio foeditatis, quae proprie est naturae propagativae et membrorum genitalium, quorum natura non est solummodo corrupta sicut aliorum membrorum, sed infecta: nec hanc incurrisset. Ut enim dicit Augustinus, IX [g] *Super Genesim ad litteram* [2]: « Potuerunt in paradiso esse nuptiae honorabiles et *thorus immaculatus* [3] sine ardore libidinis ». Unde, si Eva fuisset in illo statu cognita a viro, mansisset porta propagationis in eadem integritate et ipsa natura propagativa in eadem honestate qua prius. Tertio modo potest dici corruptio nomine extenso, scilicet susceptio seminis sive commixtio carnis in opere coitus, secundum quod intelligitur illud verbum Gen. 2, 24: *Erunt* [h] *duo in carne una,* et haec corruptio potest dici corruptio puritatis, quia facta commixtione maris et feminae in coitu, femina non mansisset in ea puritate in qua condita erat, secundum quod purum [i] dicitur in quo non est permixtum aliquid quod est alterius naturae, quia iam carni suae esset permixta caro viri. Cum ergo quaeritur 'si Eva fuisset cognita' etc.: dicendum quod, prout integritas carnis dicit absentiam corruptionis primae et secundae, quod sic; secundum quod tertio modo, nequaquam.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur quod 'mulierem cognosci a viro et manere in [k] integritate carnis, sunt incompossibilia': dicendum quod, secundum quod integritas dicit absentiam corruptionis tertio modo sumptae, verum est et quantum ad statum naturae corruptae et quantum ad statum naturae [l] conditae. Secundum autem quod dicit absentiam corruptionis primo modo dictae et secundo, verum est quantum ad statum naturae corruptae, sed [m] non quantum ad statum naturae conditae [n].

2. Ex iis etiam patet responsio ad aliud, quia [o] habere integritatem carnis et esse virginem consequenter se habent, secundum quod integritas dicit absentiam corruptionis tertio modo sumptae, et hoc quantum ad statum utrumque. Puritas enim virginalis in neutro statu compatiebatur impuritatem commixtionis carnis; in primo autem statu ex cognitione viri neque accidisset corruptio primo modo dicta neque secundo. Unde non sequitur quod, si fuisset cognita [p] in statu illo, quod amisisset integritatem quae tollitur per corruptionem primo modo [q] dictam vel secundo modo [r], sed solummodo illam quae privatur per tertiam.

3. Ad tertium dicendum quod duos esse *in carne una* in statu primo posuisset solummodo divisionem carnis, prout carnis [s] divisio consistit in commixtione carnis, non autem divisionem quae attenditur in violenta separatione partium carnis circa portam propagationis, sicut in statu corruptionis. Unde divisio carnis, quae esset in statu illo in cognitione mulieris a viro, bene [t] compassa esset integritatem carnis quae ponit absentiam corruptionis violentiae poenalis.

4. Ad illud quod obicitur quod 'singulare privilegium B. Virginis fuit' etc.: dicendum quod est triplex corruptio, sicut tactum est [u] [4], scilicet violentiae poenalis ex parte carnis mulieris et foeditatis seminalis et commixtionis carnalis. Nulla vero istarum corruptionum fuit in B. Virgine; unde in illa fuit cum foecunditate perfecta puritas virginalis [5]. In foecundatione mulieris in statu illo, licet stetisset in integritate, secundum quod dicit [v] absentiam primae corruptionis et secundae, non tamen stetisset in integritate, secundum quod dicit absentiam [x] tertiae, quia subiisset [y] corruptionem quae attenditur in carnis commixtione.

Sed ex dictis oritur dubitatio quo modo semen viri posset deduci ad monetam conceptionis, si nulla fuisset fractio sive corruptio in carne

---

[a] SR *condita,* quod F corr. [b] Ita F (corr.), T *demeruit,* L (corr.), Z *demonstraverat,* VSR *demeruerit,* quod F corr. [c] Ita V, alii *debuit.* [d] Ita F (corr.), alii *vero.* [e] R *moventur.* [f] STRL *incorruptione,* quod F corr. [g] Ita FL add. mg., alii om. [h] T *erant.* [i] L om. [k] S om. [l] Ita FL add. mg., alii om. *corruptae... naturae.* [m] LZ *et.* [n] Ita FLZ in mg., alii om. *sed... conditae.* [o] R *quod;* STZ add. *quod.* [p] Z *condita.* [q] T om. [r] Z om. *v. s. m.* [s] S om. *p. c.,* in L est add. mg. [t] T *unde.* [u] S om. [v] LZ add. *in.* [x] L *absentia.* [y] S *subiecti;* Z om. *q. s.*

1 Cap. 26 (PL 41, 434).
2 Cap. 3, n. 6 (PL 34, 395).
3 Hebr. 13, 4.
4 Cf. supra, in *Solutione.*
5 Cf. S. Bonav., III *Sent.,* d. 4, a. 3, q. 2 (III, 114b).

mulieris. Non enim videtur quod, porta existente clausa et sigillo integro, aliquo modo deduci[a] posset ad locum prolis sive foetus formandi et educendi[b1]. — Responsio est ad hoc quod, sicut sine sigilli alicuius fractione emittitur sanguis menstruus, ut in virginibus, sic tunc immitti[c] potuit semen sine ulla laesione vel fractione. Unde Augustinus, XIV *De civitate Dei*, 26 cap.[2]: « Ita tunc credendum est potuisse utero coniugis, salva integritate feminei genitalis, virile semen immitti, sicut nunc potest, eadem integritate salva, ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti. Eadem quippe via posset illud inici qua hoc potest eici[d] ».

Sed adhuc est quaestio quo modo membro viri sine corruptione sive fractione carnis potuisset semen infundi, an carnes in porta propagationis post peccatum magis sint consertae sive concretae quam ante. — Respondeo[e], sine praeiudicio tamen[f], quod eadem erat dispositio portae illius tunc quae et nunc, sed omnium membrorum tanta erat obedientia voluntati, quod[g] iuxta nutum voluntatis[h] tunc poterat homo facere membris omnibus quod volebat. Dicit enim Augustinus, XIV *De civitate Dei*, 15 cap.[3]: « In paradiso, etsi non omnia poterat ante peccatum, quidquid tamen non poterat, non volebat, et ideo poterat omnia quae volebat ». Et hoc ostendit manifestius Augustinus, XIV *De civitate Dei*, 24[i] cap.[4] per totum fere. Fuisset ergo illius membri tanta obedientia voluntati, quod iuxta nutum voluntatis et in conceptione et in parturitione, secundum quod exegisset natura omnino consona voluntati, se coniunxisset et relaxasset, sicut videmus quod secundum quantitatem morselli sumendi ad usum alimoniae dilatatur et constringitur os sine aliqua sui laesione. Unde Augustinus, XIV *De civitate Dei*[k5]: « Ut ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus feminea viscera relaxaret, sic ad foetandum et concipiendum, non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque coniungeret ».

a. Ad hoc quod primo obicitur pro alia parte, dicendum quod, etsi corruptio integritatis naturam rei corruptam indigniorem efficit et deteriorem, non tamen hoc efficit[l] corruptio impuritatis sive commixtionis carnis, quia ex hac corruptione sive commixtione nihil deperit sive diminuitur de virtute sive bonitate rei sive personae, immo tanto[a] ipsa melioratur et nobilitatur, quanto ipsa expeditur et perficitur, ut possit suum simile in esse producere sive productioni cooperari. Et est simile quodam modo de vino puro et[b] condito. Vinum autem[c] cuius puritas quandoque corrumpitur, ut scilicet quando[d] speciebus conditur, non ex huiusmodi corruptione et[e] admixtione deterioratur, sed potius nobilitatur, quia ex huiusmodi admixtione potest in effectus nobiliores quam potuit in sua existens puritate.

b-c. Ad ea quae proximo sequuntur patet responsio, quia illa corruptio non est poena[f] neque habet divisionem continui annexam, divisionem dico violentam: non enim quaelibet divisio continui dolorem infert, sicut patet[g] in coitu, sed illa quae est violenta et non naturalis.

d. Quod autem consequenter concluditur, concedi potest, quia sicut nec vir damnificatus esset in illo statu cognoscendo mulierem, similiter[h] nec mulier. — Ad illud[i] quod quaeritur consequenter, scilicet quare mulier, exigente peccato, magis fuit punita, utpote corruptione poenali, quam vir, potest breviter dici: quia plus peccavit[6]. — Quod sic patet: Ut dicit Apostolus[k7], *mulier seducta est*, non[l] vir. Quod exponit Hugo[8] dicens: « Eva quippe seducta est, quia verum esse credidit quod diabolus dixit, et idcirco non solum inordinate similitudinem Dei cum scientia[m] boni et mali appetiit, sed[n] in tantam etiam prolapsa perversitatem verisimiliter putatur, ut Deum ex invidia lignum scientiae boni et mali homini vetuisse crederet, ne ipse homo ex eo gustando ad aequalitatem ipsius proficere potuisset. Hanc ergo mulier, in superbiam[o] elata, appetiit, et ne hanc habere potuisset[p], ipsum Creatorem, invidia tactum, lignum hoc[q] vetuisse putavit. Voluntaria ergo malitia se contra Creatorem suum erexit, perverse contra ipsum volendo et impie de ipso sentiendo. *Adam* vero *non est seductus*[9], quia quod diabolus promisit, falsum esse sciebat. Neque idcirco pomum vetitum comedit, quasi[r] per illam comestionem Deo se parificari posse crederet vel etiam parificari vellet, sed tantum ne mulieris animum, quae sibi per affectum dilectionis sociata fuerat, eius petitioni et voluntati resistendo, contristaret, maxime quia putavit se et mulieri morem gerere

---

[a] S om. [b] F (corr.) *educandi*. [c] R *mitti*. [d] Ita FLZ in mg., alii om. *q. h. p. e.* [e] Z *responsio*. [f] Ita VF (corr.), alii *tantum*. [g] V *quia*. [h] Ita F (corr.), alii add. *quod*. [i] V om. *D. c. D. 24*. [k] SFLZ om. [l] V *deficit* pro *h. e.* [a] SLZ *tanta*, quod TF corr.; L *persona* pro *personae*. [b] V om. [c] S *ad*. [d] Z add. *ex*. [e] S *vel*. [f] RZ *penalis*. [g] V om. [h] R *sicut*. [i] V *aliud*. [k] LZ add. mg. *I Tim. 2*. [l] LZ add. mg. *tamen*. [m] V add. *in*. [n] V *quod*; ST *tanta* pro *tantam*. [o] Ita F, alii *superbia*. [p] S *potius sed*, quod L corr. [q] F om. [r] SL *quod*.

1 Cf. Praeposit., *Summa*, II (f. 93b). 2 PL 41, 434.
3 Num. 2 (PL 41, 423).
4 PL 41, 432.
5 Cap. 26 (PL 41, 434).
6 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 22, a. 1, q. 3 (II, 520sq.).
7 Cf. I Tim. 2, 14.
8 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 7, c. 10 (PL 176, 290sq.).
9 I Tim. 2, 14.

et postea per poenitentiam et veniae postulationem Creatori posse placere. Vere igitur dictum est quia minus peccavit qui de poenitentia et misericordia cogitavit; peccavit tamen, quia peccanti consensit et peccantem non correxit ».

II. Adhuc autem dubitatur utrum ex hac corruptione [a] incurrisset mulier corruptionem virginitatis, hoc est quaerere utrum in statu illo per commixtionem carnalem esset corruptio virginitatis.

Et videtur quod non, 1. cum in illo statu non fuisset fractio claustri sive sigilli virginalis in commixtione sive copula carnali.

2. Item, virginitas est virtus vel status [b] virtutis; quod autem tale est, non corrumpitur nisi per vitium vel quod est ex vitio; in statu autem illo neque erat vitium neque aliquid ex vitio; ergo etc.

Contra: *a.* In nullo statu compossibilia erant susceptio seminis virilis in monetam conceptionis per coitum et virginitas.

Respondeo quod non est dubium quin ex coitu sive commixtione tali perdidisset mulier virginitatem. In illo autem statu solummodo requirebatur ad amissionem virginitatis carnis commixtio sine fractione claustri virginalis — nisi velimus dicere apertionem portae propagationis fractionem claustri — secus [c] autem fuit post lapsum hominis.

[Ad obiecta]: 1. Cum ergo obicitur quod 'tunc non fuisset fractio sigilli' etc.: dicendum quod verum est secundum quod fractio dicit divisionem violentam continui sive divisionem poenalem; secundum autem quod dicit apertionem portae propagationis, quae ante erat quasi sigillata, quia omnino intacta, sic fuisset ibi fractio quodam modo.

2. Ad aliud dicendum [1] quod in statu innocentiae virginitas [d] neque fuit virtus neque status virtutis neque post, quousque cessasset praeceptum Domini de multiplicatione prolis, et maxime tunc quando [e] nulla erat excitatio libidinis ad opus carnis. Praeterea, in statu illo non erat matrimonium nisi in officium naturae: unde opus illud nunquam fuisset nisi in spe [f] sive certitudine prolis. Et est praesumptio probabilis, immo vera, ut aestimo, quod quodlibet commercium huiusmodi mulierem foecundasset [2]. In statu ergo illo non fuit virginitas virtus vel status virtutis, sed matrimonium fuit maioris gloriae quam virginitas: officium enim matrimonii, id est [g] coniunctio [h] carnalis, fuit [i] opus obedientiae; datum enim erat praeceptum de prolis multiplicatione, ibi: *Crescite et multiplicamini,* Gen. 1, 28; continentia enim virginalis nondum fuerat inspirata neque praecepta.

467 CAPUT V.

DE FORTITUDINE CORPORIS EVAE.

Sequitur de fortitudine mulieris quantum ad [k] corpus sive quantum ad sexum, sexus autem ad corpus refertur. Quaeritur ergo utrum aequalis erant fortitudinis sive virtutis vir primus et mulier prima quantum ad corpus sive ad sexum.

Quod non, videtur: *a.* Quia vir erat maioris virtutis quam mulier, ut habetur ab Hugone [l] [3], dicente de [m] diabolo: « Quasi [n] parum de suis viribus praesumens, humanam naturam in eam partem, ubi debilior videbatur, aggressus est, ut, si forte illic aliquatenus praevalere potuisset, postmodum cum maiori fiducia ad alteram, quae robustior fuit, pulsandam aut potius subvertendam accederet ». Idem habetur a Magistro *Sententiarum,* II, 21 distinctione [4].

b. Item, Isidorus, in libro *Etymologiarum,* 41 cap. *De aetatibus hominis* [5]: « Vir nuncupatur, quia maior in eo vis est quam in femina; unde et nomen virtutis accepit ».

Contra: 1. Isidorus, libro *Etymologiarum* [6], eodem quo supra: « Eva, statim facta de latere viri [o], appellata est a viro, dicente Scriptura [7]: *Et formavit eam,* id est costam, *in* [p] *mulierem;* virgo a viridiori aetate dicta, sicut et virga et vitula; alias ab incorruptione, quasi virago, quod ignorat femineam passionem, virago vocata, quia virum agit, id est virilia opera facit et masculini [q] vigoris est ».

2. Item, Basilius [8]: « Aequales sunt eorum virtutes », et loquitur de viro et muliere.

3. Item, ut habetur ab Augustino [9], mulier data fuit viro in adiutorium quantum ad productionem

---

[a] Z *correctione.* [b] S *constantiis.* [c] VT *sexus.* [d] S *virginitatis;* T om. *innocentiae.* [e] R *quia.* [f] R *specie;* Z om. *prolis.* [g] V *et* pro *i. e.* [h] Ita V, alii *commercio.* [i] Codd. *sive.* [k] V add. *animatum.* [l] Ita F (corr.) Z, alii *Augustino.* [m] S om., in L est add. interl. [n] V *quod.* [o] F add. interl. *sui.* [p] V *vel.* [q] Ita F (corr.), alii *masculi.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 20, dub. 3 (II, 488); IV *Sent.,* d. 23, a. 2, q. 2 (IV, 754 sq.).
2 Cf. infra, num. 497.
3 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 7, c. 3 (PL 176, 287).
4 Cap. 1 (p. 403).
5 Lib. XI, c. 2, n. 17 (PL 82, 417).
6 Loc. cit., nn. 20-22 (PL 82, 417).
7 Gen. 2, 22.
8 Cf. Pseudo-Basil., *De hominis structura,* or. 1, n. 22 (PG 30, 34).
9 Cf. *De Gen. ad litt.,* IX, cc. 3 et 5 (PL 34, 395 sq.).

prolis [a]; quod autem difficultatis et oneris [b] erat in productione prolis, utpote portatio in utero, mulieri fuit addictum [c], non viro; ex quo ergo divina providentia « singulis providet ut habeat unumquodque quod sibi debetur et convenit », ut dicit Hugo [1], convenit autem ut ille, cui maius onus imponitur sine culpa, plus [d] habeat fortitudinis, plus fortitudinis debuit dari mulieri quam viro, et hoc, cum [e] nihil erat viro imponendum quantum ad statum illum, propter quod [f] requirebatur quod esset amplioris fortitudinis quam mulier.

4. Item, illud quod facilitate maiori resistit actioni violentae [g], non immerito iudicatur maioris esse virtutis sive fortitudinis eo quod minori, et e converso, et quod aequali aequalis; sed, sicut dicit Isidorus, libro *De Trinitate* [2]: « Dum homo in paradiso innocenter viveret, ignis eum non ureret, aqua non mergeret nec spinarum aculei vulnerarent nec omnia quae nocent mortalibus impediarent ». Ex quo [h] videtur quod nulla actio, quantumcumque violenta, corpori humano in statu innocentiae nocere poterat, et hoc neque corpori viri neque mulieris; et ita videtur quod modo quodam indifferenti poterat utrumque corpus actioni violentae [i] resistere; et ita videtur quod erant aequalis virtutis.

5. Item, sicut dicit Augustinus, XIV *De civitate Dei* [k], 26 cap. [3]: « Quamdiu homo volebat hoc quod Deus iusserat, summa in carne sanitas erat »; et constat quod hoc intelligitur tam de carne mulieris quam de carne viri; ergo in corpore utriusque erat summa sanitas; ergo aequalis sanitas: quod enim per [l] superabundantiam dicitur [m] pluribus convenire, aequaliter convenit sive modo unico; sed indifferentia sanitatis est ex indifferentia [n] miscibilium in mixto, aliis existentibus eisdem; per quamdam ergo indifferentiam erant in corporibus primorum parentum elementa activa [o] et passiva et aequalis consertio et consolidatio in membris; ergo aequalis erant fortitudinis: ex maiori enim abundantia [p] elementorum agentium in bene complexionatis est maior abundantia spirituum, et ita maior virtus sive fortitudo, et ex maiori abundantia elementorum passivorum minor, et ita virtus minor [q], et ex aequali aequalis.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam notandum quod congruebat mulierem fieri minus fortem et virilem quantum ad corpus quam virum. Huius autem potest ratio quadruplex [a] assignari: prima ex parte actionis et passionis; secunda, ex parte regiminis et subiectionis; tertia, ex parte nutriendae prolis; quarta, ex parte spiritualis significationis. Ex parte actionis et passionis sumitur ratio congruentiae. Quia enim sexus virilis ordinatur ad agendum, mulieris ad patiendum, non solum secundum statum naturae lapsae, sed etiam institutae — et hoc dico in officio generationis, secundum illud Philosophi [4]: Materia est, sicut mulier, passiva — sicut agens patiente praestantius et virilius est, sic [b] fortius et robustius debuit esse corpus viri quam mulieris. — Ex parte regiminis et subiectionis ratio sumitur, quia regens in virtute praevalere debet ei quod regitur; sed vir [c] deputatus erat ad regimen mulieris, ut [d] habetur XI *Super Genesim ad litteram* [5], non solum secundum animam, immo secundum totum coniunctum; unde I Cor. 11,3: *Volo vos scire quod omnis viri caput Christus, caput autem mulieris vir;* sensibus autem, qui vigent in capite, reguntur aliae partes corporis. Et quod hoc fuit in statu innocentiae, ostendit Apostolus [e] consequenter in eodem [f] dicens [6]: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.* Propter quod decuit corpus viri fieri robustius [g]. — Ex parte nutriendae prolis ratio sumitur, quia mulier ad hoc [h] maxime deputatur ut prolem nutriat intra se ipsam, et ideo necesse fuit ipsam magis abundare in humiditate [i] quam virum et ratione maioris humiditatis minor est consertio [k] et consolidatio in membris feminae quam maris, et hinc est [l] quod naturaliter sunt minoris roboris et vigoris. — Ex parte vero spiritualis [m] significationis sumitur quarta ratio: quia enim in [n] coniunctione maris et feminae significatur coniunctio Dei et animae, sicut anima, quae est per se imbecillis, recipit a Deo virtutem sive vigorem multiplicandi Deo prolem spiritualem, sic, ut signum signato responderet, debuit mulier, quae opere viri multiplicativa est prolis materialis, minus fortis fieri et vir magis. Minime enim deceret illum, quo Deus significatur, minoris esse virtutis illa qua [o] significatur creatura. Unde Hugo [p 7]: « Coniugium sacramentum fuit cuiusdam societatis spiritualis, quae per dilectionem erat inter Deum et animam, in qua

---

[a] L om. [b] L *honoris.* [c] V *adiectum*, F *additum.* [d] TL *prius*, quod F corr. [e] V *est*, Z om. [f] R om. *p. q.* [g] S *violentie.* [h] F (corr.) *hoc.* [i] Ita V, alii *violenti.* [k] Ita VF, alii om. [l] F add. *superbiam.* [m] Ita F (corr.), alii add. *de.* [n] SL *differentia.* [o] Z om. [p] S om. [q] Z om. *e. i. v. m.*

[a] Ita VF, alii *quadrupliciter.* [b] L *sicut.* [c] V *hic.* [d] Codd. *unde.* [e] ST *philosophus*, quod R delev., alii corr. [f] V om. *i. e.* [g] Ita VF (corr.), alii add. *et.* [h] Ita V, alii om. *a. h.* [i] L om. *i. h.* [k] R *consortio.* [l] L om. [m] T om. [n] V om. [o] Ita VF, S *que*, alii *quo.* [p] L corr. mg. *Augustinus.*

1 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 19 (PL 176, 213).
2 *De ordine creatur.*, c. 10, n. 8 (PL 83, 940).
3 PL 41, 434.
4 Cf. *Phys.*, I, c. 9 (II, 260).
5 Cf. c. 37 (PL 34, 450).
6 I Cor 11, 8.
7 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 8, c. 13 (PL 176, 314).

societate anima sponsa [erat] et sponsus Deus; et qui sponsus erat, superior erat, quae sponsa, inferior. Propterea, natura humana duplici qualitate distincta est, ut in viro quidem robustior, in femina vero infirmior et aliena ope egens appareret». Ex hac autem debilitate ex parte corporis est sexus femineus imbecillior virili. Non enim ponitur quod Deus infuderit animas [a] infirmiores corporibus mulierum quam virorum, sed quia dispositiones spiritus, existentes in corpore, concomitantur dispositiones corporis cui unitur, corpus autem muliebre ab initio fragilius et infirmius erat corpore virili, ideo spiritus sive anima, unita corpori muliebri, infirmior est illa quae unitur corpori virili: anima enim fortius et melius viget in corpore meliori. Quod tamen corpus Evae fuit infirmius et imbecillius corpore Adae, non fuit poena spiritui mulieris, qui utique plus viguisset in meliori corpore, sicut [b] nec fragilitas corporis Adae respectiva, id est comparatione alterius corporis fortioris, fuit spiritui eius poena, qui spiritus plus viguisset, si unitus fuisset corpori fortiori. Rationes ergo [c] quibus ostenditur mulierem fuisse infirmiorem quantum ad corpus concedimus.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur in contrarium, dicendum quod mulier non dicitur ab Isidoro esse virilis vigoris, quia quantum ad naturalia, quae corpus respiciunt, tantae virtutis fuerit prima mulier quantae fuerit vir primus vel quia mulier generaliter viro aequivaleat in viribus huiusmodi, sed potius intendit dicere illas [d], quae vel dono gratuito gratis dato vel gratum faciente ad opera virilia assurgunt, hoc nomine quod est 'virago' quodam modo etymologizandi debere censeri, ut patet, si considerentur verba ipsius Isidori. Hoc modo loquendi dicitur II Machab. [e] 7, 21 de matre septem filiorum interfectorum pro legibus paternis: *Femineae cogitationi masculinum animum inferens dixit* etc.

2. Ad illud quod dicit Basilius quod 'aequales virtutes sunt [f] viri et mulieris': dicendum quod hoc intelligitur quantum ad virtutem spiritualem quae potestatem merendi respicit, quo modo [g] dicitur ad Gal. 3, 28: *Non est masculus neque femina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu,* id est differentia in sexu tali vel tali non ponit differentiam in fide Christi sive in merito fidei. Glossa [1] ibi: «Propter nihil horum aliquis dignior est in fide Christi». Et quod haec sit intentio Basilii, patet ex verbis quae sequuntur verba proposita. Dicit enim sic [2]: «Habet enim mulier fieri ad imaginem Dei sicut et vir; sunt enim aequales eorum virtutes, aequales pugnae, aequales retributiones. Nec dicat mulier 'infirma sum': infirmitas enim carnis est, potentia vero in anima est».

3. Ad illud [h] quod sequitur, dicendum quod, etsi [i] mulieri incumbebat portare prolem et nutrire et huiusmodi, quae in statu culpae non sine onere et labore fieri possunt, tamen in statu illo nihil inferrent oneris vel laboris. Sicut enim habetur ab Augustino, IX *Super Genesim ad litteram* [3], si perstitissent primi parentes in illo statu, «essent nuptiae honorabiles et *thorus immaculatus* [4], sine ardore libidinis, sine labore pariendi»: sic sine [k] onere et labore proles portaretur et educaretur.

4. Ad illud quod sequitur, dicendum [5], sine praeiudicio, quod corpora humana, sive [l] primorum parentum sive aliorum, non habebant de se virtutem resistendi cuilibet actioni sive agenti violento [m], sed quod in statu innocentiae nulli cessissent actioni, hoc fuisset ex virtute superiori, scilicet primae potentiae, conservante et protegente. Dum enim homo innocenter [n] vixit, omnino Deo subditus et in nullo ab eius declinans voluntate, omnibus homine inferioribus dominabatur, iuxta illud divini decreti, Gen. 1, 26: *Praesit piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis terrae universae* etc. Unde de omnibus quasi de sibi subditis facere potuit quod volebat. Unde Augustinus, *De civitate Dei*, XIV [6]: «In paradiso si non omnia poterat ante peccatum, quidquid tamen non poterat, non volebat, et [o] ideo poterat omnia quae volebat [p]». Sed ut dicit Beda [7], «postquam Conditori subditus esse noluit, iure dominium perdidit»: unde creaturae habent potestatem molestare hominem. Unde subiungit Augustinus [8]: «Nunc vero *vanitati similis factus est* [9]; ipso namque invito et animus plerumque turbatur et caro dolet et veterascit et moritur et quidquid aliud patimur».

5. Ad illud quod sequitur, dicendum quod non sequitur 'summa sanitas erat in carne utriusque primorum parentum, ergo erant aequalis fortitudinis corporalis'. Fortitudo enim in corpore humano causatur ex duobus, scilicet magnitudine

---

[a] T *animis.* [b] R *sic.* [c] V om. [d] L *illa.* [e] V *enim Mich.* pro *II M.* [f] T om. [g] R om. [h] V *aliud.* [i] Ita F (corr.), alii *si;* R om. *dicendum.* [k] Ita F (corr.), L *vero,* alii *nec.* [l] T om. [m] RL *violenta;* V *quia* pro *quod.* [n] S add. *ut.* [o] S om. [p] Z om. *et... volebat.*

1 Lombardi, in h. l. (PL 192, 133).
2 Cf. supra, p. 626, nota 8.
3 Cap. 3, n. 6 (PL 34, 395).
4 Hebr. 13, 4.
5 Cf. infra, num. 469.
6 Cap. 15, n. 2 (PL 41, 423).
7 *Hexaëm.*, I (PL 91, 31 sq.).
8 Loc. cit.
9 Psalm. 143, 4.

extremitatum sive membrorum convenienter dispositorum et multitudine spirituum. Unde, licet ratione aequalitatis complexionis convenirent in aequalitate spirituum, membrorum magnitudini proportionaliter respondentium, poterant tamen differre in magnitudine membrorum, et ita [a] differrent in magnitudine membrorum et multitudine spirituum. Praeterea, dictum per superabundantiam dupliciter intelligitur dici: vel quia omnibus superponitur, et sic uni soli convenit; vel quia valde approximat [b] termino a quo imponitur, secundum quod albissimum dicitur valde album: et sic intelligitur quod summam sanitatem corporalem habebant primi parentes; quod autem sic pluribus convenit, non necessario convenit modo indifferenti: propter quod, licet summa sanitas erat in corporibus illorum, non propter hoc sequitur quod erant [c] eiusdem fortitudinis.

CAPUT VI. 468

DE DIGNITATE CORPORIS EVAE.

Sequitur de corporis praedicti dignitate. Quaeritur ergo utrum fuerit tantae dignitatis sive nobilitatis quantae corpus virile vel maioris vel minoris.

Quod tantae, videtur: 1. Basilius[1] dicit: « Mulier et vir sunt eiusdem dignitatis ». — Si responderetur quod hoc est secundum animam – tunc opponitur quia hoc non potest esse nisi corpora eorum sint eiusdem dignitatis, quia dispositiones spirituum existentium in corporibus concomitantur dispositiones corporum quibus uniuntur. Unde secundum dispositiones corporum sunt dispositiones animarum perficientium ipsa corpora. Ergo secundum quod corpora digniora sunt et nobiliorum dispositionum, et animae similiter; ergo, si corpora sunt bene disposita sive bonarum dispositionum, et animae, eorum perfectivae, erunt similiter; si corpora meliorum dispositionum vel etiam optimarum [d], et animae similiter; ergo etc.

2. Item, nobilitas materiae distinguitur secundum nobilitatem formae[2]: non enim cuilibet materiae convenit quaelibet forma, sed nobilis nobili et nobilior nobiliori; ergo, cum aequalis nobilitatis sit forma sive perfectio corporis mulieris primae et perfectio corporis viri primi, ergo etc. Non enim ponitur quod animae virorum sint [e] nobilioris conditionis et melioris [f], mulierum ignobilioris et deterioris.

Quod autem corpus primae mulieris maioris fuerit dignitatis, videtur sic: 3. Nobilitas rei de qua fit aliquid sive materia, attestatur nobilitati eiusdem: unde quanto nobilior est materia de qua fit aliquid sive dignior, tanto illud nobilius est quod fit ex illa, ut quando fit aliquid ex auro, nobilius est illud vel consimile illo quod [g] fieret ex argento, et maxime ubi nullus est defectus ex parte efficientis. Similiter videtur de corpore humano quod illud dignius est et nobilius quod fit ex nobiliori materia. Ex quo ergo [h] corpus mulieris primae factum erat de materia nobiliori et digniori quam corpus viri, quia de osse et carne viri, Gen. 2, 23: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de* [i] *carne mea est,* corpus autem viri *de limo terrae,* Gen. 2, 7; ergo [k] etc.

4. Item, locus conditionis rerum primarum attestatur earum nobilitati: creaturae enim nobilissimae, scilicet spiritus angelici, conditae [l] erant in loco nobilissimo, scilicet caelo empyreo[3], minus nobiles et minus dignae in loco minus nobili; sed corpus mulieris conditum fuit in loco nobiliori, quia in paradiso, corpus viri in loco minus nobili, quia in agro Damasci[4]; ergo etc.

Contra, videtur quod corpus Adae nobilius erat et dignius corpore Evae, sic: *a.* Illud, quod est propter aliud, minus est dignum illo propter quod est, secundum illud Philosophi[5]: Unumquodque propter quod, illud [m] magis; sed sexus femineus [n] sive corpus femineum fuit propter virilem, I Cor. 11, 9: *Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum;* Glossa[6]: « Non est creatus Adam in auxilium Evae, sed Eva in adiutorium viri, ut ostendatur mulier subiecta viro ».

b. Item, in VI *Musicae*[7], Augustinus: « Omnino agens praestantius est patiente ». Et Philosophus[8]: « Omne agens nobilius est patiente »;

---

[a] V *illud.* [b] Ita VF (corr.), alii *approximet.* [c] R *erat.* [d] Codd. *opportunarum;* S om. *et.* [e] Ita V, alii *sunt.* [f] V add. *quam.* [g] Ita V, alii *quo;* Z om. *nobilius... illo.* [h] T om. [i] Ita V, alii *ex.* [k] R om. [l] VZ *conditi.* [m] S om. *philosophi... illud;* R *maius* pro *magis.* [n] S om.

1 Cf. supra, p. 626, nota 8.
2 Cf. Aristot., *De animal. generat.,* II, c. 3 (III, 352).
3 Cf. supra, num. 102 sq.
4 Cf. supra, num. 461. Hic ager dicitur situs iuxta Hebron; cf. B. Meistermann, *Guide de Terre Sainte,* Paris 1923, p. 357.
5 *Anal. Poster.,* I, c. 2 (I, 123).
6 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1632).
7 Cf. cap. 5, n. 8 (PL 32, 1167); *De Gen. ad litt.,* XII, c. 16, n. 33 (PL 34, 467).
8 *De anima,* III, c. 5 (III, 468).

sed sexus virilis est agere, mulieris pati [a], maxime in illo opere propter quod est distinctio sexuum, quae penes corpus attenditur; ergo corpus virile nobilius est corpore muliebri.

c. Huic nobilitati maiori sive maioritati nobilitatis maxime [b] attestatur quod Salvator noster naturam humanam assumpsit in sexu tali.

Respondeo quod, simpliciter loquendo, maioris dignitatis fuit corpus primi viri quam primae mulieris et [c] generaliter sexus virilis muliebri, et hoc multiplici ratione: Quia ratione [d] continentiae generalis; tota enim humana natura propaganda et etiam natura humana assumpta a Filio Dei erat in illo [e] secundum corpulentam substantiam, secundum Augustinum [1]. — Item, ratione productionis principalis: Quia, etsi corpus mulieris cooperabatur productioni humani generis, ab illo tamen fuit principalior productio, quia in productione vir erat agens, mulier autem patiens [f]. — Item, ratione vigoris sive roboris [g] amplioris. Corpus enim viri erat maioris vigoris et roboris corpore mulieris, ut ex dictis patet [2]. — Item, ratione conditionis nobilioris [h], quae attenditur penes sexum. Nobilior enim est sexus virilis sexu muliebri: sexus enim penes corpora distinguitur. — Item, ratione spiritualis significationis, quae ex coniunctione maris et feminae intelligitur, ut ex dictis patet [3].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [i] quod primo obicitur contra hoc per verbum Basilii dicentis quod 'vir et mulier sunt eiusdem dignitatis': dicendum quod ipse intelligit hanc aequalitatem esse [k] secundum animam, secundum quam sunt ad imaginem Dei [4]; unde subiungit explanando verbum propositum [5]: « Quia igitur eiusdem est in eis dignitatis secundum Deum imago [l], aequalis sit virtus et bonorum operum adiectio. In [m] omnibus enim quae ad veras pertinent virtutes, aequiparari potest, si vult, mulier viro ». Intelligit ergo eam [n] aequalis dignitatis quantum ad potestatem merendi. — Ex hoc patet responsio ad hoc quod obicitur contra hoc, quod, licet dispositiones spiritus concomitentur dispositiones corporis cui coniungitur sive quod perficit, non tamen ita enervatur [o] virtus ipsius ex huiusmodi concomitantia quin posset, si vellet, opera virtutum exercere et ad statum perfectionis, coassistente gratia divina, quae nulli, quantum de se est, subtrahitur, pervenire. Unde imbecillitas mulieris ratione corporis vel sexus non impedit quin mulier viro aequiparari possit in meriti dignitate, cuiusmodi manifestatio satis evidens est in vita et passione sacrarum virginum.

2. Ad illud quod sequitur, dicendum quod, etsi nobilitas materiae quandoque distinguatur secundum nobilitatem formae, hoc non est generaliter verum: in multis enim est instantia. Corpora enim caelestia nobilioris materiae sunt quam multa genera brutorum; nullum tamen est animal quod non perficiatur forma nobiliore quam aliquod corpus caeleste, cum haec a suis perfectionibus vita vigeant et sensu discernant, illa autem nequaquam [6]. Praeterea, in iis quae exeunt in esse secundum electionem et [p] arbitrium agentis, huiusmodi genus argumentandi nullam habet necessitatem. Artifex enim secundum arbitrii sui electionem operans, in materia nobiliori quandoque formam imprimit minus nobilem et in materia minus nobili nobiliorem. Quia ergo conditio animarum et earumdem infusio fit [q] secundum arbitrium et electionem Conditoris, hoc genus argumentandi nullum habet locum in proposito.

3. Ad illud quod sequitur quod 'materia, de qua fit aliquid, attestatur nobilitati' etc.: dicendum quod hoc verum est in iis quae [r] fiunt a virtute incompleta sive creata, cui confert materia in qua agitur; in iis autem quae fiunt sive producuntur in esse a virtute sive potentia prima, quia materia nihil confert ipsi agenti, ita nobilis effectus producitur in esse ex nihilo sicut ex aliquo vel nobilior, et ita nobilis effectus producitur in esse de materia minus nobili sicut de materia nobiliori, omnino iuxta nutum voluntatis ipsius agentis [7].

4. Ad aliud quod obicitur de loco conditionis corporis mulieris, patet responsio in Quaestione de loco conditionis corporis [s] Adae, ubi [t] determinatum est quod ratio conditionis mulieris in paradiso non fuit nobilitas illius, sed potius hoc factum fuit dispensatione divinae providentiae, ut ibidem tactum est [8].

---

[a] V add. *et.* [b] V om. [c] S om. [d] L om. *q. r.* [e] S om. *i. i.* [f] S *impatiens* pro *erat... patiens;* V om. *autem.* [g] L om. *s. r.* [h] T om. [i] L om. [k] Z om. [l] V add. *et.* [m] S *enim,* R *non;* L om. *enim.* [n] V *cum.* [o] Ita F (corr.), alii *enumeratur.* [p] S *per.* [q] Ita FZ, alii *sit.* [r] Ita V, alii *qui.* [s] L om. *mulieris... corporis.* [t] Ita VF (corr.), alii *unde.*

1 Cf. *De Gen. ad litt.,* X, c. 20, n. 35 (PL 34, 424).
2 Cf. supra, num. 467.
3 Cf. supra, p. 617a et 627b.
4 Cf. supra, num. 302.
5 *De hominis structura,* or. 1, n. 22 (PG 30, 35).
6 Cf. infra, num. 487.
7 Cf. supra, num. 432.
8 Cf. supra, p. 603, *ad 2.*

TRACTATUS TERTIUS

DE CONIUNCTO HUMANO

QUAESTIO I.

DE PASSIBILITATE NATURAE.

TITULUS I.

DE QUATUOR PRIMIS MODIS PASSIBILITATIS.

Determinato de corpore primi hominis, sequitur de coniuncto. De quo inquirenda sunt haec:

Primo, de passibilitate naturae;
secundo, de prolis propagatione;
tertio, de adiutorio gratiae;
quarto, de illuminatione scientiae [a];
quinto [b], de dominio praesidentiae;

De passibilitate quaeruntur plura:

Primo, si fuit passibilis;
secundo, si fuit passibilis per impressionum extrinsecarum receptionem [c];
tertio, si per membri vel substantiae alicuius ablationem;
quarto, si per aetatis mutationem [d];
quinto, si per corporis dissolutionem;
sexto, si per animae separationem.

CAPUT I. 469

UTRUM CORPUS PRIMI HOMINIS FUERIT PASSIBILE [1].

Circa primum quaeritur sic: utrum fuit passibile vel impassibile.

Quod passibile, videtur sic: 1. Nulla dos corporis glorificati est vel erat proprietas alicuius viatoris: hoc autem erat proprium solius Christi, qui assumpsit dotes in via; sed impassibilitas est dos corporis glorificati; ergo etc. — Item, hoc idem videtur per hoc quod nulla alia dos, scilicet claritatis, subtilitatis et agilitatis [e], conveniebat Adae; eadem ratione nec dos impassibilitatis.

2. Item, quod subiacet versioni sive corruptioni, subiacet et passibilitati; sed, secundum Damascenum, I libro, cap. 4 [2], « quae creabilia sunt, omnino sunt vertibilia: quorum enim esse a versione incipit, haec versioni subiecta sunt »; sed corpus primi hominis a versione incepit; ergo etc.

Contra: *a.* Passibilitas et impassibilitas sunt rerum passibilium et impassibilium proprietates, earum attestantes nobilitati maiori et minori, scilicet impassibilitas maiori, passibilitas minori; cum igitur multae creaturae corporales omnino sint impassibiles, sicut caelum et corpora

---

[a] Ita FZ in mg., alii om. *q. d. t. s.* [b] Ita FZ, alii *quarto.* [c] SFZ *impressionem extrinsecarum receptionum* pro *t. e. r.*; VT *extrinsecorum* pro *extrinsecarum*; T om. *si.* [d] V om. *q. s. p. a. m.* [e] S om. *e. a.*

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 19, a. 3, q. 1 (II, 468 sqq.). | [2] *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 795).

supercaelestia [1], quarum [a] omnium illa, de qua hic intendimus, fuit nobilissima [2], videtur quod omnino debuit esse impassibilis.

Respondeo: Ad hoc dicendum [b] quod neque omnino fuit impassibilis neque simpliciter passibilis. Unde Hugo [3]: « Sicut immortalem non dicimus primum hominem fuisse ante peccatum, ut mori omnino non posset, sic etiam nequaquam impassibilem fuisse credere debemus, quasi [c] nihil omnino pati potuisset, quia naturam in se passibilem habuit; sed tamen, si non peccasset, sicut nec mortuus, ita etiam sive ad molestiam voluntatis in mente sive ad corruptionem integritatis in corpore passus aliquid omnino non fuisset ».

Ad huius evidentiam notandum quod potentia cadit sub differentia multiplici [4]. Quaedam [d] est potentia obedientiae, quae scilicet solum perducitur [e] in actum [f] potentia prima: quo modo in costa fuit potentia ut ex ea fieret corpus mulieris, secundum quod dicit Augustinus [5] quod « in costa non erat ut ex illa fieret corpus mulieris, sed ut fieri posset ». Est et [g] alia, quae est solum materialis, ut illa quae passiva est tantum, nullam habens inclinationem sive appetitum ad actum [h] illius potentiae, potest tamen perduci [i] in actum actione creaturae, multiplici medio subiectum sive susceptibile disponente. Quod autem supra dictum est [6] quod potentia, quae est pure materialis, nullo modo [k] inclinata ad actum, solummodo divina potentia potest in effectum perduci, debet intelligi: nulla superveniente [l] forma sive dispositione media; multiplici tamen interveniente [m] forma sive dispositione [n] potest opere creaturae perduci in actum. Est et alia, quae est possibilis [o], ut illa quae habet aliquam inclinationem sive appetitum ad actum. Est et alia quae est propinquius disposita, ut est illa quae non solum est in [p] inclinatione qualicumque ad actum, sed habet aliquam dispositionem superadditam. Est et alia, quae est necessitatis, ut illa quae est in [q] coniunctione cum actu. Quaelibet [r] autem istarum trium potentiarum ultimo dictarum est potentia disposita, sed prima dispositione remota, secunda propinqua, tertia [s] coniuncta [t]. Quadam autem correspondentia tot modis potest dici passibilis, ut dicatur passibilis potens pati vel potentia obedientiae vel materiali vel possibili [a] vel disposita vel [b] necessaria. Et hoc dico, extenso nomine potentiae: proprie enim loquendo, potentia patiendi est [c] potius defectus potentiae quam potentia. Et quia, secundum Philosophum [7], si unum oppositorum dicitur multipliciter, et reliquum, tot modis dicitur impassibile. Et intendimus hic [d] de passibilitate et impassibilitate [e] secundum quod dicunt positionem vel [f] privationem passionis innaturalis, secundum quod dicit Damascenus, II libro [8], quod « passio est motus praeter naturam », et est haec passio cum contrarietate recipientis et recepti. Est enim quaedam passio naturalis, quaedam innaturalis, ut infra patebit [9].

Cum ergo quaeritur utrum primus homo in primo statu erat impassibilis, dici potest quod secundum quod per hoc quod dicitur 'impassibile' notatur privatio necessitatis ad patiendum vel dispositionis vel possibilitatis sive inclinationis, sic erat impassibilis. Quando enim erat in integritate naturae conditae, non erat in eo natura disposita vel possibilis, scilicet [g] aliqua infirmitate inclinata ad patiendum, sicut postea erat infirmior facta per peccatum. Secundum autem quod 'impassibile' dicit privationem potentiae primo modo sumptae vel secundo, sic non erat impassibilis. Non enim omnino non erat natura illa susceptibilis passionis, cum esset aliquo modo infirmabilis per lapsum in peccatum. Fuit ergo passibilis eo quod erat susceptibilis infirmitatis; impassibilis, eo quod non inclinatus sive declinatus ab integritate, in qua conditus erat, per infirmitatem. Unde neque omnino erat impassibilis neque simpliciter passibilis, ut vult Hugo [10].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur quod 'impassibilitas est dos corporis glorificati' etc.: dicendum quod eo modo quo est dos, non conveniebat primo homini. Secundum enim quod dicitur dos, sic dicit privationem omnino et omnis potentiae sive omnis modi patiendi [11], secundum quem modum, ut ex dictis patet, non dicitur ille fuisse impassibilis.

2. Ad aliud [h] quod sequitur, dicendum [12] quod Damascenus intendit determinare quod unum solum, scilicet ipsum Primum, sua natura et virtute est invertibile et immutabile [i], omnia alia sunt vertibilia et mutabilia de natura propria et

---

[a] Ita V, alii *quorum*. [b] S om. [c] VT *quod*. [d] Z add. *enim*. [e] VSL *producitur*. [f] L add. interl. *a*. [g] S *ut*. [h] Ita FR, alii *actus*. [i] V *produci*. [k] V om. [l] F (corr.) *interveniente*. [m] Z *superveniente*. [n] T om. *multiplici... dispositione*. [o] Ita TF (corr.) L, alii *passibilis*. [p] SL om., in F est add. interl. [q] S *cum*, TL om. [r] Ita V, alii *qualibet*. [s] L add. *est*. [t] Ita LZ (correcti), alii *remota*. [a] V *passibili*. [b] L om. [c] T om. [d] Ita F (mg.), alii om. [e] S om. *e. l.* [f] R *sive*. [g] F (corr.) *id est*. [h] Z *illud*. [i] V *cum* pro *e. l.*

1 Cf. Aristot., *De caelo*, I, c. 10 et II, c. 1 (II, 383, 389).
2 Cf. supra, num. 453-456.
3 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 18 (PL 176, 275).
4 Cf. supra, num. 239.
5 *De Gen. ad litt.*, IX, c. 18, n. 34 (PL 34, 407).
6 Cf. hic, parum supra.
7 Cf. *Topic.*, I, c. 13 (I, 182).
8 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 942).
9 Cf. infra, p. 634, sub *Respondeo*.
10 Cf. supra, nota 3.
11 Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 49, p. 2, sect. 2, a. 1, qq. 1 et 2 (IV, 1021 sqq.).
12 Cf. supra, num. 63-66.

virtute, quia nihil praeter Primum constat propria virtute. Propter quod nullo modo est vertibile in non-ens [a] neque etiam [b] est mutabile secundum electionem liberi arbitrii sicut rationales creaturae, quae sunt mutabiles secundum electionem per naturam et vertibiles in non-esse [c], nisi manu Dei, id est omnipotentia, conservarentur, ut dicit Gregorius[1] et Damascenus[2]. Licet ergo omnes creaturae sint mutabiles et passibiles modo iam dicto, non tamen sunt passibiles, loquendo proprie, secundum quod hic [d] intendimus de passibilitate et impassibilitate.

a. Ad aliud quo ostenditur quod 'primus homo debebat [e] esse omnino impassibilis ratione suae nobilitatis': dicendum quod impassibilitate sic sumpta non fuit praedita nec est aliqua creatura nec attestatur nobilitati creaturae, ut est creatura, sed ut est creatura completa in esse completissimo, ut scilicet quando totus appetitus illius satiatur. Unde [f], quando satiabitur appetitus humanus omnino, ut [g] quando apparebit gloria Creatoris, secundum Psalmistam [h 3], tunc dotabitur homo omnimoda [i] impassibilitate. Unde, licet primus homo esset in primo statu omnium creaturarum corporalium nobilissima, non tamen exigebat [k] status ille quod praeditus esset huiusmodi impassibilitate, sed solummodo status gloriae hoc exigit.

CAPUT II. 470

UTRUM PRIMUS HOMO FUERIT PASSIBILIS PER IMPRESSIONUM EXTRINSECARUM RECEPTIONEM.

Secundo quaeritur si fuit passibilis per impressionum [l] extrinsecarum receptionem.

Quod sic, videtur [m]: 1. Divina dispositione et ordine naturali corpora supercaelestia agunt in elementa et elementata[4], et hoc ab initio conditionis eorum; ergo, si divina dispositio non frustratur nec ordo naturae suspenditur nisi in casu vel opere mirabili, cum primus homo in statu primo cursu naturali ageret vitam et non mirabili, videtur quod corpora caelestia habebant actionem in illo, cum haberet corpus elementatum, et ita ab extrinseco passibilis fuit.

2. Item, ut habetur a Philosopho[5], durum est quod non cedit secanti sive sectioni et molle quod cedit; sed caro humana naturaliter mollis est et fuit in primo statu; ergo habuit necessitatem cedendi ictui lapidis vel gladii vel [n] alicuius huiusmodi, et ita ab extrinseco fuit passibilis.

3. Si diceretur quod, dum permansisset in [o] innocentia sua, protegeretur sive conservaretur a virtute superiori ab omni inferente sive potenti inferre laesionem: non propter hoc diceretur impassibilis, cum [p] potentia, qua non posset pati, non fuisset in eo, sed in alio: nullus enim denominatur ex aliquo quod non est in illo, sed tantum in altero.

4. Item, homo in statu innocentiae fuit passibilis secundum animam [q] ab extrinseco: potuit enim pati tentationes [r], deduci sive seduci vel falli, ut rei eventus ostendit; multo fortius fuit passibilis ab extrinseco secundum corpus: immediatius enim se habebat Deus [s] ad animam quam ad corpus; et ita ut prius.

5. Item, in statu illo sentire potuit ab obiecto extrinseco [t]; sentire autem est quoddam pati, ut vult Philosophus[6].

6. Praeterea, si sensitivum in statu illo delectabatur in medio — quod patet Gen. 3,6, cum dicitur: *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum et pulcrum oculis aspectuque delectabile* — videtur quod tristaretur in extremo, tum [u] per hoc quod passiones contrariae natae sunt fieri circa idem[7], tum per hoc quod, si oppositum est causa oppositi, et propositum est causa propositi[8]: contrariorum [v] enim contrariae sunt causae[9].

7. Item, homo in illo statu poterat moveri per appetitum sive desiderium habendi aliquid; huiusmodi autem appetitum passio aliqua concomitatur: non enim oritur appetitus alicuius in aliquo nisi potentia appetitiva aliquid patiente; et ita ut prius.

Contra: *a.* Omne quod patitur, ignobilius est eo a quo patitur[10]; sed corpus Adae, informatum anima, nobilissimum erat inter omnia corpora, sicut supra tactum est[11]; ergo a nullo corpore pati poterat ante peccatum.

b. Item, Isidorus, libro *De Trinitate*[12]: «Dum in paradiso homo innocenter viveret, ignis non

---

[a] S vacat. [b] S *enim.* [c] Z add. mg. *et alii similiter vertibiles sunt in non-esse,* quod L delev. per *vacat.* [d] S *sic.* [e] R *debet.* [f] T *ut.* [g] SR *unde,* quod F corr. [h] Z om. [i] Z *omni modo.* [k] S *erigebat.* [l] F *impressionem.* [m] Z add. *quoniam.* [n] Ita VFZ, alii *et.* [o] STL om. [p] T *est.* [q] S om. [r] F add. *et.* [s] V add. *tam.* [t] Ita F (corr.), L om., alii *intrinseco.* [u] SL *cum.* [v] T *contrario.*

1 *Moral.*, XVI, c. 37, n. 45 (PL 75, 1143).
2 Cf. *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 795).
3 Cf. Psalm. 16, 15.
4 Cf. Aristot., *Meteor.*, I, c. 2 (III, 552).
5 Cf. *De categor.*, c. 6 (I, 13).
6 *De anima*, II, c. 11 (III, 460).
7 Cf. Aristot., *Metaph.*, III, c. 5 (II, 508).
8 Cf. Aristot., *Topic.*, IV, c. 4 (I, 212).
9 Cf. Aristot., *De generat. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 464).
10 Cf. supra, p. 629b, sub litt. *b.*
11 Cf. supra, num. 455.
12 Potius *De ordine creatur.*, c. 10, n. 8 (PL 83, 940).

ureret, aqua non mergeret nec spinarum aculei vulnerarent neque aëris absentia suffocaret neque omnia, quae nocent hominibus mortalibus [a], impedirent ». Ergo etc.

c. Praeterea, si aliqua creatura exterior posset [b] in illum per actionem passionem [c] inducere, posset per actionem frequentiorem inducere corruptionem: quod est impossibile nisi vitium in ipso praecessisset; ostendit enim Augustinus, libro III *De libero arbitrio* [1], quod nihil alio potest corrumpi nisi in illo vitium praecedat [d].

Respondeo [e] quod est passio vel passibilitas proveniens ex impressione relicta ab extrinseco duplex, scilicet naturalis sive consona naturae et innaturalis sive destructiva naturae. Prima autem est duplex, quia quaedam respicit ea quae sunt ad salvationem esse, quaedam ea quae sunt ad perfectionem esse. Ea quae sunt ad salvationem esse respicit passio quae relinquitur ex operibus [f] generativae et nutritivae: opera enim generativae et nutritivae [g] passionem relinquunt, uniendo quod erat extra ei quod erat intra; unde passiones relictae opere generativae et nutritivae quodam modo ab extrinseco fiunt. Ad ea quae sunt ad perfectionem esse refertur passio, quae est ex receptione specierum sensibilium in organo sensitivae [h] et ex receptione specierum intelligibilium in intellectu. Huiusmodi autem passiones, quae erant consonae naturae, poterant relinqui ab extrinseco in primis parentibus in statu primo, et respectu huiusmodi passionum erant passibiles. Alio modo est passibilitas a passione innaturali, secundum quod dicit Damascenus [2]: « Passio est motus praeter naturam »; et haec passio, ut dictum est [3], est cum contrarietate receptibilis et recepti; haec autem est a contrario alterante et abiciente a substantia. Sumendo ergo passibilitatem hoc modo, potest dici quod anima fuit passibilis ab extrinseco, prout ' passibilis ' [i] dicit pure potentiam materialem, eo modo quo dictum est supra [4]. Secundum autem quod dicit potentiam dispositam dispositione coniuncta, propinqua vel remota, nequaquam, sed impassibilis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur quod ' et [k] divina dispositione et ordine naturali corpora caelestia agebant in corpore Adae ' etc: dicendum, sine praeiudicio, quod hoc [l] verum est, nulla tamen vehementia vel immoderantia, sed solummodo secundum quod conveniebat naturae ipsius, nihil [m] molestiae vel corruptionis inferendo. Unde Augustinus, XIV *De civitate Dei*, 26 cap. [5]: « Vivebat homo in paradiso sicut volebat. Quamdiu hoc volebat quod Deus iusserat, nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis eius sensibus ingerebat, nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus ». Et [6]: « Sicut in paradiso nullus aestus aut frigus, sic in eius habitatore nulla ex cupiditate vel timore accidebat bonae voluntatis offensio ». Unde, sicut tactum est [7], nulla erat in paradiso intemperantia sive intemperies caloris vel frigoris neque aliquid quod corporibus habitatorum nocere potuit. Unde, si quae impressiones relictae fuissent ex actione corporum supercaelestium, magis erant ad solatium naturae et iuvamen [n] quam ad contrarium.

2. Ad aliud quod obicitur quod ' corpus illud habuit necessitatem cedendi ' etc., sine praeiudicio dicendum quod hoc non est verum: nulla enim creatura in statu illo habebat potestatem [o] inferendi illi laesionem. Cuius sunt plures causae vel una ex pluribus connexa. Una est ordo divinae iustitiae, qua homini omnia subdita erant, dum in iustitia, qua conditus erat, Deo obediret. Unde Damascenus, II libro [8]: « Quia ex visibili et invisibili creatura conditurus [p] erat Deus hominem secundum propriam imaginem et similitudinem sicut quemdam regem et [q] principem omnis terrae et eorum quae sunt in ipsa, constituit ante eum velut quamdam regiam, in qua conversans beatam et omnium ditem habeat vitam ». Ex hoc ordine erat quod nulla creatura aliquam violentiam sive laesionem ei inferre poterat. Unde Sap. ultimo, 6: *Omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis* [r] *praeceptis ut pueri tui custodirentur illaesi.* Et loquitur ibi auctor de filiis Israel transeuntibus Mare Rubrum, quibus creaturae, effectae quasi conformes rebus sui generis in principio, id est in statu innocentiae, in nullo fuerunt molestae nec aliquam intulerunt molestiam. Quasi diceret: sicut in initio creaturae [s] non laeserunt neque habebant [t] potestatem laedendi hominem, sic obediendo tibi non habebant [u] potestatem laedendi [v] filios Israel transeuntes mare. Item, Glossa [9] super illud Gen. 1, 29: *Dixit Deus, ecce dedi vobis omnem herbam,* dicit: « Postquam Conditori subiectus esse noluit, iure dominium perdidit. In

---

[a] R om. [b] Ita F (corr.), alii *possit.* [c] S om. [d] V *procedat.* [e] L *responsio.* [f] S add. *generationis,* quod F exp. [g] S om. *opera... nutritivae.* [h] VT *sensitivo.* [i] V om. *a. e. p. p.* [k] V *ex.* [l] V om. [m] S *nisi.* [n] F (corr.) *iuvamentum.* [o] Z *possibilitatem.* [p] Ita SZ, alii *conditus.* [q] V *vel.* [r] V *eius.* [s] Z om. [t] R om. *n. l. n. h.* [u] Z add. *non.* [v] S om. *hominem... laedendi.*

1 Capp. 13 et 14 (PL 32, 1290).
2 *De fide orthod.*, II, c. 22 (PG 94, 942).
3 Cf. supra, p. 632b, sub *Respondeo.*
4 Cf. supra, p. 632a, sub *Respondeo.*
5 PL 41, 434.
6 Augustin., loc. cit.
7 Cf. supra, sub litt. *b* et num. 462, II.
8 *De fide orthod.*, II, c. 11 (PG 94, 911).
9 *Ordin. in Gen.* 1, 28, ap. Lyran., ex Beda, *Hexaëm.*, I (PL 91, 31 sq.).

testimonium[a] vero primae creationis legimus aves viris sanctis servisse[1] et rictus[b] bestiarum[2] et serpentum venenum cessisse[3] ». — Alia erat donum speciale[c] additum naturae, inseparabiliter concomitans naturalem iustitiam et perfectam obedientiam, qua subiecta erat omnino divinae voluntati, quo poterat dominari aliis creaturis et de eis facere quod volebat, sicut subiecit se dominio Creatoris et suae obediit voluntati. Unde Augustinus, *De civitate Dei*, XIV libro, 15 cap.[4]: « In paradiso non omnia poterat ante peccatum; quidquid tamen non poterat, non volebat, et ideo poterat omnia quae volebat ». Et sicut patet ex serie litterae, haec potestas ei[d] congruebat ex hoc quod omnino obediens erat. Unde, sicut[e] dicit Augustinus, VI *Super Genesim ad litteram*[5], quod primus homo erat « mortalis conditione corporis, immortalis beneficio Conditoris », sic potest probabiliter opinari quod passibilis erat conditione corporis, eo tamen modo quo dictum est[6], impassibilis beneficio Conditoris, id est aliquo dono sibi praestito. Unde non habebat necessitatem cedendi alicui violentiae, si occurrisset, sicut non habebat necessitatem moriendi, etiam si occurrisset aliquid quod posset mortem inferre post lapsum. — Tertia erat influentia divinae virtutis conservantis, quia dum homo erat omnino ad Deum conversus, ut qui erat praeditus habitu iustitiae naturalis informato[f] gratia, efficaciae maioris erat virtus divina in[g] ipsius conservatione in esse quam post aversionem: cuius signum est quod aversus a Deo, statim addictus[h] fuit necessitati patiendi. Divina tamen virtus in nulla parte sibi subtrahebatur quantum erat ex parte virtutis, sed ipse se subtraxit ab illa, minus eam reddens efficacem propria aversione. Iis igitur tribus concurrentibus necessario fuit primus homo impassibilis.

Hugo vero de S. Victore[7] duo ponit, quibus existentibus non pateretur, scilicet propria providentia et divina. Propria, ut in fugiendis et appetendis et utendis nihil negligeret[i]; divina, qua omnis violentia repelleretur. Unde, quia providentia humana nihil negligente, semper divina repelleretur omnis[k] violentia, hac duplici custodia custodiretur a laesione. Dicit ergo sic: « Data est homini ratio et providentia, per quam hanc vitam suam inferiorem custodiret, eadem providentia naturali fugiendo noxia, salubria appetendo, mediis ad utrumlibet utens. Hac ergo custodia munitus negligentiam vitare potuit, sed violentiam repellere non potuit. Propterea rationi humanae adiuncta est providentia divina, quasi[l] ratio humana in parte una vigilaret contra negligentiam, providentia autem divina[m] in parte altera staret[n] contra violentiam. Hac itaque gemina custodia munita civitas vitae humanae nullis adversis laederetur, quia, si ratio humana non tepuisset aversa[o] per negligentiam, providentia divina nunquam in homine violentiae locum dedisset; quia vero ratio primum[p] per negligentiam locum suum deseruit, divina postmodum providentia iuste se a custodia sua subtraxit ». Ex iis verbis videtur quod negligentia fuit prima dispositio primi hominis peccantis vel primum peccatum. Nec haec quae dicuntur ab Hugone[q] contraria sunt[r] praedictis, quia illis duobus, quibus, secundum Hugonem, munitus erat homo ne illi posset laesio aliqua inferri, exprimuntur duo, quorum uno poterat caveri a peccato, qua existente cautela, alio repelleretur omnis violentia, scilicet divina providentia, qua provisum esset homini tribus modis praedictis. Praeterea, quod dicit[8] quod[s] « violentiam repellere non potuit », hoc intelligendum est, si sibi sive naturae propriae, non assistente sibi divina providentia speciali tuitione, relinqueretur. Licet ergo caro primi hominis in statu illo mollis esset, non tamen habebat necessitatem cedendi actioni violentae[t] propter causas praetactas. — Quod autem dicitur a Philosopho quod 'durum est quod non cedit' etc., secundum quod generaliter est verum, intelligendum est in statu corruptionis.

3. Ad illud quod obicitur quod 'propter hoc quod protegebatur a virtute divina a laesione, non debebat dici impassibilis' etc.: dicendum quod[u], quia illa protectio ex ordine divinae iustitiae necessario inseparabiliter fuit assistens homini, in statu illo quasi naturale illi reputabatur. Sicut enim in omnibus actionibus nostris, quantumcumque sint[v] naturales, est divina virtus intime agens, nihilominus quod huiusmodi actionibus fit, a nobis fieri dicitur: sic[x] est in proposito. Nec intelligendum est quod illa protectio erat consimilis illi qua proteguntur sancti miraculose, quia fuit quasi naturalis, secundum quod dicitur naturale quod est idem apud[y] omnes, secundum Boethium[9]; quotquot enim vixissent in

---

[a] V *intellectum* pro *i. t.* [b] Ita FZ, alii *ritus*. [c] VL *spirituale*. [d] SL *enim*. [e] V om. [f] STRL *informata*, Z *informate*. [g] Z om. [h] TZ *additus*, quod F corr. [i] Codd. *negligere*. [k] T *divine*. [l] V *ut*. [m] Ita V, T om. *a. d.*, alii om. *divina*. [n] F *staretur*. [o] VTL *aversus*. [p] V *primo*. [q] L *Augustino*. [r] S add. *a*, quod F exp. [s] Z om. [t] L *violentie;* SR *actionem* pro *actioni*. [u] STLZ om. [v] R *sunt*. [x] Z *sicut*. [y] Ita F (corr.), alii *quod;* V *omne* pro *omnes*.

1 Cf. III Reg. 17, 6. 2 Cf. Dan. 6, 22.
3 Cf. Act. 28, 3sqq.
4 Num. 2 (PL 41, 423). 5 Cap. 25 (PL 34, 354).
6 Cf. supra, p. 632a, sub *Respondeo*.
7 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 9 (PL 176, 269).
8 Nempe Hugo de S. Vict., hic parum supra.
9 *De consol. philos.*, III, prosa 4 et IV, prosa 2 (PL 63, 757 et 792sq.).

integritate illa innocentiae et iustitia naturali, et quantumcumque illa gavisi fuissent protectione.

4. Ad illud[a] quod sequitur, dicendum quod tentatio quandoque dicit actum tentationis simpliciter, quandoque actum tentationis prout relinquit passionem in tentato: passionem dico inclinantem affectum ad consentiendum tentatori. Primo modo sumpta tentatione potuit homo pati tentationes in primo statu, scilicet verba tentatoris vel nutus[b] concipiendo. Haec autem passio sive passibilitas non est[c] innaturalis, sed potius naturae consona, eo modo quo consonum est naturae quod est ad eiusdem perfectionem, secundum quod receptio specierum sensibilium et intelligibilium est ad perfectionem sensitivae et intellectivae. Secundo modo sumpta tentatione non potuit: non enim tunc[d] inclinari posset ad consentiendum diabolo tentanti nisi praecessisset in eo corruptio aliqua. Unde Augustinus, III[e] libro *De libero arbitrio*[1]: « Si natura, quae accedit cum vitio suo ad aliam corrumpendam[f], non in ea corruptibile invenit, non eam corrumpit, si autem invenit, adiuncto eius vitio corruptionem eius[g] operatur ». Unde Augustinus, *Super Genesim*[2]: « Non est arbitrandum quod hominem deiecturus esset tentator, nisi praecessisset in eo elatio quaedam comprimenda ». Unde, ut habetur ab Augustino[3], audito *'si comederitis, eritis sicut dii, scientes bonum et malum'*[4], subrepsit elatio quaedam et amor propriae potestatis, quo appetebat quod proprie[h] erat Dei, scilicet immortalitatem, ut volunt quidam, sive scientiam boni et mali, et ex hac perversa voluntate excaecata credidit diabolo. Unde pati hoc ultimo modo et deduci[i] seu seduci non potuit in primo statu.

5. Ad aliud[k] quod sequitur, dicendum quod pati potuit in illo statu[l] prout sentire est pati; huiusmodi autem passio est naturae consona, ut dictum est[5].

6. Ad aliud quod obicitur, scilicet quod 'si in illo statu potuit delectari in medio' etc.: dicendum quod est delectatio inordinata sive immoderata, ut illa quam concomitatur libido sive appetitus libidinosus: haec non poterat esse in statu primo; unde mulier non delectabatur in aspectu fructus nec movebatur appetendo illum perverse, scilicet contra divinum praeceptum, antequam peccaverat, sed post. Et[m] est delectatio ordinata et moderata sine omni motu libidinoso: hanc potuit homo habere in illo statu, scilicet volendo uti fructibus sibi concessis ad praeveniendum defectum naturalem, quem incurreret si alimonia non uteretur. Quare autem non tristaretur in extremo, si delectaretur in[n] medio, ratio est, quia tristitia poena est et passio innaturalis, scilicet quantum ad naturam conditam, quae ex ordine iustitiae divinae non poterat[o] praecedere culpam. — Ad illud quod obicitur quod 'contraria nata sunt fieri circa idem': dicendum quod hoc non est verum, ubi alterum tantum inest; quod fuit in illo statu. — Ad illud quod tangitur quod 'oppositum fuit causa oppositi' etc.: dicendum quod non est verum[p], proprie sumendo oppositum, eo modo quo extremum est oppositum extremo, quia medium est causa delectationis; medium autem non opponitur proprie extremo. Praeterea, huiusmodi genus argumentandi 'oppositum est causa oppositi, ergo propositum est causa propositi' non habet necessitatem prout opposita eidem subiecto comparantur, nisi utrumque possit inesse: ubi enim tantum alterum inest, non habet necessitatem; unde in proposito non habet necessitatem hoc genus argumentandi, quia tantum alterum infuit, alterum autem inesse non potuit.

7. Ad ultimum dicendum quod in statu illo poterat esse motus appetitivae[q] ad aliquid habendum et appetitivae sensibilis et rationabilis, sed sensibilis[r], non ut moveretur contraria rationi, sed prout moveretur obediendo rationi: unde et passio concomitans non fuisset innaturalis, sed consona naturae. Unde non est inconveniens hominem in primo statu fuisse passibilem sustinentia motus appetitivae modo iam dicto[s].

471

CAPUT III.

UTRUM PRIMUS HOMO FUERIT PASSIBILIS PER MEMBRI ALICUIUS ABLATIONEM.

Tertio quaeritur I. si fuit passibilis per membri sive substantiae alicuius ablationem[t].

Quod sic, videtur 1. per Magistrum, dicentem[u] II *Sententiarum*, dist. 17[6]: « Dormienti

---

[a] T *aliud.* [b] VL (corr.) *intus*, SR *virtus.* [c] L exp. [d] L om. [e] RZ *in.* [f] Codd. add. *si.* [g] Z om. [h] V *proprium.* [i] SR *didici*, quod TFL corr. [k] SZ *illud.* [l] R om. [m] Z *aut.* [n] R om. *e. s. d. i.* [o] Z *potuit.* [p] T *hoc non verum* pro *n. e. v.* [q] T *appetitum.* [r] S om. *e. r. s. s.* [s] V *iam dicte* pro *m. i. d.* [t] F *oblationem.* [u] R om.

1 Cap. 14, n. 39 (PL 32, 1290).
2 Lib. XI, c. 5, n. 7 (PL 34, 432).
3 Cf. loc. cit., c. 30, n. 39 (PL 34, 445).
4 Gen. 3, 5.
5 Cf. hic parum supra, et p. 634a, sub *Respondeo.*
6 Dist. 18, c. 3 (p. 388).

potius quam vigilanti detracta est costa, ut nullam [a] in eo sensisse poenam monstraretur ». Ergo, si ad evasionem poenae ablata est costa in dormiendo, poterat ergo pati in vigilando.

2. Praeterea, causa cur aliquando [b] non sentiatur, duplex est [c]: membri mortificatio, sicut patet in paralytico, vel animae a corpore separatio, sicut patet in mortuo; sed Adam neque erat paralyticus neque mortuus. — Si addatur tertia causa, oppressio somni, in quo est quies animalium virtutum cum intensione naturalium [1]; ut enim patet in pluribus animalibus et maxime in glire qui non sentit motus maximos et passiones non modicas propter somni vehementiam: unde similiter posset poni in proposito – hoc nihil est [d], quia saltem post somnum, cum anima sentit [e] membra inefficacia [f] neque ex eo potest elicere debitas operationes, sentitur dolor; et saltem post soporem Adam sensisset poenam, sicut glis combustus post exustionem [2]; et ita videtur quod fuit sensibilis [g] per membri ablationem.

3. Item, quanto maior est aliquorum unitorum amicitia, tanto vehementioris [h] doloris causa est eorum separatio: unde, quia animae et carnis colligantia est maximae amicitiae, eorum separatio est causa maximi doloris; si ergo maxima fuit amicitia naturalis inter partes corporis illius, non poterat earum [i] fieri separatio sine dolore. Unde Augustinus, libro *De ordine rerum* [3]: « Dolor inde [k] perniciosior est, quia id, quod unum erat [l], discindere nititur ». Propter hoc dicitur dolor « distantia [m] partium naturalium [4] ».

4. Item, rerum passibilium eiusdem generis quanto aliqua est nobilior, tanto citius [n] patitur illata sibi violentia aliqua: unde membra nobiliora in homine citius laeduntur illata sibi violentia et magis patiuntur aliis; ergo, cum natura Adae fuisset nobilissima in genere hominum, videtur quod non [o] sine gravi laesione posset sibi membrum abscidi.

II. Et quia dicit Magister [p] [5] quod dormienti viro non sine causa detracta est costa, incidenter quaeritur hic utrum homo tunc indiguit somno.

Et [q] **videtur quod sic:** 1. Quia Philosophus, in libro *De somno et vigilia* [6], concludit necesse esse [a] omne quod vigilat, contingere [b] dormire.

2. Item, si corpus primi hominis fuit animale, id est indigens alimonia [7], somnus autem confert [c] nutritivae, ut habetur a Philosopho [8], primo homini nihil fuit subtractum quod expeditioni naturae illius conveniebat: videtur quod quandoque gratus et conveniens fuerit illi somnus.

3. Item, Philosophus determinat, in libro *De somno et vigilia* [9], quod omnia animalia communicant somno; sed Adam erat animal, habens etiam [d] corpus animale [10]; ergo etc.

Contra: *a.* Ut ostendit Philosophus [11], necessitas somni est languor et fatigatio sensuum; haec autem primo homini in statu primo non conveniebant; ergo etc.

b. Item, Philosophus [e] [12], ponens causas somni, determinat quod causa somni est ascensio fumi a cibo, qui digeritur in stomacho per naturam caloris, usque ad cerebrum [f], ubi infrigidatur ex frigiditate cerebri — cerebrum enim est frigidum et humidum — et infrigidatus [g] naturaliter descendit [h] ad organa sensuum et opprimit ea et maxime oculos; haec autem oppressio poena est et est [i] causa somni; cum ergo poena culpam non praecesserit nec poterat praecedere existente ordine divinae iustitiae, videtur quod utrumque sit impossibile, scilicet primum hominem in statu primo poenam sustinuisse in membri abscissione et etiam somno indiguisse vel dormivisse.

Respondeo I. quod ad hanc quaestionem, scilicet [k] si primus homo fuit passibilis per membri alicuius ablationem, respondendum est sicut [l] supra [13]. Secundum enim quod 'passibilis' dicit potentiam obedientiae vel materialem, passibilis fuit; secundum quod dispositam [m] modis supra dictis, nequaquam.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud [n] quod dicit Magister, in *Sententiis*, « ut nullam in eo fuisse poenam, monstraretur » etc.: dicendum quod non est intentio Magistri dicere quod, si subtracta esset costa ipso vigilante, quod poenam sensisset, sed ostendere per hoc intendit quod nihil sensit in costae subtractione [o]. Unde more humano communiter loquitur, ut sicut aliqui [p], quando sunt rapti, usum sensuum actualem

---

[a] TL *nulla.* [b] F add. mg. *pena.* [c] R *esse.* [d] L om. [e] R add. *per;* S om. *anima.* [f] F *inefficaciam.* [g] V *insensibilis.* [h] V *vehementius.* [i] Ita VF (corr.), alii *eorum.* [k] Z *ille.* [l] L exp. [m] Ita VTR, alii *distantiam.* [n] S *carius,* T *carnis,* quod L corr. [o] S om. [p] SZ *multipliciter.* [q] L om.

[a] R *est,* quod F corr. [b] Z om. [c] R *infert.* [d] TL (corr.) *secundum,* quod F exp. [e] V om. [f] R *stomachum.* [g] V *infrigiditatus.* [h] Z *ascendit.* [i] T om. [k] V om. [l] R om. [m] Ita V, alii *dispositiva.* [n] R om. [o] STFRL *abstractione,* Z *ablatione.* [p] Z om. *u. s. a.*

1 Cf. Aristot., *De somno et vigil.*, c. 3 (III, 504).
2 Cf. Isidor., *Etymol.*, XII, c. 3, n. 6 (PL 82, 441).
3 Lib. II, c. 18, n. 48 (PL 32, 1017 sq.).
4 Hanc definitionem improbat Aristot., *Topic.*, VI, c. 6 (I, 245).
5 Cf. supra, p. 636, nota 6.
6 Cap. 1 (III, 501).
7 Cf. supra, p. 590b, in *Solutione.*
8 Cf. loc. cit. (III, 502).
9 Loc. cit. (III, 501).
10 Cf. supra, num. 457.
11 Loc. cit., c. 3 (III, 504).
12 Loc. cit.
13 Cf. supra, pp. 634a et 632a, sub *Respondeo.*

amittunt, unde dolorem non sentiunt, similiter loquitur de Adam, qui tunc non sensit, sopore [a] ligatis sensibus. Unde non dicit ' ut nullam poenam sentiret ', sed « ut nullam sensisse monstraretur ». — Vel potest dici quod revera tunc non doluisset, scilicet ante peccatum, nisi dicamus dolorem forte displicentiam naturalem dissolutionis suae [b] continuitatis; sed post peccatum posset sibi [c] esse fomentum horroris ex recordatione, sicut accidit illis qui gravia sustinuerunt vulnera, quod post sanitatem in recordatione horrore concutiuntur: et sic poena illa horroris posset esse causa odii inter virum et mulierem. Secundum hoc ergo sic [d] intelligi debet « ut nullam in eo sensisse poenam monstraretur », scilicet per affectum odii vel affectum [e] horroris post lapsum.

2. Ad aliud dicendum quod insensibilitatis poenae prima et per se causa et generalis est innocentia sive immunitas a culpa sive ordo divinae iustitiae nolens poenam inferri sine merito culpae: et haec fuit causa quare non sensisset Adam poenam in ablatione costae, etiam si detracta fuisset ipso vigilante. Vehemens oppressio somni, paralysis et separatio animae a corpore vel abstractio, ut in raptu, sunt causae consequentes et particulares. Unde divisio praetacta non est sufficiens, nulla facta determinatione status alicuius.

3. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod separatio unitorum colligantia naturali et amicitia est [f] causa doloris et poenae in statu poenali. In statu [g] autem a quo ordine iustitiae divinae omnis poena exclusa erat, sicut in statu innocentiae, nulla divisio vel separatio erat poenalis. Quantum ad statum poenae addictum veritatem habet illud verbum Philosophi: « Dolor [h] est distantia partium naturalium »; similiter verbum Augustini praedictum. Videtur tamen insipientiae meae, salvo meliori iudicio, quod consideratis rebus existentibus in statu illo, secundum quod erant subditae ordini divinae iustitiae, nihil fuit nec potuit esse homini poenale. Consideratis autem rebus [i] absolute, secundum naturarum [k] propriarum conditiones, una creatura alii poterat laesionem inferre, qua illata sequeretur poena et dolor. Et secundum hoc habita consideratione, si Adam fuisset mutilatus pede vel [l] manu, poenam sustinuisset et dolorem; habita autem consideratione prima, impossibile fuit ipsum [m] a creatura mutilari vel poenam mutilationis sentire [n]. — Si autem poneretur quod Deus permisisset diabolo inferre illi laesionem mutilationis vel alicuius corporalis afflictionis, sicut fecit de [o] Iob [1], nonne tristatus esset de difformitate [p] mutilationis et doluisset de laesione? Dicendum quod haec positio tollit ordinem divinae iustitiae. Unde, ut aestimo, tristatus esset et poenam sustinuisset et fortasse [q] tanto maiorem quo naturam habuit meliorem, secundum illud Augustini [2]: « Dolor est testimonium naturae bonae ».

4. Et ex hoc patet responsio ad illud quod sequitur. Si enim natura in Adam esset sibi relicta, quod providentia divina sive [r] ordine divinae iustitiae non esset custodita a laesione, vehementissime passus esset in membri alicuius ablatione.

II. Ad aliud quod quaeritur de somno eius, dicunt quidam [3] quod habebat necesse dormire sicut et comedere, unde praeveniret famem comedendo sicut praevenit [s] fatigationem sensuum dormiendo. Secundum ergo hanc opinionem dici potest quod languor vel fatigatio ibi non fuit causa praecedens somnum, sed haec debebat somnum praevenire; unde cautela et vitatio talium poenalitatum fuit causa somni. Et ad hoc potest induci [t] quoquo modo quod [u] dicit Augustinus, XIV *De civitate Dei* [4]: « Non lassitudo fatigabat otiosum nec somnus premebat invitum ». Quasi diceret: non oppressus aliquo modo dormivit tunc sicut post culpam, sed voluntarius dormivisset, quando videret sibi conveniens. Et ex hoc patet responsio ad illud quod sequitur.

Aliter autem videtur aliquibus, scilicet quod nullam habuit necessitatem dormiendi et quod non dormivisset: quod videtur mihi probabilius. Et haec videtur fuisse opinio Isidori et Gregorii. Isidorus enim, in libro *De ordine creaturarum* [5], ubi enumerat miserias in quas cecidit homo per peccatum, enumerat somnum, dicens sic: « In huius vitae defectu pari infirmitatis conditione pauperes et reges, stulti et sapientes vexantur; nam sensus omnes somno indigent ». Item, Gregorius, libro VIII *Moralium* [6]: « Omnis homo in Adam primo parente nostro persuasionibus serpentis captus, dum, Domini praecepta contemnens, eum peccando dereliquit, humilitatis arcem [v] deserens, ad infirmitatis iugum superbiendo pervenit et cervicem cordis erigendo supposuit, quoniam qui subesse divinis iussionibus noluit, sub suis se necessitatibus stravit ».

---

[a] T *sapore*, quod F corr. [b] Z *sive*. [c] L *ibi*. [d] V om. [e] F (corr.) R *effectum*, L *officium*. [f] T add. *autem*, FZ add. *etiam*. [g] V om. *p. i. s.* [h] R add. *autem*. [i] V *ex iis*. [k] S *naturam*. [l] R om. [m] S om. [n] Z om. [o] T *deus*. [p] T *deiformitate*. [q] V *forte*. [r] VTRZ *sine*. [s] S *provenit*. [t] V *dici*. [u] V *ut*. [v] ST *artem*, R *nostre*.

[1] Cf. Iob 2, 6-7.
[2] *De civit. Dei*, XIX, c. 13, n. 2 (PL 41, 641).
[3] Cf. Anselm. Laudun., *Sentent.* (p. 66).
[4] Cap. 26 (PL 41, 434).
[5] Cap. 12, nn. 2-3 (PL 83, 944).
[6] Cf. c. 32, n. 52 (PL 75, 834).

Et post inter illa quae numerat, dicit[1]: « Labore vexatur[a] ne quiete torpeat, quiete refovetur ne laboris exercitatione succumbat, fatigata[b] vigiliis somno reparatur, oppressa[c] somno vigiliis excutitur ne sua peius quiete lassetur ». Ad hoc videntur duo persuadere, scilicet sublimatio eius quantum ad statum animae et seclusio omnis poenae quantum ad statum corporis et animae. Quantum enim ad animam, tantum sublimatus fuit per affectivam[d] quod Deo fruebatur[2] — unde Augustinus, XIV *De civitate Dei*, 26 cap.[3]: « Vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus » — et per cognitivam, quod[e] Deum per praesentiam contemplabatur[f][4]. Unde Hugo[5]: « Cognovit homo Creatorem suum, non ea cognitione[g] quae foris ex auditu solo percipitur, sed ea potius quae intus per aspirationem ministratur; non ea qua Deus modo a credentibus absens fide quaeritur, sed ea qua tunc per praesentiam contemplationis scienti[h] manifestus cernebatur ». Nec tamen illa fruitio fuit illius plenitudinis sive beatitudinis[i] quae est beatorum in patria nec illa contemplatio fuit contemplatio comprehensoris, sed maior ea quae est viatoris per fidem. Unde Hugo[6]: « Sciendum est[k] quod illam primam cognitionem hominis, quam de Creatore suo habuit, sicut maiorem et certiorem illa cognitione, quae nunc in sola fide constat[l], veraciter dicimus, ita etiam illa, quae postmodum in excellentia contemplationis divinae manifeste revelabitur[m], minorem necesse est confiteamur ». Cum ergo anima ita erat sublimata et tanta iucunditate beata, quae debuit illi esse voluntas dormiendi et privandi se ad horam modicam tanta vitae felicitate[7]? — Si diceretur quod ut defectus ex parte corporis praeveniret – hoc non oportuit, cum per usum ligni vitae ab omni defectu poterat custodiri. Unde Hugo[8]: « Ligni[n] vitae virtus tam[o] mirabilis perhibetur, ut, certis temporibus sumptum, vitam corporalem in homine, quamdiu ipse homo illo uteretur, non solum a morte, sed ab omni etiam defectu illaesam custodire potuisset ». — Praeterea, ab isto statu fuit seclusa omnis poenalitas sive poena. Causae autem somni poenales sunt. Una enim causa somni est oppressio sensuum, causa supra dicta, ut determinat Philosophus[9]. — Alia est oppilatio viarum virtutis sensibilis a corde procedentis. Dicit[p] Avicenna[10] quod somnus fit ex evaporatione corpulenta, ascendente ex nutrimento in stomacho et sursum lata ad cerebrum et ibi ex frigiditate cerebri infrigidata et in descendendo oppilante vias virtutis sensibilis a corde ad organa exteriora procedentis; et ex hoc sequitur reciprocatio caloris naturalis ad interiora et per consequens sensuum ligatio et immobilitatio[q]. — Alia est privatio organorum naturalis caloris. Unde Galienus[11]: Somnus est revocatio caloris exterioris ad interiora, ut digeratur nutriens. Et hoc fit hoc modo: post sumptionem cibi calor deserendo exteriora, transfert se ad interiora ad cibi digestionem. Unde accidit quod organa, privata[r] calore naturali, actiones suas, quae omnes fiunt per calorem, exercere non possunt, sed deficiente calore torpescunt spiritus[s] et membra deficiunt et labuntur in somnum. — Praeterea, labor est causa; unde Philosophus, libro *De somno et vigilia*[12]: « Amplius ex laboribus quibusdam », supple 'est somnus'. Et subdit: « Nam labor colliquativum est; colliquativum vero fit quemadmodum nutrimentum indigestum »; colliquativum est idem quod dissolutivum, hoc est labor dissolvit corpus et facit multam vaporum elevationem sicut nutrimentum indigestum. — Praeterea, aegritudo est causa; unde Philosophus, eodem libro[13]: « Et aegritudines quidem illud idem faciunt quaecumque a superfluitate humida et calida, ut accidit febricitantibus vel lethargicis[t] ». — Praeterea, aetas puerilis est causa; unde Philosophus, eodem libro[14]: « Amplius autem prima aetas; pueri enim dormiunt vehementer, eo quod nutrimentum fertur sursum omne[u] ». Et post quibusdam interpositis, dicit: « Cum multus feratur spiritus », id est evaporatio, « sursum, rursum[v] descendendo venas tumefacit, quibus coarctat poros, ubi fit respiratio ». Hae autem causae poenales sunt, et omnino a statu illo seiunctae: propter quod videtur quod somni tunc nulla erat indigentia.

Quod concedimus, opinando, non asserendo, dicentes quod, si aliquo modo praevenienda fuit membrorum fatigatio per quietem, praevenienda fuit sopore, non somno. Somnus enim, proprie sumptus et eo modo quo de eo disserunt[x] philosophi, potius praevenitur

---

[a] Ita VL (corr.), alii *vegetatur*. [b] S om. [c] L (corr.) Z *oppresso*. [d] Ita VF (corr.) L (corr.), alii *effectivam*; V *qua* pro *quod*. [e] Z om. [f] Ita V, alii *contemplatur*. [g] L om.; R *nam* pro *non*. [h] S om., V *sciens*. [i] S om. *s. b.* [k] V om. [l] V *confert*. [m] V add. *unde*. [n] Ita V, alii *lignum*. [o] STL *causa*; T om. *virtus*. [p] F add. *enim*; TFL *Averroes* pro *Avicenna*. [q] STR *innobilitatio*, quod FL corr. [r] F *privato*. [s] R om. [t] SL *pletargicis* pro *v. l.*, quod F corr. [u] SRZ om., in F est add. mg. [v] Ita F (mg.), alii om. [x] T *dixerunt*.

1 Loc. cit., n. 53 (PL 75, 834).
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 3 (II, 542sqq.).
3 PL 41, 434.
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 18-19.
5 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 14 (PL 176, 271).
6 Loc. cit.
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 18, a. 1, q. 1, *ad 4-6* (II, 433sq.).
8 Loc. cit., c. 31 (PL 176, 283).
9 Cf. supra, p. 637, nota 12.
10 Cf. *De anima*, p. 4, c. 2 (f. 19a).
11 Cf. *Ascriptae finitiones medicae* in *Galeni Isagogici libri* (ed. Iuntas, Venetiis 1586, f. 45a).
12 Cap. 3 (III, 504), ubi et sequens.
13 Loc. cit.
14 Loc. cit. (III, 505), ubi et sequens.

fatigatione quam e converso, ut patet ex dictis. Si ergo debuit aliquis defectus praeveniri quiete, debuit praeveniri quiete soporis, non somni. Differunt enim somnus et sopor, quia somnus est quies animalium virtutum cum intensione naturalium [1]; sopor est quies animalium virtutum cum intensione intellectualium. Unde quies soporis non privat animam iucunditate aliqua quam habet ex conversione sive elevatione mentis ad Deum, sicut facit somnus, nec ponit illud corpus alicui addictum poenalitati [a]. Unde haec positio in nullo illi statui praeiudicaret [b].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur contra hoc, dicendum [c] quod Philosophus [d] intendit ostendere quod somnus et vigilia sunt eiusdem [e] subiecti sive quod habent fieri circa idem, id est eamdem partem animalis, hoc est circa illud circa quod est sensus [f], sicut habitus et privatio habent fieri circa idem. Dicit enim sic [2]: « Manifestum quoniam [g] circa idem animalis vigilia et somnus est; opponuntur enim et videtur vigiliae somnus quaedam privatio ». Ex hoc non sequitur absolute et simpliciter quod, si quis vigilat, necesse habet dormire, sicut non sequitur 'si [h] videt, necesse est caecum fieri'. In statu tamen et materia, de qua loquitur Philosophus, bene sequitur: loquitur [i] enim de illis in quibus accidit languor et fatigatio organi propter operis excessum [k] et temporis diuturnitatem. Ostendit enim quod, quia omne [l] animal habet opus secundum tempus determinatum, et [m] excedendo illud tempus necesse habet languere, ad recreationem et reparationem languentis necessaria est illi quies somni; sed nulla poterat esse fatigatio vel languor huiusmodi in statu innocentiae, cum omnis defectus huiusmodi praeveniendus erat usu ligni vitae, ut habetur ab Hugone [n] [3]. Praeterea, somnus recreat post languorem sive poenam, non autem est opus illius praevenire poenam.

2. Ad illud quod obicitur postea, dicendum quod qualitates elementares in corpore primi hominis se habebant in unione potissima et amicitia, ut supra tactum est [4], et eo maioris erant virtutis et potestatis in actione in materia extranea [o]. Praeterea, probabiliter aestimari potest quod cibus, quo debebant uti in paradiso, maxime fuit consonus et connaturalis naturae [p] utentium et de facili conversivus in naturam illorum et cum hoc quod illo usi fuissent, non in superfluitate aliqua, sed temperate et in modicitate. Unde ratione qua virtus interior operans ad digestionem erat validae potestatis et ratione naturae [q] cibi et modi quo sumeretur, scilicet in modicitate, non requirebatur revocatio caloris exterioris neque ascendebant fumositates [r] quae somnum facerent: fumositates enim multae et grossae faciunt somnum, non autem paucae et subtiles, cuiusmodi essent illae quae fuissent resolutae ex cibo ibi [s] sumpto, et maxime ubi [t] virtus est valida et potens in utente.

3. Ad illud quod post [u] obicitur quod 'omnia animalia communicant somno' [v]: dicendum quod omnia quae [x] determinat Philosophus circa materiam istam habent intelligi secundum cursum naturae corruptae, non institutae.

472

CAPUT IV.

UTRUM IN PRIMO STATU POTUERIT HOMO SENESCERE.

Sequitur quaestio de passibilitate secundum mutationem temporis, hoc est de passibilitate senectutis. Quaeritur ergo si potuit in primo statu senescere.

Et videtur quod sic: 1. Augustinus, XIV *De civitate Dei* [y], 26 cap. [5]: « Cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitae ne illum senecta dissolveret ». Ex hoc verbo videtur quod dissolubilis fuit senecta quantum fuit de sua natura. — Item, Augustinus, *De Baptismo parvulorum* [6]: « Habebat Adam de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, de ligno vitae stabilitatem contra vetustatem »; et ita idem quod prius.

2. Praeterea, qua ratione primus homo erat stabiliendus contra senectutem per lignum vitae, eadem et tota sua progenies [z], et ita omnes electi; sed fructus, quos posset lignum illud exuberare, si per atomos dividerentur, non possent singulis electorum impartiri; ergo non videtur quod

---

[a] S *penalitatis.* [b] Ita F, alii *preiudicat.* [c] Ita F (mg.), alii om. *c. h. d.* [d] V add. *est.* [e] R om. *s. e.* [f] R om. *animalis... sensus;* V *sive* pro *sicut.* [g] Z om. [h] SFRZ add. *non.* [i] S om. *Philosophus... loquitur.* [k] T *excelsum.* [l] V om. [m] L om. [n] Z *Augustino,* quod F corr. [o] S om. [p] V om. [q] V *nec.* [r] R *fumositate.* [s] S *illi.* [t] T om. [u] Ita F (corr.), alii *primo.* [v] R om. *c. s.* [x] Z *que omnia* pro *q. o. q.* [y] TF om. [z] SL *propemes,* quod F corr.

[1] Cf. Aristot., loc. cit., c. 3 (II, 504).
[2] Aristot., loc. cit., c. 1 (III, 500).
[3] Cf. supra, p. 639, nota 8.
[4] Cf. supra, num. **437-440.**
[5] PL 41, 434.
[6] Lib. I, c. 3 (PL 44, 111).

sufficeret fructus ligni illius ad stabiliendum naturam humanam ne fieret dissolutio per senectutem.

3. Item, de lege naturae est quod virtus vigens in animalibus[a] proficit in perficiendo suum subiectum, quousque perveniat ad statum completum magnitudinis et augmenti, de quo Philosophus[1]: « Omnium constantium natura terminus est et ratio magnitudinis et augmenti », quo pervento terminatur progressus illius; iuxta quod dicit Philosophus[2] quod unumquodque terminatur sua[b] periodo nec permanet in statu illo, sed incipit declinare et deficere: ad hunc autem defectum sequitur senectus. Cum ergo haec sit lex naturae universalis, primo homine existente in statu completo sibi determinato secundum naturam, natura sive virtus vigens in eo coepit[c] deficere et declinare et ipse consequenter senescere.

4. Item, virtus gratuita in via aut proficit aut deficit[3], et hoc fuit verum in omni statu; et[d] a simili videtur de virtute naturali, quod deficit quando non proficit sive incipit deficere vel quare non? Et si hoc, habeo propositum.

5. Item[e], libro *De morte et vita*[4], dicitur: « Supereffusa et multa semina senescunt cito ». Ex hoc videtur posse argui quod qui descindit semen per coitum, quod senescibilis est[f] sive potest senescere: non enim superflua decisio cito senectutem induceret in aliquo nisi qui descindit posset senescere, sicut superflua comestio non induceret morbum in aliquo[g] nisi comedens posset infirmari; et ita omnis potens descindere de se semen potest senescere; ergo et primus homo.

Contra: *a.* In primo statu anima[h] potuit stare nec habuit necessitatem cadendi, antequam sua culpa se subiecerat illi necessitati. Similiter videtur de corpore quod stare[i] poterat sine defectu corporali aliquo, nullam habens necessitatem deficiendi, antequam homo per culpam se subiecerat huic necessitati, et ita nulla fuit illi necessitas senescendi[k] ante peccatum.

b. Item, senectus est praeambula et introductiva mortis: unde[l] quod potest senescere, potest mori; unde ad Hebr. 8, 13: *Quod antiquatur et senescit iam prope interitum est.* Si ergo primus homo potuit senescere, potuit mori; et[m] haec lex currebat in statu innocentiae, scilicet quod senectus necessario mortis introductiva fuit; unde Augustinus, XIII *De civitate Dei*, 20 cap.[5], dicit de primis parentibus: « Licet morituri non essent nisi peccassent, alimentis tamen ut homines utebantur, nondum spiritualia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes, quae, licet senio non veterascerent ut necessitate perducerentur ad mortem » etc. Ergo ut prius.

Respondeo: Cum quaeritur utrum primus homo fuit passibilis secundum mutationem temporis, id est an[n] fuit passibilis per senectutem, distinguendum est[o], sicut supra dictum est[6].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud autem quod primo obiectum est[p] contra, dicendum quod illa stabilitas, qua stare potuit sine defectu senectutis, non infuit illi[q] solummodo a virtute fructus ligni vitae, sed a natura suae conditionis ut a causa intrinseca et prima. Conditus enim fuit in quadam stabilitate naturae omnino sine necessitate vel dispositione vel inclinatione ad defectum senectutis, sed data fuit illi alimonia de fructu ligni vitae ad illam stabilitatem perpetuandam sive continuandam. Unde causa impassibilitatis defectus senilis fuit stabilitas naturae, in qua conditus fuit[r]; causa, sine qua continuari sive perpetuari non potuit, fuit fructus vitae.

2. Ad illud quod consequenter obicitur, scilicet de sufficientia fructus vitae, quia, ut dicit Hugo, periculum diligentis inquisitionis nullum erat, si praesumptio temerariae assertionis non fuerit, nihil[s] asserere praesumo, tamen[t] opinando potest dici quod, sicut determinant sacri Doctores[7], si perstitissent primi parentes, et de illis propagati in statu innocentiae successive fuissent translati ad vitam aeternam. Unde Hugo[8]: « Hoc magis rationi consentaneum et fide dignum videtur, quod sicut in hac vita mortali aliis per mortem decedentibus[u] alii per nativitatem victuri[v] succedunt, ita quoque tunc praecedentibus post terminum huius vitae temporalis ad vitam aeternam translatis, ii qui ex eis nati fuissent, decedentibus succederent, et ipsi quoque tempora sua impleturi et obedientiam servaturi, donec tandem numerus ad vitam praedestinatorum impleretur et tempus huic inferiori vitae in genere humano deputatum consummaretur ». Et secundum hoc potest probabiliter aestimari quod divina virtute lignum vitae tanto numero fructus exuberare posset sufficientes. — Vel potest aliter dici quod dicit Augustinus[9], super illud Gen. 2, 15: *Posuit eum in*

---

[a] Z *animabus;* S *perficit* pro *proficit.* [b] Ita F, alii *suo.* [c] S om. [d] F exp. [e] Z add. *in.* [f] Ita F (corr.), L om. *est,* alii *senescere* pro *s. e.* [g] R *alieno.* [h] R *Adam.* [i] Ita FL (correcti), alii add. *non.* [k] T om. [l] R add. *secundum.* [m] SFR add. *etiam.* [n] SRL *ante.* [o] V om. [p] V om. [q] S *illis.* [r] F (corr. mg.) *vel erat.* [s] V *nec.* [t] L (corr.) *enim.* [u] V *accedentibus.* [v] V *victori.*

1 *De anima,* II, c. 4 (III, 449).
2 Cf. *De animal. generat.,* IV, c. 10 (III, 413).
3 Cf. Bernard., *Epist.* 91, n. 3 (PL 182, 224).
4 Aristot., *De longit. et brev. vitae,* c. 5 (III, 529).
5 PL 41, 394.
6 Cf. supra, p. 634, sub *Respondeo.*
7 Cf. Hugo de S. Vict., *De sacram. christ. fid.,* I, p. 6, c. 25 (PL 176, 278); Lombard., II *Sent.,* d. 20, c. 3 (p. 399).
8 Loc. cit.
9 *De Gen. ad litt.,* VIII, c. 8, n. 16 (PL 34, 379); cf. supra, num. 313.

paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret eum: « Quod maius mirabiliusque spectaculum est, aut ubi magis cum[a] rerum natura humana ratio quodam modo loqui potest quam cum, positis seminibus, plantatis[b] surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis, tamquam interrogatur quaeque[c] vis radicis et germinis quid possit quidve non possit, unde possit, unde non possit, quid in ea valeat numerorum invisibilis interiorque potentia, quid exterius adhibita diligentia, et[d] ipsa consideratione perspicere quia *neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum*[e] *dat Deus*[f][1], quia et illud operis quod accedit extrinsecus, per illum accedit[g], quem nihilominus creavit et quem regit atque ordinat invisibiliter Deus? » Ex hoc verbo Augustini patet quod operatio illa debebat esse circa transplantationem arbusculorum et insitionem[h] malleolorum et plantationem surculorum et agriculturam huiusmodi. Unde ex hoc verbo non irrationabiliter aestimari potest, si fructus unius arboris non suffecissent, illius generis arbores vel transplantatione surculorum vel insitione vel aliquo modo alio alias generis eiusdem fuisse multiplicatas.

3. Ad aliud quod sequitur, scilicet quod 'secundum legem naturae virtus vigens in animalibus, quando non proficit, incipit deficere' etc.[i]: dicendum quod hoc non est generaliter verum nisi secundum legem naturae corruptae, non autem integrae sive constitutae. Ut enim dicit Glossa Hieronymi[2] super illud Isai. 30, 26: *Erit lux lunae sicut lux solis* etc., « omnia propter hominem facta, in eius lapsu peiorata sunt et sol et luna lumine suo minorata et ipse homo maxime infirmus factus est ». Unde Gregorius, libro VIII *Moralium*[3]: « Dixit quidam sapiens[k][4]: *Grave iugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque ad diem sepulturae in matrem omnium* ». « Omnis quippe homo in Adam primo parente nostro persuasionibus serpentis captus, dum Domini praecepta contemnens, eum peccando dereliquit, humilitatis arcem[l] deserens, ad infirmitatis iugum superbiendo pervenit[5] ». Ex infirmitate ergo quam incurrit homo, necesse habet in statu naturae corruptae, saltem cum ad terminum suae magnitudinis pervenerit, declinare et declinando senescere; quod non fuit necesse in statu primo.

4. Ad illud quod postea obicitur quod 'virtus gratuita aut proficit aut deficit' etc., dicendum quod secus est de virtute naturali et de[m] gratuita: et hoc dico habito respectu ad statum innocentiae. In statu vero culpae consimili modo se habent virtus gratuita et naturalis quantum ad hoc quod utraque proficit aut deficit, in statu autem naturae conditae nequaquam; et ratio est, quia in statu primo determinatus fuit status virtutis naturalis in via, non autem fuit determinatus status virtutis gratuitae, antequam perficeretur in gloria: gloria enim est perfectio gratiae sive gratia perfecta, ut quidam[6] volunt. Unde in statu primo in progressu virtutis naturalis fixus erat terminus, ultra quem non erat progredi nec citra[n] quem deficere. Non autem fuit sic de virtute gratuita, cuius non erat terminus determinatus ante perfectionem gloriae. Unde manente statu innocentiae sive naturalis iustitiae non esset status in progressu virtutum gratuitarum, sicut est[o] in progressu naturalium neque fuisset ibi defectus vel declinatio[p] nisi accedente[q] infirmitate per culpam.

Si autem quaeratur quare fixus fuit terminus in progressu virtutum naturalium in via, non in progressu virtutum gratuitarum, ratio est ex quadruplici genere causae. Primo, ex genere causae[r] efficientis, quia profectus[s] virtutis naturalis est a principio intrinseco et finito, sed profectus virtutis gratuitae a principio superno et infinito, scilicet a Deo. — Ex parte causae formalis ratio est, quia determinatum est virtuti animae, quae est forma corporis, quantum corpus movere possit et perficere, et ideo ultra statum illum virtus corporalis sive in principiis corporis radicata, prout ordinatur ad animam, statum habet. Secus autem[t] est de gratia, cuius complementum perfectum non est nisi in gloria, ad quam non pervenit homo quamdiu est in via. — Ex parte finis est ratio, quia virtus naturalis est ad aliquem effectum creatum, sed gratia ordinat ad[u] adhaerendum Deo, similiter et virtus, sicut dicit Augustinus, in libro *De moribus Ecclesiae*[7]; et nemo potest nimis adhaerere Deo, ideo etc. — Ex parte materialis principii ratio est, quia virtus et gratia non habent principium materiale unde fiant, sed corpus, in quo radicatur naturalis virtus, fabricari habet ex humido quodam radicali, super quod natura superaedificat tamquam supra fundamentum[8]. Et[v] quemadmodum fundamentum in artificialibus habet determinatum posse respectu

---

[a] VL (corr.) *est.* [b] S *plantis.* [c] S *quecumque.* [d] Ita V, alii *neque;* S om. *perspicere.* [e] L *crementum.* [f] L add. mg. *I Cor. 3.* [g] R om. *p. i. a.* [h] T *incitationem;* V *malleorum* pro *malleolorum.* [i] L om. [k] LZ add. mg. *Eccli. 40.* [l] V *a ratione.* [m] VZ om. [n] Ita V, alii *circa.* [o] VTF om. [p] SZ *determinatio;* R *neque* pro *vel.* [q] Ita VF, alii *accidente.* [r] V om. *p. e. g. c.* [s] V *progressus,* item infra. [t] VT om. [u] T om. [v] V *est.*

[1] I Cor. 3, 7.
[2] *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran.; ex Hieronymo, in h. l. (PL 24, 349).
[3] Cap. 32, n. 55 (PL 75, 835).
[4] Eccli. 40, 1.
[5] Cf. supra, p. 638, nota 6.
[6] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 27, a. 1, q. 3 (II, 659).
[7] Cf. lib. I, c. 14 (PL 32, 1321).
[8] Cf. Avicenna, *Canon*, I, Fen 1, doctr. 4, c. 1 et Fen 2, doctr. 3, c. 3 (p. 21, 123); S. Bonav., II *Sent.*, d. 30, a. 3, q. 2 (II, 736).

quantitatis fabricae construendae, sic humidum radicale secundum potestatem suae quantitatis et extensibilitatis determinationem habet et limitationem ad corporis magnitudinem quod ex ipso [a] producendum est; et quoniam virtus corporalis concomitatur corporis quantitatem, ideo statum habet. Non sic autem est in gratia et virtute, sicut dictum est [1].

5. Ad ultimum dicendum quod hoc argumentum non valet ' multa effusio [b] facit senescere cito, ergo qui potest effundere semen, potest senescere '. Effusione enim quacumque seminis non debilitatur natura, immo potius quandoque alleviatur et expeditior efficitur, ut quando huiusmodi emissione purgatur superfluitas naturae. Unde effusio huiusmodi non est causa senectutis [c], sed multa sive immoderata. Haec ergo enuntiatio ' qui potest semen effundere, potest senescere ' falsa est pro statu [d] primo, in quo non potuit esse multa effusio, non interveniente culpa. Ad posse enim effundere non sequitur posse senescere, nisi quia qui effundit potest immoderate effundere; hoc igitur, quia fieri non potest nisi praeveniente culpa, non potuit fieri in statu primo.

CAPUT V. 473

UTRUM PRIMUS HOMO FUERIT PASSIBILIS PER CORPORIS DISSOLUTIONEM [2].

Sequitur inquirere utrum fuit passibilis per corporis dissolutionem.

Quod sic, videtur: 1. Omne compositum est natura dissolubile [3]; unde corpus Adae fuit tale [4]; ergo etc.

2. Item, Damascenus, libro I, cap. 4 [5]: « Compositio est principium pugnae, pugna distantiae, distantia solutionis ». Ergo compositio est principium solutionis; sed quod habet in se principium solutionis est passibile per dissolutionem; corpus Adae fuit tale; ergo [e] etc.

3. Item, corpus illius erat compositum ex quatuor elementis [6]; sed quatuor elementa ad invicem contraria sunt, et activa et passiva; ergo inducentia corruptionem, quia passio necessario inducit corruptionem; ergo dissolutionem.

4. Si dicatur quod non erant in ipso elementa agentia et patientia, quia erant aeque librata [f] et in aequali proportione [7] – contra: ut habetur a Philosopho [8], elementa in suis sphaeris aequalem habent potestatem, nihilominus agunt et patiuntur ad invicem.

5. Item, Augustinus, in *Quaestionibus super Genesim,* dicit [9]: « Corpus Adae non erat tale quod impossibile videretur dissolvi, sed gustus arboris vitae corruptibilitatem inhibebat ». Igitur videtur quod corpus in se dissolubile erat, licet ab extrinseco reservari poterat sine dissolutione.

6. Item, omne quod est animale, id est indigens alimonia, dissolubile est deficiente alimonia; sed omne tale est passibile per dissolutionem; corpus Adae fuit tale [10]; ergo etc.

Contra: *a.* Materiatum, ordinatum per naturam ad formam indissolubilem [g], debet esse indissolubile per naturam: quod patet per rationem et per exemplum in corporibus supracaelestibus et in aliis indissolubilibus [11]; sed corpus primi hominis fuit tale; ergo etc. Nec est instantia in nobis, qui damnati sumus dissolutioni [h] propter peccatum.

b. Item, ut dicit Plato, in *Timaeo* [12], « quod bona ratione iunctum est, dissolvi velle non est Dei »; corpus primi hominis bona ratione iunctum fuit: bona, inquam, ratione, secundum quod ratio dicit ordinationem in finem; ordinatum enim fuit ad finem optimum, secundum quod possibile erat naturae corporis [13]. Similiter iunctum erat bona ratione, secundum quod ratio dicit proportionem convenientem et ordinatam miscibilium sive componentium in composito, secundum Augustinum [14] dicentem quod summa sanitas erat in corpore illius [i].

c. Item, Philosophus [k], libro *De generatione et corruptione* [15]: « Naturam inquimus semper desiderare quod melius est »; sed elementa non possunt esse sub forma meliori [l] quam erat forma illa quae erat perfectio illius hominis; ergo secundum naturam stabat et terminatus fuit eorum appetitus; ergo natura fuit corpus illud [m] indissolubile.

Respondeo: Supposita distinctione superius habita [16], dicendum quod primus homo fuit passibilis per corporis dissolutionem, secundum quod ' passibilis ' dicit potentiam obedientiae vel materialem,

---

[a] Ita VL, alii *ipsa.* [b] T om. [c] V *necessitatis.* [d] V *stratu.* [e] R om. [f] Ita R, alii *equilibrata.* [g] SRZ *indissolubile.* [h] R om. [i] T *alius.* [k] Z add. *in.* [l] Z *nobiliori.* [m] L om.

1 Cf. supra, p. 642, *ad 4.*
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 19, a. 2, q. 1 (II, 464 sqq.).
3 Cf. Aristot., *De caelo,* III, c. 5 (II, 418).
4 Cf. supra, num. 434.
5 PG 94, 798.
6 Cf. supra, num. 434.
7 Cf. supra, num. 436 sqq.
8 *De mundo,* c. 5 (III, 635).
9 Quaest. 19 (PL 35, 2227).
10 Cf. supra, num. 457.
11 Cf. Aristot., *Phys.*, III, c. 5 (II, 278).
12 Num. 41 (p. 43).
13 Cf. supra, num. 445.
14 *De civit. Dei,* XIV, c. 26 (PL 41, 434); cf. supra, num. 436-439.
15 Lib. II, c. 10 (II, 465).
16 Cf. supra, p. 634a, sub *Respondeo.*

non secundum quod dicit potentiam aliquo modo dispositam.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum obiectum quo dicitur ‘compositum esse natura dissolubile’ etc.: dicendum [1] quod natura dicitur multipliciter, scilicet creata et increata sive naturans et naturata. Secundum quod natura sumitur pro natura naturante, verum est quod omne compositum natura est dissolubile, id est adiunctum naturae huiusmodi vel nisi hac natura conservaretur. Natura naturata potest esse vel principium agens intra — secundum quod natura dicitur principium motus et quietis eius in quo est [2] etc., et hac natura non est dissolubile quidquid est compositum — vel [a] naturalis intelligentia, et sic omne compositum dissolubile, quia naturalis intelligentia dissolvit semper compositum, discernendo inter partem et partem; sed neque [b] huiusmodi modus dissolutionis neque alius, secundum quod dissolubile natura dicitur a natura naturante, inducit dissolutionem.

2. Ad illud quod dicit Damascenus quod « compositio est principium pugnae »: dici potest quod verbum Damasceni potest intelligi de compositione contrariorum, in quibus est quaedam pugna ex mutua actione illorum et [c] passione; huiusmodi autem pugna nec actio nec passio talis erat in corpore primi hominis, in quo erant componentia in quadam amicitia, ut supra dictum est [3], pugna autem violentam significat actionem. Sed videtur ex serie verborum suorum quod ipse non intelligit de compositione simpliciter, immo de compositione secundum quod omnis creatura dicitur composita respectu simplicis Primi [4], quia ostendit ibidem quod omnis creatura ratione suae compositionis est dissolubilis, et solus Deus, qui nullo genere compositionis est compositus, nullo modo est dissolubilis. Propter quod videtur aliter dicendum. Potest ergo dici quod omnis creatura, ratione qua est ex nihilo, quantum [d] est de se, ut est talis, in nihilum tendit. Unde Gregorius [5]: « Cuncta ex nihilo facta sunt eorumque essentia ad nihilum tenderet nisi ea auctor omnium manu regiminis contineret ». Praeterea, creaturae, in quantum productae sunt in esse divina virtute sive potentia [e], communicant esse divinum et appetunt illius continuationem, secundum quod dicit Philosophus [6]: « Omnia bonum [f] appetunt », id est esse divinum sive illius esse continuationem. Unde in omni creatura est quasi duplex tendentia [g] ratione duplicis principii illius, sumpto ‘principio’ nomine extenso [h]: secundum quod ‘nihil’ dicitur quasi originale principium creaturarum [7]. Sicut ergo dicitur pugna quaedam esse [i] inter corpus et animam sive inter sensualitatem et partem rationabilem propter contrarios appetitus sive concupiscentias, similiter secundum quemdam modum loquendi dicitur in unaquaque creatura esse pugna ratione duplicis tendentiae contrariae sive inclinationis. Huiusmodi autem pugna non ponit necessitatem vel dispositionem ad dissolutionem aliquam quae sit reducibilis ad actum, nisi hoc supposito quod sibi relinqueretur vel subtraheretur virtus divina a qua acceperit esse et continuationem esse. Unde Gregorius [8]: « Omnia quae creata sunt, per se subsistere non valent nec moveri, sed in tantum subsistunt, in quantum ut esse debeant [k] acceperunt ».

3. Ad aliud quod postea obicitur quod ‘illud compositum erat ex quatuor elementis’ etc.: dicendum quod, licet corpus illud esset ex quatuor elementis, tanta erat aequalitas virtutum elementarium et pax et harmonia ratione commensurationis virtutum, ut unum in aliud omnino non ageret, aliquid abiciendo a substantia ipsius corporis [9].

4. Ad id [l] quod obicitur quod ‘aequa libratio [m] elementorum secundum eorum virtutem non impedit quin sit ibi actio et passio, sicut nec illorum secundum quod sunt in sphaeris suis’ etc.: dicendum quod hoc non est in quantum sunt huiusmodi, sed in quantum augmentatur virtus unius et diminuitur virtus alterius per motum solis in obliquo [n] circulo. Unde per appropinquationem solis augmentatur virtus alicuius elementi in aliqua parte illius, propter quod habet potestatem agendi et praedominium respectu alterius elementi in parte aliqua illius. Vel forte, etsi esset in illo contrarietas elementorum et non esset aequa libratio qualitatum, non datum fuit illis agere in illo aliquo modo ad dissolutionem. Quod videtur ex illo verbo Sap. ultimo, 6: *Omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis praeceptis, ut pueri tui custodirentur illaesi.* Ex quo videtur quod omnis creatura quoad eius primam conditionem fuit deputata quasi ad tuitionem et custodiam hominis et nullam potestatem habuit laedendi eum.

5. Ad aliud quod sequitur, quod scilicet « corpus illud non erat tale quod impossibile videretur dissolvi, sed gustus arboris vitae inhibebat corruptibilitatem »: dicendum [10] quod revera corpus

[a] V *est.* [b] V *in.* [c] V *vel.* [d] V *quanta.* [e] V *post.* [f] V *bona.* [g] V *existentia.* [h] V *extento.* [i] RZ *est;* S *que est* pro *q. e.* [k] S *debeat.* [l] Ita V, alii om. [m] V *equilibratio* pro *a. l.* [n] Ita FL (correcti), alii *aliquo.*

[1] Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 10, c. 2, q. 3 (f. 66 c).
[2] Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 1 (II, 260).
[3] Cf. supra, num. 56.
[4] Cf. supra, num. 437-439.
[5] *Moral.*, XVI, c. 37, n. 45 (PL 75, 1143).
[6] *Ethica ad Nicom.*, I, c. 1 (II, 1).
[7] Cf. supra, num. 50.
[8] Loc. cit., sub nota 5.
[9] Cf. supra, p. 532, *ad 1.*
[10] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 19, a. 2, q. 2 (II, 466 sqq.).

illud possibile fuit dissolvi secundum quod 'possibile' dicit potentiam materialem, non secundum quod dicit dispositam[1]. Unde quod dicit Augustinus, quod « gustus arboris vitae inhibebat corruptionem », non dicit quia [a] dispositus fuerit ad corruptionem aliquo modo, sed quia gustus arboris conservabat illum in integritate sua [b]. Unde inhibitio illa non est aliud quam conservatio indissolubilitatis sive integritatis habitae.

6. Ad aliud quod sequitur dicendum quod, licet primus homo esset animalis, nec tamen fuit dissolubilis etc., id est potens dissolvi potentia inclinata vel disposita ad dissolutionem, sed solum propter defectum exterius conservantis. Licet enim [c] in homine primo nulla erat necessitas vel dispositio ad dissolutionem, tamen, quia erat animalis, indigebat alimento conservante illum in sua integritate, quo deficiente, necessario deficeret et dissolveretur, non propter aliquam dispositionem vel aptitudinem intrinsecam ad dissolutionem.

Rationes [d] inductae pro alia parte[2], quia verum concludunt, concedantur.

TITULUS II.

DE PASSIBILITATE PER ANIMAE SEPARATIONEM.

DISTINCTIO I.

DE VITA[3].

Ultimo quaeritur si fuit passibilis per animae separationem, hoc est si fuit mortalis vel immortalis. Sed quia, ut dicit Philosophus[4], rectum recto cognoscimus et obliquum et privationes per habitus, prius inquirendum est de vita et post de vitae privatione, id est [e] de mortalitate sive mortis passibilitate.

De vita ergo inquirenda sunt haec:
Primo, quid est [f] vita;
secundo, a quo est immediate;
tertio, cuius est ut subiecti proprii [g].

MEMBRUM I.

Quid est vita.

Circa primum duo sunt [h] quaerenda:
Primo, quid est [i] secundum definitionem;
secundo [k], quid est secundum rem.

CAPUT I. 474

QUID EST VITA SECUNDUM DEFINITIONEM.

Circa primum quaeritur sic: *a.* Bernardus, *De libero arbitrio*[5]: « Vita est internus [l] et naturalis motus tantum vigens intrinsecus ».

b. Item, Philosophus[6]: « Vita est primus et continuus actus viventis ».

c. Item [m], libro *De motu cordis*[7]: « Vita [n] est primus actus animae in corporis adaptati motu » vel corporis adaptati ad movendum.

d. Item, Ambrosius, *De bono mortis*[8]: « Vita est frui spirandi munere ».

---

[a] F *quod.* [b] FL (correcti) *sue conditionis.* [c] T om. [d] Ita F (corr.), alii *responsiones.* [e] V *et* pro *i. e.* [f] V *sit.* [g] S om. *u. s. p.* [h] R *sunt hec* pro *d. s.* [i] L add. mg. *vita.* [k] SZ *secundum.* [l] V *interius.* [m] R add. *in.* [n] T om.

1 Cf. supra, p. 634, sub *Respondeo.*
2 Sub litt. *a-c.*
3 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 8, p. 1, dub. 9, et d. 43, a. 1, q. 1, *ad 5* (I, 164, 767); III *Sent.*, d. 27, a. 1, q. 3, *ad 3* (III, 598).
4 *De anima,* I, c. 5 (III, 443).
5 *De grat. et lib. arbit.*, c. 2 (PL 182, 1003).
6 Cf. *De anima,* II, c. 2 (III, 445).
7 Cap. 9, n. 8 (p. 37).
8 Cap. 1, n. 2 (PL 14, 539).

e. Item, libro *De intelligentiis,* in *Commento*[1]: « Vita est processio, procedens ab ente quieto et sempiterno, et primus motus ».

f. Item, Dionysius[2]: « Vita est processio theophaniarum », id est divinarum apparitionum, « ab ente quieto et sempiterno ».

Contra hoc obicitur: 1. Si unius unum est esse, definitio autem dicit quid est, esse unius non debet esse nisi definitio una[3].

[Solutio]: Huius responsio apparere potest definitionum differentia manifestata.

a. Nota ergo quod prima, scilicet « vita est internus et naturalis motus » etc., assignata est secundum substantiam, in qua « motus » ponitur quasi pro genere, « internus » vero et « naturalis » pro differentiis distinguentibus vitam ab actu qui est [a] ad extrinsecus et ab actu qui est [b] praeter naturam sive non naturalis.

b. Alia, scilicet « vita est primus et continuus actus [c] viventis », assignata est in relatione ad subiectum, in qua supra praedictam additur comparatio ad viventem sive vivificatum.

c. Tertia, scilicet « vita est primus actus animae in [d] corporis adaptati » etc., assignata est in relatione [e] ad subiectum dispositum, in qua additur comparatio ad corpus aptatum ad motum sive ad movendum.

d. Quarta, scilicet ista « vita est frui spirandi munere », assignata est in relatione ad actum vitae conservativum et manifestativum: vita enim animalis conservatur et manifestatur per spirationem. Unde Gen. 2, 7: *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.* Propter hoc potest anima sive spiritus dici *spiraculum vitae* [f], quia potestate spirandi, quae est a spiritu, conservatur vita [g] et manifestatur.

e. Quinta, haec scilicet « vita est processio procedens ab ente quieto » etc., assignata est in relatione ad primum principium, et hoc generaliter exprimendo comparationem vitae ad ens sempiternum, a quo vita procedit.

f. Sexta, scilicet « vita est processio theophaniarum » etc., assignata est in relatione ad primum principium, et hoc specialiter secundum quod respicit esse gratuitum, ad quod spectant divinae apparitiones sive illuminationes, quae theophaniae dicuntur.

[Ad obiecta]: 1. Ad [h] aliud considerandum est in praedictis definitionibus quod quaedam respiciunt vitam generaliter, scilicet illa quae est Philosophi, scilicet « vita est primus actus » etc., et illa quam assignat Commentator libri [i] *Intelligentiarum,* scilicet « vita est processio procedens » etc.; quaedam autem [k] specialius vitam naturalem, ut quae est Bernardi, scilicet « vita est naturalis » etc., et illa quae est *De motu cordis,* scilicet « vita est primus actus animae in [l] corporis » etc. [m]; adhuc quaedam specialius vitam sensibilem, sicut illa Ambrosii, quae est « vita est frui » etc.; quaedam specialissime vitam rationalem, ut quae est Dionysii, quae est « vita est processio theophaniarum » etc.

CAPUT II.

QUID EST VITA SECUNDUM REM.

Sequitur de vita quid est secundum rem.

Primo ergo quaerendum est utrum sit substantia vel accidens; secundo, utrum sit anima vel aliquid illius.

475

ARTICULUS I.

Utrum vita sit substantia.

Circa primum sic: *a.* Vita [n] est forma sive perfectio viventis; dicit enim Philosophus[4]: « Vivere viventis est esse »; sed accidens non est forma vel perfectio substantiae [o] sive esse, sicut dicit Averroes, super librum *De anima*[5]; ergo etc. Sicut enim anima est forma et perfectio animati, sic vita eius quod vivit, in quantum huiusmodi.

b. Item, Commentator libri *De intelligentiis*[6]: « Vita est id quod primo fluit ab ente quieto et sempiterno ». Ens quietum et sempiternum est

---

[a] Ita TLZ, alii om. [b] V om. *ad... est.* [c] V add. *virtus.* [d] V *et.* [e] R *relationem.* [f] S om. [g] Z *spiritus.* [h] F (corr.) *et.* [i] F *libro;* Z *in libro.* [k] V om. *p. p. e. q. a.* [l] S *et.* [m] F add. mg. *et.* [n] S om. [o] Z om.

[1] *Liber de causis,* § 17 (p. 179); cf. C. Baeumker, *De motu cordis* (p. 8, nota 6); S. Bonav., I *Sent.,* d. 26, a. 2, q. 1 *ad 4* (I, 624).

[2] Cf. *De divin. nom.,* c. 6, § 1 (PG 3, 855, PL 122, 1151).

[3] Cf. Aristot., *Topic.,* VI, c. 4 (I, 238).

[4] *De anima,* II, c. 4 (III, 449).

[5] Loc. cit., textu 37 (VI, f. 134b).

[6] Cf. supra, nota 1.

prima causa; quod primo fluit ab ipso ad esse viventium, non est accidens[a], sed substantia, quia neque prius tempore neque natura in conditione rerum viventium fluit ab ipso accidens quam substantia.

c. Item, libro *De motu cordis*[1]: « Vita est principium actus animae ». Sed principium actus animae non est accidens[b], sed substantia vel potentia[c] vel potius utraque[d], quia actus solent egredi a substantiis mediante potentia; ergo, cum vita non sit aliqua de potentiis animae, ut patet inducendo per singulas, relinquitur quod est principium ut substantia.

Contra: 1. Vita est iucunditas corporis humani; unde Eccli. 30, 23: *Iucunditas cordis est vita hominis;* iucunditas autem huiusmodi est accidens; ergo etc.

2. Item, nullus motus est substantia; sed vita est motus, ut patet ex illa definitione assignata in *Commento* super librum *Intelligentiarum*[e][2], scilicet: « Vita est processio » etc.; ergo vita est accidens[f].

3. Item, mors est privatio vitae; ergo mors et vita opponuntur sicut privatio et habitus; vita[g] ergo est habitus; sed habitus[h], cui est opposita privatio, est accidens; ergo etc.

4. Item, cum vita sit actus sive actio, haec vera[i] est 'vivens est agens sive operans'; sed quod dicit 'pater', dicit relationem vel est in genere ad aliquid, et hoc[k] non ratione substantiae suppositae, sed ratione formae, scilicet paternitatis, et hoc quia paternitas est relatio sive in genere ad aliquid. A simili videtur quod, cum vivens, licet ratione substantiae quae vivit sit in genere substantiae, debet dici in genere actionis esse ratione formae comportatae, scilicet vitae, quae est actio quaedam sive operatio, et ita vita erit in genere accidentis, non substantiae.

Respondeo: Ad hoc[l] potest dici quod vita non est substantia, proprie dicendo substantiam, secundum quod illa solummodo dicuntur substantiae quae secundum ordinationem praedicabilium linearem sunt in genere substantiae[3]. Secundum autem quod nomine extenso dicuntur substantiae[m], immo potius substantialia, quae aliquo modo reducuntur ad illa quae per se ordinantur in genere illo, dici potest substantia vel potius substantiale. Cum enim modus reducendi ad genus sit multiplex — quaedam enim reducuntur ad genus sicut principia, ut materia et forma ad genus substantiae, iuxta illud Boethii[n][4]: « Relictis extremis agit de medio, id est de substantia composita », similiter punctus ad genus quantitatis; quaedam autem reducuntur ut differentiae substantiales; quaedam ut potentiae, quae reducuntur ad genus illud in quo est substantia[o], quorum sunt potentiae, ut potentiae animae ad genus illud in quo est anima[5]; quaedam ut actus proprius et primus, qui dicit esse eius cuius est actus, secundum quod 'esse' dicitur actus entis — hoc ultimo modo reducitur vita ad illud genus, in quo est vivens, iuxta illud Philosophi[6] dicentis: « Vivere viventis est esse ». Quaerenti ergo utrum vita sit substantia vel accidens, dicendum est quod substantia, id est reducibile ad substantiam sive genus substantiae. Utrum autem aliqua consideratione sit de genere accidentis, infra plenius videbitur[7].

[Ad obiecta]: *a.* Ad illa[p] ergo quae videntur ostendere quod[q] sit substantia, et primo per hoc quod 'accidens non est perfectio substantiae, sed substantia'[r]: dicendum quod hoc verum est, secundum quod 'substantiale' nomine extenso dicitur substantia.

b. Similiter quod dicitur « quod primo fluit a prima causa ad esse viventium, non est[s] accidens, sed substantia », verum est, sumpta substantia modo iam dicto.

c. Similiter quod dicitur 'accidens non est principium actus animae, sed substantia', hoc verum est, sumpta substantia modo praedicto.

1. Ad ea quae inducuntur pro alia parte, respondendum[t] est, et primo ad primum. Cum ergo obicitur quod « *iucunditas est vita* » etc.: dicendum quod loquitur de vita gratiae, quae est ex caritate quam debet concomitari iucunditas spiritus. Unde Interlinearis[8], super illud '*iucunditas cordis*' dicit: « Quae est ex vera caritate, haec est vita, scilicet per concomitantiam, non per essentiam ».

2. Ad aliud quod obicitur quod 'nullus motus est substantia' etc.: dicendum quod, secundum quod proprie sumitur motus, prout dividitur per generationem, corruptionem, augmentum et diminutionem et loci mutationem, verum est quod motus non est substantia. Secundum autem quod

---

[a] SZ *actus*, quod TL corr. [b] R *substantia*. [c] Ita F (mg.), alii om. *v. p.* [d] V *utrumque*. [e] Z *De intelligentiis*. [f] Ita FZ (correcti), alii *agens*. [g] S om. *opponuntur... vita*. [h] Ita F (mg.), alii om. *s. h.* [i] Ita TF (corr.), alii *vita*. [k] RL *hec*. [l] S *hec*. [m] L *idem*. [n] SL *boni*. [o] Ita F (corr.), alii add. *in*. [p] STL add. *alia*. [q] T *que*. [r] Ita F (mg.), alii om. *s. s.* [s] Ita VF (corr.), alii *autem*. [t] Ita VF, alii *responsio*.

1 Cap. 9, n. 7 (p. 37).
2 Cf. supra, p. 646, nota 1.
3 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 2, q. 1, *ad 8* (II, 562b).
4 Cf. *In Porphyr. Comment.*, II, *De genere* (PL 64, 91).
5 Cf. supra, p. 158, *ad 1-2* et num. **349**.
6 *De anima*, II, c. 4 (III, 449).
7 Cf. infra, num. **479**.
8 Ap. Lyran., in h. l.

motus concernit actum sumptum modo supra dicto[1], prout scilicet dicitur actus primus et proprius, qui dicit esse eius cuius est actus, et substantia nomine extenso dicitur substantiale sive reducibile ad substantiam, sic aliquis motus est substantia.

3. Ad aliud[a] quod sequitur, dicendum quod est quaedam privatio qua privatur esse simpliciter; quaedam qua privatur esse partis, sicut[b] caecitate privatur esse oculi: oculus enim caecus non est oculus nisi aequivoce dictus sicut oculus erutus[c 2]. Illa ergo privatio, qua privatur esse partis, privat habitum sibi oppositum, qui est accidens; illa autem privatio, qua totum esse rei tollitur, non privat habitum, eo modo sumpto habitu quo habitus et privatio opponuntur privative, neque habitum qui est accidens, cuiusmodi est mors, quae privat esse sive actum proprium et primum ipsius rei speciei sive substantiae. Si tamen vita aliquo modo sit habitus, infra dicetur[3].

4. Ad aliud dicendum quod, licet hoc quod dico 'vivens' imponatur a causa, quae quodam modo est actio vel operatio vel aliquid huiusmodi, quia tamen actio illa vel actus est primus et proprius ipsius substantiae qui dicit esse illius cuius est actus, non debet poni in alio genere quam in genere substantiae. Nec est simile de hoc quod dico 'pater'[d], quia imponitur[e] a forma quae est remota et accidentalis esse rei sive[f] supposito.

476 ARTICULUS II.

Utrum vita sit anima.

Sequitur inquirere[g] si vita sit anima vel aliquid animae:

Et primo, si[h] sit anima;

secundo, si sit aliquid animae.

Quaeritur ergo primo utrum vita sit anima.

Quod[i] **sic, videtur**: 1. Ambrosius, libro *De bono mortis*[4], ostendit quod anima non potest mori, quia est vita et vita est contraria morti. Unde dicit: « Anima vita est. Quo modo potest mortem suscipere, cum sit contraria? »

2. Item, libro *De motu cordis*[5]: « Anima animalis una simplex est et ex ea tantum vivit animal ». Sed vita est illud quo vivunt animalia, et animalia vivunt[k] tantum anima; ergo idem est vita quod anima; ergo vita est anima.

3. Item, Ambrosius, *De bono mortis*[l 6], probat quod anima est vita, sic: « Cui anima infunditur, vita infunditur; a quo anima discedit, vita discedit; anima ergo vita est ».

4. Item, Isidorus, libro I *De summo bono*[7]: « Vita corporis anima ».

5. Item, anima vivit se ipsa, ut vult Philosophus[8]; ergo anima est sua vita; ergo etc.

6. Hoc etiam potest ostendi sic: Anima vivit; aut ergo[m] se ipsa aut alio. Si alio, tunc similiter erit quaestio de illo: aut vivit aut non; si non, ergo non dat vitam; si vivit, aut ergo se ipso aut alio; si alio[n], tunc similiter quaeritur de illo alio; si ergo non est abire in infinitum, relinquitur quod ipsa vel illud quo vivit, vivit se ipso. Sed verisimilius est quod ipsa anima vivit se ipsa quam sit[o] aliud quo vivit; ergo anima vivit se ipsa vita; ipsa ergo vita est anima.

7. Item, in praedicatis essentialibus si concretum[p] de concreto, et abstractum de abstracto[q 9]; sed animare est vivificare et animari vivificari et animatum vivificatum sive[r] vivum, essentialiter loquendo; ergo anima est vita.

Contra: *a.* Nihil creatum est actus eius sive actus egrediens a se[s]; sed vita est actus egrediens ab anima; unde, libro *De motu cordis*[10], dicitur: « Primus et continuus actus animae vita est ».

b. Item, aliud est quod infunditur ab aliquo et illud a quo infunditur; sed dicit Ambrosius, libro *De bono mortis*[11]: « Quo modo substantia[t] eius, id est animae, interire potest, cum anima sit quae vitam infundit? »

Ex iis patet quod vita non est anima nec e converso, formaliter loquendo. — Quod concedimus.

---

[a] V *illud.* [b] V add. *a.* [c] V *eruditus;* S om. *nisi... oculus.* [d] Ita FZ (corr.), L *pater potest,* alii *potest;* F (corr.) *qui* pro *quia.* [e] R *imperatur.* [f] Ita F (interl.), alii om. [g] STFR om., in LZ est add. mg. [h] L *sic.* [i] T *et.* [k] V om. *a. e. a. v.* [l] S *mori.* [m] V add. *vivit.* [n] Ita FL (mg.), alii om. *s. a.* [o] Ita V, alii om.; R *aliquod* pro *aliud.* [p] V *concretio,* T *concreto.* [q] Ita VF (corr.), alii *abstractis.* [r] V om., Z *tamen.* [s] Z *anime* pro *a. s.* [t] Z *quoniam substantie* pro *q. m. s.*

1 Cf. supra, p. 647, sub *Respondeo.*
2 Cf. Aristot., *De partib. animal.,* I, c. 1 (III, 221).
3 Cf. infra, num. 479.
4 Cap. 9, n. 42 (PL 14, 559).
5 Cap. 10, n. 10 (p. 43).
6 Loc. cit.
7 *Sent.,* I, c. 12, n. 1 (PL 83, 562).
8 Cf. *De anima,* II, c. 4 (III, 449).
9 Cf. Aristot., *De categ.,* c. 3 et *Topic.,* II, c. 2 (I, 3, 187).
10 Cap. 8, n. 1 (p. 30).
11 Loc. cit.

[Solutio]: Dicendum est ergo quod anima est causa vitae in corpore et causa animae est causa vitae in ipsa. Unde vitae [a], qua anima in se vivit, anima non est causa, sed illud quod est causa animae.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur contra hoc, per illud Ambrosii: « Anima [b] est vita » etc., dicendum quod praedicatio illa, ut patet ex verbis Ambrosii, est effectus de causa. Nec dicitur mors contraria animae proprie, sed eo modo loquendi quo incontingentia sive incompossibilia dicuntur contraria. Et hoc ex serie verborum ipsius Ambrosii patet; subiungit enim [1]: « Sicut nix calorem non recipit, nam statim resolvitur, et lux non recipit tenebras, nam statim discutit [c], infuso enim lumine, tenebrarum horror aufertur, et sicut admoto [d] igne nivium rigor desinit, ita et anima, quae vitam causat [e], mortem non recipit et non moritur ». Ecce dicit quod anima [f] causat vitam, quo significatur animam esse causam vitae. Per exempla autem quibus a simili declarat [g] quod anima non recipit mortem, patet quod anima non est morti contraria proprie, nisi eo modo quo contraria dicuntur incontingentia [h].

2. Ad aliud dicendum quod animal tantum vivit ex anima et nihilominus anima vivit vita. Quia enim vita animalis est ab anima, per hoc quod dicitur animal tantum vivere ex anima, non excluditur quin ipsum vivat vita; cum enim dicitur « tantum vivit anima », notatur praecisio causae primae sive principalis. Et hoc intelligendum est ratione vivificationis sive vitae partis animalis, scilicet corporis, quia animal ratione totius vivit vita, sed ratione partis, id est corporis, vivit anima [i]: anima enim non vivit se, formaliter loquendo, neque effective, anima autem vivit vita. Praeterea, cum dicitur 'animal vivit vita' [k] et 'animal vivit anima', habito respectu ad idem, scilicet ad animal ratione corporis, diversa ratio causalitatis notatur. Notatur enim in prima ratio causalitatis formalis, in secunda effectivae: anima enim est causa effectiva vitae in corpore, vita autem est forma ipsius viventis.

3-4. Ex iis patet responsio ad duo quae sequuntur, quia anima dicitur vita per concomitantiam causalitatis, ut patet ex ipsis verbis Ambrosii. Praeterea, etsi vita corporis sit anima, ut vult Isidorus, quia hoc intelligendum est per concomitantiam causalem, non ex hoc sequitur quod sit anima per identitatem essentialem.

5. Ad illud [l] quod sequitur quod 'anima vivit se ipsa' etc.: dicendum quod anima dicitur vivere se ipsa, quia principium vitae est in ipsa nec est ab aliquo extra ipsam, sicut est de vita corporis, quod est ab extrinseco, scilicet ab anima, secundum quod dicit Ambrosius [2] quod anima causat [m] vitam, scilicet facit quod vita sit in corpore. — Nota ergo quod 'vivere se ipso' est dupliciter: aut sicut se toto aut sicut aliquo sui. Verbi gratia, aliter vivit anima se ipsa, aliter vita: vita enim vivit se ipsa tota sicut est; unde vivere vitae est esse: in vita enim non est aliquid quod non sit vita; sed anima vivit se ipsa [n], id est aliquo sibi intrinseco, utpote formali principio, quod non est alterius naturae quam ipsa anima, et ideo ex hoc non sequitur quod anima sit vita. Si enim haec esset vera 'anima est vita', necessario oporteret quod idem in ea esset informans et informatum, id est ipsa [o] esset sua forma, et idem esset illi esse et vivere sicut idem est vitae esse et vivere [p], quia vita se ipsa vivit: hoc autem dico de anima rationali. Unde Bernardus, 79 sermone *Super Cantica* [3]: « Vita animae est vivens quidem [q], sed non aliunde quam se ipsa », ac per hoc non tam vivens quam vita, ut proprie de ea loquamur. Inde est quod infusa corpori vivificat corpus ut sit illud corpus de vitae praesentia non vita, sed [r] vivens. Unde liquet quod nec vivo [s] quidem corpori id vivere est quod esse, cum a se minime vivere possit.

6. Ex hoc patet responsio [t] ad illud quod sequitur. Et potest esse instantia: 'animal se ipso movetur, animal movetur motu, ergo animal est motus'. Animal enim dicitur se [u] ipso moveri, id est ab aliquo principio sibi intrinseco, eo modo quo dicitur anima vivere se; animal [v] dicitur moveri motu, formaliter loquendo, eo modo quo anima dicitur vivere vita. Unde sicut ibi non sequitur 'animal est motus', sic nec in proposito 'anima est vita'.

7. Ad ultimum quod obicitur per locum a coniugatis: dicendum quod non valet, quia, cum dicitur 'animare est vivificare', potius est praedicatio per concomitantiam quam per formam sive essentiam, et ideo non sequitur quod anima sit vita: illa enim consequentia tenet in praedicatione formali. — Quod autem illud dicatur per concomitantiam, manifestum est, quia sicut 'esse hominem' dicit formam consequentem totum compositum, sic 'esse vivum' respectu animae et corporis; 'animatum' autem

---

[a] R *vita.* [b] Ita VF (corr.), alii *anime.* [c] Z *discurrit.* [d] VL *amoto*, quod Z corr. [e] STZ *creat*, quod L corr. [f] T *divina.* [g] T *declaratur.* [h] R *etiam contingentia.* [i] Z *anime.* [k] S om. *Praeterea... vita.* [l] F add. *ergo.* [m] Ita V, alii *creat.* [n] Z *ipso.* [o] R *ipse.* [p] L exp. *sicut... vivere.* [q] Ita F (mg.), alii om. [r] Ita F (corr.), alii *semper.* [s] STRLZ *unio.* [t] Ita F (corr.), alii *ad hoc respondeo* pro *E. h. p. r.* [u] Z *de.* [v] Z *aliter.*

[1] Loc. cit. [2] Loc. cit. | [3] *Sermo 81*, n. 3 (PL 183, 1172).

dicit perfectionem partis quae est altera pars compositi, scilicet corporis. Sicut ergo non sequitur 'perfectum anima rationali est esse perfectum humanitate, ergo anima est humanitas', sic nec in proposito: perfectum enim anima rationali est homo ratione partis, scilicet corporis; perfectum humanitate est homo secundum se totum.

Articulus III.

Utrum vita sit aliquid animae.

Sequitur inquirere utrum vita sit aliquid animae:
Et primo, utrum sit potentia animae [a];
secundo, utrum sit actus animae;
tertio utrum sit habitus animae.

477

Particula I.

An vita sit potentia animae.

Primo ergo quaeritur an vita sit potentia animae.

Quod sic, videtur: *a.* Commentator, IX *Ethicorum* [1]: Vita plantae est potentia quae nutrit, augmentat et generare facit. — Item [b], vita animalis est potentia sentire faciens, et quod illam habet tam delectans quam tristans. — Item, ut supra tactum est [2], anima vivit se ipsa, quia si alio a se, erit processus in infinitum; ergo se ipsa. Aut ergo tota se vivit aut aliqua sui potentia. Si tota, ergo, cum non possit privari se, non potest privari [c] sua vita nec mori, et ita quaelibet anima esset immortalis; quod est falsum. Si aliquo sui, ut potentia, ergo vita est potentia.

b. Item, omnis actus egrediens a substantia creata egreditur ab ea mediante aliqua potentia: solum enim essentia prima, scilicet increata, se ipsa agit sine aliqua potentia sive virtute [3]; ergo, si actus vivendi exit ab anima, hoc erit mediante aliqua potentia sive virtute. Unde sicut actus videndi [d] exit ab anima mediante virtute sive potentia visiva, actus intelligendi mediante virtute sive potentia intellectiva, similiter, ut videtur, et actus vivendi [e] mediante aliqua potentia sive virtute quae sit propria huius [f] actus; sed nulla potest esse haec nisi vita, quae est praevia omnium actuum potentiarum et a qua omnes habent quod possunt exire in actus suos, quae, secundum quod habetur libro *De motu cordis* [4], est potentia praevia aliarum; dicit enim idem: « Vivit [g] et vegetatur animal, sentit et movetur, discernit et intelligit, et quae ex eis oriuntur, non facile numerabilia, efficere habet: et harum potentiarum haec prima distantia est quod vitam quasi praeviam ceterae sequuntur, sine qua [h] ceterarum nullam inesse possibile est ». Cum ergo vita sit praevia aliarum potentiarum et una illarum, ut [i] patet ex verbo praedicto, relinquitur quod ab ipsa est actus vivendi.

Contra: 1. Vita in eodem animali est una et indivisa, potentia multiplex; ergo vita non est potentia: ostendentes enim [k] qualemcumque differentiam, ostendentes erimus quoniam non idem [5].

2. Item, vita non est potentia visiva neque sensitiva neque auditiva [l] et ita de aliis, quia tunc sequeretur quod corrupta visiva corrumperetur vita: quod est falsum. — Praeterea, membrum paralyticum vivit et non sentit; quare vita membri non est potentia sensus.

3. Item, si vita esset potentia animae, aut igitur quaelibet potentia aut una solum aut duae vel tres. Si esset quaelibet potentia, tunc visiva potentia esset vita: quod nullus dicit. Si omnes insimul, tunc planta non haberet vitam neque brutum animal, sed solus homo, quia ille solus habet omnes potentias animae insimul. Si aliqua una solum, ut sensitiva, tunc non viveret planta. Si [m] vegetativa solum esset vita, tunc non esset alia vita plantae et animalis: hoc [n] est falsum et contra Aristotelem [6]. Si duae vel tres insimul, ut vegetativa et sensitiva, tunc non esset planta viva, et ita de aliis combinationibus. Quare videtur quod non est potentia.

4. Item [o], si vita est potentia, potest exire in actum; quod autem exit in actum completum, exit in actum mediante aliqua dispositione; ergo vita exit in actum mediante aliqua dispositione; ergo

---

[a] V om. *Et... animae.* [b] Ita VF (mg.), alii om. [c] Ita FZ (mg.), alii om. *s. n. p. p.* [d] V *vivendi*, quod FL corr. [e] Z *videndi ut videtur.* [f] VSLZ *huiusmodi.* [g] Ita FL add. mg., alii om. [h] R om. [i] F *sicut.* [k] Ita F (corr.), alii *ostendentesque* pro *o. e.* [l] Ita FLZ in mg., alii om. *n. a.* [m] VT *sed.* [n] Ita F (corr.), alii *unde.* [o] Ita F (mg.), alii om.

1 Cf. lib. I, c. 13 (VI, f. 9a).
2 Cf. supra, p. 649, *ad 5.*
3 Cf. supra, pag. 159, *ad 3.*
4 Cap. 1, n. 2 (pag. 6).
5 Cf. Aristot., *Topic.*, I, c. 16 (I, 185).
6 Cf. *Topic.*, VI, c. 10 (I, 249); *Ethica ad Nicom.*, I, c. 7. (II, 6).

vita existit [a] in distantia ab actu; hoc autem est falsum: vita enim est in [b] indistantia ab actu.

5. Item, si est potentia, diminutus est Philosophus, id est Aristoteles, ponendo potentias animae et distinguendo, libro *De anima* [1], non assignando illam inter alias. Si non, tunc sunt [c] superflui noti in scientia medicinali, qui ponunt virtutem vitalem inter alias animae [d] virtutes.

[Solutio]: Ad hoc potest dici quod, cum vita multipliciter dicatur, ut infra dicetur [2], in una acceptione, extenso nomine potentiae eo modo quo virtus dicitur potentia, vita potest dici potentia; proprius tamen virtus [e] dicitur eo quod est actui coniuncta. Licet enim potentia et virtus quandoque idem dicant, id proprius dicitur potentia quod ab actu est remotius, virtus vero quod actui est magis coniunctum. Concedi ergo potest quod [f] vita est potentia sive virtus, ut ostendunt proposita pro prima parte istius problematis [3]. Unde, libro *De motu cordis* [4]: « Prima virtus, id [g] est vita, certum praecipue organum vindicavit ». Et haec forte est virtus vitalis, ut videtur [h] ex verbis Avicennae [5]. Vita enim, quae est esse viventis, vigens virtute efficaciore in primo organo, id est corde, motu ipsius aliis [i] operativis virtutem operandi ministrat; propter quod dicitur virtus. Et haec plane determinata sunt libro *De motu cordis* [6], in capitulo quo ostenditur quod motus cordis est principium omnium aliarum virtutum.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum contra hoc [k] inductum, dicendum quod vita est alia ab illa potentia quae dividitur: non enim est potentia sive virtus apprehensiva neque motiva, quarum utraque dividitur, quia comprehensiva dividitur in comprehensivas exteriores et interiores [7], motiva in motivam naturalem et animalem [8], et, ut sit ad unum dicere, nulla est illarum quae dividuntur. Praeterea, non omnis potentia dividitur, sicut illa quae habet esse determinatum in ultima differentia; propter quod non sequitur ' vita est indivisa, potentia divisa vel multiplex [l], ergo vita non est potentia vel virtus ': non enim omnis virtus vel potentia dividitur. Ratio autem quare vita manet indivisa et non dividitur sive multiplicatur sicut potentia vel virtus alia, est quod illa immediate egreditur a substantia animae in corpus per indistantiam ab esse: unde vivere dicitur viventis esse [9]; unde sicut esse in eodem manet indivisum, sic vita. Haec ergo est ratio quare manet indivisa, secundum quod refertur ad actum primum a quo dicitur vivens esse [m]. Alia est secundum quod refertur ad actum secundum, qui [n] distinguitur per sensum et motum, prout determinat sibi organum unum, scilicet cor. Unde Avicenna, libro I [10]: « Vitalis virtus est illa quae spiritus esse conservat, qui sensus et motus vehiculum existit, et ipsum reddit aptum ad eorum impressiones recipiendas, cum ad cerebrum pervenerit, et facit ipsum potentem dandi vitam ubicumque expanditur [o], et huius quidem virtutis sedes et operationis eius processus est cor ». Unde neque in relatione ad actum primum quo perficit suum perfectibile, neque in relatione ad organum, quo egrediuntur in esse operationes illius, est divisibilis neque etiam ex relatione ad motorem, immo, quia egrediuntur operationes illius in esse ex immediata coniunctione cum primo motore, debet esse indivisa. Unde, libro *De motu cordis* [11]: « Semper enim motori est proximum quod ab eo est primum; omnis vero virtus quo magis accedit principio, perfectior est, multitudine et divisione minor, potentia et unitate praestantior, perseverantiae et operationi accommodatior, essentia integrior, sibi sufficientior ». Hoc autem non est reperire in potentiis sive virtutibus quae dividuntur.

2-3. Ex iis patet in parte responsio ad ea quae sequuntur, quia vita neque est potentia visiva etc. neque est una potentia neque duae vel tres neque [p] omnes insimul neque etc.; est tamen alia ab iis, ut ex dictis patet, quae est praevia [q] et quasi origo aliarum. Unde Avicenna, libro I, 4 cap. [12]: « Nos autem dicimus [r] quod quemadmodum ex humorum spissitudine secundum aliquam complexionem substantia generatur spissa, quae est membrum aut pars membri, ita ex humorum vaporibus et eorum subtilitate secundum aliquam complexionem substantia generatur subtilis, quae est spiritus. Et hic quidem spiritus, cum secundum complexionem provenit quam debet habere, ad hanc recipiendam virtutem praeparatur, deinde omnia alia praeparat [s] membra ad recipiendum omnes alias animales virtutes et reliquas. Virtutes equidem animales in spiritu et membris non proveniunt nisi postquam haec vitalis provenerit virtus; ideoque, licet virtutes animales alicuius membri destruantur, vivum [t] tamen adhuc existit

---

[a] LZ *exit.* [b] Ita F (interl.), alii om. [c] L exp. [d] Ita F (corr.), alii *esse.* [e] V *motus.* [f] Ita F (mg.), alii om. [g] T om. [h] R *habetur.* [i] L *alius.* [k] SL *hec.* [l] Z *multiplicat.* [m] L om. [n] R *quod.* [o] F *expeditur.* [p] S *vel.* [q] Ita F, alii *prima.* [r] V *docemus.* [s] S om. *d. o. a. p.* [t] Ita F (corr.), alii *unum;* V *destituantur* pro *destruantur.*

1 Cf. lib. II, cc. 3 et 4 (III, 447 sqq.).
2 Cf. infra, p. 654, *ad 2* et p. 674 b sq.
3 Sub litt. *a-b.*
4 Cap. 2, n. 6 (p. 12).
5 Cf. infra, nota 10.
6 Cap. 8 (p. 30 sqq.).
7 Cfr. supra, num. 357.
8 Cf. supra, num. 362.
9 Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 4 (III, 449).
10 *Canon,* I, Fen 1, doctr. 6, c. 1 (p. 75).
11 Cap. 8, n. 1 (p. 30).
12 Loc. cit., c. 4 (p. 78).

nisi haec virtus in eo fuerit destructa ». Et dicuntur hic virtutes 'animales' communiter ab anima.

4. Ad aliud quod obicitur quod 'omnis potentia exit in actum mediante aliqua dispositione, sed vita existit in indistantia[a] a suo actu' etc: dicendum quod actus perfectionis, qui est ex coniunctione formae substantialis cum suo perfectibili, non exit[b] in esse mediante aliqua dispositione; forma enim huiusmodi se ipsa unit se suo[c] perfectibili, ex cuius unione relinquitur in perfectibili actus primus sive perfectionis primae. Unde, quia actus vitae sive qui est vita est primus, ut dans esse viventi, omnino est indistans a suo actu, in quantum huiusmodi. Unde, supposito quod vita sit potentia a qua exit vivere, quod est actus primus, non oportet quod hoc fiat aliqua mediante dispositione; potentia autem, quae egreditur in actum qui non est primus neque perfectionis primae, sed potius in actum extrinsecum vel secundum, requirit aliquam dispositionem mediam. Verbi gratia, potentia sive virtus visiva, in quantum exit in actum videndi, requirit aliquam dispositionem mediam, scilicet ex parte organi, et consequenter ex parte[d] sui, qua excitetur ad actum videndi: virtus enim animae, licet, quantum est ex parte sui, non fatigatur neque debilitatur, ratione tamen qua est coniuncta organo, eius participat passiones. Similiter dici potest de vita sive virtute vitali: quod[e], in quantum mediante motu cordis et spiritibus vitalibus exit in actum extrinsecum, scilicet in actum[f] qui non est primus neque perfectionis primae, hoc facit mediante aliqua dispositione. Unde, libro *De motu cordis* [1], dicitur quod « ipsius cordis effectus ad reliquorum operationes est medius », scilicet inter vitam sive virtutem vitalem agentem et actus potentiarum.

5. Ad ultimum dici potest[2] quod alterius intentionis est medicus et physicus in determinatione eorum quae ad animam referuntur. Medicus enim primo et per se intendit de illis[g] quae animam in unione cum corpore sive vitam conservant: propter quod eius est proprie et per se de vita profundiore et perfectiore inquisitione investigare et determinare. Physicus autem de illis intendit quibus pervenitur in cognitionem illius; per obiecta autem, actus et potentias convenientissime pervenitur in cognitionem illius — et dico de obiectis, actibus et potentiis exterioribus, scilicet quae respiciunt motum et sensum exteriorem — propter quod physici est investigare profundius et perfectius de iis, medici perfectius de vita. Propter quod conveniebat quod medicus determinaret de vita secundum quod est actus, et de virtute vitali et de aliis pertinentibus ad vitam, quae non oportuit a physico[h] determinari. Determinat autem[i] Philosophus, in principio II *De anima* [3], de vita sufficienter secundum eius intentionem, scilicet in comparatione ad subiectum illius, scilicet corpus physicum, ubi determinat quae corpora physica participant animam, ut quae recipiunt alimentum, augmentum et decrementum; et[k] in comparatione ad suam causam, scilicet animam, ubi determinatur quod anima non est[l] actus corporis nisi habentis vitam; et in ordine ad potentias vel actus animae, ubi determinat[m] quod 'vivere' dicitur multipliciter secundum distinctionem potentiarum vel[n] actuum animae, et quod praevium est ordine naturae. Ad unum ergo dicendum est: quia[o] intentio medici est per se circa vitam, physici non, multiplicius habet determinare medicus de vita quam physicus. Et potest dici, sine praeiudicio — in II libro *De anima* [4], cum dicit: « Multipliciter autem ipso vivere, etsi unum aliquod horum insit solum, vivere dicimus ipsum, ut intellectus, motus, sensus et status; et[p] secundum locum adhuc motus, secundum alimentum et detrimentum et augmentum » etc. — quod illa multiplicitas vivendi est a virtute vitali. Unde ibi fit comparatio actuum consequentium ad vitam sive virtutem vitalem, prout est quodam modo causa illorum[q]. Quod videtur ex verbis Philosophi [5], quae ibidem subiunguntur, quae sunt: « Vivere [videntur] autem in se ipsis habentia principium et potentiam huiusmodi, per quod augmentum et detrimentum recipiunt » etc. Hoc autem principium et haec potentia secundum seriem textus videtur esse vita sive virtus vitalis.

Ad argumenta introducta pro alia parte, quia concludunt ex mediis non necessariis, respondendum est.

a. Et primo ad primum. Cum enim dicitur 'aut anima vivit se tota, aut aliqua sui potentia' etc.[r]: dicendum quod neque se tota neque aliqua sui potentia, sed aliquo sui, scilicet suo 'quo est'.

b. Ad aliud quod[s] obicitur[t] quod 'omnis actus exiens a substantia, egreditur in esse mediante aliqua potentia': dicendum quod hoc non est verum de actibus primis, qui exeunt

---

[a] Ita F (corr.), alii *distantia*. [b] T *esse*. [c] R *uno*. [d] V om. *organi... parte*. [e] Ita F (corr.), alii *et*. [f] VT om. *s. i. a.*; L om. *e. s. i. a.* [g] L om. *d. i.* [h] V *philosopho*. [i] F (corr.) *tamen*. [k] L om. *d. e.* [l] T om. [m] T add. *quod actus*. [n] L *et*. [o] Ita SF (correcti), alii *quod* pro *e. q.* [p] F exp. [q] Z *illarum*. [r] V om. [s] SRLZ *quo*. [t] V add. *scilicet*.

[1] Cap. 8, n. 1 (p. 31).
[2] Cf. supra, num. 353, II.
[3] Cap. 1 (III, 444 sq.).
[4] Cap. 2 (III, 445).
[5] Loc. cit.

in esse ex coniunctione formae substantialis cum sua materia sive perfectibili. Anima enim unit[a] se cum sua materia[b], nulla interveniente dispositione media[1], ex cuius unione relinquitur aliquis actus in corpore, scilicet actus animandi sive vivendi.

PARTICULA II. 478

An vita sit actus animae.

Consequenter quaeritur an vita sit actus.

Quod sic, videtur *a.* per Aristotelem, IX *Ethicae*[2], dicentem quod vita est actus.

b. Item, libro *De motu cordis*[3]: « Primus et continuus actus animae vita est ».

c. Item, eodem[4]: « Aequalis et continua est vita et primus actus formae ex quieto et sempiterno fluens ».

d. Item, Bernardus[c], *De libero arbitrio et gratia*[d 5]: « Vita est internus et naturalis motus » etc.; sed « omnis motus in actione firmatur », secundum quod dicitur libro *Sex principiorum*[6]; ergo vita est actio vel actus.

e. Item, Ambrosius[7]: « Vita est frui spirandi munere »; frui autem est actus quidam; ergo etc.

Contra: 1. Vita[e] est perfectio viventis vel animalis vel hominis vel alterius huiusmodi; sed actus, cum sit accidens, non potest esse talium perfectio.

2. Si autem diceretur quod non est actus qui est accidens, sed substantia sive substantialis – contrarium videtur per hoc quod dicitur libro *De motu cordis*[8]: « Primus et continuus animae actus vita est, quae motu cordis efficitur »; quod autem efficitur motu cordis, accidens est.

3. Item, in actione sive actu est difformitas sive dissimilitudo terminorum ab invicem et a medio; in vita nulla est difformitas sive dissimilitudo; ergo etc.

4. Item, actus est signum vitae[f]; signum autem et signatum differunt et nihil est signum sui.

5. Item, differunt actus et potentia in unoquoque; sed vita est potentia, ut ex auctoritatibus patet supra dictis[9]; ergo non est actus.

6. Item, omnis actus est actus alicuius potentiae; ergo, si vita est actus, est[g] etc.; non est autem reperire aliquam potentiam cuius possit esse actus; ergo etc. — Si diceretur quod est actus virtutis vitalis – hoc non est verum, quia virtus vitalis posterior est vita, quae dicitur esse viventis[10], de qua hic proprie intenditur.

7. Item, si vita est actus, aut primus aut secundus. Non primus, quia talis est ipsa anima; unde definitur sic[11]: « Anima est actus primus corporis physici potentia vitam habentis »; duo autem actus primi in eodem esse non possunt; ergo est actus secundus; sed talis est accidens; ergo non est esse[h] viventis; sed de[i] vita huiusmodi est quaestio; ergo etc.

Respondeo quod vita est actus, formaliter loquendo sive essentialiter, et actus primus et continuus, scilicet substantiae nobilis. — Quod[k] sic patet: Omne illud quod primo perficit, est actus primus; vita est id quod primo perficit[l]; propter quod vita dicitur esse viventis. Praeterea, omnes actus rei viventis vitam subiciunt quasi[m] radicem et principium; unde, libro *De motu cordis*[12]: « Potentiarum haec prima distantia est quod vitam quasi primam vel praeviam ceterae sequuntur ». Praeterea, est actus continuus: licet enim vivens aliorum actuum recipiat interpolationem, tamen vitae interpolationem non recipit. Unde, libro *De motu cordis*[13]: « Vitae actus necessario continuus est, ceterorum vero minime. Intercipiuntur enim natura aut aegritudine sensus, motus et similia[n], ut somno, apoplexia; iis demum solutis, in statum redeuntes ». Sed, quia vita est forma nobilis et inter omnes formas nobilissima, non potest esse actus cuiuslibet[o] substantiae, sed substantiae[p] nobilis; unde vita est actus primus et continuus substantiae nobilis[14]. Et quia nobilitas substantiae consistit principaliter in duobus, scilicet in movendo et cognoscendo — propter quod omnes definiendo animam, quae est substantia nobilis, definiebant eam penes motum et cognitionem, ut dicit Philosophus, in I *De anima*[15] — vita ergo est actus primus et continuus substantiae nobilis moventis vel cognoscentis vel utrumque facientis. Dicendum ergo

---

[a] V *vivit.* [b] T om. *sive... materia.* [c] V add. *libro.* [d] V add. *et.* [e] T om. [f] S add. *et.* [g] L om. [h] Z *actus.* [i] T om. [k] Z *et.* [l] S om. *est actus... perficit.* [m] Ita VF (corr.), alii *quia.* [n] S om. *e. s.* [o] STFRL *cuiuscumque.* [p] Ita FZ add. mg., alii om. *s. s.*

1 Cf. supra, p. 420, in *Solutione*,
2 Cap. 9; cf. X, c. 4 (II, 113, 120).
3 Cap. 8, n. 1 (p. 30).
4 Cap. 1, n. 5 (p. 8).
5 Cap. 2 (PL 182, 1003).
6 Cap. 2 (f. 32a).
7 *De bono mortis*, c. 1, n. 2 (PL 14, 539).
8 Cap. 8, n. 1 (p. 30).
9 Cf. supra, num. 477.
10 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 449).
11 Aristot., *De anima*, II, c. 1 (III, 444).
12 Cap. 1, n. 2 (p. 6).
13 Cap. 1, n. 4 (p. 7).
14 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 448).
15 Cap. 2 (III, 433).

quod vita est actus huiusmodi, ut patet ex auctoritatibus pro parte ista inductis.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum inductum contra hoc, dicendum quod est primus actus formae substantialis sive formae substantiae et est actus consequens ad primum. Licet autem consequentium actuum aliquis [a] sit accidens, non tamen actus primus, qui est perfectio et actus substantiae, cuiusmodi [b] actus est vita.

2. Ad aliud quod dicitur [c] in libro *De motu cordis*, quod « vita est quae motu cordis efficitur », dicendum quod vita [d] multipliciter dicitur. Quandoque dicitur actus primus simpliciter sive perfectio viventis, ut qua in coniunctione animae et corporis talis ipsum corpus vivificatur; alio modo dicitur potentia, in quantum, vigens virtute abundantiore in corde, motu ipsius aliis operativis virtutem ministrat operandi; tertio modo dicitur actus vel operatio [e] vitae. Sicut enim nomine intellectus quandoque intelligitur ipsa potentia intellectiva, quandoque actus eiusdem, actus, dico, accidentalis, ut qui provenit ex comprehensione rerum extrinsecarum, similiter est de vita. Unde vita quandoque nominat actum vitae, scilicet accidentalem sive secundum, et vita sic dicta est [f] accidens; et haec est de qua dicitur in [g] libro *De motu cordis:* « Haec efficitur motu cordis »; et subditur[1]: « Ibi igitur est movens », scilicet anima; in corde enim est anima movens [h] et ex hoc motu efficitur vita, quae est effectus huius motus. — Si obiceretur ex serie litterae ibidem, qua videri posset quod auctor intelligit de vita quae est primus actus; dicit enim sic: « Primus et continuus actus animae vita est; haec cordis motu efficitur. Ibi igitur est movens » – potest dici quod vita perficit viventem, et sic dicitur actus primus, id est perfectio prima; et aliis operativis ministrat virtutem operandi, mediantibus spiritibus vitalibus et operationibus sive motibus, quae exercet mediante primo organo, scilicet corde, et secundum hoc dicitur potentia sive virtus et potest dici prima. Praeter hos modos dicitur motus vel actus quo ministratur virtus operandi aliis operativis, et secundum hunc modum dicitur actus primus, scilicet ratione prioritatis et praecessionis actuum aliarum operativarum. — Vel aliter posset intelligi illud verbum, scilicet « vita motu cordis efficitur », eo modo quo aliquid dicitur effici in suo effectu, ut diceretur vita effici, id est extra fieri, scilicet in suo effectu, id est in operibus operativarum, quae ab ipsa vita habent principium et [i] potentiam operandi: et secundum hunc intellectum sumeretur vita in sua [k] prima significatione.

3. Ad aliud dicendum quod vita [l], prout dicitur actus primo modo sumptus, nullam dicit dissimilitudinem sive difformitatem sicut nec esse. Prout autem vita dicitur actus vel motus qui est accidens, scilicet secundum quod tertio modo dicitur, sic [m] dicit difformitatem, quia sic non est semper coniuncta suo termino vel fini.

4. Ad aliud dicendum [n], secundum quod dicunt quidam, quod [o] vita quandoque dicitur continuatio esse viventis, quandoque ipsa vis continuativa, quandoque ipsa operatio sive actus sequens, quae, inquam, operatio est effectus vis illius et signum continuationis illius. — Ad illud ergo quod obicitur quod 'actus est signum vitae' etc., patet responsio, quia actus sive operatio, sequens ipsam continuationem [p], signum est continuationis ipsius: et sic vita est signum vitae, secundum quod vita sumitur in diversis acceptionibus. Nec hoc est magis [q] inconveniens quam si diceretur 'continuationis esse viventis signum est actus vel operatio sequens ipsam'.

5. Ad aliud quod sequitur, potest dici quod vita secundum diversas acceptiones est actus et potentia, ut patet ex dictis[3]. Nec hoc est inconveniens: simile enim reperitur de intellectu et aliis potentiis animae.

6. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod, ut supra tactum est[4], non omnis actus est actus alicuius potentiae, sicut actus primus a quo est esse: actus enim animandi non est ab aliqua potentia [r] animae, immo potius ab ipsa essentia animae. Similiter dici potest de vita quod non est actus alicuius potentiae, immo potius, ut dictum est[5], inest viventi in coniunctione animae cum corpore, non mediante aliqua potentia, sed ab ipsa essentia animae, quae unitur immediate cum corpore se ipsa, non mediante potentia vel dispositione aliqua.

7. Ad ultimum dicendum quod alio modo est anima actus primus et alio modo vita. Cum enim actus quidam sit ut scientia, quidam ut considerare, ut habetur a Philosopho[6], anima est actus primus simpliciter et respectu actuum qui sunt ut scientia et qui sunt ut considerare. Vita autem est actus ut considerare, et primus

---

[a] Ita F (corr.), alii *aliquid*. [b] Ita F, alii *eius;* S om. *s. c. a.* [c] F *illud quod obicitur* pro *a. q. d.* [d] V om. *cordis... vita.* [e] V *opera.* [f] R add. *dicta.* [g] Ita V, alii om. [h] S om. *scilicet... movens.* [i] V *id est.* [k] Ita V, alii om. [l] S om. *in... vita.* [m] V add. *enim.* [n] Z add. *quod.* [o] Ita V, alii om. [p] R *operationem.* [q] V *magnum.* [r] V add. *et.*

1 Cap. 8, n. 1 (p. 30). 2 Cf. supra, *ad 2*. 4 Cf. supra, *ad 2* et p. 652, *ad b*.
3 Cf. supra, *ad 2* et p. 652, *ad b*. 5 Cf. *De anima*, II, c. 1 (III, 444).

respectu actuum qui sunt ut considerare [a]: esse enim vitae sive vita ipsa, in quantum huiusmodi, est actus ut considerare, non ut scientia. Consideratis ergo omnibus actibus, quorum principium est anima — actibus, dico, existentibus ut considerare — primus omnium est vita, primus, dico, natura, ut a quo non convertitur consequentia, et primus, ut a quo alia habent motus et operationes. Unde, in [b] libro *De motu cordis* [1], determinatur quod unum est organum primum, scilicet cor, et unus est actus primus et ab iis est motus et operatio aliorum; dicit enim: « Vita in animali est prima ». Dicimus autem sic primam ut qua [c] non existente, reliqua nec actus invenit nec intellectus attribuit, ipsum autem sine reliquis existere [d] vel saltem intelligi [e] possit. Sic igitur vita sensu, motu ceterisque similibus prior: neque enim coaequaevi sunt sensus et similes potentiae cum vita; unius autem [f] una est anima, et ipsius aliquod instrumentum primum [g]; ipsius igitur effectus ad reliquorum operationes est medius ipsumque reliquis motus et operationis principium. — Vel potest aliter dici quod anima est actus primus simpliciter, vita [h] est actus primus sequens unionem animae cum corpore. Sed ad hoc [i] notandum quod duplex est genus formae in genere formarum quae sunt substantiae. Quaedam autem est forma quae est substantia tantum, quaedam quae est substantia [k] et motor, qualis forma est anima. Ex coniunctione autem animae cum corpore tali, in quantum est substantia, est esse animatum; ex coniunctione animae cum corpore tali, in quantum est motor, est esse vivum [l]: ex eo enim ex quo aliquid habet motum ex se, ex hoc est vivum sive vivens. Ex se, dico, propter gravia et levia, quae habent motum, non ex se, sed a generante vel removente prohibens. Est ergo vita actus primus sequens unionem animae cum corpore, in quantum anima est motor et actus primus, relictus ex coniunctione animae cum corpore, in quantum anima est huiusmodi.

PARTICULA III. 479

An vita sit habitus animae.

Consequenter quaeritur an vita sit habitus.

Quod sic, videtur: 1. Ut habetur a Philosopho [2]: « Habitus est qualitas difficile mobilis »; talis est vita; ergo etc. — Quod autem vita sit qualitas, videtur, quia a vita dicimur viventes sicut a scientia scientes, et qualitas est secundum quam quales dicimur [m] [3]. — Quod autem difficile mobilis, patet, cum non sit separabilis a vivente, dummodo anima sit unita corpori.

2. Item, habitus est quo [n] habilitatur virtus vel potentia ad exitum in opus sive actum sibi convenientem; sed vita est qua habilitantur potentiae vel vires animae sive animalis ad exeundum in opera vel actus convenientes; ergo etc.

3. Item, mors est privatio sive de genere privationum [4]; sed habitus tollitur privatione, vita autem tollitur morte; ergo etc.

Contra: *a.* Habitus consistit in distantia ab actu, vita nequaquam; ergo etc.

b. Item, habitus activum [o] habile reddit ad agendum: activum [p] enim ex habitu habilitatur ad opus vel actum; vita autem est ipse actus; ergo etc.

c. Item, ut habetur ex supra dictis [5], vita est vis vel potentia; ergo non est habitus.

Respondeo: Dicendum ad hoc [q] quod, ut supra tactum est [6], vita dicitur multipliciter. Dicitur enim actus et actus primus; et hoc dupliciter, quia vel [r] ut actus dicit esse [s] viventis substantiale vel [t] ut accidentale. Dicitur etiam potentia vel virtus nomine extenso [7], quae, ratione alicuius proprietatis habitus, potest dici vis sive virtus habitualis, scilicet propter facilitatem sive habilitatem exeundi in actus sibi proprios. Sicut enim liberum arbitrium dicitur potentia habitualis propter facilitatem exeundi in actus suos, sic [u] potest dici virtus vitalis virtus habitualis propter facilitatem sive habilitatem exeundi in actus suos et continuandi se in eisdem. Non est autem habitus, proprie sumendo habitum [v], licet quodam modo habeat proprietatem habitus sive potius potentiae habitualis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur contra hoc, scilicet quod 'vita est qualitas difficile mobilis': dicendum quod hoc [x] non est verum. Cum autem obicitur [y] quod 'secundum vitam dicimur [z] quales, quia viventes': dicendum

---

[a] L om. *et... considerare.* [b] Z om. [c] Ita V, L om., alii *quo.* [d] V *ipsi vel sine reliquis* pro *i. a. s. r. e.* [e] V *intelligere.* [f] Z *enim.* [g] V om. [h] V *et ita.* [i] F (corr.) *adhuc.* [k] V om. *tantum... substantia.* [l] Ita F (corr.), alii *unum.* [m] VF (corr.), alii *dicuntur.* [n] S om. [o] Ita F (corr.), alii *actuum.* [p] VL *actuum.* [q] T om. [r] Ita V, S om., alii *et.* [s] S om. *d. e.* [t] F (corr.) *et.* [u] F *sicut.* [v] V add. *et.* [x] Z om.; L om. *est.* [y] V om. *c. a. o.* [z] V *dicamur.*

1 Cap. 1, n. 5 (p. 8).
2 Cf. *De categ.*, c. 6 (I, 13).
3 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 6 (I, 15).
4 Cf. Ambros., *De bono mortis*, c. 1, n. 2 (PL 14, 539).
5 Cf. supra, num. 477.
6 Cf. supra, p. 654, *ad 2.*
7 Cf. supra, 651, in *Solutione.*

quod est praedicatio in quale substantiale, eo modo quo differentia praedicatur in quale, et in [a] quale accidentale, eo modo quo accidens praedicatur in quale. Non ergo dicimur quales secundum vitam, secundum quod 'quale' dicit accidens et qualitatem, sed secundum quod 'quale' dicit substantiam vel substantiale: vivens enim, licet modum dicat qualitatis, res [b] tamen, quae subest modo, dicit substantiam vel substantiale.

2. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod, licet vita quodam modo expediat sive habilitet potentias animae vel animalis ad exeundum in opera sua, non propter hoc debet dici habitus, quia si hoc, una potentia vel habitus unius potentiae esset habitus alterius; potentia enim sive habitus cognitivae ipsam affectivam reddit habilem quodam modo ad exitum in actum suum: cognitio enim excitat et habilitat affectivam ad amandum; sed quando aliquid est additum ipsi potentiae ut inhaerens eidem, disponens illam et habilitans et efficiens facilem in actum proprium, illud potest dici habitus. Non sic [c] est de vita, quae, quia est quasi radix virtutis et vigoris ipsarum potentiarum et etiam esse earumdem et quia mediante spiritu vitae vel potius irradiatione virtutis vitalis ad organa potentiarum iuvantur ipsa operativa — unde, in libro *De motu cordis* [1]: « Motus quoque et sensus vitae obnoxii sunt; ex ea enim sunt; spiritum enim animalem primum spiritu [d] vitae in actum produci, necesse est » — dicitur vita potentias expedire et habiles ad actus suos efficere.

3. Ad ultimum dicendum quod mors, proprie loquendo, non est privatio, sed potius corruptio vel destructio [e] — privatio enim aptitudinem relinquit ad habitum privatione sublatum — et hoc ratione vitae subtractae [f], quae non tollitur ipso habitu sublato. Praeterea, habitus habet esse determinatum circa potentiam sive virtutem aliquam; vita autem [g] non determinat sibi esse circa potentiam aliquam neque ipsa morte sublata relinquitur aliqua aptitudo naturalis ad eamdem, cum omnis aptitudo naturalis ad vitam sit ex aliqua influentia animae vel praeparantis [h] corpus ad susceptionem vitae vel perficientis illud, licet forte, secundum aliquos [2], aptitudo et appetitus aliquis relinquatur ad eamdem sive ad unionem cum anima ex ordine divinae iustitiae. Unde, in libro *De motu cordis* [3]: « Vitam constare necesse est [i] aut in universum animal deperire; id [k] autem est mori ».

MEMBRUM II.

A quo sit vita.

Determinato de vita quid est, sequitur determinare a quo immediate est.

Primo ergo quaeritur [l] a quo effective; secundo, a quo originaliter.

CAPUT I.

A QUO SIT VITA EFFECTIVE.

Primo ergo quaeritur de causa efficiente [m] immediata ipsius vitae.

Et hoc dupliciter:

Primo de causa efficiente vitae rationabilium; secundo vero irrationabilium [n], ut animalium et plantarum.

ARTICULUS I.

480 *De causa efficiente vitae rationabilium.*

Quaeritur ergo primo si vita rationabilium sit a Creatore vel a creatura ut a causa immediata.

Quod [o] **a Creatore, videtur sic:** 1. Gen. 2, 7: *Formavit Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae;* ab eodem

---

[a] V *est.* [b] R *nec.* [c] S om. [d] S *spiritum.* [e] T *distinctio.* [f] L *subtractione.* [g] V *enim.* [h] Ita F (corr.), alii *preparans.* [i] R om.; V om. *in.* [k] Ita F (corr.), alii *idem.* [l] R om. [m] V add. *et.* [n] F (corr.) *non rationabilium* pro *v. i.*; L *non* pro *vero*; V om. *secundo vero.* [o] T *et.*

[1] Cap. 8, n. 2 (p. 31). [2] Cf. supra, p. 506, *ad 1.* | [3] Cap. 1, n. 4 (p. 8).

autem et modo indifferenti [a] est spiraculum vitae et ipsa vita: non enim alia operatione venit in esse vita et alia spiraculum vitae nec ab alio producebatur in esse vita primi hominis et aliorum; ergo vita immediate est a Deo: vita, dico, hominis, de qua principaliter hic intenditur.

2. Item, actus vitae sive qui [b] est vita infatigabilis est; unde, libro *De motu cordis* [1]: « Vitae actus necessario continuus est, ceterorum [c] vero minime ». Sed, ut habetur in libro *De somno et vigilia* [2], omne illud, cuius opus est secundum naturam, contingit fatigari et languere, si indesinenter ageret. Dicitur enim ibi: « Quorumcumque est aliquod opus secundum naturam, quando excedunt [d] aliquod tempus vel aliquid horum quae possunt tempore facere, necesse est ea languere, ut oculos videntes, et quiescere facientes hoc, similiter autem manum et aliud omne cuius est aliquod opus. Quare si aliquorum est opus aliquid sentire continue, languebit, et non hoc faciet ». Ergo vita non est actus alicuius agentis secundum naturam; ergo est actus progrediens ab agente supra naturam.

3. Item, motus, quo vivit anima in se, ut dicit Platò [3] et Macrobius [4] exponit, essentia est animae; sed constat quod essentia animae est a Creatore; ergo etc.

4. Item, Dionysius, *De divinis nominibus*, cap. *De vita* [5]: « Omnis vita et vitalis motus ex vita ipsa quae est supra omnem vitam ».

5. Item, in libro *De motu cordis* [6]: « Vita est primus motus ex quieto sempiterno fluens »; sed quietum sempiternum est solum Primum; ergo etc.

6. Item, in libro *De intelligentiis* [7], ita [e] dicitur: « Vita est processio ex ente Primo quieto et sempiterno [et] primus motus ».

Contra: *a.* In libro *De motu cordis* [8]: « Primus et continuus animae [f] actus vita est: haec motu cordis efficitur »; quod autem motu cordis efficitur, non est immediate a Deo.

b. Item, in eodem [9]: « Id primum est animae organum cuius actus primus vita, qua mediante ceteras corporis virtutes producit ». Et ita [g] idem quod supra.

c. Item, Plato [10] et eius sequaces ponunt animam esse principium motus ex se ipsa et motum illum dicunt vitam, sicut Bernardus [11] dicit vitam esse motum internum, et ex hoc ponunt et ostendunt animam esse immortalem; ex quo sequitur quod non est a Deo immediate, sed ab anima.

d. Item, Boethius, *De unitate et uno* [12]: « Omne esse in causatis est ex forma »; sed vivere est esse viventium; ergo est ex forma.

e. Item, idem: « Nullum esse est ex forma, ubi [h] non est materiae [i] unita »; igitur non est nisi ex coniunctione formae cum materia: unde philosophi [13] definiunt 'esse' esse [k] effectum formae in materia. Cum autem forma materiae unitur, ex coniunctione utriusque necessario aliquod unum constituitur; quod autem est tale non est immediate a Deo, sed mediante forma et unitate formae cum materia.

[Solutio]: Ad hoc dicendum quod est aliquid quod vivit ex se, in se et per se, ut vita prima, quae est Deus; et [l] est aliquid quod vivit in se et per se, sed non ex se, ut angelus et anima sive spiritus rationalis; et est aliquid, quod vivit in se, sed non ex se neque per se, ut anima [m] sensibilis et vegetabilis. Illorum autem quae vivunt per se et in se, quaedam possunt communicare vitam aliis, ut animae rationales corporibus organicis potentia [n] vitam habentibus; quaedam autem non possunt, ut spiritus angelici. Ex iis patet quod quaedam sunt quae per se vivunt, sicut spiritus angelici et [o] rationales; quaedam, quae non per se, sed solum participando vitam illis mediantibus quae per se vivunt, ut corpora humana. Dicendum ergo quod vita illorum quae per se vivunt est immediate a Deo sicut eorum substantia sive essentia; vita autem illorum quae vivunt participando vitam mediantibus illis quae vivunt per se, non est immediate a Deo, sed illis mediantibus quae vivunt per se.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur quod 'vita est a Deo, per illud Gen. 2,7: *Inspiravit*' etc., quod videtur debere intelligi non de vita eorum quae vivunt per se, sed de vita eorum quae vitam participant, et ita videtur recte contra hoc [p] quod dictum est — quid [q] enim aliud significatur per *spiraculum vitae* quam vita quae mediantibus spiritibus vitalibus et motu cordis participatur a corpore et a partibus sive organis corporis? — dicendum [14] quod per *spiraculum vitae* significatur anima rationalis vel vita animae

---

[a] Ita F, alii *differenti*. [b] F *que*. [c] Ita F (corr.), alii *cerebrum*. [d] Z *extendunt*. [e] V om. [f] Ita F (corr.), alii *vite*. [g] Z om. [h] STR *nisi*; F (corr.) *nisi cum* pro *u. n.* [i] V *materia*. [k] S om. [l] Ita V, alii om. [m] R add. interl. *id est separata*. [n] R *potentiam*. [o] V add. *spiritus*. [p] L om. [q] V *semper*.

1 Cap. 1, n. 4 (p. 7).
2 Cap. 1 (III, 501).
3 Cf. *Phaedrus*, XXVI (*Opp. omnia*, Basileae 1539, p. 450).
4 Cf. *In somnium Scipion.*, II, c. 16 (I, 186).
5 Cap. 6, § 1 (PG 3, 855, PL 122, 1151).
6 Cap. 1, n. 5 (p. 8).
7 *Liber de causis*, § 17 (p. 179).
8 Cap. 8, n. 1 (p. 30).
9 Cap. 10, n. 3 (p. 38).
10 Cf. supra, nota 3; Chalcid., *In Timaeum*, n. 226 (p. 263).
11 Cf. supra, p. 645, nota 5.
12 Gundisal., *De unitate* (ed. Correns, p. 3), ubi et sequens.
13 Cf. Aristot., *Metaph.*, III, c. 2 (II, 500).
14 Cf. supra, num. 322.

rationalis. Unde Glossa[1], ibi: *Inspiravit in faciem* etc.: « Vita rationali animavit, id est anima ». Unde Augustinus, VII *Super Genesim ad litteram*[a 2]: « Cur animam ipsum[b] Dei flatum dicere dubitemus, dum intelligitur non esse[c] de natura atque substantia? Sed hoc ipsum est sufflare quod est flatum facere, quod autem flatum facere, hoc animam facere ». Et dicitur anima, in quantum vita participatur in corpore vel[d] a corpore ea mediante, *spiraculum vitae* metaphorice ad similitudinem inspirandi interius et respirandi exterius. Vita enim, quae ab anima est, quidam est motus reciprocus et in se reflexus: vitalis enim motus animae est quaedam de se spiritalis egressio et in se reciproca reversio, et ex hac reciprocatione motus animae in se sequitur motus cordis, qui in se reciprocatur; movetur[e] enim cor continue secundum systolen et diastolen[3] sive secundum dilatationem et constrictionem, imitans[f], ut potest, per dilatationem corporalem extensionem virtutis animae vitalis, et per constrictionem corporalem, reciprocationem spiritalem, et sequitur ex motu cordis naturaliter motus inspirationis et respirationis. Quia ergo anima, secundum quod est vita, est quaedam sui de se spiratio in se reflexa, movens proportionaliter corpus, cui unitur sicut motor et forma, et primo primum membrum organicum, non inconvenienter[g] dicitur *spiraculum vitae*.

2. Ad aliud dicendum quod operativum[h] sive activum fatigatur in operando, cuius operatio exit in esse per organum fatigabile, cuius illud est perfectivum. Vita autem, secundum quod est actus primus simpliciter, non determinat sibi organum aliquod, sed totum corpus organizatum habens vitam potentia; unde vita definitur[4]: « Principium actus animae in corporis adaptati motu ». Secundum autem quod vita est virtus quaedam, eo modo quo dictum est[5], vindicat sibi cor tamquam domicilium et organum[6], secundum quod dicitur, libro *De motu cordis*[7]: « Cor est organum et domicilium vitae » et illius motu vita, quae est actus secundus, quae rationabiliter accidens dici potest, distribuitur aliis partibus corporis. Unde eodem[8]: « Virtus cordis in motu est et motu vitam distribuit ». Et quia, ut habetur eodem[9], « solus motus cordis est infatigabilis, propter hoc est continuus »; unde ista consequenter se habent: infatigabilitas et continuitas. Quare autem motus cordis est infatigabilis, causa[a] una est maior approximatio et influentia a motore, scilicet anima. Unde, in libro *De motu cordis*[10]: « Ibi », id est in corde, « est movens », scilicet anima[b]: « semper enim est motori proximum, quod ab eo[c] est primum. Omnis vero virtus, quo magis accedit principio, perfectior est, multitudine et divisione minor, potentia et virtute praestantior et operationi accommodatior ». Alia causa est perfectio organi: primo enim organo secundum exigentiam officii sui et situm et[d] perfectionem contulit Artifex optimus et potentissimus, scilicet Deus. Unde, libro *De motu cordis*[11]: « Anima, cum ex se immobilis et impartibilis[e] usquequaque sit, cumque certam in corpore sedem obtineat, instrumento, cuius actu et ministerio vitam virtutesque corpori ministraret, indigebat. Creator ergo, ut[f] perfectum optimus efficeret instrumentum, animam actu et materialiter primae materiae impressit, quod[g] velut a centro in[h] circumferentiam potentias circumquaque[i] deferret ». Primam materiam vocat ipse primum instrumentum, cui Deus animam[k] virtuali praeeminentia impressit. — Vel potest aliter dici quod est spiritus vitalis et animalis, similiter est virtus sive vis cuius operatio est mediante spiritu vitali, quaedam, cuius operatio est mediante spiritu animali[l]. Opus spiritus vitalis a causa intrinseca perficitur: propter quod eius causa sibi sufficit nec recipit fatigationem; opus spiritus animalis est[m] ab extrinseco adveniente et excitante: unde, quando illud extrinsecum excedit, vis[n] sive virtus operans fatigatur. Unde, libro *De motu cordis*[12]: « Duplex est spiritus, animalis et vitalis. Animalis interpolatur operatione[o], vitalis nequaquam: spiritus enim vitalis opere uniformis, animalis vero multifariam partibilis; vitalis irradiando vivificat, animalis vero resolutione sensum et motum exterius inducit. Et primi quidem spiritus opus », scilicet vitalis, « intrinseca causa movet et perficit, ideo sibi sufficiens est et semper in actu; animalis vero in effectum[p] extrinsecus aliquid adveniens, tamquam minus perfectum excitat. Complet autem innatum[q]: ideo, quando metam[r] excedit, fatigatur potentia et dolet animal ». Ex iis patet quo modo ad propositum respondendum, quia quod dicitur in libro *De somno et vigilia*, intelligitur de illis quorum

---

[a] V add. *ait* et om. *cur.* [b] R *ipsam.* [c] Z *est.* [d] V om. *i. c. v.* [e] V *movet.* [f] Ita F (corr.) R, alii *mutans*; V *patet* pro *potest.* [g] L *convenienter.* [h] T om. *q. o.*
[a] L (corr.) *quia.* [b] T *divina.* [c] Z *adeo* pro *a. e.* [d] V *statum ad* pro *s. e.* [e] V *imperfectibilis.* [f] R om. [g] V *et.* [h] V om. [i] V *usquequaque.* [k] T om. [l] L *spirituali* pro *s. a.* [m] R om. [n] Ita VTF (corr.), alii *suis.* [o] Z *operationi*, quod F corr. [p] Ita F, alii *effectu.* [q] V *motum.* [r] V *motiva.*

1 *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran.
2 Cap. 3, n. 5 (PL 34, 357).
3 Cf. Alfr. Angl., *De motu cordis*, c. 11, n. 2 (p. 46).
4 Cf. Alfr. Angl., loc. cit., c. 9, n. 8 (p. 37).
5 Cf. supra, p. 655, sub *Respondeo.*
6 Cf. Alfr. Angl., loc. cit., c. 2, n. 6 (p. 12).
7 Cap. 3, n. 4 et c. 8, n. 3 (p. 14 et 32).
8 Cap. 5, n. 1 (p. 17). 9 Cap. 7, n. 6 (p. 27).
10 Cap. 8, n. 1 (p. 30). 11 Cap. 10, n. 3 (p. 38 sq.).
12 Cap. 10, nn. 10 et 12 (p. 42, 44).

operationes fiunt mediantibus spiritibus animalibus[a] et quae sine aliquo extrinseco[b] cooperante in actum non egrediuntur.

3. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'motus, quo vivit[c] anima in se, est essentia animae': dicendum quod haec praedicatio 'motus, quo vivit anima in se, est essentia animae[d]': non est formalis sive essentialis, sed causalis. Unde sensus est: motus, quo vivit anima, fundatur in principiis substantialibus[e] sive essentialibus animae[f] sive causatur ab illis. Cum enim esse rei causetur[g] ex eisdem principiis ex quibus res ipsa[h], cum vivere sit viventibus esse[1], in eisdem principiis fundatur sive ab eisdem causatur a quibus et ipsa.

4. Ad illud quod sequitur, scilicet verbum Dionysii: dicendum quod intelligitur de vita eorum quae per se vivunt, cuiusmodi est vita angelica, de qua ibi principaliter loquitur, sicut patet ex serie textus et commento.

5. Ad illud quod postea obicitur quod[i] 'vita est motus ex quieto' etc.: dicendum quod anima dicitur quieta et sempiterna, in quantum anima est principium motus ex se ipsa, qui quidem motus internus est et dicitur vita. Et ad huius declarationem[k] nota quod Plato[2] et eius sequaces posuerunt quod anima est principium motus et ex se ipsa movetur et, quia illud, quod ex se movetur, semper et continue movetur[l], et motus ab eo non potest separari, ideo[m] istum motum posuerunt in anima sempiternum et animam immortalem propter ipsum. Sed huic positioni videtur Aristoteles[3] contradicere, ostendens principium motus esse in omnibus immobile. Cui etiam videtur B. Augustinus, VIII *Super Genesim ad litteram*[4], consentire, idem ostendens, scilicet principium motus esse immobile. Macrobius[5] autem, in fine libri sui, hanc contrarietatem dissolvit: utriusque enim rationes recitat et ostendit quod Aristoteles Platoni non contradicit, dicens quod illud, cui innititur Aristoteles et quod in omnibus rationibus suis probare intendit[n], videlicet quod omne quod movetur, necesse est ab alio moveri, verum est in eis in quibus motus non est de essentia rei, in quibus autem motus ipse est rei essentialis vel rei essentia, ex se movetur: unde duo ibi[o], scilicet movens et motum, ponere contingit. Exemplum autem huiusmodi in igne et ferro calido ponit; ignis enim se ipso calet nec duo ibi ponere contingit: unum quod[p] calefiat et alterum quod calefaciat, sed idem est quod se ipso calet; in ferro autem calido, quia ex se non calet, duo ponere contingit. Sic[q] dicit quod animae motus est eius essentia vel ei essentialis, ideo in anima movens et motum ponere duo non contingit. Et sic contrarietatem inter eos dissolvit, ponens tamen cum Platone, animam motu continuo et sempiterno intrinsecus moveri et per hoc in se principium habere vitae immortalis. Motus ergo iste in anima causa est immutabilitatis nec facit distare quod est: unde[r] moveri in ipsa non cedit in genus[s] passionis nec cum aliis motibus est[t] eiusdem generis; et propter hoc dicitur quieta anima in huiusmodi motu.

6. Ad illud quod sequitur, dicendum quod Commentator[6] loquitur de vita illorum quae per se vivunt. Exponit[u] enim illud verbum: « Res vivae sunt omnes motae per essentiam suam propter vitam primam »; res autem vivae, quae secundum essentiam suam moventur, sunt illae quae per se vivunt: harum vita est causa prima; quod intendit determinare consequenter, ut patet per hoc quod dicit: « Ex ente primo quieto et sempiterno »; unde subiungit ibidem: « Ens primum est quietum et est causa causarum ».

a. Ad primum[v] quod obicitur pro alia parte, dicendum quod illud verbum *De motu cordis* « vita motu cordis efficitur » non intelligitur de vita a qua est esse viventis et quae est actus primus simpliciter[x], sed de illa quae est accidentalis. Quo modo autem illud verbum sit intelligendum, scilicet utrum de actu primo vel secundo, supra tactum est[7], ubi quaerebatur si vita est actus animae.

b. Ex hoc etiam patet responsio ad illud quod sequitur, quia loquitur[y] ibi de vita quae est actus secundus, licet sit primus respectu actuum quorum motus cordis est causa. Et etiam illud verbum « id[z] primum est animae organum, cuius actus » etc. valet ad expositionem verbi praecedentis, quia illo determinatur quo modo vita, quae fit motu cordis, est actus primus, quia respectu ceterarum corporis virtutum.

c. Ad illud quod postea obicitur quod 'esse in causatis est ex forma' etc., dicendum quod

---

[a] S om. *s. a.* [b] Ita F (corr.), alii *intrinseco.* [c] STL *vivet.* [d] V om. *dicendum... animae.* [e] S *seminalibus.* [f] Ita F (interl.), alii om. [g] Ita V, alii *causatur.* [h] V om. [i] S *qui.* [k] V *determinationem.* [l] T om. *s. e. c. m.*, in F est add. mg. [m] T *non.* [n] Ita V, SZL *tendit*, TFR (corr.) *contendit.* [o] L om. [p] R add. *ibi.* [q] R *sicut.* [r] V *homini.* [s] T *causis.* [t] S *inest.* [u] R *exponunt.* [v] V add. *dicendum.* [x] VZ *simplex.* [y] V om. *q. l.* [z] Ita F, alii *idem*; R om. *i. p.*

[1] Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 449); supra, p. 651 *ad 1* et 649, *ad 5.*

[2] Cf. supra, p. 657, nota 10; Rob. Lincoln., *De motu corporali et luce* (ed. Baur, p. 91).

[3] Cf. *Phys.*, VIII, c. 5 (II, 350).

[4] Cap. 20, n. 39 sqq. (PL 34, 388 sqq.).

[5] Cf. *In somnium Scipion.*, II, cc. 14-16 (I, 164 sqq.); S. Bonav., I *Sent.*, d. 37, p. 2, a. 2, q. 2, *ad 4* (I, 659).

[6] *Liber de causis*, § 17 (p. 179).

[7] Cf. supra, num. 478.

hoc non impedit quin esse sit ex causa prima: ex forma enim est formaliter, ex causa prima effective. Forma enim dat esse formaliter sicut principium intra[a] perfectivum, efficiens vero dat esse sicut principium extra effectivum.

d-e. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'esse est ex coniunctione formae cum materia' etc.: dicendum quod hoc est formaliter sive essentialiter loquendo, eo modo quo dicitur aliquid[b] esse ex suis principiis essentialibus[c] sive ex illorum unione. Appropriate enim loquendo forma dat esse materiae et compositio materiae cum forma dat esse composito; sed sic esse vel a forma vel ex coniunctione formae cum materia non excludit esse a causa prima sicut ab efficiente immediato, et hoc maxime cum res exit a Primo ut a tota causa.

481 ARTICULUS II.

De causa efficiente plantarum et animalium [1].

Sequitur inquirere utrum vita in plantis et brutis sit immediate a Deo creata.

Quod sic, videtur: 1. Gen. 1, 21: *Creavit Deus omnem animam viventem atque motabilem.* — Si diceretur quod in principio conditionis rerum animae brutorum et universaliter omnium viventium exierunt a Deo immediate sive per creationem, non autem sic[d] modo – contra, in Psalmo [2] dicitur: *Emitte spiritum tuum et creabuntur.* Hoc intelligitur de vitis animalium et plantarum; unde Commentator, super librum *De divinis nominibus*, cap. *De vita* [3], dicit: « Vitae irrationabilium et germinum non sunt divinae[e], sed materialis ignis et spiritus. De iis ergo solis novissimis vitis[f] ait illud Davidicum [4] fieri[g]: *Auferes spiritum eorum, et deficient et in pulverem suum convertentur; emitte spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae.* In sensitiva enim tantum anima et nativa vita haec accipit divina Eloquia pater iste ».

2. Item, Augustinus, *De vera religione* [5]: « Nulla vita est quae non sit ex[h] Deo, quia Deus summa vita est et ipse fons vitae ». — Si diceretur quod verum est mediate[i] vel immediate – hoc non videtur, quia verbum Augustini est ad commendandam vitam; sed[k] in nullo commendaretur vita, si sic intelligeretur, cum[l] etiam creaturae vilissimae sint a Deo mediate[m].

3. Item, Augustinus, *De vera religione* [6]: « Attendendum est quae sit natura vitalis quae cuncta sentit, quae profecto, quoniam vitam dat corpori, praestantior eo sit necesse est: non enim[n] qualiscumque moles, quamquam ista visibili luce praefulgeat, si vita caret, magna aestimanda est: quaelibet namque viva substantia cuilibet non vivae substantiae naturae[o] lege praeponitur ». Si ergo multorum non viventium creatio[p] est immediate a Deo et nobilitas causati[q] attestetur nobilitati causae, omnis vita, cuiuscumque sit conditionis, debet esse immediate a Deo.

4. Item, non solum anima rationalis, sed etiam animalis et plantae est motor corporis cuius est perfectio; quod autem[r] tale est, est substantia simplex; quod autem est simplex, totum suum esse habet simul; ergo quod est causa ipsius, potest in totum esse illius: hoc autem est proprium solius Dei. Ex quo concluditur nullam creaturam, etiam spiritualem, posse animam animalis vel plantae producere in esse; unde nec vitam illarum.

5. Item, si causatur a creatura, aut a creatura corporali aut spirituali. Non a[s] corporali, quia ex corpore incorporeum fieri impossibile est. Unde, VII *Super Genesim ad litteram* [7]: « Omne corpus in omne corpus mutari credibile est[t]; quodlibet autem corpus mutari posse in animam, credere absurdum est ». Creatio autem corporis, in quantum huiusmodi, non est nisi per productionem eius in esse ex parte illius quod est causa vel ex toto. Nec etiam potest fieri a virtute corporali neque ex virtute corporali[u]: non enim contingit virtutem corpoream converti in naturam incorpoream; unde non potest esse ex quo fiat substantia spiritualis; nec sicut a quo, quia tunc effectus esset nobilior sua causa: quaelibet enim substantia simplex nobilior est omni substantia et virtute corporali. Item, Augustinus, *De fide ad Petrum* [8]: « Si Deus vita non esset, non-viventia corpora non fecisset; non enim facit rem non-viventem nisi res vivens ».

---

[a] R add. *effectivum.* [b] Ita V, alii *aliquis.* [c] Z *essentialiter.* [d] R *sicut.* [e] Z *differentie.* [f] R *vite.* [g] V om. [h] R *a.* [i] L add. mg. *et immediate.* [k] Ita V, alii om. [l] Ita F (corr.), alii *quod.* [m] S *medietate.* [n] V *autem*, S *est*, T om. [o] S om. [p] R om. [q] F *creati.* [r] V *enim*; T om. *est.* [s] Ita V, alii om. [t] R om. [u] Ita F (mg.), alii om. *n. e. v. c.*

1 Cf. supra, num. 325 sq.
2 Psalm. 103, 30.
3 Maxim. Conf., *Scholia in De divin. nomin.*, c. 6, § 1 (PG 4, 335).
4 Psalm. 103, 29-30.
5 Cap. 11, n. 21 (PL 34, 131).
6 Cap. 29, n. 52 (PL 34, 145).
7 Cap. 20, n. 26 (PL 34, 365).
8 S. Fulgent., c. 3, n. 28 (PL 40, 762).

Ex hoc potest argui quod vita sive res vivens non potest esse nisi a vita, quia, si Deus non esset vita, non fecisset corpora non viventia, multo fortius si non esset vita, non fecisset vitam vel corpora viventia; ergo, cum corpus, in quantum corpus, non sit vita etc. Unde videtur quod vita non possit esse nisi a vita. — Nec potest esse a creatura spirituali. Quod videtur sic: Spiritualis creatura et maxime spiritualium nobilissima, ut angelus, in productione rerum naturalium in esse non operatur ut[a] natura, sed potius ut ars. Dicit enim Augustinus, VIII *Super Genesim*[1]: « In ipso mundo gemina operatio providentiae reperitur, partim naturalis, partim voluntaria; voluntaria per angelorum opera et hominum ». Ex quo patet quod, quantum ad ea quae operatur angelus in mundo, operatio eius est voluntaria et operatio eius operatio artis et operatum artificiatum, in quantum huiusmodi; animae autem animalis et plantae productio in esse non est opus artis; ergo productio huiusmodi non est opus angelicum nec esse potest. Hac eadem ratione patet huiusmodi productionem in esse fieri non posse a creatura spirituali quae est anima rationalis.

6. Item, si ab aliqua creatura spirituali possent haec in esse produci, hoc maxime videtur posse fieri a consimilibus in specie, scilicet ab anima animalis et plantae; sed hoc esse non potest, ut videtur, quia hoc non potest fieri per modum divisionis: cum enim animae huiusmodi sint substantiae impartibiles[b], quae huiusmodi sunt, impossibile est dividi; ergo etc. — Si autem diceretur hoc esse substantiae tali impossibile secundum se, sed quia virtus est impressa materiae, ad ipsius divisionem partitionem recipere potest: unde etiam anima rationalis, eo quod non est impressa materiae, divisionem non recipit neque est ex traduce[2] – adhuc istud non sufficit dicere, quia[c], cum dividitur materia, aut cum ipsa cedit aliquid quod sit[d] animae aut nihil. Si nihil, quo modo ex eo quod decisum est fiet[e] idem in specie et quid erit in materia illa principium vitae? Si aliquid, aut illud erit virtus sola aut de substantia animae. Si de substantia animae[f], ergo accidit quod est impartibile secundum essentiam, esse divisibile. Si autem sola virtus descinditur, cum virtus sit accidens, quod ex ea fiat anima et substantia, non solum ut forma, sed sicut quid, videtur impossibile: accidens enim non potest esse principium essentiale substantiae.

Contra: *a.* Gen. 1, 20: *Producant aquae reptile animae viventis.* Et in eodem[3]: *Producat terra animam viventem in genere suo.* Si autem immediate essent a Deo, sicut illa quae ex nihilo fiunt, quorum Deus est tota causa, quo modo verificarentur quae hic dicuntur[4]: *Producant aquae*[g] *reptile animae viventis,* et[5]: *Producat terra herbam virentem*[h]? Viror enim est vita virentium, ut habetur a B. Gregorio[6].

b. Item, Philosophus[i 7]: « Omne corruptibile est generabile »; sensitiva in brutis et vegetativa in plantis est corruptibilis per se vel per accidens; ergo est generabilis per se vel per accidens[k]; nullum creatum generatum per se vel per accidens; ergo etc.

c. Item, nulla forma constituta in esse per suum subiectum creatur nisi illud subiectum concreetur; vegetativa in plantis est forma constituta in esse per suum subiectum: quod patet per hoc quod forma divisibilis per divisionem sui subiecti constituitur in esse per ipsum; ergo etc.; similiter est de anima sensitiva, ut patet in anulosis; ergo etc.

d. Item, sola anima rationalis sive intellectiva exit in esse immediate a Deo, ut vult Philosophus[8], dicens quod « solus intellectus intrat ab extrinseco »; de sensitiva dicit[9]: « Sensitivae vero prima fit mutatio a generante ». Quia vero ab eodem est anima et vita in brutis et plantis, medio quo ostenditur anima esse immediate a Deo, ostenditur consimiliter et vita.

[Solutio]: Circa materiam istam diversi diversa[l] sentiunt[10]. Quidam enim ponunt progressum animarum huiusmodi in esse fieri per partitionem et multiplicationem animarum. Modum autem partitionis et multiplicationis assignare volentes, ponunt exemplum tale quod linea quando dividitur, sectio eius fit in puncto nec tamen punctus dividitur, sed ipsa divisione totus cadit ad utramque partem et existit in utraque linea. Similiter anima, cum sit impartibilis, non dividitur, sed ad divisionem materiae sive decisionem tota cedit utrobique[m] in partibus divisis, et hoc quia impressa est materiae: quia enim sequitur materiam et non potest dividi, tota cadit utrobique.

---

[a] Ita F (corr.), V om., alii *in.* [b] L *compartibiles.* [c] Ita VF (corr.), alii *quod.* [d] V *fit.* [e] Ita FZ (correcti), alii *ut.* [f] VST om. *s. d. s. a.*; R *substantiae* pro *s. a.* [g] R om. [h] SL *viventem.* [i] SL om. [k] V om. *ergo... accidens.* [l] Z *diversimode;* T om. *istam.* [m] S om.

1 Cap. 9, n. 17 (PL 34, 379).
2 Cf. supra, num. 327.
3 Gen. 1, 24.
4 Gen. 1, 20.
5 Gen. 1, 11.
6 Cf. *Moral.*, XXIX, c. 26, n. 52 (PL 76, 505).
7 *De caelo*, I, c. 12 (II, 387).
8 *De animal. generat.*, II, c. 3 (III, 351); cf. supra, p. 396a.
9 Aristot., *De anima*, II, c. 5 (III, 451).
10 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 7, a. 2, q. 1 (II, 196 sqq.).

— Hoc autem non videtur verum. Nec est simile, quia, si punctus actu esset in linea, ut linea esset ex[a] punctis sicut anima actu est in corpore, nec punctus divideretur in linea nec in duo caderet, sed, si secantis operationem susciperet, destrueretur[1]. Nunc vero, quia ibi est in sola potentia, quod erat in potentia in actum reducitur; nec quod erat unus punctus in potentia efficitur duo, sed duo[b] potentia reducuntur[c] in actum et sunt duo actu.

Alii vero modum multiplicationis per simile volunt ostendere in aliis, in quibus est potentia multiplicandi se, ut in igne et luce, quae se multiplicant sine sui diminutione: candela enim accensa multas potest accendere sine sui diminutione, et lux se ipsam multiplicare in qualibet[d] parte aëris circumadiacentis; similiter dicunt de anima. — Quod non videtur verum. Nec est simile de anima et de illis, quia multiplicatio ignis et lucis non est per divisionem vel decisionem[e] materiae alicuius; cum enim ignis multiplicat se, non dividitur materia in qua est ignis, quia si sic, minoraretur[f], sicut quando ligna subtrahuntur. Similiter, si[g] subiectum lucis divideretur in duo vel plura, de luce minus esset in partibus quam in toto[h]. Cum ergo ponitur productionem animarum huiusmodi in esse fieri per divisionem materiae, non per sui operationem solum, sicut est de igne et luce, patet quod non est simile.

Item, aliter quidam[2] posuerunt, scilicet eas fieri ex formis substantialibus elementorum quae simplices sunt, ut generatio simplicis ex simplici fieret, sicut fit corporalis ex corporali. Et quemadmodum ex qualitatibus activis et passivis elementorum generatur[i] forma complexionis, ita ex eorum formis substantialibus forma addita complexioni, et sicut ex accidentalibus accidentalis[k], ita ex substantialibus substantialis. — Haec autem positio[l] evidenter apparet falsa. Primo per hoc quod aliquid fieri ex formis puris est impossibile: forma enim pura non est ex quo. Praeterea, substantia ex formis fieri non posset nisi per earum mutationem, forma autem pura de se est[m] invariabilis. Praeterea, si ex formis puris substantialibus elementorum sit[n] forma huiusmodi, quae est forma et substantia, aut ergo erit ex formis eorum in quibus subsistit aut aliorum. Si aliorum, tunc ab aliquo formam suam substantialem separari contingeret, ipsa in[o] essentia manente praeter illud cuius erat forma: quod est impossibile. Si ex formis eorum in quibus subsistit, tunc aut ipsa manebunt sine forma substantiali aut necesse est animam esse formam qua sint substantiae et non solum animatae: quod falsum est; aut aliam novam formam recipient, quae unde contingat non erit assignare. Non ergo corpus potest esse nec forma corporis ex quo fiat anima vegetabilis et sensibilis.

Aliter autem aestimant aliqui[3], scilicet spiritus brutales[p] esse ex traduce et educi[q] de potentia in actum mediantibus corporibus caelestibus ab eorum motoribus, qui motores, quia spiritus rationales sunt, ut ponunt, possunt in productionem spiritus in esse; sed, quia non immediate, sed mediante corpore caelesti, ideo spiritum producunt rationali ignobiliorem[r] et talem quidem qui sine corpore[s] non vivit, eo quod per corpus caeleste in esse productus est. — Sed haec opinio potest refelli rationibus supra tactis[4], scilicet per hoc quod motores orbium intelligentiae sunt, quorum operatio est operatio artis, et per hoc quod virtus corporum caelestium est virtus corporalis, quae[t] sunt minoris nobilitatis nobilitate spirituum.

Alii[5] ponunt huiusmodi spiritus omnino creari a Deo et nullo modo esse ex traduce sicut nec spiritus rationales, dicentes quod ideo dicitur[u] Gen.[6] animam de terra produci, quia corpus organicum de terra producitur et ei infuit seminaliter cum omnibus dispositionibus materialibus facientibus necessitatem respectu animae, cui materiae sic dispositae Dei bonitas animam infudit[v]. Quia igitur in terra sunt rationes seminales, non tantum intendentes corpus, sed etiam intendentes ultimam eius completionem, scilicet animam, et habentes naturalem appetitum talis formae, ideo dicitur terra animas producere.

Aliter videtur insipientiae meae dicendum, scilicet quod in elementis mundi indita est a Conditore eorum natura quaedam, quae est alia a natura elementari, quae est simplex et incorporea, ut possit esse principium substantiae simplicis; unde Philosophus, libro *De animalibus*[7], omnia ista inferiora plena esse virtute animae posuit. Augustinus vero dicit rationes seminales inditas mundo sive partibus mundi, ex quibus

---

[a] V *in.* [b] R add. *de.* [c] VTLZ *deducuntur*, quod F corr. [d] T *quacumque.* [e] V *deristonem*; S om. *v. d.* [f] V *minoretur.* [g] S om. [h] R om. *q. i. t.* [i] R *generat.* [k] Ita F, V *accidentalibus talis*, alii *accidentibus accidentialis* pro *a. a.* [l] T om. [m] T om. [n] Z *fit.* [o] T *in ipsa* pro *i. i.* [p] Z *vitales.* [q] L (corr.) *reduci.* [r] Ita VF (corr.), alii *ignorabiliorem.* [s] T add. *vivit.* [t] Ita VF (corr.), alii *qui.* [u] V *dicit.* [v] S *infuditur.*

[1] Cf. Aristot., *De anima*, I, c. 4 (III, 440); Avicenna, *De anima*, p. 5, c. 2 (f. 23a).
[2] Cf. Avencebrol, *Fons vitae*, tr. 3, c. 17 (p. 118).
[3] Cf. Algazel, *Philosophia*, tr. 4, c. 1.
[4] Cf. supra, p. 661a.
[5] Cf. Avicenna, *De intelligentiis*, c. 3 et *Metaph.*, tr. 9, c. 5 (f. 64d, 105b sq.); Averroes, *In Metaph.*, IX, text. 7 (VIII, 109a).
[6] Cap. 1, 24.
[7] Cf. lib. III, c. 11 (III, 390).

mundus gravidus est, ex quo, accepta opportunitate, prodeunt plantae et animalia, non tantum secundum corpora, sed quodam modo secundum animas. Unde Augustinus, III *De Trinitate*[1]: « Aliud est ex intimo et summo causarum cardine condere atque administrare creaturam: quod qui facit, solus Creator est Deus; aliud vero pro distributis ab illo viribus et facultatibus aliquam operationem forinsecus admovere[a], ut tunc vel tunc, sic vel sic exeat quod creatur: ista quippe originaliter ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata sunt, sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres gravidae sunt foetibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium, quae in illo non creantur nisi ab illa summa essentia, ubi nec oritur nec moritur aliquid nec incipit esse nec desinit ». Praeterea, virtus primi orbis et aliorum inferiorum cooperantur vitae sive productioni rei viventis. Unde *De caelo et mundo*, II libro, veteris translationis[2], dicitur quod « orbis primus est principium et virtus et causa in vita omnis vivi plus[b] quam reliqui orbes valde »; et in nova translatione[3]: « Sciendum est quod primus orbis principium est potentiae et causa in vita cuiuslibet vivi, plus quam alii orbes », et hoc[c] per naturam lucis suae, quam ubique[d] diffundit, quae vitam et motum operatur in omnibus in quibus est vita et motus vitalis. Sed hoc solum potest esse per modum disponentis et cooperantis sive adiuvantis, quia quodlibet corpus, sive caeleste sive aliud, aut virtutem corporis converti in naturam incorpoream non contingit. Unde non potest esse sicut ex quo fiat substantia spiritualis nec sicut a quo, ut dictum est[4]. Ex iis ergo mundi partibus, quae sunt plenae virtute animae, secundum Philosophum[5], sive rationibus seminalibus, quibus mundus est gravidus, secundum Augustinum[6], opportunitate[e] accepta, ut quando confluunt virtus primi orbis et orbium inferiorum et virtus generativa[f] in planta et in animali et virtus simplex indita ipsis elementis, fit[g] corporis organizatio et productio animae sensibilis in esse et animae vegetabilis. Unde Augustinus, *De ecclesiasticis dogmatibus*[7]: « Animalium animae non sunt substantiae, sed cum carne ipsa carnis vivacitate nascuntur ». Ex iis ergo, scilicet rationibus seminalibus sive virtute animae, qua plena sunt haec inferiora, est origo et principium animae vegetabilis et sensibilis. Sicut autem substantiarum corporalium ab initio rerum Creator creavit[h] principia, scilicet ipsa elementa, sic in elementis corporalibus substantiarum simplicium, quae a corpore dependent, creavit elementa. Et sicut corpora ex elementis generantur, elementa[i] tamen non sunt generata, sed creata, sic animae[k] habent principia unde generentur[l], tamen illa principia non sunt generata, sed creata. Et iterum, sicut corpora, quae fiunt ex elementis, sunt corruptibilia, elementa[m] tamen, in quae resolvuntur, incorruptibilia, sic animae vegetabilium et sensibilium sunt corruptibiles, semina tamen eorum incorruptibilia.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obiectum est, dicendum quod 'creare' nomine extenso sumitur pro[n] 'producere'[8], eo modo quo sumitur in verbo illo Augustini[9]: « Quosdam spiritus sic Deus creavit » etc. Et post exponendo quid[o] dicit 'creare', subdit: « Illos itaque sic desituros, quosdam ex aqua produxit » etc.; unde producere ex aqua vel ex[p] terra dicit ipse 'creare'. Praeterea, intentio Commentatoris est ostendere differentiam inter vitam intellectivam et sensitivam et vegetativam quantum ad hoc quod vita intellectiva est perpetua, sensitiva et vegetativa nequaquam, immo pereunt et[q] aliae creantur, et quod intellectiva est divina, id est omnino ex nihilo creata, aliae ex materiali conditae[r]. Unde dicit[10]: « Semel vitam essentialiter condens in immortalitate[s] Deus in intelligibilibus[t] et animabus nostris, non utique[u] auferet eorum[v] vivere, alioquin nec essentiae erunt, sed de vitis seu animalibus 'renovatis ex terra' ait, non tamen de illis ». Unde ex verbis eius patet quod non intelligit[x] quod haec sint[y] ex nihilo creata, sed potius originem habent ex elementis. Quod patet per hoc quod dicit quod « sunt renovatae ex terra » et quod « non sunt divinae, sed materialis ignis et spiritus ».

2. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod Augustinus non intendit ponere omnem vitam esse immediate a Deo, sed vitam rationabilem. Unde quod dicit « nulla vita est » etc. intelligitur de vita rei rationalis. Vult enim dicere quod

---

[a] RZ *admonere*, quod F corr. [b] Ita VF (corr.), alii *post*. [c] Ita F (interl.), alii om. [d] V *utique*. [e] V add. *sic*. [f] T add. *etiam*. [g] V *sit*. [h] F *creaverit*. [i] V *elementata*. [k] R add. *se*. [l] V *generantur*. [m] Z om. [n] S om. [o] Ita F (corr.), alii *quod*. [p] V *sive* pro *v. e.* [q] V *sed pereunt* pro *i. p. e.* [r] V *create*. [s] L *mortalitate*. [t] T *intelligentibus*. [u] F (mg.) *vel itaque*. [v] V *earum*. [x] V *intelligat*. [y] V add. *he*.

1 Cap. 9, n. 16 (PL 42, 877).
2 Iuxta versionem Gerardi Cremon.; cf. Bibl. Florent. Laurent., S. Cruc., Plut. 13, Sin., cod. 4, text. 67.
3 Iuxta versionem Mich. Scoti, text. 68 (Iuntas, V, f. 67c; Didot, II, 402).
4 Cf. supra, p. 660b, n. 5.
5 Cf. supra, p. 662, nota 7.
6 Cf. supra, nota 1.
7 Gennadius, c. 17 (PL 58, 984).
8 Cf. supra, p. 516, in *Solutione*.
9 S. Fulgent., *De fide ad Petrum*, c. 3, n. 31 (PL 40, 763).
10 Cf. S. Maxim. Conf., *Scholia in De divin. nomin.*, c. 6, § 1 (PG 4, 335).

omnis vita huiusmodi est ab eo qui simpliciter est, scilicet a Deo, et vita mala, in quantum est vita, quia, in quantum est vita mala, non est a Deo, sed ab [a] eo qui non est sive nequaquam est. Unde verbo praedicto [b] in opponendo subditur [1]: « Nec aliqua vita, in quantum est vita, est malum, sed in quantum vergit ad mortem; mors autem vitae non est nisi nequitia, quae ab eo quod ne quidquam [c] sit, dicta est, et ideo nequissimi homines nihili homines appellantur ».

3. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod, etsi nobilitas causati quandoque attestetur nobilitati causae [d], hoc non est generaliter verum, proportionaliter loquendo, ita quod illud, quod nobilius est, sit [e] a causa nobiliore. Et hoc maxime quando agens agit per electionem: agens enim per electionem, diversa habita consideratione, nunc nobiliorem, nunc minus nobilem producit effectum [2]. Unde, quia in actionibus ubi Deus est tota causa, ipsa voluntas est causa per se, secundum beneplacitum suae voluntatis, omnino indifferentis in se, effectus producit differentes.

4. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'illud quod est causa alicuius simplicis, potest in totum esse illius' etc.: dicendum quod omnis causa creata [f] operatur ex suppositione materiae; unde solus Deus potest in totam rei substantiam: unde solus Deus potest [g] creare, id est aliquid de nihilo facere [3]. Cum [h] ergo anima vegetabilis et sensibilis originem habeant [i] ex rationibus seminalibus inditis partibus mundi, in quibus sunt aliquo modo, patet quod natura producens eas in esse, operatur ex suppositione materiae quodam modo. — Ad id [k] quod obicitur quod 'anima huiusmodi est simplex' etc.: dicendum quod simplex est secundum quod 'simplex' dicit carentiam partium quantitativarum, non [l] tamen secundum quod 'simplex' dicit carentiam partium substantialium, eo modo [m] quo 'quod' et 'quo' dicuntur partes substantiales rerum quodam modo simplicium. Habent enim huiusmodi animae 'quod est' et 'quo est', quae sunt quasi partes substantiales earum [4], alioquin non esset anima [n] actus et motor [o]. Unde, cum 'quod est' animarum [p] huiusmodi sit in seminalibus rationibus inditis partibus mundi, licet natura producat huiusmodi in esse, non [q] propter hoc dicenda est posse in totam rei substantiam, cum agat [r] sive operetur ex suppositione eius 'quod est', quod est [a] quasi materia.

5. Ad aliud quod quaeritur utrum causetur a creatura corporali aut spirituali: dicendum, ut supra tactum est [5], quod elementis mundi indita est quaedam [b] natura simplex et incorporea, alia a natura elementari, quae cooperans virtuti operativae in plantis et [c] animalibus, concurrente virtute corporum caelestium, modo convenienti prodeunt in esse animae [d] vegetabilium et animalium. Hae autem virtutes sive naturae possunt dici corporales, quia radicantur in corporibus sive naturis corporum, et spirituales, quia mole carent corporali. A tali corporali et ex tali potest fieri spirituale, sed non ex corporali habente molem corporis in quantum huiusmodi. Dico ergo opinando, non asserendo, quod illa natura quae est simplex et incorporea, indita partibus mundi, qua dicit Philosophus ista inferiora plena esse, est principium et origo ut ex quo est 'quod est' animarum huiusmodi; a virtute decisa a generante est 'quo est'; a virtute primi orbis et aliorum corporum supracaelestium [e] sunt ipsae animae huiusmodi ut a disponente et corroborante alia [f] operativa, ad hoc quod prodeant in actum. Et sic intelligitur verbum Philosophi, quod est quod [g] « orbis primus est principium et virtus et causa in vita omnis vivi [h] ». Ad hoc videtur valere illud quod ponit Philosophus [6], scilicet quod [i] de virtute animae decisa a generante fit anima sensitiva et quodam modo consimili [k] anima vegetativa. Dicit enim Philosophus [7] quod virtus descinditur [l] a generante, quae organizat materiam, qua organizata, ingreditur eam, sicut artifex in artificio, et fit eius non solum motor, sed actus et perfectio. Virtus enim animae, quia cum materia sibi proportionali descinditur, in ipsa fortius radicatur et vehementius unitur: unde ab ipsa facile non recedit, et iterum a calore matricis adiuvatur, coalescit [m], vigoratur et fortificatur ut robur accipiat animae. Hoc autem dico, quia videmus aliquam virtutem per elongationem ab eo cuius est, debilitari, ut in motu proiectorum et similibus [n]. In hac autem virtute secus est propter causas praetactas [8]. Ex hoc autem verbo Philosophi videtur quod virtus decisa a generante illam virtutem sive naturam, quae erat elementis indita, quae erat [o] sola potentia ad

---

[a] V *ex.* [b] S om. [c] F (corr.) *nequaquam* pro *n. q.*; L *sic* pro *sit.* [d] T *esse*, quod L corr. [e] STL *fit*, quod F corr. [f] VT *causata.* [g] T om. *in... potest.* [h] S om. [i] V *habentes.* [k] Ita V, alii om. [l] S om. [m] S *tamen.* [n] Ita F, alii om. [o] V *eius interior*, R *ei neque cor* pro *e. m.* [p] T add. *et*; V om. *est.* [q] S vacat *quod est et quo est... non.* [r] Ita VF (corr.), alii *agit.*
[a] Ita F, alii om. *q. e.* [b] V *quodammodo.* [c] L add. interl. *ex.* [d] V *modo.* [e] Z *supercelestium.* [f] T *qua.* [g] T om. [h] F add. mg. *et.* [i] Ita F (interl.), alii om. [k] V *asimili.* [l] V *deciditur.* [m] T *calescit.* [n] Z *consimilibus*; R om. *autem.* [o] V *illis indita* pro *e. i. q. e.*

1 *De vera relig.*, c. 11, n. 21 (PL 34, 131).
2 Cf. supra, p. 630 b, *ad 2* et p. 520, *ad 3* et 503, *ad 3.*
3 Cf. supra, num. 24.
4 Cf. supra, num. 56, 116, 349 et 351.
5 Cf. supra, p. 662 b et 663 a.
6 Cf. supra, p. 661, nota 9.
7 *De animal. generat.*, I, c. 2 (III, 320).
8 Cf. hic, parum supra.

animam, perducit[c] in actum. — Ex iis patet responsio ad illud quod sequitur, quo concluditur quod 'vita non potest esse nisi a vita', et hoc verum est. — Ad illud[b] quod postea obicitur quod non possit esse ab intelligentia, bene concedo ut a causa efficiente simpliciter, licet productio earum[c] in esse posset ministerio angelico accelerari[d]. Angeli enim, sive boni sive mali, causas rerum originales non possunt facere, sed per temperamenta et accelerationes quasi subito ex causis originalibus inditis a Deo huius mundi elementis possunt aliquid producere quod videtur mirabile, ut cum virgas[e] in serpentes Magi Pharaonis per daemones subito converterunt. De hoc alibi plenius tactum est[1].

6. Ad illud quod obicitur ultimo quod videtur quod 'huiusmodi animae non possunt fieri a spiritualibus substantiis quae sunt consimiles in specie, quia nec per divisionem substantiae' etc.: potest dici, sine praeiudicio, quod, ut tactum est[2], fiunt per divisionem virtutis. Nec dico quod illa virtus accidens est, sed[f] substantia, extenso nomine dicta substantia. Neque enim est simplex substantia neque accidens, proprie sumendo substantiam et accidens, sicut nec multa alia. Divisionem vero entis in substantiam et accidens praecedunt divisiones istae entium: aliud[g] in potentia, aliud in actu, aliud unum, aliud multa; haec autem sequitur haec: unum aliud[h] substantia, aliud accidens. Illa[i] ergo divisio in substantiam et accidens est entis completi; sed virtus non est ens completum: ideo neque substantia neque accidens. Ad substantiam tamen, cuius est principium, est reducibile, et ideo fieri potest substantia[3]. — Sed quoniam alicui videretur[k] insolitum et minus bene dictum virtutem substantiam fieri posse, aliter dicunt quidam[4], scilicet exponendo illud verbum «virtutem descindi a generante», manifestando quae sit ista virtus, dicentes quod anima vegetabilis, cuius est potentia generativa, alimentum attrahit et sibi assimilat, assimilat autem sibi non partem sui vel virtutem in ea relinquendo, sed virtutem sibi similem, quae in alimento erat in potentia remota, in proxima faciendo. In ipso enim alimento est virtus animae indita a Creatore, scilicet ratio seminalis, quae per virtutem animae, assimilantem alimentum et disponentem ad organizationem, de potentia in actum educitur. Et haec virtus nec est de substantia animae, quae in alimentum agit et assimilat, nec virtus eius, sed ei similis. Et sic virtus, quae erat[l] semini originaliter indita, cum semine descinditur; nihil[m] autem de substantia animae generantis et descindentis semen descinditur nec etiam virtus eius, quae cedat[n] in animam generati. Secundum hanc expositionem dicendum quod animae huiusmodi[o] et quantum ad 'quod est' et 'quo est' sunt de illa natura quae est indita partibus mundi a Conditore illorum, et quantum ad utrumque erant in illis potentia, et quod producuntur in esse a virtute generantis[p] cooperante virtute caelesti. Ut enim habetur XIV *Primae Philosophiae*[5], «omne quod fit, fit ex aliquo in potentia[q] illud quod fit». Unde animae huiusmodi cum fiunt, fiunt illud quod fiunt ex aliquo ente in potentia, scilicet in rebus seminalibus.

CAPUT II.

A QUO SIT VITA ORIGINALITER.

Sequitur determinare a quo sit[r] vita originaliter, hoc est determinare quid sit in substantia vivente unde ipsa vivit.

Et primo, si aliquid sit in illa unde vivit in se; secundo, unde alii vitam tribuit, scilicet illi qui vivit per participationem.

ARTICULUS I. 482

Utrum vita sit aliquid in substantia vivente ex se.

Quaeritur ergo primo utrum aliquid sit in substantia vivente ex se, cuiusmodi est anima, unde vivit.

Quod sic, videtur: *a.* Sicut tactum est[6], quaedam vivunt ex se, quaedam[s] per participationem eorum quae vivunt ex se, sicut anima dicitur

---

[a] Ita F, V *producunt*, alii *producit*. [b] V *hoc*. [c] V *eorum*. [d] V *artificari*. [e] S *purgas*. [f] VT om. [g] R om. [h] V *aliud unum, aliud* pro *u. a.* [i] Ita F (mg.), alii om. [k] Ita F (corr.), alii *videtur*; S om. *insolitum*. [l] S add. *in*. [m] V *non*. [n] Ita F (corr.), alii *cadat* [o] S om. [p] Ita F (mg.), alii om. [q] L add. mg. *in*. [r] T *fit*, F (corr.) *est*. [s] S om. *v. e. s. q.*

[1] Cf. supra, num. 248 sq. et 428 sq.
[2] Cf. supra, p. 664b et num. 325.
[3] Cf. supra, p. 572.
[4] Cf. supra, p. 565, *ad 2* et p. 569b sq.
[5] Lib. XIII, c. 2 (II, 630).
[6] Cf. supra, p. 669, *ad 2, 5, 7.*

vivere ex se, corpus per [a] participationem; quae autem vivunt per participationem, non [b] vivunt per aliquid quod sit in eorum substantia sive de illis, sed per aliquid quod est [c] aliud ab illis secundum substantiam; ergo ab oppositis videtur quod ea quae vivunt ex se, vivunt per aliquid quod est de eorum substantia, et non per aliquid [d] quod sit aliud secundum substantiam.

b. Hoc etiam patet per hoc quod dicuntur vivere ex se: nulla enim ratione videtur debere dici vivere ex se quod vivit per aliquid quod non est de substantia viventis, et ita quae vivunt ex se, habent aliquid in se quod est illis origo sive principium intrinsecum [e] vitae.

c. Item, illud quo vivit anima, ut habetur a Platone et exponit Macrobius [1], essentia est animae; sed constat quod in ente est aliquid unde est essentia, cum rei sive entis essentia sit originaliter ex principiis illius; ergo etc.

Contra: 1. Ut dicit Ambrosius [2], « anima vita est »; sed anima non est originaliter a se ipsa neque ab aliqua illius [f] parte, cum sit simplex, et ita non habet partem; ergo vita non habet originem in vivente ex se, scilicet anima.

2. Item, in re vivente ex se non sunt nisi duo principia, materia et forma sive illud quod est quasi materia et illud quod est quasi forma, quae in simplicibus [g] dicuntur ab aliquibus 'quod' et 'quo' vel potentia et actus [3]; sed a materia vel quasi materia non est vita sicut ab originali principio, cum sit [h] actus primus viventis et inter omnes actus nobilissimus sicut ille a quo vel qui est esse.

3. Item, vita semper est in suo actu: unde definitur per actum continuum, ut ex dictis [4] patet; quod autem est tale, non est a materia sicut a principio originali. Neque, ut videtur, est a forma vel quasi a forma, cum forma non sit ex forma [5], vita autem [i] est forma quaedam. Unde, cum res sit ex illo quod est eius principium originale sive eius origo, videtur quod illud quod est forma viventis non sit origo vitae eiusdem.

4. Item, origo rei est principium eiusdem; principium et causa idem, ut [k] dicit Philosophus [6]; ergo origo rei est causa eiusdem; ergo, cum in genere formarum vita est nobilissima, causa autem est nobilioris conditionis [l] illo cuius est causa, nulla forma est causa sive origo vitae.

5. Si autem diceretur quod vita non est a materia viventis neque [a] a forma, sed ab utroque – contrarium potest argui ex dictis, iuxta modum quo arguit Philosophus [b 7], concludens illud quod ex neutro est aliquorum duorum, non esse ex utroque.

Respondeo: Ad horum [c] determinationem intelligendum quod vita est quidam motus sive actus et vigor internus. Ut enim dicit Bernardus, libro *De libero arbitrio* [8]: « Vita est internus motus, tantum vigens intrinsecus ». Videndum est ergo quid sit in substantia vivente ex se, unde sit motus iste et vigor qui est vita. Quod, ut competentius fiat, incipiatur a principio generali motus intrinseco in omnibus: est enim principium motus duplex, scilicet intrinsecum et extrinsecum; hic autem intenditur de principio intrinseco. Nota ergo quod in omni motu, sive ad formam sive ad [d] situm, primum principium [e] motus intrinsecum est appetitus: haec etenim est vis a Creatore omnibus [f] indita creaturis, per quam ad sui complementum ordinantur [g] et in sui complemento stant et radicantur. Nec [h] solum sic est in creaturis, sed etiam in creaturarum essentialibus principiis, quae sunt materia et forma, actus et potentia: neque enim materia se ipsa movetur ad formam, quia, cum [i] nullam determinet, non magis moveretur ad hanc quam ad illam; neque forma se ipsam facit in materia, sed per appetitum insitum utrique ad invicem ordinantur et per appetitum [k] huiusmodi inseparabiliter coniunguntur [9]. Nec solum appetitus rem completam in esse sequitur, sed in ipsis rerum principiis essentialibus radicatur [l] et fundatur. Et sicut est in motu ad formam, sic est in omni motu non violento [m]: in omni enim motu appetitus excitat motorem ad motum. Ex quo patet ipsum esse principium motus intrinsecum universale. Ex hoc ergo patet quod appetitus in omnibus excitat ad motum et quemdam efficit [n] vigorem in illis; non tamen vigorem vitae facit in omnibus, sed solum in simplicibus. Quod manifestius patebit per differentias appetituum et eorum in quibus est appetitus. Supponatur ergo quod omnibus rebus naturalibus inest appetitus, sed differenter, sicut et diversae sunt. Rerum enim [o] naturalium quaedam magis habent de specie, minus de materia; quaedam e converso magis de [p] materia et minus

[a] ST om. [b] S *nunc.* [c] V add. *aliquod.* [d] S om. *quod... aliquid.* [e] F add. *in se.* [f] R *ipsius.* [g] S om. *i. s.* [h] V *et sic* pro *c. s.* [i] Ita F (corr.) R, alii add. *non.* [k] T *et.* [l] R add. *eius,* Z add. *est.*
[a] T *sive.* [b] LZ add. mg. *in fine sex Principiorum.* [c] T *eorum.* [d] S om. [e] R om. [f] T om. [g] Ita VF (corr.), alii *ordinatur.* [h] SZ *non.* [i] S om. [k] S om. *insitum... appetitum.* [l] L *indicatur.* [m] S *inviolato* pro *n. v.* et om. *ad formam... motu.* [n] Z *excitat.* [o] S add. *natura.* [p] T *a.*

1 Cf. p. 657, nota 3 et 4.
2 *De bono mortis,* c. 9, n. 42 (PL 14, 559).
3 Cf. supra, num. 56.
4 Cf. supra, num. 474.
5 Cf. Aristot., *Phys.,* cc. 1 et 2 (II, 260 sqq.).
6 *Metaph.,* IV, c. 1 (II, 514).
7 Cf. Gilb. Porret., *De sex princip.,* c. 8 (I, f. 34 b); Aristot., *Topic.,* VI, c. 13 (I, 253).
8 *De grat. et lib. arbit.,* c. 2, n. 3 (PL 182, 1003).
9 Cf. Aristot., *Phys.,* I, c. 9 (II, 260).

de specie; quaedam vero quasi totaliter species sive actus sunt, sicut substantiae simplices[a], quae semper in actu sunt[1]. In quibus autem magis est de materia, minus de specie, ut in terra, quasi sopitus et obtusus est[b] appetitus; in quibus vero magis de specie et[c] minus de materia, ut in igne, quasi acutus et vigens est[d] appetitus: unde ignis semper est in actu et cito generatur. Quare in eis, quae quasi tota[e] actus sunt[f], validior adhuc et acutior erit appetitus. Ergo, cum anima sit[g] substantia simplex et semper in actu, in ea fortis et potens, acutus et vigens[h] erit appetitus. Huius vigoris modum exprimens maximus poetarum Virgilius[2], dixit:

> « Igneus est illis vigor et caelestis origo
> Seminibus[i] ».

« Igneus vigor », quia subtilis et acutus; « et caelestis origo », quia vis est[k] indita divinitus. Ecce unde tantus est motus et vigor in animabus. Manifestum etiam est, si vita est vigor et motus internus, quare appetitus vitam operatur in simplicibus. In quibusdam tamen[l] corporeis, ut in illis quae[m] minus habent de materia, magis de specie et de actu, ut in igne et luce, quamdam imaginem vitae operatur, quia semper in actu sunt. Unde et argentum fusile vivum vocatur, quia semper et continue movetur, et eadem ratione fons vivus dicitur. Appetitus autem iste, qui vigorem internum et vitam operatur in substantiis simplicibus, fundatur in earum principiis essentialibus. Sicut enim corporalium principia sunt materia et forma, sic simplicium actus et potentia sive 'quod' et 'quo': per appetitum enim potentia actui coniungitur et perficitur. Et sicut per appetitum medium forma cum materia unitur et actus cum potentia, ut fiat substantia, sic per appetitum fortem, acutum et vigentem potentia simplicis cum actu ipsius ordinatur, ut fiat non solum substantia, sed substantia vivens: unde manifestum est principia vitae[n] fundari in essentialibus rei[o] principiis. Addunt tamen aliquid supra[p] principia substantiae principia substantiae viventis[q]. Patet ergo quid est illud quod vigorem facit in substantiis simplicibus et quod vigor ille fundatur in principiis earum essentialibus et vitam operatur. Patet etiam quid vivere addat supra esse in substantiis viventibus et quod motus internus substantiae simplicis est vigens appetitus, qui vitam operatur in simplicibus. Et ita videtur[a] necesse ponere, quia praeter appetitum aut[b] desiderium impossibile est aliquid reperire[c] quod vigeat intrinsecus.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc ergo quod primo obicitur contra hoc, scilicet quod 'anima est vita et quod[d] anima non est[e] originaliter a se ipsa' etc.: dicendum quod, ut supra tactum est[3], anima dicitur vita per concomitantiam causalitatis, non per identitatem essentiae.

2. Ad aliud[f] quod sequitur, dicendum quod, ut ex dictis[4] patet, principia vitae fundantur quodam modo in principiis essentialibus rei viventis: unde ab ipsis quodam modo vita habet originem. Licet enim materia, in quantum huiusmodi, non sit per se activa[g] sive operativa, tamen ratione qua habet appetitum inclinativum ad actum, potest esse origo quodam modo formae, quae est omnino activa sive in actu qui[h] est vita.

3. Ad illud quod obicitur[i] quod 'formae non est forma' etc.: dicendum quod hoc verum est, per se loquendo, scilicet in ratione qua forma est informans: forma enim, per se loquendo[k], non est perfectibilis forma[l] neque forma est perfectiva formae[5], sed potius materiae sive existentis in potentia, in quantum huiusmodi. Potest tamen forma una esse originale principium alterius formae: forma enim sive perfectio totius quodam modo originem habet a forma quae est forma sive perfectio materiae.

4. Ad aliud quod sequitur quod 'causa est nobilioris conditionis[m] eo cuius est causa' etc.: dicendum quod hoc non est verum de quacumque causa, sed de causa[n] efficiente, completa et sufficiente. Principium autem originale rei non de necessitate est huiusmodi, sed potius est deterioris conditionis eo cuius est origo, ut patet de limo, qui fuit quodam modo originale principium corporis hominis primi[6].

5. Ad ultimum dicendum quod in multis sortitur aliquid esse a duobus, quod a[o] neutro per se. Quod autem dicit auctor[p] *Sex principiorum*[7]: « Si quis primam et secundam destruxit, utique et tertiam destruit[q], quae ex utriusque efficitur coniunctione », intelligitur ubi[r] aliquid ponitur esse ex utroque aliquorum divisim

---

[a] V *simplicis.* [b] S add. *et.* [c] S om. [d] S *actus et in generatione* pro *a. e. v. e.* [e] Ita SF (corr.), alii *toti*; S om. *quae.* [f] S om. [g] L om. *a. s.* [h] R *ingens.* [i] T *sensibus*, Z *in omnibus.* [k] S om. [l] Z om. [m] Ita F (corr.), S *autem*, alii *qui.* [n] R om. [o] S om. [p] V add. *simplicia.* [q] V *minoris.*
[a] S om. [b] S *autem et.* [c] S *aperire.* [d] Ita R, alii om. [e] T *non.* [f] S *illud.* [g] Z *alterativa.* [h] Ita VSF (corr.), alii *que*; S om. *est.* [i] TRLZ add. *dicendum*, quod F delev.; V *aliud* pro *illud.* [k] S om. *scilicet... loquendo.* [l] S om. [m] Z om. [n] S om. [o] S *et.* [p] T om. [q] Ita F (corr.), alii *destruxit.* [r] Ita VSF (corr.), alii *ut.*

1 Cf. supra, p. 529, in *Solutione.*
2 *Aeneid.*, III, v. 730; cf. Pseudo-Augustin., *De spiritu et anima*, c. 14 (PL 40, 790).
3 Cf. supra, num. 476.
4 Cf. supra, sub *Respondeo.*
5 Cf. Aristot., *Phys.*, V, cc. 1 et 2 (II, 307sqq.).
6 Cf. supra, num. 431-433.
7 Cap. 8 (f. 34 b).

sumptorum. Quod patet ex casu in quo loquitur: intendit enim [a] determinare a quo dicitur aliquid suscipere magis et minus. Et ponebant quidam hoc esse a cremento vel decremento suscipientis; quidam a cremento vel decremento eius quod suscipitur; quidam ab utroque, scilicet et [b] ab hoc et ab illo [c]. Et in hoc casu dicit quod, si non dicitur aliquid magis vel minus a suscipiente sive subiecto [d], neque ab illo quod suscipitur, scilicet forma vel qualitas, non suscipit ab utroque.

483 ARTICULUS II.

Unde vivens ex se alii vitam tribuit.

Sequitur inquirere unde vivens ex se alii vitam tribuit, scilicet illi quod [e] vivit per participationem, scilicet anima corpori.

Circa hoc proceditur [f] **sic:** *a.* Augustinus, *De civitate Dei,* XIII, cap. 2 [1]: « Vivit corpus ex anima, cum anima vivit in corpore, seu vivat ipsa seu non vivat ipsa ex [g] Deo ». Sed, ut habetur a Philosopho [2], « anima est actus sive perfectio corporis physici organici, potentia vitam habentis »; corpus ergo vivit ab anima [h] ut ab ea quae est eius perfectio, et anima vitam tribuit corpori ut eius perfectibili; cum autem illud quod est perfectio tribuat aliquid perfectibili in quantum huiusmodi, unde illi hoc tribuit [i] est aliquo modo originaliter in ipso [k] tribuente; ergo vivens ex se habet aliquo modo originaliter in se unde tribuit vitam viventi per participationem.

b. Item, cum vivens per participationem recipit vitam a vivente per se sive ex se, hoc est per aliquod quod originaliter est in ipso recipiente: a simili videtur [l] ex parte dantis quod etc.

Contra: 1. Substantia dividitur in substantiam spiritualem et corporalem, sicut animal in [m] rationale et irrationale: unde idem est genus distantiae inter substantiam spiritualem et corporalem quae est inter animal rationale et irrationale; substantia autem [n] vivens in se est spiritualis, vivens per participationem est corporalis; sed animali rationali nihil est inditum [o] neque habet unde tribuat vel tribuere appetat animali irrationali illud quod est in illo nobilissimum vel inter nobilia illius potissimum; eadem ratione videtur quod nihil est inditum substantiae spirituali neque habet aliquid unde tribuat vel tribuere appetat substantiae corporali quod est in illo nobilissimum sive inter nobilia illius potissimum, cuiusmodi est vita. Ergo videtur quod nihil sit in substantia [p] vivente ex se, unde vitam tribuat illi quod vivit per participationem.

2. Item, actus [q] vel perfectio nobilis requirit perfectibile nobile sibi convenienter respondens; ergo, cum vita sit de perfectionibus nobilissimis, eius appetitus est determinatus circa perfectibile quod est de genere nobilium; talis autem est substantia spiritualis, non autem corporalis; ergo fixus est [r] eius appetitus circa substantiam spiritualem quae vivit ex se et non extendit se ad illud quod non vivit ex se; et ita nihil habet in se unde appetat attribuere vitam illi quod vivit per participationem.

3. Item, conditiones istae, quae sunt unitas, simplicitas, attestantur nobilitati eorum quorum sunt conditiones; ergo, cum formae minus nobiles quam vita habeant esse determinatum circa unum et idem nec diffunduntur sive extenduntur ad plura, multo fortius videtur quod ita debeat esse de vita, scilicet [s] quod in quadam indivisione sive unitate habeat esse in uno materiali et non in divisione et extensione ad plura, scilicet spirituale et corporale.

4. Item, quando aliqua proprietas communicatur a duobus, necesse est hoc esse mediante aliquo uno [t] in quo conveniunt: et non dico uno generali, sed uno propinquiori; sed substantia spiritualis et corporalis non habent convenientiam nisi in genere nec videntur convenire in aliquo propinquiori secundum quod requirit communicatio vitae; et ita videtur quod nihil habet substantia spiritualis in se unde communicet [u] vitam corporali.

Respondeo [3]: Ad horum notificationem nota [v] quod sicut per appetitum anima in se vigoratur, sic per appetitum in corpore, quod vivificat, vitam operatur: per appetitum enim corpori unitur et per appetitum corpus variis motibus movet, ut et ipsum perficiat et ipsa etiam perficiatur. Quod [x] ut manifestius fiat, modum unitionis animae cum corpore et quare necessarium est ipsam uniri corpori, videamus. Sciendum ergo est quod appetitus

---

[a] Ita VS, alii *autem.* [b] Z om. [c] SF *alio.* [d] S *sigillo.* [e] SZ *qui.* [f] Ita V, alii om. [g] S *de* et om. *s. n. v. i.* [h] S *ipsa.* [i] S add. *hoc.* [k] R *illo.* [l] Z add. *quod;* F *ex* pro *a.* [m] S om. [n] L om. [o] S *additum.* [p] F om. *i. s.* [q] Z *actio.* [r] Z om. [s] Ita F, alii *secundum.* [t] S *modo.* [u] Ita V, alii *communicat.* [v] F (corr.) *notandum.* [x] R om.

[1] PL 41, 377.
[2] *De anima,* II, c. 1 (III, 444).
[3] Cf. *Lib. de intellig.,* prop. 19 (ed. C. Baeumker, p. 24sq.).

in substantia simplici nec vigorem actualem facit nec vitam operatur nisi cum perficitur. Cum autem suo actui coniungitur et suo desiderabili unitur et in eius unione delectatur, perfectus est et vitam operatur: tunc enim viget anima et delectatur. Sicut autem dicit Avicenna[1], delectatio cuiusque virtutis plena est acquisitio suae perfectionis, cum autem caret suo desiderabili, minuitur aut deficit appetitus et vita languet aut extinguitur; unde argumentum efficax sumitur quod supra appetitum vita fundatur[2]: si enim [a] completo appetitu vita perficitur, debilitato debilitatur et deficiente extinguitur, aut sunt idem appetitus et vita aut unum est causa alterius. Quia igitur appetitus vitam non facit in actu, nisi perficiatur, in quibusdam vero non est completus de se, sed aliquo indiget exteriori ut perficiatur, in eis vitam non facit in actu, nisi ei quo indiget coniungatur. Et haec est ratio quare substantia simplex corpori unitur, ut videlicet appetitus suo desiderabili coniungatur et sic in actu vigeat et vita in ea perficiatur. Si enim completus esset in se eius [b] appetitus, nunquam corpori essentialiter uniretur. Per appetitum ergo corpori unitur et inseparabiliter se tenet, nisi sit defectus ex parte corporis, et [c] ut per hoc suo actui coniungatur et vita perficiatur; per appetitum etiam variis motibus movet corpus, ut etiam ipsum perficiat et ipsa [d] perficiatur. Et haec est ratio colligationis animae cum corpore, quamvis haec ratio colligationis multiplex sit et [e] differens in diversis: in quibusdam enim maior, in aliis vero minor reperitur vis colligationis. In quibusdam enim [f] quodam modo idem est [g] vivere et vitam alii tribuere. Unde quarumdam animarum et corporum est quasi vita una et unum vitae complementum, ut in vegetabili et sensibili: hae enim de se non habent aliquam differentiam vitae nisi quam contrahunt a corpore; unde et secundum vitam suam dependent a corpore, et ideo [h] vita eorum non est separabilis. In aliis vero, ut in rationali, non est idem vivere et [i] vitam corpori tribuere, quamvis ab eodem sit ut ab appetitu, modo quo tactum est[3]. Haec enim habet vitam propriam quae non est corporis [k]; ab ipsa tamen derivatur unde tribuitur vita corpori, et ideo haec sola secundum vitam suam a corpore est separabilis. Sic igitur patet quo modo [l] per appetitum vitam corpori tribuit et quo modo per ipsum est ratio unionis et colligationis animae cum corpore et quo modo in diversis diversimode. Et ex iis patet quod scilicet eodem vigore quo vivit anima, vitam potest corpori tribuere.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur, quo videtur ostendi quod 'nihil est inditum substantiae [m] spirituali, unde tribuat sive tribuere appetat vitam corpori propter distantiam eorum' etc.: dicendum quod, licet sit distantia illorum ea quae tacta est in opponendo, in quantum hoc est corporale et illud spirituale, est tamen quidam illorum ordo et [n] respectus[4], qui est perfectionis ad perfectibile: unde est illorum appetitus mutuus, quo est quaedam ratio colligationis eorum ad invicem, quibus mediantibus est influentia vitae ab uno in aliud. Licet ergo nihil sit inditum substantiae spirituali unde appetat tribuere vitam corporali, in quantum distant ut corporale et spirituale, in quantum tamen est appetitus huius [o] perficiendi illud et etiam in perficiendo illud sibi pleniorem acquirere perfectionem, habet aliquid unde sibi vitam appetit attribuere [p].

2. Ad aliud [q] quod sequitur, dicendum [r] quod est aliqua substantia [s] spiritualis, cuius perfectio nullo modo dependet aliquo modo [t] a corporali; est et alia, cuius perfectio aliquo modo dependet. Quia ergo appetitus rei nullo modo terminatur nisi adepta ipsius perfectione [u], illius substantiae spiritualis appetitus, cuius perfectio dependet aliquo modo a corporali, non terminatur nisi in coniunctione cum substantia corporali. In nullo ergo deterioratur conditio vitae ex hoc quod appetitus substantiae spiritualis viventis est ut coniungatur cum substantia corporali, a cuius coniunctione pleniorem sortitur perfectionem, immo melioratur. Nobilitas ergo huius actus, qui est vita, non impedit quin appetitus substantiae spiritualis viventis convenienter se extendat ad hoc quod uniatur cum substantia corporali.

3. Ad illud quod sequitur, dicendum quod verum est quod unitas attestatur nobilitati, cuius conditio in nullo deterioratur ex ipsius unius [v] multiplicatione, immo magis perficitur et perfectior ostenditur, sicut patet de luce[5], cuius [x] virtus ipsius multiplicatione maior efficitur et perfectior ostenditur. Similiter est in proposito: vita enim, ut tactum est[6], ex coniunctione substantiae spiritualis cum [y] corporali, ex qua quodam modo multiplicatur in substantia corporali, magis viget et efficitur iucundior et perfectior, nec haec multiplicatio aliquid tollit de unitate ipsius vitae, cum semper illa sit una quae est substantiae spiritualis,

---

[a] R *autem.* [b] Z om. [c] S om. [d] S *ipso.* [e] L add. *eas.* [f] S om. *maior... enim.* [g] R om. [h] T *ita.* [i] V *quod.* [k] T add. *ut.* [l] V *quam* pro *q. m.* [m] L *specie.* [n] V *ut.* [o] VL *huiusmodi.* [p] R *tribuere.* [q] S *illud.* [r] S add. *est.* [s] S om. [t] S om. *a. m.* [u] S om. *aliquo... perfectione.* [v] S *illius* pro *i. u.* [x] S om. [y] Z *in.*

1 Cf. *Metaph.*, tr. 9, c. 7 (f. 106 d sqq.).
2 Cf. supra, p. 666b, sub *Respondeo.*
3 Cf. supra, parum ante et num. 482.
4 Cf. supra, p. 418sq., *ad 1-3.*
5 Cf. Rob. Lincoln., *De luce* (ed. Baur, p. 54).
6 Cf. supra, sub *Respondeo.*

sed est causa perfectionis illius[a] et ostensio nobilitatis.

4. Ad illud quod sequitur, dicendum quod substantiae spiritualis, scilicet animae, et corporalis, quae ab anima perficitur, est convenientia quaedam praeter illam quae est generalis, quae attenditur in multiplicitate potentiarum sive virtutum operativarum ex parte animae et[b] multiplicitate naturarum sive partium organicarum ex parte corporis. Ut enim supra tactum est[1], corpus humanum inter omnia corpora compositissimum est, et hoc requiritur propter hoc quod anima, quae est perfectio eius et motor, est multarum operationum effectiva, quarum cum non possit anima esse effectiva per se, immo necessarium est ut exerceantur per corpus, necesse est quod corpus huiusmodi multiplicitatem habeat organorum[2]. Praeterea[c], conveniunt in mutuo appetitu perfectionis: appetitus enim corporis est ut ab anima perficiatur; similiter et appetitus animae est ut corpus perficiat et illud[d] perficiendo pleniorem sortiatur perfectionem. Iste autem appetitus mutuus est causa colligationis illorum ad invicem et communicationis vitae.

MEMBRUM III.

Cuius est vita ut subiecti proprii.

In progressu[e] inquisitionis de vita tria proponebantur quaerenda. Primo, quid est vita; secundo, a quo est vita; tertio, cuius est vita. Iam determinatum est de duobus; sequitur de tertio, scilicet cuius est vita ut subiecti proprii.

Primo ergo quaeritur utrum vita sit in natura increata;

secundo quaeritur utrum vita Creatoris et creaturae in aliqua re conveniant;

tertio, utrum vita sit in creatura corporali an tantum in spirituali;

quarto, supposito quod in corporali, utrum sit in corporibus supracaelestibus[f];

quinto, utrum sit in animalibus quae carent sanguine;

sexto, utrum sit in embrione;

septimo, utrum sit in humore vel in[g] humoribus.

484

CAPUT I.

UTRUM VITA SIT IN NATURA INCREATA[3].

Circa primum sic: *a.* Damascenus[h], III libro[4]: «Excepta divina, tres species sunt vitae[i], plantativa, sensibilis, intellectualis».

b. Item, Augustinus, in libro *De fide ad Petrum*[5]: «Deus naturaliter vita est».

c. Item, Dan. 14, 4: *Non colo idola manu facta, sed viventem Deum, qui fecit caelum et terram.* Ex iis patet quod in Deo est vita.

d. Item, videtur quod solus Deus vivat, sic: Secundum Philosophum[6], vivere viventis est esse; ergo viventis essentia est eius vita; ergo illud solum vivit, cuius essentia est vita, hoc est solus Deus.

e. Item, libro *De motu cordis*[7]: «Oportet nosse quoniam ipsa vita actio est»; et vita est esse viventis; ergo viventis essentia est sua actio; ergo illud solum vivit, cuius sua essentia est[k] sua actio, hoc est solus Deus: in omni enim creatura differunt essentia[l], virtus et actio, ut vult Augustinus[8].

Contra: 1. Vita addit super[m] esse; in illo igitur in quo nihil additur ad esse, hoc est in illo de quo dicitur Exod. 3, 14: *Ego sum, qui sum,* non est vita; si enim aliquid[n] esset in ipso quod adderet ad esse, esset in[o] ipso compositio aliqua.

2. Item, vita cadit[p] sub aliqua differentia entis; unde contrahit ens, cui convenit, in genus: eorum enim quae continentur in genere, quaedam vivunt, quaedam non vivunt; ergo non convenit illi quod non est in genere, sed supra omne genus, scilicet Deo.

3. Item, esse viventem et habere animam convertuntur; dicitur enim in libro *De motu cordis*[9]: «Animatum et vivens ad se invicem paria sunt»; sed Deus non habet animam; ergo etc.

---

[a] S om. [b] S *ut.* [c] S *item.* [d] S *idem;* L om. *ut.* [e] T *ingressu* pro *i. p.* [f] S *supercelestibus.* [g] T om. [h] V add. *in;* L *in* pro *III.* [i] RL add. *et.* [k] S *est essentia et* pro *e. e.* [l] S om. [m] R *supra;* S om. *contra.* [n] Z *illud.* [o] S *cum.* [p] T om., in F est add. mg.

1 Cf. supra, num. 434.
2 Cf. supra, num. 354 et p. 580, *ad 4.*
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 59.
4 *De fide orthod.*, III, c. 14 (PG 94, 1038).
5 S. Fulgent., c. 3, n. 28 (PL 40, 762).
6 *De anima,* II, c. 4 (III, 449).
7 Potius Damasc., *De fide orthod.*, III, c. 15 (PG 94, 1047).
8 Cf. potius Pseudo-Dionys., *De cael. hier.*, c. 11, § 2 (PG 3, 283, PL 122, 1059); cf. supra, p. 578, nota 1.
9 Cap. 1, n. 2 (p. 6).

4. Item, in[a] quo est vita, est appetitus et desiderium, ut ex dictis patet[1]; sed in nullo est desiderium[b] alicuius quin sit indigentia respectu illius; sed in Deo nulla est indigentia; ergo etc.

5. Item, secundum Bernardum[2]: « Vita est motus internus »; et hoc vitae convenit per se sicut illud quod ponitur in eius ratione; ergo convenit omni habenti vitam; sed in Deo non est motus; ergo nec vita.

6. Item, dicit Dionysius, *De divinis nominibus,* 1 cap.[3]: « Superessentialitatem divinam neque ut verbum aut virtutem neque ut animam aut vitam aut essentiam laudare est iustum ». Sed omnia quae sunt in superessentialitate divina, id est Deo, Deum reddunt laudabilem; ergo neque anima neque vita sunt in Deo[c].

Respondeo: Dicendum quod in Deo est vita, non per differentiam a substantia, sed ipse est sua vita et suum vivere, et tanto nobilior est eius vita quanto simplicior. Quia autem divinum esse est simplicissimum, nihil habens de possibilitate[d] admixtum, ideo est in plena actualitate et vigore. Quia igitur vita est quidam vigor internus et vivere est vigere quoddam, ut supra tactum est[4], hinc est quod in Deo est vitam reperire et in ultima perfectione, ratione praetacta. Unde rationes pro illa parte concedendae sunt.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur quod 'vivere addit supra esse' etc.: dicendum quod hoc verum est in eis in[e] quibus vita est per differentiam aliquam, ita quod differt in vivente illud quod vivit et quo vivit; hoc autem est in rebus creatis, quae habent possibilitatem[f] permixtam esse sive[g] actui; solus autem Deus est in puritate actus sive actus purus[5], et ideo in ipso vivere non addit ad[h] esse, sed sua essentia est sua vita.

2. Ad aliud quod obicitur quod 'vita contrahit in aliquod genus entis' etc., dicendum quod est duplex[i] vita: una scilicet quae est origo omnis vitae, quae non cadit sub determinatione temporis vel motus, sed est aeterna, et haec est per se vivifica et substantifica; alia est vita quae est participata per distinctionem et proprietatem convenientem unicuique viventi. Prima vita est causalis sive causa secundae. Unde Dionysius, *De divinis nominibus*, in cap.[k] *De vita*[6]: « Nunc laudanda est[l] laudabilis vita aeterna, ex qua per se ipsam vita et omnis vita et a qua in omnia, utcumque vitam participantia, vivere proprie unicuique exseminatur ». Et post: « Et sicut in ὄντε[m] dicimus quia[n] eiusdem esse est causalis, sic et ibi ». Iterum: « Quia et per se ipsam vita est divina vita, vitalis et substantialis », ut habetur a Commentatore[7], ὄν a Graecis essentia dicitur divina. Unde vult dicere quod sicut eiusdem est esse causalis in divinis, sic per se ipsam est vita divina[o]. Et post subdit[8]: « Et omnis vita et[p] vitalis motus ex vita ipsa, quae est super omnem vitam et omne principium totius vitae ». Vita autem primo modo sumpta est naturae increatae, secundo modo sumpta creatae. Prima est super omne genus nec cadit sub aliqua differentia quae trahit in genus, sed est[q] idem cum eo quod est simpliciter et per se, ut patet ex verbo Dionysii. Secundo modo sumpta trahit in[r] genus.

3. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'vivere et habere animam convertuntur': dicendum quod sicut descendunt scientiae, sic et vocabula scientiarum[9]. Auctor autem libri *De motu cordis*[10] inquirit in illo de vita quae habet esse in corporibus, et[s] de illa verum est quod « animatum et vivens ad se invicem paria sunt ». Sed, generaliter[t] loquendo, non est verum: spiritualis enim creatura, sicut intelligentia[u], vivit, licet animam non habeat.

4. Ad aliud quod sequitur, dicendum quod est appetitus rei distantis, et ille appetitus habet annexam imperfectionem; est et appetitus rei indistantis, et hoc potest esse dupliciter: vel quia coniungitur appetitus appetibili vel quia est[v] idem per essentiam. Quandoque enim est appetitus coniunctus appetibili, tamen est aliud per essentiam ab illo; quandoque autem idem est appetitus et appetibile per essentiam, et hoc est in Primo, ubi idem est delectans et in quo delectatur, fruens et quo fruitur; ubi autem est talis appetitus, nullus est defectus, sed vita perfecte[x] delectabilis, nullo indigens, existens in fine nobilitatis et delectationis, qualis est in primo et summo bono[11].

5. Ad aliud quod sequitur quod 'vita[y] est motus' etc.: dicendum quod illa praedicatio est causalis, quia vita est causa motus. Sed quaedam est vita, quae est[z] principium sive causa motus in vivente, quaedam in alio. Illa quae est principium motus in ipso vivente, habet imperfectionem

---

[a] S om. [b] S om. *ut ex... desiderium.* [c] S *vita est in Christo* pro *a. n. v. s. i. D.* [d] Ita SF (corr.), alii *passibilitate.* [e] T om. *e. i.* [f] Ita SF (corr.), alii *passibilitatem.* [g] Ita SF (interl.), L add. *in*, alii om. [h] Ita S, alii om. [i] S om. [k] TR *en.* [l] TRL rep. *l. e.*, quod F exp. [m] Ita F (corr.), alii *ente.* [n] T *quod.* [o] S om. *Et post... divina.* [p] S *est.* [q] T om. [r] S om. [s] L (corr. mg.) *quod*, Z om. [t] Z *essentialiter.* [u] S *intellectiva.* [v] S om. [x] T om. [y] L om. [z] L om.

1 Cf. supra, p. 668 sq., sub *Respondeo.*
2 *De grat. et lib. arbit.*, c. 2, n. 3 (PL 182, 1003).
3 Cap. 1, § 5 (PG 3, 594, PL 122, 1116).
4 Cf. supra, num. 482 sq.
5 Cf. Aristot., *Metaph.*, XI, c. 7 (II, 605).
6 Cap. 6, § 1 (PG 3, 855, PL 122, 1151), ubi et duo loci seqq.
7 Cf. S. Maxim. Conf., *Scholia in De divin. nomin.*, c. 5, § 4sq. (PG 4, 314 et 318).
8 Scilicet Pseudo-Dionys., loc. cit.
9 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 8 (III, 470).
10 Cap. 1, n. 2 (p. 6).
11 Cf. *Lib. de intelligentiis*, prop. 19 (ed. C. Baeumker, p. 24 sq.).

coniunctam, quia motus-passio attestatur imperfectioni; sed, quia Deo non convenit nisi quod est perfectionis, ideo vita in Deo est principium motus, non quo Deus moveatur, sed quo omnia movet et viventia vivificat. Propter quod, ut vult Dionysius[1], « divina vita est vitalis[a] et substantialis », id est vivifica et substantifica. Et secundum Boethium[2]:

« Stabilisque manens dat cuncta moveri ».

Vel, si videatur dicendum quod vita sit motus[b] essentialiter, secundum quod motus internus[c] est vigor appetitus, dicendum quod illa ratio Bernardi « Vita est motus internus » etc. est vitae quae differt per essentiam ab eo quod vivit eadem vita.

6. Ad illud Dionysii quo videtur quod vita non sit in Deo, patet responsio per hoc quod sequitur ibidem, ubi ostenditur quod nominandus est Deus « omnium[d] ablatione » sive negatione, superpositione et causalitate. Unde intentio est auctoris ostendere neque vitam neque alia dicta de Deo, proprie et in propria acceptione sumpta, Deo convenire[3]. Unde Commentator[4], ibidem: « Ratio in hoc universaliter studet ut suadeat certisque veritatis investigationibus[e] approbet nil de Deo proprie dici posse, quoniam superat[f] omnem intellectum omnesque sensibiles intelligibilesque significationes, qui[g] melius nesciendo[h] scitur, cuius ignorantia est vera sapientia, qui verius fideliusque negatur in omnibus quam affirmatur: quodcumque enim de ipso negaveris, vere negabis, siquidem si[i] approbaveris hoc vel hoc illum esse, falsitatis redargueris, quia omnium quae sunt, quae dici vel intelligi possunt, nihil est ».

d-e. Ad illa quae obiciebantur pro alia[k] parte, quibus concluditur quod solus Deus vivit: dicendum quod illud argumentum non valet 'vivere est esse viventis, ergo vita est essentia viventis'. Nec est hic locus a coniugatis: non enim se habet vita ad vivere sicut essentia ad esse; vita enim et vivere non differunt nisi in modo nominandi, quia vita est actus sicut et vivere: essentia enim, quae est ipsa quidditas rei, dicit ipsam substantiam rei, esse vero actum: esse enim est actus entis[5]. Praeterea, cum dicit 'vivere est esse viventis', esse dicitur viventis ut est vivens, non ut est substantia. Cum infertur: 'ergo vita est essentia viventis', ibi sumitur essentia ut est quidditas rei quae vivit, non ut dicit quidditatem actus quo vivens, in quantum vivens, est in actu vivendi. Unde non[l] est debita coniugatio in argumento. Unde in argumento non infertur essentia de essentia sicut proponitur actus de actu, immo est duplex defectus ibi, unus ex hoc quod infertur essentia de actu: vita enim actus est[6]; alius ex hoc quod sumitur essentia in conclusione ut est quidditas rei quae subest actui vivendi, non ut dicit quidditatem ipsius actus.

Si obiciatur adhuc quod vita est essentia viventis per hoc quod dicit Dionysius, cap. *De vita*[7]: « Si dixeris qualemcumque vitam aut vitae principium aut vitae essentiam, ex ipsa, scilicet prima vita, vivit ». Et ibi Commentator[8]: « Vitae essentiae intelligibiles sunt virtutes, et nostrae animae essentiam quippe, cum sint vita, habent ut materiam quamdam atque subiectam et ipsam speciem, quae vitae est, existentem, unde et vivificant corpora animae ». Ecce quod in textu dicitur « essentia vitae », in *Commento*[9] dicitur « intelligibiles virtutes », id est intelligentiae[m], « sunt essentiae vitae ». — Responsio est ad hoc[n] quod essentia vitae dicitur substantia in qua radicatur vita.

In translatione Abbatis[10] est « substantia vitae », sed in *Commento* dicitur « essentiam[o] quippe, cum sint vita[p], habent » etc., loquitur de animabus nostris, ibi dicitur plane quod animae nostrae vitae sunt. — Respondeo: Praedicatio illa[q] non est per convenientiam identitatis, sed potius per convenientiam relationis actus ad substantiam vel effectus ad causam, sub hoc sensu: « animae nostrae sunt vitae[r] », id est sunt substantiae in quibus sunt radicatae sive[s] substantificatae vitae et quae sunt principia vitae corporibus; et hoc dicit textus qui est secundum[t] translationem Abbatis[11]: « Si dicas vitae principium[u] aut substantiam, ex ipsa vivunt et vivificant ». Dicit enim animam nostram esse[v] substantiam vitae qua vivit, et principium vitae in quantum vivificat corpus[x], et utrumque esse a prima vita. Unde dicitur in textu « ex ipsa vivunt et vivificant »: vivunt in se[y], vivificant corpora sibi subiecta, ut dicit Commentator[12]. Ex iis patet responsio ad illud quod sequitur.

---

[a] V add. *causalis*; S *vivificat* pro *vivifica*. [b] S om. *et substantifica... motus*. [c] L *interius*. [d] Ita F, alii *omni*. [e] Codd. *instigationibus*. [f] V add. *in*. [g] Ita F (corr.), alii *quia*. [h] S *vestigando*; R *scit* pro *scitur*. [i] V *sive*, S om. [k] T *illa*. [l] L om. [m] S *intellective*. [n] VFR *hec*. [o] Ita SF, alii *essentia*. [p] S *vitam*. [q] T om. [r] T om. [s] R *vel*. [t] L om. [u] S *principia*. [v] L *et*. [x] Ita S, alii *corpora*. [y] R add. *et*.

1 Cf. supra, p. 671, nota 6.
2 *De consol. phil.*, III, metr. 9 (PL 63, 758).
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 7, III et num. 333-336 et 366-368.
4 Cf. S. Maxim. Conf., *Scholia in De divin. nomin.*, c. 1 et 7, (PG 4, 186, 342), ad sensum.
5 Cf. *Liber de causis*, § 1 (p. 163).
6 Cf. supra, num. 478.
7 *De divin. nom.*, c. 6 § 3 (PG 3, 858, PL 122, 1152).
8 S. Maxim. Conf., *Scholia*, in h. l. (PG 4, 339).
9 Scilicet S. Maximi Conf., ubi et sequens.
10 Abbas Vercell., in h. l. (XVI, 246).
11 Loc. cit.
12 S. Maxim. Conf., loc. cit.

CAPUT II. 485

UTRUM VITA CREATORIS ET CREATURAE IN ALIQUO CONVENIANT.

Secundo quaeritur utrum vita conveniens Creatori et vita conveniens creaturae in re aliqua una conveniant[a].

Quod conveniant, videtur sic: *a.* Quaecumque sunt ad invicem comparabilia, conveniunt in aliquo uno: participantis enim ad non participans nulla est comparatio[1]; sed vita increata et creata sive Dei et creaturae comparabiles sunt ad invicem secundum prius et posterius et plus et minus; ergo conveniunt in aliquo uno.

b. Item, omne creatum est vestigium et similitudo suae causae[2]; vita creata est causata ab increata; ergo est vestigium et similitudo eius; sed similitudo aliquorum est convenientia eorum in aliquo uno[3]; ergo vita creata et increata conveniunt in aliquo uno.

c. Item, omne exemplar convenit cum exemplato; vita increata est exemplar vitae creatae; ergo vita increata convenit in aliquo cum creata.

Ad oppositum videtur sic: 1. Quaecumque conveniunt et non sunt simpliciter idem, penes unum conveniunt et penes aliud differunt: non enim penes idem conveniunt et differunt; si ergo vita increata et creata per aliquid[b] conveniunt, per illud non differunt; quare per aliud; ergo in vita increata est unum et aliud; ergo non est omnino simplex: quod est impossibile.

2. Item, si vita increata et creata non conveniunt in nomine tantum, sed in aliqua re una per nomen significata, ergo illa res nec est simpliciter vita increata nec creata, sed aliqua res naturaliter prior illis: quod est impossibile.

[Solutio]: Ad haec dicendum[4] quod differt unum univocationis et analogiae. Unum enim[c] univocationis est quando unum inest pluribus uniens illa in aliqua re una priore illis naturaliter[5]; sic autem non conveniunt vita creata et increata. Unum autem analogiae est quando unum inest pluribus, ita quod alicui eorum primo et principaliter, in quo est prima origo omnium aliorum, aliis vero posterius et secundario et per modum quo descendunt ab origine prima[6]. Et tale unum non unit ea[d] quibus inest in aliqua re una naturaliter priore illis, sed tota prioritas est in aliquo eorum naturaliter, sicut in causa respectu causati: et istud unum, licet non sit penitus univocum, non est penitus aequivocum, sed medium, et[e] dicitur analogum[7]; et sic vita creata et increata conveniunt in aliquo uno. — Quod[f] autem vita increata sit origo aliarum omnium et causa, patet ex verbo Dionysii supra dicto[8]. Cum ergo quaeritur utrum vita Creatoris et creaturae conveniant in aliqua re una: dicendum quod conveniunt in re una unitate analogiae, non una unitate univocationis.

[Ad obiecta]: *a-c.* Ad illa quae inducuntur pro prima parte, quibus videtur ostendi quod conveniunt in re aliqua una, tum[g] ratione qua sunt comparabilia[h], tum ratione similitudinis, quae est vestigii ad illud cuius est vestigium, tum ratione convenientiae exemplati[i] et exemplaris, bene[k] possunt concedi secundum quod res dicitur una unitate analogiae, non autem secundum quod dicitur una unitate univocationis: neque enim comparatio neque similitudo neque convenientia, quae est creati ad increatum, concludit unitatem univocationis. — Si obiciatur per verbum Philosophi[9], dicentis quod solum univocum est comparabile: dicendum quod ibi sumitur 'univocum' nomine extenso, secundum quod etiam convenit analogo, facta exclusione solius aequivoci.

CAPUT III. 486

UTRUM VITA SIT IN CREATURA CORPORALI[10].

Sequitur inquirere utrum in corporalibus creaturis sit vita qua vivunt.

Quod sic, patet: *a.* Super[l] illud Marci ultimo, 15: *Praedicate Evangelium omni creaturae,*

---

[a] F *conveniat;* S om. *una.* [b] Ita F (corr.), alii *aliquod.* [c] Ita V, alii *autem.* [d] R add. *in.* [e] Z *ut.* [f] Ita VF (corr.), alii *quia.* [g] VST *tamen.* [h] F *separabilia.* [i] V *convenientis exemplari* pro *c. e.* [k] V *unde.* [l] T *per.*

1 Cf. Aristot., *Phys.*, VII, c. 4 (II, 339).
2 Cf. supra, num. 34-40 et 339.
3 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 9 (II, 522).
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 347 et 367.
5 Cf. Aristot., *Metaph.*, IV, c. 6 (II, 520 sq.).
6 Cf. Aristot., loc. cit.
7 Cf. S. Bonav., I *Sent.*, d. 29, a. 1, q. 2, *ad 1* (I, 511); II, d. 25, p. 2, dub. 3 (II, 626b).
8 Cf. supra, p. 671, nota 6 et p. 657, nota 5.
9 Cf. supra, nota 1.
10 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 352, sub *Respondeo* et supra, num. 481.

dicit Gregorius[1]: « Omnis creaturae aliquid habet homo: habet namque esse commune cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus ». Ex quo patet quod arbores vivunt et animalia.

b. Item, vegetari, sentire, intelligere sunt actus consequentes ad actum vivendi sive quo[a] est vita nec insunt alicui cui non inest vita; unde in libro *De motu cordis*[2]: « Vivit et vegetatur animal, sentit et movetur, discernit et intelligit, et quae ex eis oriuntur, non facile numerabilia, efficere habet. Et harum potentiarum haec prima distantia est quod vitam quasi praeviam ceterae sequuntur, sine qua ceterarum[b] nullam inesse possibile est ». Si ergo ii[c] actus sunt creaturarum corporalium — quod patet manifeste de actu vegetandi et sentiendi, qui sunt actus plantarum et brutorum; similiter patet de actu intelligendi per verbum Philosophi[3] dicentis: « Qui dicit animam intelligere, nihil aliud est quam si diceret animam texere vel aedificare » — relinquitur igitur quod actus vivendi sive qui est vita, sit creaturarum corporalium.

Contra: 1. Vita est forma sive actus praecipuus et maxime essentialis substantiae spirituali, scilicet angelo et animae rationali[4]; quod autem est substantiis spiritualibus praecipuum et maxime essentiale, non convenit substantiis corporalibus, sicut nec e converso; ergo corporales substantiae non vivunt.

2. Item, inter omnia quae in genere actuum praecipue et proprie et essentialiter conveniunt substantiis spiritualibus, cuiusmodi sunt discernere, intelligere, sapere, diligere, prius et essentialius convenit actus qui est vita; si ergo actus discernendi, intelligendi, sapiendi, diligendi non[d] sunt actus corporales neque corporalibus creaturis conveniunt, multo fortius nec actus qui est vita.

3. Item, ut dicit Augustinus, *Contra Maximinum*[5]: In illis quae mutantur « nonnulla mors est ipsa mutatio ». Sed creaturae corporales continuas sustinent mutationes, utpote mutationes generationis vel corruptionis vel augmenti vel diminutionis vel alterationis vel loci mutationis; ergo, ut videtur, sunt in continuitate mortis; ergo non vivunt.

4. Item, si creaturae corporales vivunt, quae est differentia vitae corporalium creaturarum et spiritualium? spirituales creaturas dico animas et angelos.

Respondeo[e]: Ad propositi manifestationem notandum quod est differentia vitae multiplex; trahitur enim in species secundum quod variatur appetitus in substantiis simplicibus sive spiritualibus et corporeis. Sicut enim supra tactum est[6], appetitus substantiae spiritualis nisi suo actui coniungatur et sic perficiatur, nec in se viget nec vitam operatur. Unde ex coniunctione cum suo desiderabili in se viget et quasi suscitatur ad vitam; cum autem caret suo desiderabili, aut languet vita aut extinguitur. Sed intelligendum est quod non uno modo appetitus iste, sed differenti, perficitur, et secundum hoc varias vitae differentias operatur. Aut enim iste appetitus in substantiis simplicibus intrinsecus omnino finitur aut totaliter extrinsecus[f] terminatur aut partim sic, partim sic. Si autem intrinsecus totaliter finitur, ut nullo penitus indigeat, neque propter esse neque propter bene esse, sed in se et ex se habet quidquid requiritur ad esse et ad bene esse, utpote ubi est idem appetitus sive appetens et appetibile sive fruens et quo fruitur, tunc est vita per se et secundum se delectabilis et perfecta, scilicet in fine perfectionis et nobilitatis, sicut in primo bono et summo. Si autem totaliter extrinsecus[g] terminatur, utpote ad aliquid[h] quo indiget ad esse et sine quo neque etiam vita esse potest, tunc est vita ipsa minime delectabilis et minimae perfectionis, ut in vegetabilibus et sensibilibus. Unde Dionysius, *De divinis nominibus*, cap. *De vita*[7]: « Animalia omnia et germina secundum novissimam consonantiam vitae habent vivere ». Cum autem appetitus partim terminatur intrinsecus, partim extrinsecus, tunc aliquo indiget, non propter vitam, sed propter vitae illustrationem et delectationem, hoc est[i] non propter esse, sed propter bene esse. Illud autem quo indiget aut se ipso potest adipisci, id est sine aliquo corpore sibi unito: et sic est vita in angelis; aut se ipso non potest, sed indiget unione cum corpore ut illud possit adipisci: sic est vita animae rationalis. Unde dicit Avicenna[8] quod anima unitur corpori ut perficiatur.

Adhuc nota quod appetitus substantiae simplicis terminatur extrinsecus, quando indiget aliquo extrinseco sine quo non est in sua perfectione. Sed hoc potest esse multipliciter: illud autem extrinsecum potest esse vel res vel rei species sive similitudo vel utrumque, quia substantia spiritualis, cuius est vita, aut indiget re tantum, a qua dependet quantum ad essentiam, aut specie[k] rei quantum ad illustrationem et bene esse. Si

---

[a] Ita V, alii *que*. [b] L add. mg. *vita*. [c] T om. [d] V *et ideo*. [e] V *responsio*. [f] F *intrinsecus*. [g] L *intrinsecus*. [h] Ita L, alii *aliquod*. [i] V om. [k] Ita V, F (corr.) *et specie*, alii *et speciem* pro *a. s.*

[1] *In Evang.*, hom. 29, n. 2 (PL 76, 1214).
[2] Cap. 1, n. 2 (p. 6).
[3] *De anima*, I, c. 4 (III, 439).
[4] Cf. supra, num. 478.
[5] Lib. II, c. 12, n. 2 (PL 42, 768).
[6] Cf. supra, p. 669a et 671, *ad 4*.
[7] Cap. 6, § 1 (PG 3, 855, PL 122, 1151).
[8] Cf. *De anima*, p. 1, cc. 3 et 5 (f. 4a et d).

autem illud extrinsecum, quo indiget, sit solummodo res a qua dependet essentialiter sive secundum essentiam, tunc est vita vegetabilis. Si autem illud extrinsecum sit res, a qua dependet quantum ad essentiam, et species sive similitudo rei, a qua dependet quantum ad illustrationem, tunc est vita sensibilis: substantia autem animae sensibilis essentialiter dependet a corpore; et quia vita in sensibilibus est cognitiva, non solum re sive corpore indiget, sed specie rei sive similitudine. Vis autem sensitiva est bipartita: habet enim quosdam sensus propter esse, quosdam propter bene esse, quosdam propter vitam, quosdam propter illustrationem vitae. Unde duplici principio naturali indiget, scilicet calore et luce sive qualitate fervida et luculenta [1], secundum Augustinum: calore sive qualitate fervida propter vitam, luce sive qualitate luculenta propter vitae illustrationem; qualitas autem luculenta est in cerebro, unde est origo sensuum. Dicit enim [a], VII *Super Genesim ad litteram* [2]: «Omnis caro habet aliquid ignis, non solum fervidam qualitatem, cuius sedes est in iecore et in cerebro, verum etiam luculentam, quam velut eliquari [b] ac subvolare ostendunt [c] in excelsum cerebri locum, tamquam in caelum corporis nostri, unde et radii emicant oculorum et de cuius medio, velut centro quodam, non solum ad oculos, sed etiam ad sensus ceteros, tenues fistulae deducuntur [d], ad aures scilicet, ad nares, ad palatum, propter audiendum, olfaciendum atque [e] gustandum» etc. Et Philosophus dicit, in libro *De anima* [3]: «Sine igne non est sentire». Quando vero [f] extrinsecum, quo indiget substantia spiritualis, non est res a qua dependet quantum ad essentiam, sed similitudo quantum ad illustrationem, tunc [g] est vita rationalis. Vita enim rationalis non dependet essentialiter a corpore, indiget tamen rei specie propter bene esse vel propter illustrationem vitae, quae fit per rei similitudinem, quae accepta ducit in aliud et facit cognitionem, quae est vitae illustratio: et ideo haec vita est separabilis. Vita ergo ista continetur quodam modo sub duplici membro divisionis praedictae, quia et vita eius interius est terminata et non terminata interius: quantum ad esse terminata, quoad bene esse non terminata.

Similiter ex parte creaturarum corporearum variatur appetitus secundum variationem animarum a quibus vitam habent. Unicuique enim corpori inditus est ab eius causa proprius appetitus respectu sui delectabilis sive suae perfectionis, a qua vitam participat, sicut ex parte perficientis formaliter est inditus appetitus respectu sui perfectibilis: et ex isto duplici appetitu est colligantia eorum ad invicem.

Concedendae ergo sunt rationes, quibus ostenditur quod in corporalibus creaturis est vita. Ad illud tamen quo [h] persuasum [4] est quod actus intelligendi sit actus corporis, per verbum Philosophi: «Qui dicit animam intelligere» etc., dicendum quod duplex est intellectus, scilicet phantasticus et impermixtus phantasiae [5]. Quod igitur dicit Philosophus: «Qui dicit animam intelligere» etc., intelligit de actu intellectus phantastici, qui non exit a potentia nisi [i] adminiculo sensus et phantasiae. Quia igitur sensui et [k] phantasiae deserviunt organa corporalia, convenienter attribuit actum huiusmodi ipsi composito ex anima et corpore. Aliter autem est de actu intellectus impermixti phantasiae.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur contra hoc, dicendum quod illud quod est essentiale substantiae spirituali, bene potest participari sive communicari corporali; anima enim essentialiter vivit, corpus animatum per participationem sive [l] communicationem: anima enim perficiens corpus, communicat illi vitam. Huiusmodi autem communicatio attestatur nobilitati creaturarum et bonitati: nobiliores enim creaturae, ea, quae essentialiter earum [m] sunt, communicant aliis per influentiam quamdam vel [n] multiplicationem, sicut corpora superiora inferioribus [o] et substantiae spirituales corporalibus [6]. Sed illud quod est essentiale et praecipuum substantiae spirituali, non est essentiale [p] et praecipuum corporali, bene tamen est illi aliquo modo communicabile. — Vel potest dici, secundum Dionysium, cap. *De vita* [7], quod solus Deus essentialiter vivit, cuius vita est essentia, creaturae autem per participationem, quia earum vita non est earum essentia. Sed quaedam participant vitam a prima vita, ut substantiae spirituales; unde Dionysius, cap. *De vita*: «Laudanda est laudabilis vita aeterna, ex qua per se ipsam vita et omnis vita et a qua in omnia, utcumque vitam participantia, vivere proprie unicuique exseminatur [q]». Sed corporales creaturae participant vitam ab animabus; unde Dionysius, cap. *De vita* [8]:

---

[a] V add. *Augustinus*. [b] S *equari*; V *sive* pro *ac*. [c] Ita F (corr.), alii *ostenditur*. [d] Codd. *seducuntur*. [e] T *et*. [f] Ita F (mg.), alii om. [g] V *que*. [h] Ita F (corr.), alii *quod*. [i] Ita F (corr.), alii add. *in*. [k] Ita F (interl.), alii om.; T om. *q. i. s. e. p.* [l] V *seu*. [m] Ita V, alii *eorum*; R om. *communicant*. [n] L om., V *per*. [o] Z *inferiora superioribus* pro *s. i.* [p] R *essentia*. [q] TL *exseminat*.

1 Cf. supra, p. 433b.
2 Cap. 13, n. 20 (PL 34, 362).
3 Lib. III, c. 1 (III, 461).
4 Cf. supra, sub litt. *b*.
5 Cf. supra, p. 163, *ad 4*, et p. 421, *ad 1*.
6 Cf. supra, num. 483.
7 *De divin. nom.*, c. 6, § 1 (PG 3, 855, PL 122, 1151), ubi et sequens.
8 Loc. cit., c. 6, § 3 (PG 3, 858, PL 122, 1152).

« Sive intellectualem dixeris sive rationalem sive nutritivam et auctivam[a] sive qualemcumque vitam aut vitae[b] principium aut vitae essentiam, ex ipsa et vivit et vivunt, quae est super omnem vitam ». Super illud « vitae principium » Commentator[c][1]: « Vitae principium ait, ut puta nostram animam sensibilemque. Ipsae quippe principia sunt vitae iis quae per ea in vitam incipiunt moveri corporibus ». Et hoc ad idem redit quod supra tactum est[2], quia substantiae spirituales, licet non essentialiter vivant eo[d] modo quo Deus, essentialiter tamen vivunt, quia vita est illis essentialis. Non sic est de corporibus, quibus vita communicatur per influentiam a substantiis[e] spiritualibus, id est animabus.

2. Ad illud quod sequitur, dicendum quod anima se ipsa est actus vel[f] perfectio corporis organici[3] etc., non sui parte: unde se ipsa communicat vitam corpori, cuius est actus; sed, secundum Philosophum[4], « oportet accipere quod[g] est in parte, in toto vivente corpore: simile namque habet, sicut pars ad partem, sic[h] totus sensus ad totum corpus ». Unde est aliquis actus ab anima ipsa in[i] corpore indistincte[k], sicut vivere: non enim vivit alia specie vitae oculus quam auris, sicut alia specie sensus sentit. Actus igitur qui est ab ipsa[l] secundum se totam, cuiusmodi est vivere, communicatur corpori et toti corpori, sicut anima illius totius est perfectio. Similiter actus, qui est a parte seu potentia animae, quae est perfectio partis, communicatur parti, sicut audire, videre et huiusmodi. Sed actus intelligendi et qui ad actum intellectus sequuntur, non possunt corpori communicari, quia pars animae intellectiva neque corporis neque partis corporis est actus, ut vult Philosophus[5]. Licet ergo actus vivendi sit praecipuus actus et maxime essentialis substantiae spirituali, scilicet[m] animae[6], tamen, quia est actus animae secundum se, quae est perfectio corporis, corpori communicatur. Actus autem intelligendi et qui ad ipsum sequuntur, quia non est actus animae ratione alicuius partis seu potentiae animae, quae est actus corporis vel partis illius, corpori non communicatur.

3. Ad illud quod sequitur, scilicet ' quia[n] corpora continuis subiacent mutationibus, non vivunt, quia nonnulla mors est ipsa mutatio ': potest dici quod, cum dicitur « nonnulla mors est ipsa mutatio », ibi sumitur mors pro declinatione sive tendentia ad non-esse. Unde dicit « nonnulla mors », id est aliquod genus sive modus mortis. Unde intellectus verbi Augustini est quod illa quae subiacent mutationibus, si[o] sibi essent derelicta, deficerent et in nihilum declinarent[7]. Unde mors, secundum intellectum verbi supra dicti, non dicit privationem vitae, secundum quod hic intenditur de vita, sed potius sumitur per oppositionem ad immortalitatem, de qua I Tim. 6, 16: *Qui solus habet immortalitatem.* De qua Augustinus, libro I[p] *De Trinitate*[8]: « Cum anima[q] modo quodam immortalis esse dicatur et sic non diceret[r]: *Solus habet immortalitatem,* nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est, quam nulla potest habere creatura ». Vel mutatio dicitur « nonnulla mors », quia mutatio facit aliquid non esse in re mutabili, quod ante erat. De hoc I libro *Sententiarum,* dist. 8, cap. 4: *Ut*[s] *enim ait*[9].

4. Ad ultimum quaesitum patet responsio ex praedictis, scilicet ubi tactum est de differentia vitae corporalium creaturarum et spiritualium[10].

487 CAPUT IV.

UTRUM VITA SIT IN CORPORIBUS SUPRACAELESTIBUS[11].

Sequitur inquirere I. utrum vita sit in corporibus supracaelestibus.

Quod sic, videtur: 1. In II *De caelo et mundo*[12] dicitur: « Sciendum est quod primus orbis principium est potentiae et causa in vita cuiuslibet vivi plus quam alii orbes ». Et dicit ibi Commentator[13]: « Isti orbes non sunt causae vitae eorum quae sunt hic nisi per stellas, cum sit visum quod[t] nobiliora, quae sunt illic, sunt stellae. Principia, quae sunt in istis orbibus, sunt viva et sunt principia vitae quae est hic ». Ex iis

---

[a] V *activam.* [b] S om. [c] V *communicator.* [d] F *hoc.* [e] Ita VF (corr.), R *altis,* alii *suis.* [f] R *et.* [g] T *que.* [h] Z *sicut.* [i] V *etiam.* [k] Ita F, alii *indistincto.* [l] F add. mg. *anima.* [m] V *id est.* [n] T *quod.* [o] S om. [p] R om., in T est add. interl. [q] S om. [r] F *diceretur,* V om. [s] Codd. *et.* [t] V *ad.*

[1] S. Maxim. Conf., *Scholia,* in h. l. (PG 4, 339).
[2] Cf. hic, parum supra.
[3] Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 1 (III, 444); supra, p. 420, sub *Respondeo.*
[4] Loc. cit. (III, 445).
[5] *De anima,* III, c. 4 (III, 467).
[6] Cf. S. Bonav., I *Sent.,* d. 43, a. 1, q. 1, *ad 5* (I, 767); II *Sent.,* d. 1, p. 2, a. 3, q. 2 (II, 50b).
[7] Cf. Gregor. M., *Moral.,* XVI, c. 37 (PL 75, 1143).
[8] Cap. 1, n. 2 (PL 42, 821).
[9] Cap. 2 (p. 59).
[10] Cf. supra, p. 675a.
[11] Cf. supra, num. 291, III.
[12] Cap. 12 (II, 402).
[13] Averroes, in h. l., text. 38 (V, f. 57d).

videtur quod stellae sint vivae: si enim orbes sunt causa et principia vitae per stellas, ergo stellae sunt causa [a] et principium vitae quae est hic; et « principia quae sunt in istis orbibus », scilicet stellae, « sunt viva [b] », ut ipse dicit; ergo etc.

2. Item, nulla causa efficiens principaliter et per se est minus nobilis causato; corpus caeleste est causa efficiens per se et principaliter tam vegetativae quam sensitivae, ut vult Aristoteles in multis locis [1]; ergo corpus caeleste non est minus nobile vegetativa et sensitiva; sed omne non habens vitam est minus nobile vita; ergo corpus caeleste non est non habens vitam, immo de necessitate habet eam.

3. Item, omne generans habet speciem rei generandae apud se, et efficiens vel producens rei producendae, sicut dicit Aristoteles [2] et etiam Averroes [c], super XI *Primae Philosophiae* [3]. Species autem rei viventis non potest esse nisi apud rem [d] viventem, cum species rei non sit minus spiritalis ipsa re, sed magis vel aeque; cum ergo corpora supracaelestia sint producentia in esse res viventes, ergo [e] etc.

4. Item, nihil dat quod non habet [4]; sed omne dans vel agens habet illud quod dat sive agit vel univoce cum recipiente vel aliquo modo [f] excellentiore; sed nullus est modus excellentior habendi vitam quam vivendo; igitur, si aliquid dat vitam vel agit in aliquo, necesse est quod vivat.

5. Item, Augustinus, X *De confessionibus* [5]: « Nullum corpus », scilicet tantum corpus, « corpori vitam praestat ». Sed generans sive producens animalia [g] ex putrefactione sive materia putrefacta non est nisi caelum cum stellis et virtutibus quae agunt in ipsa materia putrefacta; ergo caelum cum stellis et virtutibus caelestibus est res vivens.

6. Item, corpus natum est ad formam et corpus nobilius ad nobiliorem; sed corpus caeli est nobilius quam corpus plantae vel bruti; ergo corpus caeli natum est ad nobiliorem formam; sed tam corpus plantae quam bruti [h] natum est ad formam quae est vita; ergo corpus caeli [i] natum est ad formam nobiliorem; sed talis non potest esse nisi aliqua vita; ergo corpus caeli natum est ad aliquam vitam; cum ergo natura nihil agat [k] frustra neque deficiat [l] a necessariis [6], relinquitur quod vivunt et habent vitam.

7. Item, XI *Primae Philosophiae* [7] dicitur quod « Primum movens caelum movet sicut movet desideratum et [m] intellectum ». Ex quo potest argui cum Commentatore [8] quod caelum est animatum, quia, si « movet caelum sicut movet desideratum et intellectum », tunc illud mobile quod movetur ab illo, scilicet caelum, est desiderans et intelligens; ergo est animatum.

Contra: *a.* Non est nisi triplex vita creata, scilicet vegetativa qua vivunt plantae, sensitiva qua vivunt animalia, intellectiva qua vivunt angeli et homines; si ergo corpora caelestia neque sunt plantae neque animalia neque angeli vel homines, relinquitur quod nulla istarum vitarum vivunt, et ita non vivunt.

II. Item, incidenter hic potest quaeri quare non est nisi haec triplex vita.

Respondeo I. quod corpora caelestia non sunt viva. Haec autem quaestio non sine ratione disputatur a theologis, quia positio qua quidam ponebant caelos habere vitam, haeresim inducebat. Ex hoc enim ponebant corpora huiusmodi esse deos, ut alibi scriptum est [9]. Propter hoc sacri Doctores determinant corpora caelestia non esse animata neque vitam habere. Unde Damascenus [10]: « Nullus animatos caelos vel luminaria existimet; inanimati enim sunt et insensibiles ». Dicendum ergo quod non habent vitam sicut formam sive actum, sed tantum effective, sicut tantum effective habent frigus et calorem nec tamen sunt frigida vel calida, formaliter loquendo. Et istud videtur velle Philosophus, dicens quod « primus orbis est principium potentiae et causa in vita ».

[Ad obiecta]: 1. Quod autem dicit Commentator, quod « principia, quae sunt in orbibus, sunt viva », potest intelligi de intelligentiis quae vivunt, quas ponebat [n] esse motores orbium. Vel potest dici quod dicuntur viva effective. — Si obiciatur quod dicit quod « principia sunt viva [o] », et cum hoc quod sunt « principia vitae »: dicendum quod intellectus Commentatoris est quod orbis primus non solummodo est principium vitae, sed est causa conservationis viventium in vita. Et hoc videtur velle verbum Philosophi quod est quod « orbis primus est principium potentiae », ut [p] per hoc intelligatur quod est principium vitae; et quod « est causa in vita

---

[a] R *cause*. [b] Codd. *vive*. [c] Codd. *Avicenna*. [d] V om. [e] Ita V, alii om. [f] T add. *cum*. [g] T *alia*. [h] V *bruta*. [i] Z *celeste*. [k] Ita V, alii *agit*. [l] Ita V, alii *deficit*. [m] Ita VF (add. interl.), alii om. [n] Ita F, alii *ponebant*. [o] S om. [p] L *et*.

1 Cf. *Phys.*, II, c. 2 (II, 263); *De animal. generat.*, IV, c. 10 (III, 413sq.).
2 *Metaph.*, XI, c. 3 (II, 601).
3 Averroes, *In Metaph.*, VII, text. 30 et XII, text. 13 (VIII, f. 84d et 140d).
4 Cf. Aristot., *De elench.*, c. 10 (I, 286).
5 Cap. 6, n. 10 (PL 32, 783).
6 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 9 (III, 471).
7 Aristot., c. 7 (II, 605).
8 Averroes, *In Metaph.*, XII, text. 36 (VIII, f. 149d).
9 Cf. supra, p. 112, *ad 1-4*, et num. 96; S. Bonav., II *Sent.*, d. 14, p. 1, a. 3, q. 2 (II, 348).
10 *De fide orthod.*, II, c. 6 (PG 94, 886).

cuiuslibet vivi », per hoc intelligens quod sit causa conservationis viventium in vita. Dicit ergo Commentator quod « principia sunt viva » effective, id est conservantia viventes in vita.

2. Ad aliud quod sequitur, scilicet quod 'nulla causa efficiens est minus nobilis' etc.: respondendum est per distinctionem inter nobile et nobile. Forma enim corporis caelestis, licet vita non sit, tamen nobilior est quoad [a] quaedam omni vita in istis inferioribus. Forma enim corporis caelestis omnino separata est a contrarietate, et ideo incorruptibilis est per se et per accidens, physice dico[1]; et quantum ad hoc forma corporis caelestis est nobilior tam vita sensitiva quam vegetativa: licet enim neutra composita sit ex contrariis, utraque tamen sequitur mixtionem contrariorum, et ideo utraque corruptibilis est. Item, forma corporis caelestis est omnino inalterabilis et impassibilis, et quantum ad hoc est nobilior vita intellectiva in hominibus: huiusmodi enim vita est alterabilis et passibilis quodam modo, sequendo complexionem corporis. Praeterea, quantum ad virtutem quam influunt in inferiora, qua producuntur in esse et conservantur, et quantum ad nobilitatem formae eorum, qua omnino terminatur appetitus materiae, quae non inveniuntur in illis quae vita perficiuntur, nobilioris sunt conditionis. — Vel potest dici quod verbum propositum, scilicet 'nulla causa efficiens principaliter et per se est minus nobilis' etc., verum est de efficiente proprio et immediato in productione univoca, ut quando animal producitur ex animali vel planta ex planta.

3. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'omne generans vel producens habet speciem rei generandae vel producendae' etc.: dicendum quod revera, ut vult [b] Philosophus et Commentator, XI *Primae Philosophiae*, omne quod fit, fit [c] ex convenienti, tam in naturalibus quam in artificialibus: in naturalibus, ut quando animal facit animal; in artificialibus, ut quando mediante forma in mente artificis efficitur forma consimilis in re artificiali. Sed determinatur ibidem a Commentatore[2] quibus concurrentibus [d] hoc intelligi debet [e]: ut forma rei vel similitudo « sit in agente, non in instrumento, et in agente propinquo, non remoto, et in agente essentialiter, non accidentaliter ». Species enim rei producendae [f] in esse per instrumentum aliquod, non est in ipso instrumento, ut species imaginis non est in securi vel dolabro nec species hominis producendi in esse est in sole; neque [g] in agente accidentaliter, ut in agente non secundum intentionem nec propter finem. Sed quando est agens proprie, non ut instrumentum, et agens propinquum, ut homo agit in generando hominem, et essentialiter, non casu, ut est in eis quae fiunt ex causis agentibus propter aliquid, tunc fit [h] quod fit ex convenienti, et generans vel producens habet speciem rei agendae vel producendae.

4. Ad illud quod sequitur quod 'omne dans vel agens aliquid habet illud modo univoco [i] vel excellentiore' etc.: dicendum quod dans vel agens aliquid actione univoca, habet illud modo univoco; agens autem sive dans speciem alicui ex proposito, habet illud quod dat, scilicet speciem illius, modo excellentiore. Agens enim aliquid ex proposito, quia agit comprehendendo [k], habet speciem eiusdem in intellectu; species autem rei modo excellentiore est in intellectu quam in re ipsa, quia est in maiori puritate et immaterialitate. Et hoc maxime verum est in primo agente, in quo excellentiori modo sunt species rerum quam in ipsis rebus. Ut enim dicitur XI *Primae Philosophiae*[3]: « Causae non tantum sunt in eis quae fiunt, sed ea quae sunt extrinsecus, sunt causa ». Super quod [l] dicit Commentator[4] quod « Primum movens movet ad omnes formas » et quod « forma primi moventis aliquo modo est omnes [m] formae ». Ut autem ibidem exponitur, est principium extrinsecum duplex: primum et secundum. Primum est commune omnibus moventibus, et hoc est principium de quo dicit quod « forma primi moventis est aliquo modo omnes [n] formae ». Secundum autem principium, quod est commune et remotum, non de necessitate est conveniens, id est conforme [o]; hoc autem [p] principium est illud quo est actio caeli, quod [q] est agens ex natura, non ex proposito. Unde tale agens vel dans aliquid non habet illud quod dat.

5. Ad illud quod sequitur, scilicet quod dicit Augustinus quod 'nullum corpus corpori vitam praestat' etc.: dicendum quod hoc verum est de principio intrinseco, quod per sui unionem vivificat; tale enim non potest esse nisi forma spiritualis. Et huius ratio est quia, ut supra dictum est [r] [5], vita est vigor, qui non potest procedere nisi a substantia simplici carente extensione propter suam actualitatem et nobilitatem.

---

[a] S om. [b] Z om. [c] S om. [d] L *a currentibus*. [e] F add. interl. *scilicet*. [f] Ita FZ (corr.), alii *producendi*. [g] F (corr.) *nec est*. [h] L om. [i] V *univoce*. [k] V *apprehendendo*. [l] T *quo*. [m] VT *communis*. [n] V *omnis*, T *omni*. [o] Codd. *conformis*. [p] T add. *dico*. [q] L *qui*. [r] T om.

1 Cf. Aristot., *De caelo*, I, c. 10 (II, 383).
2 Loc. cit., text. 24 (VIII, f. 145c).
3 Cap. 4 (II, 602).
4 Loc. cit., text. 24 (VIII, 145c).
5 Cf. supra, p. 667a.

Si autem intelligatur de principio extrinseco, sic non est verum, nisi intelligatur quod non dat vitam per virtutem omnino corporalem. Potest tamen corpus caeleste habere virtutem aliquam vivificativam, per quam dat vitam aliquo modo, quae[a] quidem non est omnino corporalis, licet habeat esse in corpore, et ideo ex hoc non sequitur quod huiusmodi corpus vivat. — Potest etiam et aliter dici ad hoc et ad praeobiecta[b], quod illud est verum de eo quod dat vitam sicut principium effectivum, cui principaliter attribuitur forma rei generandae. Et ideo locum non habet quando agens exterius se habet in ratione excitantis illud quod latitat interius, sicut patet quod calor fimi, secundum quod experientia docet, de ovo facit pullum — in Apulia enim de ovis positis in fimo producuntur pulli sine decubatione gallinae — nec tamen habet vitam nec spiritualem virtutem, sed per corporale exterius excitatur spirituale latens[c]. Nec huiusmodi productio attribui debet excitanti tamquam principali efficienti, sed magis illi qui illam rationem indidit[d], qui etiam illam[e] explicat tempore opportuno. Unde Augustinus, XXII *De civitate Dei*[1]: « Deus operatione qua *nunc usque operatur*[2], facit ut numeros suos explicent semina et a quibusdam latentibus ac invisibilibus involucris in formas[f] visibiles huiusmodi quas aspicimus, decoris evolvant ». Et sic potest intelligi in proposito: sicut[g] enim « ex causis nascentium, quibus mundus gravidus est », secundum Augustinum[3], tempore opportuno animalia quaedam producuntur in esse operatione consimilis in specie, virtute caelesti cooperante, ut in generatione univoca, simili modo ex eisdem causis producuntur quaedam animalia in esse mediante virtute caelesti, excitante virtutem intra latentem sine operatione consimilis, cuiusmodi sunt illa quae exeunt in esse ex corporum corruptione. Et sicut prima productio sive virtus ad producendum est indita creaturis modo isto a providentia Conditoris, sic et secunda modo secundo. Augustinus, *Ad Orosium*[4]: « Multa utique videmus animalia ex corruptione corporum, maxime mortuorum, nasci. Numquid tunc creata sunt quando ipsa corpora? Absit ut tunc[h] creata dicantur quando ipsa corpora, sed[i] corporibus insita sunt et quodam modo initiata quae sunt tempore exoritura! Sicut enim semen cuiuslibet arboris habet quamdam vim, ut[k], cum obrutum fuerit in terra, oriatur et virgultum producatur, deinde ramis nihilominus constipata dilatetur et frondibus de eisdem floribus decorata fructificetur[l], ita est et in corpore, ut ita dicam, quoddam seminarium, unde suo tempore, curante providentia Dei, aliqua genera oriantur ». De hoc supra dictum est[5].

6. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'corpus caeleste est nobilius' etc.: dicendum quod, licet sit nobilius quantum ad proprietates luminositatis et incorruptibilitatis[m], non tamen quantum ad dignitatem suscipiendi vitam, pro eo quod forma vivificativa est multarum operationum principium; ideo corpus aptum ad talem formam, non potest esse nisi[n] corpus heterogeneum et quantum ad naturam complexionis, quae ex multis causis, et quantum ad esse organizationis[6], quam quidem nullum corpus caeleste[o] habet: et ideo non habet tantam idoneitatem respectu vitae. Ac per hoc ratio illa non est a minori: quamvis enim sint nobiliora quantum ad aliquas conditiones, non tamen quantum ad omnes, ut visum est[7].

7. Ad ultimum dicendum quod Philosophus loquitur de primo[p] movente, qui nullo modo[q] movetur neque per se neque per accidens, qui dicitur movere ut[r] desideratum et intellectum, non quia sit desideratum et intellectum[s] ab ipso primo orbe vel aliis, sed a motore primi orbis, et hoc secundum[t] ponentes intelligentias motores orbium. Dicitur enim movere ut desideratum et quantum ad effectus qui fiunt in inferioribus per motum orbis primi et aliorum et quantum ad effectum assimilationis ipsorum orbium ipsi Primo. Motores enim orbium[u] desiderant et intelligunt ab ipso primo movente aliquos effectus fieri in istis[v] inferioribus mediante motu corporum supracaelestium, et etiam in ipsis corporibus caelestibus, quorum ipsi sunt motores coniuncti, effectus in orbibus ipsis est assimilatio ipsi Primo. — Vel potest aliter dici quod Philosophus dicit quod « Primum movet sicut movet[x] desideratum et intellectum » non quia ipsa mobilia seu mota, scilicet corpora caelestia, desiderant et intelligunt ipsum, sed quia ipsum primum movens movet sicut illud movet quod

---

[a] R om. [b] T *obiecta*. [c] R *interius*. [d] Z (corr.) *incidit*. [e] Ita FZ (correcti), VTL om., SR *in hec*. [f] R *informans* pro *i. f.* [g] Z (corr. mg.) *dicit*. [h] V *esse*. [i] Ita F (corr.), alii *si*. [k] Z om. [l] V *fructificet*. [m] V *incorruptibilis*. [n] R om. [o] R add. *non*. [p] Ita F (corr.), alii *ultimo*. [q] Z *in illo* pro *n. m.* [r] Z (corr.) *non*. [s] Z om. *non... intellectum*. [t] Ita F (corr.), alii *quia*. [u] T om. *ipsi... orbium*. [v] V *illis*. [x] Z add. *sicut*.

1 Cap. 24, n. 2 (PL 41, 789).
2 Cf. Ioan. 5, 17.
3 Cf. *De Trinit.*, III, c. 9, n. 16 (PL 42, 878).
4 Quaest. 37 (PL 40, 745).
5 Cf. supra, num. 235, 239 et 297.
6 Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 49, p. 1, a. 1, q. 4 et p. 2, sect. 1, a. 2, q. 1 (IV, 1006b, 1016a).
7 Cf. supra, p. 678, *ad 2*.

desideratur et intelligitur, id est sicut finis movet desiderantes ipsum et intelligentes, hoc est movet nullo modo motus. Unde Commentator[1]: « Cum primum movens movet et non movetur neque secundum accidens [a] neque secundum se ipsum, sicut movetur anima, quae est in corpore, necesse est ut iste motor moveat quemadmodum desideratum et affectatum movet nos ». Nota quod dicit « movet nos ». Si autem videatur alicui Commentatorem sensisse, ut videtur ex verbis eius, corpora caelestia habere vitam, non est in hoc vis facienda, cum ille et alii commentatores in multis male senserunt et in [b] opinionibus suis erraverunt.

II. Ad illud quod quaerebatur in alia parte, scilicet 'quare tantum est vita huiusmodi triplex': potest dici quod vita in [c] iis inferioribus actus animae est[2]; anima vero non potest esse nisi ad vegetandum vel cognoscendum: ad vegetandum [d] est vegetativa; ad cognoscendum non potest esse nisi respectu sensibilis, et sic est sensitiva, vel respectu intelligibilis, et sic [e] intellectiva. Item, sicut dimensio in corporibus non stat citra [f] ternarium nec excedit ipsum propter huiusmodi numeri completionem, ut habetur in principio *Caeli et mundi*[3], sic vita sive anima, quae est completio sive perfectio corporum, in numero eodem completur.

488

CAPUT V.

UTRUM VITA SIT IN ANIMALIBUS QUAE CARENT SANGUINE.

Sequitur inquirere utrum carentia sanguine vivunt.

Quod sic, videtur, *a.* cum certa experientia sciamus quod [g] multa sunt genera piscium quae carent sanguine, quae nihilominus vivunt.

Contra: 1. Super illud Gen. 9, 4: *Carnem cum sanguine non comedetis,* Interlinearis[4]: « Quia sedes animae in sanguine est ». Et Deuter. 12, 16: *Cervum comedes, absque esu dumtaxat sanguinis;* Interlinearis[5]: « Sanguis pro anima ponitur, quia sedes animae, id est humanae vitae, *in sanguine est*[6] ». Ex iis videtur quod carentia sanguine neque habeant animam neque vitam, cum haec habeant esse in sanguine.

2. Praeterea, cum anima sit substantia spiritualis non habens situm neque determinans sibi partem in qua sit per praecisionem [h], quare dicitur habere sedem in sanguine?

3. Praeterea, si sedes animae, id est vitae humanae, est in sanguine, cum in omnibus membris sit sanguis, in omnibus membris [i] est sedes vitae; cuius contrarium videtur ex libro *De motu cordis*[7], ubi dicitur quod proprium « domicilium vitae est cor ».

4. Item, quandoque dicitur sanguis esse sedes animae sive vitae, quandoque cor, sicut habetur a Cassiodoro[8] et ex libro *De motu cordis*[9], quandoque caput, sicut habetur a Cassiodoro[10], quandoque cerebrum, sicut habetur a medicis[11]. Quae est ratio huius differentis assignationis?

Respondeo quod carentia sanguine vivunt et habent animas.

[Ad obiecta]: 1. Cum autem dicitur quod sedes animae est in sanguine, ibi [k] dicitur anima vita carnalis, quae finitur morte; unde Levit. 17, 11: *Anima carnis in sanguine est.* Ibi Augustinus[12]: « Aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivitur, qui per omnes venas corporis diffunditur; ipsam vitam corporis vocavit animam, non vitam quae migrat, sed quae morte finitur, qua locutione dicimus istam vitam temporalem esse, non aeternam, mortalem, non immortalem, cum sit immortalis anima, quae portatur *ab* [l] *angelis in sinu Abrahae,* Luc. 16, 22 ». Et hoc est quod « dixit Apostolus, Act. 20, 24: *Non facio animam meam pretiosiorem me* »; ibi vocat animam vitam temporalem. Vita ergo temporalis hominis et vita pecudum dicitur esse in sanguine, quia inter quatuor humores sanguis est temperatissimus [m][13] et maxime amicus naturae et omnia membra, tam solida quam mollia, ortum habent a sanguine tamquam a nutrimento: omnium enim membrorum sanguis est nutrimentum. Cum ergo obicitur quod, 'cum anima et vita habeant esse in sanguine, carentia sanguine' etc.: dicendum est quod verbum praedictum intelligi debet in habentibus sanguinem.

---

[a] L om. *n. s. a.* [b] V om. [c] V *ex.* [d] S om. *v. c. a. v.* [e] Z add. *est.* [f] V *circa.* [g] Ita V, alii *quia.* [h] Ita F (corr.), alii *incisionem.* [i] S om. *sit... membris.* [k] R *ubi.* [l] R *importantur ab ipsis* pro *p. a.* [m] F *temperantissimus.*

1 Averroes, in *Metaph.*, XII, textu 36 (VIII, 149d).
2 Cf. supra, num. 478.
3 Cf. lib. I, c. 1 (II, 367).
4 Ap. Lyran., in h. l.
5 Ap. Lyran., in h. l.
6 Levit. 17, 11.
7 Cap. 8, n. 6 (p. 33).
8 *De anima,* c. 8 (PL 70, 1293).
9 Loc. cit.
10 Loc. cit.
11 Cf. Avicenna, *De natura animal.*, XII, c. 10 (f. 48d sq.); Alfr. Angl., *De motu cordis,* c. 10, n. 15 (p. 45).
12 *In Heptat.*, III, q. 57 (PL 34, 702sq.).
13 Cf. Alfr. Angl., *De motu cordis,* c. 15, n. 8 (p. 81).

2. Ad illud quod consequenter quaesitum est, scilicet 'quare anima, cum sit substantia spiritualis' etc., 'similiter et vita': dicendum[a] quod anima non sumitur pro substantia spirituali, cum dicitur quod 'sedes animae est in sanguine'[b] etc., quae est perfectio corporis organici et quae sua praesentia corpus vivificat, ut dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[1], sed[c] sumitur pro vita corporali, cuius sedes dicitur esse in sanguine, quia sanguis est maxime amicus naturae: unde maxime est conservativus eiusdem, et ita vitae per consequens. Et dicitur, in libro *De motu cordis*[2], quod calor et humor sunt conservativa vitae, quae sunt propriae qualitates sanguinis, et quia sanguis maxime est nutrimentum membrorum, quorum esse et ordo est propinqua dispositio ad informationem animae, ex cuius colligantia cum corpore est vita corporalis.

3. Ad illud quod sequitur, dicendum[d][3] quod cor dicitur domicilium vitae ratione praesidentiae vis vitalis; quod non impedit quin[e] vita sit in aliis membris corporis. Ut enim dicit Augustinus, in libro *De anima et spiritu*[4]: « Vis vitalis est in corde, quae[f] ad obtemperandum fervorem cordis, aerem hauriendo atque reddendo, vitam et salutem toti corpori tribuit: aëre namque puro sanguinem[g] purificatum per totum corpus impellit per venas pulsatiles, quae arteriae vocantur, ex quarum motu temperantiam atque distemperantiam cordis physici cognoscunt ». Et Cassiodorus, libro *De anima*[5]: « Quidam sedem animae, quamvis sit toto corpore diffusa, in corde esse voluerunt, dicentes quod ibi est purissimus sanguis et vitalis spiritus continetur ».

4. Ad ultimo quaesitum iam in parte patet responsio, scilicet quare sanguis dicitur sedes vitae, similiter quare cor dicitur domicilium vitae. — Quare autem animae sedes dicitur caput, ratio[h] est sublimitas membri et figura, quod bene competit sublimitati creaturae rationalis. Unde Cassiodorus[6]: « Plurimi in capite insidere manifestant, scilicet animam, si fas est cum reverentia tamen dicere, ad similitudinem aliquam[i] divinitatis, quae, licet omnia ineffabili substantia sua repleat, Scriptura[7] tamen caelis insidere confirmat. Dignum est enim ut arcem peteret quae se noverat caelesti operatione sublimem et tali loco prae ceteris versari, unde reliqua membra debuissent competenti regimine gubernari. Nam et ipsa figura capitis sphaeroides pulcherrima est, in qua sibi immortalis atque rationalis anima dignam faceret mansionem ». Item, medici[8] ponunt[k] cerebrum esse templum sive sedem animae et hoc maxime quantum ad illam partem animae qua est cognitiva. Sicut enim in templo tres sunt partes principales, vestibulum, consistorium et apotheca, ita phantastica cellula, logistica et memorialis partes sunt cerebri principales[9]. Anima igitur in phantastica cellula quasi in vestibulo[l] diversas per imaginationem suscipit formas; in logistica cellula quasi in consistorio de imaginatis ratione discernit; in memoriali cellula quasi in apotheca anima ea, quae imaginatio recipit, ratio discernit, per memoriam conservat.

CAPUT VI. 489

UTRUM VITA SIT IN EMBRIONE ANTE ORGANIZATIONEM.

Sequitur inquirere utrum vita sit in embrione ante organizationem.

Quod[m] sic, videtur: 1. Per Philosophum, XVI *Animalium*[10], ubi dicitur: « Omne conceptum vivit sicut vivunt arbores »; et vocat « conceptum » semen relictum in matrice a generante.

2. Item, eodem: « Non potest[n] aliquis dicere quod conceptum non habet animam omnino et quod est privatum vita ».

3. Item, libro *De motu cordis*[11], ordinantur actus animae. Dicitur enim sic: « Vivit et vegetatur animal, sentit et movetur, discernit et intelligit, et quae ex eis oriuntur, non facile numerabilia, efficere habet. Et harum potentiarum haec prima distantia est quod vitam quasi praeviam ceterae sequuntur, sine qua nullam ceterarum inesse possibile est, actus autem consequentes necessario praesupponunt priorem ». Ergo, cum in embrione vigent actus consequentes ad vitam, sicut actus

---

[a] V add. *est.* [b] T add. *nec.* [c] T *et.* [d] R om. [e] TL *quoniam.* [f] Ita F (corr.), alii *quo;* SL om. *est.* [g] R *sanguine.* [h] VSLZ *responsio.* [i] V om. [k] S om. [l] Ita VF (corr.), alii *vestibula.* [m] F *Et quod.* [n] V add. *aliquid;* T *per* pro *quod.*

1 Cap. 18 (PL 40, 793).
2 Cf. c. 5, n. 1; c. 6, n. 2; c. 16, n. 6 (p. 10, 22 et 88).
3 Cf. supra, num. 353, II.
4 Cap. 21 (PL 40, 795).
5 Cap. 8 (PL 70, 1293).
6 Loc. cit.
7 Cf. Psalm. 2, 4; 122, 1; II Mach. 3, 39; Matth. 5, 16 et 6, 9.
8 Cf. Cassiod., loc. cit., c. 9 (PL 70, 1297); supra, p. 680, nota 11.
9 Cf. supra, p. 423b.
10 *De animal. generat.*, II, c. 3 (III, 351), ubi et sequens.
11 Cap. 1, n. 2 (p. 6).

vegetandi et augmentandi et huiusmodi[a], relinquitur quod in illo[b] est actus prior, qui est vitae sive vita.

4. Item, cum sine virtute animae vegetabilis et sensibilis non possit corpus hominis organizari et praeparari convenienter ad susceptionem animae rationalis, necesse est[c] prius esse animam vegetabilem et sensibilem[d] in semine quam corpori[e] organizato infundatur[f] anima rationalis. Et hoc videtur velle Philosophus, XVI *De animalibus*[1]. Dicit enim: «Necessario[g] erit in concepto prius anima cibativa et, cum creverit, erit in eo anima sensibilis, per quam dicitur animal et non est animal simul et homo». Ex hoc videtur quod embrio vel semen sit animatum in matrice; et si hoc, vivit; dicitur enim in libro *De motu cordis*[2]: «Animatum et vivens ad se invicem paria sunt».

5. Item, in libro *De motu cordis*[3]: «Vitam actu omnibus aequaliter inesse necesse est: aeque enim est vivens embrio et adolescens». Ex iis patet propositum.

Contra: *a.* Sicut dicitur in libro *De motu cordis*[4], «animatum et vivens ad se invicem paria sunt»; si ergo embrio vivit, est corpus animatum; ergo est planta vel animal: quorum utrumque est falsum.

b. Item, ex hoc sequeretur quod plures animae secundum substantiam essent in homine; cuius contrarium dicit Augustinus, in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*[5], sic: «Neque duas animas esse dicimus in uno homine, sicut Iacobus et alii Syrorum scribunt, unam animalem, qua animetur corpus et immixta sit sanguini, et alteram[h] spiritalem, quae rationem ministret; sed dicimus unam esse eamdemque animam in homine, quae et corpus societate sua vivificet et semetipsam[i] sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii et in sua substantia eligat cogitatione quod vult». Idem dicit in libro *De spiritu et anima*[6].

Respondeo[7]: Circa hanc materiam diversi diversa sentiunt. Quidam enim dicunt quod embrio vivit ante organizationem et habet animam vegetativam et sensitivam ante infusionem animae rationalis, innitentes verbo Philosophi supra dicto[8]; et isti ponunt hominem habere tres animas vel saltem tres substantias animae. Notandum ergo quod quidam dixerunt tres substantias incorporeas[k] in homine, sicut tres vitas, scilicet vegetativam, sensitivam et intellectivam. Dicunt enim quod homo habet substantiam incorpoream, qua vivit, crescit et nutritur, et hoc[l] ex traduce in generatione, in qua convenit cum plantis; habet substantiam incorpoream, qua sentit, ex caelo et stellis, secundum quam convenit cum brutis; habet et substantiam, qua vivit et intelligit, immediate a Deo per creationem; unde ponunt tres animas in homine. — Alii dicunt quod, quamvis sint tres substantiae, non tamen[m] tres animae in homine, quia anima nomen est perfectionis; ideo substantia vegetabilis non est anima nisi in plantis, quarum est perfectio; sensibilis vero nisi in brutis; in homine autem sunt quasi materiales ad rationalem et rationalis est completio, et ideo ipsa sola est anima in homine, aliis existentibus ut dispositionibus materialibus ad ipsam. De unione autem illarum adducunt exemplum in radiis ignis et solis, qui quandoque uniuntur in aëre, in quo non est nisi quasi unus, et hoc propter eorum simplicitatem. Et sicut contingit quod radius ignis cum igne corruptibilis est, radius solis cum sole incorruptibilis, sic duae corrumpuntur cum[n] corpore, scilicet vegetabilis et sensibilis[o], tertia remanet et separatur a corpore ut radius ab aëre. Et dicunt quod prius tempore est in semine ipsa vegetativa qua nutritur et crescit; deinde, cum creverit, subsequitur per influentiam corporis caelestis sensitiva; ultimo vero infunditur per creationem rationalis ut perfectio ultima. Nec sequitur: 'ante infusionem animae rationalis, qua est homo, est sensibile et animatum, ergo leo vel capra' etc., quia est animal imperfectum: imperfectum[p] dico, non sicut dicitur animal imperfectum[q] quod non habet omnem sensum, sed imperfectum, quod est materiale ad ultimum completivum. Non sunt etiam differentes specie, quamvis differentes substantiales perfectiones, quia una est materialis[r] dispositio ad aliam, et ideo est simpliciter[s] una perfectio, scilicet ultima, rationalis. — Sed haec positio est simpliciter contra Augustinum[9], dicentem plures animas non esse in uno homine. Non enim intendit per hoc non esse plures perfectiones ultimas in homine, sed intendit instruere unam animam rationalem esse in homine, cuius potentiae sive ex cuius essentia sunt vegetativa et sensitiva. Quod patet per hoc quod dicit, in libro *De anima et spiritu*[10]: «Anima, dum carne exuta

---

[a] R om. *e. h.* [b] V *illa.* [c] V om. [d] S om. *e. s.* [e] R *in corpore.* [f] V *infunditur.* [g] V *necesse.* [h] S *animam.* [i] Ita V, alii *semetipsum.* [k] V add. *esse*, quod R exp. [l] V add. *patet.* [m] Z add. *sunt.* [n] Ita V, alii *in*; S om. *scilicet.* [o] V om. *e. s.* [p] S om. [q] V om. *imperfectum dico... imperfectum.* [r] Ita V, alii *materia vel.* [s] Codd. *simplex.*

[1] Loc. cit.
[2] Cap. 1, n. 2 (p. 6).
[3] Cap. 1, n. 3 (p. 7).
[4] Loc. cit.
[5] Gennad., c. 15 (PL 58, 984); cf. supra, p. 404, sub litt. *f*.
[6] Cap. 48 (PL 40, 814).
[7] Cf. supra, num. 332; S. Bonav., II *Sent.*, d. 31, a. 1, q. 1 (II, 740 sqq.).
[8] Cf. supra, nota 1.
[9] Cf. supra, sub litt. *b*.
[10] Cap. 30 (PL 40, 800).

est, vivit, videt, audit et omnes sensus atque ingenia vivaciter tenet». Non enim poneret animam exutam sentire nisi ex sua essentia haberet potentiam sentiendi, et illa virtute, qua anima sentit, sensificat corpus quod[a] perficit.

Alii ponunt, supposito quod rationalis habeat suam vegetativam et sensitivam, necessario duas vegetativas et duas sensitivas in eodem esse et priores cessare ab operatione, fortiore virtute superveniente. — Hoc non videtur probabile, quia, cum natura nihil agat[b] frustra, ut vult Philosophus[1], multo fortius nec auctor naturae; sed si duae essent vegetativae et duae sensitivae in homine, altera esset frustra. Praeterea, ex hoc sequitur quod in homine sunt plures animae distinctae secundum substantiam, cum potentia animae non sit sine substantia: quod est contra Augustinum[2].

Quidam autem ponunt priores corrumpi rationali adveniente et tamquam ad tempus commissas, completa organizatione, deficere. — Hoc autem non videtur probabile, cum organizatione completa fortius vigeant vegetativa et sensitiva, eo quod sunt fini suo magis[c] coniunctae. Praeterea, unde esset illis ratio deficiendi, cum huiusmodi animae non habeant defici nisi ex aliqua dissolutione sive corruptione facta circa subiecta earum[d]?

Propter hoc videtur aliter dicendum. Potest[e] ergo dici, sine praeiudicio, quod, proprie loquendo, embrio non vivit, eo[f] modo quo illud dicitur vivere quod habet animam formam et sui perfectionem: huiusmodi autem proprie dicuntur vivere. Improprie loquendo et extenso nomine vitae, eo modo loquendi quo omnia illa dicuntur vivere quibus communicatur aliqua operatio vitae, sive hoc sit ex praesentia animae vivificantis et informantis illud sive ex contiguatione vel continentia alicuius vivificati vel viventis ex praesentia animae informantis illud, sic potest dici vivere, eo modo quo poma possunt dici vivere, non quia vivificantur ex praesentia animae vivificantis sive informantis, sed ex influentia quam recipiunt ex planta cui contigua sunt. Potest ergo dici quod embrio vivit, extenso nomine vitae, nec vivit ex praesentia animae informantis, sed ex influentia quam recipit a corpore continente.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo obicitur per illud Philosophi quod «conceptum vivit sicut vivunt arbores», dicendum quod 'vivere' sumitur ibi pro vegetari, sub hoc sensu: conceptum vegetatur sicut vegetantur[g] arbores, ita tamen quod per hoc quod dicitur 'sicut' notetur[h] similitudo quantum ad genus actus, non quantum ad modum, id est conceptum et arbores habent similitudinem in hoc quod utrumque vegetatur.

2. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'non potest dici quod conceptum non habet animam omnino': dicendum quod hoc verum est, quia habet animam operantem aliquo modo in ipso, id est operationem[i] animae, non tamen habet animam informantem. Unde facienda est vis in hoc quod dicit «omnino», quia non potest vere[k] dici separari anima omnino a concepto, scilicet quantum ad operationem et quantum ad substantiam. Quod autem subditur «et quod privatum est vita», sic intelligendum est cum hac determinatione «omnino», quia aliquo modo vivit, ut dictum est[3].

3. Ad illud quod obicitur quod 'vivere est primus actus animae, quem[l] praesupponunt consequentes': dicendum quod eo modo quo habent esse, habent ordinem. Cum enim datur vita alicui mediante anima informante illud, et consequenter vegetatur et sentit mediante eadem[m]; cum autem datur vita alicui aliquo modo[n] ex contiguatione et continentia alicuius alius, quod vivificatur ex praesentia animae informantis illud, et consequenter vegetatur et sentit mediante illo a quo continetur, et hoc per influentiam quam recipit ab illo.

4. Ad illud quod obicitur quod 'corpus organizatur et praeparatur ad susceptionem animae rationalis mediante virtute animae vegetativae' etc.: dicendum quod in decisione seminis a generante derelinquitur virtus in semine, quae invalescit et vigoratur a virtute continentis, sicut natura quandoque confortatur et roboratur opere artificis. Unde ipsa virtus, relicta in semine, sic vigorata et roborata, operatur ad organizationem et praeparat corpus et reddit congruum ad animae rationalis susceptionem, incessanter cooperante et[o] influente ipso continente. Unde non est necesse prius inesse animam vegetabilem et sensibilem ipsi[p] embrioni per modum informantis, ut sic praeparetur ad animae rationalis susceptionem, sed solummodo per modum exterioris praeparantis ipsum corpus, quod debet esse organum sive perfectibile ipsius animae perficientis[4]. — Quod autem dicit Philosophus: «Necessario erit in[q] concepto prius anima cibativa, et, cum creverit, erit in eo anima sensibilis» etc., hoc potest intelligi quantum ad virtutem operativam, non quantum ad

---

[a] V *et*. [b] Ita V, alii *agit*. [c] T om. [d] F *eorum*. [e] S *quod*. [f] Z *eodem*. [g] VS om. *s. v.* [h] V *vocetur*. [i] Z *operatione*. [k] S om. [l] L *que*. [m] Ita VL (corr.), alii *eodem*. [n] T om. [o] V *ex*. [p] L om. [q] S om.

1 *De anima*, III, c. 9 (III, 471).
2 Cf. supra, p. 682, sub litt. *b*.
3 Cf. supra, p. 683a, *Propter hoc videtur* etc.
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 12, a. 1, q. 3 (II, 300 sq.).

substantiam informativam: prius enim fiunt[a] in eo operationes vegetativae, quae sunt alimento uti et augmentari, quam opera sensitivae, et sensitivae[b] quam intellectivae. Unde verbum Philosophi debet intelligi quantum ad esse per virtutem operativam, non quantum ad esse per[c] essentiam informativam. — Si obiciatur quod non est virtus sine substantia: dicendum quod hoc verum est, sed est substantia in qua radicatur virtus et est substantia qua quandoque[d] defertur virtus; unde nunquam est virtus sine substantia radicali vel deferente. — Quod autem dicitur, in libro *De motu cordis*, quod « animatum et vivens ad se invicem paria sunt », potest dici quod hoc intelligi debet de vivente proprie dicto, id est de vivente per praesentiam animae vivificantis.

5. Ad illud quod sequitur quod dicitur, in libro *De motu cordis*, quod « aeque est vivens embrio et adolescens »: dicendum quod embrio dicitur nomine extenso foetus formatus et organizatus.

490

CAPUT VII.

UTRUM VITA SIT IN HUMORIBUS [1].

Sequitur inquirere utrum humores vivunt.

Quod sic, videtur: 1. Nihil resurget nisi quod vivit, cum illud quod resurget sit de veritate humanae naturae; ergo, si humores non vivunt, non resurgent; sed resurgent[e], sicut patet in Christo, in quo resurrexit sanguis, cuius[f] sacramentum est species vini in Sacramento altaris: sanguis enim qui ibi sumitur, est glorificatus.

2. Item, Christus secundum corpus factus est ex purissimis sanguinibus B. Virginis [2]; sed constat quod Christus[g] sumpsit carnem ex substantia quae fuit viva in Virgine; ergo sanguis vixit in illa; consimiliter videtur quod in aliis.

3. Item, omne illud vivit in quo est sedes animae sive vitae; sed humor sanguineus est huiusmodi, ut ex dictis patet [3]; ergo vivit; consimili ratione videtur quod et alii humores similiter.

4. Item, cor est domicilium vitae, ut habetur in libro *De motu cordis* [4]; sed, ut recitat Cassiodorus [5], « in corde purissimus sanguis et vitalis spiritus continetur »; ergo humor huiusmodi, scilicet sanguineus, maxime approximatur principio vitae, id est cordi; sed quanto aliquid est principio vitae proximius, tanto magis vitam[h] participat; ergo videtur quod huiusmodi humor magis participat vitam quam extremitates corporis, quae magis distant a corde.

5. Praeterea, humores nutriuntur, augmentantur et diminuuntur: nutriuntur[i] enim et augmentantur ex cibis sanis et amicis naturae; huiusmodi autem actus sunt animae vegetativae; ergo etc.

Contra: *a*. Nihil vivit quod non est colligatum membro; humores autem non sunt membris colligati: sunt enim in partibus corporis sicut in vase, scilicet in venis; unde sine laesione fit horum[k] diminutio; ergo etc.

b. Item, ipsis humoribus nutriuntur membra; alimentum autem, quo membra nutriuntur antequam conversum fuerit in membrum, non est subiectum vitae; ergo etc.

c. Item, nihil vivificatur ab anima nisi quod habet stabilitatem et fixionem in corpore; sed humores non sunt huiusmodi, quia continue fluunt et refluunt; ergo etc.

Respondeo: Dicendum quod vivere, dictum[l] de corpore, tripliciter accipi potest, scilicet proprie[m], minus proprie et minime proprie. Proprie dicitur vivere illud corpus quod unitur animae ipsum perficienti, sicut corpus organicum iam actu ab anima perfectum. Minus proprie dicitur vivere quod, licet non sit unitum animae perficienti, coniunctum tamen est corpori habenti animam ut perfectionem, et, licet non habeat animam, habet aliquam vitalem virtutem, per quam ut per virtutem alienam, scilicet alicuius contigui vel continentis, habet operationes consimiles rei vivae, sicut in praecedentibus dictum est de embrione [6] et sicut est de capillis et unguibus. Minime proprie dicitur vivere quod ex colligatione sui cum corpore vivente recipit aliquam vegetationem: unde est in dispositione ad unionem cum corpore vivificato et est sicut instrumentum respectu vitalis virtutis, quamvis non sit unitum animae nec habeat virtutem vitalem intra se: et per hunc modum dicuntur vivere spiritus et humores qui deserviunt virtuti vitali et per illam in corpore quodam modo vegetantur et augmentantur

---

[a] T om. [b] S om. *e. s.* [c] F om. *virtutem... per.* [d] S *quacumque* pro *q. q.* [e] V om. *s. r.* [f] T om. [g] V *ipse.* [h] V *vitat*, T *vitandus.* [i] S om. *a. e. d. n.* [k] T *humorum.* [l] T add. *est.* [m] T add. *et.*

1 Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 44, p. 1, a. 1, q. 1 (IV, 907 sq.).
2 Cf. Damasc., *De fide orthod.*, III, c. 2 (PG 94, 986).
3 Cf. supra, num. 488.
4 Cap. 3, n. 4 (p. 14).
5 *De anima*, c. 8 (PL 70, 1293).
6 Cf. supra, p. 683a.

et restaurantur: vegetantur, dico, communiter loquendo, eo modo quo [a] dicitur vegetari in corpore quod non putrescit vel corrumpitur. Sic igitur, improprie accepto 'vivere', concedi potest quod humores vivunt; si autem proprie accipiatur, sic dicendum est quod non [b] vivunt, sicut rationes ad secundam partem [1] ostendunt.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum quo ostenditur quod vivunt [c] proprie, quia resurgent, potest dici quod non solum resurget quod vivit, primo modo dicto vivendi, sed et quod [d] secundo, sicut capilli et ungues, et etiam quod tertio, sicut humores, qui resurgent, ut dicunt quidam, forte ad decentiam repletionis vacuitatis in corpore sive in venis vel ad complementum corporis humani. Supponatur hoc de resurrectione humorum [e], de qua erit quaestio in loco suo [2].

2. Ad illud quod sequitur quod, cum dicitur quod [f] Christus factus est secundum corpus ex purissimis sanguinibus B. Virginis, sicut dicit Damascenus, et recitat Magister, in *Sententiis* [3], non intelligitur de sanguine qui est unus de quatuor humoribus, sed sanguis sumitur ibi pro carne [4]: unde quandoque dicitur factus de carne [5], quandoque de sanguinibus [6]. Ratio autem quare dicitur Christus [g] assumpsisse carnem de sanguinibus B. Virginis, potest esse quod illa portio carnis, de qua factus est Christus secundum corpus, vim habebat seminis, propter quod convenienter sanguis nominatur, qui est in propinquiore conformitate ad semen quam caro. Unde, sicut dicit Magister, in *Sententiis* [7], Spiritus Sanctus potentiam contulit generandi B. Virgini absque semine virili; et Damascenus [8] dicit quod in Virgine erat semen divinum.

3. Ad illud quod sequitur, patet responsio ex supra dictis [9], ubi tactum est propter quid sanguis dicitur sedes animae et quis est intellectus verbi huius.

4. Ad aliud quod obicitur quod 'sanguis est propinquior principio vitae' etc.: potest dici quod huiusmodi propinquitas non est causa vitae sive vivificationis, sed potius aptitudo suscipiendi vitam [h] sive vivificationem ab anima, quae provenit ex propinquitate sive conformitate harmoniae et numerorum [i] quae est rei viventis ad animam vivificantem [10].

5. Ad ultimum dicendum quod humores non nutriuntur vel augmentantur sicut illa quae vivunt ex influentia animae perficientis ipsa [k], sed ex influentia animae perficientis [l] illud quod continet ipsos humores. Unde illa eadem improprietate [m] qua dicuntur vivere, dicuntur nutriri et augmentari, prout nutriri et augmentari [n] dicuntur opera vegetativae. Hoc dico, quia in aliquo vegetare et augmentari non est opus vegetativae, sicut in igne, qui dicitur nutriri et augmentari.

DISTINCTIO II.

DE MORTALITATE PRIMI HOMINIS.

Quoniam intenditur in parte ista determinare [o] de passibilitate [p] primi hominis per separationem animae a corpore, hoc est utrum erat mortalis, mors autem est quasi privatio vitae, et cognitio habitus confert ad cognitionem privationis, aliqua sunt tacta de vita. Unde sequitur de mortalitate, de qua quatuor quaerentur:

Primo ergo quaeretur absolute de eius mortalitate et immortalitate, id est si erat mortalis vel [q] immortalis;

secundo, habito quod immortalis, a quo erat illa immortalitas;

tertio, utrum eadem erat cum immortalitate gloriae;

quarto, utrum eadem erat potentia qua erat mortalis et immortalis.

---

[a] V om. [b] S om. [c] T om. *q. v.* [d] V om. [e] Z om. [f] Z om. [g] Ita V, alii *Christum;* Z *sumpsisse* pro *assumpsisse.* [h] V om. [i] Ita VTL, alii *nervorum.* [k] S *ipsam,* T om. [l] T *perficiens;* V om. *ipsa... perficientis;* L om. *animae.* [m] V *proprietate.* [n] R om. *p. n. e. a.,* in F est add. mg. [o] Z *determinari.* [p] S *ad passibilitatem* pro *d. p.* [q] V *et.*

1 Cf. supra, sub *a-c.*
2 De resurrectione non agitur in *Summa.*
3 Lib. III, d. 3, c. 1 (p. 558).
4 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 3, p. 1, dub. 3 (III, 79).
5 Cf. Ioan., 1, 14; Tim. 3, 16; I Ioan. 4, 2.
6 Cf. supra, p. 684, nota 2.
7 Lib. III, c. 1 (p. 559).
8 *De fide orthod.*, III, c. 2 (PG 94, 986).
9 Cf. supra, p. 680, *ad 1.*
10 Cf. supra, num. 434.

491

CAPUT I.

UTRUM PRIMUS HOMO IN STATU INNOCENTIAE ERAT MORTALIS [1].

Quaeritur primo utrum primus homo in statu innocentiae erat passibilis per separationem animae a corpore, et hoc est utrum erat mortalis quantum ad corpus. Hanc quaestionem determinat Magister, in *Sententiis,* II libro [2], dicens sic: « Primus [a] homo, secundum naturam corporis terreni, et immortalis fuit quodam modo secundum aliquid, quia potuit non mori, et mortalis quodam modo [b], quia potuit mori ».

Sed ostenditur quod fuit immortalis tunc, id est non potens mori, sic [c]: 1. Dicit Apostolus, Rom. 6, 23: *Stipendia peccati mors;* igitur nullo modo infligenda est mors nisi post peccatum; igitur ante peccatum nulla est possibilitas [d] ad mortem, quia peccatum est medium sine quo nullo modo potest suscipi ex parte susceptibilis poena neque infligi ex parte infligentis; igitur videtur quod in statu innocentiae nullo modo fuit corpus susceptibile mortis.

2. Item, mortem corporis concomitatur passio animae, scilicet poenalis; sed impossibile fuit animam passibilem esse passione poenali [e] in statu innocentiae; igitur et corpus esse mortale.

3. Item, nulla creatura poterat inferre passionem animae Adae in statu innocentiae [3]; igitur nec corpori eius mortem; igitur corpus fuit immortale; possibilitas autem passiva dicitur respectu potestatis activae [f]. — Maior patet per Isidorum, in libro *De Trinitate* [4], dicentem: « Dum homo in paradiso innocenter viveret, ignis eum non ureret [g], aqua non mergeret, non spinarum aculei vulnerarent, non absentia aëris suffocaret nec omnia, quae nocent mortalibus, impedirent ».

4. Item, potentia obedientiae in creatura est respectu totius potestatis divinae [h]; igitur, si Deus non potuit infligere [i] mortem in illo statu, quia minimum [k] inconveniens est impossibile in Deo, nec homo secundum corpus fuit possibilis [l] ad hoc: possibilitas enim obedientiae amplissima est omnium quae sunt ipsius creaturae.

Contra: *a.* Augustinus, XIV *De civitate Dei,* 26 cap. [5]: « Cibus aderat ne esuriret, potus, ne sitiret, lignum vitae, ne illum senecta dissolveret ». Ex hoc verbo videtur quod dissolubilis fuit senecta quantum fuit de sua natura; sed si erat dissolubilis senecta, erat mortalis.

b. Item, Augustinus, *De Baptismo parvulorum* [6]: « Habebat Adam de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, de ligno vitae stabilitatem contra vetustatem ». Et ita videtur quod de natura sua fuit defectibilis et possibilis ad vetustatem; et si hoc, fuit potens mori.

c. Item, in primo statu habebat potestatem peccandi; ergo et moriendi. Unde Hugo [7]: « Primus homo, quantum ad naturam corporis terreni, et immortalis factus est secundum aliquid, quia potuit non mori [m], et mortalis secundum aliquid, quia potuit mori. Sicut enim in illo primo statu habuit posse peccare et posse non peccare, quoniam haec fuit prima arbitrii libertas, ita etiam in eodem statu habuit posse mori et posse non mori, quoniam ista fuit prima corporis humani immortalitas ».

Respondeo quod Adam in primo statu fuit immortalis secundum aliquid [n] et mortalis [o] secundum aliquid. Sed intelligendum est quod, praeter illam potentiam quae est obedientiae, est potentia quae [p] est solum materialis, ut illa quae est tantum passiva, nullam habens inclinationem ad actum illius potentiae; est et alia, quae est possibilis, ut illa, quae habet aliquam inclinationem ad actum; est et alia, quae habet dispositionem superadditam inclinationi [q]; est et alia, quae est necessitas. Quaelibet autem istarum trium potentiarum ultimo dictarum est aliquo modo [r] disposita respectu primae, quae est materialis [s] solum, sed quaedam remotiore dispositione, quaedam propinquiore. De hoc supra [t], ubi quaesitum est de passibilitate primi hominis [8]. Cum ergo quaeritur utrum erat mortalis etc.: dicendum [9] quod, secundum quod 'mortale' dicit possibilitatem [u]

---

[a] L *fecimus.* [b] V add. *secundum aliquid.* [c] Ita V, alii add. *ut.* [d] L *passibilitas;* S om. *nulla.* [e] T om. [f] L *affective.* [g] V om. *i. e. n. u.* [h] S om. [i] TL *intelligere.* [k] Ita F (corr.), alii *nimium;* T *in quo* pro *quia.* [l] V *passibilis.* [m] L om. *q. p. n. m.* [n] Z om. *s. a.* [o] Ita FLZ in mg., alii om. *respondeo... mortalis.* [p] L (corr.) *qua.* [q] L *inclinationem.* [r] T om. [s] L *immaterialis.* [t] S om. *d. h. s.* [u] R *passibilitatem.*

[1] Cf. supra, num. 473; S. Bonav., II *Sent.,* d. 19, a. 2, q. 1 (II, 464 sqq.).

[2] Dist. 19, c. 1 (p. 393); ex Hugone de S. Vict., *De sacram. christ. fid.,* I, p. 6, c. 18 (PL 176, 275).

[3] Cf. supra, num. 470.

[4] *De ordine creat.,* c. 10, n. 8 (PL 83, 940).

[5] PL 41, 434.

[6] Lib. I, c. 3 (PL 44, 111).

[7] Cf. supra, nota 2.

[8] Cf. supra, num. 469.

[9] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 19, dub. 2 (II, 473 sq.).

ad actum moriendi primo modo, id est solum materialem et in nulla inclinatione ad actum huiusmodi, sic fuit mortalis. Praeterea, secundum quod 'immortalis' dicit privationem possibilitatis sive potentiae tribus ultimis modis dictae, id est privationem necessitatis et dispositionis propinquioris et remotioris, sic fuit immortalis, quia neque fuit in necessitate moriendi neque in dispositione propinqua neque in [a] remota. Concedendae ergo sunt rationes secundae partis quibus ostenditur quod poterat [b] mori.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum quod inducitur pro alia parte, scilicet 'peccatum est medium, sine quo primus homo non erat susceptibilis poenae neque poterat ab aliquo infligi' etc. [c]: dicendum quod ex hoc non sequitur quod non poterat mori, quia illud medium, scilicet [d] peccatum, poterat induci. Unde ad hoc [e] quod argumentum esset necessarium, esset addendum 'et in statu illo non erat potens peccare': si enim non fuit susceptibilis poenae in statu primo, non interveniente peccato, et non poterat peccare, ex iis sequeretur quod non poterat mori.

2. Ad aliud quod sequitur, scilicet quod 'impossibile fuit animam eius esse passibilem in statu innocentiae': dicendum quod secundum quod [f] hoc quod dico 'passibile' dicit potentiam ad actum patiendi dispositam aliquo modo et haec determinatio in statu innocentiae referatur ad illud, vera est; si autem referatur ad [g] hoc quod dico 'impossibile', non est verum.

3. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'nulla creatura poterat inferre passionem Adae in statu primo', per auctoritatem Isidori etc.: dicendum [1] quod, licet, dum staret in statu innocentiae, nihil poterat inferre illi laesionem, non ex hoc sequitur quod omnino fuit impassibilis, quia habebat potentiam deficiendi ab innocentia, quae fuit causa quare nihil poenale poterat sibi inferri. Unde, sicut non sequitur 'non poterat laedi in statu illo, id est dum erat in statu illo, ergo ille, qui erat in statu illo, non poterat [h] laedi sive fuit illaesibilis', sic nec sequitur in proposito.

4. Ad ultimum potest dici quod haec est duplex 'homo in statu innocentiae [i] secundum corpus non [k] fuit possibilis mori sive ad moriendum', ex hoc quod haec determinatio 'in statu innocentiae' potest determinare hoc quod dico 'possibilis', et sic falsa; vel hoc quod dico [l] 'mori', et sic vera. Et hoc ultimo modo sequitur ex prima, scilicet hac 'Deus non poterat infligere illi mortem in statu innocentiae'; quae similiter est duplex: in statu enim illo poterat Deus infligere mortem, sed non poterat infligere mortem [m] in statu illo.

CAPUT II. 492

A QUO ERAT PRIMO HOMINI IMMORTALITAS [2].

Sequitur determinare [n] a quo erat illa immortalitas. Quaeritur ergo utrum haec immortalitas fuit [o] illi a natura vel a gratia.

Quod a gratia [p], ostenditur: *a.* Luc. 10 30: *Homo quidam descendebat de [p] Ierusalem in Iericho [q]* etc. Ibi habetur in Glossa [3] «quod fuit spoliatus gratuitis, vulneratus in naturalibus»; sed fuit spoliatus immortalitate; igitur fuit de gratuitis.

b. Item, Augustinus, *Super Genesim ad litteram* VI [4], dicit quod «mortalis erat conditione corporis, immortalis beneficio Conditoris». Ergo conditioni naturae [r] corporis fuit aliquid additum beneficio Dei, quo erat immortale; hoc nihil est nisi gratia.

c. Item, cum naturale est compositum ex contrariis ut contrariis [s] dissolvi, dissolveretur homo nisi aliquid esset superadditum naturae, inhibens huiusmodi dissolutionem naturae — quod videtur dicere Augustinus, XIV *De civitate Dei* [t 5], dicens: «Lignum vitae aderat, ne illum ulla senectus dissolveret» — igitur non videtur quod a natura infuerit ei immortalitas.

d. Item, Magister Hugo [6] distinguit triplicem statum: in primo potuit mori et [u] non mori; in secundo potuit mori et non potuit non [v] mori; in tertio poterit non mori et non poterit mori.

---

[a] Z om. [b] STRL *poterit*, quod Z corr. [c] V *et est*. [d] L om. [e] T om. [f] F (corr.) *si* pro *s. q.* [g] L om. *illud... ad.* [h] Ita F, alii *potuit*. [i] Ita V, alii om. *i. s. i.* [k] Z om. [l] T om. *possibilis... dico.* [m] R om. *s. n. p. i. m.*, in F est add. mg. [n] Ita V, alii om. [o] S om. *q. a. g.*; L *quia* pro *q. a.* [p] L om. [q] V add. *et incidit in latrones.* [r] V om. *e. c. n.* [s] Ita VFZ, alii om. *u. c.* [t] Ita V, alii om. [u] F add. *potuit.* [v] S repet.; L om. *in secundo... mori.*

[1] Cf. supra, num. 470.

[2] Cf. supra, num. 472; Lombard., II *Sent.*, d. 19, c. 4 (p. 395); Praeposit., *Summa*, II (f. 93a); S. Bonav., II *Sent.*, d. 19, a. 3, q. 1 (II, 468qq.); *Breviloq.*, p. 2, c. 10 (V, 228). Quaedam argumenta hic allata, nempe sub *a*, *b*, *c*, 4 et 6, occurrunt, sed non verbotenus, ap. Philip. Grev., *Summa*, II (f. 61a).

[3] *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran.

[4] Cap. 25 (PL 34, 354). [5] Cap. 26 (PL 41, 434).

[6] *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 18 (PL 176, 275).

Primus status est innocentiae, secundus culpae, tertius [a] gloriae. Dicit ergo de tertio statu: « Ad hunc statum pertinet et moriendi et peccandi impossibilitas, utraque tamen ex gratia, non ex natura, quia, si gratia non adesset, in altero moriendi, in altero peccandi naturae possibilitas non deesset. Si ergo ultima immortalitas ex gratia erit, ubi moriendi possibilitas [b] non erit, quanto magis prima immortalitas ex natura non fuit, ubi moriendi possibilitas fuit! » Ex hoc patet quod immortalitas fuit a gratia. Idem habetur a Magistro *Sententiarum* [1].

e. Item, homo per naturam poterat mori; ergo non erat immortalis per naturam, cum impossibile sit duo opposita inesse eidem [c] secundum eadem principia [2].

Contra: 1. A natura habuit corpus in perfecta aequalitate et optima libratione qualitatum, ut ex dictis patet [3]: illud enim dicitur esse a natura quod est alicui inditum in sua conditione [4].

2. Praeterea, a natura habuit ex parte animae potentiam nutritivam, qua appositione [d] nutrimenti conservatur individuum. Praeterea, alimenta naturalia erant sibi data in usum, scilicet fructus lignorum paradisi. Cum igitur haec omnia a natura fuerunt sive naturalia, iis autem poterat vita in ipso perpetuari, relinquitur quod immortalitas fuit illi a natura.

3. Item, in statu innocentiae habuit unde posset stare, licet non unde posset proficere: et hoc a natura, quia nihil erat corruptionis in illo quod esset [e] motivum ad malum; sed stando non peccavit, et non peccando non moreretur; quare, si sine gratia poterat stare, sine gratia poterat vitam perpetuare; igitur immortalis fuit a natura.

4. Item, immortalitas est a potentia continuandi vitam; sed constat quod potentia vivendi est naturalis, cum trahatur ex coniunctione animae cum corpore, quae naturalis est; sed eadem est potentia continuandi vitam quae est [f] vivendi, ut videtur [g], sicut eadem est gratia quae vivificat et consummat per [h] perseverantiam; igitur potentia continuandi vitam est naturalis.

5. Item, eadem potentia est principium vitae et principium continuationis vitae; naturaliter habuit in se principium vitae [i]; ergo etc.

6. Item, natura est ad hoc ut salvetur divinum esse quantum potest [5]; divinum autem esse est similiter se habere; igitur natura est ad hoc ut illud, in quo est, similiter se habeat; quod autem non potest natura in hoc ut salvetur esse divinum in eodem, hoc est propter corruptionem peccati; igitur et natura non corrupta, scilicet bene instituta, in hoc potest; ergo est causa immortalitatis.

7. Item, in primo statu nihil erat in primo homine impellens ad corruptionem; igitur de natura propria erat immortalis et [k] nihil extra illum laedere poterat.

8. Item, eo quod erat innocens, erat [l] immortalis; ergo a quo erat illi [m] innocentia, erat immortalitas; sed innocentia erat a natura; ergo et immortalitas erat a natura.

9. Item, Augustinus, *De civitate Dei* [6]: « Deus est vita animae, anima est vita corporis ». Unde anima [n] sicut medium inter Deum et corpus, recipiens vitam a Deo, tribuit vitam corpori. Igitur [o], si anima semper esset coniuncta suae vitae, semper esset corpus coniunctum suae; sed statu durante innocentiae semper esset anima coniuncta suae vitae; ergo etc.; igitur semper dedisset vitam corpori, et ita immortalitatem. — Si diceretur quod hoc non sequitur, quia hac ratione homo in gratia non moreretur – hoc tamen non est simile, quia modo est corpus necessario morti addictum.

10. Praeterea, illa influentia a Deo in Adam non fuit gratuita, sed naturalis.

11. Item, ut dicit Augustinus, XIII *De civitate Dei* [7]: « Nihil erat corruptionis in corpore [p] vel ex corpore, nullas molestias ullis eius sensibus ingerebat, nullus intrinsecus morbus, nullus extrinsecus ictus [q] metuebatur ». Et ita sine gratia fuit remota ab homine omnis causa mortis; quare [r] fuit immortalis sine gratia.

12. Item, immortalitas fuit illi ex ligno vitae. Dicit enim Augustinus, *Super Genesim* [8]: « Quodam modo creatus est homo immortalis, quod erat ei ex ligno vitae, non conditione naturae: mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio Conditoris ». Et Hugo [9] dicit: « Quod primus ille homo non secundum qualitatem corporis terreni, sed ex [s] beneficio vitalis edulii non mori potuit, manifeste Scriptura ostendit, ubi eum [t] ab eodem ligno eiectum [u], ne vitam ipsam perpetuam conservare posset, testatur, dicens [10]:

---

[a] Ita VZ, alii add. *est.* [b] S om. *ex gratia... possibilitas.* [c] L add. *per eadem.* [d] V *oppositione.* [e] Ita V, alii *erat.* [f] T om. [g] L *unietur.* [h] T om. [i] V *vita.* [k] Ita V, alii *cum.* [l] S om. *l. e.* [m] Ita F (corr.), V om., alii *illa.* [n] V add. *est.* [o] L *item.* [p] S *corrupto.* [q] Z *actus.* [r] F *quia.* [s] T om. [t] LZ *cum.* [u] T *erectum.*

1 Cf. supra, p. 686, nota 2.
2 Cf. Aristot., *Perihermen.*, II, c. 14 (I, 38).
3 Cf. supra, num. 437-440.
4 Cf. Aristot., *Moral. Eudem.*, II, c. 8 (II, 202).
5 Cf. Aristot., *De anima*, II, c. 4 (III, 448).
6 Lib. XIII, c. 2 (PL 41, 377).
7 Lib. XIV, c. 26 (PL 41, 434).
8 *De Gen. ad litt.*, VI, c. 25, n. 36 (PL 34, 354).
9 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 18 (PL 176, 275).
10 Gen. 3, 22.

Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est». Et ita videtur quod neque ex[a] natura sua neque ex gratia erat immortalis, sed ex ligno vitae.

II. Item, incidenter quaeritur, si bruta essent usa ligno vitae, utrum continuarent[b] vitam suam huiusmodi usu.

Respondeo[c]: Quidam[1] ponebant quod immortalitas in primo homine esset a natura, quia a natura sua haberet aptitudinem ad immortalitatem; quidam quod a[d] gratia, quia[e] a dono gratuito habebat completionem. Et potest esse exemplum ad hoc: cum dicitur 'homo est beatificabilis', notatur ibi aptitudo et dispositio superaddita, similiter cum dicitur 'homo est immortalis'. Unde sicut homo quodam modo potest dici beatificabilis per naturam, quodam modo per gratiam, similiter primus homo immortalis; prout enim hoc quod dico 'beatificabile' importat aptitudinem, convenit homini per naturam: a natura enim sua habet aptitudinem ad beatitudinem; secundum autem quod importat dispositionem, per quam quis sufficienter disponitur ad susceptionem actus beatitudinis, inest illi per gratiam, non per naturam. Sicut ergo, licet homo a natura habeat aptitudinem ad beatitudinem, non propter hoc dicendus est beatificabilis a natura nisi valde per accidens, sed potius a gratia, quae est disponens et ordinans immediate ad susceptionem beatitudinis, sic in proposito. Propter hoc dicendum est quod immortalitas primi hominis non fuit a natura, sed a gratia, ut habetur a Magistro, II libro *Sententiarum*[2], dicente: «Alterum habebat in natura corporis, scilicet posse mori, alterum vero ex dono gratiae». Hoc idem habetur ab Hugone[f], ut patet ex dictis[3].

Nota ergo quod sicut est triplex status — scilicet innocentiae, in quo poterat primus homo peccare et non peccare, similiter mori et non mori; secundus, in quo[g] poterat peccare et non poterat non[h] peccare, similiter poterat mori et non poterat non mori; tertius, in quo poterit non peccare et non poterit peccare, similiter poterit[i] non mori et non poterit mori — similiter est triplex gratia, scilicet perfecta et imperfecta in duplici differentia, quia imperfecta est gratia gratis data respectu gratiae[k] gratum facientis, similiter gratia gratum faciens secundum quod est viatoris, in quantum huiusmodi, qua solum tollitur miseria culpae, respectu gratiae[l] gratum facientis, secundum quod est comprehensoris, qua[m] tollitur non solum miseria culpae, sed poenae. Fuit igitur immortalitas primi status, id est possibilitas non moriendi, a gratia gratis data, non gratum faciente. In secundo statu est immortalitas, id est possibilitas non moriendi spiritualiter[n], a gratia gratum faciente. Dicit enim Hugo[4], quod in secundo «statu est moriendi et peccandi necessitas, sed moriendi necessitas[o] quamdiu[p] adest vita, peccandi necessitas quamdiu abest gratia». Ex quo patet quod ex praesentia gratiae est possibilitas non peccandi. In tertio statu erit immortalitas, id est impossibilitas[q] moriendi, ex gratia perfecta. Possunt igitur rationes concedi quibus ostenditur quod haec immortalitas non erat a natura, sed a gratia naturae superaddita.

[Ad obiecta]: 1. Ad illa quae obiciuntur in contrarium respondendum. Ad id ergo quod[r] obicitur quod 'aeque librata[s] erant elementa a natura, similiter virtus nutritiva et alimentum similiter': dicendum quod huius immortalitatis erat causa multiplex sive una ex multis unita. Una illarum erat proportio mixtorum in convenienti aequalitate virtutum elementarium et harmonia, quae magis esset causa pacis quam pugnae, iuxta quod exigebat optima complexio et sanitas perfectissima, qualis erat ipsius Adae[5]. Unde Augustinus, *De civitate Dei*[6], dicit quod in carne eius summa sanitas erat. Huiusmodi autem mixtio et harmonia defectibilis erat nisi conservaretur, et mortis introductio possibilis. Et hoc[t] triplici de causa intrinseca: ut si humidum intrinsecum consumeretur[u], si mixtorum esset pugna et consequenter abiectio a substantia et si illorum contraria esset inclinatio. Secundum enim quod vult Philosophus[7], propter humidi consumptionem, propter mixtorum pugnam et consequentem abiectionem a substantia eorumdem et contrariam eorum inclinationem solet esse dissolutio in mixto. Prima causa removebatur ab Adam per esum lignorum: nam duplex est consumptio humidi, scilicet radicalis et nutrimentalis. Consumptio humidi radicalis impediebatur propter esum ligni vitae, quod ideo lignum vitae dicebatur, quia per illud vegetabatur illud humidum in quo radicatur vita; consumptio vero humidi nutrimentalis impediebatur per esum aliorum lignorum paradisi, quae optimum ipsi Adae stanti praestabant alimentum. Sic igitur prima causa tollebatur per esum lignorum paradisi. Secunda vero causa

---

[a] V *de*. [b] Ita V, alii *perpetuarent* pro *u. c.* [c] S *quorum*. [d] L om. [e] V *vel*. [f] SL *Augustino*, quod F corr. [g] T *alio*. [h] V om. *p. n.* [i] Z *poterat*, item infra. [k] Ita V, alii om. [l] Ita V, alii om. [m] T *que*. [n] T *simpliciter*; F add. *sed*. [o] V om. *s. m. n.* [p] F add. interl. *non*. [q] S om. *i. e. i.* [r] Ita V, alii *quod ergo* pro *i. e. q.* [s] V *equalibrata* pro *a. l.*, quod F corr. [t] Codd. add. *ex*. [u] S *consideretur*.

[1] Cf. Lombard., II *Sent.*, dist. 19, cc. 4 et 6 (p. 395, 397) et Hugo de S. Vict., supra, sub litt. *d*.
[2] Loc. cit.
[3] Cf. supra, sub litt. *d*.
[4] *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 18 (PL 176, 275).
[5] Cf. supra, num. 436-440.
[6] Lib. XIV, c. 26 (PL 41, 434).
[7] Cf. Avicenna, *Canon*, I, Fen. 1, doctr. 4, c. 1 et Fen. 2, doctr. 3, c. 3 (p. 21, 123).

dissolutionis, quae est pugna in agendo et patiendo, tollebatur tribus concurrentibus, scilicet aequalitate[a] mixtionis in optima proportione, et virtute lucis conciliante contraria et ad quamdam amicitiam reducente, et virtute animae continente, quae quidem virtus consequebatur ipsam animam in statu innocentiae et inerat ei per donum gratiae gratis datae. Tertia causa dissolutionis, quae quidem erat ex inclinatione elementorum ad loca sua, tollebatur propter nobilitatem formae secundum statum innocentiae, quia anima rationalis, omnino pura a peccato, adeo[b] nobilis erat quod ita terminabat appetitum naturae, ut illa, quae perficiebantur ab ea, nequaquam sub alia forma vel situ appeterent esse. Nec mirum, cum secundum ordinem naturae, ut dicit Philosophus[1], ceterae formae naturales ordinem habent ad animam rationalem sicut ad complementum et finem. Ex hac igitur causa triplici erat in Adam proprietas immortalitatis.

2. Ad illud quod obicitur quod 'a natura habuit corpus in perfecta aequalitate' etc.: dicendum[2] quod, etsi quaedam naturaliter cooperabantur illi immortalitati, ut complexio et[c] alia quaedam, forte tamen, quia a continentia animae et[d] a ligno vitae principaliter erat immortalitas illa[3], anima vero, in statu illo unita vitae suae mediante gratia gratis data, habuit ex illa unione potestatem perpetuandi vitam et participandi suo coniuncto, scilicet corpori, dicitur fuisse a gratia. Anima autem habebat a gratia, quam habuit unita vitae suae, quae erat summa immortalitas, potestatem participandi quamdam immortalitatem corpori sibi unito, quae fuit subtracta sibi in prima separatione, iuxta sententiam Domini, Gen. 2, 17: *Quacumque die comederis* etc. Similiter concessio ligni vitae ad usum fuit gratuita, quod habuit potestatem firmandi corpus stabili sanitate[4]. Unde Augustinus, *De civitate Dei,* XIII libro, 20 cap.[5]: « Alebantur aliis quae sumebant, ne animalia[e] corpora molestiae aliquid esuriendo ac sitiendo sentirent; de ligno autem vitae propterea gustabatur, ne mors eis undecumque subreperet vel senectute confecta decursis[f] temporum spatiis interirent: tamquam cetera essent alimento, illud sacramento ». Istud sacramentum fuit quantum ad hoc quod praestitit vitam corporalem, sicut Christus vitam spiritualem, qui dicitur *lignum vitae*[6]. Unde subiungitur ab Augustino[7]: « Ut sic fuisse accipiatur lignum vitae in paradiso corporali sicut in spirituali, hoc est intelligibili paradiso, Sapientia Dei, de qua scriptum est: *Lignum vitae est amplectentibus eam,* Prov. 3, 18 ».

3. Ad aliud quod sequitur, scilicet quod 'potuit stare a natura et sine gratia' etc.: dicendum quod hoc non est verum. Quod autem potuit stare fuit a gratia, non a gratum faciente, sed a gratis data: sicut enim[g] ad hoc quod proficeret, requirebatur gratia gratum faciens, sic ad hoc[h] quod staret, requirebatur gratia gratis data.

4. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'eadem[i] est potentia continuandi vitam quae est vivendi' etc.: dicendum quod sumendo potentiam passivam, verum est, non autem sumendo potentiam activam, hoc[k] est illa potentia, qua fuit in illo possibilitas ad vivendum, ipsa eadem fuit possibilitas ad continuandum vitam; non tamen effective potuit illa potentia perpetuare vitam qua potuit vivere. Nec est simile de gratia, qua est vivificatio spiritualis, et potentia, qua est vivificatio naturalis: gratia enim est forma quaedam quae non solum[l] salvatur in suo subiecto, sed perpetuatur ab influentia, quae continua est, a primo bono, nisi fiat[m] aversio ab ipso[8], et ex illa influentia illa eadem gratia, quae vivificat, consummat per perseverantiam[9]. Potentia autem in corporibus huiusmodi determinata est et limitata usque ad tempus et tunc defectiva, quantum est de natura sua. Praeterea, hoc supposito quod eadem est potentia vivendi et continuandi, non sequitur ex hoc quod illa potentia, quae est vivendi sive quae est principium vivendi et etiam[n] continuandi, quod illa potest esse perpetuatio vitae[o]: quia, ut dictum est[10], limitata est et defectibilis secundum determinationem suae periodi.

5. Ex hoc patet responsio ad aliud quod sequitur.

6. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'natura est ad hoc ut salvetur divinum esse' etc.: dicendum quod ex hoc non sequitur quod natura potest perpetuare[p] se simpliciter in hoc subiecto, quia si hoc, omnia essent natura perpetua. Intendit enim natura salvare divinum esse in subiecto proprio[q], si potest, sin autem, in consimili.

7. Ad illud quod sequitur quod 'nihil[r] fuit impellens' etc.: dicendum quod nihilominus ipsa natura creaturae talis declinabilis fuit et defectibilis. Licet enim nihil fuit in[s] illo impellens per

[a] V *secundum equalitatem* pro *s. a.* [b] Z *Ade.* [c] Ita F, alii om. [d] Z *ut.* [e] Ita F, alii *alia.* [f] V *concursus.* [g] T om. [h] Ita V, alii om. [i] V *illud.* [k] V *hec.* [l] F om. [m] V *fuit.* [n] T om. [o] V *perpetua vita* pro *p. v.* [p] T *perpetrare.* [q] F *proprie.* [r] L *ubi.* [s] Ita F, alii om.

1 Cf. *De anima,* III, c. 4 (III, 467).
2 Cf. supra, p. 420, sub *Respondeo.*
3 Cf. supra, p. 644b sq., *ad 4-6.*
4 Cf. supra, p. 641, *ad 2.*
5 PL 41, 394.
6 Cf. Beda, *Hexaëm.,* I (PL 91, 44).
7 Loc. cit.; cf. *De Gen. ad litt.,* VIII, c. 5, n. 9 (PL 34, 376).
8 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 26, a. 1, q. 4 (II, 639sqq.).
9 Cf. S. Bonav., loc. cit., q. 3 (II, 638b).
10 Cf. hic, parum supra et p. 689, *ad 1.*

violentiam sicut in natura corrupta, nihilominus fuit ibi quaedam inclinatio ad defectum, ratione qua erat creatura talis, et defecisset, nisi beneficio Conditoris fulciretur.

8. Ad hoc quod obicitur quod 'innocentia erat a natura' etc., dicendum quod innocentia dupliciter dicitur: uno modo, ut[a] dicit privationem, scilicet a culpa, et sic erat a natura et non erat causa immortalitatis; alio modo, ut dicit positionem, scilicet iustitiae originalis, et sic est causa immortalitatis, et sic non erat omnino a natura.

9. Ad id[b] quod obicitur quod 'Deus est vita animae' etc.: dicendum quod hoc verum est, et quod, nisi anima Adae[c] esset separata a sua vita, nunquam fuisset damnatus ad separationem a sua neque esset separatus, sed nihilominus a se non habuisset hanc inseparabilitatem, sed a causis supra dictis[d][1]. — Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'durante statu innocentiae anima[e] semper esset coniuncta suae vitae' etc.: dicendum quod hoc verum est, nec tamen esset illa coniunctio[f], scilicet corporis cum sua vita, a natura, sed a beneficio Conditoris naturae, similiter et immortalitas eiusdem.

10. Ad illud quod sequitur[g], quod 'illa influentia fuit naturalis': dicendum quod est quaedam influentia in creaturam rationalem, qua salvatur in esse, et haec est naturalis, secundum quod illud dicitur naturale quod est idem apud omnes, ut dicit Boethius[2]; est et alia[h] qua perpetuatur in esse immortali, et haec est gratuita. Et dico esse immortale illud quod perpetuatur ex coniunctione corporis cum sua vita, et hoc ex continentia animae coniunctae cum sua vita[3].

11. Ad illud Augustini «nihil erat corruptionis» etc.: dicendum quod hoc verum est, sumendo corruptionem proprie, secundum quod est motus a contrario agente per violentiam; fuit tamen quaedam possibilitas[i] ad declinationem ad non-esse ratione defectus creaturae talis, id est complexionatae.

12. Ad illud quod sequitur, dicendum quod eo ipso quod immortalis fuit beneficio fructus ligni vitae, fuit immortalis ex gratia, quia ex dono gratuito illi praestito a Conditore ipsius[k].

II. Ad illud quod quaeritur 'si[l] bruta animalia ex usu[m] ligni vitae possent continuare[n] vitam suam', dicendum quod non, et haec est ratio: immortalitas huiusmodi fuit conditio corporis ex coniunctione sui[o] cum suo actu sive perfectione apta nata coniungi cum summa vita, a qua fuit apta recipere influentiam qua potuit continere corpus et idem sibi unitum vivificare et in vita perpetuare. Unde haec immortalitas, praestita beneficio ligni vitae, fuit imperfecta[p] et quasi dispositio respectu illius[q] quae fuit perfecta et subsequenda in patria: perfecta enim immortalitas est non posse mori[r]. Quia ergo bruta non habent aptitudinem aliquam ad immortalitatem perfectam[4], quae est non posse mori, et haec est mediante influentia gratuita existente a prima vita, non esset perpetuata vita[s] in illis, licet fuissent potita[t] fructu ligni vitae.

CAPUT III. 493

UTRUM IMMORTALITAS INNOCENTIAE EADEM ERAT CUM IMMORTALITATE GLORIAE[5].

Sequitur inquirere I. utrum immortalitas innocentiae sit eadem cum immortalitate gloriae.

Quod sic, videtur: 1. Potentia disposita et potentia quae est necessitas non differunt in substantia sicut nec differunt secundum essentiam dispositio et habitus; sed immortalitas innocentiae et patriae non differunt nisi sicut potentia[u] disposita et potentia quae est necessitas; igitur non essentialiter differunt.

2. Item, potentia determinata et indeterminata non differunt secundum essentiam, sicut patet de angelis, quorum erat potentia indeterminata ante confirmationem, determinata post, qua non poterant nisi bonum[6], eadem tamen erat, sicut caritas viae et patriae est eadem numero, quia in patria manet caritas viae, licet eius imperfectio tollatur[7]. Cum igitur immortalitas in statu innocentiae et immortalitas in statu gloriae non differant nisi secundum determinationem et indeterminationem sive[v] mutabilitatem et immutabilitatem[x], non differunt[y] secundum substantiam.

3. Item, si immortalitas patriae non est eadem cum immortalitate innocentiae, ergo est[z] aliqua

---

[a] T *et.* [b] Ita V, alii om. [c] Z om. [d] Ita VF (corr.), alii *predictis.* [e] Z om. [f] S *coniuncta.* [g] Ita V, alii *subditur.* [h] Z *aliud.* [i] R *passibilitas,* quod F corr. [k] Ita V, alii *illius.* [l] Z *quod.* [m] V *esu.* [n] LZ add. mg. *sive perpetuare;* STFR om. *v. s.;* LZ om. *suam.* [o] Ita V, alii om. [p] LZ add. mg. *et subsequenda in patria perfecta.* [q] L *alius.* [r] F add. mg. *imperfecta posse mori;* T om. *ergo.* [s] L om. [t] Ita V et FL (correcti), S vacat, TZ *petita,* R *posita.* [u] L (corr. mg.) *possibilia.* [v] Z *et.* [x] VL om. *e. i.* [y] F (corr.) *different.* [z] V om.

1 Cf. supra, *ad 1-2.*

2 Cf. *De consol. philos.,* III, pr. 4 et IV, pr. 2 (PL 63, 757, 792 sq.).

3 Cf. supra, p. 690a, *ad 2.*

4 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 19, a. 1, q. 2 (II, 461 sqq.).

5 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 19, c. 6 (p. 396 sq.); Guil. Altissiod., *Summa,* II, tr. 10, c. 2, quaestio incid. (f. 66a); S. Bonav., II *Sent.,* d. 19, a. 3, q. 2 (II, 471 sqq.).

6 Cf. supra, num. 156.

7 Cf. S. Bonav., III *Sent.,* d. 31, a. 3, q. 1 (III, 688).

potentia nova creata a Deo post opera sex dierum; ergo non cessavit *Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat;* cuius contrarium dicitur Gen. 2,2.

4. Item, mortalitas ante lapsum et mortalitas post lapsum non differunt in substantia; sed ante lapsum erat mortalitas solum potentia ad moriendum, post potentia quae est necessitas; quare [a] simpliciter potentia ad non moriendum et potentia quae est necessitas ad non moriendum similiter erunt indifferentes [b] secundum substantiam.

5. Item, idem est liberum arbitrium viae et patriae [1], licet homo primo possit peccare, non secundo; similiter videtur de immortalitate.

6. Item, immortalitas in via est potentia quaedam vivendi, in patria est potentia semper vivendi; haec autem est eadem.

7. Item, Augustinus, *De vera religione* [2]: « Per Christum recuperabimus quod perdidimus in Adam »; in Adam autem perdidimus immortalitatem viae, in Christo autem recuperabimus immortalitatem patriae; ergo eadem est immortalitas [c] viae et patriae.

8. Item, si homo stetisset, transferretur ad immortalitatem gloriae, ita quod nullius [d] proprietatis nobilis in eo fieret deperditio; ergo, cum immortalitas in homine primo erat nobilis conditionis, non fuisset in illo illius conditionis deperditio in illa translatione; ergo duae immortalitates simul essent in eo, si [e] alia est immortalitas viae et alia patriae.

9. Item, si stetisset primus homo, eadem fuisset vita illius, scilicet [f] in via et in [g] gloria, quia una et continua [h]: unum enim continuum dicit modum unius simpliciter; cum ergo immortalitas innocentiae et immortalitas gloriae sint propriae conditiones sive proprietates vitae talis et talis, immortalitas haec et illa erunt eadem.

Contra: *a.* Immortalitas viae est vel a natura vel a gratia gratis data, illa quae est gloriae a gratia gratum faciente; igitur sunt a diversis causis; quare et ipsa diversa.

b. Item, non est [i] idem corruptibile et incorruptibile; sed illa quae est viae potest non esse, quae est gloriae non potest non esse; ergo non sunt eadem [k].

c. Item, non est horum solum differentia quae est inter potentiam simpliciter et illam quae est necessitas, cum [l] illa quae est viae corrupta sit [m] et annihilata per peccatum: quando enim potentia simpliciter fit [n] potentia quae est necessitas, necesse est ut maneat et stabiliatur in esse necessario.

d. Item, immortalitas gloriae est dos, viae autem donum.

e. Item, immortalitas gloriae privat omnem potentiam moriendi, alia non.

f. Item, Augustinus [3]: « Alia est immortalitas carnis quam in Adam accepimus, alia est quam [o] per Christum in resurrectione speramus; ille enim factus est immortalis, ut posset non mori, si non peccaret; filii resurrectionis nec ultra poterunt peccare nec mori ».

g. Item, non est transitus ab eodem ad idem [4]; sed transitus erit [p] ab immortalitate viae ad immortalitatem patriae; ergo etc.

h. Item, II *Sententiarum*, dist. 19 [5]: « Aliud est non posse mori et aliud posse non mori [q] »; sed non posse mori idem est quod immortalitas patriae, posse non mori immortalitas viae; ergo etc.

i. Item, immortalitas viae et immortalitas patriae status vitae distinguunt et diversificant; sed constat quod status isti [r] sunt diversi; igitur et immortalitas haec et illa diversae sunt.

II. Item [6], ratione huius quaeritur si potentia non moriendi ex toto sublata sit, ita quod non remaneat potentia, aut remaneat, sed non ad hunc actum, scilicet non moriendi.

Quod autem [s] non auferatur, videtur *a.* per hoc quod potentiae naturales non auferuntur.

b. Item, non creantur novae potentiae in specie: quievit enim Dominus post opera sex dierum a creatione quantum ad species et genera [7]; igitur mansit potentia, sed non ad hoc.

Quaeritur igitur si secundum illam contingit [t] dici in via: 'iste poterit non mori necessario in patria'.

Et hoc videtur, cum non sit nova potentia superinducta, qua homo dicitur immortalis immortalitate patriae.

Contra: 1. Non videtur posse dici in patria: 'iste habet potentiam qua necesse habuit mori in via', quia omnis potentia quam habebat, in patria erit sub necessitate contrarii; igitur nec in via poterit dici: 'iste habet potentiam qua [u] nunquam poterit mori in patria'.

2. Praeterea, nonne spoliatus fuit homo prima immortalitate?

---

[a] V *ergo.* [b] Ita V, alii *indifferentia.* [c] Codd. *mortalitas.* [d] V *nullus.* [e] Codd. *sed.* [f] V om. [g] Ita V, alii om. [h] L add. *unde.* [i] T om. [k] Ita V, alii om. *e. n. s. e.* [l] Ita VF (corr.), alii *et.* [m] Ita V, alii *est.* [n] Ita VF, alii *sit.* [o] Ita VF (corr.), alii *qua.* [p] Ita V, alii *erat;* L om. *ab.* [q] L om. *e. a. p. n. m.* [r] V *illi.* [s] STRL om. [t] F (corr.) *contingat.* [u] Ita VF (corr.), alii *quia.*

1 Cf. supra, num. 405.

2 Cf. c. 7, n. 13; c. 12, n. 25; c. 16, n. 30; c. 23, n. 44; c. 46, n. 88 (PL 34, 128sqq.); *De Gen. ad litt.*, VI, c. 24, n. 35 (PL 34, 353sq.).

3 Cf. *De Gen. ad litt.*, III, c. 21 et VI, c. 24, n. 35 (PL 34, 293, 353); fere verbotenus apud Bedam, *Hexaëm.*, I (PL 91, 60); Lombard., II *Sent.*, d. 19, c. 6 (p. 396).

4 Cf. Aristot., *Phys.*, VI, c. 1 (II, 318).

5 Cap. 1 (p. 393).

6 Varia sequentium usque ad *Respondeo* inclusive verbotenus occurrunt apud Philip. Grev., *Summa*, II (f. 62ab).

7 Cf. supra, num. 258 et 306, I.

Respondeo: I. Quidam[1] dicunt quod eadem est potentia secundum substantiam, differens secundum maiorem appropinquationem ad suum actum sive ad[a] finem. Unde potentia, quae primo fuit moriendi et non moriendi indeterminate, post erat per peccatum determinata ad unum, ut scilicet ad moriendum, et haec eadem per meritum gratiae et praemium supervenientis gloriae erit in patria determinata ad vivendum. Et ita immortalitas in statu innocentiae et immortalitas in statu gloriae eadem potentia sunt secundum substantiam. Et loquor de iis prout nomine potentiae censentur, sicut rationalitas, non per[b] modum habitus.

[Ad obiecta]: *a.* Ad id[c] quod obicitur quod 'haec[d] est a gratia' etc., dicendum: per hoc quod dicitur quod 'haec[e] est a gratia gratis data, illa' etc., non dicitur aliqua diversitas quantum ad essentiam potentiae, sed dispositionis. Quod enim additur 'ipsi potentiae esse a gratia tali vel tali', essentiam non dicit, sed dispositionem; immortalitas autem dicit ipsam potentiam[f] praeter concretionem ad necessitatem vel non necessitatem; unde non nominat ipsam dispositionem, sed ipsam potentiam.

b. Ad id[g] quod obicitur quod 'non est idem corruptibile' etc.: dicendum quod non est verum, habito respectu ad subiectum corruptibilitatis et incorruptibilitatis, quia[h] idem in essentia secundum status diversos potest esse corruptibile et incorruptibile, sicut idem in essentia facile mobile et difficile mobile; quod enim est facile mobile in prima conceptione in anima, post efficitur difficile mobile per continuationem.

c. Ad illud quod obicitur quod 'illa, quae est[i] viae, corrupta est per peccatum; unde non est differentia ibi solum quae est potentiae simpliciter ad illam quae est ut necessitas': dicendum quod per peccatum non fuit corrupta potentia immortalitatis, nisi ut erat ad actum; unde manebat ipsa potentia, sed non cum[k] inclinatione ad actum: unde corruptio erat habitus, non potentiae.

e. Ad aliud quod obicitur quod 'immortalitas gloriae privat' etc.: dicendum quod haec privatio sive potentia privandi vel non privandi non[l] causatur ex diversitate ipsius primae potentiae, sed ex diversis dispositionibus superadditis, quae sunt gratia et gloria.

f. Quod autem dicit Augustinus: «Alia est immortalitas carnis» etc., hoc retorquendum est ad alietatem status diversificati per dispositiones additas ipsi potentiae mediante gratia perfecta et gratia imperfecta, non autem ad alietatem ipsius primae possibilitatis[2]. Unde ibi est discontinuatio[m] statuum, quia quod erat potentia in statu innocentiae, scilicet mortalitas sive potentia moriendi, factum est necessitas in statu peccati. Similiter est ex parte immortalitatis.

d. Ad aliud dicendum quod idem potest esse donum et dos, quia donum dicitur respectu dantis, dos respectu sponsi dantis, secundum quod sponsus est[n].

g. Ad id[o] quod obicitur quod 'non est transitus ab eodem in idem': dicendum quod transitus iste, qui est ab immortalitate innocentiae ad illam quae est gloriae, est per diversitatem statuum, quia est transitus a statu in statum. Unde, sicut quod proficit in moribus proficiendo a vita imperfecta ad vitam perfectam, non dicitur habuisse aliam et aliam vitam, sed eamdem, propter vitae unitatem et continuitatem, licet alium et alium statum vitae, sic est in proposito.

h. Ad illud quod obicitur quod «aliud est posse non mori» etc.: dicendum quod, cum dicitur 'posse non mori et non posse mori', licet habilitas potentiae sit alia et alia respectu actus qui est terminus potentiae, quia in una notatur habilitas quae est facilitas sive possibilitas, in alia quae est[p] impossibilitas ad moriendum, non tamen est potentia alia et alia.

i. Ad aliud quod obicitur quod 'immortalitas viae et patriae status vitae distinguunt' etc.: dicendum quod hoc est verum, sed hoc est propter ipsam dispositionem additam potentiae, non quia ipsa potentia prima variatur.

II. Ex iis patet quo modo respondendum est[q] ad illud quod quaeritur postea, utrum sublata fuit ex toto potentia non moriendi, quia dicendum quod non, sed solum in quantum erat habitus sive actus huiusmodi.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud[3] quod obicitur quod 'non poterit vere dici in patria: iste habet potentiam qua necesse habuit mori in via' etc.: dicendum quod hoc est falsum, quia hoc quod dico 'necessitas, non necessitas' modos dicunt potentiae sive dispositiones, non substantiam potentiae. Sic videtur posse dici ad illa quae tacta sunt.

Quia tamen alia est ratio essentiae et alia potentiae et alia potentiae[r] habitualis, quia essentia absolute dicta est, potentia addit supra essentiam relationem sive inclinationem ad finem vel actum, similiter potentia habitualis super utrumque, aliter

---

[a] V om. [b] L om. [c] Ita V, alii om. [d] V *hoc*. [e] V *hoc*. [f] R add. *ipsam*. [g] Ita V, alii om. [h] Ita VF (corr.), Z *vel*, alii *quod*; S om. *e. i.* [i] LZ add. *vita*. [k] Ita F (mg.), S om. *s. n. c.*, alii om. *s. n.* [l] T om. [m] Z *continuatio*. [n] S om. [o] Ita V, T *aliud*, alii om. [p] T om. [q] Ita V, alii om. [r] VS om. *e. a. p.*

[1] Cf. Guil. Altissiod., loc. cit., p. 691, nota 5; Philip. Grev., *Summa*, II (f. 62b).

[2] Cf. Philip. Grev., loc. cit.

[3] Cf. supra, p. 692b.

videtur dicendum. Licet enim omnis potentia sit essentia quaedam, tamen alia est ratio potentiae et alia essentiae. Unde sic ponere quod eadem est potentia primo moriendi et non moriendi, post eadem in substantia [a] necessario moriendi, post eadem necessario [b] non moriendi, nihil aliud est quam ponere hoc subiectum primo receptibile mortis et vitae indifferenter et post receptibile mortis necessario secundum eamdem possibilitatem recipiendi, quae in substantia non mutatur [c], et tandem necessario non receptibile mortis, sed vitae continuae [d]. Ecce quod ad haec omnia erat possibilitas in subiecto hoc eodem in substantia, modus tamen sive habitus inclinans ad hoc vel [e] ad illud variatur, quia primo erat potentia ad mori et non mori, secundo per peccatum facta est necessaria ad mori, deinde per gratiam ad non mori: unde de indeterminata facta est determinata per additam necessitatem [1]. Praeterea, eodem modo potentia non moriendi, prius indeterminata, facta est determinata ad necessario non mori. Unde qui considerat horum diversas inclinationes ad actus diversos, mediantibus modorum mutationibus sive habitibus, proprie loquendo, dicere potest quod altera est potentia haec et illa. Considerando igitur essentiam potentiae sive subiectum, dicetur eadem; considerando potentiam in ratione potentiae, alia est et alia, et non solum ratione, sed natura, secundum quod alia est [f] natura bene instituta et alia corrupta et alia glorificata. Distinguantur ergo tres potentiae, ut prima dicatur immortalitas incompleta — et patet quod incompleta, ex hoc quod compatiebatur secum potentiam moriendi — secunda dicatur mortalitas [g], tertia dicatur immortalitas completa, quae est necessaria ad actum sive quae habet secum actum suum necessario. Distinguendum autem quod immortalitas dicitur duobus modis [2], scilicet positive: et sic idem est quod potentia vivendi et sic comprehendit illam quae est viae et patriae; et privative, et sic dupliciter, quia aut privatur necessitas moriendi: et haec privatio fuit in Adam in primo statu; aut privatur potentia moriendi: et haec est modo in Adam. Et haec ultima continetur sub priore sicut species sub genere: sicut [h] enim potentia genus est [i] ad potentiam quae est necessitas, sic negatio potentiae quae est necessitas [k], superius est [l] negatione potentiae simpliciter.

[Ad obiecta] [3]: 1-2. Ad illud ergo quod obicitur quod 'immortalitas innocentiae et patriae differunt sicut dispositio et habitus, similiter sicut potentia disposita et potentia quae est necessitas, similiter per determinatum et indeterminatum': dicendum quod non est verum quoniam [m] tantum sic differunt, immo est ibi differentia essentialis, sicut essentialiter vita animalis differt a spirituali. Cum enim immortalitas positive dicatur potentia vivendi, vita autem est duplex, scilicet animalis et spiritualis, et potentia relata diversimode ad hanc vitam duplicem duplicabitur, et loquor de ipsa in quantum [n] est in ratione potentiae, ut tactum est [4]. Similiter secundum quod privative dicitur, alia erit essentialiter haec ab illa sicut completum ab incompleto, secundum quod dici solet quod essentia generis est incompleta, speciei completa. Unde [o], sicut est alia albedo intensa et [p] remissa secundum essentiam, et hoc propter maiorem et minorem lucis participationem, similiter sicut aliud est concretum ex hac essentia et hoc habitu naturali vel acquisito et aliud concretum ex eadem essentia et habitu contrario naturali vel acquisito, dico [q] per se loquendo, sicut aliud dicitur hoc album ab hoc nigro, eodem demonstrato in subiecto, vel hoc sciens ab hoc ignorante vel virtuosum ab hoc malitioso, eodem semper in subiecto demonstrato, secundum illud [5]: *Verte impium et non erit:* sic dico aliud esse immortalitatem innocentiae et patriae. Hoc etiam patet per hoc quod immortalitas non est potentia simpliciter, sed vel habitus vel potentia habitualis. Per quod patet quod alia et alia est, secundum quod alio habitu et alio [r] informatur. Unde, cum alius sit habitus qui est necessitas et alius qui est possibilitas, et alia erit immortalitas concernens necessitatem et alia concernens [s] possibilitatem. Patet igitur quod non est etiam [t] simile de illis quae solum habent rationem potentiae, ut de potentia angeli ante confirmationem et post, et de immortalitate [u] innocentiae et patriae. Hoc autem patet ex auctoritate dicente [6]: « Alia est immortalitas carnis quam in Adam accepimus [v], alia est quam per Christum in resurrectione speramus; ille enim est factus immortalis, ut posset non mori, si non peccaret, moreretur autem, si peccaret; filii vero resurrectionis nec ultra poterunt peccare nec mori ».

3. Ad illud quod obicitur quod 'non creavit Dominus aliquam potentiam novam post opera sex dierum': dicendum quod verum est, cuius antea non erat similitudo.

---

[a] S om. *i. s.* [b] LZ om. *m. p. e. n.* [c] T *imitari.* [d] VL *continentie,* quod F corr. [e] T *sive.* [f] L add. *a,* quod F exp. [g] L *immortalitas.* [h] L *si.* [i] R om. [k] L om. *sic... necessitas.* [l] T *cum.* [m] F (corr.) *quod.* [n] R *qua;* T om. *est.* [o] Ita F (corr.), alii *vel.* [p] T *vel.* [q] Z om. [r] V om. *e. a.* [s] V om. *n. e. a. c.* [t] V om. [u] FZ *mortalitate.* [v] S *concepimus.*

1 Cf. supra, sub *Respondeo.*
2 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 19, dub. 2 (II, 473sq.).
3 Respondetur ad obiecta 1-9, p. 691sq.
4 Cf. supra, sub p. 694a.
5 Prov. 12, 7.
6 Cf. supra, p. 692, sub litt. *f.*

4. Ad aliud quod obicitur quod 'mortalitas ante peccatum et post peccatum non differunt': dicendum quod, proprie loquendo, prout mortalitas cum essentia potentiae habitum concernit, quia haec dicit possibilitatem ad moriendum, illa necessitatem [a], haec non est illa.

5. Similiter dicendum [1] ad aliud quod sequitur, quod, licet [b] liberum arbitrium, in quantum dicit essentiam quamdam, sit eadem in via [c] et in patria, tamen, in quantum nominat potentiam cum [d] concretione habitus sive aptitudinis, non est [e] eadem ratione praetacta [2].

6. Ad illud quod obicitur quod 'immortalitas in via est potentia quaedam vivendi' etc.: dicendum quod immortalitas innocentiae non dicit solummodo potentiam, sed concernit habitum, et hoc cum possibilitate ad contrarium. Immortalitas enim innocentiae cum hoc quod dicit habitum sive aptitudinem [f] facilitatis ad actum perpetuum vivendi, dicit possibilitatem ad moriendum, immortalitas [g] in patria dicit habitum sive aptitudinem necessitatis ad actum perpetuum vivendi cum impossibilitate ad moriendum. Unde, ut dictum est [3], prout immortalitas dicit potentiam habitualem, haec non est illa.

7. Ad illud Augustini «per Christum recuperabimus quod» etc.: dicendum quod per hoc nomen «quod» notatur simplex relatio. Nec argumentum valet 'quod perdidimus in Adam, recuperabimus per Christum, in Adam perdidimus immortalitatem innocentiae, ergo' etc.: est enim ibi [h] commutatio praedicamenti. Praeterea, cum dicitur 'recuperabimus per Christum', hoc non dicitur quia illud idem recuperabimus [i], sed quia damnum, quod incurrimus ex peccato [k] Adae, recompensabitur maiori bono et meliori per Christum.

8. Ad aliud dicendum [l] quod in translatione ad gloriam non fuisset deperditio alicuius nobilis proprietatis, ratione qua est proprietas [m] nobilis, sed ratione defectus coimportati [n]; immortalitas autem in statu innocentiae, in quantum concernebat possibilitatem ad moriendum, connotabat defectum. Unde, sicut in translatione animae a statu viatoris ad statum comprehensoris nulla fit deperditio nobilis conditionis, nihilominus fides evacuatur, sic est in proposito.

9. Ad aliud dicendum quod, licet vita [o] naturae sive ut est naturalis una fuisset quodam modo, quia in gloria non esset omnino sublata [p] vita naturae, sed perfecta et completa, non tamen ut esset mortalis [q], proprie loquendo, immo fuisset mutatio vitae secundum mutationem status, iuxta modum proprium loquendi, secundum quem aliquis dicitur mutare vitam, quia [r] transfert se ad frugem vitae melioris.

CAPUT IV. 494

UTRUM MORTALITAS ET IMMORTALITAS EIUSDEM ERANT POTENTIAE IN ADAM [4].

Sequitur inquirere utrum mortalitas et immortalitas [s] eiusdem erant potentiae in Adam.

Quod sic, videtur 1. per simile in aliis de naturali potentia, ut in aëre, condensandi et rarefiendi sive condensationis et rarefactionis sive rarefiendi et non rarefiendi; similiter in aqua, calefactionis et non calefactionis, passive dico, similiter de aliis; similiter videtur de potentia activa, ut istius currendi et non currendi, extendendi se et retrahendi; ergo videtur quod et de activis et passivis verum sit quod una est potentia contrariorum; igitur ita erit in proposito.

2. Item, vita et mors corporalis proportionaliter se habent ad vitam et mortem animae; sed in anima est eadem potentia vitae et mortis, quoniam bene faciendi et male faciendi.

3. Praeterea, eadem est potentia ad vitam gratiae et privationem vitae; quare videtur quod una erit potentia in corpore aut coniuncto mortalitatis et immortalitatis sive moriendi et non moriendi.

4. Item, mortalitas et immortalitas [t] privative opponuntur sicut mors et vita; sed privative oppositorum eadem est potentia, quia privatio provenit ex defectu alicuius potentiae agentis usque ad tempus et tunc deficientis.

5. Item, per peccatum facta fuit necessitas moriendi in Adam; sed constat quod illa necessitas advenit alicui potentiae, non autem ante adventum illum infuit illi potentiae necessitas moriendi; igitur illa potentia fuit oppositorum.

6. Item, potentia moriendi in Adam aut erat ad opposita, et si hoc, habeo propositum, scilicet quod eadem est potentia oppositorum, scilicet

---

[a] T om. *i. n.* [b] T add. *non est eadem.* [c] S *illa.* [d] Z *in.* [e] T om. [f] R *habitudinem.* [g] V *mortalitas.* [h] R om. [i] R om. *per... recuperabimus.* [k] Z *per peccatum* pro *e. p.* [l] V om. [m] Z om. *ratione... proprietas.* [n] Ita F (corr.), alii *comportati.* [o] Z *vite.* [p] Z *superlata.* [q] Codd. *moralis.* [r] F (corr.) *quin.* [s] S om. *e. i.* [t] ST om. *e. i.*

1 Cf. supra, num. 405.
2 Cf. supra, *ad 1-2.*
3 Cf. supra, *ad 1-2.*
4 Cf. Philip. Grev., *Summa,* II (f. 61c), pro argumentis 1-4, *b-c;* S. Bonav., II *Sent.,* d. 19, a. 3, q. 2, *ad 5* et dub. 2 (II, 473).

moriendi et non moriendi; aut ad[a] unum tantum, et si hoc, necesse fuit illum mori sicut necesse est caelum moveri[b].

Contra[c]: *a.* Potentia moriendi erat naturalis potentia[d], potentia non moriendi naturalis impotentia[e]; igitur, si haec eiusdem potentiae sunt, eadem[f] potentia est naturaliter potens et naturaliter impotens.

b. Item, non est eadem potentia sanativitatis et aegrotativitatis, et ita de aliis huiusmodi; igitur nec mortalitatis et immortalitatis[g].

c. Item, mortalitatis et immortalitatis causae sunt contrariae. Mortalitatis enim causa est compositio ex contrariis ut contrariis, id est ad invicem repugnantibus: propter enim huiusmodi repugnantiam consequitur compositi dissolutio naturaliter et ad hoc separatio animae immortalis a corpore; causa autem immortalitatis erat ex gratia, ut dicamus causam extrinsecam[1], vel ex coniunctione corporis cum anima non separata a summa vita; sed potentia moriendi est illius proprie quae est receptibilis dissolutionis, potentia non[h] moriendi illius quae est susceptibilis inseparabilitatis[i] animae coniunctae cum sua vita et corporis, scilicet[k] coniuncti. Unde potentia moriendi est ipsius corporis, non moriendi, coniuncti; igitur est alia et alia, proprie et[l] per se loquendo: immortalitas enim determinat sibi et corpus et animam ut cuius est, mortalitas corpus tantum, ut videtur.

Respondeo[2]: Est considerare potentiam in triplici differentia. Est enim potentia[m] nuda sive prima, est et potentia disposita, est et potentia quae est necessitas. Hanc triplicem differentiam est considerare circa potentiam immortalitatis et mortalitatis[n]. Potentia autem materialis sive prima, qua aliquis dicitur immortalis, est potentia vivendi vita rationali[3]. Potentia disposita est potentia vivendi[o] vita rationali, concurrentibus aequalitate mixtionis in optima harmonia et[p] virtute caelesti reconciliante contraria et conservante in quadam amicitia, sufficientia ex parte alimenti stabilientis et conservantis ipsum alendum ne patiatur[q] dissolutionem, et virtute[r] ex parte spiritus rationalis contentiva corporis sibi uniti[4]. Potentia autem[s] quae est necessitas est potentia vivendi habens aequalitatem indissolubilem ex parte corporis et virtutem contentivam immutabiliter stabilitam ex parte spiritus rationalis. Per hunc etiam modum intelligatur ex parte mortalitatis, quia potentia prima est potentia vivendi; secunda, quae est disposita, est facilitas dissolutionis ex parte corporis et facilitas separationis ex parte formae vivificantis; potentia vero quae est necessitas est facilitas dissolutionis cum intrinseca pugna ex parte corporis et defectu virtutis regentis sive continentis ex parte formae perficientis. Si igitur has potentias comparemus, inveniemus potentiam primam, quae dicit potentiam nudam, esse unam, potentiam vero[a] dispositam et quae est effecta necessitas differre sicut differt potentia et defectus sibi oppositus: nam immortalitas dicit potentiam vivendi cum virtute in perpetuum continuandi vitam, sed mortalitas dicit potentiam vivendi cum privatione illius. Et sic quodam modo potentia mortalitatis et immortalitatis in Adam erant una potentia, quodam etiam[b] modo diversae. Potentia ergo mortalitatis et immortalitatis, scilicet 'in qua', sic sumpta, est eadem, sic sumpta[c], nequaquam. Potentia enim vivendi est potentia mortalitatis ut in qua, quia potest deficere, et immortalitas similiter, quia potest perpetuari. Potentia autem 'a qua' non est eadem, quia potentia a qua est immortalitas, est[d] virtus animae continentis recipientis influentiam a sua vita, id est Deo, a qua est illi virtus ista, et virtus cibi lignorum paradisi et principaliter ligni vitae, a quo poterat stabiliri contra defectum senectae et dissolutionis cum aliis supra tactis[5]. Potentia autem a qua est mortalitas[e] — si potentia debeat dici et non magis defectus potentiae — fuit defectibilitas et dissolubilitas naturae illius in quantum huiusmodi, propter quae indiguit alimoniis fructuum paradisi. Unde Augustinus, *De Baptismo parvulorum*[6]: « Habebat Adam[f] de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, de ligno vitae stabilitatem contra vetustatem ». Ex quo patet quod alia fuit potentia a qua mortalitatis et immortalitatis; potentia autem in qua una consideratione eadem, alia consideratione[g] diversa, ut dictum est[7].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur 'per simile[h] de naturali potentia, quia in aëre est eadem potentia[i] condensationis et rarefactionis' etc.: dicendum quod hoc verum est de potentia passiva remota, quia propinqua quodam modo est diversa. Aer enim, existens in eadem dispositione, non rarefit[k] et condensatur, sed differentes recipit dispositiones secundum quod

---

[a] T om. [b] T om. *s. n. e. c. m.* [c] V *respondeo.* [d] L om., alii *impotentia.* [e] Codd. *potentia.* [f] T *ea.* [g] Ita F (corr.), alii *mortalitas et immortalitas* pro *m. e. i.* [h] R *vero.* [i] LZ *inseparabilis,* quod FR corr. [k] F *id est.* [l] L om. [m] T om. [n] V om. *e. m.* [o] Z add. mg. *cum.* [p] Ita F (interl.), alii om. [q] Z add. *ad.* [r] Codd. *virtus.* [s] T om.
[a] V *nec.* [b] R om. [c] S om. *e. e. s. s.* [d] Ita F (corr.), alii *et.* [e] Z *immortalitas.* [f] T om. [g] T om. *e. a. c.* [h] V *quod si vivere* pro *p. s.* [i] L om. *quia... potentia.* [k] Ita V, alii *rarescit;* R *ut* pro *et.*

1 Cf. supra, num. 492.
2 Cf. Odo Rigald., II *Sent.*, d. 20 (cod. Brug. 208, fol. 148v).
3 Cf. supra, num. 477.
4 Cf. supra, p. 690a.
5 Cf. supra, p. 689, *ad 1.*
6 Lib. I, c. 3 (PL 44, 111).
7 Cf. hic, parum supra.

recipit diversas immutationes[a] a calido agente et frigido, hoc quidem dissolvente et subtiliante, illo vero congregante et partes magis consertas efficiente. — Ad[b] simile quod inducit in activis, ut in potentia currendi et non[c] currendi etc.: dicendum[1] quod non est simile in effectivis voluntariis et in aliis. Utraque enim potentia, scilicet currendi et non currendi, est potentia voluntaria; unde sunt ab uno eodemque principio: principium enim voluntarium indifferenter est in opposita. Unde non est simile in voluntariis potentiis et operibus quae ex eis sunt et in aliis, cuiusmodi sunt posse mori, non posse mori[d] vel posse non mori.

2. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'vitae et mortis spiritualis sive animae est eadem potentia' etc.: dicendum quod, licet in anima sit eadem potentia bene operandi et male — eadem enim potentia, scilicet voluntate sive libero arbitrio, fuit bona et mala — non tamen est eadem potentia effectiva vitae spiritualis et mortis: nam vita est a Deo, mors a nobis. Licet ergo eadem sit potentia bene operandi et male, non tamen est eadem potentia effectiva vitae et mortis. Praeterea, si daretur quod eadem esset potentia vitae spiritualis et mortis, quia eadem est potentia bene operandi et male, non tamen sequeretur ex hoc quod eadem esset potentia mortalitatis et immortalitatis ipsius corporis, quia ex parte corporis non est principium effectivum neque coeffectivum[e] sive cooperativum vitae corporalis, sicut est ex parte animae vitae spiritualis. Quantum autem ad aliquid est[f] simile: nam sicut nec mortalitas et immortalitas[g] ab eadem potentia, licet in eadem, similiter[h] nec mors et vita ab eadem — nam haec a libero arbitrio, illa autem a Deo — idem tamen est principium sive potentia susceptibilis utriusque, scilicet vitae et mortis spiritualis, ut voluntas aut liberum arbitrium[2].

3. Ad illud quod sequitur, scilicet[i] quod 'eadem est potentia ad vitam gratiae et privationem' etc.: dicendum quod hoc verum est de potentia susceptiva sive in qua, non autem de[k] effectiva sive a qua.

4. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'eadem est potentia oppositorum privative' etc., patet responsio, quia eadem est susceptiva sive in qua, non a qua sive effectiva, nisi forte dicatur quod ipsa, ut est defectiva, est effectiva.

5. Ad aliud[l] quod sequitur, similiter patet responsio, quia necessitas moriendi advenit potentiae in qua sive susceptivae[m] immortalitatis, non autem effectivae sive potentiae a qua.

6. Similiter patet responsio ad aliud quod sequitur, quia potentia susceptiva sive in qua fuit ad opposita sive respectu oppositorum, non illa quae fuit effectiva.

Ad illa quae obiciuntur pro alia parte, quibus videtur ostendi quod nullo modo est eadem potentia mortalitatis et immortalitatis, respondendum est.

a. Et primo ad illud quod obicitur quod 'potentia moriendi est[n] naturalis potentia' etc.: dicendum quod potentia naturalis, sumpta nomine extenso, se habet in triplici differentia. Quaedam enim se habet in quadam aequalitate et indifferentia ad opposita, et hoc tam in activis quam passivis: in activis, ut est potentia extendendi se vel non extendendi, ambulandi vel non ambulandi[o]; in passivis, ut est potentia rarefiendi vel condensandi. Quaedam autem magis se habet ad unum quam ad alterum: et hoc potest esse dupliciter, quia aut forma vincit[p] supra materiam, et tunc magis se habet ad agendum quam ad patiendum, et tunc est facilis ad agendum et difficilis ad patiendum, et dicitur potentia naturalis; aut materia vincit supra formam, et tunc est facilis ad patiendum et difficilis ad agendum et dicitur naturalis impotentia. Quaedam autem quae est tantum ad unum, ut in homine rationalitas, quae est tantum ad ratiocinari. Potentia naturalis, prout sumitur primo modo et tertio, non sumitur eo[q] modo quo dicitur naturalis potentia in praedicamentis[3], sed prout sumitur[r] medio modo. Unde potentia moriendi et non moriendi[s], id est potentia susceptiva vitae perpetuae vel non perpetuae, non dicitur potentia naturalis secundum modum secundum, sed, si debeat[t] ad aliquem modum reduci, debet reduci ad primum, quia sicut[u] potentia, quae est extendendi se et non extendendi, quadam facilitate et quasi indifferenti potest exire in utrumque actum, et sicut potentia, quae erat rarefiendi et condensandi, in quadam facilitate est[v] respectu utriusque, similiter potentia, quae erat vivendi et moriendi sive vivendi perpetuo et vivendi non perpetuo[x], fuit in quadam facilitate ad susceptionem utriusque. Potentia ergo mortalitatis et immortalitatis reducitur ad primum modum, non ad secundum, ut patet ex dictis[4]; neque ad tertium; in quo enim[y] subiecto est potentia ultimo modo sumpta, non potest esse oppositum illius: ut in quo est rationalitas, non potest esse irrationalitas; sed in quo est potentia medio modo sumpta, potest esse eius oppositum,

---

[a] R *mutationes*. [b] Z add. *illud quod*. [c] F add. *in*. [d] L om. *n. p. m.* [e] S om. *n. c.* [f] T *esse*. [g] S om. *e. l.* [h] V *sint*. [i] R om. [k] Ita V, alii om. [l] FL *illud*. [m] T *susceptione*; RZ *sine susceptione* pro *s. s.* [n] V om. *et primo... est*. [o] S om. *v. n. a.*; F (corr.) RL *et* pro *vel*. [p] V *vivet*. [q] T *eodem*. [r] V *dicitur*. [s] S om. *e. n. m.* [t] V *debet*. [u] Z *sic*. [v] Ita F, alii om. [x] T om. *e. v. n. p.* [y] Ita F (corr.), alii *scilicet*; V *respondeo* pro *neque*.

1 Cf. supra, num. 410-414.
2 Cf. supra, num. 397.
3 Cf. Aristot., *De categ.*, c. 6 (l, 13).
4 Cf. supra, p. 696, sub *Respondeo*.

sed non simul cum illa; sed in quo est potentia [a] primo modo sumpta, huius est et simul potentia oppositi, quia una est huius et eius oppositi.

b. Ad aliud patet responsio ex dictis, quia, licet sanativitatis et aegrotativitatis non sit eadem potentia — sanativum enim et aegrotativum comprehenduntur sub illo genere qualitatis quod est naturalis potentia et impotentia — non propter hoc sequitur quod mortalitatis et immortalitatis [b] non sit eadem. Ut enim tactum est [1], potentia susceptiva vitae perpetuae in primo homine non fuit potentia naturalis neque potentia susceptiva vitae non perpetuae fuit potentia innaturalis, eo modo quo potentia naturalis et innaturalis determinata sunt in genere praedicamenti qualitatis.

c. Ad ultimum similiter patet responsio, quia, sicut tactum est [2], potentia a qua est immortalitas est alia ab illa a qua est mortalitas, et hoc concludit argumentum praedictum; potentia autem 'in qua' est tamen eadem, ut [c] est prima sive indisposita.

Ad maiorem evidentiam aliquorum praedictorum notandum quod immortalitas non est nomen passionis, quia passiones vicissitudinariae sunt, neque potentiae simpliciter — potentiae enim non tolluntur — sed est nomen habitus sive potentiae habitualis et est proprie ipsius coniuncti, quia, cum vita sit coniuncti, et immortalitas, quae dicit vitae continuationem sive perpetuitatem, erit coniuncti [3]; similiter et mortalitas, quia mortalitas et immortalitas non solum nominant potentias, sed, cum potentiis habitus concernunt, non tenent regulam consequentiae potentiarum. Unde, etsi concedi possit aliquo modo quod erat in Adam potentia moriendi et non moriendi eadem, ut tactum est [4], non tamen sequitur quod mortalitas et immortalitas idem. Similiter non [d] sequitur 'idem fuit [e] potens mori et potens non mori vel [f] non potens mori, ergo eadem fuit potentia moriendi et non moriendi', simpliciter dico, id est sine distinctione, quia alia est ratio potentiae et essentiae et alia potentiae [g] habitualis et potentiae simpliciter.

QUAESTIO II.

DE PROLIS PROPAGATIONE.

Determinato de passibilitate [h] humanae naturae ante casum, sequitur de prolis propagatione.

Primo ergo quaeritur de modo sive de via propagandi, id est de coitu primorum parentum;

secundo, de ipsa prole propagata.

MEMBRUM I.

De modo propagationis.

Circa primum quaeruntur quatuor:

Primum est si in statu innocentiae poterat esse seminis decisio;

secundum [i], si in decisione huiusmodi fuisset libidinosa vel saltem intensa delectatio;

tertium [k], si solum causa prolis habendae fuisset maris et feminae commixtio;

quartum, si illicita fuisset continentia sive a [l] commixtione huiusmodi cessatio.

495 CAPUT I.

UTRUM IN STATU INNOCENTIAE POTERAT ESSE SEMINIS DECISIO [5].

Quaeritur ergo primo utrum primi parentes poterant coire in statu illo.

Quod sic, *a.* habetur plane ab Augustino, XIV *De civitate Dei,* 23 cap. [6]. Dicit enim sic:

---

[a] V om. *medio... potentia.* [b] Ita F (corr.), alii *mortalitas et immortalitas* pro *m. e. i.* [c] L *et.* [d] Ita VT, alii *nec.* [e] V *facit.* [f] RL *et.* [g] T add. *et.* [h] Ita FZ, alii *possibilitate.* [i] V add. *est.* [k] V add. *est.* [l] L om.

[1] Cf. supra, p. 697, *ad a.*
[2] Cf. supra, p. 696, sub *Respondeo* et p. 697, *ad 2.*
[3] Cf. supra, p. 696, sub litt. *c.*
[4] Cf. supra, p. 696, sub *Respondeo* et p. 632b sq.
[5] Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 20, c. 1 (p. 398sq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 20, a. un., qq. 1 et 2 (II, 477 sq.), *Breviloq.,* p. 2, c. 10 (V, 228b); supra, num. 463.
[6] Num. 1 (PL 41, 430).

« Quisquis dicit non fuisse coituros nec generaturos nisi peccassent, quid dicit nisi propter numerositatem sanctorum necessarium hominis fuisse peccatum? » Et post, eodem [1]: « Illae nuptiae dignae felicitate paradisi, si peccatum non fuisset, et diligendam prolem gignerent et pudendam libidinem non haberent ». Hoc autem esse non posset [a] nisi habuissent potestatem coeundi in statu illo; ergo etc.

b. Item, Gen. 2, 18: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi;* super illud Augustinus, IX *Super Genesim ad litteram* [2]: « Si autem quaeritur ad quam rem oportuerit fieri hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit quam propter filios procreandos ». Et post, eodem [3]: « Non invenio ad quod adiutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahitur ». Sed constat quod ex viro et femina filii procreari non possunt nisi mediante coitu; ergo etc.

Contra: 1. Data est homini virtus generativa ut salvetur esse divinum, id est esse [b] perpetuum. Unde, quia res corruptibiles salvari non poterant secundum numerum, data est eis [c] generativa potentia ut salventur secundum speciem, cum [d] secundum numerum salvari non possint [4]: unde sol et huiusmodi substantiae incorruptibiles, quia salvari possunt secundum numerum, non habent virtutem generativam [5]; sed primus homo poterat esse suum perpetuare secundum numerum; igitur superfluit in eo potentia generativa.

2. Item, Damascenus [6], super illud [7]: *Crescite et multiplicamini,* dicit: « Poterat Deus hoc genus multiplicare, si mandatum suum usque in finem servassent; sed sciens Deus praecognitione [e] sua, qua omnia scivit ante generationem eorum, quod futuri erant in praevaricationem [f], fecit eos masculum et feminam, eos multiplicandos esse et crescere iussit ». Ecce hic dicit plane quod [g], quia eos praevidit praevaricaturos, fecit eos masculum et feminam, et nisi hoc praevidisset, aliter multiplicaretur homo quam copula carnali; ergo videtur quod casus erat causa copulae carnalis.

3. Item, Augustinus, *De bono coniugali* [8]: « Concubitus nonnisi mortalium potuit esse ».

4. Item, idem [9]: « Spirituales animae parentum non debuerunt voluptati carnali deservire ». Ex iis auctoritatibus patet quod concubitus nonnisi carnalium et mortalium esse potuit. Si ergo primi parentes in primo statu erant spirituales et immortales [10], ergo etc.

5. Item, semen est superfluum nutrimenti [11]; superfluitas autem [h] vitio attestatur, quod non erat in statu illo; ergo et non poterat esse semen coitus in statu illo.

6. Item, semen in statu illo aut erat conveniens naturae sive complexioni tunc existentium aut non. Si sic, sed quod est naturae conveniens non separatur nisi per violentiam et cum quadam deterioratione naturae sive debilitate: deterioratur enim natura in separatione convenientis sibi; quod non conveniebat in statu illo. Si non erat conveniens, non videtur quod possit esse principium prolis procreandae, cum proles debeat esse de substantia parentum.

7. Item, divisio alicuius partis substantiae ab aliquo est dispositio et via ad corruptionem; ergo, cum proles sit de substantia parentum per [i] decisionem seminis, huiusmodi decisio est via et dispositio ad corruptionem; hoc autem non conveniebat [k] in statu illo; ergo etc.

8. Item, nec videtur tunc sicut nec nunc commixtionem posse esse maris et feminae, et maxime in prima cognitione, sine membrorum genitalium motu et virgae virilis erectione, quod non contigisset ante peccatum.

9. Item, non esset commixtio huiusmodi sine sacramento matrimonii; sacramenta autem omnia data sunt in remedium peccati.

Respondeo quod in statu illo, si stetissent primi parentes, fuisset decisio seminis, sicut patet ex verbis Augustini supra tactis [12]. Et etiam dicit IX *Super Genesim* [13]: « Non video quid [l] prohibere potuerit ut essent eis etiam [m] in paradiso honorabiles nuptiae et *thorus immaculatus* [14], hoc Deo praestante fideliter iusteque viventibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine [n] ullo labore ac dolore pariendi [o], foetus ex eorum semine gignerentur [p] »; et, ut patet ex [q] verbo Augustini, quod tunc sicut nunc fuisset [r] prolis procreatio ex commixtione seminis maris et feminae. Licet enim sit de ordine et potestate naturae quod proles procreetur per coniunctionem et commixtionem duorum sexuum in hominibus, qui respectu

---

[a] Z *potest.* [b] V om. [c] V om. [d] LZ *tamen.* [e] Ita F (corr.), alii *pro cognitione.* [f] F *prevaricatione.* [g] S om. [h] T om. [i] L *et.* [k] V *contingebat.* [l] Ita F (corr.), alii *quod.* [m] T om. [n] V *sive.* [o] VT *patiendi.* [p] Ita FL, alii *gigneretur.* [q] F add. interl. *hoc.* [r] R *esset.*

1 Loc. cit., n. 2 (PL 41, 430).
2 Cap. 3, n. 5 (PL 34, 395).
3 Loc. cit., c. 5, n. 9 (PL 34, 396).
4 Cf. Aristot., *De anima,* II, c. 4 (III, 448).
5 Cf. Aristot., *De caelo,* I, c. 9 (II, 382).
6 *De fide orthod.,* IV, c. 24 (PG 94, 1207).
7 Gen. 1, 28.
8 Cap. 2 (PL 40, 373).
9 Cf. loc. cit., c. 17, n. 19 (PL 40, 387).
10 Cf. supra, num. 458.
11 Cf. Aristot., *De animal. generat.,* I, c. 18 (III, 334); Avicenna, *De nat. animal.,* XV, cc. 2 et 3 (f. 60c).
12 Cf. supra, sub litt. *a-b.*
13 Cap. 3, n. 6 (PL 34, 395).
14 Hebr. 13, 4.

prolis se habent per modum materialis et efficientis [1], differenter tamen, quia ratio materialis plus [a] residet penes mulierem et efficientis sive activi penes virum. Unde oportet quod semen, quod est materia prolis procreandae, descindatur a viro et a [b] muliere [2], et hoc requirit natura bene instituta sicut et natura lapsa.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum ergo contra hoc [c] dicendum quod, licet secundum intentionem naturae inferioris data est vis generativa ut salvetur esse divinum in eodem secundum speciem, cum non possit salvari in eodem secundum numerum, tamen secundum intentionem et ordinationem divinae providentiae data est homini vis generativa ad completionem numeri electorum [d]. Unde ratio praedicta, quam ponit Philosophus, non est ratio tota, sed praecipua est multiplicatio numeri electorum et consequens reparatio ruinae angelicae [3].

2. Ad illud quod dicit Damascenus, dicendum quod hoc dicit ut [e] insinuet quod Deus aliter genus hominum multiplicare potuit: quod verum est; unde non dicit quid faceret, sed quid facere posset. Quod autem dicit quod « sciens Deus quod erant praevaricaturi, fecit eos masculum et feminam »: dicendum [4] quod hoc non dicit quia, etsi non essent futuri in praevaricationem, non fecisset illos [f] tales, sed ut sic ostendat divinam providentiam [g] respectu eventus rei. Unde hoc participium [h] « sciens », secundum quod dicitur « sed [i] sciens Deus praecognitione sua » etc. [k], non est causale, id est non connotat causam respectu actus qui consequitur, sed simpliciter praestat consequentiam respectu actus sequentis. Unde non est sensus: 'quia praescivit hoc, sic fecit'; sed sensus est: 'scivit quod caderent, et ordinavit quod casuri nihilominus multiplicarentur secundum modum secundum quem multiplicant se quae sunt eiusdem generis in diversitate sexus'.

3. Ad illud Augustini quod 'concubitus non potuit esse nisi mortalium', dicendum quod 'mortale' dupliciter dicitur: vel quod est potens mori vel quod habet necessitatem moriendi. Primo modo sumpto 'mortale', primi parentes in statu innocentiae erant mortales [l]; non autem secundo. Primo autem modo sumitur in auctoritate Augustini; unde 'mortale' dicitur ibi quod est animale, cui congruit potestas generandi.

4. Ad illud quod sequitur, scilicet quod « spirituales animae parentum non debuerunt voluptati carnali deservire [m] » etc.: dicendum [5] quod in commixtione viri cum muliere non esset voluptas carnalis, prout 'carnale' sonat in vitium, quia, ut vult Augustinus, « in paradiso, si non peccassent primi parentes, fuissent nuptiae honorabiles et *thorus immaculatus* et sine ardore libidinis et labore pariendi ». — Nota ergo quod caro uno modo sonat in vitium, ut ad Gal. 5, 17: *Caro concupiscit adversus spiritum;* alio modo naturam dicit, ut ad Eph. 5, 30: *Nemo carnem suam odio habuit.* Et sic 'carnale' dupliciter dicitur: vel ut sonat in vitium vel in naturam: prout sumitur primo modo, sic [n] non poterant vacare voluptati carnali; prout secundo, potuerunt.

5. Ad illud quod sequitur, scilicet de superfluitate seminis: dicendum [6] quod propagatio prolis de parentibus non fit per decisionem seminis, quod quidem semen est totaliter de superfluo cibi. — Quod patet ex verbis sacrorum Doctorum [7] ponentium totam posteritatem fuisse seminaliter sive materialiter in primo homine. Dicit enim Augustinus, XIII *De civitate Dei,* c. 14 [8]: « Omnes fuimus in illo uno, quando fuimus ille [o] unus qui per peccatum lapsus est ». Item, Anselmus [p], *De conceptu virginali* [9]: « Tota in primis parentibus erat humana natura et extra ipsos [q] nil erat ». Et alibi, eodem libro [10]: « Poterat Deus de Adam, in quo semen omnium hominum creaverat, aliam facere mulierem » etc. Verumtamen aestimo quod caro prolis, quae est secundum materiam, quodam modo originaliter est [r] ex illo quod est in semine de [s] superfluo cibi. Et nota quod est duplex superfluitas, scilicet residuitatis et impuritatis. Superfluitas autem residuitatis est in semine, et hoc modo superfluum est necessarium [t], sed necessarium conservationi speciei, superfluum tamen individuo: necessarium, quia [u] est principium quodam modo generationis; superfluum, quia non necessarium ad nutriendum. Et haec superfluitas non sonat in vitium, sed est indicium completionis [v] naturae et perfectioni eiusdem attestatur, secundum illud Philosophi [11]: « Tunc unumquodque perfectum est, cum potest attingere propriae virtuti [x] », hoc est « facere tale quale ipsum est [12] ». Superfluitas impuritatis est in illis quae per organum egestionis et alia quae

---

[a] Z om. [b] VT om. [c] VT *obiectum.* [d] VT *obiectorum.* [e] S *et,* L om. [f] F *eos;* VT *fecit eos* pro *f. i.* [g] R om. [h] VT *percipiens.* [i] VT *et.* [k] SLZ *et cum.* [l] Ita VT, alii *immortales.* [m] Ita VT, alii *servire.* [n] VT om. [o] T add. *enim;* L om. *in... fuimus.* [p] VT *Augustinus.* [q] S om. *e. e. i;* Z *ut* pro *et.* [r] Z *cum.* [s] Z om. [t] R om. [u] Ita F (corr.), alii *quod.* [v] V *complexionis.* [x] L add. mg. *quod.*

1 Cf. Aristot., *De animal. generat.,* II, c. 1 (III, 344); supra, p. 627, sub *Respondeo.*
2 Cf. Aristot., *De partib. animal.,* X, c. 6 (III, 216).
3 Cf. supra, p. 615b.
4 Cf. supra, p. 615, *ad 9.*
5 Cf. supra, num. 458.
6 Cf. supra, p. 566, *ad 2.*
7 Cf. supra, num. 446 et 451.
8 PL 41, 386.
9 Cap. 2 (PL 158, 434).
10 Cap. 9 (PL 158, 443).
11 Cf. *Phys.,* VII, c. 3 (II, 337).
12 *De anima,* II, c. 4 (III, 448).

deserviunt purgationi naturae emittuntur, sicut rheuma per nares et urina per membrum emissioni illius deputatum et sudor qui per poros corporis emittitur. Et haec est in duabus differentiis. Quaedam enim superfluitas venit ex debilitate virtutis contentivae et conversivae, sicut rheuma et sudor: et talis non fuit in primo homine in statu illo, et hoc propter efficaciam [a] virtutum naturalium existentium in illo. Quaedam venit ex nutrimenti qualitate et nutriti [b] puritate, qualis est illa quae est egestionis et urinae, quae fit per separationem puri ab impuro, et haec fuisset in homine illo, si stetisset, sed non in illa immunditia et corruptione in qua est modo, ut supra tactum est [1]; horum indicia sunt vasa et intestina et foramina, quae sunt homini a sua natura [c], prima conditione, naturaliter deputata. Ex iis patet quod non omnis superfluitas sonat in vitium, sed potius in perfectionem et complementum naturae.

6. Ad aliud quod sequitur, scilicet quod 'semen aut erat conveniens naturae' etc.: dicendum quod semen, licet superfluum sit quantum ad nutritivam, est tamen necessarium quantum ad generativam, et, licet non conveniat naturae ut est salvans subiectum suum in se, convenit tamen ut est salvans in suo simili; unde natura non appetit illud retinere, sed, ut in alio salvetur, in altero transfundere. Unde separatio seminis nullo modo esset violenta, sed naturalis.

7. Ad id [d] quod obicitur quod 'huiusmodi decisio esset via ad corruptionem': dicendum quod non est verum. Decisio enim quae est via ad corruptionem, est solummodo ubi est separatio partis necessariae [e] ad salutem generantis in se et quadam violentia facta et sine sufficienti restauratione: quod non fuisset in statu illo.

8. Ad illud quod sequitur, scilicet quod 'non poterat tunc esse commixtio viri cum muliere sine motu membrorum genitalium' etc.: dicendum quod ante peccatum non esset motus huiusmodi, quia, ut vult Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [2], si convenissent in statu illo, esset *thorus immaculatus* [3] et commixtio sine concupiscentia, et genitalibus membris ad procreationem prolis imperare potuissent, et sicut ceteris in quolibet opere sine voluptatis pruritu uterentur. Quo modo posset cognosci mulier in statu illo et claustrum integritatis sine carnis fractione reserari, dictum est supra, ubi actum [f] est de integritate primae mulieris [4].

9. Ad aliud dicendum quod, sicut dicit Augustinus, *Super Genesim* [5], « quod sanis esset in officium, aegrotis est in [g] remedium ». Unde ante peccatum matrimonium datum fuit in officium, post autem in remedium. Unde quod dixit Dominus [6]: *Faciamus ei adiutorium* etc. [h], non fuit propter necessitatem quam habuit Adam, sed, ut dicit Augustinus, *Super Genesim* [7], « illud adiutorium fuit propter filios procreandos, sicut adiutorium semini est terra, ut virgultum ex utroque nascatur ». Unde in officium procreationis data fuit Adae uxor ante peccatum. Unde bis fuit institutum matrimonium: semel ante peccatum, et hoc quoad [i] officium, ut in Gen. 1,28; et semel post peccatum, et hoc quoad remedium, ut Gen. 9,1.

CAPUT II. 496

UTRUM IN STATU INNOCENTIAE FUISSET INTENSA DELECTATIO IN COITU [8].

Sequitur inquirere utrum in statu illo poterat esse delectatio intensa in coitu.

Quod sic, videtur: 1. Ut habetur a Philosopho [9], delectatio est ex coniunctione convenientis cum convenienti et sensu eiusdem; sed tanta erat convenientia tunc in coniunctione membrorum genitalium quanta est nunc et maior, et vigor in sensu maior; igitur, ut videtur, maior delectatio vel tanta. Ut enim dicunt Naturales [10], delectatio est in coitu propter transitum humoris per locum nervosum, in quo magis viget sensus.

2. Item, Bernardus [11]: « Nemo sanae mentis maiorem in vitiis quam in virtutibus aestimat esse delectationem ». In opere ergo naturae vitiatae et peccati non est maior delectatio quam

---

[a] Ita FL (correcti), alii *essentiam*. [b] VT *nutrimenti*. [c] F exp. [d] Ita VT, alii om. [e] F *necesse*. [f] T *tactum*. [g] L om. [h] R *simile sibi*. [i] T *que ad*.

1 Cf. supra, p. 592, *ad 5*.
2 Lib. IX, c. 10, n. 18 (PL 34, 399).
3 Hebr. 13, 4. 4 Cf. supra, num. 466.
5 Lib. IX, c. 7, n. 12 (PL 34, 397).
6 Gen. 2, 18.
7 Lib. IX, c. 3, n. 5 (PL 34, 395).
8 Cf. Guil. Altissiod., *Summa*, II, tr. 10, c. 2, q. 4 (f. 66c); S. Bonav., II *Sent.*, d. 20, a. un., q. 3 (II, 480sqq.), ubi plura sequentium verbotenus occurrunt.
9 Avicenna, *Metaph.*, tr. 8, c. 7 (f. 101b).
10 Cf. Aristot., *Problem.*, sect. 4, n. 15 (IV, 139).
11 Potius Gaufridus, *Declamationes de colloquio Simonis cum Iesu, ex S. Bernardi sermonibus*, c. 53, n. 64 (PL 184, 470).

in opere naturae integrae et sine peccato; sed coitus in statu illo esset opus naturae integrae et sine peccato et [a] etiam opus virtutis, quia obedientiae [1]: dederat enim eis [b] Dominus praeceptum de opere multiplicationis, Gen. 1,28 ibi: *Crescite et multiplicamini;* coitus in statu naturae lapsae est opus naturae corruptae et cum peccato; ergo etc.

3. Item, sicut [c] habetur ab Augustino [2], plus diligit caritas Deum quam cupiditas aurum, plus dico, quia [d] incomparabiliter. Sed inter statum gratiae sive caritatis et statum cupiditatis sive peccati, medium est status originalis iustitiae; ergo medio modo se habet in diligendo suum bonum, ita quod non tantum diligit suum bonum quantum caritas suum et plus [e] quam cupiditas suum, sed quanto maiori amore appetitur aliquid, tanto maiori delectatione habetur: et hoc regulariter currit in iis quae sunt in fieri et in facto esse. Ex iis videtur quod opera gratuita, quae fiunt ex caritate, maiori fiunt delectatione quam ea quae fiunt [f] ex indicto originalis iustitiae; et ea, quae sic fiunt, fiunt [g] cum maiori delectatione quam ea quae fiunt ex motu voluntatis inordinatae per peccatum; et ita videtur quod coniunctio maris et feminae in primo statu facta instinctu iustitiae originalis, esset cum maiori delectatione quam illa quae fit in statu peccati sive cum voluntate peccandi.

4. Item, unaquaeque virtus cognitiva delectatur in facilitate et complemento suae operationis [3]: hoc per se verum est; ergo quanto maior esset completio et facilitas [h] in exitu alicuius operationis, tanto maior esset delectatio; sed vis generativa, in qua viget sensus tactus, facilius et completius exivisset tunc in actum suum quam nunc; ergo maior esset tunc delectatio quam nunc [i].

5. Item, oculus Adae in statu illo plus delectabatur in aspectu lucis et auditus in auditu cantus sonori quam aspectus vel auditus hominis lapsi modo delectetur [k] in consimilibus, et hoc quia melioris harmoniae et maioris vigoris praediti erant sensus illius, propter quod magis [l] erant apti ad delectandum in propriis obiectis quam sensus hominis lapsi; ergo pari ratione in gustu et tactu, apposito [m] sibi convenienti, maiorem haberet delectationem quam homo lapsus; ergo in cognitione uxoris maiorem habuisset delectationem quam etc.

Contra: *a.* Generativa in statu illo non erat deordinata sicut nec alia vis aliqua [4]; sed, si [a] tanta esset delectationis intensio quanta est nunc, cum modo sit deordinatio generativae, et maxime in actu generandi, et hoc propter intensionem delectationis, tunc fuisset consimilis deordinatio in eadem.

b. Item, Augustinus, XIV *De civitate Dei,* 23 cap. [5]: « Non incredibile debet videri illud unum », id est membrum genitale, « sine ista libidine voluntati potuisse [b] servire [c], cui tot membra [d] nunc serviunt. An vero manus et pedes movemus, cum volumus, ad ea quae iis membris agenda sunt, sine ullo renisu, tanta facilitate quanta et in [e] nobis et in aliis videmus; et non credimus ad opus generationis filiorum, si libido non fuisset, quae peccato inobedientiae retributa est, obedienter [f] hominibus ad voluntatis nutum, similiter ut cetera potuisse illa membra servire? » Ex hoc patet quod [g] sine libidine aliqua posset in statu illo opus generativae exerceri.

c. Item, si tanta esset tunc delectatio quanta modo in huius operis exercitio, tanto fuissent moti appetitu ad illud opus exercendum quantum et nunc moventur; sed tunc [h] non essent moti aliquo appetitu ad huiusmodi opus; unde Augustinus, IX *Super Genesim ad litteram* [6]: « Honestius et melius creditur ita fuisse tunc illorum hominum corpus animale constitutorum in paradiso, nondum lege mortis damnatum, ut non haberent [i] appetitum carnalis voluptatis, qualem nunc [k] habent ista corpora, quae iam ex mortis propagine ducta sunt ». Item, ex hoc verbo patet quod huiusmodi voluptatis [l] causa fuit culpa primorum parentum [m].

d. Item, Magister dicit, II *Sententiarum* [7], et dicti auctoritatem habet ab Augustino [8], quod si homo non peccasset, sic membra genitalia applicarentur ad invicem sicut modo applicatur manus ori; sed in applicatione manus ad os aut nulla aut modica habetur delectatio; ergo pari ratione videtur quod [n] nec in contactu illorum membrorum. — Istud autem verbum Magistri videtur habere dubitationem, quia opus naturale, quod omni convenientia, quam requirit natura [o], exercetur, et maxime illud opus quod est ad salvandum esse divinum, non potest sine [p] delectatione exerceri et maxime natura existente sana;

---

[a] Z *sed.* [b] R om. [c] Ita F (corr.), alii *hic.* [d] F (corr.) *quasi.* [e] F add. mg. *diligit.* [f] S om. *delectatione... fiunt.* [g] L om., in F est add. mg. [h] Ita VTF (corr.), alii *facultas;* VT om. *i. e.* [i] VT om. *ergo... nunc.* [k] Ita VT, alii *delectatur.* [l] T om. [m] VSTRL *opposito,* quod F corr.

[a] Ita TF (corr.), alii add. *in.* [b] Ita F (corr.) R, alii *potius se.* [c] VT add. *et.* [d] R add. *cui;* T *non* pro *nunc.* [e] L om.; Z om. *et.* [f] T *obedientia.* [g] T *quia.* [h] V *nunc.* [i] F *haberet.* [k] Ita F (corr.), alii *non.* [l] LZ *voluptas,* quod F corr. [m] R om. *Item... parentum.* [n] L *quia.* [o] VT *non.* [p] VT om.

1 Cf. supra, p. 626, *ad 2* et infra, num. 498.
2 Cf. *Sermo 349,* c. 5, n. 5 (PL 39, 1531).
3 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.,* X, c. 4 (II, 120).
4 Cf. infra, sub litt. *d.*
5 Num. 2 (PL 41, 430).
6 Cap. 10, n. 16 (PL 34, 398).
7 Dist. 20, c. 1 (p. 398).
8 Cf. *De civit. Dei,* XIV, c. 23, n. 2 (PL 41, 430).

sed in appositione manus ad os nulla videtur esse delectatio [1].

Respondeo [2]: Intelligendum est hic duplicem modum esse dicendi. Quidam enim dicere volunt [a] quod tanta vel maior erat delectatio tunc quam nunc, et tamen non erat immoderata. Tanta erat propter naturalis virtutis perfectionem; immoderata non erat, propter inferiorum virtutum subiectionem: ratio enim dominabatur illi delectationi et eam deferebat in suum finem, et ideo non absorbebatur nec erat ibi [b] repugnantia. Et per hoc volunt solvere obiecta. — Est et alius modus dicendi, qui magis concordat verbis Augustini et probabilitati rationis, scilicet [c] quod in decisione seminum et commixtione sexuum tempore naturae institutae aliqua fuisset delectatio, moderata tamen et mensurata, secundum quod exigebat hominis rectitudo, et ideo non erat tanta quanta est modo. Nunc enim, quia virtus illa maxime exivit rationis imperium, dum ratio amisit originalis iustitiae vinculum et retinaculum, per quod imperabat viribus inferioribus, ideo laxatis sibi habenis toto impetu et conatu se praecipitat [d] in delectabile sibi oblatum, non propter intensionem virtutis moventis, sed propter defectum virtutis retardantis. Unde sicut equus lascivus rupto freno velocius currit et impetuosius quam cum infrenatur et detinetur a suo sessore, licet non habeat maiorem virtutem, sic et in proposito intelligendum est se habere. Et hoc est quod dicit Augustinus, *De civitate Dei* [3]: « Nuptiae illae dignae felicitate paradisi, si peccatum non fuisset, et diligendam prolem gignerent et pudendam libidinem non haberent ». Et ideo concedendae sunt rationes ostendentes quod non esset tunc tanta delectationis intensio quanta est [e] nunc, cum modo tanta sit ut modum et ordinem debitum non observet.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod obicitur in contrarium, scilicet quod 'delectatio est ex coniunctione convenientis cum convenienti [f] et sensu eiusdem': dicendum quod non tantum venit ex coniunctione, sed etiam ex virtutis conversione super delectabile. In statu autem naturae institutae, etsi esset coniunctio convenientis cum convenienti et sensus, non tamen tanta esset virtutis incurvatio et inclinatio quanta est modo; et ideo non esset tam improba et tam intensa delectatio.

2-3. Ad duo quae sequuntur, dicendum quod est duplex delectatio: carnalis sive carnis et spiritualis sive spiritus; maior autem est delectatio spiritualis sive spiritus in operibus virtutis sive quae fiunt [g] motu virtutis quam in operibus [h] peccati sive quae fiunt motu peccati. Et sic bene potest concedi quod maior fuisset delectatio spiritus in coniunctione maris et feminae in statu primo quam in statu moderno: et hoc concludunt rationes illae. Non autem sic est de [i] delectatione carnali, sed e contrario [k].

4. Ad illud quod obicitur quod 'virtus delectatur in completione [l] et facilitate sui actus': dicendum quod verum est, sed tamen adhuc ista delectatio terminum fixum debet habere et haberet [m] utique, si homo stetisset; et quoniam illum merito peccati egreditur, hinc est quod amplius delectatur, quamvis delectationis materia non sit maior.

5. Ad illud quod obicitur quod 'amplius delectaretur homo in sensu visus et auditus': dicendum quod verum est de delectatione naturali, sed hoc non est verum de delectatione curiositatis. Nec est simile de delectatione quae est in visu et quae est in tactu, quoniam visus delectatur in obiecto quod est nobile et magis accedit ad naturam spiritualem, similiter et auditus, et ideo in beatis delectatio visus potissime intenditur [n] [4]; tactus vero delectatur in re magis grossa et materiali [5], et ideo intensio [o] suae delectationis magis repugnat statui spirituali et magis reddit hominem carnalem et animalem, qualis est homo in statu miseriae. Et sic patet quod illud non est simile.

d. Ad illud quod quaeritur de verbo Magistri, dicendum quod non intendit [p] Magister dicere quod non esset delectatio in coniunctione membrorum genitalium sicut non est delectatio in coniunctione [q] manus ad os, sed intendit [r] quod est similitudo in duobus, scilicet in hoc quod utrumque opus fieret in omnimoda obedientia voluntatis et in hoc quod in neutro accideret ardor libidinis. Et hoc patet ex verbis ipsis [s]; et hoc est quod vult Augustinus, XIV *De civitate Dei*, cap. 26, dicens [6]: « In tanta felicitate hominum absit ut suspicemur non potuisse semen seri sine libidinis [t] morbo, sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra quo cetera et sine ardore et illecebroso stimulo ».

---

[a] Ita V, alii *voluerunt*. [b] V *illi*. [c] R *secundum*. [d] RLZ *precipiat*, quod F corr. [e] RL *et*. [f] R *conveniente*. [g] T add. *in operibus*. [h] L add. mg. *virtutis*. [i] L om. [k] V *converso*. [l] T *complexione*. [m] L om. *e. h.* [n] Ita VT, alii *intendetur*. [o] T om. [p] Codd. *intelligit*; T om. *dicere*. [q] Ita VT, alii om. *i. c.* [r] SZ *intenditur*. [s] S *istis*. [t] V *libidine*.

[1] Cf. Gregor. M., *In sept. Psalm. poen.*, p. 5, n. 26 (PL 79, 620).

[2] Haec responsio et solutiones *ad 1, 4* et *5* verbotenus occurrunt ap. S. Bonav., loc. cit.

[3] Lib. XIV, c. 23, n. 2 (PL 41, 430).

[4] Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 49, p. 2, sect. 1, a. 3, q. 1 (IV, 1018sq.).

[5] Cf. supra, p. 433.

[6] PL 41, 434.

497 CAPUT III.

UTRUM SOLUM CAUSA PROLIS HABENDAE FUISSET TUNC MARIS ET FEMINAE COMMIXTIO [1].

Sequitur inquirere utrum solum causa prolis habendae fuisset maris et feminae commixtio aut aliquando causa delectationis.

Quod [a] solummodo causa prolis, videtur sic: *a.* Matrimonium pro tempore innocentiae solummodo institutum fuit in officium; dicit enim [b] Augustinus, *Super Genesim* IX [2]: « Quod aegris datum est in remedium, datum fuit [c] sanis in officium ». Sed officium consistit in procreando prolem; ergo solummodo ad hoc erat in statu illo; si ergo vir et mulier non coniungebantur nisi propter id [d] propter quod erat matrimonium, videtur quod nunquam essent coniuncti nisi propter prolis procreationem.

b. Item, qui debitum petit in statu naturae lapsae praeter intentionem prolis procreandae, utpote causa delectationis, peccat saltem venialiter, nec hoc impedit natura corrupta ad hoc violenter provocativa; multo fortius tunc peccassent convenientes delectationis causa; sed tunc non poterant peccare venialiter; ergo peccassent mortaliter, et sic caderent a statu innocentiae.

c. Item, delectari in aliquo propter se est frui illo, quia « frui est amore inhaerere alicui propter se [3] »; frui autem creatura est [e] utendo frui: quod est peccatum. Si ergo primus homo causa delectationis, non causa prolis [f] procreandae, uxorem suam cognovisset, ea frueretur: quod fieri non posset sine peccato.

Praeterea, videtur quod in qualibet coniunctione esset procreatio foetus, sic: *d.* Nunquam homo comedisset quin ex illa comestione sensisset refectionem, nec unquam nutritiva [g] in suo actu privata fuisset proprio effectu; ergo pari ratione nec generativa in suo actu privata fuisset debito fructu; sed fructus eius est proles; ergo etc.

e. Item, in statu illo actus non esset [g] privatus debita intentione nec intentio debito fine: privatio enim intentionis rectae non est sine culpa, privatio vero utilitatis intentae non est sine poena; neutrum autem istorum poterat [h] esse in statu illo; cum ergo finis actus generativae est procreatio prolis, relinquitur quod nunquam caruisset illa.

Contra: 1. Appetitus coeundi non erat tunc libidinosus, sed naturalis; ergo sicut necesse fuit praevenire appetitum nutritivae, scilicet famem et sitim [4], ita et appetitum generativae; ergo non oportuit semper coire causa prolis, sed causa praeveniendi appetitum, ne degeneraret in deordinationem.

2. Item, cum ille appetitus, scilicet [i] generativae, esset naturalis, videtur quod sicut appetitus alimenti non esset subiectus semper libero arbitrio in statu illo, sic nec appetitus ille; ergo semper fluxisset sicut et iste nisi praeveniretur; sed si semper fluxisset et non esset subiectus libero arbitrio, provocasset aliquando ad opus causa delectationis et non semper causa prolis.

3. Item, vis nutritiva semen administrat generativae [5]; ergo, cum homo [k] continue nutriretur, humor seminarius generativae administrabatur; ergo vel oportebat hominem extra ordinem pollui vel naturam gravari extensione seminis vel aliquando mulierem cognoscere quando non esset apta generare, utpote quando esset gravida; si ergo prima duo sunt inconvenientia, restat tertium, scilicet quod uxorem aliquando cognovisset quando prolem non procreasset. — Si autem diceretur quod in statu naturae [l] institutae non fieret huiusmodi multiplicatio humoris seminarii: – hoc non videtur verum, quia ex quo nutritiva semper ministraret humorem huiusmodi, cum non esset subiecta rationi, non videtur quod illius cessasset augmentum.

4. Item, sicut comedere est actus naturalis, ita etiam coire; sed homo naturaliter appetit comedere, non solum in statu naturae lapsae, sed etiam institutae; ergo pari ratione naturaliter appetebat coire; sed homo tempore naturae institutae debebat appetitui naturae satisfacere, cum natura esset ordinata et ordinate appeteret, alioquin poenam sentiret; ergo videtur quod, sive mulier posset concipere sive non, vir praeter necessitatem prolis generandae aliquando mulierem cognosceret.

5. Item, ponatur quod Adam cognosceret uxorem suam praegnantem, quaero: aut peccaret aut non? Si non [m], igitur non [n] erat necesse quod in

---

[a] T om. [b] T om. [c] V *fuerit*. [d] Ita VT, alii om. *p. i.* [e] S om. [f] S om. [g] R *fuisset*. [h] Z *potuit*. [i] Ita F (corr.), alii *sit*. [k] V *hoc*. [l] T om. [m] V om. *s. n.* [n] L om. *i. n.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 20, a. 1, q. 5 (II, 483sq.), ubi multa sequentium verbotenus occurrunt.
2 Cap. 7, n. 12 (PL 34, 397).
3 Augustin., *De doctr. christ.*, I, c. 4, (PL 34, 20).
4 Cf. supra, num. 471, II.
5 Cf. supra, p. 700, *ad 5*.

omni coitu generaret. Si sic – contra: sanctius erat tunc matrimonium quam tempore naturae lapsae et aeque magnae vel[a] maioris efficaciae; sed nunc[b] propter bonum matrimonii excusatur coitus a culpa, etiam quando nulla est[c] prolis generandae necessitas; ergo videtur quod multo fortius tunc[d].

6. Item, non erat maior inordinatio in contactu illorum membrorum quam in admovendo manum ad os[1]; sed manus admoveri potest ad os[e] sine aliquo peccato, etiam praeter necessitatem; ergo videtur quod Adam potuit[f] cognoscere uxorem suam absque peccato et praeter necessitatem prolis generandae.

Respondeo: Dicendum quod vir in quolibet actu quo cognovisset uxorem, suscepisset ex ea prolem. Et ratio huius est, quia congruentia ordinis exigebat et perfectio virtutis ad hoc sufficiebat. Exigebat namque[g] hoc congruentia duplicis ordinis, sive virtutis generativae ad rationem et utriusque ad suum finem. Vis enim generativa ordinem habebat ad rationem: ordinem, inquam, perfectae subiectionis, et ideo in actum non exibat[h] nisi secundum quod ratio dictabat, ratio autem recta et ordinata dictat nulla re esse utendum nisi ad id propter quod est; et quia vis generativa data fuit homini ad prolis multiplicationem, ideo recta ratio[i] nunquam dictaret et vis generativa nunquam exiret in actum nisi propter prolis generationem: hoc[k] enim congruentia ordinis exigebat. — Perfectio autem virtutis aderat quae ad hoc sufficiebat. Quia enim vis generativa in viro ad generandum erat potens et sufficiens nec habebat impedimentum, similiter et in muliere pro suo loco et tempore, ideo, cum ordinate cognovisset vir uxorem, semper ex ea prolem susciperet, propter exigentiam duplicis ordinis et sufficientiam duplicis virtutis, scilicet generantis et suscipientis, nec coiissent in statu illo nisi causa prolis nec causa delectationis nec causa[l] praeveniendi fluxum[m] appetitus.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur primo contra hoc, dicendum quod, licet appetitus generativae fuerit naturalis, non oportuit illum[n] praeveniri, quia omnino fuit sub obedientia rationis rectae. Similiter non fuit de appetitu nutritivae. Et ratio huius est, ut dicunt aliqui, quod appetitus nutritivae dependet a natura eorum quae concurrebant ad esse; sed esse alicuius creaturae non subiacet eius arbitrio, similiter nec natura eorum quae ad esse requiruntur. Quia ergo appetitus nutritivae dependebat ab illis quae requiruntur ad esse, non subiacebat[o] arbitrio illius cuius erat. — Sed quod haec ratio nulla sit, videtur, quia nutritiva non data fuit creaturae ad hoc quod[p] per illam haberet esse, sed ad[q] hoc quod per illam[r] salvaretur sive conservaretur in esse: conservatio esse proprii subest arbitrio eius cuius est, sicut productio consimilis in esse. Praeterea, cum ipsa generativa in statu illo erat omnino[s] ordinata sicut etiam nutritiva, et de natura sibi indita habuit posse regendi se in omnimoda ordinatione, quae fuit necessitas vel congruentia quare debuit omnino[t] subesse imperio liberi arbitrii magis quam nutritiva? — Dicendum quod, sicut dictum est[2], nutritiva[u] non subiacebat imperio liberi arbitrii sicut generativa: praesente enim nutrimento ipsa nutritiva assurrexisset in actum vel opus proprium, sive vellet sive nollet liberum arbitrium; sed praesentibus personis aptis ad coeundum, immo etiam coniunctis membris genitalibus, non assurrexisset generativa in actum sine consensu liberi arbitrii. Unde Anselmus, *De conceptu virginali*[3]: « Cum Deus fecit Adam, fecit in eo naturam propagandi, quam subiecit eius potestati, ut ea pro sua voluntate uteretur, quamdiu ipse vellet subditus esse Deo ».

Ad evidentiam autem quaesitorum nota quod in primo homine vires inferiores erant subiectae rationi, et hoc propter duplicem ordinem conservandum: debuit enim homo ordinari in se et in finem. Propter ordinem in se oportuit vires inferiores subdi rationi sicut minus nobile magis nobili et inferius superiori; propter ordinem in finem, quia ille solus actus est meritorius qui est voluntatis vel a voluntate imperatur[4]. Ut ergo voluntas, non tantum mereretur in actu suo, sed etiam[v] in actibus virium inferiorum, debebant[x] vires inferiores ei subici, secundum quod poterant salvo iure naturae. Inter vires autem partis vegetativae magis subiecta fuit generativa quam nutritiva[y], cuius multiplex est ratio. Una sumitur ex parte eius ad quod sunt: nutritiva enim erat ad conservandum hominem in se ipso, generativa ad multiplicandum et conservandum in simili, et sic nutritiva ordinabatur ad conservationem esse proprii. Et quia naturalis appetitus maxime tendit ad conservationem esse, et esse proprii magis quam alieni, cum natura sit recurva[5],

---

[a] Ita VT, alii *et*. [b] T *non*. [c] VT om. [d] R om. *ergo... tunc*. [e] S om. *sed... os*. [f] R *potuisset*. [g] L *nam*. [h] VT *exiebat*, quod F corr., alii *exigebat*. [i] T om. [k] Ita F, alii *hec*. [l] S *tam*. [m] S *fluxit*, quod L corr. [n] Ita VT, alii *illam*. [o] Z *subiacet*. [p] Z *ut*. [q] S add. *per*. [r] T om. *haberet... illam*. [s] T om. [t] VT *divino*. [u] V om. *dicendum... nutritiva*. [v] T om. [x] R *debeant*. [y] Ita L (corr.), alii *vegetativa*.

1 Cf. supra, p. 702, sub litt. *d*.
2 Hic, parum supra.
3 Cap. 10 (PL 158, 444).
4 Cf. supra, num. 416.
5 Cf. Bernard., *In Cant.*, sermo 24, n. 6 sqq. et sermo 80, n. 3 (PL 183, 897 sq., 1167).

hinc est quod appetitus et opus nutritivae magis erat secundum modum naturae. Et quia natura determinate movet ad unum[1], potestas vero rationalis se habet ad opposita, hinc est quod, cum appetitus et opus nutritivae magis sequerentur[a] imperium naturae quam opus generativae, quod minus poterat subici imperio rationis. E contra generativa magis, quia erat ad multiplicandum et conservandum[b] in simili, et ita ad alterum ordinabatur ut ad[c] complementum numeri electorum, et per hoc ad bene[d] esse; talia autem habent esse sub regimine rationis: hinc est[e] quod generativa ei magis erat subiecta. — Item, alia est congruentiae, quia scilicet generativa ordinatur ad effectum dignissimum, scilicet ad generationem similis — homo enim generat hominem[2] — ideo dignum est quod[f] actus illius potentiae subiaceret ei quod est in homine dignissimum, scilicet rationi. — Item[g], alia est: In actu generativae est quidam motus membrorum organicorum in coniunctione coeuntium, qui reducitur ad motum progressivum[h], et ideo, cum motus progressivus in ratione utentibus ortum habeat[i] a ratione sive ab intelligentia practica, sicut vult Philosophus[3], in primo homine, qui perfecte ratione regebatur, debuit subdi opus membrorum genitalium rationi sicut motus manuum et aliorum membrorum. — Item, alia est: Quia nutritiva est in attrahendo alienum quo indiget, sed generativae actus consistit in impertiendo[k] aliquid quo non indiget, immo quo abundat, et ita quodam modo magis detrahitur esse in actu[l] generationis quam nutritionis, et ideo, ne fiat[m] excessus in huiusmodi detractione, actus huiusmodi potentiae magis debuit regi ratione quam actus nutritivae. — Item, alia est: Quia, licet actui generativae videantur sola membra genitalia deservire, omnia tamen membra corporis ei deserviunt vel delegando semen vel delegando virtutem, ut ex semine, cooperante virtute, producatur corpus perfecte organizatum: et ideo conveniens erat ut vis illa subderetur eius regimini quod debebat habere dominium in toto corpore in statu naturae institutae magis quam una aliarum potentiarum minus generalium. Propterea magis debuit generativa subdi rationi quam nutritiva: nutritiva enim magis famulatur quam recipiat famulatum; verumtamen et ipsa secundum quod recipit famulatum a manu et ab ore, quorum ministerio intromittitur alimentum, subiacebat imperio rationis. Et sic patet quod et vis utraque, immo etiam omnes debuerunt[n] subiacere rationi in primo homine, magis tamen generativa debuit esse subiecta quam nutritiva, multiplici congruentia hoc exigente.

Ex iis patet responsio ad illud[o] quod quaerebatur consequenter[4], scilicet cum ipsa generativa esset omnino ordinata, quae fuit necessitas vel congruentia? etc.

2. Similiter patet responsio ad illud quod sequitur, scilicet quod 'sicut appetitus nutritivae, eo quod esset naturalis, non esset subiectus rationi, sic[p] nec appetitus generativae, cum esset naturalis', quia alia est ratio subiectionis huius et illius, ut ex dictis patet[5].

3. Ad illud quod obicitur quod 'nutritiva semper deserviret generativae' etc.: dicendum quod ita esset natura ordinata ut nunquam[q] de cibo sumeret nisi adeo temperate quod superfluitas digestionis illius, quae semen dicitur, non esset sufficienter coadunata quousque veniret hora debita generandi. Adam enim in statu illo posse suae naturae cognovisset et sufficientiam alimenti et tempus et horam quando generare debuisset, et ita viveret modeste et sobrie quod nec ad superabundantiam nec ad indigentiam declinaret.

4. Ad illud quod obicitur quod 'naturaliter appeteret[r] coire sicut comedere' etc.: dicendum quod non est simile, quia[s] actus comestionis ordinatus est ad salutem individui vel per restaurationem deperditi[t] vel per praeventionem deperditionis; actus vero generationis ad conservationem speciei et multiplicationem similis. Naturalis[u] autem appetitus maiorem habet inclinationem ad conservationem sui[v] in proprio subiecto quam in consimili, et ideo non sic esset appetitus naturalis ad coitum sicut ad cibum nec ita continuus[x] nec ita frequens. Si enim in viris castis, etiam tempore naturae lapsae, non sic est inclinatio ad coitum sicut ad cibum, multo minus nec esset in Adam. Quod autem ita intenditur appetitus vis generativae, hoc potius est corruptionis naturae quam institutionis primae.

5. Ad illud quod obicitur quod 'si cognosceret praegnantem[y], non peccaret' etc.: dicendum quod praegnans non posset cognosci sine deordinatione[z], vel quae sit vel quae videtur; et quia in statu innocentiae deordinationem timere non poterat, quia non erat in illo titillatio vel

---

[a] T *quererentur.* [b] L om. *e. c.* [c] Ita VT, alii om. [d] VT *bone.* [e] VT om. [f] R *quo.* [g] Ita F (mg.), alii om. [h] V *progressuum.* [i] Ita F (corr.), alii *habeant;* T *ad rationem* pro *a. r.* [k] Ita F (corr.), alii *pertiendo.* [l] Z *statu.* [m] L add. *accessus.* [n] Ita V, alii *debuerant.* [o] Ita V, alii om. [p] V om. [q] R om. [r] Ita F (corr.), VS *oportet,* alii *oporteret.* [s] TR *quod.* [t] R *perditi.* [u] V *naturaliter.* [v] T om. [x] Ita F (corr.), alii *contrarius.* [y] V *pugnantem.* [z] V *de.*

[1] Cf. Aristot., *Metaph.*, VIII, cc. 2 et 5 (II, 565, 567).
[2] Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 2 (II, 263).
[3] Cf. *De anima*, III, c. 9 (III, 471).
[4] Cf. supra, p. 705b.
[5] Cf. supra, *ad 1.*

pruritus, ideo si tunc cognovisset [a], ex quo sciret se inutiliter cognoscere, inordinatus fuisset et ita peccasset. Nec est simile quod inducitur de matrimonio in statu naturae lapsae, quia non solum est in officium procreandae prolis, sed in remedium vitandae fornicationis.

6. Ad illud quod obicitur quod 'non esset ibi maior [b] deordinatio quam in admovendo manus ad os' etc.: dicendum quod similitudo illa attenditur quantum ad hoc quod utrumque membrum rationi subiacebat et utrumque concupiscentiae ardore carebat, ut supra dictum est[1]. In hoc tamen dissimilitudo est, quia magis oportebat actum illum ad finem debitum ordinare quam qualemcumque motum manus vel pedis, propter determinationem actus illorum membrorum ad procreationem prolis; usus autem manus vel pedis non est ita determinatus, et ideo non oportuit cum tanta discretione exerceri.

c. Ad illud quod obicitur pro alia parte, scilicet quod 'delectari in aliquo [c] propter se est frui illo' etc., quia illud argumentum videtur ostendere quod quicumque cognoscit [d] uxorem suam causa delectationis, peccat mortaliter, potest dici quod duplex est delectatio sicut et [e] appetitus, naturalis scilicet et voluntaria. Delectatio vero naturalis, scilicet quae est ex appetitu sive amore naturali, nullo modo est fruitio nec meritoria nec demeritoria, sed illa solum quae est ex amore voluntario et voluntaria. Talis autem delectatio, si appetatur propter se, id est solummodo causa sui, id est ipsius delectationis, ita quod nulla habeatur consideratio nisi ad ipsam, tunc sortitur rationem fruitionis. Verbi gratia, iste appetit delectari in uxore sua, non quia sua, nec attendit quia licitum est sibi illam cognoscere, sed solummodo quaerit in illa delectationem, et, etiam si sua non esset, idem quaereret, haec delectatio fruitio interpretatur et est mortale peccatum. Si autem quaereret in ea delectari considerans quod sua est, non quaerens solum delectationem, sed delectationem in [f] sua, nec aliter quaereret, huiusmodi delectari non est frui. Adam vero in primo statu si appetivisset delectari in sua, quia huiusmodi appetitus et delectatio fuisset voluntaria, peccasset.

CAPUT IV. 498

UTRUM ILLICITA FUISSET TUNC CONTINENTIA [2].

Sequitur inquirere utrum illicita fuisset continentia sive cessatio a commixtione carnali.

Quod sic, videtur: *a.* Sicut habetur ab Augustino[3]: « Matrimonium datum fuit sanis in officium », scilicet multiplicandae prolis; sed ut habetur ab Augustino, *Super Genesim ad litteram*[4], officium est congruus actus uniuscuiusque personae secundum instituta Dei; ergo, cum secundum divinam institutionem erant primi parentes conditi ut genus suum multiplicarent ad cultum Dei, haec [g] autem multiplicatio fieri non posset nisi per carnalem commixtionem, contra divinam institutionem esset continentia primorum parentum; ergo illicita fuit eorum continentia.

b. Item, Dominus dedit praeceptum primis parentibus de prolis multiplicatione, Gen. 1,27-28: *Masculum et feminam creavit eos; benedixitque illis Deus et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram.* Ibi Glossa Augustini[5]: « Multiplicatio hominum coniunctione maris et feminae perficitur »; negligere autem praeceptum Domini vel contraire est illicitum; ergo etc.

Contra: 1. Temperantia omni tempore fuit virtus; ergo omni tempore habenda; sed continentia a coitu continetur sub temperantia; ergo etc.

2. Item, quanto [h] status alicuius est nobilior et excellentior, tanto magis de bono et aequo incumbit ei observantia virtutum, et hoc quantum ad omnes species et differentias virtutum; sed status ille nobilior erat quam status naturae lapsae; ergo magis incumbebat existentibus in statu illo perfecta observantia virtutum quantum ad omnes illarum [i] species; sed continentia est species temperantiae, ut dictum est[6]; ergo etc.

3. Si diceretur quod tenebantur coire, quia Dominus praeceperat illis, Gen. 1,28: *Crescite, et multiplicamini* etc. – contra: Magister, II *Sententiarum*, dist. 20[7]: « Deus nondum iusserat ut coirent, et poterat [k] divina expectari auctoritas,

---

[a] R *cognovissent.* [b] TSRZ add. *delectatio*, quod F exp. [c] Ita F, alii om. *i. a.* [d] VSTR om. *aliquo... cognoscit*, in FLZ est add. mg. [e] T om. [f] L om. [g] V *si.* [h] T om. [i] Ita VF (corr.), alii *illorum.* [k] L *poterit.*

1 Cf. supra, p. 703, sub litt. *d.*

2 Cf. supra, p. 626, *ad 2;* S. Bonav., II *Sent.*, d. 20, dub. 2 (II, 487 sq.); IV *Sent.*, d. 26, a. 2, q. 3 (IV, 664 sq.); *Quaest. disput. de perfect. evang.*, q. 3, a. 1 et 3 (V, 166 sqq.).

3 *De Gen. ad litt.*, IX, c. 7 (PL 34, 397).

4 Cf. loc. cit., c. 11 (PL 34, 400).

5 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ubi Augustinus quidem citatur, sed non pro hoc loco; cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, III, c. 21 (PL 34, 293).

6 Cf. supra, sub n. 1.

7 Cap. 2 (p. 399).

ubi concupiscentia non angebat[a] ». Similiter dicit Augustinus, IX *Super Genesim*[1]: « Potest dici quod nondum Deus[b] iusserat ut coirent ».

4. Item, supposito quod praeceptum Domini erat datum de multiplicatione prolis, quae non poterat fieri nisi per coitum, propter quod continere esset contra praeceptum Domini – contra: Abel, secundum Augustinum, mortuus est in virginitate et[c] ex hoc commendatur a perfectiori iustitia, Matth. 23, 35: *A sanguine Abel iusti* etc.; ut enim habetur ab Augustino, in libro *De mirabilibus Sacrae Scripturae*[2], a triplici commendatur iustitia, scilicet[d] sacerdotii, virginitatis et martyrii; quantum ad ea etiam[e] perfecte gessit typum Christi. Dicit enim sic: « Tota iustitia haec[f] est: virginitas, sacerdotium et martyrium. Quae triplex[g] iustitia in Abel primo fuit, qui et[h] munera Deo placita obtulit, prosapiam[i] generis non dereliquit et martyrii coronam[k] sanguinis effusione promeruit ». Ex quo patet quod, stante praecepto de multiplicatione prolis, continentia virginitatis licita fuit, immo grata.

5. Item, currente Lege naturae aliquis de perfectioribus, sicut Abel, finaliter fuit virgo et ex hoc commendatur, ut ex dictis[3] patet; similiter currente Lege scripta, sicut Elias, qui vixit in virginitate, sicut dicit Hieronymus, *Contra Iovinianum*[4]; similiter B. Virgo, Luc. 1, 34: *Quo modo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est non cognoscere[l] propono[5]; item, Paulus[m], I Cor. 7, 7: *Volo omnes homines esse sicut me ipsum,* « id est castos », dicit Glossa[6]. Ex quibus videtur quod illud praeceptum de multiplicatione prolis non cogebat.

6. Item, super illud II Cor. 11, 2: *Despondi*[n] *vos uni viro virginem castam,* haec virgo casta Ecclesia est, ut dicit Glossa[7]; et dicit Augustinus[8]: « Absit ut[o] membris prohibeatur virginitas, cum sponsae conceditur »; sponsam vocat corpus Christi mysticum; sed Adam fuit de corpore; ergo illi non fuit prohibita virginitas.

7. Item, Augustinus videtur velle quod alius modus fuit tunc conveniens sive possibilis propagationis ex viro et muliere quam mediante copula carnali, scilicet per affectum caritatis. Dicit enim sic, III *Super Genesim ad litteram*[9]: « Illud, quod dictum est, *Crescite et multiplicamini et implete terram,* quamquam nisi per concubitum maris et feminae fieri non[p] posse videatur — unde hinc[q] quoque mortalium corporum extitit indicium — potest tamen dici alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, ut solo piae caritatis affectu, nulla corruptionis concupiscentia, filii nascerentur ». Ex hoc videtur quod nulla fuit necessitas coeundi in statu illo.

8. Item, potest quaeri: Si fuit praeceptum, nec videtur quod adhuc fuerit revocatum, ergo adhuc[r] est continentia, saltem illa quae est ex voto, illicita. Si autem dicatur quod sit revocatum, quaeritur quando.

Respondeo: Ad praedictorum solutionem notandum quod circa statum virginitatis plura sunt attendenda. Unum est carnis integritas: haec autem nullo tempore fuit meritoria per se, quia neque virtus neque actus virtutis. Unde Augustinus, *De bono coniugali*[10]: « Continentia non corporis, sed animae, virtus est[s] ». Unde Matth. 22, 13 legitur de talibus quod fuerunt reprobatae. — Aliud est propositum conservandi carnis integritatem: hoc fuit meritorium in tempore aliquo, in tempore aliquo[t] non meritorium, immo illicitum, scilicet tempore naturae institutae. Cum enim Dominus creasset primum hominem, qui erat principium omnium hominum[11], sicut in quo erat seminarium totius suae posteritatis, et dederat illi praeceptum de multiplicatione sui generis, quae[u] fieri non poterat nisi per commixtionem maris et feminae, et haec illum non latuerunt — bene[v] enim scivit quod ex ipso et muliere, data sibi in adiutorium, debebat genus humanum propagari; unde vocavit uxorem suam Evam, *eo quod mater esset cunctorum viventium,* Gen. 3, 20 — nullo modo poterat simpliciter continere, nisi[x] fieret praevaricator divini praecepti et neglector voluntatis eiusdem. Similiter tempore Legis naturae et Legis scriptae continentia generalis fuit illicita, dispensatione tamen licebat alicui personae continere; tempore autem Legis gratiae fuit licita et meritoria, propter quod multi *castraverunt se propter regnum caelorum* tempore illo, Matth. 19, 12. — Tertium est habitus generalis ad omnes modos continentiae, qui attenditur in voluntate et detestatione omnis coitus illiciti: et istud ratione sui generis, scilicet continentiae, virtus[y] est; et iste habitus sine voluntate habentis

---

[a] STZ *augebat.* [b] S om. [c] V om. [d] S om. [e] Ita V, alii *que.* [f] V *hoc.* [g] Z om. *q. t.* [h] Ita F (corr.), alii *etiam.* [i] TR *sapientia,* quod F corr.; V *exterius* pro *generis.* [k] V add. *pro.* [l] Ita V, alii *cognoscere non* pro *n. c.* [m] Ita V, alii om.; L om. *volo.* [n] T add. *enim.* [o] T *in.* [p] V om. [q] Ita FR, alii *huic.* [r] V om. *f. r. e. a.* [s] L om. [t] SLZ om. *i. t. a.* [u] T *qui.* [v] V *dum.* [x] T *non.* [y] L *virtutis.*

1 Cap. 4 (PL 34, 396).
2 Pseudo-Augustin., I, c. 3 (PL 35, 2154).
3 Hic, sub n. 4.
4 Cf. lib. I, n. 25 (PL 23, 244).
5 Cf. Hugo de S. Vict., *De B. Mariae virginitate,* c. 1 (PL 176, 866).
6 *Interlin.* et Lombardi, in h. l. (PL 191, 1590).
7 Cf. *Ordin.,* in h. l. (PL 114, 566).
8 Cf. *De sancta virginitate,* c. 2, n. 2 (PL 40, 397).
9 Cap. 21 (PL 34, 293).
10 Cap. 21, n. 25 (PL 40, 390).
11 Cf. supra, num. 446; S. Bonav., IV *Sent.,* d. 26, a. 1, qq. 1 et 2 (IV, 661 sqq.).

auferri non potest sicut potest [a] carnis integritas. Unde Augustinus, I *De libero arbitrio* [1]: « De pudicitia vero quis dubitaverit quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est, unde a violento stuprario nec ipsa eripi potest? » Patet ergo quod continentia a concubitu carnali in statu primo non erat virtus nec actus virtutis; neque propositum continendi: non enim fuisset circa bonum et circa difficile, circa quae est virtus [2]. Licet enim in statu illo virtus sive actus virtutis non fuisset circa difficile, fuisset tamen circa bonum; continentia autem tempore illo non fuisset aliquo modo bona, cum in nullo ordinasset ad finem, sed potius avertisset a fine, quia induxisset praevaricationem praecepti Dei et voluntatis eiusdem deformitatem.

[Ad obiecta]: 1-2. Ex iis patet quomodo ad duo primo [b] obiecta respondendum est. Continentia enim a coitu tunc non erat species temperantiae nisi eo modo quo tactum est [3], scilicet secundum quod continentia a coitu attenditur penes voluntatem omnis illiciti coitus; coire autem cum sua tunc nullo modo erat illicitum, neque eo modo quo dicenda sunt illicita mortalia neque illo modo quo venialia, tum quia *thorus* erat *immaculatus* [4] et absque omni motu illicito, tum propter fructum prolis generandae ad cultum Dei.

3. Ad illud quod obicitur per Augustinum et Magistrum, in *Sententiis*, quod « Dominus nondum iusserat ut coirent »: dicendum [5] quod hoc intelligitur quantum ad specificationem actus determinati in tempore, hoc est non determinaverat eis tempus quo debebant coire, sed in generali dederat illis praeceptum, quando dederat eis praeceptum [c] de generis sui multiplicatione, Gen. 1, 28. Unde habebant in praecepto ut aliquando coirent, non autem ut coirent [d] tunc vel tunc; unde non peccabant ex hoc quod non statim coierunt, sed peccassent, si nunquam coiissent.

4. Ad hoc quod obicitur de virginitate Abel, dicendum quod, si supervixisset, iniisset [e] coniugium et non permansisset in virginitate. Unde Augustinus, *De mirabilibus Sacrae Scripturae* [6]: « Si longiore tempore, ut Enoch, maneret, sine ulla dubitatione coniugium iniret, quippe qui in tempore illius Legis viveret quae dixit [f]: *Crescite et multiplicamini;* et si illud mandatum impleret, profecto [g] nequaquam virgo esset ». — Si autem quaeratur [h] quare commendatur a virginitate, ex quo causa virginitatis in ipso erat mortis acceleratio, si enim diu [i] vixisset, uxorem duxisset: dicendum quod hoc est quia totius iustitiae forma in eo servabatur [k]. Quantum autem ad hoc quod [l] virgo fuit, commendatur magis ex praefiguratione virginitatis Salvatoris quam ex actu continentiae a coitu. Unde Augustinus, *De mirabilibus Sacrae Scripturae* [7]: « Recte competebat ut qui primus in terra iustus eligitur, in eo totius iustitiae forma servaretur illique [m] primo in hominibus post delictum figuram gestare conceditur Salvatoris, qui virgo et martyr et sacerdos esse videtur ».

5. Ad illud quod obicitur quod 'in omni statu sive tempore aliqui de perfectioribus continebant, propter quod videbatur quod praeceptum de prolis multiplicatione non cogebat': dicendum quod hoc fuit ex [n] speciali dispositione et dispensatione Dei. Sicut enim tactum est [8], conveniebat quod Abel in virginitate conservaretur, quia fuit primus iustus in quo totius iustitiae forma fuit conservanda, ut qui fuit principium Ecclesiae iustorum. Ab Abel autem dicitur incepisse Ecclesia iustorum, sicut ecclesia malignantium a Cain [9]. Et ratio huius est, quia, quamvis Adam fuerit primus iustus, tamen si propter hoc ab ipso diceretur incipere Ecclesia iustorum, tunc eodem modo, cum ipse fuerit primus homo peccator, deberet dici quod ab ipso incepit ecclesia malignantium; sed hoc non erat decens ut ab eodem diceretur incipere utraque ecclesia. Et ideo recte distinguuntur duo, ut ab eo qui nunquam fuit iniustus, sed iustus, primo inciperet Ecclesia [o] iustorum, cuiusmodi fuit Abel, et e contrario ab eo qui finaliter fuit malus, similiter inciperet ecclesia malignantium, cuiusmodi fuit Cain. Hac ergo ratione conveniebat ut in eo totius iustitiae forma servaretur: quod ex divina dispositione et dispensatione factum est. Similiter est de Elia et aliis viris sanctis in Lege, sicut de Eliseo et si qui alii erant qui continebant [p] currente Lege scripta, dispositione et dispensatione divina scilicet, ut figura essent futurorum. Unde Hieronymus, I [q] libro *Contra Iovinianum* [10]: « Obsecro te, lector, et id ipsum saepe [r] commoneo, ut me scias, quae loquor, necessitate dicere, nec detrahere iis qui in Lege praecesserunt, sed servisse [s] eos temporibus et conditionibus suis et

---

[a] S om. *s. p.* [b] RZ *prima;* Z om. *obiecta.* [c] T om. *q. d. e. p.* [d] L om. *non... coirent.* [e] S vacat. [f] L *dixerit.* [g] V *pro facto.* [h] R om. [i] L om. [k] R *conservabatur.* [l] T *quia.* [m] F *cuique;* T om. *forma.* [n] T *in.* [o] F add. interl. *id est.* [p] Ita VF (corr.), alii *continebantur.* [q] V *in.* [r] F om. [s] Codd. *servasse.*

1 Cap. 5, n. 12 (PL 32, 1228).
2 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, II, c. 3 (II, 17).
3 Cf. supra, sub *Respondeo.*
4 Hebr. 13, 4.
5 Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 26, a. 1, q. 3 (IV, 664 sq.).
6 Lib. I, c. 3 (PL 35, 2154 sq.).
7 Loc. cit. (PL 35, 2155).
8 Cf. hic, *ad 4.*
9 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, XV, c. 1, n. 2 (PL 41, 437 sq.).
10 Num. 24 sq. (PL 23, 243 sq.).

illam Domini implesse sententiam: *Crescite et multiplicamini et replete terram*, et, quod iis maius est, futurorum typos praebuisse. Nobis autem quibus dicitur[1]: *Tempus in collecto est, superest ut et qui habent uxores sic sint quasi non habeant*, aliud praecipi et virginitatem a Salvatore virgine dedicari. Eliam et Eliseum quam stulte posuerit in catalogo maritorum, me tacente, manifestum est. Si enim Ioannes venit *in spiritu et virtute Eliae*[2], et Ioannes virgo est, utique non solum in spiritu eius venit, sed etiam in corporis castitate ». Beata autem Virgo, non solum virgo fuit quantum ad carnis integritatem, sed quantum ad mentis sanctitatem: et hoc divina inspiratione. — Praeterea, illud praeceptum de multiplicatione erat affirmativum; praeceptum autem affirmativum non ligat[a] ad semper neque secundum omnem conditionem et circumstantiam, sed pro loco et tempore et circumstantiis aliis debitis, et maxime prout cadit sub intentione illius qui dedit. Praeceptum autem illud datum fuit ad multiplicandum genus humanum; unde, quia praeceptum illud datum fuit[b] generaliter omnibus, non distincte huic vel illi, exceptis primis parentibus, existente numero sufficiente ad huiusmodi multiplicationem expedite[c] faciendam, nulli singulariter[d] prohibebatur[e] tenere virginitatem: licet enim aliquis contineret, erant tamen alii per quos poterat genus humanum multiplicari. Sed tunc demum teneretur quilibet illi praecepto, cum videret alium deesse per quem praeceptum illud posset impleri: quilibet enim tenebatur ad hoc ut illud praeceptum non remaneret inexpletum, etiam per se ipsum, si videret quod per alium non posset impleri aut quod Dominus aliter non disponeret.

6. Ad aliud[f] quod obiciebatur quod 'nulli membro erat castitas prohibita' etc.: dicendum quod hoc verum est de castitate fidei, non autem de castitate carnis. Ecclesia enim non est virgo per integritatem carnis, sed fidei, et sic intelligitur verbum Augustini, scilicet illud: « Absit ut a membris prohibeatur virginitas, cum sponsae conceditur »; loquitur enim de prohibitione virginitatis fidei.

7. Ad illud quod dicit Augustinus, III *Super Genesim*, « potest dici alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, ut solo piae caritatis affectu » etc.: dicendum[g] quod Augustinus exprimit modum alium posse fuisse a Deo; unde dicit quid poterat fuisse, non quid conveniebat: conveniebat[h] enim ut mulier de viro formaretur et de illis duobus humanum genus propagaretur propter multa superius tacta[3].

8. Ad illud quod quaeritur de revocatione praecepti de multiplicatione[i] prolis[k]: dici potest quod illud praeceptum, *Crescite et multiplicamini*, non solum datum fuit ad augmentum et multiplicationem prolis carnalis, sed prolis spiritualis. Unde sicut in primo statu melior fuit castitas coniugalis quam virginalis propter paucitatem hominum, sic post sufficientem multiplicationem hominum maior erat necessitas multiplicare filios spirituales quam carnales. Unde Augustinus[l][4]: « Pro tempore isto apud Deum excellit virginitas, quia, cum ad implendum numerum[m] sanctorum largissima suppetat copia, libido sibi nunc non vindicat quod iam suscipiendae prolis necessitudo non postulat ». Et ita virginitas melior, propter quod conveniens fuit ut praeceptum illud quantum ad multiplicationem prolis carnalis revocaretur. — Nota ergo quod praeceptum illud erat multipliciter et multis locis revocatum, scilicet praefiguratione, id est praefigurata fuit eius[n] revocatio, et hoc ante Legem, scilicet in virginitate Abel, in qua fuit praefigurata virginitas Christi, ut habetur ab Augustino, *De mirabilibus*[o], in verbo supra dicto[5]; et in Lege, scilicet in virginitate Eliae, in qua praefigurata fuit virginitas Ioannis Baptistae, ut patet ex verbo Hieronymi[p] supra dicto[6]. Fuit etiam revocatum inspiratione, scilicet in virginitate B. Virginis et B. Ioannis Baptistae. Fuit etiam revocatum exemplo, scilicet in virginitate Christi, qui fuit forma vivendi perfectis; unde Luc. 6,40: *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* Fuit etiam revocatum doctrina Christi, Matth. 19,10-11: *Dicunt ei*[q] *discipuli eius: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dicit eis* etc.; super quod Hieronymus, *Contra Iovinianum*[7]: « Apostoli uxoris onere contemplato, *si talis est*, inquiunt, *causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Quorum Dominus sententias probans[r]: recte quidem sentitis, ait, quod non expediat homini, ad regna[s] caelorum tendenti, accipere uxorem, sed difficilis res est et *non omnes capiunt verbum istud*[t], *verum quibus datum est*[8] ».

---

[a] Ita V, alii *precepta affirmativa non ligant* pro *p. a. n. l.*; S om. *autem.* [b] R om. *ad multiplicandum... fuit.* [c] RZ *expedit.* [d] V *singulari*; T *prohibeatur* pro *prohibebatur.* [e] Codd. add. *non.* [f] L *illud.* [g] Ita F (interl.), alii om. [h] S om. [i] Ita VF (corr.), alii *multitudine*; S om. *de.* [k] Z add. mg. *idem.* [l] V *Hugo.* [m] F *numerorum.* [n] Ita V, alii *ipsa.* [o] VSTL add. *Christi.* [p] S om. [q] VZ *enim*, quod F corr. [r] V *probatis.* [s] R *regnum.* [t] Z *illud.*

1 I Cor. 7, 29.
2 Luc. 1, 17.
3 Cf. supra, num. 446-449.
4 *De Gen. ad litt.*, IX, c. 7 (PL 34, 397).
5 Cf. supra, p. 709, *ad 4.*
6 Cf. supra, p. 709, nota 10.
7 Lib. I, n. 12 (PL 23, 228).
8 Matth. 19, 11.

Et Matth., eodem, 12: *Sunt eunuchi qui castraverunt* [a] *se propter regnum caelorum. Qui potest capere capiat.* Hieronymus, *Contra Iovinianum*[1]: « Mihi illi eunuchi placent, quos castravit non necessitas, sed voluntas; libenter eos recipio in meos sinus qui *se castraverunt propter regnum caelorum,* et ob meum cultum noluerunt esse quod nati sunt ».

MEMBRUM II.

De prole propagata.

Determinato de modo sive de via propagandi, id est de coitu primorum parentum, sequitur de ipsa prole propagata. Unde intentio huius partis est determinare quales liberos genuissent primi parentes, si non peccassent, et posteri eorum.

Primo ergo quaeretur quales liberos genuissent quantum ad iustitiam;

secundo, quales quantum ad scientiam;

tertio, quales quantum ad virtutem corporalem;

quarto, quales quantum [b] ad sexum.

CAPUT I.

QUALES FILIOS GENUISSENT PRIMI PARENTES QUANTUM AD IUSTITIAM.

Circa primum, quaeruntur tria:

Primum est si geniti in [c] statu illo essent heredes paternae iustitiae quantum ad iustitiam originalem;

secundum est si [d] quantum ad iustitiam gratuitam;

tertium est si [e] quantum ad iustitiam confirmatam.

ARTICULUS I. 499

Utrum geniti in illo statu essent heredes paternae iustitiae originalis[2].

Quaeritur ergo primo si essent heredes originalis iustitiae.

Quod sic, videtur *a.* per hoc [f] quod ex culpa transgressionis primorum parentum generantur filii heredes culpae paternae; propter quod videtur quod [g] ex merito obedientiae eorumdem, si stetissent, genuissent filios heredes iustitiae parentum, quia « si oppositum de opposito [h], et propositum de proposito [3] ».

b. Item, Anselmus, *De conceptu virginali,* 24 cap.[4]: « Si Adam nequivisset ad eos, quos generaturus erat, iustitiam suam perducere [i], nequaquam posset eis iniustitiam suam transmittere ».

c. Item, idem, *De conceptu virginali,* 10 cap.[5]: « Dedit Deus Adam hanc gratiam ut sicut quando illum condidit nulla propagandi [k] operante natura aut voluntate creaturae, simul fecit eum et rationalem et iustum, ita simul, cum [l] rationalem haberent animam, iusti essent quos generaret, operante natura et voluntate, si non peccaret ».

d. Item, nihil est medium inter iustum et iniustum in hominibus; sed Adam, si stetisset, non genuisset filios iniustos; ergo genuisset filios iustos, scilicet naturali iustitia [m].

e. Item, cum minimum bonum est maius bonum quam maximum malum est malum, videtur quod non minus debuit remunerari meritum obedientiae primorum parentum, sed magis, quam inobedientiae demeritum puniri; sed inobedientiae demeritum fuit punitum transfusione iniustitiae paternae; ergo etc.

Contra: 1. Hugo[6]: « Sic [n] primus homo, tempore obedientiae suae [o], casto coniugio ad propagationem posteritatis institutioni divinae deserviens, filios generaret sine peccato quidem, quoniam ex natura ab omni vitio libera, sed non similiter paternae iustitiae heredes ».

---

[a] Ita V, alii *eunuchizaverunt.* [b] L *sunt.* [c] R om. [d] Ita V, alii *secundo* pro *s. e. s.* [e] Ita V, alii *tertio* pro *t. e. s.* [f] Ita VF, alii add. *quod videtur.* [g] VSTR om. *ex culpa... quod,* in FLZ est add. mg. [h] V om. *d. o.* [i] Ita F, alii *producere.* [k] T om. [l] T *esse.* [m] V om. *s. n. i.* [n] Codd. *si.* [o] L *suo.*

1 Loc. cit.

2 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 33, a. 1, q. 2, *ad 1* (II, 786); *Breviloq.,* p. 3, c. 6 (V, 235b).

3 Cf. Aristot., *Topic.,* IV, c. 4 (I, 212).

4 PL 158, 457.

5 PL 158, 444.

6 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 6, c. 24 (PL 176, 278).

2. Item, impossibile est fieri transfusionem alicuius proprietatis nisi per transfusionem sive traductionem subiecti illius vel causae [a]: causae, dico, propter transfusionem originalis peccati, quod transfunditur a parentibus in prolem per traductionem carnis corruptae, quae est causa ipsius peccati originalis [1]; ergo, cum in generatione prolis non sit traductio subiecti vel causae iustitiae originalis, nullo modo potest esse transfusio originalis iustitiae a parentibus in [b] prolem; subiectum autem originalis iustitiae est ipsa anima, quae non est ex traduce [2].

3. Item, anima Adae nullo modo poterat [c] efficere peccatum in anima pueri geniti ab eo; sed, quia persona Adae corrupit naturam in eo, quae natura non erat eius solummodo ut erat singularis persona [d], sed ut erat generalis, ex transfusione illius naturae corruptae corrupta erat natura pueri, et hoc ratione qua aliquid erat commune patri et proli. Si autem [e] natura, quae erat in puero, non esset cum suo vitio traducta a patre, nulla fuisset corruptio in puero. Si ergo nihil quod erat commune patri et proli, erat subiectum gratiae vel causa [f], ergo etc.

Respondeo: Potest dici, secundum Anselmum, quod, si stetissent primi parentes, quod genuissent filios heredes paternae iustitiae quantum ad iustitiam originalem, sicut patet ex verbis eius supra tactis [3].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod dicit Hugo quod « non genuissent paternae iustitiae heredes », dicendum quod hoc intelligitur sic: paterna iustitia non descenderet ad eos hereditarie. Illud autem dicitur hereditarie descendere ad filios, quod filii habent a patre, domino et possessore, iure filiationis; illi autem filii non hereditarent [g] bona gratuita a patre ut a domino et possessore illorum, sed potius a gratia Conditoris. Ut enim haberi potest ex verbis Anselmi, in hoc ostendebatur magnitudo bonitatis Dei et plenitudo gratiae illius, quod qualis erat primus homo iustitia et felicitate, tales propagaret; nec hoc est quia ex sola propagatione essent tales, sed quia propagati dono Dei essent tales: omne enim donum gratuitum gratum faciens immediate est a Deo ut a per se [h] efficiente.

2-3. Ex hoc patet responsio ad alia quae sequuntur, quod non intelligi debet transfusionem fuisse iustitiae sicut corruptionis neque animam infusam carni incorruptae contraxisse a carne iustitiam originalem, sicut anima infusa carni corruptae contrahit ab illa culpam originalem, sed quadam improprietate locutionis dicitur iustitia originalis transfusa fuisse, quia natura fuisset transfusa integra, ex qua anima, habens originalem iustitiam, ex sui conditione nihil contraxisset vitii quo defecisset a sua rectitudine nec a stabilitate confirmationis superadditae gratia Conditoris. Addendum est etiam quod iustitiae paternae dicitur fuisse transfusio, quia iustitia paterna quodam modo meruisset posteris gratiae huiusmodi collationem. Quia ergo ex parte naturae transfusae non fuisset aliquid quo declinassent posteri a rectitudine sua et quia paterna iustitia aliquo modo [i] cooperata fuisset, scilicet merendo, illorum iustitiae, dicitur transfusio iustitiae a patre in prolem.

Sunt quidam tenentes contrarium, scilicet filios non fuisse heredes paternae iustitiae: quod videtur sentire Hugo [4]. Dicit enim sic [5]: « Sunt qui credunt veraciter asserendum quod primus homo, si non peccasset, nullos nisi bonos filios genuisset et nemo omnium, qui ex eius carne nascerentur, damnaretur [k]. Tamen illud merito quaeritur si sola primi hominis obedientia probata omnibus posteris ex eo nascituris ad meritum sufficere debuisset aut si singuli quique temporibus suis post eum, quemadmodum ipse primus [l] probatus est, sive eiusdem sive alterius cuiuslibet mandati observantia probandi fuissent? Et potest fortassis non absurde credi [m] quod idem mandatum, quod primo parenti datum est, posteri quoque illius observare debuerunt, ut singuli propria obedientia probarentur et singuli [n] pro suis meritis digna remuneratione glorificarentur ».

Tenentes hanc opinionem sic possunt respondere ad obiecta contra partem istam.

a. Ad illud quod primo obicitur, scilicet quod 'ex quo cum culpa transgressionis [o] generantur filii culpae paternae' etc.: dicendum quod non oportet; non enim ex carne incorrupta contrahit anima iustitiam sicut ex corrupta culpam. Praeterea, inobedientia unius praevaricationis perfecta est; obedientia, quae deficit ante finem sive finis consummationem, non est perfecta; unde adimpletio obedientiae particularis non debuit esse ita efficax in bono sicut inobedientia huius in malo. Unde Hugo, *De sacramentis* [6]: « Temere asserendum [p] non est, quia non similiter videtur quod quemadmodum nunc [q] », id est in statu naturae

---

[a] V *esse.* [b] S om. [c] Ita VF, alii *poterit.* [d] V *persone.* [e] Z *enim.* [f] V *commune.* [g] VR *heredarent*, quod FL corr. [h] R *primo* pro *p. s.* [i] R om. [k] V *damnarentur*, quod F corr. [l] V add. *homo.* [m] V *concedi.* [n] T om. *propria... singuli.* [o] T *transfusionis.* [p] VZ *asserens*, quod L corr. [q] S vacat, L *non*, quod F corr.; V *tempore* pro *in statu.*

1 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 31, c. 4 (p. 469sq.).
2 Cf. supra, num. 327.
3 Cf. supra, sub litt. *c.*
4 Cf. supra, sub n. 3.
5 Loc. cit.
6 Loc. cit. (PL 176, 277).

lapsae, « natura per inobedientiam ad corruptionem mutata cernitur, ita etiam tunc », id est in statu naturae [a] conditae, « per obedientiam servatam [b], nisi usque ad tempus praedefinitum [c] a Deo servata fuisset, ad incorruptionem mutaretur [d]. Semel enim transgredi plena inobedientia fuit; sed non similiter perfecta obedientia fuisset, si in ipsa obedientia homo usque in [e] finem non perstitisset. Propterea, sicut inobedientia uno tempore consummata naturam ad corruptionem mutavit, ita etiam obedientia naturam ad incorruptionem non mutasset, donec tempore suo usque in finem servata perfecta fuisset ». — Ad illud quod subiungitur 'si oppositum de opposito' [f] etc.: dicendum quod haec maxima tenet ubi fit comparatio oppositorum per se et propositorum, quae sunt proprie respondentia sive propria ipsis oppositis [g]: verbi gratia, si albedo disgregat [1], nigredo congregat. Non est autem proprium peccati sive culpae transfundere suam inordinationem ad personam aliquam aliam a delinquente; quod autem primum peccatum transfunditur ad prolem peccantis, magis fuit ex congruentia divinae iustitiae quam ex efficacia peccati. Praeterea, ad inducendum inordinationem aliquam sive demeritum unicus sufficit defectus, non autem ad inducendum ordinationem sive meritum unicus sufficit actus ordinatus, immo requiruntur multae circumstantiae. Propter hoc non se habet oppositum ad oppositum sicut propositum ad propositum generaliter in moribus.

b. Ad aliud quod obicitur 'si nequivisset perducere [h] iustitiam suam' etc., dicendum quod 'perducere iustitiam sive transmittere' dicitur dupliciter: vel influendo illam, et sic est solius Dei qui animam creat et perficit; vel transfundendo sive transmittendo carnem omnino consonantem spiritui infuso et iustitiae sive rectitudini eius, et hoc modo dici potest Adam transmisisse iustitiam in posteros, quia talem transmisisset carnem, si stetisset, quae nequaquam iustitiae obviasset, immo per omnia spiritui subiaceret. Unde, cum Adam generaret filium sine omni corruptela et rebellione ex parte carnis et Deus infunderet animam innocentem et rectam, omnes posteri eius recti et iusti essent. Et, licet illa iustitia principaliter quidem [i] esset a Deo qui eam tribueret animae, nihilominus tamen dici posset quod Adam eam [k] transmitteret, quia carnem propagaret innocentiae et iustitiae consonantem. Et secundum hanc viam intelligendae sunt omnes auctoritates quae inducuntur ad istam partem.

c. Et [l] per hoc patet responsio ad sequens [m] quo dicitur quod 'generasset filium iustum': hoc enim non esset iustitiam in animam filii infundendo, sed [n] carnem mundam propagando, quae nata esset rectitudini iustitiae subiacere.

d. Ad illud quod obicitur quod 'nihil est medium inter iustum et iniustum': dicendum quod verum erat tunc de iustitia originali et iniustitia sibi opposita, sed de iustitia gratuita non habet veritatem: poterat enim homo esse in statu solius rectitudinis naturalis. Et ideo ex ratione illa hoc solum haberi potest quod Adam generasset filios innocentes, et hoc quidem verum est; sed tamen ex hoc non habetur [o] quod transmitteret vel quod filii principaliter iustitiam ab ipso obtinerent.

e. Ad illud quod obicitur quod 'Adam debuit transmittere meritum sicut demeritum': dicendum, sicut tactum est in praecedentibus [2], quod illud non sequitur, quia plura requiruntur ad constituendum bonum quam ad inducendum malum, sicut patet in Tractatu de originali peccato [3]; inordinatio autem poterat habere causam in carne, non sic autem radix meriti, quae est gratia *desursum descendens* [4], et ideo non sequitur quod, si transmisit demeritum, quod [p] propter hoc meritum transmisisset [q].

ARTICULUS II. 500

Utrum geniti in illo statu essent heredes paternae iustitiae gratuitae.

Deinde quaeritur si essent heredes paternae iustitiae quantum ad iustitiam gratuitam.

Quod sic, videtur: 1. Adam peccans transmisit nobis demeritum damnationis; ergo, si stetisset sive profecisset [r] in gratia, transmisisset posteris meritum salvationis, iuxta illud « si oppositum in opposito [5] » etc.; sed salvari nullus unquam poterat sine gratia; ergo etc.

2. Item, Adam peccando, non solum sibi, sed nobis demeruit; ergo, si stetisset sive profecisset, aliquid posteris meruisset; sed non meruisset

---

[a] Ita F, alii om. [b] V *servatio;* F (corr.) *observatam.* [c] V *sibi diffinitum.* [d] SL *mutarentur.* [e] F *ad.* [f] V add. *et propositum de proposito.* [g] Ita F (corr.), R *ipsius opponentis* pro *l. o.*, alii *ipsius* pro *ipsis.* [h] Codd. *producere;* item infra. [i] R *quid;* T om. *esset.* [k] R *esse.* [l] Z om. [m] T *consequens;* V *dicit* pro *dicitur.* [n] S add. *et.* [o] Ita VF (corr.), alii *habet.* [p] V *quia.* [q] F *transivisset.* [r] L om. *s. p.*

1 Cf. Aristot., *Topic.*, III, c. 5 (I, 203).
2 Cf. supra, *ad a.*
3 Cf. Parte II Libri II huius *Summae.*
4 Iac. 3, 15.
5 Cf. Aristot., *Topic.*, IV, c. 4 (I, 212).

quod erat naturae; ergo meruisset aliquid ultra; ergo videtur quod non solum iustitiam originalem, sed gratuitam aliis meruisset.

Contra: *a.* Omne quod transfunditur et etiam quod tunc transfusum esset, fuisset naturale: transfusio enim illa naturalis fuisset sicut et illa quae nunc est; sed gratia sive gratuita iustitia non est naturalis neque eius transfusio; ergo etc.

b. Item, iustitia gratuita [a] infunditur immediate a Deo; ergo etc.

[Solutio]: 1. Quod concedimus, respondentes [b] ad primum, scilicet quod 'transmisisset posteris meritum salvationis sicut transmisit demeritum damnationis': dicendum quod revera aliquid meruisset illis. Unde Hugo[1]: « Potest fortasse non absurde credi primam obedientiam observatam causam fore gratiae adiutricis in omnes sequentes et ipsam obedientiam obediendo imitantes »; sed hoc esset potius meritum congrui quam condigni, sed tamen propter hoc non diceretur transfundere posteris iustitiam gratuitam, nisi aliquis valde vocabulo abutatur. Qualiter autem intelligenda est maxima illa 'si oppositum de opposito' etc. [c], dictum est supra [2].

2. Ex iis patet responsio ad aliud quod sequitur, quia [d] bene potest concedi quod aliquid posteris meruisset superadditum naturae nec ex hoc sequitur quod transfudisset [e] eis iustitiam gratuitam.

501 ARTICULUS III.

Utrum geniti in illo statu essent heredes paternae iustitiae confirmatae.

Sequitur inquirere utrum essent heredes paternae iustitiae quantum ad iustitiam confirmatam [f].

Quod sic, videtur: *a.* Malum non est potentius in malum quam bonum in bonum; sed [g] Adam peccando transmisit posteris necessitatem peccandi saltem venialiter; ergo videtur quod stans sive proficiens transmisisset illis necessitatem proficiendi sive merendi; hic autem status, scilicet necessitatis merendi, est confirmatorum in via [h]; ergo transmisisset illis iustitiam confirmatam.

b. Item, angeli stantes statim confirmati sunt; si ergo meritum Adae non fuisset minus quam meritum angeli — quod patet per hoc quod non erat tantae fortitudinis — videtur quod ipse, si stetisset, statim esset confirmatus; sed tales filios generasset qualis statim fuisset; ergo etc.

c. Hoc etiam videtur haberi ab Anselmo, *De conceptu virginali* [3], dicente: « Quid convenientius ad ostendendum magnitudinem bonitatis Dei et ad plenitudinem gratiae quam Adae concedebat, quam ut quorum esse in illius potestate [i] sic erat ut quod ille naturaliter erat, hoc illi per illum essent, ita quoque in eius esset arbitrii libertate ut qualis erat ipse iustitia et felicitate, tales vere [k] propagaret ». Ex hoc verbo videtur quod filii fuissent heredes paternae iustitiae et quantum ad iustitiam gratuitam et [l] quantum ad [m] confirmatam: non enim generasset similes sibi [n] iustitia et felicitate, nisi generasset [o] habentes iustitiam confirmatam. Ut enim dicit Philosophus, I *Ethicorum* [4]: « Nullus felicitatem laudat quemadmodum iustum, sed ut divinum quid et melius beatificat ». Unde non [p] diceretur felicitas quid [q] divinum, si determinaret statum possibilem ad miseriam [r]: neque enim videntur felices qui a statu iustitiae cadere possunt.

d. Item, status primus fuit inter necesse mori et impossibile mori [s] [5], nihilominus magis ordinatus fuit ad impossibile mori quam ad necesse mori; ex quo videtur quod faciliter potuit illud assequi, cum illud facilius possit [t] attingi ad quod est maior ordinatio. Sicut ergo primi parentes, cadentes a primo statu, incurrerunt necessitatem moriendi et eorum posteritas similiter, similiter videtur, et [u] ratione fortiori, quod, si profecissent in primo statu, assurrexissent ad impossibilitatem moriendi et eorum posteritas similiter. Hoc autem [v] non posset esse nisi essent confirmati, scilicet parentes et filii: dum enim haberent potestatem peccandi, et haberent similiter potestatem moriendi, et ita videtur quod parentes et filii in statu illo fuissent confirmati.

Contra: 1. Augustinus, XIV *De civitate Dei*, cap. 10 [6]: « Quam felices erant et nullis agitabantur perturbationibus animorum [x], nullis corporis

---

[a] V add. *tanta.* [b] Ita V, alii *respondeo.* [c] R *et propositum de proposito.* [d] Z *quod.* [e] Ita V, alii *transfudissent.* [f] T *consummatam.* [g] Z add. *anima.* [h] Ita F (corr.), alii *illa.* [i] Codd. *posteritate.* [k] Ita V, alii *vero.* [l] TF add. *etiam.* [m] V add. *iustitiam.* [n] Ita F (corr.), alii *illi.* [o] S om. *similes... generasset.* [p] Ita V, alii om. [q] S om. [r] S om. *s. p. a. m.* [s] L om. *e. i. m.* [t] V *posset.* [u] VS *etiam;* S om. *similiter.* [v] Ita V, alii om. [x] V *animarum;* R *corporum* pro *corporis.*

1 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 24 (PL 176, 278).
2 Cf. supra, p. 713a.
3 Cap. 23 (PL 158, 456).
4 Cap. 12 (II, 12).
5 Cf. supra, num. 491.
6 PL 41, 417.

laedebantur incommodis; tam felix universa societas esset humana, si nec illi malum quod etiam in posteros traicerent, nec quisquam ex stirpe iniquitatem committeret quae damnationem reciperet ». Ex hoc verbo Augustini videtur quod[a] ad hoc quod posteri primorum parentum stetissent in prima felicitate[b], necesse fuisset[c] quod nec parentes eorum nec illi peccarent. Ex quo videtur quod, etsi parentes stetissent, quod adhuc posteri peccare potuissent; ergo poterant esse alieni a paterna iustitia, et ita non esse[d] heredes iustitiae confirmatae.

2. Item, homo de natura suae conditionis vertibilis est ad bonum a malo et e converso: fuit enim conditus mutabilis vertibiliter; unde neque aversus per culpam efficitur confirmatus in malo, neque conversus per gratiam efficitur confirmatus in bono. Ex quo videtur quod sicut primus homo[e] non fuit confirmatus in malo peccando, similiter neque fuisset confirmatus in bono stando neque proficiendo nec posteros multo[f] fortius genuisset tales.

Respondeo: Ad hoc dicendum, secundum Anselmum, quod, si stetissent primi parentes, quod[g] genuissent filios heredes paternae iustitiae quantum ad iustitiam confirmatam, sed haec confirmatio esset quantum ad iustitiam originalem. Unde Anselmus, libro I *Cur Deus homo*, cap. 17[1]: « Quamvis nondum proveherentur ad illam aequalitatem angelorum ad quam perventuri erant homines, cum perfectus[h] erat numerus de illis assumendus, in illa tamen iustitia, in qua erant, videtur quia, si vicissent, ut tentati non peccassent, ita confirmarentur cum[i] omni propagine sua, ut ultra peccare non possent, quemadmodum, quia victi peccaverunt, sic infirmati sunt, ut, quantum in ipsis est, sine peccato esse non[k] possunt. Quis enim audeat[l] dicere plus valere iniustitiam ad alligandum[m] in servitute hominem, in prima suasione sibi consentientem, quam valeret iustitia ad confirmandum eum in libertate sibi in eadem tentatione prima adhaerentem? Nam quemadmodum, quoniam humana natura tota erat in primis parentibus, tota in illis victa est ut peccaret — excepto illo solo homine, quem Deus sicut [scivit] sine semine viri de Virgine facere, sic scivit a peccato Adae secernere — ita in eisdem tota vicisset, si non peccassent[n] ». Hoc idem videtur sentire Boethius, *De fide christiana*[2], dicens: « Quoniam angelorum numerum, id est supernae civitatis, cuius cives angeli sunt, imminutum voluit Conditor permanere, formavit ex terra hominem atque spiritu vitae animavit eumque praefixa lege in[o] paradisi deliciis constituit, ut, si sine peccato manere vellet, tam ipsum quam eius progeniem angelicis coetibus sociaret ». Ex hoc verbo videtur quod, si ipse stetisset, nullus de posteris eius periisset: quod non videtur posse[p] accidisse nisi confirmati essent. Et hoc videtur posse haberi[q] ab Augustino, qui videtur dicere, XIV *De civitate Dei*, 1 cap.[3], quod nulli de posteris primorum parentum fuissent morituri nisi primi parentes peccassent; et constat quod[r], si non fuissent morituri, non peccassent. Dicit enim sic: « Neque hoc genus fuisse in singulis quibusque[s] moriturum, nisi duo primi, quorum creatus est unus ex nullo, alter ex illo, id inobedientia meruissent, a quibus admissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati et mortis necessitate transmissa ».

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur[t] per verbum Augustini, dicendum quod illud verbum videtur consonum esse sententiae Anselmi[4] sub hoc sensu: felix esset tota[u] societas humana, si primi parentes non traicerent malum in posteros, quia tunc nec aliquis de posteritate iniquitatem committeret. Quod autem subditur « quae damnationem reciperet[v] », nota est expressionis, quia omnis iniquitas in statu illo damnationem induceret.

2. Ad illud quod obicitur quod 'homo conditus erat vertibilis a bono in malum et[x] e converso' etc.: dicendum quod, licet talis fuerit de natura, tamen superveniente gratia, poterat in bono indeclinabiliter stabiliri, sicut dictum est de primo homine quod mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio Conditoris[5], et est evidens exemplum in B. Virgine.

Sunt autem quidam non acquiescentes sententiae Anselmi, dicentes quod semper fuissent filii geniti in statu illo in possibilitate[y] peccandi: quod videtur sentire Magister Hugo de S. Victore[6]. Qui[z] possunt respondere rationibus contra hoc propositis sic:

a. Ad illud quod obicitur quod 'transmisisset necessitatem proficiendi sicut transmisit necessitatem peccandi', dicendum quod necessitatem peccandi dupliciter potest intelligi aliquis habere: aut quia necesse habet, secundum statum

---

[a] Ita V, alii om.; Z om. *ad hoc.* [b] Ita V, alii add. *quod.* [c] T *fuit.* [d] Ita V, alii om. [e] Ita V, alii om. [f] L *multos.* [g] V *parentes* pro *p. p. q.* [h] T *factus.* [i] S *ut.* [k] T om. [l] Z *audet.* [m] F *illigandum*; Z *servitutem* pro *servitute.* [n] V *peccasset.* [o] Ita V, alii om. [p] Ita V, alii om. [q] Ita V, alii *habere.* [r] Z om. [s] VSTZ *quibuscumque.* [t] T om. [u] V om. [v] Z *susciperet.* [x] F om. [y] Ita F (corr.), alii *impossibilitate.* [z] S *quia*, LZ *qua.*

1 Cap. 18 (PL 158, 387).
2 Ioan. Diacon. (PL 64, 1334).
3 PL 41, 403.
4 Cf. *De conc. virg.*, c. 2 (PL 158, 434).
5 Cf. supra, num. 492.
6 Cf. *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 24 (PL 176, 278).

in quo est, in aliquod peccatum incidere aut quia[a] necesse habet in peccato permanere. Primo quidem modo reperitur necessitas in statu naturae humanae post lapsum, sed[b] secundo modo in statu ruinae angelicae. Si quis ergo recto intellectu velit arguere, ex hoc non habebit quod Adam, si obedivisset, necessitatem habuisset permanendi in iustitia, sicut habent angeli qui non possunt labi, sed quod, statu illo manente, necesse esset ipsum in aliquod opus bonum et laudabile exire. Et hoc utique verum est, quia sicut[c] status naturae corruptae ponit defectus et deordinationes, sic status ille requireret rectas et ordinatas operationes et cogitationes: nunquam enim homo in statu innocentiae otiosus[d] fuisset.

b. Ad illud quod obicitur de angelis, dicendum quod non est simile, et hoc diffusius habet explicari, cum agitur de irremediabilitate peccati angelici [1], sed nunc tantum sufficiat[e] dixisse quod ratione nobilitatis et simplicitatis et incorporeitatis et deiformitatis naturae angelicae, quae nullum habebat retardans, et ratione status merendi sibi[f] praefixi, sicut vult Damascenus [2] et Augustinus [3], angelus statim in primo conflictu fuit confirmatus in bono vel obstinatus in malo; homo vero, quia erat alterius conditionis, sicut per demeritum non fuit in malo obstinatus, secundum quod patet, nec in se nec in posteris, sic non fuit in bono confirmatus, ideo non oportuit ipsum iustitiam confirmatam in posteros transfudisse.

c. Ad aliud de auctoritate Anselmi dici potest quod hic[g] opinatus fuit, tamen ex illo verbo non potest haberi nisi secundum quamdam congruentiam et dispositionem, quae non ponit necessario ita esse. Praeterea, potest fieri vis in verbo, ut per 'iustitiam' intelligamus naturalem rectitudinem, per 'felicitatem' privationem omnis poenae, non confirmationem in statu iustitiae.

d. Ad illud quod obicitur quod 'facilius poterat assurgere ad impossibilitatem moriendi quam declinare ad necessitatem' etc.: dicendum quod ordinatus fuit ad impossibilitatem moriendi, non ut ad illud quod assequi debuit in vita animali et terrena, sed potius in vita spirituali et caelesti. Unde Augustinus, XIV *De civitate Dei,* cap. 10 [4]: « Felix universa societas esset humana, si nec illi » etc., ut supra [5], « atque ista permanente felicitate, donec per illam benedictionem, qua dictum est: *Crescite et multiplicamini,* praedestinatorum sanctorum numerus compleretur, alia maior[h] daretur, quae beatissimis angelis data est, ubi iam esset certa securitas peccaturum neminem neminemque moriturum[i] ».

Contrarietas autem, quae videtur inter Hugonem et Anselmum, ita potest dissolvi. Dicit enim Hugo, in *Sententiis* suis [k 6]: « Stultum videtur dicere quod in hac vita confirmatus sit ita aliquis, quod non possit fieri malus; quod[l] in alia vita tantum promittitur ». Anselmus [7] dicit quod « si primi parentes vicissent in illa[m] prima tentatione, quod ita confirmarentur cum omni propagine sua ut ultra peccare non possent ». Quod autem dicit Hugo quod nullus debet dici ita confirmatus in hac vita quod non possit fieri malus, intelligitur « non possit » negative simpliciter, id est nullo modo possit[n]. Quod patet per hoc quod subiungitur, scilicet « quod in alia vita tantum promittitur ». Quod autem dicit Anselmus quod « ita confirmarentur quod ultra[o] peccare non possent », non intelligitur « non possent » negative, sed potius expressive; notatur enim per hoc expressio stabilitatis in bono, sub hoc sensu: ita essent stabiles in bono, quod quasi esset illis impossibile facere malum, sicut dicitur aliquando de aliquo viro excellenter bono quod nesciret facere malum vel quod non posset.

Opinio autem fuit fere omnium et etiam maiorum quod, si[p] stetissent primi parentes, ita fuissent confirmati et illi et posteri quod nullo modo peccare potuissent.

502 CAPUT II.

QUALES FILIOS GENUISSENT PRIMI PARENTES QUANTUM AD SCIENTIAM [8].

Sequitur inquirere quales filios genuissent quantum ad scientiam. Et quaeritur utrum genuissent filios perfectos scientia.

Quod sic, videtur: 1. Omnis ignorantia in rationali creatura est poena peccati: ut enim dicit Beda [9], quatuor sunt nobis inflicta propter

---

[a] S om. [b] Ita V, alii *si.* [c] Z om. [d] L *occisus.* [e] T *sufficit.* [f] S *merendis* pro *m. s.* [g] L *hinc.* [h] L *magis.* [i] V *incarnaturum.* [k] R *scilicet.* [l] Z *et.* [m] V *alia.* [n] S *possint.* [o] L *intra.* [p] T om.; Z om. *etiam.*

[1] De qua in Parte secunda Libri II huius *Summae;* cf. supra num. 156 et p. 151a.
[2] *De fide orthod.,* II, cc. 3 et 12 (PG 94, 867, 923).
[3] Cf. *De civit. Dei,* XIV, c. 27 (PL 41, 435).
[4] PL 41, 417.
[5] Cf. supra, p. 715a.
[6] Pseudo-Hugo, *Summa Sent.,* tr. 3, c. 7 (PL 176, 100).
[7] *De conc. virg.,* c. 2 (PL 158, 434).
[8] Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 20, c. 5 (p. 402); Roland., *Sententiae* (ed. Gietl, p. 122sq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 20, dub. 5 et 6 (II, 488sq.).
[9] De hoc loco communiter Bedae adscripto cf. *Glossa ordin., In Luc.,* 10, 30, ap. Lyran.; Beda, in h. l. (PL 92, 469); S. Bonav., *Opp. omnia,* II, p. 528, nota 2.

peccatum primorum parentum, scilicet ignorantia, infirmitas, malitia et ex iis conflata mali[a] concupiscentia; in statu primo nullum fuisset[b] peccatum nec poena peccati, et ita nec ignorantia; ergo filii procreati in illo statu fuissent perfecti scientia sine omni ignorantia.

2. Item, secundum Philosophum[1], si[c] senex haberet oculum iuvenis, videret utique ita bene sicut et[d] iuvenis. Ex hoc patet quod si defectus aliquis sit in anima ex parte illa quae spectat ad cognitivam, hoc est propter defectum aliquem ex parte organi aliquo modo ipsi cognitivae deservientis vel ex parte corporis cuius anima est perfectio; sed corpora genitorum in statu illo fuissent optimae harmoniae et sanitatis perfectissimae, sicut habetur ab Augustino[2] de corpore primi hominis[3]; ergo ex parte corporum illorum non fuisset aliquod[e] impedimentum, propter quod animae incurrissent aliquem defectum quantum ad cognitionem vel scientiam.

3. Item, *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam,* Sap. 9, 15; sed[f] in illis nulla fuisset corruptio in corpore; ergo nulla aggravatio in anima; ergo in omni libertate, qua gaudet ipsa substantia animae, posset uti scientia sibi indita et aliis bonis similiter, nullo existente impedimento in corporibus illorum; et ita videtur quod statim habuissent illam perfectionem scientiae quae competit animae secundum se, nullo occurrente impedimento, et ita ut prius.

4. Item, duplex erat perfectio hominis in statu primo: una iustitiae originalis, quae spectabat ad ipsam affectivam, alia scientiae rationalis, quae spectabat ad ipsam[g] cognitivam; sed statim habuissent perfecte iustitiam originalem; ergo pari ratione statim habuissent perfecte scientiam rationalem.

5. Item, quod habuissent statim usum rationis, videtur per hoc quod quaedam, quorum perfectio est anima sensibilis, statim abundant cognitione agendorum et notitia expedientium et nocivorum: unde statim habent usum suae cognitivae; sed constat quod non fuisset homini subtractum quod est animalibus concessum, nisi hoc esset de merito peccati; igitur, si non praecessisset peccatum, homo statim in ortu sive post ortum suum haberet usum rationis et sciret quae agenda et quae fugienda, et ita ut prius.

6. Item, duo creavit Deus ad imaginem suam, scilicet angelum et animam[4], quae sunt creaturae rationales et perfectissimae in genere creaturarum; sed[h] angelus conditus statim habuit perfectionem cognitionis et hoc requirebat[i] eius perfectio[5]; similiter videtur quod anima creata statim sit perfecta scientia sive quod debeat esse, nisi culpa interveniente impediatur, vel quare non, cum hoc[k] sit perfectionis[l].

7. Si dicatur quod anima[m] non est statim perfecta scientia propter coniunctionem cum corpore tali – hoc videtur inconveniens. Ut enim dicit Avicenna[6], anima unitur corpori ut perficiatur; ergo sortitur perfectionem ex coniunctione cum corpore et non imperfectionem, et maxime ex coniunctione cum corpore existente sine corruptione.

8. Item, in primo statu geniti essent perfecti cognitione sensitiva: non enim fuissent in aliquo defectu quantum ad sensitivam cognitionem; multo fortius videtur quod perfecti fuissent cognitione intellectiva, et ita essent in statu illo scientia perfecti. Dicit enim Philosophus[7] quod « intelligere est in anima, cum velit, sentire autem non est in ipsa », supple 'cum velit'[n]. Ex quo videtur quod actus intellectivae magis subsit libertati voluntatis quam actus sensitivae; ex quo videtur sequi propositum.

Contra hoc *a.* arguit Hugo[8] sic: « Prima[o] omnia perfecta facta[p] sunt, cetera autem omnia, quae ex ipsis oriuntur et post ipsa sequuntur[q], nisi per intervalla temporum crescendo ad perfectionem venire non possunt ». Et hoc ostendit per inductionem in plantis et animalibus, ex hoc intendens concludere hoc[r] idem contigisse de cognitione sensus et intelligentia mentis.

b. Item, ut habetur ab Avicenna[9], anima rationalis coniungitur corpori ut in eo perficiatur scientiis et virtutibus et sic perfecta coniungatur saeculo[s] altiori; sed hoc est verbum catholicum et est generale ad omnem statum; ergo in statu innocentiae anima pervenisset ad habitum scientiae mediante adminiculo corporis; ergo non habuisset habitus scientiarum sibi innatos, sed eos tempore acquisivisset; igitur in statu illo geniti non orirentur perfecti scientia.

c. Item, si Adam stetisset, filii eius per successionem temporis pervenissent ad perfectionem staturae ex parte corporis; ergo a simili videtur quod successione temporis pervenissent ad perfectionem scientiae ex parte mentis, aut[t] si non, quare non?

---

[a] TRZ om., L exp. [b] V *fuit.* [c] L add. *ita;* S om. [d] Z om. [e] V om. [f] Ita F (corr.), alii *si.* [g] V om. *affectivam... ipsam.* [h] V om., in F est add. interl. [i] V *cognitive;* S om. *perfectio.* [k] Ita F (corr.), alii *homo.* [l] V add. *maioris.* [m] Ita V, alii om. [n] S om. *sentire... velit,* in F est add. mg. [o] LZ *primo.* [p] L om. [q] F (corr.) *subsequuntur.* [r] T om. [s] V *scientie.* [t] Z *et.*

1 *De anima,* I, c. 4 (III, 440).
2 Cf. *De civit. Dei,* XIV, c. 26 (PL 41, 434).
3 Cf. supra, num. 437-440.
4 Cf. supra, num. 300, 336-343.
5 Cf. supra, num. 123 sqq.
6 Cf. *De anima,* tr. 1, cc. 1-5 et tr. 5, c. 4 (f. 1csq., 5d et 24d).
7 Aristot., *De anima,* II, c. 5 (III, 451).
8 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 6, c. 26 (PL 176, 279).
9 Cf. loc. cit.

Respondeo[1]: Dicendum quod parvuli geniti ab Adam in[a] suae nativitatis primordio illuminationem aliquam cognitionis et scientiae absque dubio habuissent. Si autem natura, secundum quod vult Philosophus[2], generaliter de ipsa loquens, non deficit in necessariis, multo fortius colligi potest de illa natura tam nobili et tam bene instituta quod non defuisset illuminatio necessaria intellectui ad iudicandum, sicut non defuit rectitudo iustitiae ipsi affectui in appetendis et respuendis: rectum enim appetitum voluntatis antecedit rectum iudicium rationis, et ideo rectitudinem iustitiae praeit illuminatio scientiae in iis quae sunt capacia utriusque. Sicut ergo indubitanter dici oportet quod filii Adae rectitudinem[b] affectus haberent tam respectu appetibilium quae sunt de genere commodi quam respectu eorum quae sunt de genere[c] honesti, sic etiam ponendum est[d] quod respectu utrorumque haberet parvulus illuminationem scientiae statim cum nasceretur, per quam esset habilis et idoneus et expeditus ad illa discernenda, ne per ignorantiam vel errorem cogeretur affectus in aliquo deviare. Et hoc quidem dicere possumus sine calumnia, cum non sit dissonum rationi nec auctoritas aliqua contradicat.

Verum[e], si ulterius procedatur ad illius illuminationis et scientiae usum et statum, difficile est determinare, tum quia auctoritates super hoc non[f] reperiuntur expressae, tum etiam quia ad hoc vix haberi possunt nisi rationes congruentiae, quae frequenter sunt ad utramque partem, tum etiam quia in statu sumus caliginis et miseriae, adeo ut vix possimus cogitare quae in statu illo fuissent, propter hoc quod sumus in aspectu multiplicium defectuum assueti. Unde quibusdam videtur dicendum quod statim parvuli habuissent rationis usum, cum corpus non aggravaret spiritum; profecissent tamen in scientia per experientiam, sicut etiam datum erat eis proficere in iustitia et bona vita per obedientiam. — Aliis videtur quod parvuli non statim habuissent usum rationis sicut nec in matrum uteris, et hoc propter humiditatem, quae per naturam erat in organis deservientibus usui potentiae cognitivae. Unde per naturam fuissent aliquantulum retardati, et hoc quidem non fuisset poena nec ignorantia eorum[g], sed potius ordo naturae[h] esset, quae ab imperfecto inchoat et tendit ad complementum. Non tamen fuissent ita diu retardati sicut et[i] nunc, quia poenalis corruptio, superadiecta imperfectioni corporis, multum retardat et impedit usum rationis.

Quid autem[k] verius sit, difficile est videre. Possumus tamen sine praeiudicio mediam viam tenere, ut dicamus quod parvuli illi[l] statim noscerent quod pro illo tempore esset naturae suae consonum vel nocivum, et hoc per industriam naturalem. Si autem natura hoc concessit agniculis ut per instinctum naturae lupum refugiant quem nunquam viderunt, et mamillas matris requirant, nequaquam credendum est hoc filiis Adae fuisse negatum. Quantum vero ad quaedam quae spectant ad bonum honesti, sicut distinctio praeceptorum et cultuum quibus Deus est venerandus et similia, videtur probabile quod cognitionis usus fuisset dilatus, quamvis non absurde concedi possit quod eis habitus ad hoc esset datus. Iis visis patet in parte responsio ad quaestionem propositam.

[Ad obiecta]: *a-b*. Patet etiam pro magna parte responsio ad obiecta. Nam rationes[3], quae probant quod non generaret filios habentes perfectionem scientiae, ostendunt quod filii Adae non statim a[m] principio habuissent cognitionem in tanta plenitudine et perfectione in quanta erant per successionem temporis habituri, et hoc quidem verum est, et ideo concedi possunt.

c. Attamen ad illam rationem quam ultimo inducit de similitudine staturae: dici potest quod non est simile, quia parvitas corporis et staturae est propter exigentiam matricis, et corpus natum est[n] paulative proficere, sed anima aeque magnae virtutis est in parvo corpore ut in magno, quantum est de se, sicut vult Augustinus, in libro *De quantitate animae*[4].

1. Ad illud quod primo obicitur in contrarium quod 'ignorantia est poena peccati', iam patet responsio[o], quia ignorantia, prout est poena, nominat privationem scientiae quae nata est inesse et eo tempore quo nata est inesse, sicut caecitas privationem visus; unde catulus non dicitur caecus ante nonum diem. Unde Hugo, *De sacramentis*[5]: «Non omnis qui aliquid nescit aut aliquid minus perfecte scit, statim ignorantiam habere sive in ignorantia esse dicendus est, quia ignorantia non dicitur nisi tunc solum cum id quod ignorari non debuisset, nescitur[p]. Talis itaque ignorantia nonnisi ex poena peccati inesse cognoscitur, cum mens a lumine veritatis excaecata, ne ea, quae scire

---

[a] RL om. [b] V *rectitudinis*. [c] V om. *commodi... genere*, in Z est add. mg. [d] S om. [e] T *utrum*. [f] S om., in F est add. interl., in Z add. mg. [g] F (corr.) *eorumdem*. [h] Z *nec*; V *qui* pro *quae*. [i] Z om. [k] Ita V, alii om.; F *quod* pro *quid*. [l] Z *isti*. [m] Ita V, alii *in*. [n] Ita F (mg.), alii om.; V *paulatim* pro *paulative*. [o] Z *solutio*. [p] R *nescit*; T *atque* pro *itaque*.

[1] Cf. Pseudo-Hugo, *Summa Sent.*, tr. 3, c. 4 (PL 176, 93); Hugo de S. Vict., loc. cit.; Bandinus, II *Sent.*, d. 20 (PL 192, 1048).
[2] *De anima*, III, c. 9 (III, 471).
[3] Cf. supra, sub litt. *a-c*.
[4] Cap. 16, n. 28 (PL 32, 1051).
[5] Lib. I, p. 6, c. 26 (PL 176, 279).

deberet, cognoscere valeat, proprio vitio obscuratur. Illam vero, quae in nascentibus cunctis et nunc [a] a principio inesse videtur et tunc quoque inesse debuisse creditur, sensus sive cognitionis imperfectionem naturae esse, non culpae ». Concessum est autem quod in primordio suae nativitatis habebant [b] habitum convenientem illi tempori et usum, secundum quod competebat illi statui, correspondentem; et ideo, quamvis aliqua esset in eis imperfectio [c] scientiae, non propter hoc sequitur quod [d] in eis fuerit privatio et [e] poena ignorantiae; nec sequitur, si non habuerunt ignorantiae poenam, quod propter hoc habuerunt perfectam scientiam.

2. Ad illud quod obicitur quod 'imperfectio cognitionis sensitivae venit a parte organi, sicut patet in visu senis', dicendum quod ratio ista deficit dupliciter. Primum quidem, quia [f] hoc verum est in cognitione sensitiva, quae non habet ad perfectionem deduci per aliquem habitum acquisitum; nos autem quaerimus hic de cognitione intellectiva quae ab experientia temporum [g] recipit incrementum. Alius etiam defectus est ibi, quia, quamvis in corpore parvuli non esset pro statu illo [h] corruptio aggravans, erat tamen imperfectio retardans. Licet enim habuissent corpora optimae harmoniae secundum congruentiam status illius, non tamen optimae simpliciter: status enim infantilis semper haberet aliqua symptomata impedientia actum cognitivae et usum [i] rationis aliquo modo. Ut enim dicit Cassiodorus, *De anima* [1]: « Datum est animabus ad tempus suorum sequi corporum necessitates ». Symptomata autem huiusmodi in statu illo essent ex naturae conditione, non ex vitio culpae, sicut sunt illa quae modo istum statum [k] circumstant.

3. Ad illud quod obicitur quod 'in statu illo in nullo fuisset anima aggravata, cum in corpore nulla fuisset corruptio', iam patet responsio in parte, quia, licet non fuisset corruptio aggravans, esset tamen imperfectio [l] retardans. Praeterea, verbum illud Sap.: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam,* intelligitur de aggravatione quae rectitudinem tollit originalis iustitiae, quae in statu illo esse non posset. Unde nihil deperiisset animabus parvulorum in statu illo de libertate sua quantum ad rectitudinem naturalis iustitiae: habuissent enim parvuli in statu illo naturalem iustitiam nec in aliquo declinassent ab illa, nihilominus non haberent perfectionem scientiae.

4. Ad illud quod obicitur quod 'statim essent perfecti quantum ad originalem iustitiam' etc.: dicendum quod non est simile de perfectione originalis iustitiae et perfectione scientiae, quia, sicut tactum est [2], symptomata illius aetatis impedivissent actum cognitivae et usum rationis quodam modo, non autem sic rectitudinem iustitiae originalis. Ratio autem huius est, quia originalis iustitia est ipsius voluntatis proprie sive libertatis arbitrii, perfectio scientiae est ipsius cognitivae sive intellectivae; actus autem voluntatis sive liberi arbitrii non potest impediri nisi forte ex defectu aliquo ex parte cognitivae, sicut nec eius potestas vel libertas [3]. Propter quod rectitudo, quae erat originaliter illius, nonnisi per se ipsam poterat amitti sive inclinari. Virtus autem intellectiva non gaudet tanta libertate, tum quia indiget adminiculo aliarum potentiarum et organorum earumdem [m] ad hoc quod exeat in actum suum, tum quia necessaria est multorum cognitio et multiplex ordinatio et collatio ad hoc quod perveniat ad perfectionem scientiae. Propter quod multis modis et de causis potest tardari actus sciendi sive perfectio scientiae et impediri; non sic potest iustitia originalis, quae [n] solummodo aversione voluntatis amittitur. Praeterea, perfectio originalis iustitiae haberetur ex gratia sive ex dono Dei, perfectio scientiae ex acquisitione; quia ergo omnino a dono Dei est et nullum habet impedimentum ex parte recipientis, non autem sic est de perfectione scientiae, aliter est de perfectione huius et illius.

5. Ad aliud quod obicitur quod 'statim habuissent usum rationis, quia habuissent usum [o] cognitivae, sicut animalia habent usum suae cognitivae' etc.: dicendum quod non oportet, sed, sicut tactum est [4], cognoscerent quod pro illo tempore esset naturae eorum consonum, et hoc per instinctum sive industriam naturalem, et in hoc perfectius et excellentius quam animalia, quia instinctus ille sive industria quodam modo dirigeretur ratione ne [p] posset errare. Hoc tamen dico opinando, non asserendo. Valde enim videtur mihi absurdum ponere hominem completum habere rectitudinem iustitiae originalis et omnino carere usu rationis: hominem completum dico, ad differentiam illorum qui in uteris maternis nutriuntur et ibi sunt in productione ad esse completum [5].

6. Ad aliud [q] quod obicitur quod 'angelus statim habuit perfectionem cognitionis' etc.:

---

[a] F add. interl. *et.* [b] R *habebat.* [c] Ita F (corr.), alii *perfectio.* [d] Z om. [e] V *ex.* [f] V *ad.* [g] V add. *non.* [h] Ita F (interl.), alii om. [i] V *actum.* [k] T om. [l] T *perfectio.* [m] Ita VS, alii *eorumdem.* [n] Z *quia.* [o] F add. interl. *sue.* [p] L om. [q] F *illud.*

[1] Cf. c. 2 (PL 70, 1285).
[2] Cf. supra, *ad 2.*
[3] Cf. supra, num. 407-409.
[4] Cf. supra, sub *Respondeo.*
[5] Cf. supra, p. 718a.

dicendum quod non est simile de angelo et anima rationali[a]. Anima enim rationalis, ratione qua est perfectio corporis, et sensibus corporalibus et organis indiget ad hoc quod perveniat ad sui perfectionem in cognoscendo sive sciendo, quibus non indiget angelus[1], non est ita[b] expedita ad assequendum[c] perfectionem suam quantum ad scientiam sicut est angelus. Quando enim est defectus aliquis ex parte organi, propter quem non est expeditum ad cooperandum illis quae requiruntur ad habendum scientiam sive perfectionem scientiae, oportet ipsam animam deficere ab illa perfectione[2]. — Praeterea, « intelligentia est plena formis[3] »; unde, quia illa lux intima, per quam est[d] visio sive cognitio actualis, semper illi praesens est, post conversionem ad primam lucem semper est in cognitione et scientia perfecta. Non sic[e] est de anima humana, quae, secundum Philosophum[4], creata est quasi tabula rasa et perfectibilis virtutibus et scientiis. — Praeterea, intelligentia, secundum Dionysium[5], est deiformis ratione comprehensionis instantaneae et[f] collationis; anima autem non sic, immo intelligit et confert cum continuo et tempore[6]. Unde intellectus humanus per naturam magis est cum collatione et inquisitione et cum continuo et tempore quam angelicus, ut vult Dionysius[7].

7. Ad hoc quod subiungitur quod 'anima unitur corpori ut perficiatur etc., propter quod ex coniunctione cum corpore non debet aliquo modo impediri a sua perfectione': dicendum quod perfectio animae dependet a corpore quodam modo, quantum ad satisfactionem appetitus ipsius. Nullo enim modo potest omnino satisfieri appetitui animae nisi in[g] coniunctione cum corpore, ut habetur ab Augustino, *Super Genesim ad litteram*[8], et quantum ad hoc statim perficitur in coniunctione. Dependet etiam quantum ad virtutem et scientiam, et quantum ad hoc non statim perficitur in coniunctione, sed per processum temporis assequitur huiusmodi perfectionem adminiculo et cooperatione corporis.

8. Ad hoc quod postea obicitur quod 'geniti in primo statu essent perfecti quantum ad cognitionem sensitivae' etc.: dicendum quod non est simile de perfectione sensitivae et intellectivae[h]. Perfectio enim sensitivae a natura est, non sic autem est de perfectione intellectus: dicit enim Philosophus[9] quod sensus est a[i] natura aliqua, intellectus non. Propter quod natura sensitivae existente in completione sua, et actus eiusdem existit perfectus; perfectio autem intellectivae habetur per electionem et acquisitionem et acquireretur[k] in statu primo, licet maiori facilitate et minori[l] tempore. — Ad id[m] quod subditur, scilicet quod 'intelligimus, cum volumus' etc.: dicendum quod hoc[n] intelligitur secundum[o] quod hoc quod dico 'intelligimus' copulat actum intellectus[p] in habitu. Loquitur enim Philosophus de actu intelligendi qui est ex conversione virtutis supra speciem habitam sive receptam in anima; actus autem sentiendi impeditur ex hoc quod defectus est ex parte organi vel ex parte medii vel ex absentia obiecti.

503

CAPUT III.

QUALES FILIOS GENUISSENT PRIMI PARENTES QUANTUM AD VIRTUTEM CORPORALEM[10].

Sequitur inquirere quales filios genuissent quantum ad virtutem corporalem, utrum scilicet genuissent filios tantae virtutis quod statim possent exire in opera propria organorum, hoc est ambulare, loqui et huiusmodi.

Quod sic, videtur *a.* per similitudinem sumptam a brutis. Videmus enim quod multa animalia bruta mox ut nascuntur vadunt[q], sugunt mammas et sequuntur matres[11]; sed minime aestimandum est quod illud quod est brutis praestitum, rationali creaturae ad hoc aptae sine demerito peccati aliquo modo negaretur; ex hoc videtur quod parvuli in statu illo nati statim habuissent usum membrorum.

b. Item, duae sunt aetates in quibus minime solent virtutes organorum humanorum sufficere ad opera eorum exercenda, scilicet prima et ultima, id est infantilis et senilis: et hoc dico in statu naturae lapsae; sed in statu naturae

---

[a] V om. [b] L om. [c] L *sequendum.* [d] V om. [e] T add. *autem.* [f] S *ut.* [g] Z *ex.* [h] S add. *et.* [i] F exp. [k] Z *acquiretur;* V om. *et.* [l] Ita F (corr.), alii *maiori.* [m] Ita V, alii om. [n] V om. [o] RL *scilicet.* [p] Ita VF (corr.), alii *et intellectum.* [q] V om.

1 Cf. supra, num. 119. 2 Cf. supra, p. 170, *ad 1.*
3 Cf. *Liber de causis,* § 9 (p. 173).
4 *De anima,* III, c. 4 (III, 468).
5 Cf. *De divin. nomin.,* c. 7, § 2 (PG 3, 870, PL 122, 1154).
6 Cf. Aristot., *De memoria,* c. 1 (III, 494); *De intelligentiis,* § 22 (ed. Baeumker, p. 27).
7 Loc. cit. (PG 3, 867, PL 122, 1153).
8 Lib. VII, c. 27 (PL 34, 369).
9 *De anima,* II, c. 5 (III, 451).
10 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 20, c. 4 (p. 400sqq.); Roland., *Sententiae* (p. 122); S. Bonav., II *Sent.,* d. 20, dub. 5 (II, 488).
11 Cf. Augustin., *De peccat. merit. et Bapt. parvul.,* I. c. 38, n. 69 (PL 44, 150).

conditae, quantumcumque esset aetas provecta, bene[a] sufficeret virtus organorum ad opera eorum exercenda; pari ratione videtur quod, quantilla fuisset[b] aetas, in statu illo sufficeret ad idem vel quare non?

c. Item, infirmitas membrorum in parvulis, unde impotentes sunt exire in opera sua in statu naturae lapsae, congruit ipsi statui in quo animae, quae sunt corporum perfectiones, sunt infirmae; unde Augustinus[1]: « Propriae infirmitati mentis congruit haec infirmitas carnis ». Ergo in statu illo in quo non esset aliqua infirmitas animarum, non convenisset[c] aliquo modo infirmitas huiusmodi; ergo[d] geniti in statu illo non habuissent membra ita infirma quod non possent exire in officia sive opera illis deputata.

d. Item, si aliquid delectabile in statu illo movisset appetitum parvuli alicuius nec[e] haberet usum membrorum quo illud posset[f] comprehendere, nonne[g] ex carentia sibi delectabilis et impotentia pertingendi ad illud affligeretur? Et ita poena praecessisset culpam; ergo etc.

Contra: 1. Fortitudo et debilitas[h] virtutis motivae in corpore proportionatur qualitati membrorum: unde homines habentes membra solidiora solent esse fortiores; sed parvuli tunc temporis membra tenera habuissent, cum essent nobilis complexionis — magis enim solent esse teneri qui erant nobilioris[i] complexionis et melioris naturae: unde dicitur de Christo quod tenerrimus erat propter nobilitatem naturae ipsius[k] [2] — ergo videtur quod sicut parvuli nunc non possunt[l] gradi propter membrorum teneritudinem nec pondus corporis proprii supportare propter eorumdem debilitatem, similiter quod nec tunc.

2. Item, nunc temporis simul proficit virtus corporis cum statura; sed, si homo stetisset, consimilis fuisset[m] in parvulis[n] profectus a parte staturae illi qui nunc est; ergo videtur quod similiter esset a parte virtutis; ergo videtur quod sicut nunc parvuli in principio feruntur ab aliis quasi impotentes ferre se ipsos et post paulative[o] vadunt et postmodum currunt, ita videtur quod et[p] tunc.

3. Item, vis generativa in parvulis quantum[q] ad usum fuisset dilata tunc sicut et nunc nec fuisset[r] impotentiae tunc non posse generare ante tempus praefinitum a natura sicut nec nunc; similiter videtur de motiva in aliis membris, cum virtus illa similiter pendeat a corpore.

4. Item, mamillae datae sunt matribus a natura; ergo in statu illo fuissent necessariae et non frustra, cum natura nihil agat frustra[3]; ergo fuissent deputatae ad officium sive opus lactationis parvulorum, qui propter debilitatem illorum[s] et dentium carentiam sic nutriri habent necesse; ergo quantum[t] ad hoc consimiles essent in infirmitate parvulis natis in statu naturae lapsae; eadem ratione et in aliis quae statum circumstant infantilem, ut videtur.

Respondeo: Dicendum est, sine praeiudicio, quod haec infirmitas, propter quam parvuli in statu naturae lapsae non possunt assurgere ad officia membrorum, est poena peccati. Unde, si primi parentes genuissent filios in statu innocentiae, sicut quorumdam animalium foetus, statim cum nati fuerint, habent usus et officia membrorum, et illi similiter habuissent: unde statim gradi possent et matres sequi et iuxta congruentiam opportunitatis illius status aliqua officia membrorum exercere. Absurdum enim videtur ponere quod rationalis creatura, quae nunquam fuerit vitio incurvata, sed praedita rectitudine iustitiae originalis, aliquando modo bestiali contra usum naturae propriae ambularet sicut faciunt modo parvuli qui, manibus et pedibus ambulantes, se de loco ad locum transferunt. Potest ergo dici quod infirmitas moderna parvulorum, qua non possunt assurgere ad officia membrorum, est poena peccati et infirmitati originalis culpae attestatur. Et hoc videtur sentire Augustinus, in I[a] libro *De Baptismo parvulorum,* dicens sic[4]: « Movet nos, si illi primi homines non peccassent, utrum tales essent filios habituri qui nec lingua nec manibus nec pedibus uterentur: nam propter uteri capacitatem forte necesse fuit parvulos nasci. Sed poterat », scilicet Deus, « certe quod multis etiam pecoribus praestitit, quorum pulli, quamvis sint parvuli, neque[v] accedentibus corporis incrementis, etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent, tamen etiam minutissimi et currunt et matres agnoscunt nec sugendis uberibus cura et opere admoventur aliena, sed ea ipsi, in maternis corporibus loco abdito posita, mirabili facilitate noverunt. Contra homini nato nec ad incessum pedes idonei nec manus saltem ad scalpendum habiles et, nisi opere nutrientis admotis labiis[x] papillae uberis ingeruntur, nec ubi sint sentiunt et iuxta se[y] iacentibus mammis, magis possunt esurientes flere quam

---

[a] SR *unde,* quod T corr. [b] R add. *eorum.* [c] VT *cognovisset,* quod F corr. in *congruisset.* [d] V add. *et,* alii add. *cum,* quod F exp. [e] V *non.* [f] VT *possent.* [g] ST *in me,* quod L corr. [h] Ita F (corr.), alii *delectabilitas.* [i] T *nobilis.* [k] Ita V, alii *illius.* [l] F *possent.* [m] Ita V, alii *esset.* [n] T add. mg. *processus vel.* [o] V *paulatim.* [p] S om. [q] L om. [r] Ita F (corr.), alii *esset;* V *impossibile* pro *impotentiae.* [s] R *eorum.* [t] T *consequenter.* [u] Ita F (corr.), V om., alii *III* pro *i. I.* [v] V *in,* R *atque.* [x] F *labris.* [y] V om.

1 Loc. cit.
2 Cf. S. Bonav., III *Sent.,* d. 16, a. 1, q. 2 (III, 349).
3 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 9 (III, 471).
4 Capp. 37 et 38, nn. 68 et 69 (PL 44, 150).

sugere. Proinde infirmitati mentis congruit haec omnino infirmitas corporis ». Ecce quod plane dicit quod haec infirmitas corporis congruit infirmitati mentis. Nec istud sentire de statu illo debet difficile videri, cum multa maiori[a] admiratione digna ibi accidissent, ut parvulos in aetate tenerrima sine veste vel indumento, pariter et tecto, absque omni difficultate quasi feliciter vivere, sine strato et stramento sedere et decubare et alia multa huiusmodi quae nos latent. Sed vix creduntur talia, quia horum contraria consuetudinis sunt. Unde Augustinus, IX *Super Genesim*[1], loquens de iis quae accidissent homini si sine peccato vixisset, dicit: « Qui haec fieri potuisse non credunt, nihil aliud quam consuetudinem naturae, iam post peccatum poenamque humanam sic currentis, attendunt. Non autem in eorum genere nos esse debemus qui non credunt nisi quod videre consueverunt ». Potest ergo concedi quod parvuli in statu illo habuissent usus naturales pedum et manuum et linguae quantum ad gustum. Cum enim lingua congruat in duo opera, secundum Philosophum[2], scilicet gustum et interpretationem, habuissent usum linguae quantum ad gustum, qui naturalis est et ad esse; quod autem quantum ad interpretationem, non definio, cum usus ille non sit ita naturalis neque ad esse, sed quodam modo ab acquisitione[b] et ad bene esse. Concedendae ergo sunt rationes quae adductae sunt pro parte ista.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur contra hoc, scilicet quod 'propter teneritudinem membrorum et debilitatem neque gradi possent neque pondus corporis proprii[c] portare': dicendum quod, licet membra habuissent tenera, minime tamen passibilia vel omnino impassibilia, eo modo quo supra determinatum est de corpore primi hominis[3]. Unde nullam laesionem incurrissent, quantumcumque fortiter fixissent[d] pedem in gradiendo. — Praeterea, quia corpus omnino fuisset animae subiectum, maiorem recepisset virtutem a sua vivificativa et regitiva, scilicet anima, tunc quam nunc: unde suffecisset virtus tibiarum ad corpusculum suum supportandum. — Praeterea, natura corporalis in statu illo maioris erat virtutis quam in statu naturae lapsae.

2. Ad aliud dicendum quod, quamvis profecisset virtus corporis proportionaliter profectui staturae eiusdem tunc sicut[e] nunc, non tamen sequitur quod tunc fuissent tantae debilitatis quantae sunt nunc. Ratio autem illa non concludit nisi ordinem in progressu virtutis a minori ad maiorem tunc sicut est nunc. — Si autem obiciatur quod ab eadem imperfectione incepit statura tunc et nunc, ergo ab eadem imperfectione incepisset virtus tunc et nunc[f] – potest responderi vel per interemptionem, quia perfectioris staturae fuissent tunc quam nunc; vel per dissolutionem similitudinis, quia, licet consimilis esset capacitas uterorum maternorum tunc et nunc, propter quod oporteret tunc natos et nunc ab eadem[g] imperfectione staturae incipere, non tamen fuisset consimilis virtus in corporibus status illius[h] et istius, quia virtus naturalis fuit fortior tunc quam sit nunc, nec tantam recipit nunc virtutem corpus a sua regitiva, id est anima, quantam recepisset tunc. Propter quod non sequitur, si ab eadem imperfectione staturae incepissent tunc et nunc, quod propter hoc incepissent ab eadem imperfectione virtutis.

3. Ad hoc quod obicitur[i] per simile de virtute generativa, dicendum quod non est simile[k]: virtus enim generativa habet a natura determinatum tempus et statum exitus sui in esse, quia antequam homo sit perfectus aetate convenienti et virtute sufficienti, non potest exire in actum generativae. Unde actus iste non est nisi hominis perfecti. Unde Philosophus[4]: « Unumquodque perfectum est, cum attingit propriae virtuti ». Secundum autem Philosophum[5], tunc dicitur aliquid attingere propriae virtuti, quando producit[l] in esse tale quale ipsum est. Et hoc insinuatum est, cum dicitur Gen. 1, 28: *Crescite et multiplicamini;* crescere[m] enim in virtute et statura oportet primo et post multiplicare sibi consimile.

4. Ad illud quod ultimo obicitur potest dupliciter responderi. Uno modo sic: quod, etsi parvuli in statu illo[n] essent edentuli et indigerent alimento lactis materni[o], non propter hoc sequeretur quod carerent usu pedum vel manuum. Videmus enim pullos animalium indigere huiusmodi alimento, non tamen carent usu pedum: unde ista non consequenter se habent 'uti lacte materno' et 'carere usu membrorum'; unde non sequitur: 'fuissent consimiles parvulis genitis in statu naturae lapsae in hoc, ergo in aliis'; haec enim et alia non se habent consequenter sive convertibiliter. — Alio modo dici potest quod non nati fuissent edentuli, sed muniti dentibus sicut multi foetus brutorum. Omnino enim absurdum

---

[a] S *mori.* [b] V *ad acquisitionem* pro *a. a.* [c] SL om. [d] Ita V, alii *figissent.* [e] F add. interl. *et;* V om. *eiusdem.* [f] SF om. *ergo... nunc.* [g] S om. [h] R *alius.* [i] V add. *quod.* [k] S om. *de virtute... simile.* [l] R *producitur.* [m] ST *crescite.* [n] Z om. [o] Ita V, F *materno,* alii *materne.*

[1] Cap. 3, n. 7 (PL 34, 395).
[2] *De anima,* II, c. 8 (III, 456).
[3] Cf. supra, num. 469.
[4] *Metaph.,* IV, c. 16 (II, 527 sq.); *Phys.,* VII, c. 3 (II, 337).
[5] *De anima,* II, c. 4 (III, 448).

videtur quod corpus illud, in quo omnia corpora animalium habent completionem et propter quod sunt omnia corpora huiusmodi, deficeret ab aliqua perfectione quae in corpore animalis reperitur, sine demerito peccati [1]. Praeterea, usi fuissent et nutriti essent fructibus paradisi, quorum quidam forte erant teneriores et magis parvulis congrui, et quidam solidiores et magis convenientes adultis. Non enim reperitur scriptum quod aliquod aliud [a] genus alimenti a fructibus paradisi in statu illo homini concederetur ante lapsum. Nec propter hoc frustra essent ubera data mulieri sicut nec data sunt viro frustra, sed essent illi [b] data ad decorem et integritatem corporis humani. Et haec responsio [c] videtur mihi magis appropinquare veritati et magis consona esse nobilitati illius status.

CAPUT IV. 504

QUALES FILIOS GENUISSENT PRIMI PARENTES QUANTUM AD SEXUM [2].

Sequitur inquirere quales liberos genuissent quantum ad sexum. Quaeritur ergo utrum tot generassent filios quot filias vel plures filios quam filias vel e converso. Et haec quaestio [d] non est solummodo de genitis a primis parentibus, sed universaliter [e] de genitis in statu illo.

Quod autem tot generassent filios quot filias, videtur sic: 1. Natura sic processisset in generando sicut eam Deus instituit; sed Deus, cum produxit naturam humanam, produxit masculum et feminam in pari numero [3]; ergo similiter et natura in pari numero [f] eos multiplicasset.

2. Item, generatio hominis non poterat continuari nisi per masculum et feminam, et ita necessaria est ad generationem mulier sicut et masculus; ergo videtur quod natura intenderet aequaliter utrumque sexum; sed sicut intendebat, multiplicabat; ergo etc.

3. Item, sicut vir intendit se salvare in simili, scilicet in viro quem generat, sic et mulier in consimili, scilicet in muliere; sed natura aeque bene esset ordinata in muliere sicut in viro; ergo, si vir non frustraretur sua intentione, similiter nec mulier; ergo quot conciperet masculos ad conservationem sexus virilis, tot conciperet feminas ad conservationem sexus muliebris.

4. Item, in statu innocentiae sicut quilibet comederet, ita quilibet prolem multiplicaret, cum omnibus esset dictum [4]: *Crescite et multiplicamini* etc.; ergo quilibet haberet uxorem; si ergo matrimonium requirit quod sint *duo in carne una* [5], tot essent viri quot mulieres nec plures nec pauciores.

Contra: *a.* Sicut dicit Philosophus, in libro *De animalibus* [6], « femina est mas occasionatus »; ergo videtur esse praeter naturae intentionem; sed tempore naturae institutae, cum natura esset recta, nihil produceretur praeter intentionem ipsius; ergo videtur quod nulla mulier generaretur vel saltem paucae; igitur plures essent viri quam mulieres.

b. Item, sicut [g] vult Philosophus [7], « natura semper desiderat quod melius est »; sed sexus virilis perfectior est et melior quam sexus muliebris; ergo natura magis desideraret generare [h] virum quam mulierem; si ergo sic produceret secundum quod desideraret, plures produceret viros quam mulieres.

c. Item, generatio maris est propter vigorem virtutis generantis et seminis decisi, sicut dicunt Naturales et Medici [8]; sed in statu naturae institutae virtus generativa et semen decisum completam et sufficientem haberent virtutem; ergo semper vel pluries masculos generari contingeret.

d. Item, quando semen viri praedominatur semini mulieris, tunc ad propriam naturam trahit et convertit; sed secundum ordinem naturae masculus potentior est femina; ergo stante natura semper vel pluries vinceret semen virile [i]; ergo plures [k] generaret natura masculos quam mulieres.

e. Item, eisdem rationibus potest ostendi quod tantum viri fuissent geniti tum propter vigorem maiorem virtutis generantis et seminis decisi, tum propter dominium seminis virilis, tum propter appetitum naturae qui semper fertur ad illud quod melius est.

f. Item, videtur quod tantum feminae genitae fuissent, sic: Ut habetur a B. Augustino, sexus muliebris devotior est sexu virili; vocat enim sexum femineum sexum devotum, in *Sermone de*

---

[a] V om. [b] Ita V, alii *illis*. [c] V *ratio*. [d] V *hoc ideo* pro *h. q.* [e] S *mulier*. [f] R om. *ergo... numero*. [g] R om. [h] Ita F, alii om. [i] V *virili*. [k] F (corr.) *pluries*.

1 Cf. supra, p. 719, *ad 5*.

2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 20, a. un., q. 6 (II, 485sqq.), ubi multa sequentium verbotenus occurrunt, omissis argum. *d-g*.

3 Cf. Gen. 1, 27.

4 Gen. 1, 28.

5 Gen. 2, 24.

6 *De animal. generat.*, II, c. 3 (III, 352).

7 *De generat. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 465).

8 Cf. Aristot., *De animal. generat.*, IV, cc. 1 et 6 (III, 392sqq., 408sqq.); Avicenna, *Canon*, III, Fen 21, tr. 1, c. 12 (p. 916)

Assumptione B. Virginis[1]; si ergo devotio est maxima dispositio et optime praeparatoria ad gratiam obtinendam et ad obtentam perficiendam et per consequens ad excellentiam gloriae cumulandam, videtur quod feminae erunt excellentiores in gloria quam viri. Si ergo convenit divinae providentiae, quae omnia optime disponit, illam civitatem supernam personis gloriosis reparare, et quanto personae, quibus reparabitur, sunt gloriosiores, tanto gloriosius reparabitur, videtur quod solum personis sexus feminei reparabitur; sed, si in statu innocentiae non essent personae[a] aliquae genitae nisi per quas repararetur civitas illa, ergo etc.

g. Ad hoc persuadet exemplum B. Virginis, ad cuius perfectionem nulla persona virilis sexus, quae fuit pura creatura, pervenit neque habuit aptitudinem perveniendi, cum tantae erat sanctitatis quod maior sub Deo non poterat intelligi. Unde Anselmus[2]: « Quia[b] decebat ut illius hominis conceptio de matre purissima fieret, decens erat ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret[c] ». Probabile enim est quod qui *unicuique* dat *secundum propriam virtutem*, Matth. 25, 15, quod, si alius fuisset tantae virtutis, id est tantae capacitatis gratiae, quantae fuit illa, tantam illi dedisset.

Respondeo quod huiusmodi quaestiones, quae[d] non probantur auctoritatibus neque rationibus evidentibus, licet curiosae videantur, non sunt parvae utilitatis. Unde Hugo, *De sacramentis*[3], ubi ponit quaestionem de qualitate genitorum in statu[e] innocentiae, dicit: « Quae[f] nec auctoritas probat nec ratio arguit manifesta, inter dubia relinquuntur; tamen etiam ista non inutiliter aliquando in quaestionem admittuntur, ut vel inveniatur quod verum est vel saltem quod falsum est non credatur ». Et[g] de hac quaestione diversi diversa sentiunt.

A. Quidam enim sentiunt quod, si stetissent parentes nostri, quod aequalis fuisset multiplicatio virorum et mulierum, et huius tales ponunt rationes. Unam scilicet ex parte finis ad quem, scilicet talem: Quia distinctio sexuum esset propter multiplicationem generis humani et completionem numeri electorum et illa multiplicatio ad omnes spectaret, et hoc solum secundum legem matrimonii, in qua tantum una erat unius, necesse est, si stetisset natura, tot fuisse mulieres quot viros, cum nulla mulier careret viro et nullus vir careret uxore nec una esset plurium nec plures unius. — Aliam ponunt ex parte principii, scilicet talem: Cum autem multiplex sit ratio quare variatur generativa in actu generandi, una sumitur ex parte animae. Vis enim generativa multum conformatur accidentibus animae et imaginationibus, secundum quod per experimentum patet[4]: nam ex memoria delectationis frequenter fit excitatio pruritus carnis et ex imaginatione forti in somnis fit effusio seminis sicut ad praesentiam mulieris, et vis formativa, quae est praecipua virtus in semine, multum adiuvatur ab imaginativa, secundum quod exempla ponuntur et sunt in Sacra Scriptura et etiam[h] in medicina, ut patet in[i] ovibus Iacob[5], Gen. 30, 37-43, et hoc asseritur ibidem in Glossa et exemplis ostenditur. Dicit enim sic[6]: « Nec mirum hanc in conceptu feminarum esse naturam, ut qualem conspexerint sive mente conceperint in extremo voluptatis aestu quo concipiunt, sobolem talem procreent, cum[k] hoc ipsum in equorum gregibus et[l] apud Hispanos[7] dicatur et Quintilianus[8], in[m] controversia qua accusatur matrona quod Aethiopem peperit, pro defensione illius argumentetur hanc conceptuum esse naturam quam supra diximus[9]. Et scriptum reperitur in libris Hippocratis quod quaedam suspicione adulterii fuerat punienda, cum pulcherrimum peperisset, utrique parenti generique dissimilem, nisi memoratus medicus solvisset quaestionem, monens quaerere ne forte talis pictura esset in cubiculo, qua inventa, mulier a suspicione liberata est ». Non solum autem[n] variatio generationis accidit a parte virtutis animalis moventis et imaginantis in statu naturae lapsae, sed in statu institutae potius. Tempore enim naturae institutae, in quo corpus subiectum erat animae, cum vir intenderet et vellet[o] generare virum, ex hoc quod imaginaretur virum, vigoraretur virtus naturalis in agendo et esset semen maioris virtutis et generaretur sexus vigorosus sive masculus; quando vero vellet et imaginaretur generare sexum femineum, tunc minus forti impressione ageret in naturam inferiorem corporalem et tunc semen esset minus

---

[a] V om. [b] T *quod*. [c] Ita VF (corr.), alii add. *intelligi*, quod F exp. [d] Z om. [e] F om. *i. s.* [f] Z *quod*. [g] F om. [h] V om. [i] Z *ex*. [k] V *et*. [l] R add. *hoc*. [m] V add. *sua*. [n] R add. *est*. [o] V om. *e. v.*

1 Pseudo-Augustin., *Sermo 208*, n. 11 (PL 39, 2134).
2 *De conc. virg.*, c. 18 (PL 158, 451).
3 Lib. I, p. 6, c. 22 (PL 176, 277).
4 Avicenna, *Canon*, I, Fen 2, doctr. 2, c. 14 (p. 102).
5 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, XII, c. 25 (PL 41, 374); *De Trinit.*, III, c. 8, n. 15 (PL 42, 877).
6 *Glossa ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Hieronymo, *Liber hebraic. quaest. in Genesim*, c. 30 (PL 23, 985) et Augustino, *In Heptat.*, n. 93 (PL 34, 572).
7 Cf. Isidor., *Etymol.*, XII, c. 1, n. 60 (PL 82, 433).
8 Cf. Calpurn. Flacc., *Declamationes*, n. 2 (inter opp. Quintiliani VI, 546sq.).
9 Hucusque ex Hieronymo, loc. cit.; sequentia ex Augustino loc. cit.

forte et generaretur sexus femineus. Et ideo in tempore naturae institutae generatio maris et feminae subesset voluntati rationali. Et quoniam dictaret ratio omnia facienda esse ordinate et tot producere mulieres quot viros et quilibet vir haberet *adiutorium simile sibi*[a] [1] secundum exigentiam legis matrimonii, ideo tunc viros et mulieres produceret in numero aequali. Nunc autem, quia generativa non omnino subest virtuti animali sive imaginativae nec etiam rationali, licet ei aliquo modo conformetur, sed magis variatur propter alias causas quae in aliis scientiis determinantur, hinc est quod non est certa determinatio numeri in viris nec in mulieribus generandis. Iis ergo rationibus dicunt quod, si stetisset homo, in aequali numero fieret multiplicatio virorum et mulierum.

[Ad obiecta]: Hanc ergo sustinentes opinionem, ad obiecta in contrarium sic possunt respondere:

a. Ad illud ergo quod primo obicitur quod 'femina dicitur mas occasionatus': dicendum [2] quod Philosophus non vult dicere quod femina sit praeter naturae intentionem, sed quod virtus naturae aliquem defectum habet in productione mulieris respectu productionis viri; ille autem defectus non repugnat ordini naturae, sed potius salvat. Secundum enim ordinem naturae sicut producuntur in eodem corpore quaedam membra magis fortia, quaedam minus, sic producuntur in eadem specie quaedam individua unius sexus, quaedam alterius. Et, licet ille defectus qui ordinem naturae corrumpit, utpote est ille qui est causa defectus membri vel bonae complexionis, sit[b] praeter naturae intentionem, generatio tamen mulieris non est praeter naturam nec contra naturam[c], sed secundum naturam.

b. Ad illud quod obicitur quod 'natura semper desiderat illud quod melius est': dicendum quod non intelligitur quod semper desideret melius simpliciter, sed melius in ordine. Licet autem sexus masculinus melior sit in se quam femineus, non tamen esset[d] ita sufficienter salus naturae in solo virili sexu sicut est in virili et muliebri, et ideo natura desiderat magis utrumque quam alterum solum.

d. Ad illud quod obicitur quod 'semen viri praedominabatur semini mulieris' etc.: dicendum, quod hoc verum est. Nunquam enim, proprie loquendo, semen mulieris praedominatur semini viri; quandoque tamen semen viri[e] adeo debilis virtutis est quod magis est idoneum ad productionem mulieris quam viri: sicut enim vult Philosophus [3], principaliter movens in generatione, sive viri sive mulieris, est semen virile. Et ideo semen mulieris, proprie loquendo, semini viri non praedominatur; dicitur tamen praedominari propter debilitatem seminis virilis, qua accedit ad conformitatem seminis mulieris. Licet tamen hoc non accidisset in statu naturae conditae secundum naturam ut erat natura, tamen quando vir imaginaretur et vellet generare sexum femineum, tunc minus forti impressione ageret in naturam inferiorem corporalem et tunc semen esset minus forte ratione praetacta et generaretur mulier [4].

c-e. Et per hoc patet responsio ad aliud quod obicitur de fortitudine caloris et virtutis. Gradus enim ibi fuissent secundum ordinem rationis et secundum exigentiam finis, ita quod vir aliquando operaretur actione magis fortificata in productione viri, aliquando minus fortificata in productione mulieris.

B. Aliqui autem aestimant quod mulier semper geminos[f] conciperet, ita quod pars dextra attraheret quod est maioris virtutis[g] de semine ad generationem viri et pars sinistra quod est virtutis debilioris ad generationem feminae. Secundum istos facile est ad ea quae sunt obiecta respondere. — Sed quia hoc non videtur consonum rationi, ideo modus solvendi praehabitus [5] magis videtur tenendus.

C. Alii aliter sentiunt, scilicet quod pluries[h] genuissent filios quam filias, hac ratione:

a. Ut habetur ab Augustino, XIV *De civitate Dei*, cap. 10 [6], completo numero electorum danda erat illis vita angelica, quae est vita perfectae beatitudinis; sed, sicut habetur ab Augustino, IX *Super Genesim* [7], data fuit mulier viro in adiutorium ad filios procreandos; dicit enim: « Non invenio ad quod adiutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahitur ». Sed constat quod geniti ex ultimis parentibus, ex quibus genitis compleretur numerus electorum, nuptiis non uterentur; ergo nulla fuit necessitas viro adiutorii mulieris; ergo cessare debuit procreatio mulierum nec deberet aliqua generari ab ultimis parentibus, sed viri solummodo.

b. Item, natura semper appetit producere id quod nobilius est in genere suo et maxime[i] natura bene ordinata, et si quandoque appetit producere id quod est minus nobile, hoc est quatenus est

---

[a] L om. [b] V om., Z *fit*. [c] L om. *n. c. n.* [d] T om. [e] S om. *q. t. s. v.* [f] V *geminas*. [g] S om. [h] S *plures*, quod F corr. [i] V *magis*; T om. *natura*.

1 Cf. Gen. 2, 18.
2 Cf. supra, num. 463 et p. 621, *ad 1*.
3 *De animal. generat.*, I, c. 20; II, c. 1 et IV, c. 1 (III, 338sqq., 344sqq. et 401sqq.).
4 Cf. supra, p. 724b.
5 Cf. supra, sub *Respondeo* et *ad d-c*.
6 Cf. PL 41, 417.
7 Cap. 5 et c. 7 (PL 34, 396sq.); cf. supra, num. 463.

ad illud quod nobilius est. Unde, si natura instituta appeteret producere mulierem, hoc fuit quia mulier deberet esse adiutorium viro ad salvandum ipsum in [a] consimili; cessante ergo necessitate huius adiutorii, sicut fuisset in productione ultimo genitorum, nullus erat appetitus naturae ut mulier generaretur; ergo nullus ultimo genitorum debuit esse mulier.

c. Item, hoc idem potest ostendi per appetitum et voluntatem generantium. Irrationabilis [b] enim esset eorum appetitus et voluntas, si [c], cessante causa quare mulier data erat viro, appeteretur eius productio in esse et non potius vir, qui esset nobilioris conditionis et dignitatis maioris. Si ergo in [d] statu innocentiae neque ex parte naturae ut esset natura neque ex parte naturae ut esset rationabilis, fuisset deordinatio [e] in appetitu neque frustratio in effectu, videtur quod ultimi generantes tantum filios genuissent vel saltem pluries [f].

d. Si autem diceretur quod et tunc debuit natura appetere quod generaretur mulier, quia melius salvaretur in [g] utroque sexu quam in virili tantum – hoc supposito, saltem deberet appetere quod persona virilis sexus frequentius generaretur, cum melius salvetur natura humana in eo, tamquam in nobiliori et digniori, quam [in] persona sexus muliebris, et ita plures fuissent mares quam feminae.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud, quod primo obicitur quod 'natura sic processisset in generando [h] quemadmodum Deus eam instituit' etc.: dicendum quod hoc verum est ex parte generantium, non autem ex parte generatorum. Sicut enim Deus instituit aequales diversi sexus ad multiplicandum consimiles in specie, similiter processisset natura in generando aequales diversi sexus quoadusque sufficerent ad multiplicandum numerum electorum. Unde natura processisset in [i] generando aequales in [k] diversitate sexus usque ad ultimos generantes, 'usque', dico inclusive: ad illos tantum spectabat illud praeceptum [l] Gen. 1, 28: *Crescite et multiplicamini.*

2. Ad illud quod obicitur quod 'generatio non poterat continuari nisi per masculum et feminam' etc., iam patet responsio, quia natura intenderet virum et mulierem, quatenus personae essent necessariae ad generandum et multiplicandum electos, sed illis sufficientibus satis probabile videtur quod intenderet illum sexum qui est maioris dignitatis.

3. Ad illud quod obicitur quod 'sicut vir intendit et tunc intenderet in consimili salvare, id est [m] viro, sic mulier in muliere' etc.: dicendum quod hoc non est generaliter verum. Natura enim in muliere, quatenus potest, intendit sexum nobiliorem et tunc intenderet, nisi subesset voluntati rationabili. Unde sufficientibus personis ad [n] multiplicationem numeri electorum, consonum est rationi voluntatem rationabilem velle magis fieri generationem personarum sexus nobilioris et idem appeti a natura obediente eidem.

4. Ad aliud quod obicitur quod 'in illo statu sicut quilibet comederet, ita quilibet generaret', dicendum quod hoc falsum est. Non enim intenderet quilibet salvari in alio sicut in se, cum necessarium esset, secundum divinam providentiam et dispositionem, generationem stare: suppositio enim propositionis ponit generationem illius status processisse in infinitum, quod simpliciter est falsum.

Ex iis patet rationes assignatas pro alia parte non esse magnae efficaciae. Ratio autem posita ex parte finis [1] ponit multiplicationem activam spectare ad omnes: quod falsum est, quia ex hoc sequitur generationem debere procedere in [o] infinitum. — Similiter patet de alia sumpta ex parte principii [2], cum existentibus personis [p] quibus intenderet, secundum divinam dispositionem, numerum complere electorum, deberet voluntas rationabilis velle tales generari qui essent nobilioris conditionis et maioris dignitatis.

Haec autem opinio videtur probabilior et magis consona rationi et illius status nobilitati conveniens.

f. Ad illud quod obicitur quod 'plures fuissent mulieres, quia sexus devotior' etc.: dicendum quod [q], etsi sit sexus devotior, sexus virilis est fortior [r] et constantior, sexus muliebris debilior [s]; de facili enim assurgunt ad bonum et de facili relabuntur. Viri enim, licet cum maiori difficultate assurgant, constantius stant; perfectio autem gratiae est potius a constantia in stando quam a facilitate in assurgendo. Unde illud bonum, quod est devotio in sexu muliebri, recompensatur maiori bono in sexu virili.

g. Ad illud verbum Anselmi: « Decens erat ut ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi » etc.: dicendum quod est intelligere in intellectu et est intelligere in [t] re. Intelligere in [u] intellectu est respectu veritatis quae potest esse; intelligere in re respectu veritatis quae [v] est. Quod ergo dicitur quod « maior puritas nequit intelligi », hoc debet intelligi de intellectu [x] in re et hoc datur intelligi per hoc quod dicitur « nequit »: 'nequit enim intelligi' importat 'non quid intelligi' [y].

---

[a] S om. [b] V *naturalis.* [c] V *sed.* [d] S *a* et om. *neque.* [e] V *ordinatio.* [f] Z *plures.* [g] S om. [h] V add. *quod.* [i] Ita V, alii om. [k] S om. [l] L add. interl. *in.* [m] V *in* pro *i. e.* [n] V *et.* [o] T om. [p] L add. interl. *cum.* [q] Ita VF, alii om. [r] S om. *s. v. e. f.* [s] LZ add. mg. *et labilior.* [t] SL om. *intellectu... in.* [u] SL om. [v] VST om. *potest... quae.* [x] Ita F (mg.), L om. *h. d. i. d. i.*, alii om. *d. i.* [y] T om. *i. n. q. i.*; V om. *non.*

[1] Cf. supra, p. 724a, sub *Respondeo*, A.

[2] Cf. supra, p. 724b.

Secundum enim veritatem nulla creatura pervenit ad B. Virginis puritatem: nulla enim creatura pura habuit maiorem puritatem quantum ad illam puritatem quae est per elongationem a peccato nec quantum ad illam quae est ex perfectione virtutum. Habebat enim omnes virtutes in plenitudine, quia praerogativam in omnibus virtutibus, propter quod dicebatur *plena gratia*[1], secundum Hieronymum[2], qua plenitudine solum illa quae fuit Christi maior erat. Quantum ad puritatem, quae est ex unione per caritatem cum Deo, nulla pura creatura ad eius pervenit puritatem; propter hoc nulla intelligitur maior fuisse puritas illa quae fuit B. Virginis. — Utrum Deus posset facere puram creaturam praeditam maiori puritate, et intellectus capere, qui novit finito addere finitum, et sic multiplicare quasi in infinitum, non definio. — Ad illud quod subiungitur quod 'qui *unicuique* dat *secundum propriam virtutem*, dedisset alii' etc.: dicendum quod virtus non[a] intelligitur ibi secundum quod est in sola potentia sive aptitudine capacitatis, sed secundum quod est in effectu operationis vel praeparando vel operando. Nunquam enim subtrahit Dominus beneficium collationis gratiae, quin semper conferat plus et plus, secundum quod aliquis plus et plus operatur vel praeparando se ad recipiendum gratiam vel cooperando ad augmentum gratiae receptae. Quia igitur B. Virgo efficacissime et excellentissime operabatur in praeparando et cooperando, et Dominus illi infudit gratiam abundantissime nec alicui[b] alii tantam, quia nullus ita effectus est dignus operatione praeparationis vel[c] cooperationis.

QUAESTIO III.

DE PRIMO HOMINE QUANTUM AD GRATIAM.

TITULUS I.

DE GRATIA PRIMO HOMINI IN CONDITIONE DATA.

Determinato de primo homine quantum ad passibilitatem[d] naturae et etiam quantum ad prolis propagationem, sequitur determinare de ipso quantum ad adiutorium gratiae:

Primo, de gratia in conditione data;

secundo, de gratia superaddita.

De primo quaeruntur tria:

Primum est[e] utrum primus homo conditus fuit in gratia et virtutibus aut in solis naturalibus;

secundum[f], utrum potuit stare ex accepto in sui conditione;

tertium, utrum ex accepto potuit proficere.

CAPUT I. 505

UTRUM PRIMUS HOMO CONDITUS FUIT IN GRATIA[3].

Quaeritur ergo primo utrum conditus fuit in gratia sive virtute.

Quod sic, videtur: 1. Circa susceptibile contraria sunt immediata virtus et vitium vel caritas et cupiditas; ergo alterum[g] semper inest susceptibili nisi impediat tempus determinatum a natura, sicut, licet caecum et[h] videns sint contraria immediata, tamen[i] neutrum inest catulo ante nonum diem; sed spiritus rationalis non subiacet

---

[a] V om.; L om. *quod qui... intelligitur.* [b] Z *aliter*, quod F corr. [c] F (corr.) *nec.* [d] V *possibilitatem*; RL om. *etiam.* [e] Ita V, alii om. [f] L *secundo.* [g] S *altera.* [h] S om. *s. l. c. e.* [i] VT *cuius*, S *et.*

1 Luc. 1, 28.

2 Cf. Pseudo-Hieronym., *Epist. ad Paulam et Eustochium, De Assumpt. B. M. V.*, c. 5 et c. 11 (PL 30, 127, et 134).

3 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 29, c. 2 (p. 457); S. Bonav., II *Sent.*, d. 29, a. 2, q. 2 (II, 702 sqq.), ubi plura sequentium verbotenus occurrunt; cf. supra, num. 100.

tempori, sed est quasi in horizonte aeternitatis et temporis[1]; ergo alterum contrariorum quae sunt secundum ipsam, scilicet caritas vel cupiditas, semper inest ei; sed non cupiditas: tunc enim non fuisset status innocentiae, sed peccati; ergo caritas.

2. Item, Deus de sua[a] summa liberalitate dat cuilibet gratiam secundum eius capacitatem, Matth. 25, 15: *Dedit unicuique secundum propriam virtutem* etc.; sed anima Adae statim creata et infusa corpori virili, non puerili, apta fuit respectu gratiae; ergo statim habuit gratiam. — Quod autem statim ut creata est fuerit[b] apta respectu gratiae, patet: Non enim fuit imperfectior[c] quam anima pueri baptizati, cum creatus fuerit in statu virili et corpore incorrupto. Nec potest dici quod non obtulit statim gratiam, alioquin non esset summe bonus, Iac. 1, 5: *Qui dat omnibus affluenter.* Ergo, cum Deus offerret ei gratiam, si noluit recipere, innocens non fuit; ut enim dicit Augustinus[2]: « Vera innocentia est qua quis nec sibi nec alii nocet »; et, si innocens fuit, statim recepit, quia aptus[d] ad recipiendum fuit.

3. Item, Anselmus[3]: « Ideo homo non habet gratiam, non quia Deus non dat, sed quia ipse non recipit »; dicitur autem non recipere eo quod non praeparat se ad recipiendum; sed nulla est melior praeparatio ad gratiam recipiendam quam pura innocentia et recta voluntas; haec autem semper fuit in primo homine ante lapsum; ergo semper[e] habuit gratiam ante lapsum; hoc esse non posset nisi esset conditus in gratia; ergo etc.

4. Item, Deus fecit creaturam rationalem, id est hominem, ad inhabitandum in ea[4], et hoc est quod ipse Deus vult, scilicet habitare in ea, Prov. 8, 31: *Deliciae meae esse cum filiis hominum;* habitare autem eius est per gratiam; quod autem non inhabitat, provenit ex aliquo vitio ex parte illius in quo vellet habitare; sed in primo homine nullum erat vitium, immo omnimoda idoneitas ad gratiam; ergo etc.

5. Item, velle est actus voluntatis quem ipsa semper exercet, sicut lux lucere: unde voluntas primi hominis statim actum volendi exercuit; sed illud 'velle' fuit boni, quod esse non potest sine gratia, vel mali, quod non potest esse sine culpa; ergo etc.

6. Item, ut dicit Magister, II *Sententiarum*[5], et Hugo[6], triplici[f] cognitione praeditus fuit primus homo: Creatoris sui et sui ipsius et rerum propter se ipsum factarum, « ut quid deberet superiori, quid aequali, quid inferiori, non ignoraret »; haec autem cognitio non poterat esse sine dilectione; aut ergo diligebat se propter se aut Deum propter Deum aut se propter Deum[g] aut Deum propter se. Si diligebat se[h] propter se, ergo creaturae, scilicet sibi, inhaerebat propter se[i]; ergo per definitionem eius quod est 'frui' fruebatur creatura; hoc autem est peccatum. Dicit autem[k] Augustinus, in libro *83 Quaestionum*[7]: « Omnis humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle atque utendis frui ». Si se propter Deum, sed haec dilectio est perfecta caritas, ut habetur a Bernardo, in libro *De amore*[8] et similiter *De diligendo Deo*[9]. Si Deum propter se, ergo se magis: « unumquodque enim propter quod[l], illud magis[10] »; hoc autem est peccatum. Si Deum propter Deum, haec dilectio est caritatis; et ita necessario sequitur quod aut habuit caritatem aut erat in peccato, et ita ut prius.

7. Item, ut ostendit Philosophus, in *Metaphysica* sua[11], actus melior est potentia, et ideo, cum aliquid est in actu, melius est quam cum fuerit in potentia tantum; ergo, cum voluntas in statu innocentiae potuerit in aliquem actum bonum, melior fuit voluntas Adae exercens illam actionem quam non exercens; ergo, cum nihil faciat se melius, non potuit potentia illa exire in actum nisi adiutorio melioris educentis eam in actum; nihil autem in creaturis[m] melius voluntate praeter gratiam; ergo tantum per gratiam[n] Dei adiuvantem potuit tunc[o] voluntas in suum actum.

8. Item, divina bonitas, quae summa est, ita[p] apta est diffundere se ad perficiendum[q] creaturas spirituales ut ad perficiendum corporales et non minus hoc illi congruit; sed constat quod primus homo conditus fuit perfectus in corpore; a simili videtur quod factus fuit perfectus[r] in anima; animae autem perfectio est ab informatione gratiae; ergo etc.

9. Item, anima primi hominis condita fuit in perfectione scientiae; unde Hugo[12]: « Ipse primus homo et secundum staturam corporis et secundum statum mentis[s] perfectus mox conditus est ».

---

[a] T om., in F est add. mg. [b] VT *fuit.* [c] S *perfectior.* [d] S *actus.* [e] V om. *fuit... semper.* [f] S om. [g] L om. *a. s. p. D.*, in F est add. mg. [h] L om. [i] L om. *ergo... se;* T *propter* pro *per.* [k] L om. [l] VT add. *aliquid.* [m] T *creatura.* [n] S om. *e. t. p. g.* [o] T *esse.* [p] VT add. *quod.* [q] R *perficiendas.* [r] T om. [s] T om.

1 Cf. *Liber de causis,* § 2 (p. 165).
2 Cf. Prosp. Aquitan., *Sent. ex Augustino collectae,* n. 1, qui liber dicitur etiam *De vera innocentia* (PL 45, 1859).
3 *De casu diaboli,* c. 4 (PL 158, 333).
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 50-55.
5 Dist. 23, c. 3 (p. 417).
6 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 6, c. 12 (PL 176, 270).
7 Quaest. 30 (PL 40, 19).
8 Potius Gulielm., Abbas *S. Theoderici, De contempl. Deo,* c. 4 (PL 184, 372).
9 Cf. c. 15, n. 39 (PL 182, 998).
10 Aristot., *Anal. Poster.,* I, c. 2 (I, 123).
11 Lib. VIII, c. 8 (II, 569).
12 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 6, c. 25 (PL 176, 278)

A simili videtur quod in perfectione virtutis vel gratiae, vel[a] quare non?

10. Item, illa quae fecit Deus propter hominem sustentandum, fecit perfecta et completa in genere suo: unde arbores perfectas fecit et fructu abundantes. Quod patet per hoc quod exposuit illas usui[b] humano, homine formato, Gen. 2, 16: *Ex omni ligno paradisi comedetis* etc. Ergo, cum maior fuerit cura Deo de homine et eius perfectione quam de perfectione huiusmodi creaturarum, videtur quod fecit hominem perfectum scientia et virtute, penes quae attenditur eius completio.

11. Item, Gen. 1, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* sed, sicut exponit Augustinus[1], et habetur II *Sententiarum*, dist. 16[2], imago est in naturalibus, similitudo in gratuitis; ergo homo fuit conditus in naturalibus et gratuitis.

12. Item, Eccli. 17, 1: *Deus de terra creavit hominem*, et post[3]: *Vestivit illum virtute.* Ergo a primaria sui conditione fuit vestitus virtute.

13. Item, Damascenus[4]: « Fecit Deus hominem innocentem, rectum, virtuosum, sine sollicitudine, sine tristitia, omni virtute decoratum, omnibus bonis ornatum ». Ergo videtur quod homo in gratuitis fuerit conditus.

Contra: *a.* Augustinus, *De correptione et gratia*[5]: « Saluberrime confitemur quod rectissime credimus Deum dominum rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, et mala ex bonis exoritura esse praescivit et scivit magis ad omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis bene facere quam mala esse non sinere, sic ordinasse angelorum et hominum vitam ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suae gratiae beneficium iustitiaeque iudicium ». Ecce aperte habetur quod sic ordinavit divina providentia vitam angelorum et hominum ut ostenderet prius quid posset[c] liberum arbitrium, id est quid de natura possent[d] et postea quid de beneficio gratiae. Ex quo patet quod conditi erant in puris naturalibus.

b. Item, status gratiae est status medius inter statum naturae et gloriae; conveniebat ergo divinae sapientiae, omnia discretissime et sine confusione ordinanti, primo condere hominem in naturalibus, deinde ornare virtutibus, tertio gloria perficere.

c. Item, magis convenit gratia cum gloria quam natura cum gratia; sed in homine gratia praecedit gloriam; ergo pari ratione, immo multo fortiori, natura praecessit tempore donum gratiae.

d. Item, per gratiam fit matrimonium inter Deum et animam; sed lex matrimonii est ut non fiat absque mutuo consensu; ergo videtur quod nulli adulto gratia debeat dari nisi praecedat consensus; si ergo Adam prius fuit[e] quam consentire posset, ergo non simul habuit gratiam et naturam.

e. Item, donum gratiae infructuosum est nisi recognoscatur esse a Deo: nemo enim gratiam in se reservare potest[f] nisi pro illa Deo gratus existat; igitur, si magis tenet rationem gratuiti quod est[g] naturalibus superadditum quam quod est naturaliter[h] inditum, et donum gratiae est mere gratuitum, ergo videtur quod non ab ipsa creatione, sed post donum gratiae fuerit homini[i] collatum.

Respondeo: Circa hoc diversi diversa sentiunt. Quidam[6] ponunt hominem primum fuisse conditum in gratuitis gratum facientibus. Et ratio quae movet[k] eos est ex parte Dei perfecta liberalitas, ex parte hominis sufficiens idoneitas. Alii[7] ponunt ipsum fuisse conditum solummodo in naturalibus, non in gratuitis gratum facientibus.

Hoc magis sustinendum est, quia magis est rationi consonum et auctoritatibus probatum et divinae excellentiae declarativum: excellentiae[l] dico, scilicet maiestatis, sapientiae, bonitatis. Decebat[m] enim ut sic homo fieret ut in eo reluceret magnificentia divinae[n] maiestatis, decor sapientiae et ordo bonitatis, ut ratione primi laudaretur, ratione secundi veneraretur, ratione tertii amaretur. Ad laudem maiestatis facit quod prius erat homo conditus secundum naturam, deinde informatus per gratiam, ut in se recognosceret gratiam esse donum Dei et[o] illam a naturalibus distingueret et distinguendo non suae naturae illam attribueret, sed conditori Deo, et ex hoc gratias debitas Deo exsolveret et sic divina opitulatio non inaniretur, sed gloria opitulanti conferretur. Et hoc est[p] quod vult Augustinus, *De natura et gratia*[8], dicens: « Melius Dei causa agitur, cum et Creator et Salvator agnoscitur[q] quam cum, defensa velut sana viribusque integris creatura, opitulatio Salvatoris inanitur ». — Decor etiam sapientiae manifestatur per hoc quod

---

[a] S om. *g. v.* [b] T *visui.* [c] V *possit.* [d] V *possint.* [e] Z om. [f] R om. [g] R add. *in.* [h] V om. *superadditum... naturaliter.* [i] R *ei.* [k] R *movit.* [l] L om. *d. e.* [m] T *dicebat.* [n] L om. [o] S *sed.* [p] T om. [q] VT *cognoscitur.*

1 Cf. *De spiritu et anima*, cc. 10 et 39 (PL 40, 786, 809).
2 Cap. 3 (p. 380); cf. supra, num. 340.
3 Eccl. 17, 2.
4 *De fide orthod.*, II, c. 12 (PL 94, 922).
5 Cap. 10, n. 27 (PL 44, 932).
6 Cf. Hieronym., *In Epist. ad Ephes.* 4, 30 (PL 26, 514); Basil., *Contra Eunomium*, V (PG 29, 727); Augustin., *De spiritu et littera*, c. 27 (PL 44, 229).
7 Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 24, c. 1 (p. 419).
8 Cap. 42, n. 49 (PL 44, 271).

homo gradatim et secundum processum temporum ad perfectionem perducitur: sapientis enim est singula [a] secundum temporum opportunitatem distinguere. Unde, cum Deus posset simul creaturas in esse producere, distinguere [b] et ornare, maluit [c] primo in esse producere et post distinguere et tertio ornare, ad suae sapientiae manifestationem [1]. Similiter, licet posset homini simul dare naturam, gratiam et gloriam, ut pulcritudo ordinis salvaretur [d] maluit primo facere hominem in statu naturae bene institutae et post addere donum gratiae, deinde superaddere complementum gloriae. — Ordo etiam bonitatis in hoc manifestatur, quia divina bonitas sic suam bonitatem communicat rationali [e] creaturae ut non tantum tribuat ei effectum boni, sed etiam potentiam cooperandi quodam modo, ut sic perfectius communicet se creaturae huiusmodi. Et ideo sicut noluit dare gloriam homini quin praecederet in homine quodam modo meritum condigni per usum gratiae — opus enim caritatis omnia meretur ex condigno — sic noluit dare gratiam nisi praeambulo merito congrui per bonum usum naturae, ut sic homo efficeretur gloriosior et laudabilior. Et hoc totum spectat ad summam bonitatem, cuius erat hominem facere optimo modo et ordine secundum comparationem ad complementum gloriae. Deus enim secundum legem communem requirit aliquam praeparationem et dispositionem a parte nostra ad hoc quod infundat alicui gratiam sive in eo cui intendit, ut in [f] adulto, sive in alio adiuvante, secundum quod contingit in parvulo. Et ideo gratia non fuit homini [g] concreata, sed dilata [h] fuit quousque homo per actum et usum rationis quodam modo se disponeret ad illam suscipiendam, ut sic verificaretur illud Augustini in primo homine [2]: « Qui creavit te sine te [i], non iustificat te sine te ».

Adhuc ad [k] evidentiam quaesitorum notandum quod gratia uno modo dicitur communiter, prout comprehendit quidquid naturalibus est additum: naturalibus, dico, quae sunt de generali constitutione rei, sicut dicitur gratia habere bonum ingenium, bonam eloquentiam et huiusmodi. Alio modo dicitur gratia quod est superadditum libero arbitrio faciens et disponens ad rectitudinem illius, sicut dicimus virtutes naturales, mititatem, pietatem et huiusmodi. Tertio modo quod est superadditum libero arbitrio tamquam rectificans et complens et elevans, et sic dicitur gratia quae gratum facit, quia facit hominem Deo acceptum [l], quia conformem. Cum ergo quaeritur utrum primus homo fuit conditus in gratia sive in gratuitis, potest dici quod, secundum quod primo vel secundo modo dicitur gratia, sic fuit conditus in gratia sive gratuitis [m], secundum quod tertio modo, nequaquam. Similiter potest dici de virtutibus quod virtutes naturales, et hoc secundum congruentiam naturae integrae, habebat a sui primaria conditione, virtutes autem gratuitas, ut caritatem et huiusmodi, nequaquam. Primum patet per Hugonem [3]; dicit enim sic: « Si quaeritur utrum primus homo in illo primo suae conditionis statu virtutes aliquas habuerit, nullatenus ambigendo putamus affectus bonos et secundum iustitiam ordinatos naturae illius a sua prima origine insertos, per quos ad bonitatem et iustitiam exequendam naturali appetitu trahebatur [n], et in iis quidem affectibus bonis naturales virtutes constitisse, quibus a principio natura hominis formata est et [o] instructa ». Secundum patet per verbum Augustini supra dictum, *De correptione et gratia* [4]. Conceduntur ergo rationes pro parte ista.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum, quo videtur 'quod conditus fuit in gratuitis proprie sumptis, quia contraria immediata sunt virtus et vitium' etc.: dicendum quod multiplex est status hominis, scilicet naturae simpliciter, sicut status conditionis; gratiae, sicut status ille quo erat informatus gratia; status culpae, scilicet status post lapsum, status gloriae et poenae aeternae. Quia vero aliquis propter sola naturalia non meretur laudari vel vituperari [5], illi statui neque virtus neque vitium debet attribui. Et propter hoc potest dici quod homo [p] in illo statu, qui fuit pure naturalis, neque debuit dici habere vitium neque virtutem; in aliis autem [q] statibus, qui currunt per distinctionem meriti et praemii, dicendus est quilibet habere virtutem vel vitium: status enim illi digni sunt laude vel vituperio, quia respiciunt meritum vel demeritum. — Ad illud quod subditur quod 'anima rationalis non subiacet tempori' etc.: dicendum quod, licet non subiaceat tempori secundum substantiam, subiacet tamen secundum actum. Ut enim dicit Philosophus [6], est aliquid quod secundum substantiam et actum est in momento aeternitatis, aliquid quod secundum substantiam et actum est in momento temporis, aliquid quod secundum substantiam est in momento aeternitatis, secundum actum in momento temporis, et hoc est anima rationalis.

---

[a] SR *in gloria*, quod F corr. [b] S om. *unde... distinguere.* [c] VT add. *ergo.* [d] Ita VFZ (corr.), alii *servaretur.* [e] VT *rationi.* [f] S om. [g] Z *ei.* [h] SRZ *delata*, quod F corr. [i] T add. *et.* [k] L om. [l] L add. mg. *et ideo receptum*, quod Z exp. [m] L om. *potest... gratuitis.* [n] LZ *contrahebatur.* [o] R *ut.* [p] Ita F (corr.), alii *homini.* [q] T om.

[1] Cf. supra, num. 257-260.
[2] *Sermo 169*, c. 11, n. 13 (PL 38, 923).
[3] *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 17 (PL 176, 274).
[4] Cf. supra, sub litt. *a*.
[5] Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, II, c. 5 (II, 18).
[6] *Liber de causis*, § 2 (p. 165).

2. Ad aliud quod obicitur quod 'Deus dat omnibus [a] secundum sui capacitatem, quia dat *unicuique secundum propriam virtutem*' etc.: dicendum [1] quod capacitas sive virtus, secundum quam Deus dat unicuique, non est in sola potentia vel aptitudine, sed in praeparatione vel dispositione per motum liberi arbitrii, quae quidem praeparatio sive dispositio cadit in genus meriti, scilicet de congruo. Cum iis intelligendum est quod, licet Dominus sit summe liberalis, sua tamen liberalitas in nullo praeiudicat ordini suae sapientiae, immo liberalis est salvo ordine sapientiae et iustitiae. Quamvis enim ab instanti creationis cuiuslibet hominis posset eum beatificare [b], tamen longo tempore tardat; similiter, quamvis possit cuilibet parvulo gratiam dare sine Baptismate sicut cum Baptismate, tamen non dat [c]. Et ratio huius est quod gloria [d] est bonum laudabile, ideo non dat nisi per meritum laudabile, et ideo convenit eam dare praecedente aliquo merito. Similiter quando confert gratiam, si confert adulto, cum gratia faciat habentem dignum gloria, non confert nisi ad motum liberi arbitrii, si habet usum; si vero non habet, confert ad motum fidei alienae sive ad meritum Christi: ideo secundum ordinem sapientiae non statim debuit eis dare, sed expectare motum liberi arbitrii, quod et fecit. Patet igitur responsio ad illud quod obicitur de liberalitate et habilitate, quia non tantum exigit innocentiam ut dispositionem, sed motum liberi arbitrii in adulto; parvulo vero potest alienum meritum suffragari sicut demeritum nocere.

3. Ex hoc patet responsio ad aliud quod sequitur, quia, licet anima Adae fuerit in pura innocentia et recta voluntate, tamen, quia haec illi erant quasi naturaliter inserta sive naturae [e] a primaria conditione insita, ut habetur ab Hugone [2], non erat sufficienter praeparata, sed requirebatur ut processu temporis disponeretur motu liberi arbitrii in Deum et bono usu gratis datorum, quo facto congruebat ut gratuita gratum facientia apponerentur. — Quod autem dicitur quod 'nulla est melior praeparatio quam pura innocentia et recta voluntas': dicendum quod hoc verum est quando haec insunt per motum liberi arbitrii sive usu rationis disponente et praeparante [f] ipsam animam et efficiente illam dignam dignitate congruitatis.

4. Ad illud quod obicitur 'quod Deus non inhabitat ipsam animam, hoc provenit ex vitio aliquo' etc.: dicendum quod hoc non est generaliter verum nisi extenso nomine defectus dicatur vitium. Unde in primo homine causa quare statim non inhabitavit Deus animam illius fuit defectus gratiae [g], non vitium aliquod, secundum quod vitium proprie [h] sumitur, scilicet pro culpa.

5. Ad illud quod obicitur quod [i] 'velle boni non potest esse sine gratia' etc.: dicendum quod hoc verum est secundum [k] quod bonum dicitur meritorium; sicut enim dicit Hugo [3], « ad bonitatem et iustitiam exequendam naturali appetitu [l] trahebatur primus homo ». Ex quo patet quod potuit velle bonum sine gratia.

6. Ad aliud quod obicitur de multiplici dilectione sui et Dei, potest dici quod duplex est dilectio [4]: voluntaria pure naturalis et voluntaria quae non est pure naturalis, sed est [m] deliberativa, et utraque respectu sui et respectu Dei. Voluntaria naturalis respectu sui est, qua quis diligit [n] summe se ipsum et sui conservationem, et illud semper magis quod magis [o] est necessarium sibi adesse, ut caput quam manum vel pedem: hac dilectione moti exponimus alia membra pro capite, et haec dilectio curva est et est communis nobis et brutis. Respectu Dei est dilectio naturalis, qua diligimus summum bonum. Haec autem dilectio est naturalis; dicit enim Boethius [5] quod amor et notitia summi boni naturaliter sunt inserta [p] humanae animae. Iis dilectionibus neque meretur quis neque demeretur, quia naturali appetitu trahitur homo ad hoc. — Item, est [q] dilectio voluntaria deliberativa, quae dividitur in concupiscentiam et amicitiam. Dilectio amicitiae est qua appetimus bonum illi quem diligimus propter ipsum, secundum quod dicit Philosophus [6] quod diligimus amicos propter se, etsi nihil boni debeat nobis ab ipsis esse; dilectio concupiscentiae, qua quis affectat bonum, quia sibi bonum vel delectabile. Utroque modo diligitur Deus: primo modo ex consideratione beneficiorum eius, quibus consideratis appetitur ei bonum, etsi nihil boni debeat inde provenire appetenti; secundo modo cogitata suavitate illius appetitur et affectatur dulcedo illius et delectari in illo. Huiusmodi autem delectationem quaerere in illo propter se non est peccatum; quaerere autem in alio est peccatum, propter se dico.

---

[a] Ita F (corr.), alii add. *non*. [b] V add. *et*. [c] Codd. add. *quia*. [d] V *gratia*. [e] S *natura*, quod L corr. [f] S add. *te*. [g] T *gratis*. [h] L om. *s. q. v. p.* [i] R om. *o. q.* [k] VT *scilicet*. [l] Ita VTF (corr.), alii *appetitui*. [m] Ita VT, alii *et*; Z om. *et voluntaria... sed*. [n] VT om. [o] V om. *q. m.* [p] Ita V, alii *insita*; VT *fuit* pro *sunt*. [q] VT *cum*.

1 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 54.
2 Cf. p. 730, nota 3.
3 Loc. cit.
4 Cf. supra, num. 166.
5 *De consol. philos.*, III, pr. 2 (PL 63, 724); cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 108.
6 *Ethica ad Nicom.*, VIII, c. 2 (II, 92).

Potest ergo dici quod primus homo diligebat se propter se [a], scilicet amore amicitiae, non amore concupiscentiae [b]; sic autem diligere se propter se non est frui se, quia frui se est delectari in se: quod est delectationis concupiscentiae. Utroque [c] istorum modorum poterat primus homo diligere Deum, scilicet dilectione amicitiae et concupiscentiae, nec tamen oporteret [d] illum habuisse caritatem sive virtutem aliquam gratum facientem, quia naturali dilectione poterat iis duobus modis moveri in Deum.

Ad cuius evidentiam nota quod motus dilectionis sive dilectio aliter est gratiae, aliter est naturae. Naturae vero est, et maxime institutae, ex quadam habilitate et rectitudine respectu boni; gratiae vero est in quantum captivatur affectus in obsequium Christi diligendo, sicut intellectus per fidem sive credendo. Tunc autem captivatur *intellectus in obsequium* [e] *Christi*[1], quando contra id quod ratio dictat, assentit primae veritati; sic et affectus quando id, ad quod diligendum naturaliter inclinatur, amore Christi paratus est odire vel e converso, ut quando id, ad quod odiendum [f] naturaliter inclinatur, paratus est amare, et talis est affectus [g] qui contemnit honores, divitias et omne delectabile carni et amat odientes se et persequentes propter Deum; et huiusmodi affectus non est a natura, sed solum a gratia: non tamen in statu naturae conditae fuisset ista dilectio. — Alia est differentia, quia [h] quandoque dilectio est a cognitione naturali, et illa similiter est naturalis, alia est a cognitione fidei. Et differt haec cognitio ab illa, quia [i] cognitio naturalis cognoscit Deum summe bonum propter diffusionem suae bonitatis in effectibus creatis, sed fides dictat Deum summe bonum propter communicationem bonitatis in divinis personis. Et utraque cognitio dicit Deum summe bonum et summe diligendum, sed nobilius fides sive cognitio gratuita. Per hunc modum utraque dilectio est summa respectu Dei, sed [k] modo nobiliori dilectio gratuita. — Alia est differentia, quia dilectione naturali diligit Deum animus sive affectus rectus, quia bonus sibi, et ideo summe diligit, quia sibi summe bonus, et omne bonum quod est et quod habet, ex ipso est, et nihil esset nisi per ipsum, ideo plus illum diligit quam se ipsum. Sed dilectione gratuita diligit quis Deum, quia simpliciter bonus; et quia summe bonus, summe diligit; et quia ipse homo non est bonus, nisi in quantum est ad Deum, diligit [l] se propter Deum, scilicet dilectione gratuita. Et sic triplex est differentia: prima est a parte modi diligendi, secunda a parte cognitionis disponentis sive principii, tertia a parte motivi. Et sic patet quod primus homo poterat diligere Deum dilectione naturali, ratione qua erat in optima habilitate et rectitudine naturali respectu boni et ratione qua habebat cognitionem naturalem bene disponentem ad hoc et ratione qua Deus erat sibi summe bonus, non tamen hoc poterat dilectione gratuita, quam concomitantur tres differentiae oppositae.

7. Ad aliud quod obicitur quod 'melior fuit voluntas Adae exercens aliquam actionem' etc.: dicendum quod voluntas non solum est vis sive virtus activa, sed est quasi instrumentum respectu sui moventis. Ut enim dicit Anselmus [m] [2], voluntas est « instrumentum se ipsum movens »; propter quod « nihil est ita in potestate hominis sicut sua voluntas [3] »; propter quod a sua natura sive virtute naturali potest exire in actum. — Quod autem dicit Philosophus [n] « melior est actus quam potentia »: dicendum, quod hoc verum est per se loquendo; similiter voluntas melior est exercens aliquam bonam actionem, per se loquendo, quam ipsa cessans ab eadem. — Quod autem dicitur quod 'non potest facere se ipsum melius': dicendum quod hoc verum est, praecise loquendo, secundum quod 'melius' dicit comparationem in merito sive in gratuitis, sed necessario requiritur adiutorium gratiae. Cum enim sit bonum triplex, honestum, utile et expediens [4], secundum quod 'melius' dicit comparationem ad bonum honestum, non potest aliquis sine adiutorio gratiae facere se meliorem; potest tamen secundum quod 'melius' dicit comparationem respectu boni utilis vel expedientis.

8. Ad illud [o] quod obicitur quod 'divina bonitas ita apta est diffundere se ad perficiendum creaturas spirituales' etc.: dicendum quod hoc verum est salvo ordine divinae sapientiae. Quod autem congruebat divinae sapientiae dilatio perfectionis gratuitae similiter et divinae maiestati, ex dictis patet [5]. Praeterea, divina bonitas ea perfectione perficit primum hominem quantum ad animam qua quantum ad corpus, quia utrumque perficiebat perfectione naturali sive quantum ad ea quae requirebat perfectio naturae; unde patet quod ratio illa nulla est.

9. Ex iis patet responsio ad illud quod sequitur, quia non fuit similis ratio dilationis [p] perfectionis

[a] Z om. *p. s.* [b] S om. *n. a. c.* [c] T add. *autem.* [d] T *oportet.* [e] Ita VT, alii *obsequio.* [f] SZ *obediendum.* [g] R *effectus.* [h] Ita F (corr.), alii *que.* [i] S *que.* [k] S *licet.* [l] VT *diligat.* [m] V om. [n] Z add. *quod.* [o] L om. [p] Ita TF (correcti), alii *dilectionis;* LZ *simul* pro *similis.*

[1] Cf. II Cor. 10, 5.
[2] Cf. *De conc. praesc. Dei cum lib. arbit.*, q. 3, c. 11 (PL 158, 537).
[3] Augustin., *Retract.*, I, c. 22, n. 4 (PL 32, 620).
[4] Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, II, c. 3 (II, 17).
[5] Cf. supra, p. 729 sq., sub *Respondeo.*

eius quantum ad scientiam et quantum ad virtutem. Multiplex enim fuit ratio dilationis perfectionis quantum ad virtutem, ut ex dictis patet[1], quarum nulla fuit dilationis perfectionis quantum ad scientiam, immo multis rationibus congruebat ut statim conditus fuisset praeditus scientia, ut infra patebit[2]. — Praeterea, addendum est praedictis quod non est simile de perfectione aetatis et cognitionis et de [a] perfectione virtutis. Perfectio enim aetatis et cognitionis non tantum elongatur a perfectione naturae sicut perfectio gratiae: homo enim per vim naturae sibi inditam potest pervenire ad perfectam aetatem et proficere ad cognitionem, sed nunquam per se potest homo in perfectionem gratiae, immo requiritur necessario quod infundatur a Domino.

10. Ad illud quod obicitur [b] de perfectione illorum quae erant condita ad sustentandum hominem, id est arborum: dicendum quod non fuit ratio similis harum [c] et illius. Istarum enim non erat nec debuit esse nisi unica perfectio, scilicet naturalis; hominis autem secundum animam triplex, scilicet naturalis, gratiae et gloriae, quae debebant [d] rationibus praetactis discerni et secundum temporis et status opportunitatem distingui.

11. Ad illud quod obicitur de illo verbo Gen.: *Faciamus hominem ad imaginem* etc. [e], dicendum quod similitudo attenditur ibi in gratuitis gratis datis[3]. — Vel dicendum quod Deus dicitur fecisse *hominem ad* suam *imaginem et similitudinem,* non quia statim cum dedit ei [f] imaginem, simul etiam dederit similitudinem, sed quia alterum dedit, scilicet imaginem, et ad [g] alterum habilem fecit, videlicet ad similitudinem, quam postmodum pro loco et tempore ei dedit. Unde quantum est ex vi verbi, non potest concludi quod simul et semel fuerit in homine imago Dei et similitudo.

12-13. Et per hoc patet responsio ad duas auctoritates sequentes, Ecclesiastici videlicet et Damasceni, quia sic intelliguntur [h]: non quia Deus, statim ut hominem condidit, virtute vestiverit et ornaverit, sed quia tunc dispositum fecerit et non longo post tempore complevit.

CAPUT II.

UTRUM PRIMUS HOMO POTERAT STARE EX ACCEPTO IN SUI CONDITIONE.

Sequitur inquirere utrum poterat stare ex accepto in sui conditione. De quo quaeruntur tria:

Primum est [i] utrum ex accepto potuit stare simpliciter;

secundum, utrum ex illo accepto fuerit invertibilis;

tertium, utrum potuit illi dari invertibilitas per naturam [k], scilicet sine additamento gratiae.

ARTICULUS I. 506

Utrum primus homo ex accepto in prima conditione potuit stare simpliciter[4].

Quaeritur ergo primo utrum ex accepto in sui conditione poterat stare simpliciter.

Quod autem sic, videtur *a.* ex verbis Magistri, II *Sententiarum,* 24 dist.[5] Dicit enim: « Sciendum est [l] quod homini in creatione datum est per gratiam auxilium et collata potentia per quam stare poterat, id est non declinare ab eo quod acceperat, sed non poterat proficere in tantum ut per gratiam creationis sine alia mereri salutem valeret ». Et ad hoc ostendendum plures inducit [m] auctoritates, cap. 1, 24 distinctione.

b. Item, Anselmus[6]: « Liberum arbitrium est potestas servandi rectitudinem propter se [n] »; sed servando rectitudinem non declinasset ab eo quod acceperat; ergo, cum in conditione ei datum fuerit liberum arbitrium etc.

c. Item, si non posset stare, cum nullus peccet ex eo quod vitare non potest, ut habetur ab Augustino, *De libero arbitrio*[7], si cecidisset, non esset illi imputandum ad culpam; sed constat quod hoc est falsum.

d. Item, natura nulli dat esse quin etiam det ei aliquam potentiam permanendi, cum non deficiat

---

[a] L om. [b] Ita VT, alii *queritur.* [c] VT *horum.* [d] Ita VT, alii *debebantur.* [e] R *et similitudinem nostram.* [f] Ita VT, alii om.; SZ om. *cum.* [g] SRLZ om., in F est add. mg. [h] R *intelligunt.* [i] Ita VT, alii om. [k] L om. *p. n.* [l] Ita VT, alii om. [m] L *inducte.* [n] T om.

1 Cf. supra, p. 729sq., sub *Respondeo.*
2 Cf. infra, num. 516.
3 Cf. *De spiritu et anima,* cc. 10 et 39 (PL 40, 785, 809).
4 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 24, c. 1 et d. 29, c. 1 (p. 419sq., 456sq.); S. Bonav., II *Sent.,* d. 24, p. 1, a. 1, q. 2 (II, 556sq.).
5 Cap. 1 (p. 419).
6 *De lib. arbit.,* c. 13 (PL 158, 505).
7 Lib. III, c. 18, n. 50 (PL 32, 1295).

in necessariis[1]: unde sicut aliquid naturaliter propagatur, sic[a] etiam in naturali virtute in esse conservatur; si ergo liberum arbitrium homini datum, per naturam propriam innocens erat et[b] immune a culpa, ergo per naturam propriam absque omni gratia permanere poterat in sua innocentia; ergo etc.

e. Item, voluntatis rectitudo solo actu servatur: qui[c] enim rectus est, obliquus esse non potest, quamdiu ipse vult esse rectus; sed « nihil tam est in potestate[d] nostra quam ipsa voluntas[2] », nihil facilius homini recto quam velle rectitudinem; si ergo liberum arbitrium hominis, quantum est de sua conditione primaria, rectum erat, absque[e] omni gratia superaddita rectitudinem servare poterat; ergo etc.

Contra: 1. Iob 41, 24: *Non est potestas super*[f] *terram quae comparetur ei,* dicitur de Behemoth; ex quo patet quod nulla potestas humana naturalis est[g] potestati suae comparabilis; ergo homine habente solummodo naturalia, in quibus conditus erat, fortior erat diabolus; ergo ex accepto in conditione non poterat primus homo illi[h] resistere, sed illo impetente necesse habuit cadere.

2. Item, Augustinus, *De gratia et vera innocentia*[3]: « Natura humana, etsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam sine Creatore adiuvante servaret ». Ex hoc patet quod sine gratia stare non potuit.

3. Item, si virtute propria posset homo absque omni gratia tentationi resistere, potuisset etiam victoriam de inimico obtinere; sed victoriae respondet corona; ergo absque omni[i] gratia potuisset mereri et pervenire ad gloriam; quod si evidenter falsum[k] est, restat etc.

4. Item, maioris difficultatis est tentationibus resistere quam opera virtutum exercere: hoc bene noverunt experti difficultatem tentationum; ergo maioris difficultatis est stare[l] in bono accepto quam in bonum acquirendum proficere; si ergo non poterat tunc proficere[m], etc.

5. Item, vitium culpae non opponitur naturae per se, sed potius gratiae, similiter vitium naturae non opponitur gratiae per se, sed potius naturae; est ergo similis comparatio vitii culpae ad gratiam et vitii naturae ad naturam et permutatim, scilicet naturae ad gratiam et vitii naturae ad vitium culpae; ergo si per gratiam sive gratuita non potest quis stare quin labatur in vitium naturae, ergo consimili ratione nec per naturam aliquam sive naturalia quaecumque potest quis stare quin labatur in[n] vitium culpae; ergo primus homo per naturalia non poterat stare quin caderet in culpam.

Respondeo: Dicendum quod primus homo ex acceptis in conditione poterat stare et resistere omni tentationi, sicut habetur a Magistro *Sententiarum*[4], nec oportebat illum cadere nisi vellet. Unde Augustinus, *De correptione et gratia*[5]: « Tunc dederat Deus homini bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum; dederat adiutorium, sine quo in ea non posset[o] permanere, si vellet; ut autem vellet, in eius reliquit libero arbitrio. Posset ergo permanere, si vellet, quia non deerat adiutorium per quod posset et sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet ». Cum hoc autem intelligendum est quod, sicut supra dictum est[6], primus homo conditus fuit in gratia eo modo quo gratia dicitur communiter, scilicet secundum quod comprehendit quidquid est additum naturalibus, quae sunt de generali constitutione rerum, et quod est additum libero arbitrio disponens et faciens ad eius rectitudinem. Nota ergo quod primus homo duplicem habuit gratiam in primo statu, hoc est antequam habuit[p] gratiam gratum facientem, scilicet gratis datam, communiter dicta gratia eo modo quo dictum est[7], et gratiam superinfusam, quae erat continua influentia virtutis a causa prima. Cum ergo dicitur quod 'primus homo poterat stare ex acceptis in conditione absque gratia', hoc potest intelligi dupliciter: vel ita quod excludatur continuatio divinae influentiae vel ita quod excludatur appositio novae gratiae. Primum simpliciter est impossibile: nunquam enim liberum arbitrium tentationi resisteret nisi Deus suae bonitatis influentia illud in bono conservaret. Secundo modo veritatem habet pro statu innocentiae. Dicit enim Magister, II *Sententiarum,* 24 dist., cap. *Hic considerandum*[8]: « Illud adiutorium homini datum in creatione quo poterat manere, si vellet, fuit libertas arbitrii ab omni labe et corruptela immunis atque voluntatis rectitudo et omnium naturalium potentiarum animae sinceritas atque vivacitas ».

[Ad obiecta]: 1. Ad illud ergo quod primo[q] obicitur contra hoc per illud Iob: *Non est potestas*

---

[a] Ita F (corr.), alii *sed.* [b] F add. interl. *etiam.* [c] Ita F (corr.), alii *quia.* [d] VTFL *voluntate.* [e] R om. [f] S om. [g] T om. [h] V *isti.* [i] S om. *sed... omni.* [k] F *factum.* [l] R *ferre.* [m] S om. *si... proficere.* [n] VT om. [o] Z *poterat.* [p] Ita VT, alii *habuerit.* [q] SRLZ *primum.*

1 Cf. Aristot., *De anima,* III, c. 9 (III, 471).
2 Cf. supra, p. 732, nota 3.
3 *Epist. 186,* c. 11, n. 37 (PL 33, 830).
4 Loc. cit.
5 Cap. 11, n. 32 (PL 44, 935).
6 Cf. supra, p. 730a.
7 Loc. cit.
8 Cap. 2 (p. 421).

super terram etc., potest dici quod, licet potestas diaboli maior sit per naturam, tamen[a] tum quia enervata est per peccatum, tum quia non permittitur totam potentiam suam exercere in tentando, tum quia tentat suggerendo, non violentiam inferendo, non est tantae potestatis neque fuit tunc quod primum hominem vel etiam alium, non subiectum sibi per peccatum, potest vel poterat superare. Praeterea, nullus superari potest nisi volens; unde nullius potestatis est diabolus respectu hominis: potestatis, dico, ad vincendum. Gregorius[1]: « Debilis est hostis qui non vincit[b] nisi volentem ».

2. Ad illud quod obicitur per Augustinum, *De vera innocentia,* scilicet quod « nulla natura, in quacumque sit innocentia vel rectitudine, potest se servare sine divino adiutorio »: dicendum quod hoc non dicitur quia natura instituta in primo homine, eo modo quo[c] fuit instituta, ad hoc quod stare posset necesse habuit nova gratia fulciri, sed quia in quocumque statu esset[d], indiguit influentia divinae virtutis sustentantis illam.

3. Ad illud quod obicitur 'si posset stare, posset victoriam de tentatione obtinere' etc.: dicendum[2] quod plus est victoriam de hoste obtinere quam stare sive hosti resistere. Ad hoc enim quod aliquis victoriam obtineat[e] de hoste, requiritur quod assequatur oppositum illius quod ab hoste intenditur; hoc autem est quando non solum illi resistit voluntarie, verum[f] etiam meritorie. Tunc enim recte vincitur hostis diabolus, quando ex[g] vexatione tentationis, per quam intendit incurvare ad demeritum, homo proficit ad meritum; hoc autem facere non potest liberum arbitrium nisi per gratiae adiutorium nec potuit in primo homine, quamvis per se posset refugere[h] peccatum.

4. Ad illud quod obicitur quod 'maioris difficultatis est tentationi resistere quam' etc.: dicendum quod quidam[3] posuerunt angelos beatos magna difficultate restitisse tentationi illi qua apostatae[i] ceciderunt. Secundum istos non modica difficultate restitissent primi parentes primae tentationi, quae ratione arduitatis habendae, quam[k] proposuit, violentissime allexit, ut illi ponunt. — Sed hoc simpliciter est falsum, quia tentatio non potest esse alicui violenta sine poena, poenam autem non ingerit tentatio nisi illis in quibus est aliquid quod ad malum compellit; hoc non potuit esse in primo homine ante peccatum, ut habetur a Magistro *Sententiarum,* II libro, dist. 24[4]. — Aliter ergo dicendum est[l], scilicet quod in primo statu nullius erat difficultatis resistere tentationi, etiam non habita gratia gratum faciente; proficere autem in merito, ipsa non habita, fuit impossibile. Si autem in illo statu primus homo exercuisset opera de genere virtutum, non propter hoc profecisset in merito, quia opera illa non essent progressa de radice meriti, sed potius de virtute et appetitu naturali. Non enim semper proficit homo in meritum, cum facit opus bonum bonitate morali sive de genere virtutis[m], sed solummodo quando ipse agens est bonus bonitate gratiae informantis.

5. Ad illud quod obicitur quod 'similis[n] est comparatio vitii culpae ad gratiam et vitii naturae ad naturam et permutatim' etc.: dicendum quod alia fuit comparatio istorum ad invicem in statu naturae conditae et alia in statu naturae lapsae. In statu enim naturae conditae consequebatur integritas naturae ad informationem gratiae, immo ad absentiam culpae. Vitium enim culpae introduxit vitium naturae: ex culpa enim sive peccato primi hominis introducta est corruptio naturae humanae; unde culpa personae fuit causa vitii sive corruptionis naturae[5]. Unde in statu illo gratia non solum erat incontingens vitio culpae, sed vitio naturae; similiter integritas naturae non solum erat incontingens vitio naturae, sed vitio culpae. Propter hoc, licet[o] in statu lapsus gratia sustineat lapsum in vitium naturae, tamen in statu illo nullo modo sustinuisset: omnino enim[p] erant tunc incompossibilia. Similiter, licet naturalia in statu lapsus, quantumcumque sint bona, iuxta quod sustinet status huiusmodi, sustinent lapsum in vitium culpae ipsis non cadentibus in oppositum genus, in statu illo non sustinuissent, immo necessario cecidissent in genus oppositum, quia in corruptionem ab integritate. Propter quod non valet argumentum illud: 'si[q] per gratiam non potest quis stare quin labatur etc., ergo primus homo per naturalia' etc.

---

[a] VTZ om. [b] VT *potest vincere.* [c] R om. *e. m. q.* [d] T om. [e] VT *obtineret.* [f] RL *unde,* quod F corr.; Z *ut* pro *v. e.* [g] Z om. [h] T *resurgere.* [i] FL *a potestate.* [k] VT *supra* pro *h. q.* [l] T om., in F est add. interl. [m] VT om. *s. d. g. v.* [n] F *consimilis.* [o] F om. [p] T om. [q] VT *sed.*

[1] Cf. *Moral.,* V, c. 22, n. 43 (PL 75, 702); S. Bonav., II *Sent.,* d. 6, dub. 3 et d. 28, a. 2, q. 2 (II, 170, 684).

[2] Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 28, a. 1, q. 2, sub *Respondeo* (II, 678b).

[3] Cf. Guil. Paris., *De universo,* II, p. 2, c. 60sq. (ed. Venet. 1591, p. 855sqq.).

[4] Cap. 1 (p. 420).

[5] Cf. Anselm., *De conc. virg.,* c. 23 (PL 158, 456).

507 ARTICULUS II.

Utrum primus homo ex accepto in sui conditione fuerit invertibilis in malum[1].

Sequitur inquirere utrum ex acceptis in conditione potuit stare invertibilis in malum.

Quod sic, videtur: 1. Duas fecit Deus creaturas rationales a principio, angelum et animam; angelum autem fecit vertibilem in malum; ad hoc ergo quod esset universum completum, decuit illum facere animam invertibilem in malum; sed constat quod fecit illam talem qualem decuit illum facere; ergo etc. Et hoc videtur per Augustinum, dicentem in libro III *De libero arbitrio*[2]: « Ad plenam perfectionem universi decuit fieri omnem creaturam quae a recta ratione potuit excogitari »; sed recta ratione potest excogitari[a] ad perfectionem universi spectare creaturam talem: quod patet per hoc quod quando universum erit in ultima completione, tunc erit creatura talis; ergo etc.

2. Item, honestum propria virtute allicit; ergo magis honestum magis[b] allicit; ergo summe honestum summe allicit et infinitum infinite; ergo, cum primus homo conditus fuerit in notitia et amore summi boni — dicit enim Boethius[c][3] quod amor et notitia summi boni naturaliter sunt insita humanae animae — ex quo sequitur quod si[d] fuit illo bono allectus, summe fuit allectus illo[e] qui est summe honestus; nihil tale est vertibile ab eo; ergo etc.

3. Item, primus homo conditus fuit secundum animam in esse naturali communi et rectitudine sive iustitia naturali[4]; ratione qua conditus erat ex nihilo fuit in possibilitate quadam et ad non-esse quantum ad esse naturale, si sibi esset relictus[5], et similiter ad non-esse quantum ad esse naturalis iustitiae; sed in utroque esse conservabatur per influentiam virtutis divinae; sed melius et magis acceptum fuit Deo esse naturalis rectitudinis sive iustitiae quam esse naturae simpliciter, et quanto aliquid est melius et magis acceptum Deo, magis decet illum in statu illo, influendo, virtutem illi conservare; ergo, si continua influentia virtutis anima[f] primi hominis invertibilis[g] fuit quantum ad esse naturae, multo fortius videtur quod fuit invertibilis quantum ad esse naturalis iustitiae.

4. Item, hoc etiam videtur per divinam bonitatem. Ut enim dicit Dionysius[6]: « Optimi est optima adducere »; sed melior est natura rationalis quae non potest peccare quam quae potest; cum ergo conveniat Optimum, scilicet Deum, optima adducere, sed[h] secundum quod convenit sibi, adduxit, relinquitur quod adduxit naturam rationalem, scilicet hominem primum, impotentem peccare et ita invertibilem ad peccandum.

5. Hoc idem videtur per liberalitatem ipsius: liberalis enim est, et maxime conferentis ex mera gratia, statim dare indigenti quod intendit. Ad quod hortatur divina sapientia, Prov. 3, 28: *Ne dicas amico tuo: Vade et revertere et cras dabo tibi, cum statim possis dare;* mora enim in dando gratiam dantis denigrat; sed constat quod Deus intendebat facere primum hominem aliquando invertibilem; ergo videtur quod statim fecit eum talem.

6. Idem videtur per divinam sapientiam, quae summa est: maioris enim scientiae est scire malum praecavere quam malo facto remedium adhibere; melius enim providet sibi et alii qui praecavet ne in malum incidat quam qui post casum remedium adhibet; ergo, si divina sapientia maxime manifestanda erat in hominis conditione, videtur quod talem debuit eum fecisse et tanta illum cautela contra lapsum munivisse quod non posset incidere in eum.

7. Item, idem videtur per divinam potentiam quod, ex eo quod infinita est, influit unicuique quantum potest capere: videtur enim[i], eo quod divina potentia indivisibilis[k] est in se et cum hoc infinita, non minus influere in dando quam sit creatura capax in accipiendo; sed primus homo fuit capax invertibilitatis; ergo etc.

Contra: *a.* Gloria est bonum laudabile; sed nullus est laudabilis in eo quod habet, nisi habeat illud[l] per merita; ergo, si Deus fecit hominem ad hoc ut perveniret ad statum gloriae et praemii, videtur quod debuit etiam facere hominem in statu meriti; sed status meriti et praemii sunt distincti sicut status viae et patriae secundum legem communem; ergo et dona viae et patriae; si igitur habere impossibilitatem ad peccandum

---

[a] TL om. *sed... excogitari.* [b] T om. [c] VT om. [d] VT *non.* [e] V *ille.* [f] VT *anime.* [g] R *inutilis.* [h] V add. *si.* [i] F add. *quod.* [k] Z *divisibilis.* [l] S *idem.*

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 1, q. 1 (II, 531 sqq.), ubi fere omnia sequentia verbotenus occurrunt.

2 Cf. c. 5, n. 13 (PL, 32, 1277).

3 Cf. supra, p. 731, *ad 6.*

4 Cf. supra, num. 504.

5 Cf. supra, num. 64-65.

6 *De div. nomin.*, c. 4, § 19 (PG 3, 715, PL 122, 1138).

hoc spectat ad securitatem beatitudinis, videtur quod a principio non debuit homini dari.

b. Item, universum ex oppositione mali ad bonum decoratur « quasi quibusdam antithetis », sicut dicit Augustinus [1], et Eccli. 33, 15 innuit: *Contra bonum malum* etc. Si ergo Deus universum debuit venustare et decorare, videtur quod hunc [a] decorem universo non debuit auferre; sed, si fecisset hominem invertibilem, iam hic decor non esset; ergo etc.

c. Hoc [b] idem videtur, quia Deus universum fecit ad sui ipsius manifestationem; et sicut Deus est summe potens et sapiens, sic est summe iustus et misericors; ergo tale debuit facere universum in quo manifestaretur eius summa iustitia et summa misericordia [2]; sed summa iustitia non manifestatur nisi in severitate punitionis malorum, summa misericordia non manifestatur perfecte nisi in liberatione miserorum et remissione delictorum; haec autem non possent esse nisi rationalis creatura facta esset in statu in quo posset peccare; ergo divina iustitia et misericordia exigebat hominem vertibilem fieri.

Respondeo [3]: Ut ex supra dictis [c 4] patet, Deus creaturas, et maxime rationales, condidit et etiam modum et qualitatem in conditione convenienter observavit ad sui magnificentiam declarandam et creaturae rationalis utilitatem. Nota ergo quod, etsi divina operatio non indigeat approbatione, pro eo quod quidquid Deus facit, optime facit, verumtamen ad excitandam devotionem in mentibus fidelium et compescendam [d] rabiem in ore blasphemantium et [e] Deum in suis operibus inculpantium, multiplex potest assignari ratio quare Deus fecit hominem vertibilem in malum. Una est manifestatio divinae potentiae [5]. Voluit enim Deus ostendere homini quod sicut sine eo factus non fuerat, ita nec sine ipso persistere poterat. Ut ergo homo nosceret quod divinum posse non solummodo [f] est omnis potentiae creativum [g], sed etiam omnis potentiae conservativum et quod ille solus est indefectibilis et invertibilis [6], ideo placuit sibi creaturam rationalem facere vertibilem nec ipsam confirmare in bono, quousque illi constaret quod ipse solus est in quo non cadit non posse. — Secunda ratio est manifestatio divinae sapientiae, quae ostenditur ex tribus, scilicet ex ordine malorum cum bonis sive ad bonum, virtutis ad actum proprium, meriti ad praemium. Ex vertibilitate enim hominis in malum, quod quidem malum Deus ordinat cum bonis et ex quo bonum elicit, divina sapientia manifestatur. Maioris enim sapientiae est scire ordinare bona cum malis et elicere bonum ex malis quam ordinare solummodo bona cum bonis et ex bonis elicere bona: et ideo, cum non deceret Deum facere mala, debuit talem facere creaturam, quae posset in operando deficere et malum committere, ut Deus mala illa ordinando suam sapientiam declararet [7]. Dicit enim Augustinus, XI *De civitate Dei*, 18 cap. [8]: « Neque Deus ullum [h], non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse praescisset, nisi pariter nosset [i] quibus eos bonorum usibus commodaret ». Ostenditur etiam divina sapientia ex ordine virtutis ad actum proprium: sic enim divina providentia omnes res administrat, ut eas agere propriis motibus sinat [9]: et ideo hominem condidit in libertate arbitrii *et in manu consilii sui reliquit* [10]; hoc enim competebat regimini divinae sapientiae in conservatione ordinis, qui attenditur ex comparatione virtutis ad actum proprium. Ostenditur etiam ex ordine qui attenditur ex comparatione meriti ad praemium. Quia nemo dignus est coronari *nisi qui legitime certaverit*, II Tim. 2, 5, ideo decuit divinam sapientiam hominem prius quasi in campo certaminis examinare quam in gloria exaltare. — Alia ratio est manifestatio divinae misericordiae, quae potissime manifestata est, cum Unigenitum suum tradidit pro servi liberatione [k 11]. — Alia ratio est manifestatio divinae iustitiae, quae potissime manifestatur in hoc quod Deus retribuit *unicuique secundum opera sua* [12], bonis scilicet bona aeterna retribuendo, malis aeterna poena puniendo. Haec autem retributio et punitio et praefata misericordiae liberatio non esset nisi Deus hominem in statu vertibilitatis condidisset. — Praeterea, alia ratio est augmentum gloriae beatorum. Gloriosius enim est homini, in vertibilitate ad malum condito, quodam modo ex meritis gloriam obtinere quam [in] invertibilitate conditum fuisse et sic sine aliquo genere meriti beatificari; propter hoc ad commendationem iusti

---

[a] V *huc.* [b] F (corr.) *Item hoc.* [c] V *predictis* pro *s. d.* [d] S *componendam*, L *compellendam*, quod F corr. [e] SZ *in.* [f] L *solum.* [g] R *causativum*; L om. *etiam.* [h] S *illum.* [i] Ita VT, alii *nosceret.* [k] R *deliberatione.*

1 *De civit. Dei*, XI, c. 18 (PL 41, 332); cf. supra, num. 77-78.
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 282.
3 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 146; S. Bonav., I *Sent.*, d. 47, a. 1, q. 3 (I, 843 sq.).
4 Cf. supra, sub *c.*
5 Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, XI, c. 5 (PL 34, 432).
6 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 80 et supra, num. 66.
7 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 200 et 279.
8 Cap. 18 (PL 41, 332).
9 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, VII, c. 30 (PL 41, 220).
10 Eccli. 15, 14.
11 Cf. Augustin., *Enchir.*, c. 106, n. 28 (PL 40, 282).
12 Matth. 16, 27.

vertibilis in malum dicitur Eccli. 31,10: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere malum et non fecit.* Huiusmodi ergo rationibus patet quod congruit Deum hominem vertibilem fecisse; unde rationes ad hoc adductae sunt concedendae.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur contra hoc, scilicet de completione universi: dicendum quod ex hoc potius esset deformatio universi et defectus[a] quam completio. Ad completionem enim universi et decorem est solummodo Deum deficere non posse nec vertibilem esse et rationalem creaturam defectibilem et vertibilem esse: et hoc duobus modis, ita quod aliqua sit vertibilis semel, id est vertibilis cum impossibilitate revertendi, scilicet angelica; alia vertibilis pluries, id est[b] vertibilis cum possibilitate revertendi. Magis ergo est ad completionem et decorem universi hominem fuisse conditum vertibilem quam invertibilem. Praeterea, magis conveniebat ad divinam potentiam, bonitatem et sapientiam manifestandam hominem fuisse sic conditum quam[c] sic, et ad hominis gloriam. — Ad illud quod subditur quod 'ad plenam perfectionem universi decuit fieri omnem creaturam quae a ratione recta potuit excogitari': dicendum quod aliud est dicere omnem creaturam et dicere singulas creaturas vel unamquamque: 'omnem' enim dicit multitudinem in ordine[d]. Praeterea, 'excogitare' non dicit solummodo conceptionem[e] intellectus sive apprehensionem, sed cum ratione et iudicio; cogitatio[f] enim est simul agitatio: unde 'excogitare' dicit conceptionem intellectus cum ratione et iudicio perfecto. Haec enim praepositio 'ex' auget in compositione, cum dicitur 'excogitare'. Unde, licet hominem fuisse conditum invertibilem potuit a recta ratione concipi sive apprehendi ut erat de numero singulorum, non tamen ut erat de numero omnium poterat excogitari. — Ad illud quod subditur quod 'quando universum erit in ultima completione, tunc erit homo talis': dicendum quod tunc erit status praemii et anima erit[g] in quadam deiformitate; propter quod tunc erit quod nunc non est.

2. Ad aliud[h] quod obicitur quod 'summe honestum summe allicit' etc.: dicendum[1] quod hoc[i] verum est quantum est de aptitudine et efficacia allicientis, ipsa tamen anima, quantumcumque sit naturalibus praedita, nisi fuerit gratia disposita et informata, non sic allicitur. Nisi enim fuerit a curvitate naturae per gratiam erecta[k] et a tenebris obscuritatis naturalis purgata, ita quod apta sit ad figendum[l] aspectum in candore luminis aeterni, non erit apta neque etiam possibilis ad hoc quod summe alliciatur, sed[m] inspecto candore illo *lucis aeternae*[2], quae est inaccessibilis viatoribus, perfecte rapietur anima in summe honestum et summe allicietur: unde sic allici comprehensorum est, non viatorum.

3. Ad illud quod obicitur quod 'quanto aliquid est melius et magis acceptum Deo, tanto' etc.: dicendum quod hoc verum est conservatis congruitate et condecentia divinae excellentiae, modo et ordine perfectionis[n] statuum et retributionis perfectione[3]. Ut enim ex dictis patet[4], plus congruit divinae excellentiae, scilicet potentiae, sapientiae, iustitiae et misericordiae, hominem fuisse conditum vertibilem quam invertibilem, et etiam magis congruit statui perfectionis humanae et gloriae eiusdem perfectioni[o], sicut infra patebit[5].

4. Ad illud quod obicitur per auctoritatem Dionysii quod 'eius est facere hominem optimum': dicendum quod est optimum[p] simpliciter et est optimum in ordine. Cum autem dicit Dionysius quod « Optimi est optima adducere », non intelligit absolute, sed in ordine, et ideo ex hoc non sequitur quod homo debuerit fieri in optimo statu simpliciter, sed in statu in quo optime salvaretur universitatis ordo et pulcritudo; et sic factus est, cum productus fuit in statu vertibilitatis[q] ut ordinato processu perveniret a merito ad praemium et ab imperfecto ad perfectum, ab inferiori ad supremum.

5. Ad illud quod obicitur de summa liberalitate, dicendum quod, etsi Deus sit liberalissimus, tamen liberalitas non praecludit viam iustitiae et sapientiae. Ideo sic dona sua distribuit largiter, ut tamen non excludatur sapientiae recta ordinatio vel iustitiae iusta retributio[6]; ideo non statim debuit beatificare et confirmare[r], sed merita hominis expectare.

6. Ad illud quod obicitur quod 'maioris sapientiae est praecavere malum' etc.: dicendum quod falsum est, immo multo maioris sapientiae est morbum bene curare quam naturam a morbo praeservare. Unde Augustinus, in *Enchiridion*[7]: « Melius iudicavit Deus de malis bona facere quam mala nulla permittere ». Et maiori etiam sapientiae attestatur, ut praedictum est[8], sic res ordinare, ut ex superveniente deordinatione non deturpentur, sed earum[s] ordinatio decoretur.

---

[a] S *deformis.* [b] SZ *et* pro *i. e.* [c] V *quod.* [d] SRL *ordinem.* [e] V *acceptionem.* [f] V *excogitatio.* [g] T om. [h] F *illud.* [i] T om. [k] V *evecta.* [l] Ita F (corr.), L (corr.) *erigendum,* alii *agendum.* [m] Ita VT, alii *licet.* [n] Ita F (corr.) L, alii *profectionis.* [o] F (corr.) Z *perfectionis.* [p] S om. *d. q. e. o.* [q] L *convertibilitatis;* SL *et* pro *ut,* quod F corr. [r] L om. *e. c.* [s] Ita V, alii *eorum.*

1 Cf. infra, num. 517-518.
2 Cf. Sap. 7, 26.
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 141.
4 Cf. supra, sub *Respondeo.*
5 Cf. infra, p. 740, sub *Respondeo* et p. 747, *ad 5.*
6 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 280-283.
7 Cf. c. 11 (PL 40, 236).
8 Cf. supra, sub *Respondeo.*

7. Ad aliud[a] quod obicitur per potentiam divinam, quae infinita est et simplex etc.: dicendum quod, licet sit infinita, eo tamen quod influit et agit[b] per electionem, moderate, secundum quod exigit quantitas effectus inducendi, operatur. Omnipotentia enim Conditoris non solum potest in omnia quae[c] vult ipsa divina voluntas, sed potest in omnia[d] ut vult; propter quod potest in effectus nobiliores et minus nobiles[e], maiores et minores[f] secundum electionem suae voluntatis. Et, licet divina potentia simplex sit, non propter hoc exerit[g] se totaliter in agendo, immo moderate operatur, iuxta beneplacitum suae voluntatis. Unde quod est in se impartibile, partitur in suis effectibus, sicut legitur de[h] *spiritu intelligentiae* quod est *multiplex et unicus*, Sap. 7, 22.

ARTICULUS III. 508

Utrum libero arbitrio primi hominis potuit dari invertibilitas per naturam[1].

Sequitur inquirere utrum libero arbitrio hominis primi vel alicuius creaturae poterat conferri quod esset invertibile per naturam, scilicet sine gratia superaddita.

Quod sic, videtur: 1. Et primo a simili sumpto a luce corporali. Contingit enim reperire lucem corporalem quam impossibile est per naturam in se obnubilari[i], sicut lucem empyrei vel[k] lucem solis; si ergo lux spiritualis multo purior est quam corporalis, videtur quod anima humana[l] potuit fieri in perfectione tanti luminis per naturam, quod nullo modo posset obscurari nec per ignorantiam nec per culpam.

2. Item, contingit reperire aliquam substantiam corporalem intransmutabilem quantum ad substantiam et quantum ad proprietates, sicut est corpus ultimum, scilicet empyreum[2], et hoc non habet solum per gratiam, sed etiam[m] per naturam; ergo pari ratione est spiritualem substantiam per naturam in tanta stabilitate[n] fieri, quod nullo modo valeat permutari a rectitudine naturali; si enim hoc reperitur in substantia corporali, multo fortius reperiri potest in substantia digniori.

3. Item, gratia est perfectio naturae et perfectio conformatur suo perfectibili; si ergo[o] gratia confirmationis omnino reddit naturam impossibilem ad peccandum, videtur quod anima humana naturaliter capax sit talis stabilitatis[p] et invertibilitatis.

4. Si tu dicas quod non est capax talis invertibilitatis nisi mediante gratia – obicitur contra hoc quia talis vertibilitas ad malum aut est essentialis ipsi naturae aut non. Si est essentialis, ergo videtur quod per gratiam non possit auferri. Si non est essentialis, ergo videtur quod[q] sine tali vertibilitate ad malum possit natura rationalis fieri, salva sua natura et nulla superaddita gratia. — Propter hoc est quaestio: cum tam liberum arbitrium hominis quam gratia sit creatum, ut quid dari potest gratiae inflexibilitas ad malum et non potest dari creaturae rationali? Videtur enim ratione consimili quod, si[r] potest dari uni, quod[s] possit dari alteri.

5. Item, licet omnis creatura per se sit vertibilis secundum naturam, aliquae tamen tales creantur a sua origine quod impossibile est eas corrumpi, et hoc habent sine aliquo addito naturalibus, sicut patet in aliis simplicibus: unde angeli et animae per naturam sunt immortales[3]; ergo pari ratione videtur quod aliquae animae possint creari per naturam ad malum inflexibiles; videtur igitur possibile tale adiutorium a Deo conferri per quod naturaliter ad malum non posset inflecti.

Contra: *a.* Ista duo sunt convertibilia, sicut vult Damascenus[4] et etiam Augustinus[5], videlicet esse creaturam et esse vertibile[t]; sic ergo in omni creatura necesse est esse aliquam vertibilitatem; sed in substantia spirituali non est vertibilitas secundum substantiam; ergo necesse est quod sit secundum electionem; ergo impossibile est substantiam creatam habere liberum arbitrium per naturam inflexibile.

b. Item, non est per naturam magis arctatus[u] affectus quam intellectus; sed intellectus, eo ipso quod intellectus[v] est, per naturam suam est natus omnia intelligere[6]; pari ergo ratione affectus per naturam suam est potens hoc vel illud appetere, ergo ab uno oppositorum in alterum transire; ergo omnis affectus creatus, quantum est de

---

[a] FLZ *illud*. [b] RL add. *et*. [c] Z *ut*. [d] T om. *quae... omnia*. [e] L om. *e. m. n.* [f] T om. *et minus... minores*. [g] R *erexit*. [h] Z *in*. [i] Z *obnubilare*. [k] FR *et*. [l] Z om.; V add. *potius*. [m] V om. [n] Codd. *subtilitate*. [o] R om. [p] Ita F (corr.), alii *subtilitatis*. [q] V om. *si... quod*. [r] R add. interl. *non*. [s] STR add. *non*, quod FLZ exp. [t] VZ *vertibilem*, quod F corr. [u] S om. *m. a.* [v] L om. *sed... intellectus*.

[1] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, a. 1, q. 1 (II, 554sqq.), ubi sequentia fere verbotenus occurrunt; supra, num. 66.

[2] Cf. supra, num. 266-267 et 270.

[3] Cf. supra, num. 321, VII et p. 139 *ad 9* et *10*.

[4] Cf. *De fide orthod.*, I, c. 3 (PG 94, 795).

[5] Cf. *De civit. Dei*, XII, c. 1, n. 3 (PL 41, 349); *De natura boni*, c. 1 (PL 42, 551).

[6] Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 4 (III, 467); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 217, *ad 5*.

natura sua, non solum bonum simpliciter, sed etiam apparens, non solum bonum concessum, sed etiam prohibitum, potest velle et potest eligere; ergo etc.

c. Item, liberum arbitrium creatum, hoc ipso [a] quod creatum est, factum est debens aliquid suo Creatori, videlicet honorem; ergo, si dominatur suo actui, potest non reddere quod debet; sed hoc est peccatum; ergo necessarium est liberum arbitrium, quantum est de sua natura, fieri flexibile ad peccatum.

d. Item, si [b] liberum arbitrium per naturam suam esset inflexibile ad malum, ergo stare in bono et facere bonum esset ei [c] naturale; ergo omne opus egrediens a libero arbitrio esset in genere operis naturalis et nullum esset in genere moris; ergo, si hoc verum est, nullum esset meritorium, nullum etiam esset laudabile, per nullum etiam opus quod faceret esset liberum arbitrium ad gloriam ordinabile; sed hoc est contra naturalem liberi arbitrii institutionem; ergo impossibile est alicui creaturae dari liberum arbitrium per naturam inflexibile.

Respondeo [d]: Cum dicitur 'aliquid dari alicui', per hoc quod dicitur 'dari' notatur aliquid medium inter dantem et accipientem. Cum ergo quaeritur utrum dari potuit libero arbitrio primi hominis per naturam [e] quod esset invertibile in malum: dicendum quod, in quantum hoc quod dicitur 'dari' dicit rem suam relatam ad accipientem, non potest; per naturam dico, quia hoc est privare liberum arbitrium natura propria, et esse eius naturali repugnat, ut [f] infra patebit [1]. Secundum autem quod dicit rem suam relatam ad ipsum dantem, scilicet Deum, loquendo de potestate absoluta, potuit, loquendo de potestate [g] ordinata, non potuit [h]. Et dico potestatem ordinatam qua [i] influit esse rebus, secundum quod praevidit et ordinavit eas fiendas et ordinandas ab aeterno; potestatem absolutam dico qua potuit aliter ab aeterno praevidisse [k] res fiendas et ordinandas et illis naturas alias in tempore indidisse: potuit enim ab aeterno praevidisse primum hominem futurum invertibilem quantum ad liberum arbitrium et illum talis naturae condidisse in tempore. Ex iis patet quod impossibile fuit hominem primum vel aliquam creaturam rationalem habere liberum arbitrium invertibile ad malum, quia hoc repugnat naturae ipsius creaturae rationalis et a parte principii initialis et a parte [l] termini finalis. — Quod sic patet: Si liberum arbitrium creaturae rationalis fieret naturaliter invertibile ad malum, aut hoc esset [m] propter ipsius arctationem ad bonum aut propter ipsius determinationem ad bonum. Si propter arctationem, ut sic [n] scilicet faceret bonum sicut lapis tendit deorsum, iam revera nec liberum arbitrium esset liberum nec opus eius laude dignum, et ita ineptum esset ad finem propter quem est factum, scilicet ad praemium gloriae. Si autem inflexibile esset ad malum propter determinationem ad bonum, quia sic potens esset per naturam propriam in bonum ut non posset verti in malum, sicut est de libero arbitrio divino, quod ad sola bona determinatum [o] est, iam tale liberum arbitrium careret vanitate per naturam suam; ergo iam non esset creatura nec productum ex nihilo, et ita hoc esset contra naturam principii initialis, quantum ad hoc quod dicimus creaturam rationalem ex nihilo esse productam [2]. Repugnante ergo natura rationalis creaturae et ex parte initialis principii et ex parte finalis termini, impossibile fuit primum hominem vel aliam creaturam rationalem habere liberum arbitrium per naturam invertibile ad malum: per naturam, dico, propter illos qui habent hoc per beneficium gratiae perfectae, sicut illi qui iam gaudent beatitudine. — Si obiciatur quod Deus de potentia absoluta posset contulisse illis naturam talem, ut supra tactum est [3], et nihilominus essent creaturae et producta in esse de nihilo: dicendum quod Deus de potentia absoluta [p] non posset creaturae rationali contulisse naturam talem, scilicet quod staret per naturam propriam in invertibilitate tali. Posset tamen contulisse naturam talem quod posset stare in tali invertibilitate gratia superinfusa continue influente et ipsum liberum arbitrium in hoc conservante. Unde talis invertibilitas non posset esse per naturam, sed solum [q] beneficio Conditoris. Possunt ergo concedi rationes hoc ostendentes.

[Ad obiecta]: 1. Ad hoc quod primo obicitur contra hoc de luce corporali, dicendum [4] quod non est simile, tum [r] propter hoc quod fons lucis corporalis reperiri potest in genere creaturae, fons autem lucis spiritualis in genere creaturae [s] nequaquam, sed est ipse Creator, iuxta illud Eccli. [5]: *Fons sapientiae verbum Dei in excelsis;* tum etiam quia lux corporalis respectu actus lucendi arctationem habet a Conditore suae naturae:

---

[a] Ita F (corr.), alii *ipsum.* [b] Z om. [c] ST *enim,* quod L corr. [d] L add. mg. *quod.* [e] V om. *p. n.* [f] T om. [g] S om. *absoluta... potestate.* [h] V om. *loquendo... potuit.* [i] F *que.* [k] Ita Z, alii *providisse.* [l] S om. *principii... parte.* [m] R *dicit.* [n] V om. [o] V *determinata;* Z om. *bona.* [p] V om. *posset contulisse... absoluta.* [q] V *solummodo.* [r] VT *tamen,* S *quod.* [s] R om. *fons autem... creaturae.*

[1] Cf. hic, parum infra; Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 141, III.

[2] Cf. supra, num. 322.

[3] Cf. supra, p. 740a, sub *Respondeo.*

[4] Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 96, *ad 4*, p. 97, *ad 10* et p. 712, *ad 3.*

[5] Cap. 1, 5.

unde eius lucere non est laudabile, quia pure naturale. Non sic est de rectitudine et operatione rationalis creaturae sive voluntatis deliberativae.

2. Ad illud[a] quod obicitur quod 'aliqua substantia corporalis per naturam est immutabilis' etc., iam patet responsio, quia non valet creatura rationalis ut est creatura in sua natura condita nec deceret illam sic esse arctatam ad suum opus sicut corporalem ad suum, sive etiam quia non tenet summum in genere spiritus, sicut aliqua creatura corporalis tenet summum in genere corporum. Verumtamen dici posset quod omne corpus mutabile est aliquo genere mutationis, ut vult Augustinus[1], sive quia ipsum mutatur in se[b], sicut ista corpora inferiora, sive quia aliqua mutantur in ipso, et hoc ultimo modo posset esse mutatio in supremo corpore, scilicet in caelo empyreo. Iste tamen modus dicendi mutationem est extraneus.

3. Ad illud quod obicitur de gratia confirmante, dicendum quod gratia dicitur esse perfectio naturae, non solum quia illam adiuvat, sed quia defectum eius excludit. Unde in omni natura creaturae rationalis est aliquis defectus[c] naturalis, qui per gratiam habet excludi, quantumcumque illa natura in genere creaturae sit perfecta; et ideo non sequitur quod si aliquid convenit alicui per gratiam, quod conveniat per naturam.

4. Et si obiciatur quod Deus potuit dare naturae quod dedit gratiae – dicendum quod natura, ut est natura haec, non fuit nata suscipere hoc quod Deus dedit gratiae. Sicut enim alia est natura operis moralis, alia operis naturalis, nec proprietas operis moralis potest convenire operi naturali nisi naturale desineret esse naturale, sic in proposito intelligendum est: laus enim et vituperium, quae est proprietas operis moralis secundum quod huiusmodi, non potest competere operi naturali in quantum huiusmodi[2].

5. Ad illud quod obicitur de immortalitate[d], iam patet responsio per praedicta[3]: quod enim naturaliter est immortale[e], ex hoc non est laudabile vel vituperabile; et ita, si liberum arbitrium inflexibile creatum esset, nec laudis nec vituperii capax esset.

CAPUT III.

UTRUM PRIMUS HOMO EX ACCEPTO IN PRIMA CONDITIONE PROFICERE POTUIT IN BONUM.

Sequitur inquirere utrum ex acceptis in conditione poterat in bonum proficere. Et quia in bonum proficere non potest quis nisi sit gratus Deo sive acceptus,

Primo quaeretur[f] utrum in statu illo fuerit gratus sive acceptus Deo;

secundo, utrum in illo statu poterat proficere.

ARTICULUS I. 509

Utrum primus homo in primo statu fuerit acceptus Deo[4].

Quaeritur ergo utrum fuerit in statu illo acceptus Deo.

Quod sic, videtur: 1. Solummodo culpa sive peccatum est quod facit creaturam displicere Deo et creaturam inimicam Deo. Unde hoc est quod Deus sive corpus Christi mysticum intendit ulcisci in creatura rationali; unde Psalm.[5]: *Ultus sum in eos*[g]. Unde Augustinus, in *Sermone* quodam[6]: « Quid est *ultus sum in*[h] *eos*? Vindicavi me de ipsis inimicis meis. Quo modo me vindicavi? Occidendo in eis errorem » etc. Igitur omnis illa creatura rationalis grata et accepta est Deo et semper fuit antequam aversa fuit a Deo per peccatum; cum ergo in primo statu primus homo non habuerit peccatum, etc.

2. Item, Gen. 1,31: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona;* sed summo bono non

---

[a] L *aliud*. [b] S om. [c] Ita V, alii *effectus*. [d] VL (corr.) *invertibilitate*. [e] R *mortale*. [f] FZ *queritur*. [g] Ita V, alii *eas* pro *i. e.* [h] V om., alii *eas* pro *i. e.*

[1] Cf. *De Gen. ad litt.*, VII, c. 20, n. 26 (PL 34, 365); *De civit. Dei*, XII, c. 1, n. 3 (PL 41, 349); *De Trinit.*, III, c. 10, n. 21 (PL 42, 881 sq.); *De natura boni*, c. 1 (PL 42, 551).

[2] Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, II, c. 5 (II, 18); supra, num. 416.

[3] Cf. supra, p. 740b.

[4] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 29, a. 1, q. 1 (II, 694 sqq.), ubi argumenta 2-7 et *a-c* verbotenus occurrunt.

[5] Psalm. 117, 11.

[6] Pseudo-Augustin., *Sermo 315*, n. 1 (PL 39, 2349).

potest non complacere illud quod est valde bonum; si ergo homo inter ceteras creaturas inferiores principatum obtinebat, videtur quod ipse valde bonus erat; et si hoc, ergo Deus illum acceptabat.

3. Item, Sap. 11,25: *Diligis omnia,* Domine, *et nihil odisti eorum quae fecisti;* sed homo in statu innocentiae nihil habebat quod esset dignum odio, et totum quod habebat, a Deo [a] factum erat; ergo Deus ipsum totaliter diligebat; sed quod sic a Deo diligitur, ab eo acceptatur; ergo etc.

4. Item, Prov. 8,17: *Ego diligentes me diligo;* sed homo secundum statum naturae institutae diligebat Deum propter se et super omnia, quia rectus erat [1]; ergo videtur quod etiam praeter omnem gratiam Deus eum amabat; et si hoc, ergo Deo acceptus erat.

5. Item, artifex creatus complacet sibi in opere suo et illud acceptat, quoniam [b] ipsum fabricat ad voluntatem suam; sed Deus, qui est summus artifex, hominem formaverat [c] *ad imaginem suam* [2] et optima ratione eum condiderat; ergo videtur quod ex naturalibus sibi datis homo Deo placebat.

6. Item, nihil est quod plus faciat animam coram Deo acceptam quam quod sit *tota pulcra* et nulla sit in ea *macula* [3]; sed anima Adae in statu [d] innocentiae tota erat pulcra et nulla erat in ea macula quantum erat ex naturali conditione; ergo absque omni gratia superaddita Deo erat accepta.

7. Item, aut Deus poterat facere aliquam creaturam ita bonam quod ex puris naturalibus sibi placeret aut non. Si non: videtur quod non esset omnipotens. Si sic: igitur non videtur quod ad hoc quod natura placeat Deo necessarium sit superaddi donum gratiae. Si ergo homo perfecte conditus fuit secundum exigentiam status naturae, videtur quod Deo placebat absque omni dono gratiae superaddito.

Sed contra: *a.* Hebr. 11,6: *Sine fide impossibile est placere Deo;* sed fides est donum superadditum naturae, secundum quod dicitur I Cor. 12,9; ergo sine dono gratiae naturae superadditae [e] nullus potest placere Deo.

b. Item, Sap. 7,28: *Neminem diligit Deus nisi illum qui cum sapientia inhabitat;* sed sapientia est donum Dei naturae superadditum, secundum quod infra subiungitur, cap. 9,10: *Mitte illam de caelis sanctis tuis* etc.; ergo absque dono gratiae naturae superadditae impossibile est Dei amicum esse.

c. Item, nihil est excellentius secundum naturam in homine ipsa imagine; non tamen ex esse ad imaginem placet creatura Deo nec est ei accepta; ad hoc ergo quod persona aliqua Deo placeat et acceptetur ab illo, requiritur aliquod donum ipsi naturae superadditum.

d. Item, si naturalia redderent personam Deo acceptam, daemones essent accepti Deo, cum habeant naturalia optima. Dicit enim Dionysius, *De divinis nominibus,* de daemonibus [4]: « Datas eis angelicas donationes nunquam ipsas commotas fuisse dicimus, sed sunt integri et [f] clarissimi ». Alia translatio [5] dicit: « Data ipsis angelica dona nequaquam [g] ipsa mutata esse dicimus, sed sunt integra et splendidissima ».

Respondeo [6] quod complacentia, acceptatio, amor Dei respectu creaturarum non dicit aliquam affectionem incidentem vel [h] accidentem in ipso. Unde Bernardus, *De amore Dei* [7]: « Nos te diligimus affectu amoris a te nobis indito; tu vero, Conditor omnium et affectuum bonorum et animarum afficiendarum, numquid accidenti vel incidenti amoris affectu amas quos amas vel aliquo [modo] in aliquo afficeris, qui et omnes facis [i] et omnia? Absit! Absurdum est, procul est a fide, alienum ab omnium [k] Creatore! ». Acceptatio autem et amor eius respectu creaturarum est effectus [l] in creatura, non affectus in Creatore. — Quod patet per Bernardum, in libro *De amore Dei* [8], dicentem: « Hoc est amare tuum, quo tu amas te amantes, dulcedine bonitatis tuae, quam habes ad creaturam tuam, Creator bone, inspirare eis hoc desiderium amandi te et amorem quo te amant et amare te; non enim afficeris ad nos vel a nobis, cum nos amas ». Solummodo ergo Deus complacendo et amando afficitur ad [m] se sive de se. Sed hoc potest esse et amando se et complacendo sibi in se et amando se et complacendo sibi in [n] nobis. Unde Bernardus, in libro praedicto [9]: « Amas te, amabilis Domine, in te ipso, cum [o] a Patre et Filio procedit Spiritus Sanctus, amor Patris ad Filium et Filii ad Patrem; et tantus est amor ut sit unitas, tanta unitas ut

---

[a] V *Adam* pro *a. D.* [b] V *quando.* [c] V (corr.) *fabricaverat.* [d] R add. *illo.* [e] V (corr.) *superaddito.* [f] T om. [g] V *donatione quamquam* pro *d. n.* [h] S om. [i] V *omne facit* pro *o. f.* [k] Ita F (corr.), alii *omni.* [l] Ita FR (corr.), alii *affectus.* [m] V *a.* [n] VS om. *se et amando... in.* [o] Ita SF (corr.), alii *et.*

1 Cf. supra, p. 731, *ad 6.* 2 Cf. Gen. 1, 27.
3 Cant. 4, 7; cf. supra, num. 336-342.
4 Cap. 4, § 23 (PG 3, 726, PL 122, 1142).
5 Scilicet Ioan. Sarraceni, l. c. (ap. Dionys. Cartus., *Opp. omnia,* XVI, 372).
6 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 244-251.
7 Rectius Guillelm., Abbas S. Theoderici, *De contemplando Deo,* c. 7, n. 14 (PL 184, 374).
8 Loc. cit., c. 4, n. 9 (PL 184, 372).
9 Loc. cit., c. 7, n. 14 (PL 184, 375).

sit homoousion, id est Patris et Filii substantia. Amas et te ipsum in nobis, mittendo *Spiritum Filii* tui *in corda* nostra, a dulcedine amoris, a vehementia inspiratae a te nobis voluntatis, clamantem [a]: *Abba, pater* [1], sic nos efficiens tui amatores ». Complacere ergo sibi in nobis est complacere sibi efficiendo aliquid in nobis vel [b] alicui effectui eius in nobis [c]. Notandum ergo quod acceptatio et complacentia sive amor Dei, ut [d] intelliguntur respectu sui, quodam genere loquendi affectiones dici possunt, quia summe delectatur in se et perfectissime fruitur se; ut autem intelliguntur respectu creaturae, dicunt effectus in ipsa creatura, non affectiones, ut ex dictis patet [2], nisi interpretando complacentiam vel acceptationem Deum efficientem aliquid in creatura. Quodam ergo modo loquendi iuxta modum humanum, secundum quem meliora dicuntur magis accepta, possunt dici, quodam modo generali sumendo acceptationem, omnia facta a Deo illi esse accepta; specialiori modo et propriori creatura rationalis, in quantum est creatura huiusmodi; specialissime sive propriissime creatura rationalis, in quantum consecratur Deo ut sit eius templum, adoptatur in filium, assumitur in sponsam. Haec autem sublimatio creaturae rationalis est supra naturale complementum, et ideo nec consecratio nec adoptatio nec assumptio huiusmodi fit per aliquam proprietatem naturae, sed per donum superadditum naturae, consecrans animam ut sit templum, assimilans Deo ut sit [e] filius vel filia, confoederans Deo sive uniens per conformitatem voluntatis ut sit sponsa [3]: haec autem fiunt [f] a Deo mediante gratia gratum faciente. — Quod autem creatura rationalis efficitur templum per gratiam, habetur I Cor. 3, 16: *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei in vobis habitat?* Glossa [4] ibi: « Spiritus Sanctus habitat in templo suo, id est sanctis qui sunt [g] templum Dei, modo secundum fidem ambulantes; et ad Eph. 3, 16-17 dicitur: *Per Spiritum eius in interiori homine* [h] *habitare Christum in cordibus nostris per fidem.* — Quod autem efficitur filius per gratiam, habetur Ioan. 1, 12: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* etc. — Quod autem sponsa, similiter Osee [i] 2, 20: *Sponsabo te mihi in fide.*

Concedi ergo possunt rationes quibus ostenditur primum hominem non fuisse acceptum Deo modo isto ultimo: nulla enim naturalia efficiunt hominem isto modo acceptum. Haec autem acceptatio reddit creaturam rationalem dignam beatitudine aeterna; talis autem non fit puris naturalibus. Primo autem modo et secundo sumendo acceptationem fuit acceptus.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum quod obicitur quod 'solummodo culpa facit creaturam displicere Deo' etc.: dicendum quod inter displicentiam et acceptationem, eo modo quo peccatores displicent Deo [k] et habentes gratiam gratum facientem placent, est media acceptatio secundo modo sumpta. Unde non sequitur 'primus homo non displicuit Deo per peccatum in illo statu, ergo fuit acceptus', eo modo quo gratia et virtus efficiunt hominem acceptum.

2-3. Ad duas auctoritates quae sequuntur, patet responsio: nam intelliguntur de acceptatione et dilectione primo vel secundo modo sumptis.

4. Ad illud quod obicitur de verbo illo '*Ego diligentes me diligo*' etc: dicendum quod non intelligitur de dilectione naturali, qua primus homo dilexit [l] Deum in primo statu, ut supra tactum est [5], sed de dilectione caritatis, quae non potest esse sine gratia, sub hoc sensu: qui diligunt me dilectione caritatis sunt mihi uniti et conformes, et hoc habent a me; amor enim est copula amantis et amati et amantem transformat in amatum, secundum Augustinum [6] et Hugonem [7]. Unde diligere Dei est copulare sibi et efficere consimilem sibi diligentem illum. Praeterea, illo verbo nihil aliud dicitur quam dilectionem, qua [m] diligitur Deus a creatura rationali, esse a Deo sive donum Dei. Unde per hoc quod dicitur '*diligo*' notatur effectus dilectionis, qua Deus diligitur, esse a Deo. Et hoc patet per Bernardum dicentem: « Hoc est amare tuum, quo tu amas te amantes, dulcedine bonitatis tuae » etc., ut supra [8].

5. Ad aliud [n] quod obicitur quod 'artifex creatus complacet sibi in opere suo' etc.: dicendum quod non est simile de artifice creato et increato. Complacentia enim artificis creati in opere suo importat quemdam motum affectionis respectu operati; non enim solummodo complacet sibi qui est causa operis, sed afficitur circa opus ipsum; quod non convenit artifici increato, ut ex dictis patet [9].

---

[a] Codd. *clamantes.* [b] VTZ *et*, quod F corr. [c] S om. *vel... nobis.* [d] Ita F (mg.), alii om. [e] V om. [f] V *fit*, STR *fuit.* [g] LZ add. *in.* [h] S om.; LZ om. *in.* [i] VT *Matth.*, SL *omnis.* [k] VT om. [l] Z *diligebat*; T om. *homo.* [m] V om. *d. q.* [n] F *illud.*

1 Gal. 4, 6.
2 Cf. hic, parum supra.
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 50-55.
4 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1562).
5 Cf. supra, p. 732a.
6 Cf. *In I Epist. Ioan.*, tr. 10, c. 4, n. 9 (PL 35, 2051); *Enarr. in Psalm. 144*, n. 1 (PL 37, 1869).
7 Cf. *De arrha animae* (PL 176, 954).
8 Cf. supra, p. 742, nota 8.
9 Cf. supra, sub *Respondeo.*

6. Ad illud quod obicitur quod 'natura instituta absque omni gratia erat tota pulcra et sine macula': dicendum quod, etsi esset sine macula, non tamen tota pulcra[a]; quae quidem pulcritudo est ex gratia — quae[b] est nitor quidam, ut dicit Glossa[1] super illud Psalmi[2]: *Ut exhilaret faciem in oleo* — et ex virtutibus et maxime ex caritate. Unde Augustinus[3], super illud I[c] Ioan. 4, 19: *Quoniam ipse prior dilexit nos:* « Anima amando Deum pulcra efficitur. Pulcri eramus amando eum[d] qui semper est pulcher; quantum in te crescit amor, tantum in te crescit[e] pulcritudo, quia ipsa caritas est[f] animae pulcritudo ».

7. Ad hoc quod quaeritur[g] 'utrum Deus posset[h] talem naturam facere quae esset ei accepta sine dono gratiae': dicendum quod posset de potentia absoluta, non autem de ordinata; et sumatur potentia absoluta eo modo quo dictum est supra[4], similiter et ordinata. Praeterea, supposito quod omnipotentia eius hoc posset, natura tamen, ut est condita, esset impossibilis[i] ad hoc; unde impossibilitas ista provenit ex parte creaturae[k]: si enim hoc faceret[l], nihil aliud faceret quam donum gratiae esse donum naturae et gratiam esse naturam. Hoc autem impossibile est[m] quantum est ex parte creaturae, cum donum gratiae sit ultra terminos naturae: unde sicut impossibile est[n] quod homo fiat beatus a Deo per naturam, quamvis possit creari beatus, quia[o] beatitudo consistit in bono quod est supra omnem naturam, sic intelligendum est de gratia et natura primi hominis. Praeterea, etsi hoc facere posset, minus congrueret et deceret, cuius ratio multiplex haberi potest ex praedictis[5].

510

ARTICULUS II.

Utrum primus homo ex accepto in primo statu proficere potuit in bonum[6].

Sequitur inquirere utrum primus homo poterat ex acceptis in conditione sua proficere in bono.

Quod sic, videtur: 1. Primo per auctoritatem Damasceni, II libro, 13 cap.[7]; dicit enim sic: « Fecit Deus hominem innocentem, rectum, virtuosum » etc. Qui autem talis est[p] potest proficere.

2. Item[q], in eodem: « Fecit eum natura impeccabilem et voluntate per se potestativum, in electione vero sua potestatem habentem manere et proficere in bono ».

3. Item, Damascenus[8]: « Manentes in eo quod est secundum naturam, in virtute sumus ». Qui autem est in virtute, potest facere opera meritoria et proficere; cum ergo primus homo conditus fuerit in integritate naturae et in illa poterat manere, poterat et[r] proficere.

4. Item, Augustinus, in libro *De natura et gratia*[9]: « Quis nesciat ita factum hominem, ut in eo liberum arbitrium ad iuste vivendum pro possibilitate et capacitate sua constitueretur? » Ex hoc videtur quod ex naturali libertate arbitrii posset[s] iuste vivere, et ita mereri et proficere.

5. Item, Cantico Deuter.[10]: *Dei perfecta sunt opera,* et « perfectum est aliquid », ut vult Philosophus[11], « cum attingit propriae virtuti »; ergo, si homo perfectus conditus est, poterat exire in operationem propter quam factus est; haec autem est operatio per quam pervenitur ad gloriam; ergo etc.

6. Item, in omnibus creaturis si distant a suo termino ad quem ordinantur, data est virtus per quam possint ad illum finem pervenire, sicut patet in igne, qui, cum deorsum est, sua levitate potest sursum ferri; igitur aut liberum arbitrium miserabilius fuit inter ceteras creaturas aut, si aliae creaturae per naturam habent potentiam perveniendi ad suum finem, videtur multo fortius quod et hoc homo posset per virtutem naturae ante statum miseriae.

7. Item, « natura nihil facit frustra nec deficit in necessariis[12] »; sed nihil est magis necessarium homini quam illud sine quo non potest beatificari; ergo, cum potestas merendi huiusmodi sit, videtur quod hoc inesset ei per naturam, Dei gratia circumscripta.

---

[a] FLZ add. mg. *id est perfecte pulcra.* [b] F *qui.* [c] Ita F (interl.), alii om. [d] V *Deum;* S om. *qui.* [e] T om. *a. t. i. t. c.* [f] L om. [g] VT *obicitur.* [h] VT *possit.* [i] VT *possibilis.* [k] S om. [l] Ita F (corr.), alii *fieret.* [m] V add. *in.* [n] T om. [o] Z *et.* [p] L om. [q] F add. interl. *idem.* [r] Ita F, alii om. [s] VSRZ *possit.*

[1] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.; Lombardi, in h. l. (PL 191, 936).
[2] Psalm. 103, 15.
[3] *In I Epist. Ioan.*, tr. 9, n. 9 (PL 35, 2051).
[4] Cf. supra, p. 740, sub *Respondeo.*
[5] Cf. supra, p. 729 et 737, sub *Respondeo.*
[6] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 29, a. 1, q. 2 (II, 697 sqq.), ubi argumenta 2-8, *b-d*, *Respondeo* fere totaliter et solutiones ad dicta obiecta verbotenus occurrunt.
[7] *De fide orthod.*, II, c. 12 (PG 94, 923), ubi et sequens.
[8] Loc. cit., c. 30 (PG 94, 975).
[9] Cap. 43, n. 50 (PL 44, 271).
[10] Cap. 32, 4.
[11] *Phys.*, VII, c. 3 (II, 337).
[12] Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 9 (III, 471).

8. Item, circumscripta[a] gratia intelligamus hominem in statu naturae conditae servare divina mandata; aut igitur meretur aliquid aut nihil. Si nihil, ergo frustra operatur; sed frustra operari non potest esse sine poena aliqua; hoc autem non poterat esse in natura instituta. Si aliquid meretur, cum opus rectum sit ad beatitudinem ordinatum, videtur quod ex puris naturalibus mereri possit praemium aeternum.

9. Si autem diceretur quod opus illud non fuisset meritorium beatitudinis, sed alicuius boni temporalis – sed constat: cum opus huiusmodi in statu illo non esset perversum, esset ordinatum ad bonum alterius, quod esset ordinatum ad finem; sed prius est comparatio[b] ipsius boni ad finem quam ad ea quae sunt ad finem, quia finis primo movet[1]; ergo, cum[c] posteriori posito supponatur prius et poterat mereri aliquid ordinatum ad gloriam, poterat[d] mereri gloriam.

10. Item, liberum arbitrium essentialius comparatur ad bonum quam ad malum, quia secundum naturam ad bonum factum est; ergo potentius est ad bonum quam ad malum[e]; ergo, si de se potest ad malum, multo fortius de se potest ad bonum; ergo etc.

11. Item, si de se poterat ad malum, non ad bonum, ergo videtur quod affectus illius non erat rectus, immo quod conditus fuisset in quadam inclinatione ad malum.

12. Item, si lapis esset creatus sursum, virtus illa, quae sine difficultate sufficeret ad tenendum illum ibi[f], sufficeret ad sublevandum eum de loco deorsum ad locum sursum sive ad locum eminentiorem quam esset locus in quo crearetur. Ratione consimili videtur quod ad hoc quod[g] primus homo staret in statu innocentiae, in quo conditus fuit, requirebatur vis eadem vel tanta qua[h] vel quanta posset proficere in melius; ergo, si stare poterat tunc ex bonis acceptis in conditione, ut dicit Magister, in *Sententiis*[2], et alii Doctores Sacrae Scripturae[3], videtur quod ex eisdem poterat proficere.

13. Item, constat quod primus homo poterat in statu primo facere opera de genere bonorum; sed, secundum Pelagium[4], potest argui sic: cum maiori difficultate Deo servit qui solis naturalibus quam naturalibus et gratuitis; ergo meretur maius praemium; sed qui Deo[i] servit naturalibus et gratuitis meretur vitam aeternam; ergo multo fortius qui Deo[k] servit solis naturalibus meretur vitam aeternam[l].

14. Item, Augustinus[5]: «Servitia quanto magis indebita, tanto gratiora»; sed servitium servientis ex solis naturalibus magis est indebitum quam servientis ex naturalibus et gratuitis, quia cui[m] plus committitur, plus ab eo exigitur; ergo magis gratum; ergo magis remunerabile.

15. Item, regis terreni meretur quis benevolentiam ex solis naturalibus; sed Rex caelestis in infinitum est benevolentior rege terreno et ad miserendum pronior; ergo apud eum potest mereri quis benevolentiam ex solis naturalibus.

16. Item, vis intellectiva nobilior et potentior et perfectior est quam sensitiva vel vegetativa; sed hae possunt in suas operationes sine aliquo superaddito suae naturae; ergo multo fortius vis intellectiva.

Ex iis similiter argui potest, primum hominem in statu primo posse proficere[n].

Contra: *a.* Deus est summa veritas, creatura autem est vanitas; ergo nullo modo potest uniri illi[o] nisi per medium quod sit partim sicut veritas, partim sicut vanitas; hoc autem est gratia quae veritas est in[p] quantum est a Deo, in quantum creatura, vanitas; ergo impossibile fuit hominem mereri absque gratia.

b. Item[q], hoc videtur auctoritate: Iac. 4, 7: *Exaequabit gratiam gratiae;* item, Ioan. 1, 16: *Dabit gratiam pro gratia;* item, Rom. 6, 23: *Gratia Dei vita aeterna;* et Glossa[6]: «Nihil aliud Deus in nobis coronat quam munera sua». Tam ex textu quam ex Glossa colligitur quod vitam aeternam non contingit mereri absque gratia.

c. Item, meritum et praemium debent esse proportionalia; sed natura, quantumcumque est eminens, improportionabilis est et alterius generis est quam sit beatitudo gloriae; ergo impossibile est mereri gloriam per pura naturalia.

d. Item, nobilior est substantia quam operatio[7]; sed Deus nunquam acceptat hominem absque munere gratiae; ergo nec operationem hominis reputat meritoriam nisi procedat a libero arbitrio et gratia.

Respondeo: Dicendum quod non solummodo gratia necessaria est ad merendum secundum statum naturae lapsae, sed etiam secundum statum naturae[r] institutae, licet secundum statum naturae lapsae magis indigeat liberum arbitrium dono gratiae.

---

[a] S om. *I. c.* [b] V *operatio*, quod F corr. [c] Ita F (corr.), alii add. *in.* [d] Ita F (corr.), alii *poterit.* [e] V om. *quia... malum.* [f] S *qui*, quod LZ corr. [g] RLZ add. *ita.* [h] Ita VF, alii om. [i] VT om. [k] V om. [l] S om. *ergo... aeternam.* [m] SRZ *enim*, quod L corr. [n] Ita F (corr.), alii *peccare.* [o] SRLZ om. [p] Ita V, alii om. [q] Ita F (mg.), alii om. [r] L om. *lapsae... naturae.*

1 Cf. Aristot., *Phys.*, II, c. 2 (II, 263).
2 Lib. II, d. 24, c. 1 (p. 419sq.).
3 Cf. supra, num. 506.
4 Cf. Augustin., *De gratia Christi*, I, c. 28sq. (PL 44, 375).
5 Cf. *De coniug. adulter.*, I, c. 14 (PL 40, 459).
6 Lombardi, in h. l. (PL 191, 1412), ex Augustino, *De grat. et lib. arbit.*, c. 6, n. 15 (PL 44, 890).
7 Cf. Aristot., *Topic.*, VI, c. 12 (I, 252).

In statu namque naturae conditae necessaria erat gratia, tum propter conditionem retribuentis, tum[a] propter conditionem[b] retributionis. Propter conditionem retribuentis, quoniam ipse Deus bonorum nostrorum non indiget[1], ideo nec acceptat hominem propter opera nec aliquod meritum obligare potest ipsum secundum rationem dati et accepti. Ideo ad hoc quod aliquod bonum opus creaturae suae ad remunerandum Deo complaceat, necesse est quod ipsius gratuitae bonitatis influentia in operante praecedat, per quam creatura ipsi Creatori grata[c] existat. — Similiter, propter conditionem retributionis. Impossibile enim erat libero arbitrio mereri sine auxilio gratiae gratum facientis, pro eo quod illud praemium, quod meremur, est beatitudo aeterna; beatitudo autem aeterna consistit in habendo eum qui[d] est omne et summum bonum et qui est super omnem naturam exaltatus *et lucem habitat inaccessibilem,* I Tim. 6, 16; et ideo impossibile est[e] quod homo merendo ad illud summum bonum ascendat et perveniat nisi per aliquod adiutorium quod sit ultra naturam. Sic igitur homo in statu naturae institutae absque dono gratiae mereri non poterat, tum propter conditionem retribuentis, tum propter conditionem retributionis.

In[f] statu vero naturae lapsae non solummodo indiget gratia ad merendum propter has conditiones, sed etiam[g] propter conditionem operantis et operationis meritoriae. Operans enim in statu naturae lapsae semper est in peccato et Dei adversarius et inimicus nisi a peccato relevetur per donum gratiae: et ideo, quidquid faciat, nisi voluntas eius praeveniatur a gratia quae Deo reconciliet, nihil meretur merito condigni, pro eo quod Dei est adversarius et inimicus. Deus autem opera non acceptat nisi prius acceptet personam, sicut innuitur Gen. 4, 9: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius;* prius dicit *ad Abel* et[h] postea dicit *ad munera.* — Propter conditionem etiam operationis necessaria est gratia, quia[i] nulla est operatio meritoria nisi recta; et nulla est recta nisi fiat ex[k] recta intentione; et nulla potest esse recta intentio nisi quae summum bonum omni bono praeponit[2]. Nulla autem intentio potest hoc[l] facere in statu naturae lapsae sine dono gratiae, et propterea, qualemcumque vel quantamcumque faciat homo[m] operationem sine gratia, non meretur, quia non pensat Deus quantum, sed ex quanto hoc[n] faciat.

Patet ergo quod multiplex est necessitas gratiae ad merendum, scilicet propter conditiones retribuentis et retributionis, operantis et bonae operationis, ita quod haec quadruplex necessitas[o] concurrit ad statum naturae lapsae, etiam praeter illa quae proveniunt ex poenis inflictis propter primum peccatum, quae multum impediunt opus bonum. Quatuor enim sunt, secundum Bedam[3], inflicta homini propter peccatum[p] primum, quod accidit ex aversione a bono incommutabili, scilicet Deo Patre et Filio[q] et Spiritu Sancto, et conversione ad bonum commutabile, scilicet ignorantia, infirmitas, malitia et concupiscentia. Propter ignorantiam agendorum necessaria est gratia, quae est lux spiritualis ipsam animam illuminans. Propter infirmitatem, qua homo impotens est assurgere ad opus virtutis, quod[r] est difficile — virtus enim est circa bonum et difficile[4] — necessaria est gratia quae virtutem animae[s] ministrat. Propter malitiam, qua homo pronitatem habet ad malum et aversionem a Deo, necessaria est gratia quae animam ad Deum erigat et a malo avertat. Propter concupiscentiam, qua ipsa anima corrupta, immoderate concupiscendo, corruptibilibus inhaeret, necessaria est gratia quae aeternorum saporem inducat[t] et sic vehementia concupiscentiae diminuat. Sic ergo multiplex necessitas in statu naturae lapsae concurrit propter quam necessaria est gratia. Duplex autem concurrit in statu naturae institutae, ut tactum est[5]. Et hoc innuit Magister, in *Sententiis,* II libro, dist. 29[6], dicens quod homo indigebat gratia operante et cooperante in primo statu, licet non secundum omnem modum operantis.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur in contrarium per illud verbum Damasceni, quod[u] 'fecit primum hominem virtuosum' etc.: dicendum quod hoc sic intelligitur, non quia Deus illum in sui conditione fecerit virtuosum, sed quia tunc aptum et quodam modo dispositum ad hoc fecerit, quod non longo post tempore complevit.

2. Ad illud quod obicitur postea quod 'in electione sua habebat potestatem manere et proficere in bono' etc.: dicendum quod hoc non intelligitur quia statim conditus poterat proficere, scilicet ex datis sibi in conditione, sed quia stare poterat et stando pervenire ad statum quo posset proficere in bono. — Vel potest aliter dici quod, si proficere dicatur in merito gloriae, secundum

---

[a] F add. interl. *etiam.* [b] S om. *r. t. p. c.* [c] VR *gratia,* quod FL corr. [d] V *quod.* [e] Ita V, alii om. [f] S *Item in.* [g] SRLZ om. [h] R om. [i] Ita VF (corr.), alii *quod.* [k] R om. [l] L *esse.* [m] SRLZ om. [n] T *homo;* V om. *h. f.* [o] Ita F (mg.), alii om. [p] V om. *i. h. p. p.* [q] SRLZ om. *e. F.* [r] S om. [s] V *animo.* [t] L *indicat.* [u] F *quia.*

[1] Cf. Psalm. 15, 2.
[2] Cf. Anselm., *De conc. praesc. Dei cum lib. arbit.,* q. 3, c. 3 (PL 158, 523).
[3] Cf. supra, p. 716, nota 9.
[4] Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.,* II, c. 3 (II, 17).
[5] Cf. supra, p. 746a.
[6] Cap. 1 (p. 456).

quod aliquis magis et magis meretur, sic Adam[a] proficere non poterat ex acceptis a creatione nisi daretur ei gratia gratum faciens. Potest alio modo profectus nominari largius, ut profectus dicatur respectu quorumcumque, et sic Adam sine gratia gratum faciente proficere poterat in cognitione accepta et in amore naturali et in huiusmodi. Et sic intelligitur verbum Damasceni: loquitur enim de profectu secundo modo. — Vel potest dici quod, si intelligit[b] primo modo, id est de profectu in merito, non intelligit illud absolute, sed cum eo quod additur, cum dicit « fecit hominem potentem proficere per divinam cooperationem », quae est mediante gratia.

4. Ad illud quod dicit Augustinus: « Quis nesciat ita factum primum hominem » etc., hoc non intelligitur quia[c] liberum arbitrium in eo tunc poterat in opus meritorium, sed quia erat tunc in possibilitate quadam ad recte vivendum et in quadam capacitate gratiae, quia nihil erat in illo repugnans gratiae[d].

3. Ad illud[e] quod dicit Damascenus, quod « manentes in eo quod est secundum naturam, in virtute sumus »: dicendum quod[f] illo verbo non intelligitur quod naturae integrae fuit statim addita virtus, ita ut haberent primi parentes statim cum natura virtutem gratuitam[1], sed quia stantibus et manentibus in natura integra superaddita fuit virtus; non enim dicit 'existentes in eo quod est secundum naturam, in virtute sumus', sed « manentes »: manere enim addit moram[g] super esse.

5. Ad illud quod obicitur quod '*Dei perfecta sunt opera*' etc.: dicendum[2] quod est perfectio quantum ad esse primum et est perfectio quantum ad esse secundum. Perfectio quantum[h] ad esse secundum duplex est. Quaedam enim est quae habet ortum a perfectione secundum esse primum, sicut illa perfectio quae attenditur in accidentibus quae oriuntur ex principiis subiecti. Est alia perfectio quantum ad esse secundum, quae non causatur a perfectione secundum esse primum, sed potius est supra illud, sicut est perfectio in esse gratuito vel glorioso, quae quidem est in nobis, non ex nobis, sed ex Deo. Cum ergo dicitur quod *Dei perfecta sunt opera*, hoc intelligitur quantum ad esse primum et quantum ad esse secundum quod causatur ab illo. Quantum autem ad illud esse secundum quod non causatur a perfectione secundum esse primum, veritatem non habet: non enim fecit Deus omnes beatos, sed illos solos beatificavit quos *praedestinavit conformes fieri imagini*[i] *Filii sui*, Rom. 8, 29; hoc[k] enim disponit dare per merita tamquam bonum laudabile[3]. Et ratio huius assignata fuit supra[4].

6. Ad illud quod obicitur quod 'aliae creaturae possunt pervenire ad finem ad quem sunt, per virtutem naturae': dicendum quod non est simile, quia finis creaturae rationalis est summum bonum, quod est supra omnem naturam[5]; finis vero aliarum creaturarum[l] est bonum creatum, quod est infra[m] terminos naturae: ideo creatura rationalis magis indiget dono[n] gratiae ut possit pervenire in suum finem quam aliae creaturae.

7. Ad illud quod obicitur quod 'natura non deficit in necessariis'[o], iam patet responsio ex praedictis[p][6]. Hoc enim intelligitur de necessariis quae quidem attenduntur quantum ad esse primum vel quantum ad esse secundum, quod causatur ex principiis naturae. Quantum vero ad illud esse secundum[q] quod supra naturam est, necesse est naturam[r] deficere: et tale est esse gratuitum et gloriosum. Nullum tamen ex hoc fit naturae praeiudicium, quia Deus[s] defectum naturae supplet et semper praesto est, cum se offert tempus et locus, complere et dare quod natura non poterat.

8. Ad illud quod obicitur quod 'circumscripta gratia servando mandata, utrum mereretur' etc.: dicendum quod mereretur, quia disponeret se ad gratiam quam Deus daret illi; mereretur, dico, de congruo, quia nihil meretur de condigno sine gratia, et ita bona illa ex consequenti remunerarentur in gloria.

9. Ad illud quod obicitur quod 'prior est comparatio ad finem' etc., dicendum quod 'prius' dicitur dupliciter: vel prius, id est essentialius, vel prius, id est efficacius. Prior est comparatio ad finem, id est essentialior, quia tamquam ad ultimum; sed non prior, id est[t] efficacior, immo efficacior est[u] ad ea quae sunt ad finem, quia minora sunt, et ideo magis potest in illa. Ergo, si inferat: 'potest in hoc, ergo in finem', fit fallacia consequentis, sicut si[v] inferatur: 'potest in minus, ergo potest in maius'. — Potest tamen et aliter dici quod comparatio ad finem prior est secundum intentionem, sed ad ea quae sunt ad finem prior est secundum rem, et ideo non valet.

---

[a] V *aliquando.* [b] V *intelligitur;* Z om. *si.* [c] VT *quod.* [d] SRLZ add. *etc.* [e] SRLZ *aliud.* [f] Z add. *in;* L om. *non.* [g] V *morem.* [h] V om. [i] F *imaginis.* [k] SRLZ *hec.* [l] Z *naturarum.* [m] R *intra.* [n] V *bono.* [o] S *intellectus* pro *l. n.* [p] S *dictis.* [q] T om. [r] T om. [s] L om. [t] V om. *i. e.* [u] T om.; V om. *i. e. e.* [v] V om.

1 Cf. supra, num. 505.
2 Cf. supra, p. 307, *ad 1.*
3 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 228.
4 Cf. supra, p. 746a.
5 Cf. supra, num. 14-17.
6 Cf. supra, *ad 5.*

10. Ad aliud iam patet responsio, quod, quamvis liberum arbitrium essentialius comparetur ad bonum, non tamen efficacius, quia facilius est facere malum quam bonum, quia hoc potest de sua natura quae est ex nihilo, aliud non potest sine adiutorio.

11. Ad illud quod obicitur quod 'affectus eius non fuit rectus, quia potuit in malum et non in bonum': dicendum quod non sequitur, quia sicut poterat de se cadere, similiter poterat et stare; si autem non potuisset stare [a], sequeretur quod non esset conditus in rectitudine; sed quia stare potuit neque habuit quid motivum vel inclinativum ad lapsum, rectus fuit [1].

12. Ad illud quod obicitur quod 'virtus, quae sufficit sine difficultate ad tenendum lapidem sursum, potest eumdem elevare [b] sursum a deorsum sive ad locum eminentiorem loco illo in quo tenetur, similiter primus homo, qui sine difficultate poterat stare in innocentia sua, poterat ea virtute qua poterat stare, elevare se proficiendo [c] ad statum altiorem': dicendum quod, sicut ex dictis patet [2], poterat elevare se [d] aliquantulum proficiendo, ut ad ea ad [e] quae poterat natura attingere, non tamen poterat proficere ad statum qui erat supra naturam, id est statum merendi vitam aeternam: sicut ille qui potest tenere sine difficultate lapidem sursum, potest illum altius elevare, sed non potest elevare [f] ad locum respectu cuius est virtus sua improportionalis, ut ad circulum solarem vel caelum.

13. Ad illud [g] quod obicitur secundum Pelagium, dicendum quod non habet locum in proposito, quia in illo statu, de quo hic loquitur, nulla poterat esse difficultas neque operatio laboriosa. Unde Gen. 2, 15: *Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur* etc.; super quod dicit Augustinus, VIII *Super Genesim ad litteram* [3]: « Credibile est hominem in paradiso positum ut operaretur, non laboriose, sed deliciose ». Nec etiam in statu lapsus qui plus laborat in servitio Dei, plus meretur [h] praemii, nisi forte plus diminutionis poenae, sed qui plus laborat ex amore Dei maiore, non sui vel alterius, plus praemii meretur; sed, cum dico 'amorem Dei', dico gratiam, sine qua meritorie Deo non servitur.

14. Ad illud quod obicitur quod 'servitia quanto magis indebita' etc., dicendum quod hoc dupliciter intelligitur: 'servitia [i] magis indebita', scilicet vel quia is, qui servit, minus tenetur servire quam alius, vel, licet magis teneatur quam alius, tamen liberius servit, quia non respicit ad debitum quo tenetur, sed magis ad bonitatem Dei cui servit. Hoc ultimo modo [k] intellecta auctoritas Augustini vera est, sed sic minor est falsa.

15. Ad illud quod obicitur per simile sumptum a rege terreno, dicendum quod nemo meretur gratiam regis terreni ex solis naturalibus nisi in quantum illa naturalia sunt grata ei, similiter nec Regis caelestis; sed grata ei esse non possunt nisi ipse contulerit gratiam qua grata fiant.

16. Ad illud quod obicitur quod 'sensitiva et vegetativa possunt in suas operationes' etc.: dicendum quod hae virtutes possunt in operationes vel obiecta sine superaddito naturae, quia suae operationes viles sunt et obiecta earum ipsis virtutibus multo [l] ignobiliora [4]; sed tam nobilis est intellectus, ut habeat actionem tam nobilem et obiectum tam nobile, ut supra ipsum sint. Quia igitur actio virtutum est [m] in inferioribus se, possunt in ea sine adiutorio; sed quia actio intellectus est in eo quod est supra se [n], non potest in eam sine adiutorio superioris.

Si [o] quaeratur quo modo opera [p] misericordiae, ut dare eleemosynam et huiusmodi, quae sunt in proximum, et ita in sibi aequale [q], sunt actiones in aliquid superius intellectu – respondeo: Ipsum 'dare manu' non est opus meritorium ex se, sed ratione amoris proximi, et illud non est meritorium nisi ex amore Dei, et ita omnis actio meritoria habet quod sit meritoria ex eo quod est in aliquid supra nos.

---

[a] S om. *s. a. n. p. s.* [b] Z *levare.* [c] T *perficiendo*, quod F corr.; SRLZ add. *se.* [d] S *secundum.* [e] V om. [f] S om. *s. n. p. e.* [g] V *aliud.* [h] V *mereretur.* [i] L add. mg. *quanto.* [k] R om. [l] Ita VF (corr.), alii *multa.* [m] V om. [n] S om. [o] V *sed si*, T *sed.* [p] S om. [q] Ita F (corr.), alii *sibi equales* pro *i. s. a.*

[1] Cf. supra, num. 506.
[2] Cf. supra, p. 746, *ad 2.*
[3] Cf. c. 8, n. 15 (PL 34, 379).
[4] Cf. supra, num. 352.

TITULUS II.

DE GRATIA HOMINI POST CONDITIONEM SUPERADDITA.

Quaesitum est supra de gratia data in conditione, sequitur inquirere de gratia superaddita.

Primo ergo quaeretur si primus homo habuit gratiam et virtutes ante lapsum; secundo, de quantitate gratiae et virtutum.

MEMBRUM I. 511

Utrum primus homo habuit gratiam et virtutes ante lapsum [1].

Quaeritur ergo utrum habuit[a] gratiam et virtutes ante lapsum.

Quod sic, videtur: *a.* Luc. 10,30: *Qui etiam exspoliaverunt eum et plagis impositis* etc.; et exponunt Sancti [2] et Glossa [3] quod « exspoliaverunt eum gratuitis et vulneraverunt in naturalibus ». Ergo, si hoc intelligitur in primo homine, primus homo non tantum habuit naturalia, sed etiam gratuita ante peccatum.

b. Item, Bernardus [4]: « Cum videret patrem nostrum hominum aemulus caritate circumdatum et omni virtute vestitum, et hoc accepisse terrenum hominem quod ipse per superbiam amisit, invidit insanabilis homicida ». Ex hoc igitur patet quod primus homo et caritatem habebat et omnem virtutem.

c. Item, Adam recepit mandatum disciplinae; sed[b], si illud mandatum servasset[c] absque gratia, meruisset; si igitur illud mandatum datum erat sibi in meritum obedientiae, videtur quod Deus[d] non dederit sibi in praeceptum praeter gratiae adiutorium, alioquin dedisset ei in malum: quod nullo modo decet facere Deum.

d. Item, hoc habetur a Magistro *Sententiarum*, II libro, dist. 29, cap.[e] *Praeterea, quaeri solet* [5], ubi ad hoc ostendendum introducuntur auctoritates plures.

Contra: 1. Deus sciebat ipsum statim esse lapsurum; ergo sciebat quod illud gratiae donum in nullo esset sibi utile, sed potius esset illi in nocumentum; si igitur sapiens artifex non debet aliquid frustra facere vel etiam quod vertatur in operis sui damnum et nocumentum, videtur quod non dederit illi gratiam.

2. Item, Adam quia iustitiam originalem habuit, quando peccavit, et voluntarie perdidit, nunquam eam recuperavit; ergo pari ratione, si habuisset donum gratiae gratum facientis, nec ipse nec aliquis posterorum eius gratiam recuperasset; si igitur gratiam gratum facientem ipse recuperavit, videtur quod ante lapsum eam non habuerit[f].

3. Item, Adam habebat optima naturalia et nullam habebat pronitatem ad malum nec difficultatem ad bonum [6]; ergo, si caritatem et gratiam habuisset, totaliter Deo adhaesisset; ergo nunquam in peccatum cecidisset; sed constat quod cecidit; ergo[g] gratiam ante lapsum non habuit.

4. Praeterea, ex quo habebat optima naturalia, gratia apposita ferebatur totaliter in Deum, et ita esset confirmatus sicut erant angeli.

5. Item, Lucifer non habuit gratiam gratum facientem [7]; si ergo Adam gratiam gratum facientem[h] habuit et ab illa cecidit, ergo de altiori gradu cecidit quam angelus; ergo videtur quod peccatum eius fuit incurabiliús quam peccatum angelicum; si ergo hoc[i] constat esse falsum, ante peccatum non habuit gratiae donum.

6. Item, prius debet aliquis[k] probari quam in amicum assumi; hoc non solum est verum in

[a] FZ *habuerit*. [b] R *et*. [c] V *fuisset*. [d] S om. [e] Ita F (mg.), alii om. [f] VTF *habuit*. [g] R *quod*. [h] L om. *si... facientem*. [i] R om. [k] SRLZ *aliquid*.

[1] Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 29, c. 2 (p. 457sq.); supra, num. 505; S. Bonav., II *Sent.*, d. 29, a. 2, q. 1 (II, 700sqq.), ubi sequentia, exceptis argum. 4 ac *d* et aliis paucis, verbotenus occurrunt.

[2] Cf. Ambros., in h. l., n. 73 (PL 15, 1718); Augustin., *Quaest. Evang.*, II, q. 19 (PL 35, 1340); Beda, in h. l. (PL 92, 468sq.).

[3] *Interlin.*, in h. l., ap. Lyran.

[4] Rectius Quodvultdeus, *Contra Iudaeos* etc. *de Symbolo*, c. 2 (PL 42, 1117sq.).

[5] Cap. 2 (p. 457sq.).

[6] Cf. Lombard., II *Sent.*, d. 24, c. 2 et d. 25, c. 6 (p. 421, 431).

[7] Cf. supra, p. 125, *ad k*.

amicitia humana, verum etiam in amicitia divina; unde dicitur Hebr. 8[1]: *Abraham pater noster*[a] *tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.* Si igitur nullus habet Dei gratiam quin habeat Dei[b] amicitiam[2], videtur quod ante tentationem Adam non habuerit gratiam; sed statim post tentationem peccavit; ergo non habuit gratiam ante lapsum.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam[c] notandum quod circa hoc duplex consuevit esse opinio. Quidam[3] enim dicere voluerunt quod Adam non habuit gratiam gratum facientem, pro eo quod non videtur credibile quod lapsus esset, si tale adiutorium habuisset. Ad auctoritates autem et rationes respondent, dicentes quod Adam habuit multas gratias gratis datas et naturam habuit valde bonam et propterea Sancti videntur aliquando dicere ipsum habuisse gratuita ante lapsum, non quia habuit donum gratiae gratum facientis, sed donum gratiae[d] gratis datae, et per illud poterat tentationi resistere et ad gratiam gratum facientem disponere se ipsum.

Sed, quoniam auctoritates Sanctorum expresse videntur dicere de gratia gratum faciente, sicut patet ex obiectis, et huic etiam consona videtur Sacrae Scripturae auctoritas et rationis probabilitas, ideo est alia opinio communior, verior et probabilior, quam etiam Magister *Sententiarum*[4] sustinet, scilicet quod Adam ante lapsum gratiam gratum facientem habuit, per quam non solum malo resistere, sed in bono proficere potuit, et illa gratia adiutus ita bene meruisset, mandatum Domini observando, sicut demeruit transgrediendo. Hanc igitur opinionem sustinendo concedere possumus rationes quae ad primam partem inducuntur.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud autem quod obicitur in contrarium quod 'Deus sciebat statim ipsum esse lapsurum'[e]: dicendum quod propter hoc non debuit dimittere[f] donum gratiae sibi dare[g], duplici ratione. Primo quidem, quia simul cum hoc praesciebat quod bonum debebat de lapsu eius elicere. Secundo vero, quia Deus in[h] conferendo gratiam non attendit futura peccata, sed idoneitatem praesentem ad gratiam, sicut patet cum confert gratiam in tempore praescitis et eis[i] quos ab aeterno reprobavit. Et in utroque eorum commendatur Dei largitas et sapientia et arguitur hominis ingratitudo et iniustitia[k] in hoc quod a tam benefico et tam benigno se avertit sine causa.

2. Ad illud quod obicitur quod 'non potuit recuperare originalem iustitiam quam habuit quando peccavit': dicendum quod haec non est tota ratio, scilicet quod voluntarie amisit iustitiam illam, sed simul cum hoc facit quia iustitia originalis non tantum respiciebat voluntatem deliberativam, sed etiam respiciebat ipsam naturam institutam, gratia autem respicit ipsam voluntatem liberam ut est libera. Et quoniam voluntas de facili vertitur et revertitur[l], natura autem cum corruptione non sic de facili relevatur, hinc est quod magis potest recuperari gratia quam prima iustitia, quamvis utraque fuerit per peccatum amissa: non[m] de facili, dico, quia non ante naturae reparationem. — Ad huius evidentiam nota quod Deus condidit duas creaturas vicissitudinarie invertibiles, scilicet nobilissimam, id est angelicam, et infimam, id est[n] irrationalem. Invertibilitas autem huius suae attestatur nobilitati, illius suae[o] vilitati. Mediam creaturam, scilicet hominem, qui secundum aliquid est rationalis, secundum aliquid[p] irrationalis, fecit Deus vertibilem[5]. Angelicam naturam fecit Deus[q] talem quod ad quod se converteret, illi[r] invertibiliter adhaereret[6]. Irrationabilem[s] fecit talem quod, quantum esset de sua natura, sibi inhaereret nec aliquid supra se nec nisi propter se appeteret. Hominem autem fecit Deus vertibilem vicissitudinarie quantum ad liberum arbitrium sive quantum ad partem rationabilem, invertibilem de sua natura quantum ad partem irrationabilem[t]. Pars autem rationalis, dummodo per obedientiam suberat dominio sui Conditoris, parti irrationali dominabatur; unde Augustinus, XIV *De civitate Dei*, cap. 15[7]: « In paradiso enim, etiam si non omnia poterat ante peccatum, quidquid tamen non poterat, non volebat, et ideo poterat omnia quae volebat »; sed nolens subesse dominio sui superioris, dominium amisit sui inferioris. Unde Augustinus, eodem: « Denique[u], ut breviter dicatur, in illius peccati[v] poena quid inobedientiae nisi inobedientia retributa est? Nam quae hominis est[x] alia miseria nisi adversus eum ipsum inobedientia eius ipsius, ut quoniam noluit quod potuit, quod quidem non potest, velit? Quis enim enumerat

---

[a] SLZ *vester.* [b] T om. [c] Ita V, alii add. *est.* [d] L om. *g. f. s. d. g.* [e] Ita VF (corr.), alii *lapsum.* [f] V *amittere.* [g] Ita F, alii *date.* [h] V om. [i] Ita V, alii *eos.* [k] V *stultitia.* [l] S om. *e. r.* [m] V *sed.* [n] F *scilicet* pro *i. e.* [o] Ita VF (corr.), alii *sive.* [p] L *quid,* quod F corr. [q] V om. *vertibilem... Deus.* [r] R add. *et.* [s] V *rationalem.* [t] R om. *invertibilem... irrationabilem,* in L est add. mg. [u] V *deinde.* [v] Z om. [x] V om.

[1] Rectius Iudith 8, 22; cf. Iac. 2, 21-23. Eamdem erroneam citationem habet S. Bonav., loc. cit.

[2] Cf. supra, num. 509.

[3] Uti Pelagiani; cf. Denzinger-Bannwart, *Enchir.*, num. 192.

[4] Cf. supra, sub litt. *d*; Pseudo-Hugo, *Summa Sent.*, tr. 3, c. 7 (PL 176, 100); Damasc., *De fide orthod.*, II, c. 30 (PG 94, 975).

[5] Cf. supra, num. 507.

[6] Cf. supra, num. 156 et p. 151a.

[7] Num. 2 (PL 41, 423), ubi et sequens.

quam multa, quae non potest, velit, dum sibi ipsi[a], id est voluntati eius, ipse animus eius eoque[b] inferior caro eius non obtemperat? Ipso[c] namque invito et animus plerumque turbatur et caro dolet et veterascit et moritur et quidquid aliud patimur, quod non pateremur[d] inviti, si voluntati nostrae nostra natura omni modo atque ex omnibus partibus obediret». Irrationabilis ergo pars, quantum[e] est de sua natura et maxime in quantum corrupta, tantum est convertibilis ad se nec potest erigi sive converti secundum[f] debitum iustitiae originalis ad suum superius dominio sive potestate partis rationalis, cuius inobedientiae inobedientia retributa est[1]. Propter autem colligantiam partis rationalis et irrationalis necesse est partem rationalem deflecti et declinare secundum motum[g] partis irrationabilis: propter quod ante reparationem naturae corruptae non recuperabitur perfecte naturalis iustitia.

3. Ad aliud[h] quod obicitur quod 'si Adam habuisset gratiam, inseparabiliter Deo adhaesisset': dicendum quod hoc non oportet, quia liberum arbitrium, habens gratiam, de sua libertate, quae cogi non potest[2] dum manet in vertibilitate in qua conditum est, moveri potest[i] praeter gratiae inclinationem et frequenter movetur, nihil considerans de eo ad quod movet gratia. Unde frequenter contingit quod homo, valde praeditus gratia et virtutibus, inordinate afficitur, pro eo quod non semper fertur actualiter in illud summum bonum, ad quod desiderium illius assurgit per gratiam, et sic intelligendum est accidisse ipsi Adae.

4. Ad aliud quod obicitur quod 'confirmatus esset ut angelus': dicendum[k] quod non est simile, tum quia angelus habet nobiliora naturalia, tum propter corpus quod habebat adhaerens, ratione cuius retardabatur ne totaliter ferretur in Deum; erat enim corpus illud tunc animale[3]. Nihilominus aliter retardabat tunc, aliter nunc, quia nunc retardat movendo ad contrarium, tunc retardabat non sinendo libere et expedite ferri et moveri in Deum: propter quod non sequitur quod fuisset confirmatus.

5. Ad illud quod obicitur quod 'Lucifer non habuit gratiam gratum facientem' etc.: dicendum quod hoc[l] verum est[4]. Ex hoc tamen non sequitur quod homo peccaverit maiori ingratitudine, pro eo quod Lucifer optima habuit[m] naturalia, propter quod dicitur fuisse quodam modo deiformis, et pro eo quod proximior erat statui gloriae: unde simul recepisset gratiam et gloriam. Homo vero nec talibus fuit praeditus naturalibus et conditus fuit ut magno temporis intervallo haberet gratiam ante gloriam, in cuius signum positus erat in terra, quae est locus longe distans a caelo. Unde in transgrediendo nec adeo cecidit de alto ut Lucifer nec adeo fuit ingratus nec adeo per peccatum depravatus.

6. Ad illud[n] quod obicitur quod 'prius debet homo tentari quam in amicum assumi': dicendum quod illud intelligitur de illa amicitia quae facit hominem Deo privatum et familiarem, per quem modum dicit ipse Dominus Apostolis, Ioan. 15, 15: *Vos autem dixi amicos* etc. De amicitia autem large sumpta hoc non potest intelligi apud Deum, licet possit intelligi de amicitia apud homines, pro eo quod, nisi Deus gratiam daret in probando, potius reprobaret quam approbaret: non enim habemus per quod possumus approbari a Deo nisi per eius donum. Non sic autem est de homine respectu hominis, et sic patet responsio ad illud[o].

MEMBRUM II.

De quantitate gratiae et virtutum primi hominis.

Sequitur inquirere de quantitate gratiae et virtutum.

Et primo, de quantitate quantum ad numerum donorum, virtutum et gratiarum; secundo, de quantitate quantum ad potestatem et efficaciam earumdem[p].

---

[a] Ita F (corr.), V *tempus*, alii *ipse*. [b] Ita F, R *eo quod*, alii *eo quia*; T *est* pro *eius*. [c] V *ipse*. [d] L om. *q. n. p.* [e] L *in*. [f] V *cum*. [g] L *modum*; SRLZ *rationalis* pro *irrationabilis*. [h] L om. [i] V om. *m. p.*, alii om. *potest*, in F est add. mg. [k] SRLZ add. *est*. [l] V om. [m] L *habuerit*. [n] V *aliud*. [o] V *aliud*. [p] F *eorumdem*.

1 Cf. supra, num. 408.
2 Cf. supra, num. 363-367.
3 Cf. supra, num. 457-458.
4 Cf. supra, pag. 134, *ad 1*.

CAPUT I.

DE QUANTITATE DONORUM, VIRTUTUM ET GRATIARUM QUANTUM AD NUMERUM.

Quaeritur ergo utrum habuit universitatem donorum, virtutum et gratiarum. Et circa hoc: Primo, utrum habuit fidem; secundo, utrum [a] omnes alias.

512 ARTICULUS I.

Utrum primus homo ante lapsum habuerit fidem.

Quod autem fidem habuerit [b], videtur sic: *a.* Fides est fundamentum aedificii spiritualis, ad Hebr. 11, 1: *Fides est substantia rerum sperandarum* etc., Glossa [1]: « Id est fundamentum »; sed deficiente fundamento, deficit totum aedificium; ergo etc.

b. Item, tres sunt virtutes theologicae, fides, spes, caritas; habuit spem et caritatem; consimili ratione et fidem habuit vel quare non?

c. Hoc etiam videtur per verbum Bernardi, *Ad Eugenium,* supra dictum [2]: « Cum videret patrem omnium hominum [c] aemulus circumdatum caritate et omni virtute vestitum [d] » etc.

d. Item, fides distinguitur per fidem formatam et informem [e], et haec duplex fides duplici statui hominis respondet, scilicet statui gratiae et statui peccati, et ita patet quod existentes in peccato habent fidem informem, existentes in [f] gratia fidem formatam; sed constat quod Adam, lapsus per peccatum, habuit fidem informem [g]; ergo stans [h] in gratia habuit fidem formatam.

Contra: 1. Sicut dicit Magister, II *Sententiarum,* dist. 23, cap. *Cognitionem quoque* [3], « cognovit primus homo a quo creatus fuerat, non ita excellenter sicut post hanc vitam sancti visuri sunt neque ita *in aenigmate* [4] qualiter in hac vita videmus »; sed constat quod fides est cognitio sub aenigmate; ergo etc.

2. Item, Hugo [5]: « Cognovit homo Creatorem suum, non ea cognitione qua Deus modo a credentibus absens fide quaeritur, sed ea qua [i] tunc per praesentiam contemplationis scienti manifestus cernebatur ». Ex hoc patet manifeste quod fidem non habuit.

3. Item, si habuit fidem, ergo habuit cognitionem articuli de reparatione; ergo de lapsu cognitionem habuit; ergo cognovit casum suum; ergo habuit ante poenam quam culpam: quod est contra divinam iustitiam.

4. Item, cognitio fidei est ex auditu; unde ad Rom. 10, 17: *Fides ex auditu;* sed dicit Hugo [6]: « Cognovit homo Creatorem suum, non ea cognitione quae [k] foris ex auditu solo percipitur, sed ea potius quae [l] intus per inspirationem ministratur ».

Respondeo quod primus homo ante lapsum habuit fidem. Sed intelligendum est [m] quod fides duo concernit, quae sunt cognitio et adhaerentia primae veritati propter se, quae est firmitas credendi. Penes cognitionem determinatur eius esse materiale, penes adhaerentiam sive firmitatem eius esse formale. Unde Hugo [7]: « Duo sunt in quibus fides constat, cognitio et affectus [n], id est constantia vel firmitas [o] credendi. In altero constat, quia ipsa illud est; in altero constat, quia ipsa [p] in illo est: in affectu enim substantia [q] fidei invenitur, in cognitione materia. Aliud est enim fides qua creditur, aliud quod fide creditur [r]. In affectu invenitur fides [s]; in cognitione id quod creditur fide. Propterea fides [t] in affectu habet substantiam, quia affectus ipse fides est; in cognitione habet materiam, quia de illo et ad illud quod in cognitione est, fides est ». Praeterea, cognitio, quae fidei est, duplex est. Quaedam quae imperfectionis [u] est, scilicet illa quae est aenigmatica, de qua I Cor. 13, 12: *Videmus nunc per speculum [v], in aenigmate;* aenigma enim est similitudo obscura [8]: unde videre *per speculum* est videre per creaturas aliquas, in quibus similitudo Dei relucet; *et in aenigmate,* id est [x] in obscura similitudine. Est alia quae perfectionis est, scilicet illa quae non est aenigmatica, sed lucida, qualis fuit illa quam habuit Christus. Cum enim haberet fidem [y], secundum illud quod erat

---

[a] R add. *habuit.* [b] VT *habuit.* [c] F *hominem.* [d] F om. [e] L *informatam.* [f] S om. *peccato... in.* [g] L *formatam.* [h] Ita VT, alii *status.* [i] F *que.* [k] VTZ *qua.* [l] VT *qua.* [m] T om. [n] T *affectio;* VT *et* pro *id est.* [o] SRL *infirmitas,* quod Z corr. [p] S om. *illud... ipsa.* [q] V om. [r] L om. *a. q. f. c.* [s] SRLZ add. *vel.* [t] Ita Z (corr.), alii add. *que.* [u] SFRL *perfectionis.* [v] SFLZ add. *et;* F om. *in.* [x] L *et* pro *i. e.* [y] L om.

1 *Interlin.,* in h. l., ap. Lyran.
2 Cf. supra, p. 749, sub litt. *b.*
3 Cap. 3 (p. 418).
4 Cf. I Cor. 13, 12.
5 *De sacram. christ. fid.,* I, p. 6, c. 14 (PL 176, 271).
6 Loc. cit.
7 Loc. cit., p. 10, c. 3 (PL 176, 331).
8 Cf. Augustin., *De Trinit.,* XV, c. 9, n. 16 (PL 42, 1069).

perfectionis in illa habuit illam, id est non ratione visionis aenigmaticae, sed cognitionis lucidae. Huiusmodi cognitionem fidei habuit primus homo in statu innocentiae, id est non illam quae est aenigmatica, sed quae est lucida. Triplex enim est cognitio, scilicet per speciem et lumen, per speculum in lumine, per speculum in aenigmate: prima est patriae, secunda erat in statu innocentiae, tertia in statu naturae lapsae. Habuit ergo primus homo fidem quantum ad illud quod est substantiale in fide sive formale; quantum autem ad illud quod est materiale, habuit illud quod erat perfectionis, ut tactum est[1]. Concedendae sunt ergo rationes quae hoc ostendunt.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur contra hoc per hoc quod 'non habuit cognitionem aenigmaticam', iam patet responsio, quia, licet non habuit cognitionem aenigmaticam, non propter hoc sequitur quod non habuit fidem, quia habuit illud quod erat maioris cognitionis et perfectionis in fide; unde habuit cognitionem certiorem illa quae est fidei in statu naturae lapsae. Et hoc innuit Hugo, dicens[2]: « Sciendum quod illam primam cognitionem hominis, quam de Creatore suo habuit, sicut maiorem et certiorem illa cognitione, quae nunc in sola fide constat, veraciter dicimus, ita etiam illa, quae postmodum in[a] excellentia contemplationis divinae manifeste revelabitur, minorem[b] necesse est confiteamur ».

2. Ad illud quod obicitur quod 'non ea cognitione cognovit qualiter modo a credentibus' etc.: dicendum quod hoc dicitur, quia modo quaeritur sive cognoscitur cognitione aenigmatica. Ob[c] hoc enim dicitur « modo absens », scilicet propter aenigma interpositum inter ipsum et intuitum mentis sive cognitivae nostrae[d]; et tunc dicitur fuisse contemplatio « per praesentiam », quia erat in lumine, sicut tactum est[3]. Nec intelligendum est quod tunc vidit per praesentiam speciei, sed per[e] praesentiam luminis certiorem efficientem cognitionem[f] ea quae est per aenigma. Unde cognitio illa fuit media inter illam quae modo est et illam quae[g] est in gloria.

3. Ad illud quod obicitur quod 'si habuit fidem, habuit cognitionem de articulo reparationis', dicunt quidam[4] quod habuit[h] revera, sed tamen non contulit nec advertit, et sic non cognoscebat se casurum actu: unde nec ex casu eius contristabatur. — Vel potest dici quod habuit fidem articuli de reparatione implicite, cognoscens quod ille qui hominem paravit, illum repararet, quocumque modo indigeret reparatione, sive perficiendo quod erat defectus naturae conditae sive aliqui alii[i] defectus contingerent. Bene enim scivit quod Deus paraverat sive condiderat hominem ad hoc quod perficeretur perfectione gloriae et quod ille qui hominem paraverat[k] ad hoc, tempore opportuno illum repararet tollendo omnes defectus gloriae incontingentes. — Vel potest dici secundum opinionem illam, qua ponitur quod posteri eius non essent confirmati[5], primis parentibus stantibus, quod habuit fidem articuli de reparatione. Nec propter hoc tristabatur, quia non cognovit quod propter casum illius futura et necessaria erat reparatio.

4. Ad illud[l] quod obicitur quod '*fides* est *ex auditu*' etc., dicendum quod duplex est[m] auditus: interior et exterior[6]. Non autem est necessarius auditus exterior ad hoc quod sit cognitio fidei, sed quandoque sufficit interior, sicut, supposito quod aliquis esset semotus[n] a fidelibus nec esset qui eum instrueret in fide, dummodo omnino viveret secundum dictamen rationis et se[o] ordinaret et praepararet, quantum posset, ad bonum, auditu interiori fidem reciperet et informaretur illis quae essent sibi necessaria ad salutem. Unde non fuit auditus exterior necessarius primo homini ad hoc quod haberet fidem, sed inspiratione interna fidei recepit cognitionem[p], hoc est id quod fuit perfectionis in cognitione fidei.

ARTICULUS II. 513

Utrum primus homo ante lapsum habuerit tot virtutes quot habuit post[7].

Sequitur inquirere utrum habuit universitatem virtutum ante lapsum sive tot quot habuit post.

Quod autem tot habuerit, videtur: *a.* Primo per Damascenum[8], dicentem quod « Deus fecit

---

[a] Z om. [b] Codd. *maiorem*. [c] Z *ad*. [d] Ita F (corr.), V om., alii *in re*. [e] VFL om., in R est add. interl. [f] RLZ *cognitione*, quod F corr. [g] S om. *modo... quae*. [h] R om. [i] R om. [k] S om. [l] S om. [m] S om. [n] Z *remotus*. [o] T *sic*. [p] R *recognitionem*; F *cepit* pro *recepit*.

1 Hic, parum supra.
2 Loc. cit., p. 6, c. 14 (PL 176, 271).
3 Cf. supra, sub *Respondeo*.
4 Cf. Odo, Abbas Ursi Campi, *Quaestiones*, p. 2, § 331, *De Adamo* (ed. Pitra, *Anal. novissima Spicileg. Solesm.*, 1888, II, p. 178); S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, dub. 4 (II, 549).
5 Cf. supra, num. 501.
6 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 24, dub. 2 (III, 529).
7 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 29, a. 3, q. 1 (II, 704 sq.), ubi verbotenus occurrunt argumenta *a-d*, 1-4, pars *Responsionis*, et solutio *ad 1, 2, 4*.
8 *De fide orthod.*, II, c. 12 (PG 94, 922).

hominem omni virtute circumdatum et omnibus bonis[a] ornatum». Ergo non videtur quod aliquis habitus virtutis, qui sit in nobis, deesset eidem.

b. Item, ex parte cognitionis non cognoscimus plura quam Adam cognovit nec plures habemus in nobis scientias; ergo pari ratione ex parte affectionis non videtur quod plures habeamus in nobis[b] habitus virtutum quam habuit primus homo.

c. Item, connexio est in virtutibus, sicut Sancti[1] dicunt: «Qui[c] habet unam, habet omnes»; ergo, si Adam habuit aliquam virtutem, necesse fuit quod omnes habuerit; ergo tot habuit quot nos habemus.

d. Item, aut aliquam virtutem habemus quam non habuit Adam aut non. Si non: ergo tot virtutes habuit quot nos habemus. Si sic: aut ergo illius virtutis fuit Adam capax aut non. Si non: ergo videtur quod per peccatum venerit in nobis boni capacitas; quod absurdum est dicere. Si sic: cum Deus daret gratiam Adae secundum capacitatem suam, videtur quod omnem virtutem, quam nobis confert post lapsum, et ipsi Adae[d] contulerit ante lapsum.

Contra: 1. Virtus fortitudinis consistit in perpessione terribilium[2]; sed in Adam in statu innocentiae non potuit esse talis perpessio; ergo nec fortitudo.

2. Item, temperantia consistit in coercendis pravis carnis passionibus[3]; sed tales non poterant reperiri in natura instituta; ergo nec temperantia.

3. Item, poenitentia consistit in detestatione malorum perpetratorum et dolore; sed nullo modo contingit in statu innocentiae de malis commissis dolere; ergo non poterat in primo homine esse virtus poenitentiae.

4. Item, qui habet donum perseverantiae non cadit a iustitia; sed Adam a iustitia cecidit; ergo perseverantiam non habuit; hanc autem multi habent in statu naturae lapsae; ergo non omnis virtus, quae nunc est, fuit in statu innocentiae.

5. Item, numerus sacramentorum post lapsum non respondet per aequalitatem numero sacramentorum ante lapsum, neque primi parentes, si stetissent, habuissent exercitium tot sacramentorum quot habuerunt[e] exercitium post lapsum: cuius ratio est quod homo pluribus indiguit adiutoriis post lapsum quam ante. Eadem ratione videtur quod numerus virtutum ante lapsum non debuit respondere numero virtutum post lapsum nec quod primi parentes, si stetissent, praediti essent tot virtutibus ante quot post, quia pluribus indiguerunt post quam ante.

6. Item, idem ostenditur per comparationem donorum. Cum enim sint septem dona, ut habetur Isai. 11, 2-3, scilicet donum sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis, et timoris Domini, ante lapsum, ut videtur, non fuit pietas, quae est circa opera pietatis, quae non fuissent in statu innocentiae; neque fortitudo, quae consistit in aggressu difficilium et perpessione adversorum, quae necessaria sunt tempore lapsus.

7. Item, idem videtur per comparationem beatitudinum, de quibus Matth. 5, 3-11, quia ante lapsum non fuit beatitudo luctus neque beatitudo misericordiae, quia misericordia miseriam respicit, quae necessaria erat post lapsum.

8. Item, idem videtur per comparationem fructuum, de quibus Gal. 5, 22, quia ante lapsum non fuit fructus qui est patientia, quae consistit in tolerantia adversorum, sicut post.

Ex omnibus iis videtur quod non habuit tot virtutes ante lapsum quot habuit post.

Respondeo: Dicendum quod, cum fit[f] comparatio multitudinis donorum gratiae ad statum naturae lapsae et statum naturae institutae, hoc potest intelligi vel de donis gratiae gratis datae vel de donis gratiae gratum facientis. Si intelligatur de donis gratiae gratis datae, sic se habent sicut excedentia et excessa, pro eo quod aliqua dona gratiae gratis datae habuit Adam in statu illo, utpote immortalitatem et impassibilitatem[g][4], quae non habuit aliquis posterorum eius; et aliqua dona gratiae gratis datae habent posteri eius quae ipse non habuit, sicut sunt *gratia sanitatum* et *operatio virtutum* et *genera*[h] *linguarum*[5] et consimilia. Ratio autem huius diversitatis venit ex hoc quod illa dona expediebant illi tempori et alia competunt isti. — Si autem loquimur de donis gratiae gratum facientis, quia dona illa connexionem habent quantum ad habitus et quantum ad actus qui perfectionis sunt, sic concedendum est quod in aequali multitudine fuerunt in primo homine in qua reperiuntur in eius posteritate — hoc dico quantum ad habitus et quantum ad actus qui perfectionis sunt — sicut rationes ad primam partem inductae ostendunt. Quantum vero ad actus qui habent imperfectionem annexam, non contingebat virtutes secundum statum illum in Adam ponere. Sicut enim habetur ab Augustino, libro *De Trinitate* XIV[6], et Magister recitat, III *Sententiarum*[i], 33 dist.[7], virtutes habebunt alios actus[k] in patria, quia maioris perfectionis, quam habeant in via[8]. Actus enim

---

[a] T om. [b] V add. *nisi.* [c] F add. mg. *enim.* [d] V om. [e] Z add. *post.* [f] STRLZ *sit.* [g] S *passibilitatem.* [h] L om. [i] V *in Sententiis* pro *III. S.* [k] T *alias virtutes* pro *a. a.*

1 Cf. Augustin., *Epist. 167*, cc. 2-3 (PL 33, 735 sqq.); Bernard., *De consid.*, I, c. 8, n. 9 sqq. (PL 182, 737).
2 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, III, c. 10 sq. (II, 35 sqq.).
3 Cf. Aristot., loc. cit.
4 Cf. supra, num. 491 sqq. et 469 sqq.
5 Cf. I Cor. 12, 9-10.
6 Capp. 8 et 9 (PL 42, 104 sq.).
7 Cap. 3 (p. 698).
8 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 33, a. 1, q. 6 (III, 726 sqq.).

sive usus prudentiae erit nullum bonum Deo praeponere vel aequare; fortitudinis, ei firmissime cohaerere; temperantiae, nullo defectu noxio [a] delectari. Hos eosdem actus et usus habuerunt primi parentes in illa felicitate, in qua fuerunt quando habuerunt gratiam [b] gratum facientem, licet non in [c] illa perfectione in qua habent in patria, plurimum tamen erant [d] conformes.

[Ad obiecta]: 1-2. Per haec patet responsio ad duo obiecta, quorum unum erat de fortitudine, alterum de temperantia, quae procedebant secundum actus habentes imperfectionem aliquam annexam, quae quidem imperfectio [e] competit [f] solum secundum statum praesentis miseriae.

3. Ad illud autem quod [g] obicitur de poenitentia, dicendum quod poenitentia reduci habet ad virtutem iustitiae: est enim de speciebus iustitiae [h], existente statu naturae [i] lapsae; non autem fuisset de speciebus illius, si permansisset status naturae conditae: tunc enim esset actus iustitiae Deo regenti subiectum esse.

4. Ad illud autem quod obicitur de perseverantia, dicendum quod perseverantia [k] uno modo dicitur propositum perseverandi in bono: et hoc modo est virtus vel dispositio consequens virtutes inseparabiliter; alio modo perseverantia est continuatio in bono usque in finem: et sic non dicit habitum, sed potius dicit actum, et hanc [l] primus homo non habuit. Ex hoc tamen non sequitur [m] quod aliqua virtute caruerit pro eo tempore quo in [n] gratia permansit.

5. Ad illud quod obicitur quod 'numerus sacramentorum post lapsum non respondet' etc.: dicendum quod hoc verum est [o]. Et ratio huius est necessitas humanae reparationis [p] post lapsum: cecidit enim homo in morbum gravem per peccatum suum, propter quem indigebat sacramentis aliis ab illo quod fuit institutum tempore naturae conditae, scilicet matrimonio, quibus curaretur [1]. Unde Hugo [2]: « Ex quo homo, a statu primae incorruptionis lapsus, in corpore per mortalitatem et in anima per iniquitatem aegrotare coepit, continuo Deus reparando inde sacramentis suis medicinam praeparavit, quae, prout ratio postulabat et causa, diversis temporibus et locis ad curationem illius exhibuit ». Virtutes autem necessariae erant in omni statu et [q] omni tempore et quantum ad substantiam et quantum ad numerum, tamen secundum diversitatem statuum necessaria erat actuum variatio, sicut [r] tactum est [3].

6-8. Ad illa quae consequuntur, dici potest quod dona, fructus, beatitudines conferuntur a Deo ad perfectionem naturae lapsae, non institutae. Ad cuius declarationem nota quod virtutes, secundum quod ex auctoritatibus Sanctorum potest rationabiliter colligi, sunt ad informandum sive ad rectificandum liberum arbitrium; tunc autem est liberum arbitrium informatum, quando est in iustitia rectificatum. Haec autem informatio rectitudinis in statu naturae institutae potentias animae reddidit habiles ad agendum bonum recte, expedite, delectabiliter et perfecte propter conformitatem et obedientiam naturae respectu gratiae. Sed primus homo in lapsu in culpam spoliatus fuit gratuitis et vulneratus in [s] naturalibus [4]: ex spoliatione autem ista subsecuta est deformatio et impotentia ad bonum et ex illa vulneratione effecta est natura humana infirma et subsecuta est difficultas ad bonum; ex hac autem difficultate subsecuta est fatigatio et fastidium in progressu in bono sive in exercitio operum bonorum et ex iis oritur quaedam vitae imperfectio sive versatio in operibus imperfectionis. Homo autem sic deiectus sive humana natura sic lapsa non poterat per se reparari nec illa, quae sufficiebant ad recte agendum, expedite, delectabiliter et perfecte in statu naturae conditae, sufficiebant post lapsum, scilicet virtutes solae. Propterea divinae benignitatis largitas habitus multiplices contulit homini contra [t] multiplicia incommoda iam tacta, ut sic humanae naturae lapsae defectus relevaret, ita ut per collationem gratiae in virtutibus reformetur ipsa anima et efficiantur potentiae potentes ad bene et recte operandum, per collationem gratiae in donis ad expedite operandum, per collationem gratiae in fructibus ad delectabiliter operandum, per collationem gratiae in beatitudinibus [u] ad perfecte operandum [5]. A virtutibus enim est anima potens ad operandum, ex donis ad expedite operandum [v], ex fructibus ad delectabiliter operandum [x], ex beatitudinibus ad perfecte operandum: ita quod contra quadruplicem oppressionem sive deiectionem, quae ex culpa habet originem, auctor et reparator humanae naturae quadruplicem apponit relevationem [y]. Ex iis ergo patet quod dona, fructus et beatitudines proprie respiciunt statum naturae lapsae; virtutes autem semper fuerunt necessariae. Propter quod non est simile de comparatione donorum, fructuum et beatitudinum et ipsarum virtutum ad statum ante culpam [z] et post.

---

[a] V *novo*. [b] Z om. [c] Ita VT, alii om. [d] V *erunt*. [e] Ita FR (correcti), alii *perfectio*; Z om. *quidem*. [f] L add. *fit*. [g] Ita V, alii *quod autem* pro *i. a. q.* [h] T om. [i] V *persone*. [k] R om. [l] Ita V, alii *hunc*. [m] V *consequitur* pro *n. s.*; Z om. *non*. [n] S om. [o] S om. [p] S *parationis*. [q] T add. *in*. [r] V *secundum*. [s] Ita V, alii om. [t] V *propter*. [u] R om. *i. b.* [v] V om. *e. d. a. e. o.* [x] R om. [y] VSTL *revelationem*. [z] R *peccatum*.

1 Cf. S. Bonav., IV *Sent.*, d. 2, a. 1, q. 1 (IV, 48sq.).
2 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 8, c. 12 (PL 176, 313).
3 Cf. supra, sub *Respondeo*.
4 Cf. supra, p. 749, nota 2.
5 Cf. S. Bonav., III *Sent.*, d. 34, p. 1, a. 1, q. 1 (III, 735sqq.).

CAPUT II.

DE QUANTITATE GRATIARUM ET VIRTUTUM QUANTUM AD EFFICACIAM.

Sequitur inquirere de quantitate gratiarum quantum ad efficaciam.

Et primo quaeritur utrum in statu illo habebant efficaciam merendi, hoc est utrum habens illas potuit per illas mereri;

secundo, utrum erant efficaciores tunc quam nunc vel e converso.

514 ARTICULUS I.

Utrum primus homo in statu innocentiae potuit mereri [1].

Quaeritur ergo primo si primus homo poterat illis mereri ante lapsum.

Quod [a] **sic, videtur**: *a.* Ex puris naturalibus non poterat quis tunc mereri; unde Augustinus, in *Enchiridion* [2]: « Sine gratia nec tunc », id est in primo statu, « meritum esse potuisset ». Igitur, si [b] etiam cum gratia sive gratuitis mereri non potuisset, status ille fuisset pessimus, cum sine merito nullus pervenisset ad gloriam.

b. Item, gratia sive gratuita modo sunt principium merendi, per se loquendo, I Cor. 15, 10: *Non ego, sed gratia Dei mecum;* et fuerunt in statu illo, cum illis mediantibus erat homo gratus Deo, ut ex dictis patet [3], et illis solum; ergo existens in illis per illas poterat mereri.

c. Item, gloria est remuneratio gratiae sive merces, Ioan. 1, 16: *Gratiam pro gratia,* ubi [c] Augustinus [4]: « Non solum gratiam, quae plene gratis datur sine merito, ut fidem, *quae per dilectionem operatur* [5], ex qua *iustus vivit* [6], sed et pro ista gratiam [d], id est beatitudinem aeternam [e], quae et merces iustitiae dicitur [7] ». Ergo, cum gloria remuneratur merito, patet quod meritum est ex gratia. Et hoc est quod subiungitur in Glossa Augustini [f] praedicta [8], ubi [g] dicitur quod [h] gratia, « quia meritum ex gratia »; et ita idem quod prius.

Contra: 1. Ubi est pugna, ibi est meritum; ergo ubi maior pugna, maius meritum et ubi minor, minus; ergo ubi nulla, nullum; sed in statu illo nulla potuit esse pugna [i]; ergo etc.

2. Item, II Tim. 2, 5: *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit;* sed in primo statu non erat certamen; ergo neque corona; ergo [k] neque meritum.

3. Item, secundum Philosophum [9], virtus est circa bonum et difficile; igitur, cum meritum sit mediante virtute, meritum requirit difficultatem; sed difficultas non potuit esse in statu illo; ergo etc.

4. Item, Magister, II *Sententiarum,* 24 dist., 2 cap. [10], dicit quod Adam non meruisset non [l] consentiendo tentationi, quia nullum habebat intus impellens ad malum. Ergo ad hoc quod sit ibi meritum, oportet quod sit [m] impellens ad malum, et ita difficultas; ergo etc.

5. Item, si Adam sine difficultate potuit mereri, quare non similiter sancti in patria?

Respondeo quod gratuita habuerunt efficaciam merendi in statu ante lapsum.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum obiectum contra hoc, scilicet quod ' ubi est pugna, ibi est meritum ' etc.: dicendum quod, licet ubi est pugna, ibi sit [n] meritum etc., non tamen ubi nulla est pugna, nullum est meritum, quia meritum est sine pugna. Viri enim sancti frequenter merentur quando in nulla sunt pugna, ut quando sunt in iucunditate contemplationis. — Si obiciatur de statu, scilicet quod qui est extra statum pugnandi, est extra statum [o] merendi: dicendum quod, si hoc sit verum, hoc est solummodo in statu naturae lapsae, qui non est sine pugna, quia *caro concupiscit adversus spiritum,* ad Gal. 5, 17; aliter fuit in statu naturae conditae.

2. Ad illud quod obicitur quod ' *non coronabitur* ' etc., dicendum [11] quod duplex est corona

---

[a] Z *Et quod.* [b] VTL add. *esset,* quod F exp. [c] V *hic.* [d] V add. *gloriam.* [e] Z om. [f] S om. [g] V om., F exp. [h] F (corr.) *et.* [i] V *pigritia.* [k] T om. [l] VSRZ om., in TFL est add. interl. [m] R add. *ibi.* [n] Ita V (corr.), F om., alii *est.* [o] S om. *pugnandi... statum.*

1 Cf. Lombard., II *Sent.,* d. 24, c. 1 (p. 419 sq.).
2 Cap. 106 (PL 40, 282).
3 Cf. supra, num. 509.
4 Cf. *In Ioan.,* tr. 3, nn. 8-9 (PL 35, 1400); verbotenus in *Glossa ordin.,* in h. l. (PL 114, 357).
5 Gal. 5, 6.
6 Hebr. 10, 38.
7 Cf. II Tim. 4, 8.
8 *Glossa ordin.,* loc. cit.
9 *Ethica ad Nicom.,* II, c. 3 (II, 17).
10 Cap. 1 (p. 420).
11 Cf. S. Bonav., II *Sent.,* d. 23, dub. 1-2 (II, 548).

beatorum: una, quae respicit praemium substantiale, et haec respondet radici meriti sive[a] caritati; alia, quae respicit praemium accidentale superadditum substantiali, quae proprie respondet triumpho sive victoriae vitiorum habitae per conflictum sive certamen: et de hac loquitur Apostolus. Quod patet ex verbis illius[b]; dicit enim: *Qui certat in agone, non coronabitur nisi*[c] *legitime certaverit*[d]. Unde illa corona, quae respondet triumpho habito de vitiis, non habetur nisi post legitimum certamen nec istam obtinuisset primus homo merito gratuitorum, sed aliam tantum.

3. Ad aliud[e] quod obicitur quod 'virtus est circa bonum et difficile' etc.: dicendum quod sicut duplex est meritum, duplex est difficultas. Est enim meritum dimissionis poenae, et hoc est meritum satisfactionis[f], et est meritum[g] gloriae; sic duplex est[h] difficultas: uno modo dicitur difficile, id est laboriosum, et hoc modo difficile requiritur ad meritum satisfactionis; alio modo dicitur difficile quod est super omnes vires naturae: et hoc modo difficile requiritur ad meritum gloriae, quae est supra naturam. Illa ergo difficultate, quae requiritur ad meritum dimissionis poenae, non meruisset quis ante lapsum, sed solummodo illa quae est in elevatione alicuius supra propriam naturam. Verbum autem Philosophi, dicentis quod virtus est circa difficile et bonum[i], intelligendum est habito respectu ad statum naturae lapsae, non naturae conditae.

4. Ad illud quod dicit Magister quod 'primus homo non meruisset non consentiendo tentationi, quia non habuit impellens' etc.: dicendum quod[k] quidam dicunt quod[l] Magister intellexit de merito dimissionis poenae. Sed quia meritum dimissionis poenae esse non poterat, dummodo esset status ille, videtur[m] haec responsio impertinens ad propositum. Propter hoc aliter potest dici[1], scilicet[n] quod est meritorium quantum est de genere operis et est meritorium quantum est[o] ex radice caritatis. Meritorium de genere operis dicitur quod est meritorium eo quod est opus virtutis de se: hoc autem arduum et difficile; alio modo dicitur meritorium omne opus, quodcumque sit, dum tamen ex radice caritatis procedat. Vult ergo Magister dicere quod in resistendo tentationi Adae non fuisset meritum, si non habuisset gratiam nec primo modo nec secundo. Si vero restitisset ex caritate, meritorium fuisset secundo[p] modo, non primo. In nobis autem[q] semper est meritorium vel utroque modo vel saltem altero, scilicet propter difficultatem ad bonum et pronitatem ad malum.

5. Ad ultimum dicendum quod non est simile de sanctis, quia iam non sunt in statu merendi, Adam autem erat in statu viatoris, et ita patet quod[r] non est simile.

ARTICULUS II. 515

Utrum gratuita erant efficaciora ante lapsum quam post[2].

Sequitur inquirere utrum gratuita erant efficaciora ante lapsum quam post.

Quod sic, videtur: 1. Nobiliori perfectibili nobilior[s] debetur perfectio[3]; quia[t] ergo homo in statu innocentiae multo nobilior erat quam nunc, multo[u] nobiliora habebat gratuita[4].

2. Item, habitus cognitivae nobilior erat et melior tunc quam nunc; cognitio ergo maior erat et perfectior: inflicta est enim homini ignorantia per culpam primorum parentum; sed, si[v] cognitio fuit perfectior, et dilectio similiter, secundum illud Augustini[5]: « Quantum cognoscis, tantum diligis »; sed secundum quantitatem caritatis sive dilectionis sunt gratuita efficaciora; ergo etc.

3. Item, fides in statu illo, ut[x] ex verbis Hugonis[6] patet, maior fuit et[y] excellentior illa quae fuit post lapsum; a simili videtur quod dilectio sive caritas maior fuerit in statu ante lapsum quam illa quae fuit post et aliae virtutes similiter; et ita ut prius.

4. Item, « albius est quod est nigro impermixtius[7] »; ergo magis est meritorium quod minus habet in se de demerito[z]; sed omnia merita nostra quodam modo permixta sunt culpae, secundum illud Isai. 64, 6: *Omnes iustitiae nostrae*

---

[a] F (corr.) *scilicet*. [b] V *eius*. [c] V add. *qui*. [d] SRLZ *etc*. [e] F *illud*. [f] V om. *e. h. e. m. s.* [g] T om. *s. e. e. m.* [h] F om. [i] F om. *e. b.* [k] F (corr.) *sicut*. [l] T om. [m] VSZ add. *quod*. [n] Z om. [o] L om. *de genere... est*. [p] S om. *si... secundo*. [q] Z add. *non*. [r] V om. [s] L om. *p. n.* [t] Ita V, alii *si*. [u] SRL *multa*. [v] R om. [x] Z om. [y] L om. [z] R *merito*, quod TFL corr.

1 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 24, p. 1, dub. 1 (II, 571 sq.).

2 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 29, a. 3, q. 2 (II, 706), ubi argum. 4-5, *Respondeo* et *ad 4* fere verbotenus occurrunt.

3 Cf. Aristot., *De animal. generat.*, II, c. 3 (III, 352).

4 Inter errores reprobatos anno 1241 nonus erat « quod qui habet meliora naturalia, de necessitate plus habebit de gratia et gloria ». Cf. Denifle-Chatelain, *Chart. Univ. Paris.*, I, p. 171; S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 3 (II, 547).

5 Cf. *De spiritu et littera*, c. 36, n. 64 (PL 44, 243).

6 Cf. supra, p. 752, nota 5.

7 Cf. Aristot., *Topic.*, III, c. 5 (I, 203).

sicut pannus menstruatae. Si ergo in Adam secundum statum innocentiae merita omnino fuissent impermixta culpae, videtur[a] quod in statu illo merita fuissent maiora; sed quantitas meriti est secundum quantitatem gratuitorum et efficaciam; ergo gratuita tunc erant maioris efficaciae.

5. Item, meritum est a gratia et libero arbitrio; quanto igitur liberum arbitrium gratiae magis obedit, tanto gratia efficacius in actum suum exit; sed tunc[b] natura magis erat obediens gratiae quam nunc, cum est corrupta; ergo tunc[c] dona gratuita erant ad merendum efficaciora.

6. Item, rectitudo iustitiae naturalis magnum fuit expedimentum gratuitorum et causa efficaciae eorumdem, sicut concupiscentia noxiorum nunc est impedimentum; ergo etc.

Contra[d]: *a.* Tam gratia quam virtutes sunt divina quaedam et dona Dei, et hoc ante lapsum et post; sed ante lapsum data erant ad perficiendum naturam institutam, post vero ad reparandum naturam destitutam et perficiendum illam[1]; sed constat quod divina bonitas, omnia optime ordinans et disponens, non contulit gratuita dona minoris efficaciae ad reparandum naturam destitutam et perficiendum quam ad naturam institutam perficiendam; ergo post lapsum fuerunt tantae efficaciae vel maioris quam ante lapsum.

b. Item, natura destituta ad hoc quod perveniat ad finem suum adiutorio indiget maiori quam natura constituta; ergo, cum dona gratuita, ut gratia et virtutes, data sint[e] a summa bonitate, quae *omnibus dat affluenter,* Iac. 1, 5, in subsidium et adiutorium naturae, ut illis mediantibus perveniat ad finem, relinquitur quod gratuita data post lapsum sunt maioris efficaciae[f] quam quae data erant ante lapsum: non enim dedisset unicuique affluenter, nisi magis indigenti dona maiora dedisset. — Quod autem natura humana magis[g] indigeat nunc quam in statu illo, patet per hoc quod multa sunt inflicta homini propter peccata primorum parentum, ex quibus debilitata est et deteriorata.

c. Item, hoc videtur per hoc quod natura inferior magis subvenit et efficacius magis indigenti: quod patet per hoc quod membro laeso magis et efficacius subvenit natura quam membro sano, et hoc attestatur eius bonitati; ergo multo fortius hoc convenit bonitati auctoris naturae; ergo etc.

d. Item, status post lapsum est status pugnae: unde magis impugnatur homo quam ante lapsum; unde II Tim. 2, 5: *Non coronabitur nisi qui* etc.; sed has vincendo pugnas gloriosius triumphat et maiorem meretur coronam; sed maior corona debetur maiori merito[h], maius autem meritum gratiae maiori sive gratuitis maioribus sive[i] maioris efficaciae; ergo, cum homo in statu naturae lapsae gloriosius triumphat quam ante, relinquitur quod gratuita habet maiora sive[k] maioris efficaciae.

e. Item, habito respectu ad statum naturae lapsae intelligendum est verbum Philosophi[2]: « Ars et virtus sunt circa difficilia »; si[l] hoc per se verum est, quanto actus virtutis est difficilior, tanto virtuosior, et quanto virtuosior, tanto ad merendum efficacior. Si ergo maior est difficultas in perficiendis divinis[m] mandatis nunc quam esset in statu naturae institutae, videtur quod maior sit merendi efficacia; efficacia autem merendi est ab efficacia gratuitorum, et ita ut prius.

f. Item, sacramenta priora erant minoris[n] efficaciae succedentibus. Unde Hugo, in *Sacramentis*[3]: « Semper quae tempore posteriora fuerunt, effectu gratiae spiritualis digniora inveniuntur ». Ex hoc verbo patet quod gratia in sacramentis sive sacramentalis minoris erat[o] efficaciae in primis temporibus quam sit nunc. Similiter videtur quod gratia[p] in virtutibus et ipsae virtutes, quae efficaciam habent a gratia, non fuerunt tantae efficaciae primo quantae sunt nunc.

g. Item, secundum quod magis appropinquavit ab initio adventus Salvatoris, maior erat effectus salutis. Unde Hugo[4]: « Sciendum quod divinae dispensationis ordo et ratio hoc poscunt[q] ut sicut ab initio, procurrente[r] tempore, magis semper ac magis adventus Salvatoris appropinquavit, sic semper magis ac magis effectus salutis cresceret et cognitio veritatis ». Sed maior effectus salutis est ex maiori efficacia gratuitorum, et ita ut prius.

Respondeo[s] quod loqui possumus de efficacia gratuitorum secundum comparationem personae ad personam aut status ad statum. Si primo modo, sic se haberent sicut excedentia et excessa. Probabiliter enim praesumi potest quod aliqui fuerunt post lapsum qui maiorem gratiam habuerunt et in meritis efficaciorem quam aliqui qui fuissent in statu innocentiae, si status ille perseverasset, aliqui vero minorem, sicut creditur

---

[a] V *videretur* et om. *culpae.* [b] V om. [c] F *tum;* S om. *cum.* [d] V *item.* [e] Ita F (corr.), alii *sunt.* [f] L om. [g] S om. *quod... magis.* [h] T *debito.* [i] L om. *m. s.* [k] V om. *m. s.* [l] Codd. *sed.* [m] V om. [n] Ita FL (correcti), alii *maioris.* [o] T add. *igitur;* S om. *in.* [p] L om. [q] Ita V, alii *poposcunt.* [r] V *procedente,* RL *percurrente,* T *procurante.* [s] L add. mg. *dicendum est.*

[1] Cf. supra, p. 745sq., sub *Respondeo.*
[2] *Ethica ad Nicom.,* II, c. 3 (II, 17).
[3] Lib. I, p. 11, c. 1 (PL 176, 343).
[4] Loc. cit., c. 6 (PL 176, 345).

de personis existentibus currente Lege Moysi et existentibus currente Lege evangelica. Si secundo modo, id est si comparetur generaliter status ad statum, adhuc[a] occurrit duplex consideratio, quia gratia sive virtutes possunt considerari vel in comparatione ad illos quos informant et[b] perficiunt, hoc est ad suscipientes, vel in se sive secundum se. Si considerantur in comparatione ad suscipientes, quia efficacia gratiae et virtutum maior est ex idoneitate suscipientis, quae quidem idoneitas est ex consentaneitate voluntatis et promptitudine obediendi sive subiciendi se ipsi gratiae et virtutibus, potest dici quod gratia[c] et virtutes efficaciores erant in statu naturae conditae quam in statu naturae lapsae. Si considerentur gratia et virtutes secundum se, non usquequaque certum est in quo statu Dominus gratiam contulerit maiorem et virtutes potentiores sive efficaciores, pro eo quod magnitudo gratiae distributae et efficacia virtutum attenditur secundum discretionem distribuentis, quae cognitionem nostram latet, et etiam secundum maiorem praeparationem ex parte suscipientis. Pie tamen et non omnino absque probabilitate supponendum est quod maiora munera gratiae et virtutum largitus est homini lapso quam dedisset homini, si in statu innocentiae permansisset, tum quia homo maiori gratiae adiutorio indiget, tum etiam quia decet Deum de malo maius bonum elicere quam sit illud bonum, quod adimendo malum nocet[1]. Ex hac ergo duplici ratione, quarum una est in commendatione misericordiae divinae, alia in commendatione sapientiae, non irrationabiliter colligitur quod dona gratuita secundum se sint maiora et efficaciora post lapsum quam ante, et maxime post adventum Salvatoris[2], qui mediator et intercessor *pro nobis interpellat*[3], quem decet *exaudiri* in omnibus *pro sua reverentia*, Hebr. 5, 7. Unde, cum appareat vultui Dei *semper ad interpellandum pro nobis*, Hebr. 7, 25, et pro nobis in cruce oblatus fuerit et quotidie offeratur, valde probabile videtur quod maius[d] munus gratiae tribuatur nobis quam si ipse non fuisset incarnatus vel[e] pro nobis oblatus. Et hoc expresse videtur[f] innui Ioan. 7, 39[g], cum dicitur quod *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Unde, cum ascendit *in altum*, tunc *dedit dona hominibus*[4].

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur contra hoc, per hoc scilicet quod 'nobiliori perfectibili debetur nobilior perfectio': dicendum quod hoc[h] verum est de perfectibili et perfectione quantum ad esse primum, quia sibi invicem respondent secundum quamdam praecisionem et adaequationem; gratia autem et virtutes perficiunt quantum ad esse secundum. Praeterea, haec, scilicet gratia et virtutes, sunt pure gratuita et secundum libitum et electionem Dei collata, qui quandoque personae viliori, quantum est de naturalibus, gratiam confert maiorem et nobiliori minorem, secundum iudicium profunditatis sapientiae illius, humanae scientiae incomprehensibile, iuxta illud ad Rom. 11, 33: *O altitudo divitiarum* etc.

2. Ad illud quod obicitur quod 'habitus cognitivae erat melior[i] et efficacior ante lapsum quam post' etc.: dicendum quod hoc verum est, sed hoc non est in ratione illa qua gratuitus est, sed hoc est propter potentiam[k] cognitivam, quae demerito peccati obnubilata est, et ignorantiam inflictam[l]. Sicut enim videtur manifeste in visiva exteriori quod, licet ipsa potentia secundum se non recipiat variationem deteriorationis, nihilominus melius videt iuvenis quam senex propter defectum organi, similiter est in proposito. — Ad hoc quod dicitur quod 'quantum cognoscis[m], tantum diligis' etc.: dicendum quod hoc intelligitur de cognitione et dilectione ad invicem comparatis in statu uno, scilicet vel in statu naturae lapsae vel conditae, non autem in diversis. In statu enim naturae lapsae quantum cognoscis, tantum diligis, et in alio similiter. Nec intelligitur[n] de quacumque cognitione, sed de illa quae est experientiae sive sapientiae, quae est cum gustu; et[o] etiam quae dico 'tantum, quantum', non dicunt praecisionem, sed proportionem[p] in genere, sub hoc sensu: si multum cognoscis, multum diligis.

3. Ad illud quod obicitur de fide 'quae videtur fuisse[q] tunc excellentior et efficacior quam illa quae est nunc' etc.: dicendum quod, sicut tactum est[5], gratuita in statu innocentiae habebant efficaciam quamdam ex ordinatione et obedientia potentiarum ipsius animae et subiectione respectu gratuitorum; unde efficacius movebant et ipsam affectivam[r] et ipsam operativam quam faciant nunc sive quando[s] amissa rectitudine naturali inclinatus est affectus per concupiscentiam et operativa debilitata. Et sic comparatione fidei et aliarum virtutum ad potentias recipientes, bene potest concedi quod habebant quamdam

---

[a] Z *ad hoc.* [b] Z *vel.* [c] Ita F, alii *gratie.* [d] S *magis.* [e] V *et.* [f] V om. [g] V om. *I. 7.* [h] T om. [i] R *nobilior.* [k] L om. [l] Ita F, alii *ignorantia inflicta* pro *i. i.* [m] V *agnoscis.* [n] V *intelligatur.* [o] V add. *hec.* [p] Z om. *s. p.* [q] R om. [r] STRLZ *effectivam*, quod F corr. [s] SL *autem.*

1 Cf. supra, p. 738b, *ad 6.*
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 507.
3 Rom. 8, 34.
4 Cf. Eph. 4, 8.
5 Cf. supra, sub *Respondeo.*

efficaciam in statu illo quam post non habuerunt. Unde bene potest concedi quod secundum hanc comparationem fide tunc purius et quietius adhaerebant primae veritati[1]; nec propter hoc necesse est quod fides et aliae virtutes, secundum se consideratae, essent tunc maioris efficaciae quam nunc. Si autem loquamur de visione fidei, potest dici quod, quia visiva interior nullatenus erat obnubilata, luculentior fuit quam sit modo: unde clara fuit tunc et sine aenigmate; et quantum ad hoc, ut vult Hugo, fides tunc erat maior et efficacior, non tamen ut est virtus sive habitus virtutis[2].

4. Ad aliud[a] quod obicitur quod 'albius est quod est nigro impermixtius' etc.: dicendum quod efficacia meriti ex pluribus venit, scilicet ex difficultate operis, ex promptitudine voluntatis, ex magnitudine caritatis et consequenter aliarum virtutum. Difficultas enim operis multum valet ad meritum, ut patet[b] in operibus supererogativis, quorum quaedam efficaciter disponunt ad augmentum gratiae et per consequens ad augmentum meriti; in aliquo autem, ut in martyrio, augmentatur gratia et meritum similiter. — Promptitudo etiam voluntatis plurimum facit ad meritum. Quantacumque enim sit gratia in homine, nisi sit voluntas gratiae consentanea, nunquam elicit opera meritoria; et quanto magis voluntas gratiae subiacet et conformatur, tanto fructuosius homo in operibus meritoriis exercetur; prompta enim voluntate et hilari operantes plus merentur quam illi qui minus sunt huiusmodi; propter hoc dicitur: *Hilarem datorem diligit Deus*, II Cor. 9, 7. — Magnitudo caritatis efficacissime facit ad meritum, quia secundum illius quantitatem attenditur remuneratio praemii substantialis: pondus enim amoris opera meritoria facit esse ponderis et valoris. Quantum ergo ad primam conditionem, scilicet difficultatem, efficaciores sunt virtutes nunc quam tunc fuerunt. Nunc enim magis impugnatur et impugnando probatur et examinatur virtus quam tunc, sicut patet in exercentibus se in operibus supererogativis et maxime in martyribus. Quantum ad secundam conditionem, scilicet promptitudinem voluntatis, efficaciores fuissent virtutes in merendo tunc quam nunc, quia voluntas tunc continua fuisset in bonis operibus Deo placentibus sine retardatione; nunc autem, sive ex fatigatione sive ex surreptione, frequenter cessat a bonis operibus et nocivis intendit et inutilibus, tum propter difficultatem ad bonum, tum propter pronitatem ad malum. — Ad id[c] ergo quod obicitur quod 'meritum magis erat impermixtum in statu innocentiae' etc.: dicendum quod hoc est ex eo quod voluntas non est nunc[d] ita prompta et consentanea gratiae sicut fuit tunc, propter gravitatem carnis coniunctae et pronitatem concupiscentiae contractae. Potest ergo concedi quod secundum quod efficacia merendi venit ex promptitudine voluntatis, sic erant tunc gratuita efficaciora quam nunc.

5. Ad aliud[e] quod obicitur, scilicet quod 'liberum arbitrium magis obediebat gratiae' etc., iam patet responsio, quia dictum est[3] quod quantum ad promptitudinem voluntatis[f], quod idem dicit in re quod obedientia prompta liberi arbitrii, efficaciores erant tunc virtutes ad merendum quam nunc. Ex iis tamen non sequitur quod gratia et virtutes secundum se erant maiores et efficaciores quam sint nunc.

6. Ad illud quod obicitur quod 'naturalis rectitudo erat tunc magnum expedimentum' etc., iam patet responsio, quia[g] ex illa naturali rectitudine erat voluntas prompta et omnino consentanea gratiae, et, licet ita sit quod efficaciores erant virtutes ex hoc, non tamen ex hoc sequitur quod ipsae secundum se et sua propria voluntate erant tunc efficaciores quam sint nunc, sicut ex dictis patet[4].

---

[a] F *illud*. [b] Ita FL (mg.), alii om. [c] Ita V, alii om. [d] V om. [e] F *illud*. [f] V om. [g] T *quod*.

[1] Cf. supra, num. 512.
[2] Cf. supra, p. 753, *ad 1*.
[3] Cf. supra, *ad 4*.
[4] Cf. supra, sub *Respondeo*.

QUAESTIO IV.

DE PRIMO HOMINE QUANTUM AD SCIENTIAM.

Dicto de passibilitate naturae primi hominis, de prolis propagatione et de adiutorio gratiae, sequitur quarto inquirere de illuminatione scientiae. Quaeritur ergo de cognitione sive scientia primi hominis, scilicet cuiusmodi scientiam [a] sive cognitionem habuit in primo statu:

Et primo, de cognitione quantum ad tempus;

secundo, quantum ad cognoscibilia.

MEMBRUM I. 516

Utrum homo conditus statim habuit scientiam perfectam.

Quaeritur ergo utrum conditus statim habuit scientiam sive cognitionem perfectam an proficiendo studio et disciplina pervenit ad illam.

Quod primo modo [b], **videtur sic**: *a.* Ut habetur ab Augustino, *Super Genesim ad litteram*[1], primus homo perfectus conditus fuit secundum corpus et in ea perfectione [c] quam competebat habere in virili aetate; sed multum dedecuisset hominem, talis perfectionis secundum corpus, fuisse in tenebris ignorantiae secundum animam; ergo, cum nihil exeat immediate ab Optimo cum nota indecentiae, relinquitur quod conditus fuit perfectus in scientia: perfectus, dico, ea perfectione quam requirebat perfectio animae perficientis corpus huiusmodi.

b. Item, Hugo, *De sacramentis*[2]: « Sicut, quantum pertinet [d] ad perfectionem staturae et aetatis humani corporis, primum hominem perfectum factum [e] credimus, ita quoque, quantum ad animam, cognitionem veritatis et scientiam, eam dumtaxat, quae primae perfectioni congrua fuit, perfectam mox conditum accepisse putamus et ad illam non studio et [f] disciplina aliqua per intervalla temporis profecisse, sed simul et semel ab ipso suae conditionis exordio una ac simplici [g] divinae aspirationis illuminatione illam percepisse ».

c. Item [h], idem habetur a Magistro, II *Sententiarum*, 23 distinctione[3].

Contra: 1. Iob 33, 25: *Consumpta est caro mea*, Glossa[4]: « Primus homo ante peccatum neque stultus neque sapiens fuit ».

2. Item, distinguitur natura angelica ab anima humana, quia illa creata est plena formis[5], haec autem nata est in corpore perfici: unde facta est sicut tabula rasa[6]. Si igitur anima Adae condita est plena cognitione et multitudine formarum, ergo videtur quod anima eius non distinguatur ab angelo et iterum quod anima eius non sit eiusdem speciei cum aliis animabus.

3. Item, duplex est creatura rationalis: angelica et humana; angelica natura in omnibus eius suppositis fuit praedita eadem sive consimili illustratione scientiae et cognitionis in suo exitu in esse[7]: omnes enim angeli in sui conditione praediti fuerunt perfectione scientiae; a simili videtur de humana creatura quod [i] in omnibus suppositis debuit esse praedita consimili illustratione scientiae et cognitionis, et ita omnes homines debebant in ortu primo esse sapientes vel ignorantes. Ergo, cum posteri Adae in ortu suo sint ignorantes et studio et disciplina per temporis intervallum proficiant, videtur quod similiter fuit de illo.

Respondeo quod Adam ab exordio suae conditionis, sicut vult Hugo et Magister *Sententiarum*[8], habebat scientiae complementum. Et hoc conveniebat tum propter comparationem ipsius ad principium suum ab ipso colendum, tum propter

---

[a] V *animam.* [b] Z om. [c] SZ *perfectio.* [d] T om. [e] T om. [f] SRZ *vel.* [g] R *simplicis.* [h] R om. [i] T *que.*

1 Cf. lib. VI, c. 13, n. 23 (PL 34, 348).
2 Lib. I, p. 6, c. 12 (PL 176, 270).
3 Cap. 2 (p. 417).
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 29, nota 5.
5 Cf. *Liber de causis*, § 9 (p. 173).
6 Cf. Aristot., *De anima*, III, c. 4 (III, 468).
7 Cf. supra, num. 123 sqq.
8 Cf. supra, sub litt. *b-c.*

comparationem ad genus ex ipso propagandum, tum propter comparationem ipsius ad genus animalium ab ipso gubernandum. Primo ergo secundum comparationem ipsius ad suum principium decuit fieri scientia completum. Si enim decet Deum opera perfecta facere, quanto magis ipsum natura decuit facere perfectum et quantum ad esse et quantum ad bene esse, secundum quod exigebat status naturae, qui origo omnium sui generis et quodam modo est finis omnium[1]! Et quia factus erat ad Deum colendum, leges divinas scire debuit, secundum quarum observationem posset Deo placere et in via morum recte ambulare. — Secundo, per comparationem ad genus humanum ex ipso propagandum. Si enim ipse conditus est ut quasi [a] esset paterfamilias in tota domo paradisi terrestris, et optime sedet sapientia et scientia in genitoribus ut exempla praebeant posteris recte ambulandi et sequendi se, indubitanter decens fuit ut Deus hominem primum totius generis humani patrem, principium et seminarium[2], secundum possibilitatem naturae et exigentiam eius faceret [b] in cognitione perfectum. — Tertio, per comparationem ad genus animalium regendum hoc ipsum decens erat et idoneum. Si enim Deus hominem praeposuerat ceteris bestiis et animalibus ut ad nutum eius cetera obedirent[3], sicut non decet sapientem dominum curam rerum suarum stulto gubernatori committere, sed prudenti, quoniam *acceptus est regi minister intelligens,* sicut dicitur in Prov. 14, 35, sic non decuit Deum facere hominem non intelligentem, sed intelligentem [c] et cognoscentem, ut sciret quid unicuique expediret: quod et fecit. Cuius rei signum est quod Adam omnibus nomina imposuit et hoc fuit eius nomen quod Adam primo nominavit[4]: quod certe recte facere non potuisset nisi omnium naturas et proprietates a prima conditione cognovisset. Unde Hugo[5]: « Idcirco ipse Creator non a se aut ab angelo aliquo singulis quibusque animalibus, sed ab homine nomina formari voluit, ut manifeste ostenderet quod singulorum naturam et usum et officia ex insita sibi homo ratione agnovit. Quae enim propter illum creata erant, ab illo regenda et disponenda erant, et idcirco horum omnium Deus illi et scientiam tribuit et providentiam reliquit ». — Super omnes has rationes est ratio ex parte status, quia, cum homo in statu illo [d] deberet esse rectus et expeditus [e] in actibus affectus, ut non claudicaret, expeditus et rectus esse debuit in considerationibus intellectus; hoc autem est per scientiae complementum. Et sic, ut rationibus praedictis apparet, decebat sapientiam divinam facere hominem in scientiae complemento.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur contra hoc per Glossam, quae dicit quod « primus homo neque fuit stultus neque sapiens »: dicendum[6] quod intellectus Glossae non est illum caruisse scientia vel sapientia ante peccatum et post peccatum fuisse sapientem, sed intellectus est ipsum, quantum ad considerationem actus peccati et ad commissionem eiusdem, neque fuisse sapientem neque stultum: sapientem non, quia horum observatione non cavit sibi; stultum non, quia non ignorans peccavit. Et hoc videtur ex verbis Glossae, quae sunt haec: « Nota [f] eum ante peccatum neque sapientem neque stultum fuisse neque sapienter neque stulte peccasse. Sapiens enim est qui observatione peccati agenda vel vitanda novit, stultus vero [g] qui sequenda vel vitanda omnino ignorat ».

2. Ad hoc quod obicitur quod 'natura angelica distinguitur ab anima humana per hoc quod illa creata est plena formis' etc.: dicendum quod hoc [h] 'intelligentia angelica est plena formis' de natura illius est [i]. Eo enim quod non est nata uniri alicui corpori, non est nata in corpore perfici, neque per progressum a cognitiva exteriori ad interiores et ab interioribus proximis et mediis ad primam simpliciter et supremam in cognitionem exteriorum pervenire, sed perficitur quantum ad cognitionem actu plenitudine scientiarum in sui conditione impressarum. Quod autem anima Adae fuit condita in plenitudine specierum, hoc non fuit illi naturale sive ex sua natura, sed ex gratia superaddita, scilicet [k] gratis data. Unde hoc non facit quod anima Adae sit eiusdem speciei cum natura angelica, quia hoc habet natura angelica [l] ex sua natura [m], sed anima Adae ex gratia superaddita. Neque hoc iterum facit animam Adae alterius naturae quam sint aliae animae, sicut [n] neque arbores, quae statim in sua productione fuerunt plenae fructibus, fuerunt [o] alterius speciei quam illae quae procedunt modo secundum temporis diuturnitatem et varietatem.

3. Ad illud quod obicitur quod 'angelica natura in omnibus suppositis fuit praedita consimili illustratione scientiae' etc.: dicendum quod non est similis comparatio primi hominis ad alios quae est angelorum ad invicem. Primus homo erat origo et principium seminarium [p] omnium

[a] L *quod.* [b] Ita F (corr.), alii *facere.* [c] V om. *s. t.* [d] V *suo.* [e] V *expediens.* [f] V *non.* [g] T add. *est.* [h] F add. interl. *quod.* [i] T *naturis illius* pro *n. i. e.* [k] Z om. [l] V om. *q. h. h. n. a.* [m] S om. *a. e. s. n.* [n] V *sed.* [o] V om. *p. f. f.* [p] R *seminativum.*

[1] Cf. supra, num. 88.
[2] Cf. supra, num. 446 sqq.
[3] Cf. infra, num. 521-523.
[4] Cf. Gen. 2, 19-20; supra, num. 819.
[5] *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 13 (PL 176, 271).
[6] Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 30, *ad 1.*

hominum: propter quod conveniebat ipsum creari perfectum quantum ad ea quae requirit perfectio naturae et quantum ad corpus et quantum ad animam, sicut supra tactum est[1]. Praeterea, ut ex dictis patet[2], plures sunt rationes quare primus homo creari debuit in complemento scientiae, quarum nulla est quod procreati[a] ab ipso debebant in consimili procreari complemento, ut patet[b] intuenti.

MEMBRUM II.

De cognitione primi hominis quantum ad cognoscibilia.

Sequitur[c] de cognitione primi hominis quantum ad cognoscibilia:

Et primo, de cognitione Creatoris;
secundo, de cognitione creaturae.

CAPUT I.

DE COGNITIONE CREATORIS.

Sed[d], quia supra tactum est[3] de cognitione[e] Creatoris quantum ad illam quae fidei est, quae est cum cognitione aenigmatica, ubi determinatum est quod non habuit illam quae est aenigmatica, inquiretur de cognitione Creatoris quantum ad duo:

Primum est si cognovit Deum in specie sive facie ad faciem;

secundum est[f] si cognovit eum in speculo creaturae.

ARTICULUS I. 517

Utrum Adam cognoverit Deum in specie[4].

Circa primum proceditur sic: Videtur quod cognovit Deum in specie[g]. 1. Dicit enim Hugo, *De sacramentis*[5]: « Cognovit Creatorem suum, non ea cognitione qua modo a credentibus absens fide quaeritur, sed ea qua[h] tunc per praesentiam contemplationis scienti manifestus cernebatur ». Sed cernere Deum manifestum, est cernere eum facie ad faciem; ergo etc.

2. Item, Exod. 33, 11: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui*[i] *homo ad amicum suum;* sed multo excellentior fuit status Adae ante lapsum quam status Moysi; ergo videtur, si videbatur a Moyse facie ad faciem, quod fortiori ratione ab Adam.

3. Si diceretur quod illa visio fuit in subiecta creatura – contra, Num. 12, 8: *Palam et non per figuras et aenigmata Deum videt.*

4. Item, sicut habetur a Damasceno[6] et aliis orthodoxis[7], Adam non solum fuit constitutus in paradiso corporali, immo et in spirituali quantum ad mentis delicias: unde Deo fruebatur, sicut dicit Damascenus[8]; sed frui Deo non potest quis nisi videat eum in specie; ergo etc.

5. Item, Adam ante lapsum Deum in se et immediate amabat; ergo, si ita facilis est intellectus ad cognoscendum sicut affectus ad amandum per naturam, videtur quod sicut Deum in se ipso amabat, ita et in se ipso videbat.

6. Item, omnis anima recta desiderat Deum videre in se[9]; ergo Adam in illo statu[k] hoc desiderabat; sed, ut habetur ab Augustino, *De civitate Dei*[10], « Adam in paradiso quidquid volebat, facere poterat »; ergo, si volebat videre Deum, poterat eum videre et vidit.

7. Item, Augustinus, XIV *De civitate Dei*, 10 cap.[11]: « In paradiso non aberat[l] quidquam, quod bona voluntas adipisceretur ». Ergo, cum visionem Dei in se adipiscitur bona voluntas[m], etc.

8. Item, mente humana nihil Deo propinquius est, maxime quando est immunis ab omni culpa

---

[a] V *creati.* [b] L add. *in.* [c] R om. [d] S *et.* [e] T add. *creature,* [f] Ita VF, alii *secundo* pro *s. e.* [g] R om. *i. s.;* V *agnovit* pro *cognovit.* [h] Ita F (corr.) R, alii *que.* [i] Ita F (mg.), alii om. [k] S om. [l] Z *oberat.* [m] F add. *ergo.*

1 Cf. supra, sub *Respondeo.*
2 Cf. loc. cit.
3 Cf. supra, num. 512.
4 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 12; S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 3 (II, 542 sqq.), ubi multa sequentium verbotenus occurrunt; in solutionibus ad obiecta, illa sola quae est *ad 5* verbotenus habetur ap. S. Bonav.
5 Lib. I, p. 6, c. 14 (PL 176, 271).
6 *De fide orthod.*, II, c. 11 (PG 94, 915).
7 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, XIV, c. 26 (PL 41, 434).
8 Loc. cit.
9 Cf. Augustin., *Sermo 53*, c. 6, n. 6 (PL 38, 366).
10 Lib. XIX, c. 15, n. 2 (PL 41, 423).
11 PL 41, 417; S. Bonav. argum. 7 omittit.

et poena; sed talis fuit mens Adae ante culpam neque oculus mentis aliquam habebat nubem obscuritatis; ergo videtur quod in [a] ipsum Deum immediate poterat figere aspectum, quod est videre Deum in se; ergo etc.

Contra: *a.* Exod. 33, 20: *Non videbit me homo, et vivet;* hoc intelligitur de vita animali; sed Adam ante lapsum vivebat vita animali [1]; ergo videre Deum non poterat.

b. Item, Ioan. 1, 18: *Deum nemo vidit unquam nisi Unigenitus* etc. Si ergo nullus unquam vidit Deum, et maxime ante adventum Christi, ergo nec Adam.

c. Item, visio Dei in specie est tota merces [2]; ergo qui visionem Dei habet in se, habet plenam mercedem, et qui hoc habet, plenam [b] gloriam habet; nullus talis potest cadere; ergo si Adam cecidit, etc.

d. Item, lux increata perfecta delectatione delectat aspicientes; ergo, si Adam illam summam lucem aspexisset, perfecte [c] in ea delectatus fuisset; ergo nunquam ab ea averti consensisset.

e. Item, status viae et status patriae sunt distincti; ergo pari ratione et visio viae et visio patriae; sed Adam fuit viator; ergo non videbat visione patriae, quae est in visione Dei in se [d].

f. Item, quaedam sunt media ad idem generaliora, scilicet talia: cognoscens super cognoscibile habet potentiam quantum ad illud per quod cognoscit [3]; intellectus creatus non potest super lucem increatam in se, quantumcumque elevetur [e] per gratiam sive etiam per gloriam [f], quia illa semper in infinitum excedit; ergo impossibile est quod oculus interior sive intellectus ipsam lucem increatam videat in se ipsa.

g. Item, cognoscentis ad cognoscibile debet esse proportio [4], maxime in cognitione in qua est magna delectatio; si ergo illius lucis summae respectu intellectus nostri est excessus improportionalis et tantus ut per [g] nihil additum possit ei proportionari, quoniam semper excedit illum in [h] infinitum, videtur quod nunquam intellectus noster possit lucem illam contemplari.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam notandum quod fere omnes ponunt cognitionem, quam habebat Adam de Deo, mediam fuisse inter cognitionem status miseriae et cognitionem status gloriae; sed in modo ponendi multa est differentia.

Quidam [5] enim, innitentes auctoritatibus male intellectis et rationibus sophisticis, dixerunt [i] Deum nunquam in se sive in sua essentia videri nec in via nec in patria, suum tuentes errorem per verbum Chrysostomi [6] dicentis: « Ipsum, qui Deus est, non solum Prophetae, sed nec etiam angeli vident »; similiter et aliis consimilibus auctoritatibus male intellectis putantes quod Deus immediate et in sua essentia videri non possit propter improportionalitatem [k] lucis increatae ad oculum mentis creatae. Sed dicunt quod Deus per quasdam luminosas influentias sive lucubrationes [l], id est parvas luces [m], videri habet in statu viae et in statu innocentiae videbatur et in statu gloriae videtur. Et in iis influentiis dicunt Deum in iis statibus videri magis clare et minus clare, secundum quod Deus magis se oculo mentis creatae vult contemperare et clarioribus theophaniis ostendere. — Sed ista positio haeretica est [7], nec immerito, quia est plane contra Sacram Scripturam. Nam I Cor. 13, 12 dicitur: *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum;* et I Ioan. 3, 2: *Videbimus eum sicuti est;* et aliae multae sunt consimiles auctoritates [8], quibus error iste est reprobandus. Si autem videantur aliquae auctoritates esse pro illis, omnes [n] exponendae sunt, quia loquuntur de cognitione comprehensionis, qua dicitur aliquid cognosci totaliter; hac autem cognitione Deus sibi soli cognoscibilis est [9]. Et etiam contra rationem est, cum anima perfecte quiescere non possit, donec ipsam lucem increatam videat in se ipsa [10].

Item, alii [11] dixerunt quod Deus a purgatis mentibus, non solum in patria, sed etiam in statu innocentiae et in statu [o] viae in se ipso videri habet; nec est differentia nisi in gradibus, quia [p] clarius et perfectius in statu gloriae videbitur et minus perfecte in statu innocentiae et minime in statu

---

[a] F om. [b] L om. *mercedem... plenam.* [c] TL *imperfecte.* [d] L om. *i. s.* [e] S om. [f] V om. *s. e. p. g.*; Z om. *etiam.* [g] F om. [h] L om. [i] R add. *enim.* [k] L *proportionalitatem.* [l] V *luculationes.* [m] Z om. *i. e. p. l.* [n] V om. [o] S om. *e. i. s.* [p] Ita V, alii *quod*; TFLZ *gradu* pro *gradibus.*

1 Cf. supra, num. 457.

2 Cf. Augustin., *Enarr. in Psalm. 90,* sermo 2, n. 13 (PL 37, 1170).

3 Cf. Augustin., *De vera relig.*, c. 29, n. 53 (PL 34, 145).

4 Cf. Aristot., *Ethica ad Nicom.*, VI, c. 1 (II, 66).

5 Plures vide ap. Petav., *De theolog. dogmat.*, VII, cc. 5sqq. (ed. Venet. 1745, I, 289sq.). Cf. Gregor. M., *Moral.*, XVIII, c. 27, nn. 90-91 (PL 76, 93sq.).

6 *In Ioan.*, hom. 1 (PG 59, 98).

7 Est primus inter errores anno 1241 reprobatos, ut dicit S. Bonav., « ab universitate magistrorum Parisiensium, tempore Episcopi Gulielmi et Odonis Cancellarii et fratris Alexandri de Hales, patris et magistri nostri ». (S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 3,II, p. 547).

8 Cf. Hugo de S. Vict., *In hierarch. caelestem,* II, c. 1 (PL 175, 935sqq.).

9 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 9 et 36.

10 Cf. Augustin., *Confess.*, I, c. 1, n. 1 (PL 32, 661).

11 Cf. Haymo, *In II ad Cor.*, c. 12 (PL 117, 663); Alex. Hal., loc. cit., num. 11.

naturae lapsae. Differentia autem istorum graduum venit ex hoc quod anima in statu gloriae est omnino a sarcina corporis absoluta aut omnino habet corpus spirituale, quod nullo modo impediat ipsam quin possit immediate in Deum tendere et secundum totum suum posse. In statu vero naturae lapsae, quia habet corpus corruptibile et animale, impeditur et aggravatur ex terrena inhabitatione, ne possit in ipsam lucem intendere perfecte. In statu vero naturae institutae medio modo se habebat, quia [a] corpus Adae, etsi non esset subiectum necessitati moriendi et passibilitati [b] [1], erat tamen indigens alimoniis [2] et oportebat animam circa regimen et vegetationem sui corporis aliquando occupari, et ideo nec adeo excellenter intuebatur primus homo Deum sicut beati intuentur in gloria nec adeo exiliter sicut viri sancti intuentur in praesenti miseria. Hanc autem positionem ex auctoritatibus Augustini volunt elicere, qui dicit, in libro *De Trinitate*, scilicet [c] VIII [3], quod etiam in praesenti vita potest homo « notiorem habere Deum quam fratrem »; et docet in eodem per contuitum veritatis et bonitatis intueri Deum; et etiam alibi [4] dicit quod « a purgatissimis mentibus cernitur ». — Haec autem positio non est sustinenda, quia [d] auctoritatibus sanctorum non consonat. Dicit enim Dionysius, in libro [e] *De mystica theologia* [5], quod excellentissimus modus contemplandi est ignote ascendere, quia nec ipse Moyses Deum valuit videre, et ideo introductus dicitur fuisse in caliginem. Unde Dionysius [6] vocat eos indoctos qui dicunt se nosse eum, qui *posuit tenebras latibulum suum* [7] etc.; Augustinus, VIII *De Trinitate* [8]: Veritatem ipsam, qua creata sunt, non potest intueri; et loquitur de cognitione in via. Et Gregorius [9] dicit quod, « quantumcumque mens in contemplatione profecerit, non pervenit ad contuitum Dei ». Et communiter Doctores in hoc concordant, intelligentes illud quod dicit Apostolus, quod *quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino et per fidem ambulamus, non per speciem* [f], II Cor. 5, 6. — Unde, si quae auctoritates id dicere inveniantur quod Deus in praesenti ab homine videtur et cernitur, non sunt intelligendae quod videtur in sua essentia, sed quod in aliquo effectu interiori [g] cognoscitur, nisi fortassis in iis qui rapiuntur, sicut aestimatur fuisse in Paulo [10], qui quadam specialitate privilegiata statum viatorum in via supergrediuntur, ubi non aliquid agunt, sed solum aguntur.

Alii autem ponunt quod in patria videtur Deus immediate et plene sive perfecte, quantum [h] est ex parte videntis; in statu miseriae mediate et diminute; in statu innocentiae medio modo, scilicet immediate et diminute. Diminute, dico, in statu innocentiae, quia plena visio et perfecta est plena et perfecta remuneratio, quae adhuc non competebat meritis primi hominis; immediate autem, quia nullam habebat velaminis interpositionem. Et hoc videntur sentire verba Hugonis dicentis quod « cognovit homo Creatorem suum, non ea cognitione qua Deus modo a credentibus » etc., ut supra [11]; per hoc quod dicit « sed ea qua [i] tunc per praesentiam contemplationis scienti manifestus cernebatur », insinuatur nullum fuisse velamen ex parte contemplantis, quia tunc est praesentia contemplati [k] quodam modo in contemplatione, quando nullum velamen ex parte contemplantis impedit quin templum templo coniungatur. Et hoc idem vult Magister, IV libro *Sententiarum*, dist. 1, cap. *Triplici autem* [12], dicens: « Homo, qui ante peccatum Deum sine medio videbat, per peccatum a Deo abiit ». Non est ergo intelligendum quod homo in statu innocentiae videret Deum in sua essentia sive facie ad faciem, sed in quadam claritate non obnubilata, in qua quidem claritate longe manifestius [l] apparuit et cernebatur Deus quam *in speculo et aenigmate*. Unde illa evidentia visionis in quamdam certitudinem scientiae inducebat [m], secundum Hugonem [13].

Tenendum est igitur quod cognitio status innocentiae media est inter cognitionem status gloriae et status miseriae, sicut et locus paradisi medius est inter [n] hanc vallem miseriae et patriam caelestem, et quemadmodum paradisus terrestris plus se tenet cum terra quam cum caelo [14], sic Adae cognitio sive status innocentiae plus conformis est cognitioni status praesentis quam futuri. Unde in solo statu gloriae videbitur Deus immediate in sui substantia. Unde rationes inductae pro illa parte sunt concedendae. Quod autem in statu innocentiae videbatur Deus medio aliquo et quo, infra dicetur [15].

---

[a] Ita VF, alii *quod*. [b] Ita F, alii *possibilitati*. [c] V om. [d] T *quod*. [e] R om. *l. l.* [f] Ita V, alii *spem*. [g] V *in exteriori*. [h] L *quod*. [i] Z *que*. [k] LZ *contemplanti*. [l] V *manifestus*; L om. *claritate*. [m] T *induebat*. [n] T *in*.

1 Cf. supra, num. 464-473.
2 Cf. supra, p. 590, sub *Respondeo*.
3 Cap. 8, n. 12 (PL 42, 957).
4 Cf. *De Trinit.*, I, c. 2, n. 4 (PL 42, 822).
5 Cap. 1, § 1 (PG 3, 998sq., PL 122, 1173sq.).
6 Cf. loc. cit., c. 1, § 2 (PG 3, 999, PL 122, 1173).
7 Psalm. 17, 12. 8 Cap. 1 (PL 42, 947).
9 Cf. *In Ezech.*, II, hom. 2, n. 14 (PL 76, 956).
10 Cf. II Cor. 12, 2sqq.
11 Cf. supra, sub n. 1.
12 Cap. 5 (p. 747).
13 Loc. cit.
14 Cf. supra, num. 462.
15 Cf. infra, num. 518.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur contra [a] hoc, patet responsio ex dictis.

2. Ad illud Exodi *'loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem'*, respondendum est secundum Glossam Interlinearem[1], quae est: « Manifesta visione »; et alia Glossa[2] dicit: « Secundum opinionem populi loquitur Scriptura, qui putabat Moysen ore ad os loqui cum Deo, cum per subiectam creaturam, quasi [b] per angelum et nubem ei loqueretur et appareret. Nam [c] eius substantiam nec hominum nec angelorum quisquam sicut est videre potuit ».

3. Ad hoc quod obicitur de illo Num. 12, 8 *'palam, et non per aenigmata'* etc.: dicendum quod est videre palam in via et palam [d] in patria et est differens visio haec et illa. — Quod sic patet: Est autem videre tripliciter[3]: per aenigma, id est per similitudinem obscuram, et hoc visione corporali; per figuram, hoc est [e] per formam, a materia etsi non a conditionibus materiae abstractam, et haec est visio per imaginem [f], hoc est per formam spiritualem, quae dicitur imago, quia ductiva est in aliud cuius est forma vel [g] species; tertio modo est videre visione intellectuali: et [h] est visio intellectualis, cum aliquid mente conspicimus, non per imagines, sed *sicut est,* sicut habetur in *Prologo Apocalypsis*[4]; sic autem videre est videre palam in via, quia sic videre est [i] perfecte videre in via secundum quod possibile est; videre autem per speciem, hoc est videre sine medio ipsam lucem spiritualem per speciem quae ipsa est, est videre palam in patria. *Vidit* ergo Moyses *Deum palam,* id est visione intellectuali.

Si obiciatur quod videre aliquid visione intellectuali [k] est videre aliquid sicut est, ergo Moyses vidit Deum sicut est, hoc est per speciem – dicendum quod est 'videre sicut est' duobus modis: uno modo per speciem, et hoc modo neque Moyses neque primus homo vidit Deum; alio modo per effectum: verbi gratia, est intelligere illum praesentem animae, non per imaginem aliquam, sed per aliquam influentiam, quae [l] est ab ipso solo, et immediate, ut in manifestatione alicuius veritatis vel infusione alicuius suavitatis vel ex aliquo inconsueto effectu, ex quo evidenter cognoscitur [m] bonitas vel sapientia Dei efficientis vel operantis: et hoc modo poterat videre Deum sicut est.

4. Ad hoc quod obicitur, scilicet quod fruebatur etc.: dicendum quod est fruitio viae et patriae. Primus homo in statu illo non fruebatur Deo fruitione patriae, quae requirit visionem secundum speciem, sed viae, modo tamen perfectiore quam iusti post lapsum, quia perfectius adhaerebat Deo, nullo existente impedimento divisionis [n] in ipso, quod revocaret vel tardaret ipsum ab adhaerentia perfecta.

5. Ad illud quod obicitur quod 'amabat Deum immediate' etc.: dicendum quod non est simile. Amor enim, sicut vult Bernardus[5], multo plus se extendit quam visio: sola enim aestimatione sequitur dilectio. Et ipse etiam dicit, in libro *De amore Dei*[6], quod ubi deficit intellectus, ibi proficit affectus. Et ratio huius est, quia visio est solummodo rei praesentis, sed dilectio [o] non solummodo rei praesentis, sed etiam absentis. Praeterea, visio huiusmodi non dicit qualemcumque modum cognoscendi, sed modum cognoscendi completum; dilectio [p] vero et perfecta potest esse et imperfecta: ideo, quamvis immediata sit [q] Dei dilectio in via, non tamen oportet quod visio sive cognitio sit immediata.

6. Ad aliud [r] quod obicitur quod 'desiderabat videre Deum' etc.: dicendum quod desiderabat videre Deum [s] eo modo quo ratio recta dictabat. Non enim dictabat ratio recta eum in statu illo debere desiderare illam visionem quae est per speciem, quae est perfecta merces beatorum, sed illam quae intellectualis dicitur, qua reficiebatur et delectabatur secundum quod statui illi competebat. Hac ergo visione desiderabat videre Deum in statu illo; illa [t] quae est per speciem desiderabat videre in statu gloriae sive ultimae beatitudinis.

7. Et per hoc patet responsio ad aliud quod sequitur, quod 'in paradiso non aberat quidquam quod bona voluntas adipisceretur' etc. [u], quia bona voluntas dicitur illa quae est ordinata secundum dictamen rationis rectae.

8. Ad hoc quod obicitur quod 'in statu illo nihil erat propinquius mente humana' etc.: dicendum quod revera nihil erat propinquius iuxta quod exigit propinquitas status naturae, quia nihil secundum esse naturale erat propinquius; non tamen erat in illa propinquitate quam requirit status gloriae. Unde erat in propinquitate quadam, promovenda nihilominus ad propinquitatem

---

[a] V om. [b] V *id est.* [c] LZ *anima.* [d] V om. [e] V om. *c. p. f. h. e.* [f] Z add. *et.* [g] V om., Z *et.* [h] T *ut.* [i] S om. *videre... est.* [k] L om. *si... intellectuali.* [l] T om. [m] V add. *quod.* [n] R *dimissionis.* [o] Ita F (corr.), alii *delectatio.* [p] ST *delectatio.* [q] Ita VF (corr.), alii om. [r] L *illud.* [s] Ita V, alii *eum.* [t] Z om. [u] R om.

[1] Ap. Lyran., in h. l.
[2] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
[3] Cf. Augustin., *De Gen. ad litt.*, XII, c. 1 (PL 34, 459 sq.); Alex. Hal., *Summa theol.*, I, num. 11.
[4] *Prolog. Gilbert. Pictav. in Apocal.*, ap. Lyran.
[5] Rectius Gulielm., Abbas S. Theoderici, *De natura et dignitate amoris*, c. 8, n. 17 (PL 184, 313).
[6] Loc. cit., n. 21 (PL 184, 313).

ulteriorem: erat enim in similitudine gratiae, sed perducenda erat ad deiformitatem gloriae, in qua non solum aspiceret divinum effectum, sed etiam ipsum vultum desideratum; illa autem propinquitas [a], in qua erat Adam in illo statu, non ponit [b] aspectum mentis illius immediate figi [c] in lucem aeternam.

Ad duo ultimo obiecta pro alia parte, quia [d] illis mediis concluditur Deum in nullo statu videri per speciem sive per essentiam, respondendum est.

f. Et primo ad illud [e] quod obicitur quod 'cognoscens habet potentiam super cognoscibile' etc.: dicendum quod anima in videndo Deum non agit in Deum; unde non est necesse quod sit potens super cognoscibile. Unde sicut visio materialis potius est in suscipiendo quam in agendo, et maxime cum videtur lumen vel luminosum, quia tunc videtur per se in transmittendo [1], ita est in proposito. — Ad illud [f] quod subditur quod 'intellectus creatus non potest in lucem increatam, quae est infinita': dicendum quod lux illa, licet sit infinita, tamen quia est in ratione finis, ad quem [g] ut ad suum optimum ordinatus est intellectus humanus, potest in illam sicut perfectibile [h] sive possibile in suum finem, non tamen in quantum est infinitum, sed in quantum est finis.

g. Ad illud [2] quod obicitur quod 'cognoscentis ad cognoscibile debet esse proportio' etc.: dicendum quod in visione Dei non requiritur proportio quantitativa, scilicet quantum ad infinitatem [i], sed sufficit conformitas similitudinis expressae, secundum cuius [k] maiorem et minorem participationem erit ordo in [l] gradibus praemiorum in gloria; proportio autem requiritur, ubi excellentia rei visibilis offendit [m] vel obtundit. Unde aliqui [3] posuerunt Deum videri per medium deducens sive contemperans, ne per excellentiam lucis obtunderetur acies intellectus et potius deiceretur quam laetificaretur [n]. — Sed hoc ponere non est sanum nec habet rationem, quia lumen illud potius est salvativum quam corruptivum; unde excellentia in nullo obest, sed potius confert. Et quia *pax et gaudium* et lux illa *superat omnem sensum* [4], ideo homo totus undique completur ut nihil aliud quaerat, sed potius absorbeatur ipsa nostra intelligentia ab eminentia lucis sicut et ipsa nostra affectio a *torrente voluptatis* [5].

ARTICULUS II. 518

Utrum Adam cognoverit Deum per speculum creaturae [6].

Sequitur inquirere utrum Adam cognoverit Deum per speculum creaturae.

Quod sic, videtur: *a.* Quia alius est status viae et alius status patriae et similiter modus videndi alius et alius; sed modus videndi qui est patriae, est sine medio et modus videndi qui est [o] viae, est per medium; medium autem illud non est aliud quam speculum creaturae [p]; sed Adam erat viator [q]; ergo etc.

b. Item, Damascenus, II libro [7]: « Hunc posuit in paradiso et intelligibili et sensibili. In sensibili enim super terram dietabatur corporaliter, mentaliter [r] cum angelis conversabatur et divinis intelligentiis, et iis nutriebatur; nudus simplicitate et inartificialis vita, ad solum Conditorem per creaturas inducebatur [s] et eius contemplatione voluptabatur ».

Contra: 1. Visio per speculum est per medium; tunc autem nihil erat Deo coniunctius vel [t] immediatius anima humana, maxime quantum ad illam partem qua contemplabatur Deum, maxime in statu illo in quo non erat nubes vel velamen aliquod in anima demerito peccati [8]; ergo anima se ipsa speculabatur Deum, non manuductione speculi alicuius; ergo etc.

2. Hoc idem videtur per verbum Magistri, IV *Sententiarum*, dist. 1 [9], dicentis: « Homo ante peccatum sine medio Deum videbat ».

3. Item, quanto aliquid expressius repraesentat aliquid, tanto manifestius ducit in cognitionem illius, et quanto minus, minus; sed anima humana sive homo expressissime Deum repraesentat et maxime quantum ad mentem qua intuetur Deum, quae est expressissima [u] imago eius [10]; ergo manifestissime ducit in cognitionem eius; ergo

---

[a] V *propinquitate.* [b] V *potuit.* [c] V om. *i. f.* [d] R *qua.* [e] Ita V, alii om. [f] Ita V, alii om. [g] V *quam.* [h] Ita F (corr.), alii *perfectibilem.* [i] L *finitatem.* [k] Ita F (corr.), alii *eius.* [l] L om. [m] Ita F, S om., alii *ostendit;* VRL *et* pro *vel:* [n] Codd. *sensificaretur.* [o] S om. *patriae... est.* [p] F add. *ergo etc.* [q] V om. *s. A. e. v.* [r] Codd. *animaliter.* [s] Ita F (corr.), alii *induebatur.* [t] ST *et,* quod L corr. [u] Ita V, alii *expressissime.*

1 Cf. supra, p. 335b.
2 Cf. S. Bonav., loc. cit., p. 546b.
3 Cf. supra, p. 765, not. 11 et 12.
4 Rom. 14, 17; Philip. 4, 7.
5 Psalm. 35, 9.
6 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.,* I, num. 18-19.
7 Cf. *De fide orthod.,* II, c. 11 (PG 94, 915).
8 Cf. supra, p. 764, n. 8.
9 Cap. 5 (p. 747).
10 Cf. supra, num. 337.

se ipso luculentius videret Deum quam manuductione alicuius creaturae, maxime si esset omnino absque velamine et obnubilatione, quam contraxit ex corruptione carnis, qualis fuit anima Adae in illo statu; ergo, si quanto status est nobilior, tanto limpidius videtur Deus et tanto assurgit oculus mentis ad modum videndi altiorem et perfectiorem [a], videtur quod in illo statu tam nobili oculus mentis primi hominis assurgebat ad intuitum illum pro posse suo qui fuit nobilior et perfectior, et ita non convertebat se sive declinabat ad videndum [b] Deum per creaturas inferiores; ergo etc.

4. Item, idem [c] habetur ab Anselmo, in [d] *Monologion* [1], qui dicit: « Certum est quia per illud magis ad cognitionem eius acceditur quod illi magis per similitudinem propinquat. Quidquid enim inter creata constat illi [e] esse similius [f], id necesse est esse natura praestantius. Quapropter id et per maiorem similitudinem plus movet [g] et iuvat mentem indagantem summae veritati propinquare et per excellentiorem creatam essentiam plus docet quid de creante mens ipsa debeat aestimare. Procul dubio itaque tanto altius creatrix essentia cognoscitur, quanto per [h] propinquiorem sibi creaturam indagatur ». Ex hoc videtur quod, si primus homo vel quicumque alius convertisset se ad inferiora se [i] ad Deum speculandum, elongasset se ab eius cognitione: quod esset inconveniens in statu illo.

Respondeo [2]: Ad evidentiam eorum quae hic quaesita sunt nota quod multiplex est visio: quaedam enim est [k] fidei, quaedam [l] intellectualis sive contemplativa, quaedam per apparitionem in creatura, quaedam per [m] apertam visionem. Prima est gratiae communis, secunda est gratiae excellentis, tertia est [n] gratiae specialis, quarta est gratiae consummantis sive perfectae. Distinctio autem istorum modorum sic habetur: omne quod cognoscitur cognitione intellectiva, cognoscitur per aliquid praesens intellectui. Et voco hoc [o] praesens, secundum quod vocat Augustinus [3], quod praesens est intellectui ad videndum. Praesens vero potest esse intellectui per manifestationem factam per verbum, per effectum, per signum, per speciem [4]. Praesens autem fit Deus intellectui per manifestationem factam per verbum in visione fidei: per verbum, dico, duplex, scilicet expressionis vocalis et inspirationis, id est exterius et interius. Quod autem Deus sit trinus [p] et unus, hoc ego credo Dei Filio, qui hoc enarravit et praedicavit, et Spiritui Sancto qui hoc inspiravit [5]. Quod enim credimus debetur auctoritati, sicut dicit Augustinus, *De utilitate credendi* [6]. — Per manifestationem autem in effectu fit praesens in visione contemplativa sive speculativa. Per hoc enim quod Deus est praesens in effectu proprio, videt anima Deum, non in sua essentia vel specie, sed in aliquo effectu gratiae sive influentiae quam in se per experientiam sentit [q], et hoc visione contemplationis sive speculationis, quae tanto [r] est evidentior, quanto effectum divinae gratiae magis sentit in se homo vel quanto etiam melius scit considerare Deum in exterioribus creaturis. — Per manifestationem autem in signo fit praesens intellectui in visione apparitionis: hac visione vidit Abraham Deum, quando « tres vidit et unum adoravit [7] », Gen. 18, 2. Haec apparitio solet fieri in subiecta creatura, quae ipsum Deum significat [s], et sic Spiritus Sanctus apparuit in columba, Matth. 3, 17. — Per manifestationem in propria luce fit praesens intellectui in visione aperta sive per speciem, qua videtur Deus facie ad faciem.

Praeter hos modos videndi Deum, qui sunt a gratia, est modus quidam naturalis, scilicet per speculum creaturarum. Naturalis, dico, quia cognitio existendi Deum, naturaliter inserta, per hunc modum in actum perducitur [8]. Dicit enim Damascenus [9]: « Omnibus cognitio existendi Deum ab ipso naturaliter inserta est ». Cognitio autem ista sive visio duplex est, scilicet per considerationem et relucentiam Dei in imagine et per considerationem et relucentiam in vestigio. Unde Hugo, *De sacramentis* [10]: « Ratio humana duplici investigatione Deum deprehendit, partim videlicet in se, partim in eis quae extant extra se ». Aptissime tamen dicitur speculum anima sive mens rationalis et efficacissime ducens ad Deum cognoscendum. Unde Anselmus, in *Monologion* [t 11]: « Sicut sola est mens rationalis inter omnes creaturas quae ad eius investigationem assurgere valeat,

---

[a] S om. *e. p.* [b] R *vertendum.* [c] Ita F (mg.), alii om. [d] T om. [e] VS (corr.) *illo.* [f] Ita F (corr.), alii *liberius.* [g] T *moveret.* [h] L om. [i] F exp. [k] S om. [l] Ita V, alii add. *est.* [m] V om. *a. i. c. q. p.* [n] V om. [o] Z *hic.* [p] Ita F (corr.), alii *trinitas.* [q] V *sensit.* [r] R *quanto*, quod F corr. [s] V *glorificat*, STFZ *glorificabat*, R *glorificabit*, L (corr. mg.) *significabat.* [t] Ita F (corr.), alii *Moralibus.*

1 Cap. 66 (PL 158, 212).
2 Cf. Alex. Hal., *Summa theol.*, I, p. 21; S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 3 (II, 545), ubi varia sequentis responsionis verbotenus occurrunt.
3 Cf. *De civit. Dei*, XI, c. 3 (PL 41, 318); *In Ioan.*, I, n. 19 (PL 35, 1388); *De Trinit.*, X, c. 9 (PL 42, 980).
4 Cf. Alex. Hal., loc. cit., p. 743, *ad 4.*
5 Cf. Ioan. 1, 18; II Petri 1, 21.
6 Cap. 11 (PL 42, 83).
7 Ex II Resp. I Noct. Dom. in Quinquagesima.
8 Cf. Alex. Hal., loc. cit., num. 26.
9 *De fide orthod.*, I, c. 1 (PG 94, 790).
10 Lib. I, p. 3, c. 3 (PL 176, 217).
11 Cap. 66 (PL 158, 213).

ita nihilominus eadem sola est per quam maxime ipsamet ad eiusdem inventionem proficere queat».

Omnibus autem iis modis cognovit primus homo Deum ante lapsum. — Quod visione hac ultima, patet per verbum Damasceni supra dictum [1]. — Quod visione fidei, patet ex supra dictis in Quaestione de fide illius [2]. — Quod visione intellectuali sive contemplativa, habetur ab Augustino, *Super Genesim ad litteram* [3], et in Glossa [4] super illud Gen. 3, 8: *Cum audissent vocem Domini deambulantis* etc.; dicitur enim ibi [a]: « Fortassis enim [b] intrinsecus effabilibus vel ineffabilibus modis Deus illis antea loquebatur sicut angelis, immutabili veritate illustrans mentes eorum, ubi est intellectus, nosse simul quaecumque per tempora non fiunt simul. Forte, inquam, sic eis loquebatur, et si non tanta participatione divinae [c] sapientiae quanta capiunt angeli, tamen humano modulo minus, sed in ipso genere locutionis [d] ». — Quod visione apparitionis, habetur consequenter in eadem Glossa Augustini [5], ubi dicit: « Quod Dei [e] deambulantis vocem audierunt, nonnisi per creaturam factum est, ne substantia invisibilis et ubique tota, quae est Patris et Filii et Spiritus Sancti, corporalibus sensibus et temporali [f] motu apparuisse credatur ». Omnibus ergo modis praetactis, illo solo excepto qui est per speciem, vidit Deum.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo [g] obicitur contra hoc quod 'visio per speculum est per medium et nihil erat medium [h] inter Deum et animam' etc.: dicendum quod huiusmodi immediatio non impedit visionem per speculum, quia videre Deum considerando se, est videre per speculum, quia ipsa mens sive anima [i] speculum est [6]. Unde Anselmus, in *Monologion* [7]: « Aptissime ipsa rationalis sibimet esse [k] velut speculum dici potest, in qua speculatur, ut ita dicam, imaginem eius quem [l] facie ad faciem videre [m] nequit ». Praeterea, licet ipsa mens secundum suam essentiam sit coniunctissima Deo, tamen inter mentem, in quantum est speculans Deum in se vel per se, est aliquid quasi medium, quia ipsa ut est imago ducens animam speculantem et dirigentem in Deum. Praeterea, hoc argumentum non valet: 'anima Adae se ipsa speculabatur Deum, non ergo manuductione alicuius creaturae inferioris', quia, ut patet ex dictis [8], et per speculum, quod est vestigium et quod est imago, videtur Deus a creatura rationali.

2. Ad illud quod [n] obicitur per verbum Magistri *Sententiarum*, dicentis: « Homo ante peccatum sine medio Deum videbat », dicendum quod multiplex est medium secundum multiplicitatem status humani: est enim medium conferens et est medium impediens. Medium conferens [o] est duplex, scilicet disponens et deducens. Medio disponente videtur Deus in patria, quia anima in patria mediante deiformitate et influentia gloriae disponetur ad hoc quod clarissime possit Deum in se ipso videre: deiformitas enim gloriae sufficiens est [p] dispositio ad hoc quod anima Deum in se possit videre [9]. Medio deducente videbatur Deus in statu naturae conditae et in statu naturae lapsae: in utroque enim statu per speculum creaturarum ducebatur anima ad cognitionem Creatoris. Sed in statu naturae conditae non erat medium impediens, scilicet [q] velamen sive tenebra peccati, sicut in statu naturae lapsae. In statu vero innocentiae et naturae [r] lapsae videtur Deus mediante speculo, sed differenter, quia in statu innocentiae videbatur Deus per speculum clarum: nulla enim erat in anima peccati nebula. In statu vero miseriae videtur per speculum obscuratum per peccatum primi hominis, et ideo nunc [s] videtur per *speculum et in* [t] *aenigmate* [10]: aenigma enim, sicut dicit Augustinus, in XV *De Trinitate* [u] [11], est similitudo obscura.

3. Ad aliud quod obicitur quod 'mens sive anima humana expressissime Deum repraesentat et manifestissime [v] ducit in cognitionem Dei' etc.: dicendum quod sicut melius et manifestius declaratur divina potentia, sapientia et bonitas ex conditione, gubernatione et sustentatione eorum in quibus est reperire imaginem Dei et in quibus est reperire vestigium, quam declaretur ex conditione, gubernatione et [x] sustentatione eorum quae sunt ad imaginem Dei, aliis non existentibus, ita perfectius et manifestius ducitur mens in cognitionem Dei per speculum creaturarum, quae Deum repraesentant per imaginem et vestigium, quam duceretur per speculum eorum quae sunt ad imaginem tantum. Unde primus homo, videndo Deum per utrumque speculum, in perfectiorem et manifestiorem assurgebat cognitionem quam si tantum [y] per alterum vidisset.

---

[a] Ita VF (interl.), alii om.; V *dicit* pro *dicitur*. [b] F *et*. [c] S vacat *p. d.* [d] V *sonis*. [e] SL *quoddam* pro *q. D.* [f] Z *temperati*. [g] L om. [h] L om. *e. n. e. m.* [i] SL add. *per*. [k] L *ipsa*, R *esset*, quod F corr. [l] Ita V, F (corr). Z *qui*, STRL *que*. [m] F (corr.) *videri*. [n] L om. [o] R om. *et est... conferens*. [p] S om. [q] Ita F (corr.) Z, alii *sed*. [r] Z *non*. [s] Z *non*. [t] S om. [u] Ita F (interl.), alii om. *D. T.* [v] Ita F (corr.), alii *manifeste*. [x] Ita F (interl.), alii om. [y] Ita F (corr.), alii *totum*.

1 Cf. supra, p. 767, nota 7.
2 Cf. supra, num. 512.
3 Cf. lib. VIII, c. 27 (PL 34, 392).
4 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
5 Loc. cit.
6 Cf. supra, p. 265, *ad 9-11*.
7 Cap. 67 (PL 158, 213).
8 Cf. supra, p. 768b.
9 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 3, *ad 6* (II, 546b).
10 I Cor. 13, 12.
11 Cap. 9, n. 16 (PL 42, 1069).

4. Ad illud quod obicitur ad idem per Anselmum, patet responsio. — Ad id[a] quod additur quod 'conversio mentis ad speculandum Deum per creaturas inferiores est elongatio quaedam a perfectiori cognitione': dicendum quod hoc non est verum, immo potius est progressus[b] ulterior in cognitione. Speculatio enim[c] Dei per relucentiam in vestigio nihil subtrahit illi quae est per relucentiam in imagine, immo addit ad illam, quia ex hac[d] luculentius cognoscitur divina potestas, sapientia et bonitas, ut tactum est[1].

CAPUT II.

DE COGNITIONE CREATURARUM.

Dicto de cognitione primi hominis quantum ad Creatorem, dicendum est de cognitione eiusdem quantum ad creaturam. Supposito ergo, quod supra determinatum est[2], quod primus homo[e] conditus fuit perfectus in scientia, duo adhuc[f] restant quaerenda:

Primum est utrum, si stetisset, profecisset in cognitione;

secundum est[g] utrum posset in cognitione errare.

519 ARTICULUS I.

Utrum Adam, si stetisset, profecisset in cognitione[3].

Quod autem profecisset, videtur sic: *a.* Adam, si stetisset[h], per intervalla temporum profecisset ad gratiam et in gratia, alioquin peior esset sua conditio quam nostra, cum nos multiplici merito crescamus in[i] gratia[4]; ergo pari ratione per intervalla temporum profecisset[k] in rerum notitia.

b. Item, aut Adam sciebat quae ventura erant aut non sciebat. Si sic: ergo praescivit lapsum suum et quid ex illo posteris suis esset eventurum; quod plane apparet esse falsum[5]. Si futura non cognoscebat, et rerum naturae variantur in tempore: ergo multa incipiebat cognoscere secundum temporum variationem; ergo profecisset in cognitione.

c. Item, nec[l] Adam omnia[m] viderat nec omnia audierat. Esto igitur quod videret aliquam rem, quam prius non vidisset, cum videre sit cognoscere, sicut intelligere, videtur quod sicut necessario sequitur: si incepit intelligere, incepit cognoscere, similiter si incepit videre, incepit cognoscere. Si ergo multa sensibilia vidisset, quae prius non viderat, videtur quod multa didicisset sensibilia per temporis intervalla.

d. Item, si homo stetisset, aut unus homo sciret voluntatem et cogitationem alterius aut non. Si sic: ergo frustra egeret sermone. Si non: ergo, cum posset ab alio[n] edoceri, videtur quod in statu innocentiae multa discere potuisset.

Contra: 1. In illa felicitate prima nihil defuit homini primo quod habere volebat; unde Augustinus, *De civitate Dei*, XIV[6]: « Nec aberat[o] quidquam quod bona voluntas adipisceretur »; ergo habebat omnem scientiam[p] quam habere volebat et scientiarum perfectionem; ergo non erat in voluntate proficiendi; ergo non profecisset.

2. Item, non[q] profecisset per temporum intervalla nisi fuisset in voluntate et spe proficiendi[r]; sed dicitur Prov. 13, 12: *Spes, quae differtur, affligit animam;* ergo, si fuisset in spe proficiendi per temporum intervalla, cum[s] spei dilatio non est sine afflictione, afflictus esset in statu illo; quod non est verum.

3. Item, si profecisset per temporum intervalla, hoc contigisset vel per doctrinam vel per inventionem: quaecumque enim scimus, ut dicit Philosophus[7], aut addiscendo[t] aut inveniendo scimus; sed non doctrina: non est enim[u] verisimile, immo rationi dissonum, quod aliquis successisset illi cuius doctrina profecisset; ergo profecisset[v] inventione; sed hoc esse non posset sine sollicitudine et poena, quae in statu illo non fuisset; ergo etc.

---

[a] F om. [b] RZ *progressio.* [c] V add. *est;* R *dicitur* pro *Dei.* [d] V *quod ex hoc* pro *q. e. h.;* L *que* pro *quia.* [e] T om. [f] T *ad hec.* [g] Ita V, alii *autem.* [h] L om. *videtur... stetisset.* [i] Z om. [k] F add. *et.* [l] Ita F (corr.), L *sed,* alii *si.* [m] L add. mg. *non.* [n] Z *eo.* [o] L *haberet.* [p] VSRZ *substantiam,* quod alii corr. [q] V om. [r] R om. [s] V *et.* [t] T *discendo.* [u] L add. *simile.* [v] S om. *e. p.*

[1] Cf. supra, *ad 3.* [2] Cf. supra, num. 516.
[3] Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 1 (II, 537sq.), ubi verbotenus occurrunt argumenta *a-d* et 5, *Responsio* et partim solutio *ad 5.*
[4] Cf. supra, num. 514.
[5] Cf. supra, p. 753, *ad 3.*
[6] Cap. 10 (PL 41, 417).
[7] *Metaph.*, I, c. 1 (II, 468).

4. Item, conditus fuit in perfectione corporali [a] completa et completione tanta ultra quam non profecisset; a simili videtur de completione animae quantum ad ea quae sunt naturae sive in quae potest natura. Sicut enim conditus fuit in perfectione corporali, in quam potuit natura in illo, ita, ut [b] videtur, in perfectione animae, in quam potuit natura in illo; ergo non profecisset neque per doctrinam neque per inventionem.

5. Item, quidquid homo addiscit, addiscit mediante via sensus, memoriae et [c] experientiae [1], et ita ab inferiori et ab [d] exteriori. Si igitur homo in statu innocentiae didicisset [e], per inferiora et exteriora ad perfectionem venisset; sed talis ordo non congruit [f] naturae institutae et bene ordinatae, sed solum lapsae, cum omni creaturae praeesset; videtur ergo quod nihil sensibilium in statu illo didicisset.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam notandum quod profectus scientiae triplici via potest considerari: vel a parte scibilium [g] vel a parte modorum sciendi sive cognoscendi vel a parte maioris habilitatis in cognoscendo. — Secundum primum modum loquendo, intelligendum est quod quaedam sunt res quae fiunt cursu naturali, quaedam quae fiunt cursu mirabili sive supernaturali, quaedam quae fiunt cursu voluntario, secundum quod determinat Anselmus [2].

In earum [h] ergo rerum cognitione, quae fiunt cursu naturali, non profecisset Adam quantum ad novi habitus acquisitionem. Accepit enim, sicut habetur ab Hugone [3] et Magistro *Sententiarum* [4], « a sui exordio omnium generum [i] rerum plenam notitiam ». Proficere tamen potuisset quantum ad alium modum cognoscendi et quantum ad habitum perfectiorem sciendi. — Quantum ad alium modum, dico quod proficere poterat, quia quod noverat simplici notitia, cognoscere [k] poterat experientia; quod noverat intellectu, cognoscere poterat et sensu. — Proficere etiam poterat quantum ad maiorem habilitationem, quia ex frequenti consideratione rerum, quas noverat, promptior fuisset et paratior ad iudicandum de eisdem quarum habebat cognitionem per habitum innatum [5]. Et, licet primus homo non haberet tarditatem hebetudinis propter aggravationem corporis corrupti, habebat tamen spiritus eius velocitatem tardiorem sive minorem propter corporis animalis vegetabilitatem. Et sic in cognitione rerum naturalium Adam quodam modo profecisset, quodam modo minime, si stetisset.

In earum vero rerum cognitione, quae fiunt cursu voluntario et mirabili sive supernaturali, simpliciter proficere potuisset, non solum quantum ad modum cognoscendi, sed etiam in acquirendo novam cognitionem. Nec mirum, quia ad hoc quod cognosceret divina mysteria, indigebat superna illustratione; ad hoc vero quod cognosceret secreta alterius, indigebat ipsius detectione. Nec talis profectus statui innocentiae derogabat, cum etiam beati angeli in cognitione divinorum mysteriorum et humanorum secretorum proficiant; propter quod dicitur Eph. 3, 10: *Ut innotescat principibus et potestatibus per ecclesiam multiformis sapientia [l] Dei.*

Et sic patet responsio ad propositam quaestionem, quia, si homo stetisset, per temporum intervalla in cognitione profecisset.

[Ad obiecta]: 1. Ad primum quod obicitur contra hoc, scilicet quod 'nihil deficiebat primo homini quod volebat' etc.: dicendum quod hoc verum est quantum ad tunc temporis in quo volebat; semper enim habebat quod volebat habere tempore illo quo volebat [6], sed hoc non impedit quin vellet aliquid habere tempore [m] consequenti, quod defuit illi tempore praecedenti.

2. Ad aliud quod obicitur quod '*spes, quae differtur, affligit animam*' etc.: dicendum quod secus est de dilatione spei in statu naturae lapsae [n] et in statu naturae conditae [o]. Licet enim dilatio spei affligat in statu naturae lapsae [p], non sic fuit in statu naturae conditae; cuius ratio est quod nihil tunc desiderabat, neque [q] quantum ad rem desideratam neque quantum ad tempus assecutionis desiderati, nisi secundum dictamen rectae rationis: et propter hoc, etsi quid tunc sperabatur, quia assecutio sperati non appetebatur ante tempus assecutionis eiusdem iuxta quod dictabat ratio illud fore assequendum, nulla [r] fuisset afflictio ex spei dilatione.

3. Ad illud quod obicitur quod 'neque per doctrinam neque per inventionem profecisset': dicendum quod extenso nomine 'doctrinae', eo modo quo addiscimus a magistro interiori [s], secundum quod dicit Augustinus, in libro *De magistro* [t] [7], et etiam a quocumque detegente nobis secreta mentis suae, profecisset per doctrinam.

---

[a] S *perfectione corruptibili* pro *i. p c.* [b] S om. [c] T om. [d] Z om. [e] Z *addidicisset.* [f] R *convenit.* [g] V *sensibilium.* [h] Ita V, alii *eorum.* [i] R *gratiam.* [k] Ita F (corr.), alii *cognosci.* [l] Codd. *sapientie.* [m] F om. [n] Z add. mg. *licet enim dilatio spei in statu nature affligat;* L add. mg. *licet enim dilatio spei affligat in statu nature lapse.* [o] L add. mg. *non sic fuit in statu nature condite.* [p] TZ add. *et in statu nature condite.* [q] Ita F (corr.), alii *in.* [r] F add. mg. *fuit nec.* [s] Ita F (corr.), alii *exteriori.* [t] R *magisterio.*

1 Cf. Aristot., *Anal. Poster.*, I, c. 18 et II, c. 15 (I, 139, 170).
2 *De conc. virg.*, c. 11 (PL 158, 446).
3 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, cc. 12-15 (PL 176, 270 sqq.).
4 Lib. II, d. 23, c. 4 (p. 417 sq.).
5 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 1, p. 2, a. 3, q. 2 (II, 50a).
6 Cf. Augustin., *De civit. Dei*, XIV, c. 15, n. 2 (PL 41, 423).
7 Cap. 12, n. 40 (PL 32, 1217).

Similiter forte per inventionem profecisset. Nec fuisset[a] illi sollicitudo inveniendi[b] poenalis sicut nec labor indictus eidem in paradiso. Dicit enim Augustinus, VIII *Super Genesim ad litteram*[1]: « Credibile est hominem in paradiso positum ut operaretur, non laboriose, sed deliciose ». Similiter potest dici de sollicitudine inveniendi, quod magis fuisset illi ad voluptatem et solatium quam ad fastidium et poenam et propter facilitatem inveniendi et delectationem in[c] inveniendo. Rationi enim consonum est quod sine difficultate pervenisset ad notitiam quam tunc quaereret, tum quia rerum naturas et potestates cognosceret perfecte, tum propter ingenii excellentiam, qua ipsum praeditum fuisse non dubito.

4. Ad hoc quod obicitur quod ' conditus fuit in perfectione completa corporis, ultra quam natura non processisset ' etc.: dicendum quod non est simile de perfectione corporis quantum ad staturam et de perfectione animae quantum ad scientiam[d]. Quia enim[e] anima, ad[f] similitudinem totius Sapientiae facta, omnium in se similitudinem gerit, ut dicit Augustinus, *De anima et*[g] *spiritu*[2], nunquam pervenitur ad statum cognoscendi, quantum est de sua natura, ante quam omnia videat[h] in eo, quem videndo omnia videt.

5. Ad hoc[i] quod obicitur ' si profecisset, hoc fuisset per processum ab inferiori et ab[k] exteriori ' etc.: potest dici quod hoc[l] nullum ponit inconveniens, quia, cum haberet intellectum phantasticum, non fuit inconveniens hac via[m] procedere et pervenire ad aliquorum ignotorum notitiam. — Vel potest aliter dici quod illa ratio non cogit, quia, sicut vult Augustinus, in VI *Musicae*[3], obiectum exterius non agit in animam nec ipsam perficit, sed ipsa anima se ipsam movet, occasione ab exteriori accepta, et informando se ipsam magis agit in obiectum quam agatur ab ipso; et hoc fuisset in Adam multo fortius et nobilius quam sit post lapsum. Unde illa ratio non cogit quod Adam non potuisset, respectu eorum quae cognoscebat, novum modum cognitionis acquirere.

520 ARTICULUS II.

Utrum Adam, si stetisset, potuisset in cognitione errare[4].

Sequitur inquirere utrum potuisset in cognitione errare sive decipi.

Quod sic, videtur: 1. Gen. 3, 13, dixit mulier: *Serpens decepit me;* sed constat quod mulier non consensit serpenti nisi quia aestimavit verum esse quod dixit; ex quo ergo ante consensum non peccavit, videtur quod antequam peccaret, decepta fuit.

2. Item, Augustinus, *Super Genesim ad litteram*[5], et habetur II *Sententiarum*, dist. 22[6]: « Adam putavit utrumque posse fieri, ut et[n] uxori morem gereret[o] et per poenitentiam veniam haberet ». Sed constat quod illud fuit falsum, quia quod dicit « veniam haberet per poenitentiam » intelligitur de venia, non quae est peccati mortalis, sed venialis; quod patet per hoc quod post dicitur[7]: « Inexpertus divinae severitatis in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum »; et constat quod hoc credidit antequam peccaret[p]; ergo etc.

3. Item, in II libro *Sententiarum*, dicit Magister, 21 dist.[8], quod « mulier non horruit serpentem, quia, cum noverit creatum esse, etiam officium loquendi a Deo accepisse putavit »; sed constat quod hoc fuit falsum; ergo etc.

4. Item, si Adam stetisset, dormivisset utique et habuisset alias operationes naturales[9]; ergo, cum somnium sit ex naturali motu[q] fumositatum et phantasmatum circa organum phantasiae[10], Adam somniasset; sed in somnio similitudo rei accipitur pro veritate, et ubicumque hoc est, ibi est deceptio; ergo etc.

5. Item, naturale est quod quidquid videtur, videtur sub angulo, et quanto a remotiori aliquid videtur, tanto minorem generat speciem et videtur sub angulo acutiori[11]: unde ita parvus videretur sol ipsi Adae sicut et nobis; ergo sicut

---

[a] S *fecisset.* [b] L *invenienda.* [c] Ita F (corr.), alii om.; Z om. *et.* [d] V *gloriam,* quod F corr. [e] S *cum,* Z om. [f] SZ *in,* quod F corr. [g] SRLZ add. *de.* [h] F *viderat.* [i] F *illud,* S om. [k] F om. [l] SZ om., in F est add. interl. [m] S vacat; Z *hoc modo* pro *h. v.* [n] R om. [o] SR *generet,* quod F corr.; L (corr.) *condescenderet* pro *m. g.* [p] Z *peccet;* T om. [q] L om.

1 Cap. 8, n. 15 (PL 34, 379); cf. supra, num. 313, I.
2 Cap. 6 (PL 40, 783); cf. supra, num. 321, VI.
3 Cap. 5, n. 9 (PL 32, 1168); cf. Boeth., *De consol. philos.*, pr. 5 (PL 63, 854).
4 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 23, a. 2, q. 2 (II, 539 sqq.).
5 Lib. XI, c. 42, n. 58 sq. (PL 34, 452 sq.).
6 Cap. 4 (p. 412).
7 Cf. Lombard., loc. cit., ex Augustino, *De civit. Dei*, XIV, c. 11, n. 2 (PL, 41, 419).
8 Cap. 4 (p. 405); Pseudo-Hugo, *Summa Sentent.* tr. 3, c. 3: *cum noviter creatus esset* pro *c. n. c. e.* (PL 176, 96).
9 Cf. supra, p. 638b, II.
10 Cf. supra, p. 639b.
11 Cf. Avicenna, *De anima*, p. 3, cc. 5 sqq. (fol. 12c sqq.).

decipitur sensus noster[a] in iudicando de quantitate solis, ita videtur quod deciperetur sensus Adae.

6. Item, ponatur quod aliquis angelus vel homo asseruisset ei[b] falsum et de secretis interioribus: aut Adam sciret[c] ipsum dicere falsum aut non. Si sic: tunc sciret occulta interiora[d], quae nosse est proprium solius Dei. Si non sciret: ergo crederet ipsum esse veracem aut male iudicaret de ipso; et si crederet ipsum esse veracem, crederet ipsum dicere verum; ergo deciperetur.

Contra: *a.* Augustinus[1]: « Vera pro falsis approbare non est natura hominis instituti, sed poena damnati ». Sed quando quis decipitur, approbat verum pro falso vel e converso; ergo, cum hoc[e] sit poena hominis damnati, nunquam hoc contigisset primo homini, si perstitisset.

b. Item, Augustinus, in *Enchiridion*[2]: « Ipse per se ipsum error aut magnum in re magna aut parvum in re parva[f], tamen est semper malum ». Sed in primo homine dum[g] stetisset, non potuit esse malum culpae nec poenae; ergo, si ubicumque est deceptio, ibi est error aliquis vel magnus vel parvus, in primo statu non poterat[h] decipi.

c. Item, Augustinus, in eodem[3]: « Hic homines fallunt atque falluntur; miseriores quidem sunt, cum[i] mentiendo fallunt quam cum mentientibus credendo falluntur ». Ergo videtur quod utrobique sit miseria, licet maior in fallendo; ergo, si in statu primo non erat miseria, ergo etc.

d. Item, Augustinus, ibidem: « Usque adeo rationalis natura refugit falsitatem et, quantum potest, devitat errorem, ut falli nolint[k] etiam quicumque amant fallere ». Si ergo rationalis natura refugit errorem et deceptionem, et hoc attestatur eius bonitati, videtur quod natura rationalis in statu innocentiae, quando vigebat sine vitio corruptionis scilicet[l], maxime falli nolebat et devitabat errorem; ergo, si nihil contigisset illi in statu illo quod[m] devitabat et nolebat, relinquitur etc.

e. Item, in statu illo omnes vires inferiores et etiam superiores subiectae erant voluntati, alioquin non posset quidquid vellet; cuius[n] contrarium habetur ab Augustino, XIV *De civitate Dei*[4], dicente: « In paradiso, etiam si non omnia[o] poterat ante peccatum, quidquid tamen non poterat, non volebat, et ideo poterat omnia quae volebat ». Ergo, si homo nolebat[p] decipi vel assentire falso in statu illo, videtur etc.

f. Item, maioris indignitatis est falli in animo quam pati in corpore: unde decuit Christum assumere passionem in corpore, non deceptionem in anima; sed[a], si Adam stetisset, nulla fuisset in eo corporalis passio; ergo multo fortius nulla fuisset[b] in eo animae deceptio.

Respondeo: Ad praedictam quaestionem respondent quidam per distinctionem talem: deceptio quaedam est circa scibilia, quaedam circa opinabilia. Scibilia autem dicuntur illa quae recta ratione comprehendi possunt, sicut sunt illa de quibus sunt scientiae liberales. Opinabilia vero dicuntur illa quae non habent cognosci nisi per quamdam coniecturam: huiusmodi sunt secreta mentis alienae et[c] futura contingentia, quae fiunt[d] a casu et fortuna et libera voluntate. In primis autem Adam falli non poterat, quia omnium perfectam habebat cognitionem. In secundis autem dupliciter contingit aliquem falli: aut quia adhaeret firma credulitate aut quia adhaeret qualicumque aestimatione[e]. Prima autem deceptio vocatur proprie error: et haec in primo homine stante non fuisset. Secunda vero potest dici opinio, in qua est acceptio sine pleno assensu credulitatis, et haec potest dici aestimatio falsa: et haec potuit esse in Adam in statu primo absque culpa et poena, maxime cum ex huiusmodi aestimatione nec incideret in peccatum nec incurreret damnum. Et secundum hanc distinctionem videntur posse dissolvi rationes ad utramque partem inductae. Nam rationes, ostendentes quod potuit decipi, concedi possunt de deceptione quae[f] dicitur qualiscumque aestimatio. Rationes, quae procedunt ad oppositum, concedi possunt, secundum quod deceptio dicit firmam credulitatem, ut non solum quis decipiatur putando falsum esse verum, sed etiam approbando falsum esse verum[g] vel e converso: et talis est deceptio quae est error.

Sed, quia[h] ista responsio non plene satisfacit rationi nec concordat sententiae Augustini, aliter, ut dicunt quidam, videtur posse[i] responderi. Dicit enim Augustinus, in *Enchiridion*[5]: « Cum nihil aliud sit errare quam verum putare quod falsum est, falsumve quod verum est, vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo, sive falsum sive verum sit, idque tam sit in animo deforme atque indecens quam pulcrum atque decorum esse sentimus vel in loquendo vel[k] assentiendo *'est, est, non, non'*[6], profecto

---

[a] V *non*, T *nunc*. [b] S *et*, quod F corr. [c] VSTR *diceret*, quod alii corr. [d] VT *interiorum*. [e] VT *hec*, LZ *hac*. [f] V om. *a. p. i. r. p.* [g] Z *si*. [h] F add. interl. *homo*. [i] Z *in*. [k] Ita VF (corr.), alii *nolunt*. [l] F exp. [m] Ita F, alii *quo*. [n] Ita V, T *eius*, alii *ergo*. [o] SRLZ *divina*, quod F corr. [p] Ita F, alii *volebat*.

[a] R *ergo*. [b] T om. *in eo... fuisset*. [c] V om. [d] R *sunt*. [e] S om.; VT add. *prima*. [f] R *qua*. [g] T om. *sed... verum*. [h] T *secundum quod* pro *S. q.* [i] F *debere*. [k] T add. *in*.

1 *De lib. arbit.*, III, c. 18, n. 52 (PL 32, 1296).
2 Cap. 19 (PL 40, 241).
3 Cap. 17 (PL 40, 240), ubi et sequens.
4 Cap. 15, n. 2 (PL 41, 423).
5 Cap. 17, n. 5 (PL 40, 239 sq.); cf. *De lib. arbit.*, III, cc. 18 et 19 (PL 32, 1295 sqq.).
6 Matth. 5, 37.

ob hoc ipsum est [a] vita misera ista qua vivimus, quod ei nonnunquam, ut non amittatur, error est necessarius ». Ex hoc verbo videtur quod Augustinus hic [b] vocat errorem generaliter omnem deceptionem, et illum dicit indecorum et indecentem et ad vitam miseram pertinere. Et, in libro *De utilitate credendi* [1], expresse dicitur quod nullus error absque vitio potest esse.

Propter hoc dicitur quod, etsi in statu innocentiae alicuius nescientiae fuisset imperfectio, nulla tamen in eo fuisset deceptio. Deceptio [c] enim ultra nescientiam addit iudicii obliquationem, quae in Adam in statu innocentiae non fuisset sicut nec passio corporalis [2]. Et hoc potest intelligi sic: sicut enim dupliciter contingit aliquem pati, aut passione intrinseca aut passione illata ab extrinseco, sic contingit aliquem dupliciter decipi, aut ita quod ipse se ipsum paralogizet aut ita quod paralogizetur ab alio. Neutrum autem horum in Adam fuisset. Sicut enim in eo nulla fuisset passio intrinseca, quia virtus animae regitiva perfecte suo corpori praesidebat et ipsum in statu debito conservabat, vel propter aliquam [d] aliam causam, sic nulla fuisset deceptio veniens ab intrinseco [e], quia iudicium rationis omnibus viribus inferioribus praesidebat nec ipsae in contrarium rationi aliquo modo movebantur, sed potius ab ea [f] sufficienter dirigebantur. Praeterea, quemadmodum pati non poterat passione illata ab extrinseco, sive quod nullus in tempore illo esset qui inferret sive quia, si [g] adesset, divina virtus eum protegeret, sive propter aliam causam superius tactam [3], sic [h] etiam in statu illo nemo esset qui hominem circumveniret aut paralogizaret — nam unusquisque loqueretur *veritatem cum proximo suo* [4] — aut si esset, divinae inspirationis revelatio, sive per se sive per angelum ei manifestando veritatem, ne falleretur, subveniret, sicut virtus divina succurreret ne in corpore laederetur. Et sic Adam stante, nulla in eo fuisset deceptio nec ab intrinseco nec ab extrinseco.

[Ad obiecta]: Ad ea quae contra hoc obiciuntur, respondendum est.

1-2. Et primo ad illa quae obiciuntur de deceptione mulieris et falsa viri credulitate, potest dici quod, licet praecesserint [i] peccatum inobedientiae, tamen illa praecessit peccatum praesumptionis sive [k] superbiae, cuius merito excaecatus [l] est in eis oculus rationis, ut falsum esse verum aestimarent. Unde Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [5], et Magister idem recitat, II *Sententiarum* [6], dicens: « Non est putandum quod homo deiceretur, nisi praecessisset in eo quaedam elatio comprimenda ». Et idem, in eodem [7]: « Quo modo verbis tentationis crederet mulier Deum se a re bona et utili prohibuisse, nisi inesset eius menti amor propriae potestatis et de se superba praesumptio? » Mulier enim audita prolatione serpentis, de se ipsa praesumpsit, et ita primo peccavit peccato superbiae; similiter et vir, ut habetur ab [m] Augustino, *Super Genesim* [8], cuius verba recitantur in Glossa [9] super illud I Tim. 2, 14: *Adam non fuit seductus;* similiter, II libro *Sententiarum*, 22 [n] dist. [10], et ita excaecati peccato superbiae, mulier aestimavit per comestionem [o] assequi posse divinam excellentiam et vir de transgressione mandati assequi veniam.

3. Ad illud quod obicitur per auctoritatem Magistri quod 'mulier putavit serpentem habere officium loquendi': dicendum quod aut talis putatio fuit in muliere post peccatum — quia alioquin nulla esset quaestio, cum ante peccatum non poterat esse in ipsa muliere passio timoris — aut, si fuit ante, non putavit quod hoc haberet officium determinate virtute aliqua sibi naturaliter data, sed ab aliqua latente virtute, divina providentia permittente, quae res omnes gubernabat et regebat sicut creaverat [11]. Unde mulier audiendo serpentem loqui, non propter hoc falsum pro vero approbavit [p], quia aliquam ibi virtutem latentem, qua loquebatur, aestimavit.

4. Ad illud [q] quod obicitur de somnio, dicendum [12] quod in statu innocentiae non fuisset somnium ex perpessione phantasiarum, secundum quod dicitur Eccli. 34, 6: *Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur* etc. Huiusmodi enim somnium venit ex hoc quod vires inferiores non sunt subiectae rationi et corpus non obedit spiritui; sed [r], si tunc fuisset somnium, hoc esset quia ab Altissimo mitteretur aliqua visitatio, in qua homo non deciperetur, sed potius

---

[a] VT *in*, L *cum*. [b] Ita VT, alii om. [c] V om. [d] T om. [e] TRZ *extrinseco*. [f] Ita VT, alii *eo*. [g] R *qui* pro *q. s.*; codd. *adhesisset* pro *adesset*. [h] Ita F (corr.), alii *sicut*. [i] SFZ *precesserit*, quod L corr. [k] Z om. [l] VT *extinctus*. [m] T om. [n] VT *13*. [o] F *concomestionem*. [p] VT om. [q] VT *aliud*. [r] VT *et*.

1 Cap. 11, n. 25 (PL 42, 83).
2 Cf. supra, num. 469 sqq.
3 Cf. supra, num. 470.
4 Eph. 4, 25.
5 Lib. XI, c. 5, (PL 34, 432).
6 Dist. 22, c. 1 (p. 409).
7 Cap. 30, n. 39 (PL 34, 445).
8 Lib. XI, c. 42, n. 58 (PL 34, 452).
9 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
10 Cap. 3 (p. 411).
11 Cf. hic, parum supra.
12 Cf. supra, num. 471, II.

illustraretur[1]. — Praeterea, licet ibi esset somnium, non propter hoc esset ibi deceptio. Deceptio enim non est sine usu rationis, qui non est in somnis; et si tunc esset, potius purgaret deceptionem phantasiae quam ei consentiret: potius enim diceret in somnis homini somnianti 'tu somnias' quam diceret 'quod vides est veritas'.

5. Ad illud quod obicitur de visu dicendum quod nulla fuisset deceptio, quia bene nosset Adam quod res a remotiori minor esse apparet et quantae quantitatis distantiae quanta respondet quantitas rei visae: et ideo non [a] falleretur, sed [b] haberet iudicium rectum.

6. Ad illud [c] quod ultimo obicitur, dicendum quod vel Adam manifesto signo deprehenderet mentientem sibi peccasse — quod satis videtur probabile, cum valde magna transmutatio facta fuerit in rationali natura per commissionem culpae — et tunc non crederet ei in aliquo nisi quatenus in alia [d] ratione videret sibi fore credendum. Aut si non deprehenderet eum peccasse, ubi [e] sua non sufficeret cautela, subveniret divinae providentiae diligentia, quae nec permitteret eum laedi in corpore nec falli in mente, dummodo eius ordinationi et imperio obtemperanter subiectus esset.

Licet autem ad praedictam quaestionem sic posset probabiliter responderi, minus rectum videtur quibusdam sentire primos parentes in statu primo non posse credere sive opinari quod erat verum esse falsum vel e converso, tum quia, licet [f] haberent rerum notitiam perfectam, non tamen innotuit illis quidquid erat veritatis et virtutis in rebus conditis, tum quia non erat illis datum videre et cognoscere secreta intellectuum, tum quia non habuerunt intellectum deiformem, tum quia auctoritates plures[2] videntur dicere credulitatem falsam praecessisse primum peccatum hominis, tum quia falsa credulitas videtur causa fuisse praesumptionis et elationis in muliere. Unde [g] enim fuisset in ea praesumptio et elatio [h], nisi utrumque credidisset verum fuisse quod dixit serpens? Licet enim, ut haberi potest ab Augustino[3] et ut ponunt multi[4], non credidit verbis serpentis cum iudicio rationis ante elationem, quae comprimenda erat, quaedam tamen videtur in ea fuisse credulitas, scilicet per subreptionem; et quia, ubi [i] potest esse subreptio credulitatis, potest esse plena credulitas, videtur quod ante peccatum poterat plenam habere credulitatem. — Praeterea, non videtur aliquibus verum quod Dominus per inspirationem vel [k] per angelum semper manifestaret illis veritatem in casu proposito vel [l] consimili, eo quod in tentatione serpentis hoc non fecerit mulieri, ubi maxime necessaria esset huiusmodi manifestatio. Quia enim non innotuit [m] quidquid erat virtutis et veritatis in rebus nec datum fuit illis cognoscere secreta intellectuum, tam circa haec quam circa illa decipi potuit; et quia non habuit deiformem intellectum, poterat in illo esse subreptio falsae credulitatis sine iudicio et collatione.

Secundum hanc opinionem potest dici quod primi parentes poterant decipi, extenso nomine deceptionis, scilicet prout quis dicitur decipi qui qualicumque aestimatione sive credulitate putat quod est falsum, esse verum. Sic autem errare sive decipi contingit existentes in statu innocentiae: sic enim erraverunt angeli ante casum suum, putantes beatitudinem eorum semper duraturam[5]. Unde Augustinus, XI *De civitate Dei*, 12 cap.[6]: « Si vere perfecteque beata vita nonnisi aeterna est, non erat talis istorum quandoque [n] desitura et propterea non aeterna, sive id scirent sive nescientes aliud putarent, quia scientes timor, nescientes error beatos esse utique non sinebat ».

[Ad obiecta]: *a.* Ad illud quod primo obicitur contra hoc per illud Augustini quod 'approbare falsa pro veris est poena hominis damnati' etc.: dicendum quod Augustinus loquitur de errore in moribus, ut patet ibidem [o]. Loquitur enim de duobus inflictis propter primum peccatum, quae sunt ignorantia agendorum et difficultas; determinat enim ibi quod per peccatum amisit homo scire bonum et posse. Dicit enim sic[7]: « Illa est poena peccati iustissima ut amittat quisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem [p] ut quis sciens recte [q], non facit, amittat [r] scire quid rectum sit, et qui [s] recte facere, cum posset, noluit, amittat [t] posse cum velit [u]. Nam sunt revera omni [v] peccanti animae duo ista poenalia, ignorantia et difficultas ». Et post [x]:

---

[a] R om. [b] RL *si.* [c] T *aliud.* [d] T *aliqua*; F exp. *in.* [e] SRLZ *nisi.* [f] VSRLZ om., in T est add. interl., in F add. mg. [g] SRZ *bene*, quod F corr. [h] F *elevatio.* [i] Ita FL (correcti), alii add. *non.* [k] Z *et.* [l] L add. *in.* [m] L *fuit eis notum.* [n] VT *quoniam.* [o] T om. [p] SFRLZ *ante*; V *scilicet uti*, T *scilicet uti scilicet* pro *i. e. a.* [q] VT add. *facere.* [r] VT *amittit.* [s] T *quid.* [t] VT *amittit.* [u] L om. *a. p. c. v.* [v] VT om., L *enim.* [x] Ita F, alii *posse.*

1 Cf. Bernard., *In Septuages.*, sermo 2, n. 2 (PL 183, 166sq.).
2 Cf. supra, p. 774, *ad 1-2.*
3 Cf. supra, p. 774, nota 5.
4 Cf. supra, p. 774, nota 6.
5 Cf. supra, num. 133 sq.
6 Cap. 11 (PL 41, 327).
7 *De lib. arbit.*, III, c. 18, n. 52 (PL 32, 1296).

« Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, et resistente atque retorquente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed poena damnati ».

b. Ad aliud [a] quod obicitur quod ' ipse error, sive parvus sive magnus, semper est malus ' etc.: dicendum quod Augustinus vocat ibi errorem, quando pro vero approbatur falsum; approbatio autem importat certam credulitatem et firmam aestimationem [b]. Unde Augustinus, in *Enchiridion,* cap. 17 [1]: « Quamvis error, quanta possumus cura, cavendus sit, non solum in maioribus, verum etiam in minoribus rebus, nec nisi [c] rerum ignorantia possit errari, non est tamen consequens ut continuo erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis existimat [d] scire quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod erroris est proprium ». Et de tali intelligit Augustinus; unde subdit, in [e] *Enchiridion,* 20 cap. [2], verbo praedicto [3], scilicet « ipse per se ipsum error etc. est semper malum »: « Quis enim nisi errans [f] malum neget, approbare falsa pro veris aut improbare vera pro falsis aut habere certa pro incertis [g] ? » Ecce evidenter patet quod loquitur non de quacumque levi putatione sive aestimatione, sed de illa quae approbat vera pro falsis.

c. Ad illud quod obicitur quod ' miseriores sunt qui fallunt quam qui falluntur ' etc.: dicendum quod Augustinus loquitur de existentibus in statu praesentis miseriae, ut patet ex verbis eius. Dicit enim sic: « Hic [h] homines fallunt atque falluntur ». Nota quod dicit « hic »; et, ut patet ex verbis Augustini, ibidem, loquitur de credulitate firma, qua falsum pro vero approbatur, sicut patet in principio illius capituli, non autem qua [i] falsum qualicumque levi aestimatione sive opinione verum putatur.

d. Ad illud quod obicitur quod ' rationalis natura refugit [k] falsitatem ' etc.: dicendum quod hoc verum est, loquendo de falsitate cognita vel [l] suspicata; et hoc patet per verba ibidem posita, quae sunt: « Quantum potest, devitat errorem, ut falli nolint [m] etiam quicumque amant fallere ».

e. Ad illud quod obicitur quod ' voluntas in statu illo nolebat decipi neque assentire errori ' etc.: dicendum [n] quod verum est de voluntate deliberata; et de huiusmodi voluntate intelligitur illud Augustini, *De civitate Dei:* « Poterat omnia quae volebat ». — Praeterea, sicut possunt simul stare ' iste non vult peccare, per se loquendo, vult tamen [a] facere opus unde [b] necessario peccat ', similiter ista duo possunt simul stare ' iste non vult decipi, vult tamen assentire illi unde sequitur necessario ipsum decipi ', similiter potuit esse in primis parentibus quod, licet non moverentur [c] aliqua ratione actuali voluntate ad assentiendum huic quod dico [d] ' se ipsos decipi sive errare ', poterant nihilominus moveri ad assentiendum alicui unde deciperentur, et assentire [e].

f. Ad aliud [f] quod obicitur ' nulla fuisset passio in corpore, si stetisset, ergo nulla [g] deceptio in Adam ' [h], dicendum quod hoc non sequitur: corpus enim pati, immo animam potius [i] — ut enim dicit Anselmus [4], corpus pati est animam pati in corpore — ante peccatum praeiudicasset divinae bonitati; sed [k] animam qualicumque credulitate credere falsum [l] esse verum, in nullo praeiudicat Deo, qui hominem vel animam condidit in aliqua perfectione [m], in statu ultimo perficiendam, id est in gloria; immo consonum videtur divinae sapientiae ut hominis status ita distingueretur ut in isto imperfecto, scilicet primo [n], qualitercumque decipi posset, sine culpa tamen, in statu perfecto, id est ultimo, ita perficiendus, quod nullo modo decipi posset [o], immo decepta fuit [p] mulier, quodam modo non cognoscendo diabolum tentantem [q] illam in specie serpentis. — Praeterea, posset in tali forma [r] venisse quod prorsus ei fuisset occultus. Ex quo patet quod decipi potuit in illo statu. Unde Hugo [5]: « Ne fraus illius omnino nulla esset, si nimis [s] manifestaretur, in propria forma venire non debuit, ne manifeste [t] cognosceretur et nullatenus reciperetur. Iterum, ne nimis violenta esset fraus eius si prorsus occultaretur, et homo [u] simul, si Deus eum tali fraude, quae caveri non posset, decipi permitteret, iniuriam pati videretur ». — Praeterea, non est simile de passione corporis et credulitate animae. Propria enim conditio corporis fuit subiectio omnimoda animae: omnino enim fuit subiectum animae [v] a natura suae conditionis; propter quod, dum esset [x] subiectum et staret in sua natura, nihil debuit illi accidere quod esset contra naturam [y], et ita nec passio aliqua. Animae conditio propria fuit libertas, scilicet [z] faciendi

---

[a] F *illud.* [b] PL add. mg. *que est quodammodo cum deliberatione.* [c] VT add. *in.* [d] F *estimat.* [e] Ita V, alii om.; R *subditur* pro *subdit.* [f] Z *erroris,* quod F corr. [g] FLZ add. mg. *aut incerta pro certis.* [h] Ita F (mg.), alii om. [i] Ita F, alii om. [k] R vacat, Z *tangit.* [l] Ita F (corr.), alii *non.* [m] V *velint,* quod T corr. [n] V om.

[a] L *bene.* [b] Z *unum,* quod F corr. [c] SRLZ *noverentur.* [d] VSTR om. *h. q. d.,* in FLZ est add. mg.; SRL *ipso* pro *ipsos.* [e] T *assentirentur.* [f] SL *illud.* [g] S om. *fuisset... nulla.* [h] L add. mg. *adfuit.* [i] VT add. *potuit.* [k] VT *si.* [l] Z *factum;* SRLZ *est* pro *esse,* quod L corr. [m] F (corr.) *imperfectione.* [n] Ita F (corr.), alii *ista imperfectio scilicet prima* pro *i. i. s. p.* [o] R om. [p] VSTR om., in FLZ est add. mg.; S *decipi* pro *decepta,* quod F corr. [q] Ita F (corr.), alii *tentando.* [r] R *substantia.* [s] Z *minus.* [t] S *manifestare.* [u] Z *hoc.* [v] L om. [x] F add. mg. *sic.* [y] Z add. *suam.* [z] VT om.

[1] PL 40, 239. [2] Cap. 19 (PL 40, 241 sq.).
[3] Cf. supra, p. 773, sub litt. *b.*
[4] *Proslog.,* c. 6 (PL 158, 230).
[5] *De sacram. christ. fid.,* I, p. 7, c. 2 (PL 176, 287).

vel non faciendi, credendi vel [a] non credendi et credendi hoc [b] vel eius contrarium: unde anima ratione suae libertatis potuit hoc vel illud credere; et quia nondum innotuerunt omnia perfecte [c] illi nec habuit deiformem intellectum, utcumque [d] decipi potuit; nec sic declinasset terminos naturae suae nec statum suum quantum ad perfectionem gratiae quam habuit ante lapsum. Quia ergo passionis illatio erat contra naturam corporis, qualiscumque deceptio non erat contra naturam [e] animae nec contra [f] perfectionem gratiae, quantum ad statum in quo fuit ante lapsum, non est simile de corporis passione et animae deceptione. Non autem negandum mihi videtur quin, stando in gratia, posset tantum in scientia et gratia profecisse quod aliquo modo decipi non posset.

Ad illud Augustini [1] quo videtur opinio praedicta confirmari, scilicet «cum nihil aliud sit errare, quam verum putare esse falsum» etc.: dicendum quod idem est ibi [g] 'putare' quod 'approbare'. Augustinus enim indistincte dicit quandoque putare, quandoque approbare [h], quandoque aestimare. Non [i] enim est error nisi ubi est approbatio. Quod [k] patet per Augustinum dicentem [2]: «Si quis aestimat scire quod nescit [l], pro vero quippe approbat falsum, quod erroris est proprium». Ex hoc patet quod error, proprie loquendo, non est sine approbatione, quae, ut dictum est [3], firmam dicit credulitatem, quae est quodam modo cum iudicio et deliberatione; haec autem, quando [m] est falsi, aliquid difformitatis et indecentiae [n] aggenerat in anima [o] et est semper cum vitio.

Ad illud quod posset obici de illo verbo Augustini [4]: «Quo modo verbis [p] tentationis crederet mulier Deum se a re bona et utili prohibere, nisi inesset» etc. et ita non [q] videtur quod posset decipi, nisi praecessisset culpa: dicendum quod hac tentatione non posset decipi [r], scilicet qua crederet Deum, qui est summe bonus et summe liberalis, propter causam suggestam illam fecisse inhibitionem, nisi excaecata esset peccato; posset tamen in alio casu qualitercumque credidisse falsum [s], et ita aliquo modo decipi.

Haec [t] opinando et aliorum opiniones recitando posui, nihil asserendo, ut prudens lector vel auditor, qui ex paucis multa, ex probabilibus vera sciverit elicere, veritati scilicet quae est in dictis, assentiat vel profundiori indagine ex opinatis ad veritatem assurgat.

QUAESTIO V.

DE PRIMI HOMINIS DOMINIO PRAESIDENTIAE.

Determinatum est in ista parte de primo homine, in [u] quantum est coniunctus ex corpore et anima. Et primo, de passibilitate naturae; secundo, de prolis propagatione; tertio, de adiutorio gratiae; quarto, de illuminatione scientiae. Sequitur quinto, scilicet hic, de dominio praesidentiae.

Primo ergo quaeritur si praesidebat sive dominabatur creaturis utentibus ratione, id est hominibus;

secundo, si creaturis utentibus [v] tantum sensu;

tertio, si creaturis carentibus sensu.

CAPUT I. 521

UTRUM ADAM DOMINABATUR HOMINIBUS [5].

Quod autem dominabatur creaturis habentibus rationem, scilicet [x] hominibus, videtur sic:

1. Augustinus, XIX *De civitate Dei*, 14 cap. [6]: «In domo iusti viventis ex fide [7] et adhuc ab illa

---

[a] L *et.* [b] VT om. *e. c. h.* [c] VT *perfecta.* [d] Ita F (corr.) Z, VT *uterque*, SR *utrumque*, L *utroque.* [e] TL om. *corporis... naturam.* [f] Ita VT, alii om. [g] Ita FL (mg.), alii om. [h] L *appropriare.* [i] Ita VT, alii *nihil.* [k] T *et.* [l] Z add. *et.* [m] V *que.* [n] Z om. *e. i.* [o] T add. *mea.* [p] Ita F (corr.), alii *verbum.* [q] Ita F interl., alii om. [r] R om. [s] Ita F (corr.), alii *factum.* [t] T add. *autem.* [u] S om. [v] S om. *ratione... utentibus.* [x] F add. *in.*

1 Cf. supra, p. 773, nota 6.
2 *Enchir.*, c. 17 (PL 40, 239).
3 Cf. supra, p. 776, *ad b, c* et *e.*
4 Cf. supra, p. 774, nota 7.
5 Cf. S. Bonav., II *Sent.*, d. 44, a. 2, q. 2 (II, 1007 sqq).
6 Capp. 14 et 15 (PL 41, 643).
7 Cf. Hebr. 10, 38.

caelesti civitate peregrinantis [a], etiam qui imperant serviunt eis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed providendi misericordia. Hoc naturalis ordo praescribit, ita Deus hominem condidit ». Ex iis verbis Augustini patet quod ordo naturalis exigit et Deus hominem ita [b] condidit ut unus alii imperaret et dominaretur; sed, si quis [c] debebat dominari, hoc debebat maxime primus homo, qui fuit principalis et primus paterfamilias in domo generis humani; ergo etc.

2. Item, de dictamine rationis est quod ordo et praesidentia sit in genere hominum et quod prioribus aetate et origine ministrent et serviant posteriores eisdem: hoc enim dictat ratio ordinata quod pater filio dominetur et filius patri serviat; ergo in omni statu erat aliquis alii dominaturus et aliquis alii serviturus; ergo, si stetissent primi parentes, ista lex cucurrisset; sed, si aliquis debebat alii dominari, hoc maxime debebat [d] primus homo; ergo etc.

3. Item, in creaturis irrationabilibus animatis et inanimatis una alii dominatur suo modo dominandi: corpora enim supracaelestia [e] dominantur corporibus inferioribus et unum elementum alii dominatur, et hoc habent ab ordine naturae; eo [f] enim quod inaequales sunt virtute et potestate, dominatur scilicet maior minori. A simili videtur quod in genere hominum etc., in quibus natura [g] ordinatissime regularetur, si lapsa non esset.

Contra [h]: *a.* Isidorus, in [i] *Etymologiis* [1]: « Ius naturale est commune omnium nationum, ut viri et feminae coniunctio, liberorum successio et educatio, communis omnium possessio et omnium una [sit] libertas ». Si ergo omnium una erat libertas, nullus alii dominabatur.

b. Item, Augustinus, XIX *De civitate Dei*, 15 cap. [2]: « Rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationalibus [k] dominari, non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi iusti pastores pecorum magis quam reges hominum constituti sunt, ut etiam sic insinuaret Deus quid postulet ordo creaturarum, quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe servitutis iure intelligitur imposita peccatori ».

c. Item, Gregorius [3], et [l] habetur in Glossa [4] super illud Gen. 9, 2: *Terror ac tremor vester sit super cuncta animalia*: « Homo non rationabilibus, sed irrationabilibus, praelatus est natura; ideo dicitur ei ut ab animalibus, non ab hominibus, timeatur, quia contra naturam superbire est ab aequalibus velle timeri; omnes ergo homines natura aequales genuit ». Ex hac auctoritate videtur idem quod prius.

Respondeo quod est loqui de dominio secundum quod communiter dicitur dominium sive nomine extenso, et sic potest dici [m] dominium praelationis sive praeexcellentiae dignitatis, quae est digna veneratione et obsequio, vel ratione originis vel ratione prioritatis temporis vel [n] ratione scientiae vel virtutis, et hoc modo loquendo maiores a minoribus 'domini' appellantur. Et est loqui de dominio secundum quod proprie et specialius dicitur dominium, et sic dicitur dominium [o] auctoritatis praesidendi, immo potius possidendi, eo [p] modo quo dominus rei dicitur praeesse eidem sicut possessor possessioni [q]. Hoc modo duplici sumendi dominium dupliciter dicitur servitus respondens, scilicet obsequium reverentiae et libertatis, et ab hac servitute nomine extenso dicitur servus [r] qui maiori se ex liberalitate [s] et amore obsequium [t] exhibet honoris et ministerii et etiam obsequium debitum et necessitatis: necessitatis, dico, conditionis, scilicet servilis. Hanc duplicem [u] servitutem videtur Augustinus distinguere, XI [*Super*] *Genesim ad litteram* [5], exponens illud verbum Gen. 3, 16: *Sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui*, dicens sic: « Quid est quod dictum est: *Et ad virum tuum conversio tua, et ipse dominabitur tui* [v]? Videndum est quemadmodum proprie possit accipi. Neque enim et ante peccatum aliter factam fuisse decet [x] credere mulierem, nisi ut vir ei dominaretur et ad eum ipsa serviendo converteretur. Sed recte potest accipi hanc servitutem significatam, quae cuiusdam contradictionis vel conditionis est potius [y] quam dilectionis, ut etiam ipsa talis servitus, qua homines hominibus postea esse servi coeperunt, de poena peccati reperiatur exorta ». Ecce hic distinguit Augustinus duplicem servitutem, scilicet liberalitatis sive dilectionis et contradictionis sive violentiae. Primo modo sumendo dominium et servitutem, potest dici quod Adam dominatus fuisset aliis hominibus et illi servi eius. Omni enim rationi consonum est quod, si stetisset, filii illius officiosi fuissent sibi in

---

[a] VT *peregrinantes*. [b] R om. [c] L *quid*. [d] S om. *alii... debebat*. [e] VTZ *supercelestia*. [f] V *est*. [g] Z om., S *nihil*, quod F corr., R *nulla*. [h] L add. *idem*. [i] Ita VT, alii om. [k] Ita F (corr.), alii *rationalibus*; SZ *voluit* pro *noluit*. [l] S *ut*. [m] V *esse*, T *eum*. [n] V *et*. [o] VT om. *e. s. d. d.* [p] RLZ *eodem*. [q] VT *possessionis*. [r] Z *servitus*. [s] Z *libertate*. [t] VT *obsequii*. [u] L om. [v] Z om. *e. i. d. t.* [x] Ita F (corr.), alii *dicet*. [y] Z add. *est*.

[1] Lib. V, c. 4, n. 1 (PL 82, 199).
[2] PL 41, 643.
[3] *Moral.*, XVI, c. 15, nn. 23 et 22 (PL 76, 203).
[4] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
[5] Cap. 37 (PL 34, 450).

exhibitione honoris et reverentiae et obsequiis corporalibus, ut, si vellet comedere, in allatione fructuum et consimilibus obsequiis. Sumendo autem [a] dominium et servitutem secundo modo, neque ipse fuisset illis dominatus neque illi servi eius: huiusmodi enim servitutis causa est peccatum. Unde Augustinus, XIX *De civitate Dei*, 15 cap.[1]: « Nullus [b] natura, in qua Deus prius [c] hominem condidit, servus est hominis aut peccati. Verum etiam [d] poenalis servitus ea lege ordinatur quae naturalem ordinem conservari iubet, perturbari vetat, quia, si contra eam legem non esset factum, nihil [e] esset poenali servitute coercendum ». Ecce quod Augustinus hanc servitutem vocat poenalem, ad differentiam illius quae est amoris et libertatis. Auctoritates ergo quibus ostensum est quod non dominaretur, intelligendae sunt de dominio secundo modo sumpto et servitute similiter.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod primo obicitur quod ' Deus condidit hominem ut imperaret, non cupiditate dominandi, sed officio consulendi ' [f] etc.: dicendum quod verbo illo non exprimitur hominem conditum ut homini dominetur, proprie sumendo dominium, sed notantur duo in omni statu convenire parenti sive praelato respectu inferioris, scilicet officium instructionis, quod notatur cum dicitur « officio consulendi », et condescensus benignitatis, quod notatur cum dicitur « sed providendi misericordia ». Probabiliter enim praesumitur, si stetissent primi parentes, quod parentes instruxissent filios suos, saltem cum essent parvuli, et benigne providissent [g] in iis quibus, ratione qua animales essent [h], indiguissent. Ut enim supra dictum est [i 2] et dicit Hugo[3] « illos, qui nascerentur ex primo homine, fuisse nascituros eadem lege qua et nunc nativitatem humanam ordinatam cernimus, parvos nascituros ac deinde per intervalla temporum tam in sensu quam in statura corporali [k] incrementa accepturos ». Praeterea, instruendi erant et alendi: unde maioribus illorum incumbebat officium instruendi et misericordia et [l] benignitas providendi.

2. Ad illud quod obicitur, scilicet quod ' ratio dictat [m] quod posteriores ministrent prioribus et serviant ' etc.: dicendum quod hoc verum est, sed non servitio coacto et poenali, sed servitio gratis et ex dilectione exhibito.

3. Ad aliud quod obicitur quod ' et [a] in rebus animatis et inanimatis [b] est reperire dominium violentiae ' etc.: dicendum quod homo conditus fuit ut soli Deo subditus esset et ei immediate uniretur. Unde Hugo[4]: Bonum hominis supra hominem erat; solus ille bonum hominis erat qui supra hominem erat, scilicet Deus. Huic ergo [c] bono, quamdiu in ordine conditionis suae perstitit [d], immediate iungebatur: unde solus Deus homini dominabatur; sed iusto Dei iudicio, demerito peccati, homo homini subditus est. Unde Augustinus [e], XIX *De civitate Dei*, 15 cap.[5]: « Prima servitutis causa peccatum est, ut homo homini contradictionis vinculo subderetur; quod [f] non fit nisi Deo iudicante, apud quem *non est iniquitas*[6], et novit diversis poenas meritis distribuere delinquentium [g] ». Non sic fuit de rebus aliis, animatis [h] et inanimatis, sed dispositione [i] divinae providentiae [k] ordine congruo et conveniente pulcritudini universi quaedam [l] erant quibusdam superiores virtute et aliis dominantur suo modo dominandi, et agunt in illis cuius [m] actione ea, quae minoris virtutis sunt, transmutantur. Unde Augustinus, III *Super Genesim ad litteram*[7]: « Habent omnia, quamdiu sunt, mensuras, numeros, ordines suos, quae cuncta merito considerata laudantur, nec sine occulta pro suo genere moderatione pulcritudinis temporalis [n], etiam ex alio in aliud transeundo, mutantur ». Ordo igitur virtutis in rebus; unde est [o] quod una alii dominatur, hoc est illis [p] a natura. Non sic est [q] de homine; unde non est simile de dominio ex parte hominis et aliarum rerum. Duplici autem ratione voluit Deus et secundum voluntatem suam ordinatissimam disposuit ut homo illius solius subderetur dominio. Una sumpta est ex parte principii et alia ex parte finis. Ex parte principii, conditio ipsius hominis ad expressam eius imitationem, id est ad imaginem illius. Sicut enim nihil fuit medium inter Deum et hominem quantum ad conformitatem et imitationem in natura, sic disposuit Domini sapientia ut nihil esset medium in debito obsequii vel personae. — Praeterea, solus Deus erat bonum hominis, quem cultus obsequio erat assecuturus. Ut enim dicit Hugo[8], homo ita factus erat ut [r] bonum eius solus ille esset a quo erat, cetera omnia sub ipso facta sunt, non ut in eis esset eius bonum, sed ut ex

---

[a] Codd. *enim.* [b] VT *similiter.* [c] R *primum;* VT om. *Deus.* [d] F (corr.) *et.* [e] VT *falsum nec* pro *f. n.* [f] S *conserviendi.* [g] Z *previdissent.* [h] T om. [i] S om. [k] VT *corporalia.* [l] F *id est.* [m] R *dictet.*

[a] SR om. [b] R om. *e. i.* [c] Ita F (corr.), VT *unde quamdiu huic, unde huic ergo* pro *h. e.;* VT om. *quamdiu.* [d] Z *exstitit.* [e] L *Hugo.* [f] SRLZ *quo,* quod F corr. [g] V *relinquentium.* [h] F add. *scilicet.* [i] VT *dispositionis.* [k] V add. *a.* [l] R *quidam.* [m] Ita F, alii *eius.* [n] VT repet. [o] VT om. [p] S *vel.* [q] V om. [r] T *ad.*

1 PL 41, 644.
2 Cf. supra, num. 503.
3 *De sacram. fid. christ.*, I, p. 6, c. 16 (PL 176, 279).
4 Cf. loc. cit., I, p. 2, c. 1 et p. 6, c. 6 (PL 176, 206, 267 sq.).
5 PL 41, 643.
6 Cf. Psalm. 91, 16.
7 Cap. 16, n. 25 (PL 34, 290).
8 Cf. loc. cit., c. 6 (PL 176, 268).

eis esset eius obsequium; propter quod condidit Deus hominem et instituit in tali [a] libertate, ut nullius obligaretur obsequio, ut libere et expedite assequeretur suum bonum sive finem, ad quem obtinendum factus erat. Sunt ergo istae rationes, quarum una est sumpta ex parte principii et alia ex parte finis, propter quas congruebat hominem nullius esse dominio subditum, quamdiu suo superiori, id est Deo, vellet esse subditus. Aliter autem est de aliis creaturis, quae sunt conditae in maiori distantia a Deo, quae ad maiorem decorem universi conditae sunt in distinctione quadam potestatis et virtutis; quia de natura sua actus suos non discernunt, sed secundum impetum agunt, quae erant maioris virtutis quaedam praesidentia dominii aliis, quae sunt minoris, influendo vel [b] agendo subiciunt.

522

CAPUT II.

UTRUM ADAM DOMINABATUR ANIMALIBUS [1].

Sequitur inquirere utrum primus homo dominaretur animalibus.

Quod sic, videtur: *a.* Gen. 1, 28: *Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus, quae moventur super terram.* Ibi Glossa [2]: « Ipsis dicit ut habeant dominium omnium creaturarum in inferiori parte mundi ».

b. Item, Damascenus [3]: « Ex visibili creatura conditurus erat Deus hominem secundum propriam imaginem et similitudinem, sicut quemdam regem et principem omnis terrae et omnium quae sunt in ipsa ».

Ex iis patet quod habuit dominium omnium animalium.

Contra: 1. Ille dominatur rei alicui, cuius est ipsa sicut possessio possessoris; sed in primo statu omnia erant communia: sicut enim dicit Isidorus [4], « secundum legem naturae communis est omnium possessio et omnium una libertas ». Ex quo ergo in statu primo currebat lex naturae conditae, nihil erat alicuius subiectum dominio.

2. Item, velle habere aliqua, quae nulli usui vel officio [c] sunt volenti deputata, et ita ex consequenti nullius utilitatis [d] eidem, est culpae [e] cupiditatis vel curiositatis [f] vel alicuius alterius vitii, quae nullo modo [g] erant in statu illo; igitur primus homo nihil voluit habere in primo statu, quod non esset deputatum alicui [h] usui vel officio; igitur nec habuit; sed animalia nulli usui vel officio erant deputata; ergo eius non erant [i] possessio; ergo nec ille dominus, et ita non dominabatur.

3. Item, omnino indomabili nullus potest dominari; sed multa genera animalium erant huiusmodi: multa enim sunt quae nulla frequentia hominum vel studio possunt [k] domari; ergo non dominabatur cuilibet, et ita non dominabatur omni animali.

4. Item, Gen. 2, 19: *Adduxit* [l] *ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea;* ibi Glossa Augustini, et sumpta est a IX [m] *Super Genesim* [5]: « Non sicut venatores vel aucupes nec iussionis [n] vox de nube facta est, quam rationales animae intelligere solent — hanc enim naturaliter non intelligunt bestiae vel [o] aves — sed [p] per ministeria angelorum, qui capiunt in verbo eius quid quando fieri debeat ». Ex hoc verbo videtur quod animalia non erant dominio [q] vel imperio primi hominis subiecta, quia, si hoc [r], non necesse fuisset quod per ministerium angelorum adducta essent: ea enim quae per huiusmodi ministerium solent fieri, et modo mirabili fiebant et supra humanum posse erant; sed, si fuissent eius imperio subiecta, sine angelico auxilio potuisset ea congregasse.

5. Item, non [s] omnia quae erant in ipso primo homine ante lapsum [t], erant illi subiecta, sicut vires [u] naturales, utpote nutritiva, digestiva et huiusmodi, quae, sive vellet sive nollet, secundum quod movebatur earum natura, officia sua exercebant; multo fortius videtur quod animalia, quae non movebantur secundum dictamen rationis, sed secundum impetum naturae suae, quae fuerunt in maiori difformitate ab ipso homine, non erant illi subiecta.

---

[a] VT om.; S om. *ut.* [b] VT *et.* [c] VT om. *v. o.*; L *volentior* pro *volenti*, quod F corr. [d] L *voluntatis*; S add. *quod.* [e] F add. mg. *vel vitii.* [f] S om. *v. c.* [g] T om. [h] Ita F (corr.), alii *alicuius*; Z *et* pro *vel.* [i] R *erat.* [k] VT *possent.* [l] SL *ad eduxit.* [m] F add. interl. *libro.* [n] VT *missionis*, LZ *visionis*; T om. *est.* [o] SRLZ *sed*, quod F corr.; Z om. *bestiae.* [p] SRLZ om. [q] L om. [r] VT *similiter* pro *s. h.* [s] VT *si.* [t] V add. interl. *non.* [u] T om.

[1] Cf. Alex. Hal., *Summa theologica*, I, num. 161, et supra, p. 265, *ad 3*, ac num. 304, I; S. Bonav., II *Sent.*, d. 15, a. 2, q. 1 (II, 382sqq.).

[2] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.

[3] *De fide orthod.*, II, c. 11 (PG 94, 911).

[4] *Etymol.*, V, c. 4, n. 1 (PL 182, 199).

[5] Cap. 14, n. 24 (PL 34, 402); in *Glossa ordin.*, in h. l., ap. Lyran.

6. Item, Hieronymus[1]: « Homini adhuc ante peccatum non indigenti dedit Deus dominationem animalium; praesciebat enim hominem adminiculo animalium adiuvandum fore post lapsum ». Ex hoc verbo videtur quod non fuisset illi datum dominium nisi esset lapsus.

7. Idem habetur in Glossa[2] super illud: *Dominamini piscibus maris,* Gen. 1, 28, quae est talis: « Quaeritur qua utilitate homo dominatum inter cetera animalia perceperat et ad quos usus quaeve solatia sunt haec creata homini, si non peccaret; non enim ad escam, sed herbae tantum et arborum fructus primo [a] concessa sunt. Sed forte, quia peccaturum praesciebat Deus hominem et sic futurum mortalem quem creavit immortalem, ea primordialiter instituit, quibus se iam mortalis posset tueri, habens ex iis alimentum et indumentum et laboris adiumentum [b] ».

Respondeo quod primus homo ante lapsum habuit dominium, et hoc [c] congruebat congruentia sumpta ex parte hominis et congruentia sumpta ex parte animalium. Congruebat enim quod ante peccatum haberet potestativam dominationem ceterarum creaturarum huius mundi sensibilis secundum eam partem qua, factus [d] ad imaginem Dei, omnibus ceteris praecellebat. Iustum namque erat ut, secundum rationem suo Creatori perfecte obediens et ab eius obedientia nusquam aliquo perturbato et [e] irrationali motu divertens, omnia ratione carentia sub suo [f] contineret potestativo et imperturbato atque pacato imperio. Unde et Ioannes[3], Constantinopolitanus Episcopus, dicit ante peccatum omnes bestias homini fuisse subiectas. Quod autem nunc hominibus nocent, poena primi peccati est: dominium autem illud amisit propter peccatum. Unde Glossa[4] super illud '*Dominamini*' etc.: « Post quam Conditori subiectus esse noluit, iure dominium perdidit. In testimonium vero primae creationis legimus aves viris sanctis servisse et rictus [g] bestiarum et serpentum venenum cessisse ». — Alia autem est congruentia [h] ex parte animalium. Congruebat enim ut animalia, quae propter hominem [i] condita erant, eius dominio et dispositioni subderentur. Unde Hugo[5]: « Quae propter hominem creata erant, ab illo regenda et disponenda erant; curam etenim boum et providentiam ceterorumque animalium Deus homini reliquit, ut dominationi illius subicerentur et ratione illius regerentur, ut a quibus debuerat obsequium accipere, sciret etiam illis necessaria providere ».

[Ad obiecta]: 1. Ad primum quod obicitur contra hoc per hoc quod 'omnia tunc erant communia' etc.: dicendum quod illud dominium in nullo praeiudicabat illi communioni. Non enim datum fuit hoc dominium solummodo homini primo, sed illi et posteris eius, si stetissent, illi tamen tamquam primo et principali patrifamilias in domo generis humani; unde unusquisque usus fuisset illis secundum beneplacitum voluntatis ordinatae; unde dominium illud non fuit proprietatis possessoriae, sed praesidentiae potestativae et providentiae regitivae, sicut vult Hugo[6].

2. Ad aliud [k] quod obicitur quod 'animalia non erant alicui utilitati humanae deputata, si homo stetisset': dicendum quod hoc non est verum. Licet enim quantum ad statum illum non erant alicui usui vel [l] officio deputata, quo modo indiget humana miseria, fortasse erant alicui alii quod [m] ignoramus. — Praeterea, materia [n] fuerunt laudandi Deum, tum quia melius et manifestius declaratur divina potentia, sapientia et bonitas ex conditione, gubernatione [o] et sustentatione eorum in quibus est [p] reperire imaginem Dei et in quibus est reperire vestigium, quam declararetur ex conditione, gubernatione et sustentatione eorum quae sunt ad imaginem Dei, aliis non existentibus[7]; tum quia ex subiectione, qua subiecta fuerunt homini, magis se reputaret homo obnoxium Deo [q] et magis abhorreret vilitatem peccati.

3. Ad illud quod obicitur quod 'plura sunt animalia indomabilia' etc.: dicendum, sine praeiudicio melioris sententiae, quod animalia in illo statu erant in paradiso sub hominis imperio concorditer ad invicem et obedienter ad hominem viventia. Homine autem per peccatum recedente et declinante a sui superioris obedientia, iustum erat ut ordine naturali sibi subiecta sentiret adversum se per inobedientiam [r] contumacia, per quam iustitiam et caro facta est rebellans spiritui et quae exterius ratione carent, repugnantia ipsi homini. Non tamen amisit homo naturalem potestatem dominii, id est rationis imperativam potestatem [s], sed sicut potestas eius est infirmata [t] et per peccatum vitiata, ita ipsa quoque ratione carentia, labente homine, sunt deteriorata et ad obediendum imperanti rationi minus habilia et minoris mansuetudinis et maioris

---

[a] L *prima.* [b] Z *indumentum.* [c] T om. [d] VT add. *est.* [e] VT *vel.* [f] T *illo.* [g] Ita F (corr.), alii *ritus.* [h] Z om. [i] Z *eum.* [k] L *illud.* [l] F *et.* [m] Ita F (corr.), alii *quo.* [n] T om., V (interl.) *occasio.* [o] Z om. [p] VT om. [q] R om. [r] Ita FL (correcti), alii *obedientiam.* [s] R om. [t] S om. *potestatem... infirmata.*

1 Cf. *Contra Iovin.*, II, c. 5 (PL 23, 290).
2 *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran.
3 Chrysostom., *In Gen.*, hom. 9, n. 4 (PG 53, 79).
4 *Ordin.*, in h. l. ap. Lyran.
5 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 6, c. 13 (PL 176, 271).
6 Loc. cit.
7 Cf. supra, p. 769, *ad 3.*

crudelitatis[a]. — Quod patet per hoc quod ante peccatum animalia animalium esu non vivebant; unde Gen. 1, 29: *Ecce dedi vobis omnem herbam* etc. Ibi dicit Glossa Bedae[1]: « Patet quod ante peccatum hominis terra nihil noxium protulit, non herbam venenatam, non arborem sterilem; omnibus enim herba et ligna data sunt, hominibus et volatilibus et animantibus terrae, in escam ». Unde patet quod tunc animalia animalium esu non vivebant, sed concorditer herbis et fructibus vescebantur. — Augustinus tamen videtur dicere contrarium, I *Contra Manichaeos*[2], dicens: « Hinc quivis[b] admoneri debet non carnaliter haec esse intelligenda, quia herbae virides et ligna fructifera omni generi bestiarum et omnibus volatilibus et omnibus serpentibus, Gen. 3, dantur in cibum, cum videamus leones et accipitres et milvos et aquilas non pasci nisi carnibus ». Respondeo: Intellectus Augustini referendus est ad statum post peccatum, quia ante esu[c] animalium non sustentabantur. — Quod autem animalia erant mansueta et domestica ante peccatum, patet ex Glossa supra dicta[3], quae est: « In testimonium primae creationis legimus aves sanctis viris servisse et rictus bestiarum et serpentum venenum cessisse », sicut experimento scitur de sancto Cutbertho[4], in[d] cuius insulam aves intrantes domesticae et mansuetae fiunt, exeuntes autem fiunt sylvestres.

4. Ad aliud quod obicitur quod 'animalia non erant homini subiecta, per hoc quod adducta erant ad Adam per ministerium angelorum' etc.: dicendum quod hoc non oportet. Sicut enim ponit Augustinus[5], mirabilia, quae fiebant in Aegypto, utpote in conversione virgae Moysi in colubrum et in conversione aquae in sanguinem et huiusmodi, quodam modo erant naturalia[e], quia in illis, ex quorum conversione fiebant colubri et sanguis, scilicet in virga et aqua, seminaliter erant coluber et sanguis et tempore prolixiore possent ex eisdem fieri operatione naturae; sed, quia haec ex illis repente producebantur in esse ministerio angelorum, quod non posset natura fieri, huiusmodi productio est mirabilis. Sicut ergo in illis operibus, quae facta fuerunt ministerio angelorum, fieri possent[f] natura inferiori, licet[g] non eo modo, id est ita repente, similiter potest dici in proposito quod bene posset Adam[h] animalia omnia congregasse, sed ipsa congregatio non fuisset ita repentina, sicut illa quae fiebat per ministerium angelicum.

5. Ad aliud quod obicitur quod 'vires naturales non erant omnino subiectae' etc.: dicendum quod in statu illo natura ita obediebat voluntati et voluntas ita fuit concors et conformis naturae, quod etiam vires naturales non excesserunt terminos voluntatis. Praeterea, non est omnino simile de viribus et huiusmodi animalibus, quia animalia erant quodam modo capacia disciplinae, ut illa quae habent auditum et memoriam quamdam et nata sunt moveri ad partes oppositas: huiusmodi vires non sunt natae[i] moveri nisi ad unam partem. — Ad illud quod subiungitur quod 'sive vellet sive nollet[k], exercerent officia sua secundum instinctum[l] naturae': dicendum quod in statu illo voluntas fuit omnino concors[m] naturae. Quia enim natura omnino fuit ordinata et voluntas similiter, propterea penitus fuerunt concordes. Supposito autem quod primus homo sive liberum arbitrium eiusdem aliquid imperaret vel[n] viribus naturalibus ipsius hominis primi vel animalibus quibuscumque quod esset contra eorum naturam, quia imperium illius minus esset rationabile, non videtur mihi necesse quod obedirent imperanti; in aliis autem, quae non essent contra, obedirent.

6. Ad illud quod obicitur per verbum Hieronymi, dicendum quod non est intelligendum ex verbis Hieronymi[o] quod homo caruisset dominio animalium nisi[p] fuisset lapsurus, sed quod illi primordiali dominio ante peccatum accessit qualis nunc est adminiculatio post peccatum. Ex illo namque dominio primo[q] habet adhuc homo quod edomat animalia cetera et eis utitur ad necessarium huius vitae poenalis subsidium, cuiusmodi usu non indiguisset homo nisi peccasset. Huiusmodi autem adiutorium praeordinavit Deus[r] homini lapso de animalibus futurum: sic enim sua sapientia disposuit rerum ordinem, ut, sive laberetur[s] homo sive perseveraret absque peccato, omnia ei subiecta forent et deservirent congruenti ministerio. Verumtamen, si non peccasset homo, ministrassent homini leni et obedienti obsequio; postquam autem peccavit homo, excanduit[t] creatura in tormentum

---

[a] SZ *credulitatis.* [b] VT *Huic quis* pro *h. q.*; S *dum* pro *debet.* [c] Z *esum.* [d] SL *autem.* [e] T add. *est.* [f] Z add. *ministerio angelorum.* [g] VT *sed.* [h] S om. [i] T *nature.* [k] Z om. *s. n.* [l] L *institutum*, quod F corr. [m] VT *actus.* [n] LZ *et.* [o] T add. *nisi.* [p] VT om., LZ *non*; Z om. *fuisset.* [q] T om. [r] VT *Dominus.* [s] VT *laboraret*, alii *laboraretur.* [t] Z *extendit*; SRLZ *creaturam* pro *creatura*, quod F corr.

[1] *Ordin.*, in h. l., ap. Lyran., ex Beda, *In Hexaëm.*, I (PL 91, 32).

[2] Cap. 20 (PL 34, 188).

[3] Cf. supra, p. 781, nota 4.

[4] Cf. Beda, *De vita et miraculis S. Cutberthi*, c. 12 et 20 (PL 94, 750, 760).

[5] Cf. *De Trinit.*, III, c. 7 sq. (PL 42, 875); *In Heptat.*, II, q. 21 (PL 34, 602); supra, num. 248 sq.

adversus iniustos. Nec tamen in torquendo destitit ab obsequendo, quia ea quae nociva dicuntur, aut poenaliter, ut iustum est, laedunt aut salubriter exterrent [a] aut utiliter probant aut ignorantes docent, et sic semper aliquem usum utilem homini subministrant.

CAPUT III. 523

UTRUM ADAM DOMINABATUR CREATURIS CARENTIBUS SENSU.

Sequitur inquirere utrum primus homo dominabatur creaturis carentibus sensu.

Quod sic, videtur: *a.* Gen. 1,26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis terrae universaeque creaturae.* Ecce quod datum fuit illi dominium super universam creaturam.

b. Item, sicut habetur ab Augustino [1], curam animalium Deus homini reliquit, ut dominationi illius subicerentur a quibus debuerat obsequium accipere; sed, si animalia subiciebantur [b] dominationi hominis, quia homo ab illis debuit [c] accipere obsequium, multo fortius carentes sensu, ut plantae, eius debebant subici dominio, a quibus debuit accipere alimentum. Dicitur enim Gen. 1,29: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram* [d], *et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.*

c. Item, Hugo [2]: « Prius [e] opifex Deus mundum fecit ac [f] deinde hominem, possessorem et dominum mundi, ut ceteris omnibus iure conditionis dominaretur homo, ipsi, a quo factus fuerat, soli voluntaria libertate subiectus ».

d. Item, idem [3]: « Homo factus est ut Deo serviret propter quem factus est, et mundus factus est ut serviret homini propter quem factus est [g] ».

Ex iis patet quod homo non solum accepit dominium sensibilium, sed etiam insensibilium et omnino partium mundi sive ipsius mundi, sicut etiam dicit Damascenus [4].

Contra hoc est [h] multipliciter instare. 1. Primo in corporibus supracaelestibus, quorum motus non est electivus, sed ex necessitate, et secundum necessitatem motus est necessitas influentiae; unde neque quantum ad motum neque quantum ad [i] influentiam subiacent hominis imperio neque subiecta essent, si homo stetisset. — Praeterea, probabiliter praesumitur, si homo stetisset, quod aliquae impressiones et innovationes accidissent circa corpus humanum ex necessaria influentia corporum supracaelestium [k] in corpora inferiora, cum illa influentia sit a dispositione divinae providentiae illis naturaliter indita respectu corporum animalium et mutabilium; sed propter influentiam corporum supracaelestium in [l] inferiora et impressiones et immutationes relictas dicuntur corpora superiora dominari [m] inferioribus; ergo videtur quod in statu ante lapsum corpora supracaelestia dominabantur corpori primi hominis: propter quod magis subiciebatur primus homo corporibus caelestibus quam e converso.

2. Similiter videtur instantia in elementis, quorum est continua actio et passio et ex necessitate secundum motum [n] corporum superiorum per accessum et recessum est [o] generatio et corruptio in partibus mundi [5]; quorum autem actio est secundum impetum et ex necessitate, non videntur [p] aliquo modo hominis subiacere imperio nec eius dominio subesse.

3. Similiter videtur esse [q] instantia in levibus et gravibus, quae secundum naturam eis inditam necesse habent uniformiter moveri, gravia scilicet deorsum et levia sursum, quae, ut probabiliter praesumitur, nullius hominis imperio ad motus contrarios se inclinarent.

Respondeo: Dicendum [r] absque dubio, sicut dicit textus Gen. 1,28, quod [s] homo dominaretur universae creaturae insensibili, si stetisset. Sed attendendum quod duplex est dominandi modus secundum quod spectat ad propositum. Uno enim modo dicitur quis dominari alicui creaturae, cum super eam habet ius in possidendo et [t] eadem uti potest pro voto in sua utilitate et commodo, ita quod nihil ipsius rei utibilis adversetur voluntati utentis: et hoc modo homo dominabatur creaturis insensibilibus, quae homini deserviebant in suis actibus, et homo sine repugnantia et difficultate poterat eis uti valde libere. — Alius est modus dominandi, cum non solum eo cui dominatur potest uti libere, sed etiam potest ei indifferenter praecipere modo unum, modo aliud,

---

[a] Z *excercent.* [b] Z *subicerentur.* [c] Z *debuerat.* [d] R om. *s. t.* [e] Z *pius.* [f] VT *et;* R om. *hominem.* [g] R om. *et mundus... est.* [h] T om. [i] SRLZ om. *n. q. a.* [k] V *celestium.* [l] SRLZ om. [m] Z add. *in.* [n] T om. [o] Ita F (corr.), alii *et.* [p] V *videtur.* [q] S om. *s. v. e.* [r] RZ *quod;* SFL add. *quod.* [s] SFRLZ om. [t] T *ut.*

1 Cf. *De Gen. ad litt. lib. imperf.*, c. 16, n. 54 (PL 34, 241); cf. supra, p. 782, nota 5.

2 *De sacram. christ. fid.*, I, p. 2, c. 1 (PL 176, 205).

3 Loc. cit.

4 Cf. *De fide orthod.*, II, c. 11 (PG 94, 911).

5 Cf. Aristot., *De generat. et corrupt.*, II, c. 10 (II, 465).

secundum voluntatis suae nutum et imperium: et hoc modo non dominabatur creaturis insensibilibus, sed [a] tantum sensibilibus secundum quod sensibiliter moventur et natae sunt moveri in oppositas partes. Et ratio huius est quia creaturae insensibiles moventur secundum naturalem inclinationem, quae est ad unam partem tantum; unde lapis determinate tendit ad centrum et ignis sursum. Ideo, nisi salvo naturae ordine secundum suam primam conditionem, nihil Adam eis praeciperet, quippe cum non sint natae nisi uno modo currere et magis agi quam agere, sed [b] eas sineret agere proprios motus; et dum illis motibus uteretur ad suum commodum et per [c] complacentiam acceptaret, omnia sibi deservirent [d]. Sed creaturae sensibiles, quae aliquo modo essent disciplinae capaces, illae scilicet quae habent auditum iuxta memoriam et quae natae sunt ad oppositas partes moveri, utique [e] obtemperarent in omnibus quae naturae non contrariarentur, sicut tactum est superius [1]. Concedendum est [f] igitur quod Adam dominaretur creaturis insensibilibus, licet non omni modo quo sensibilibus [g]. Unde concedendae sunt etiam rationes quae hoc ostendunt.

[Ad obiecta]: 1. Ad illud quod obicitur quo [h] videtur concludi quod 'corpora supracaelestia [i] dominabantur corpori primi hominis ante lapsum': dicendum quod non [k] est verum, quia, proprie loquendo, illa corpora dicuntur aliis dominari, quorum virtute abicitur de substantia illorum quibus dominantur et [l] fiunt in illis innovationes [m] corruptionum: quod non fiebat neque fieri conveniebat circa corpus primi hominis. Unde, si stetissent primi homines, non haberent illud dominium corpora supracaelestia [n] in corporibus humanis quod modo habent [2], sed potius in illis, quae illis convenirent [o], praestitissent obsequium.

2-3. Ex iis patet responsio ad omnia praedicta.

Sed adhuc contra hoc obicitur quia [p] elementa et elementata obediebant hominibus, scilicet Eliae et Eliseo. Ad sermonem enim [q] Eliae caelum continuit pluviam, Iac. ultimo, 17, III Reg. 17, 16, et multiplicata est farina et oleum, eodem [3]. Ambrosius, in [r] libro *De officiis* [4]: « Sermonem locutus est Elias, et pluvia stetit nec cecidit super terram tribus annis et sex mensibus. Iterum locutus est, et *hydria farinae non defecit* [5] et vas olei toto famis tempore divine non est [s] exinanitum ». Et eodem [6]: « Eliseus autem aut [t] in solitudine Iordanem transitu suo dividit [u] ut pars defluat posterior, superior autem in fontem recurrat, IV Reg. 2, 8, aut ferrum securis excussum et in fluvii Iordanis mersum [v] profundo, misso in aquas ligno, facit supernatare, IV Reg. 6, 6 ». Fortiori ratione videtur quod debebant primo homini obedire, cui a Domino data fuit specialiter praesidentia et dominium creaturarum.

Respondeo quod in operibus praedictis elementa et elementata obediebant Deo, non homini [7]. Opera enim praedicta fiebant, non virtute naturae, sed potius supra naturam, ad [x] preces sanctorum Prophetarum. Unde Iac. ultimo, 17: *Elias erat homo similis nobis passibilis et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit.* Unde in operibus praedictis Prophetae non fuerunt auctores operum, sed vel impetratores [y] mediante oratione vel denuntiatores divinae voluntatis praedicta operantis.

EXPLICIT PRIMA PARS SECUNDI LIBRI.

[a] L *hoc*, Z *licet*. [b] VT *si*. [c] S om. [d] Ita F (corr.), Z *deservient*, alii *deservienti*. [e] Ita F (corr.), alii *atque*. [f] Z om. [g] VT om. *licet... sensibilibus*. [h] Ita VT, SLZ om., F om. *o. q.* [i] SF *supercelestia*. [k] L om. [l] S om., in F est add. interl. [m] VT *dominationes*. [n] STF *supercelestia*. [o] T *conveniunt*. [p] T *quod*. [q] VT om. [r] F *ilj*. [s] F om. [t] T om. [u] VT om. [v] VSL *nisum*, T *visum*. [x] L om. [y] Ita F (corr.), alii *imperatores*.

1 Cf. supra, p. 782, *ad 5*.
2 Cf. supra, num. 289, II.
3 III Reg. 17, 16.
4 Lib. III, c. 1, n. 4 (PL 16, 146).
5 III Reg. 17, 16.
6 Loc. cit., n. 6 (PL 16, 147).
7 Cf. supra, num. 282.

INDEX QUAESTIONUM

PRIMAE PARTIS SECUNDI LIBRI

SUMMAE THEOLOGICAE

Q = Quaestio; Tit. = titulus; Dist. = distinctio; M = membrum; c = caput; a = articulus; probl. = problema; part. = particula.

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
		INQUISITIO PRIMA	
		De creatura in communi.	
		TRACTATUS PRIMUS	
		DE CREATURA SECUNDUM FIERI.	
		SECTIO I.	
		DE CREATURA SECUNDUM CAUSAM.	
Q. 1		**Q. I. De causa prima secundum substantiam.**	
M. 1	1	c. 1. Si est principium primum	2
	2	c. 2. Quid sit principium primum	2
M. 2		c. 3. Utrum sint plura principia.	
a. 1	3	a. 1. Utrum sint duo principia, unum boni et alterum mali . . .	4
a. 2	4	a. 2. Utrum sint duo principia, unum boni spiritualis et alterum boni corporalis	7
a. 3	5	a. 3. Utrum boni corporalis sint duo principia	11
Q. 2		**Q. II. De causa prima secundum rationem.**	
		TIT. I. *De causa prima ut causa habitualiter dicta.*	
		M. I. De ratione causae habitualiter dictae in communi.	
M. 1	6	c. 1. Utrum rationes efficientis, exemplaris et finalis sint ab aeterno . .	14
M. 2	7	c. 2. Utrum hae rationes sint in eadem essentia an differentes . . .	16
M. 3	8	c. 3. De ordine istarum rationum inter se	16
Q. 3		M. II. De causa exemplari.	
M. 1	9	c. 1. Utrum causa exemplaris sit de necessitate	17
M. 2	10	c. 2. Si est una causa exemplaris aut plures	18
M. 3			
a. 1	11	c. 3. Utrum causa exemplaris dicatur respectu possibilium	19
a. 2	12	c. 4. Utrum causa exemplaris dicatur respectu malorum	20
	13	c. 5. Quid sit esse vitam in ipso	21
Q. 4		M. III. De causa finali.	
M. 1	14	c. 1. Utrum sit una causa finalis prima	23
M. 2	15	c. 2. Utrum ista causa finalis sit idem quod essentia divina. . . .	24
M. 3	16	c. 3. Utrum omnia appetant hanc rationem causae finalis	25
Q. 5		M. IV. De causa efficiente.	
M. 1	17	c. 1. Utrum tantum sit causa efficiens esse et non ipsius non-esse . .	26

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 2	18	c. 2. Utrum sit voluntate an necessitate causa efficiens	27
M. 3	19	c. 3. Utrum per se sit causa an aliquo adiuncto	29
Q. 6		TIT. II. *De causa prima ut causa actualiter dicta.*	
M. 1	20	M. I. De ratione causae in actu prout dicitur: *Ex ipso* etc.	30
M. 2		M. II. De ipsa actione qua causa est in actu suo primo.	
a. 1	21	c. 1. Utrum creare sit facere	32
a. 2	22	c. 2. Utrum creare sit primus actuum divinorum	33
a. 3	23	c. 3. Utrum creare sit idem quod essentia divina	34
a. 4	24	c. 4. Utrum creare sit proprium Dei	35
a. 5	25	c. 5. Utrum creare sit in tempore vel cum tempore vel ante tempus	36
a. 6	26	c. 6. Utrum philosophi pervenerint ad notitiam creationis	37
		SECTIO II.	
		DE CREATURA SECUNDUM PROPRIETATES.	
Q. 7		**Q. I. De proprietatibus creaturae relictis ex rationibus causarum.**	
		M. I. De mensura, numero et pondere.	
M. 1	27	c. 1. Quid iis rationibus designetur	38
M. 2	28	c. 2. Utrum hae rationes conveniant omni creaturae universaliter	40
M. 3	29	c. 3. Utrum hae rationes conveniant solum creaturae	41
M. 4	30	c. 4. Ex qua parte accipiantur hae rationes	42
M. 5	31	c. 5. Quare sint tot proprietates et non plures	42
M. 6	32	c. 6. Utrum creatura sine iis intelligi vel esse possit	43
M. 7	33	c. 7. De differentia istarum dispositionum ad alias.	43
Q. 8		M. II. De vestigio.	
M. 1	34	c. 1. Utrum vestigium dicatur uno modo vel differenter.	44
M. 2	35	c. 2. Quid dicatur vestigium secundum quod convenit creaturis	45
M. 3	36	c. 3. Utrum vestigium conveniat omnibus creaturis.	45
M. 4	37	c. 4. Utrum vestigium conveniat secundum magis et minus	46
M. 5	38	c. 5. Utrum vestigium proprie dicatur Trinitatis aut Unitatis aut utriusque	47
M. 6	39	c. 6. Utrum possit tolli ratio vestigii a creatura	48
M. 7	40	c. 7. Utrum per vestigium sit manuductio ad causam cuius est vestigium	48
Q. 9		**Q. II. De ipso fieri et concomitantibus illud.**	
		M. I. De ipso fieri seu creari.	
M. 1	41	c. 1. Utrum creari sit quoddam mutari vel non	50
M. 2	42	c. 2. Utrum creari sit aliud quam esse creaturae vel idem	51
M. 3	43	c. 3. An creari sit aliquod creatum ut medium inter Creatorem et creaturam.	52
M. 4	44	c. 4. An creari conveniat tantum materiae et formae	52
M. 5	45	c. 5. Utrum creari conveniat rebus quae fiunt a natura et a voluntate creata.	53
M. 6	46	c. 6. Utrum creari conveniat solis substantiis	54
M. 7	47	c. 7. Utrum creari conveniat uni rei prius quam alii	55
M. 8	48	c. 8. Utrum creari procedat a Creatore ministerio creaturae	56
		M. II. De concomitantibus ipsum fieri.	
M. 9	49	c. 1. Utrum creari sit in tempore	57
M. 10	50	c. 2. Qualiter accipiatur hoc ipsum 'nihil'	58
		TRACTATUS SECUNDUS	
		DE CREATURA SECUNDUM ESSE.	
Q. 10		**Q. I. De creatura secundum substantiam.**	
M. 1	51	c. 1. Utrum per se dicatur creatum compositum ex materia et forma	60
M. 2	52	c. 2. Quare potius sub ratione caeli et terrae dicatur creatio.	61
M. 3	53	c. 3. Utrum esse creati sit sub ratione universalis vel particularis.	63

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
		Q. II. De creatura secundum quantitatem.	
Q. 11		TIT. I. *De unitate et multitudine creati.*	
M. 1	54	c. 1. Utrum unum tantum sit a Primo immediate an multa	63
M. 2	55	c. 2. Quae sit causa multitudinis	68
Q. 12		TIT. II. *De simplicitate et compositione creati.*	
M. 1	56	M. I. Utrum simplicitas conveniat omni creaturae	70
M. 2		M. II. De causa compositionis.	
a. 1	57	c. 1. Unde veniat compositio secundum quod huiusmodi	71
a. 2	58	c. 2. De causa compositionis in qua sunt diversa componentia . . .	72
a. 3		c. 3. De compositione prima ex 'quod est' et 'quo est'.	
	59	a. 1. Utrum haec compositio conveniat omni creaturae	74
	60	a. 2. Utrum haec compositio sit universalior quam illa quae est ex materia et forma	75
	61	a. 3. Secundum quam rationem accipiatur dignitas istius compositionis .	76
a. 4	62	c. 4. Utrum ratio componibilis conveniat omni rei	76
Q. 13		TIT. III. *De mutabilitate creati.*	
M. 1	63	c. 1. Utrum mutatio dicatur aequivoce an univoce de creatione et de conditione.	77
M. 2	64	c. 2. Utrum omnis creatura sit mutabilis.	78
M. 3	65	c. 3. Utrum creatura sit mutabilis in non-esse omnino	80
M. 4	66	c. 4. Utrum Deus possit conferre creaturae omnimodam immutabilitatem .	82
Q. 14		TIT. IV. *De temporalitate creati.*	
M. 1		c. 1. Utrum aeternitas conveniat mundo.	
a. 1	67	a. 1. Utrum mundus sit aeternus ex parte initii.	84
a. 2	68	a. 2. Utrum mundus sit aeternus ex parte finis.	88
a. 3	69	a. 3. Utrum mundus sit aeternus per privationem principii ratione motus.	91
M. 2	70	c. 2. De coaevitate mundi vel eorum quae primo creata sunt in mundo .	92
M. 3	71	c. 3. Utrum mundus incepit esse secundum quod philosophi loquuntur de verbo 'incipiendi'	95
Q. 15		TIT. V. *De localitate creati.*	
M. 1	72	c. 1. Utrum omnis creatura sit localis	96
M. 2	73	c. 2. Utrum omnis creatura habeat eamdem differentiam localitatis . .	97
M. 3	74	c. 3. Utrum creatura possit esse sine localitate	98
Q. 16		**Q. III. De creatura secundum qualitatem seu de pulcritudine creati.**	
M. 1	75	c. 1. Quid sit pulcrum	99
M. 2	76	c. 2. Quae sit differentia pulcri et apti	100
M. 3		c. 3. Cui rei convenit pulcrum.	
	77	a. 1. Utrum malum culpae dicatur pulcrum	100
	78	a. 2. Utrum malum dicatur pulcrum	101
	79	a. 3. Utrum res monstruosae dicendae sint pulcrae	101
M. 4	80	c. 4. Utrum pulcritudo possit augeri vel minui in mundo	102
M. 5	81	c. 5. Ex quibus colligatur principaliter mundi pulcritudo	103
M. 6		c. 6. Quae conferant ad pulcritudinem universi.	
a. 1	82	a. 1. Utrum mala conferant ad pulcritudinem universi	104
a. 2	83	a. 2. Utrum bona mutabilia conferant ad pulcritudinem universi . .	105
a. 3	84	a. 3. Utrum mirabilia conferant ad pulcritudinem universi. . . .	106
a. 4	85	a. 4. Si incarnatio cum sacramentis consequentibus pertineat ad pulcritudinem universi	107
Q. 17		**Q. IV. De creatura secundum relationem seu de ordine universi.**	
M. 1	86	c. 1. Quid sit ordo	109
M. 2	87	c. 2. Utrum ordo sit in universo et in se et in partibus suis. . . .	109

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 3	88	c. 3. Utrum omnia sint ordinata ad hominem	111
M. 4	89	c. 4. Cuiusmodi sit ordo	112
M. 5	90	c. 5. Quae sit causa ordinis	114
Q. 18		**Q. V. De perfectione universi.**	
M. 1	91	c. 1. Secundum quem modum dicatur universum perfectum	115
M. 2	92	c. 2. Utrum perfectio universi sit tantum in bonis an etiam in malis	115
M. 3		c. 3. Utrum aliquibus bonis deficientibus sit perfectio.	
	93	a. 1. Utrum, si deessent angeli, deesset perfectio universi	116
	94	a. 2. Utrum sine minoribus creaturis esset perfectum universum	117
	95	a. 3. Utrum sine rebus minoribus, quae nocent homini, remaneret universitas perfecta.	117
M. 4	96	c. 4. Utrum anima mundi sit perfectio universi	118
M. 5	97	c. 5. Utrum perfectio universi attendatur respectu rerum in genere vel in specie vel etiam in individuis	119
M. 6	98	c. 6. Utrum quodlibet quod est in mundo dicatur imperfectum respectu illius perfectionis	120
		INQUISITIO SECUNDA	
		De angelis.	
		TRACTATUS PRIMUS	
Q. 19		DE ANGELIS SECUNDUM FIERI.	
		Q. unica.	
M. 1	99	c. 1. Utrum angeli prius creati sint quam aliae creaturae	122
M. 2	100	c. 2. Utrum angeli conditi sint in naturalibus tantum vel etiam in gratuitis	123
M. 3		c. 3. De loco in quo angeli creati sunt.	
a. 1	101	a. 1. Si necesse fuit esse locum corporalem in quo crearentur angeli	126
a. 2	102	a. 2. Utrum locus creationis angelorum fuerit caelum empyreum	128
a. 3	103	a. 3. Qua ratione dicatur caelum empyreum repletum angelis	129
		TRACTATUS SECUNDUS	
Q. 20		DE ANGELIS SECUNDUM ESSE SUBSTANTIALE.	
		Q. unica.	
M. 1	104	c. 1. An sit angelus	131
		c. 2. Quid sit angelus genere.	
M. 2	105	a. 1. Utrum angelus sit lumen spirituale ex conditione suae naturae	133
§ 1	106	a. 2. Qua ratione angelus dicatur substantia	134
		c. 3. Quid sit angelus secundum rationem.	
M. 3	107	a. 1. De definitione angeli a Damasceno posita	136
§ 1	108	a. 2. De definitione angeli a Dionysio posita	139
M. 4		c. 4. De personalitate angeli.	
a. 1	109	a. 1. An sit personalitas in angelo	144
a. 2	110	a. 2. Secundum quam rationem conveniat personalitas angelo	145
a. 3	111	a. 3. De discretione personali angelorum	147
M. 5	112	c. 5. De essentiali differentia angeli et animae	149
M. 6		c. 6. De differentia angelorum inter se.	
a. 1	113	a. 1. Utrum angeli inter se differant specie.	153
a. 2	114	a. 2. Utrum in una specie angelica sint multa individua aut non	155
a. 3	115	a. 3. De causa multitudinis angelorum	156

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
		TRACTATUS TERTIUS	
Q. 21		DE ANGELIS SECUNDUM POTENTIAS ET ACTUS.	
		SECTIO I.	
		DE ANGELI POTENTIA IN GENERE.	
		Q. unica.	
M. 1	116	c. 1. Utrum in angelis potentia sit eadem cum essentia	158
M. 2	117	c. 2. Utrum potentia angeli sit semper in actu	159
M. 3	118	c. 3. Utrum in angelis sit una potentia vel plures	160
		SECTIO II.	
		DE ANGELI POTENTIIS ET ACTIBUS IN SPECIE.	
		Q. I. De angeli potentia cognitiva et huius actu proprio.	
Q. 22		TIT. I. *De potentia cognitiva angeli.*	
M. 1	119	c. 1. Utrum sit tantum potentia intellectiva in angelis an etiam sensitiva .	162
M. 2	120	c. 2. Utrum in angelo sit intellectus cum ratione aut sine ratione. . .	163
M. 3	121	c. 3. Utrum intellectus angeli sit agens tantum aut possibilis . . .	165
M. 4	122	c. 4. Utrum intellectus speculativus et practicus conveniant angelo . .	165
		TIT. II. *De actu proprio potentiae cognitivae angeli.*	
Q. 23		M. I. De modis cognoscendi.	
M. 1	123	c. 1. Quare cognitio angeli appelletur matutina et vespertina. . . .	167
M. 2	124	c. 2. Utrum utraque haec cognitio angeli sit naturalis	168
M. 3	125	c. 3. De sufficientia huius divisionis	169
M. 4	126	c. 4. De comparatione unius cognitionis ad aliam	170
M. 5	127	c. 5. Utrum cognitio, qua cognoscunt angeli Verbum, sit matutina aut vespertina.	172
M. 6	128	c. 6. An daemones habuerint cognitionem matutinam et vespertinam . .	173
Q. 24		M. II. De differentiis cognoscibilium.	
M. 1	129	c. 1. Qualiter cognoscat angelus quod supra se est, scilicet Deum . .	175
M. 2	130	c. 2. Qualiter cognoscat angelus quod iuxta se est, scilicet angelum . .	176
M. 3	131	c. 3. Qualiter angelus cognoscat quae sunt infra se, scilicet corporalia. .	179
M. 4	132	c. 4. Qualiter angelus cognoscat habitus qui sunt in se	179
Q. 25		c. 5. Utrum angeli praescierint suam confirmationem vel casum.	
M. 1	133	a. 1. Utrum angeli boni praeviderint suam permanentiam	180
M. 2	134	a. 2. Utrum mali angeli praescii erant sui casus	181
M. 3	135	a. 3. Qualiter intelligatur verbum Augustini « sapientia est fructus pietatis ».	183
Q. 26			
M. 1	136	c. 6. Utrum angeli praescierint mysterium incarnationis	183
		c. 7. Quam cognitionem habuerint angeli de rebus ordinis naturalis.	
M. 2	137	a. 1. Quo modo angeli cognoverint res naturales	184
M. 3	138	a. 2. Quo modo angeli cognoscant ea quae subsunt libero arbitrio . .	185
M. 4	139	a. 3. Utrum angeli habuerint a principio posse cognoscere futura . .	186
M. 5	140	a. 4. Utrum angeli naturali cognitione potuerunt cognoscere Deum venisse in carnem	187
M. 6	141	c. 8. De comparatione cognitionis angelicae ad humanam in velocitate cognoscendi	189
Q. 27		TIT. III. *De potentia cognitiva angeli in actu consequenti seu de locutione.*	
M. 1	142	c. 1. Utrum sit locutio in angelis	190
M. 2		c. 2. Utrum locutio dicatur multipliciter.	
	143	a. 1. Utrum dicatur locutio angeli respectu Dei vel angeli vel animae .	191
a. 1	144	a. 2. Utrum locutio Dei et angeli dicatur aequivoce	192
a. 2	145	a. 3. Utrum una sit locutio Dei et angeli	193
M. 3	146	c. 3. Quid sit locutio angeli ad angelum.	194
M. 4	147	c. 4. Quae sit differentia locutionis ab aliis actibus angeli	195

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 5	148	c. 5. Utrum omnium angelorum sit locutio	196
M. 6	149	c. 6. Utrum locutio angeli fiat per medium et per quod medium	197
M. 7	150	c. 7. Utrum necessario sit auditio existente locutione	198
		Q. II. De potentia motiva angeli.	
		TIT. I. *De potentia motiva interiori angeli et eius actu.*	
Q. 28		DIST. I. *De differentiis motivae interioris angeli.*	
		M. I. De motiva secundum naturam.	
M. 1	151	c. 1. Utrum synderesis sit in angelis	199
M. 2	152	c. 2. Utrum voluntas naturalis sit vel fuerit in angelis	200
Q. 29		M. II. De motiva secundum electionem.	
M. 1		c. 1. De libero arbitrio in se.	
a. 1	153	a. 1. Utrum liberum arbitrium sit in angelo	202
a. 2	154	a. 2. Quid sit liberum arbitrium in angelo	203
a. 3	155	a. 3. Utrum liberum arbitrium aeque sit in angelo et in homine	204
a. 4	156	a. 4. Utrum similis vertibilitas sit vel fuerit in angelo et in homine	206
a. 5	157	a. 5. Utrum libertas arbitrii sit in angelo per voluntatem	207
a. 6	158	a. 6. Utrum vertibilitas liberi arbitrii in homine et in angelo sit ex eodem principio	208
a. 7	159	a. 7. Utrum versio liberi arbitrii in bonis angelis fuerit in primo instanti.	208
M. 2		c. 2. De ratione in angelo.	
	160	a. 1. Utrum ratio superior et ratio inferior sint in angelis	210
	161	a. 2. Utrum in angelis possit esse duplex motivum	211
M. 3	162	c. 3. Utrum irascibile et concupiscibile sint in angelis	212
		DIST. II. *De actu virtutis motivae interioris.*	
Q. 30		M. I. De dilectione naturali angeli.	
M. 1		c. 1. De dilectione naturali in primo statu.	
a. 1	163	a. 1. An in statu innocentiae sit numerus diligendorum et quis sit	214
		a. 2. De ordine diligendorum.	
a. 2	164	probl. 1. Utrum dilectio naturalis sit ordinata in angelo	216
		probl. 2. Quid sit ordo diligendorum.	
§ 1	165	part. 1. Utrum angelus diligatur a se naturali dilectione	217
§ 2	166	part. 2. Utrum dilectione naturali angelus magis diligat Deum quam se aut e converso.	217
§ 3	167	part. 3. Utrum unus angelus diligat alium dilectione naturali sicut se.	220
§ 4	168	part. 4. Quo ordine angelus diligat hominem ratione animae vel corporis.	220
a. 3		a. 3. De ratione naturalis dilectionis in angelo.	
	169	probl. 1. Utrum in dilectione naturali prima ratio diligendi sit Deus	221
	170	probl. 2. Utrum sit differentia inter dilectionem naturalem et mercenariam in angelo	222
M. 2	171	c. 2. Utrum dilectio naturalis sit modo in bonis angelis.	223
M. 3	172	c. 3. Utrum sit dilectio naturalis in malis angelis	224
Q. 31		M. II. De dilectione electiva angeli.	
M. 1	173	c. 1. An dilectio electiva sit in angelis	225
M. 2	174	c. 2. Utrum dilectione electiva diligatur Deus ab angelo	226
M. 3	175	c. 3. Utrum dilectione electiva diligatur Deus ab angelo super omnia	227
M. 4	176	c. 4. Utrum dilectione electiva angelus diligat se et alium angelum	228
Q. 32		TIT. II. *De actu potentiae motivae exterioris angeli.*	
		M. I. De motu angeli in se, non assumpto corpore.	
		c. 1. De localitate angeli.	
M. 1	177	a. 1. Utrum angelus sit in aliquo loco corporali.	229
M. 2	178	a. 2. Utrum angelus sit ubique simul et semel	231
M. 3	179	a. 3. Utrum angelus simul possit esse in pluribus locis	232

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
Q. 33		c. 2. De motu locali angeli.	
M. 1	180	a. 1. Utrum angelus moveatur localiter	233
M. 2	181	a. 2. Utrum necesse sit angelum moveri per medium.	235
M. 3	182	a. 3. Utrum angelus ex se habeat moveri localiter	236
Q. 34		M. II. De motu angeli assumpto corpore.	
		c. 1. De assumptione corporis.	
M. 1	183	a. 1. Utrum angelus de natura sua habeat corpus	238
M. 2	184	a. 2. Utrum angelus indigeat corpore ad operationem	239
M. 3	185	a. 3. Quid dicatur angelus assumere	240
M. 4	186	a. 4. De quo corpore angelus assumat corpus	240
M. 5	187	a. 5. Utrum angelus corpus assumptum organizet vel organizatum assumat.	242
M. 6	188	a. 6. Utrum angelus assumat corpus ad omnem actum corporis . .	243
M. 7	189	a. 7. Utrum angelus faceret species corporales in quibus Dominus apparuit in Veteri Testamento	244
Q. 35		c. 2. De actibus angeli per corpus assumptum.	
M. 1	190	a. 1. An motus sensitivus sit in corpore assumpto ab angelo . . .	245
M. 2	191	a. 2. Utrum in corpore assumpto sit vera comestio	245
M. 3	192	a. 3. Utrum motus ille fiat subito vel in tempore	246
M. 4	193	a. 4. Utrum angelus possit formare sensibilem vocem sine debito organo.	246
Q. 36		TIT. III. *De missione angeli.*	
M. 1	194	c. 1. Utrum missio sit tantum a Deo	248
M. 2	195	c. 2. Utrum tam boni quam mali angeli a Deo mittantur	248
M. 3	196	c. 3. Utrum boni angeli de singulis ordinibus mittantur.	250
M. 4	197	c. 4. Ad quid principaliter mittantur angeli	251
M. 5	198	c. 5. Utrum singuli angeli mittantur ad determinata officia	251
		Q. III. De praesidentia angelorum.	
Q. 37		TIT. I. *De praesidentia angeli super angelum.*	
		c. 1. De ipsa praesidentia.	
M. 1	199	a. 1. Utrum angeli ex natura primitus instituta aliis praesint . . .	252
M. 2	200	a. 2. Utrum angeli boni ex gratia aliis praesint.	253
M. 3	201	a. 3. Utrum mali angeli aliis malis angelis praesint	253
Q. 38		c. 2. De actu angelorum praesidentium qui est revelare.	
M. 1	202	a. 1. Utrum necessaria sit ista revelatio	254
M. 2	203	a. 2. Utrum illa revelatio sit a natura angelica	255
M. 3	204	a. 3. Quo modo fiat haec revelatio	255
Q. 39		TIT. II. *De praesidentia angelorum super animas.*	
		M. I. De praesidentia angeli super partem sensitivam animae.	
M. 1	205	c. 1. Utrum angelus habeat potestatem in sensitivam animae. . . .	256
M. 2	206	c. 2. Utrum sit fallacia in ista visione	257
M. 3	207	c. 3. Quo modo fiat illa visio	257
M. 4	208	c. 4. De quibus fiat illa visio	258
Q. 40		M. II. De praesidentia angeli super partem intellectivam animae.	
M. 1	209	c. 1. Utrum angeli habeant potestatem super intellectivam animae. . .	259
M. 2	210	c. 2. Utrum angelus possit immittere cogitationes vel incendere . . .	259
M. 3	211	c. 3. Utrum angeli dicantur incentores cogitationum tantum an etiam affectionum.	260
M. 4	212	c. 4. Quo modo angeli dicantur incendere cogitationes bonas. . . .	261
Q. 41		M. III. De praesidentia angeli super motivam sive de custodia angelica.	
M. 1	213	c. 1. Utrum angelus habeat potestatem custodiendi hominem secundum animam.	263
M. 2	214	c. 2. Utrum a natura vel a gratia habeat angelus custodire hominem . .	266
M. 3	215	c. 3. Utrum angelus superior habeat potestatem custodiendi angelum inferiorem.	266
M. 4		c. 4. Utrum custodia angelica sit circa omnes homines.	
a. 1	216	a. 1. Utrum Adam ante peccatum indigeret custodia angelica . . .	268

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 2	217	a. 2. Utrum Christus habuerit custodiam angelicam	269
a. 3	218	a. 3. Utrum parvuli, statim post Baptismum mortui, habuerint custodiam angelicam	272
a. 4	219	a. 4. Utrum Antichristus habebit custodiam angelicam	273
M. 5	220	c. 5. Utrum angelus aliquando recedat propter peccata hominis custodiendi	274
M. 6		c. 6. Utrum aliquando angelus peccet circa custodiam hominis.	
a. 1	221	a. 1. Utrum aliquando angeli negligant circa custodiam	275
a. 2	222	a. 2. Utrum angelus custodiens velit praescitum custoditum salvari vel tristetur de damnatione eius.	276
a. 3	223	a. 3. Utrum unus angelus custodiens resistat alii custodienti	277
		TIT. III. *De praesidentia angeli super creaturam corporalem seu de miraculis et mirabilibus.*	
Q. 42		M. I. De miraculis.	
M. 1	224	c. 1. Quid sit miraculum	279
M. 2		c. 2. Cui conveniat ratio miraculi.	
a. 1	225	a. 1. Utrum ratio miraculi conveniat operi creationis et gubernationis	281
a. 2	226	a. 2. Utrum ratio miraculi conveniat incarnationi	282
a. 3	227	a. 3. Utrum ratio miraculi fuit in costa Adae de qua facta est Eva.	283
a. 4	228	a. 4. Utrum ratio miraculi conveniat iustificationi	284
a. 5	229	a. 5. Utrum ratio miraculi conveniat operi glorificationis vel resurrectionis.	285
M. 3	230	c. 3. Utrum aliquid fiat a Deo contra naturam	285
M. 4		c. 4. De causis miraculi.	
a. 1	231	a. 1. De causa finali miraculi	287
a. 2	232	a. 2. De causa efficiente miraculi.	288
a. 3	233	a. 3. De causa materiali miraculi.	289
a. 4	234	a. 4. De causa formali miraculi	289
M. 5		c. 5. De rationibus secundum quas fiunt miracula.	
a. 1	235	a. 1. Utrum idem sit ratio naturalis et seminalis	290
a. 2	236	a. 2. Utrum idem sit ratio seminalis et causalis.	290
a. 3	237	a. 3. Utrum rationes causales primordiales sint in rebus aut tantum in Deo.	291
a. 4	238	a. 4. Quot sunt genera rationum	291
a. 5	239	a. 5. Utrum rationes inditae sint rebus a principio creationis	292
M. 6		c. 6. De impetratione miraculorum.	
a. 1	240	a. 1. Secundum motum cuius virtutis dicuntur impetrari miracula	293
a. 2	241	a. 2. Secundum quem articulum fiat miraculum	294
a. 3	242	a. 3. An miracula fiant ad inducendam fidem	295
Q. 43		M. II. De miraculis magorum.	
M. 1	243	c. 1. Utrum miracula magorum facta sint secundum veritatem	296
M. 2	244	c. 2. Quid faciant daemones in iis miraculis	299
M. 3			
a. 1	245	c. 3. Quid immutent daemones in mirabilibus factis secundum phantasiam tantum	300
a. 2	246	c. 4. Utrum boni plus possint facere miracula quam mali	302
a. 3	247	c. 5. Quid sit bonos christianos posse facere miracula per publicam iustitiam.	303
		INQUISITIO TERTIA	
		De creatura corporali.	
		TRACTATUS PRIMUS	
Q. 44		DE RERUM CORPORALIUM CREATIONE.	
		Q. I. De corporalium creatione in communi.	
M. 1	248	c. 1. Utrum res corporales dicantur creari ratione materiae informis	306
M. 2	249	c. 2. Utrum eadem sit informis materia caeli et terrae	308
M. 3	250	c. 3. Utrum omnes res corporales sint simul creatae	313
M. 4	251	c. 4. Utrum creatio caeli et terrae fuit ante omnem diem	314

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
Q. 45		**Q. II. De corporalium creatione in speciali.**	
M. 1	252	c. 1. Quid sit '*in principio*'	315
M. 2	253	c. 2. Quid designetur nomine caeli	316
M. 3	254	c. 3. Quid intelligitur nomine terrae.	317
M. 4	255	c. 4. Quid est dictu '*tenebrae erant super faciem abyssi*'	318
M. 5	256	c. 5. Quid sit dictu '*spiritus Domini ferebatur super aquas*'	318
		TRACTATUS SECUNDUS	
		DE RERUM CORPORALIUM DISTINCTIONE ET ORNATU SEU DE OPERE SEX DIERUM.	
Q. 46		**Q. I. De corporalium distinctione et ornatu in communi.**	
M. 1	257	c. 1. Utrum tunc omnia corporalia facta sint simul ratione materiae vel non.	319
M. 2	258	c. 2. Utrum tunc omnia corporalia facta sint in genere vel in specie	320
M. 3	259	c. 3. Utrum omnia naturalia tunc facta sint in genere et in specie	320
M. 4	260	c. 4. Utrum omnia naturalia sint facta simul in genere vel in specie	321
M. 5		c. 5. Secundum quid fiebat tunc dies et quare tot.	
a. 1	261	a. 1. Quae fuerit lux corporalis ex cuius praesentia fiebat dies.	322
a. 2	262	a. 2. Qualiter lux illa faciebat diem	322
a. 3	263	a. 3-4. Utrum lux ista sit adhuc an desierit facto sole et in quid mutata sit.	323
a. 4	264	a. 5. Utrum uno die facta sint illa prima opera	325
a. 5	265	a. 6. Quare non dicitur nox facta sicut dies	325
		Q. II. De rerum corporalium distinctione in speciali.	
Q. 47		TIT. I. *De distinctione lucis a tenebris seu de opere primae diei.*	
		M. I. De luce corporali.	
		c. 1. De luce corporali sparsa in caelo empyreo.	
M. 1	266	a. 1. An sit caelum empyreum	327
M. 2	267	a. 2. Utrum caelum empyreum sit corpus	328
M. 3	268	a. 3. Utrum caelum empyreum moveatur	329
M. 4	269	a. 4. Utrum empyreum dicendum sit caelum	330
M. 5	270	a. 5. De comparatione caeli empyrei ad alios caelos	331
Q. 48		c. 2. De luce corporali coadunata	
M. 1	271	a. 1. Utrum Deus per totum diem fecerit lucem an in principio diei.	331
M. 2	272	a. 2. Ubi sit condita lux coadunata et quare Deus a luce incepit opus suum	332
Q. 49		M. II. De luce spirituali.	
M. 1	273	c. 1. An verba '*fiat lux*' intelligantur de naturali an de gratuita factione angeli	333
M. 2		c. 2. De ordine verborum Geneseos 1, 3-5.	
	274	a. 1. De verbis '*Fiat lux*' et '*Vidit Deus lucem quod esset bona*' et '*Divisit Deus lucem et tenebras*'	334
	275	a. 2. De verbis '*Factum est vespere et mane dies unus*'	335
Q. 50		TIT. II. *De distinctione aquarum superiorum ab inferioribus seu de opere secundae diei.*	
M. 1	276	c. 1. An et quid sint aquae superiores	336
M. 2	277	c. 2. Utrum congregentur aquae superiores in modum orbis	339
M. 3	278	c. 3. Utrum illae aquae moveantur orbiculariter	340
M. 4	279	c. 4. Qua necessitate constitutae sint illae aquae super firmamentum	340
M. 5	280	c. 5. Qualiter illae aquae dicantur caelum crystallinum	341
M. 6		c. 6. De ordine verborum Geneseos.	
a. 1	281	a. 1. De verbis '*Dixit Deus*'	342
a. 2	282	a. 2. De verbis '*Fecit Deus*'	342
a. 3	283	a. 3. De firmamento in medio aquarum	343

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
Q. 51		TIT. III. *De distinctione aquarum inferiorum ab arida seu de opere tertiae diei.*	
M. 1	284	c. 1. De ordine verborum Geneseos.	344
M. 2	285	c. 2. Quare ornatus terrae non pertineat ad diem separatum	346
M. 3	286	c. 3. Utrum tunc productae sint spinae et arbores infructuosae	347
		Q. III. De rerum corporalium ornatu in speciali.	
Q. 52		TIT. I. *De ornatu firmamenti seu de opere quartae diei.*	
M. 1	287	c. 1. De factura luminarium	348
M. 2		c. 2. Ad quem usum facta sint luminaria.	
a. 1	288	a. 1. De primo actu lucis	349
a. 2	289	a. 2. Qualiter luminaria sint in signa	350
a. 3	290	a. 3. Qualiter luminaria sint in distinctionem temporum	351
a. 4	291	a. 4. De stellis et earum motu	352
Q. 53		TIT. II. *De ornatu naturae mediae seu de opere quintae diei.*	
M. 1	292	c. 1. De verbis '*Producant aquae*'	354
§ 1-3	293	c. 2. De verbis '*Reptile animae viventis*' etc..	355
§ 4	294	c. 3. De verbis '*Fecit Deus cete grandia secundum species suas*'. . .	356
M. 2	295	c. 4. De verbis '*Benedixitque eis dicens: crescite et multiplicamini*' et '*Avesque multiplicentur*'.	357
Q. 54		TIT. III. *De ornatu terrae seu de opere sextae diei.*	
		M. I. De animantibus terrestribus irrationalibus.	
M. 1	296	c. 1. De verbis '*Producat terra*' etc.	358
M. 2	297	c. 2. De minutissimis animantibus	359
Q. 55		M. II. De animante rationali.	
M. 1	298	c. 1. Cur dicitur in plurali '*Faciamus*' et quare duplicatur opus sextae diei.	360
M. 2	299	c. 2. An vox '*Faciamus*' dirigatur ad angelos vel ad Filium vel ad Spiritum Sanctum.	361
M. 3	300	c. 3. An imago in homine supponat creatum vel increatum	361
M. 4	301	c. 4. Cur dicitur singulariter '*Ad imaginem Dei creavit illum*' . . .	362
M. 5	302	c. 5. Quare dicitur creatus homo in distinctione sexus	363
M. 6		c. 6. De ordine verborum Geneseos 1, 28-31.	
	303	a. 1. De verbis '*Crescite et multiplicamini*'	363
	304	a. 2. De verbis '*Ecce dedi vobis escam*'	365
§ 1-3	305	a. 3. De verbis '*Factum est ita*' et '*Vidit Deus cuncta quae fecerat*' et '*Perfecti sunt caeli*'	366
		TRACTATUS TERTIUS	
Q. 56		DE RERUM CORPORALIUM GUBERNATIONE MULTIPLICATIONE ET COLLOCATIONE SEU DE OPERE SEPTIMAE DIEI.	
		Q. I. De gubernatione rerum corporalium.	
M. 1	306	c. 1. De verbis '*Complevit Deus die septimo*'.	367
M. 2	307	c. 2. Quare Deus benedixit diei septimo prae ceteris	368
M. 3	308	c. 3. De verbis '*Hic est liber creaturae caeli et terrae*'.	369
Q. 57			
M. 1	309	c. 4. De verbis '*Antequam foenum agri exortum esset*'	370
M. 2	310	c. 5. De verbis '*Non enim pluerat*' et '*Homo non erat qui operaretur eam*'.	371
		Q. II. De multiplicatione et collocatione rerum corporalium.	
M. 3	311	c. 1. De causa multiplicationis terrae nascentium	372
Q. 58		c. 2. De paradiso et in eo contentis.	
M. 1	312	a. 1. Descriptio paradisi	373

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 2	313	a. 2. Ad quid homo collocatus fuerit in paradiso	374
M. 3	314	a. 3. De ornatu paradisi	375
M. 4		c. 3. De multiplicatione animantium rationalium.	
§ 1	315	a. 1. De factione Evae.	378
§ 2-4	316	a. 2. De modo quo Deus fecit Evam	379
M. 5		c. 4. De multiplicatione animantium irrationalium.	
§ 1-2	317	a. 1. De factione volatilium.	380
§ 3	318	a. 2. De adductione animalium ad Adam	381
§ 4	319	a. 3. De nominibus quae Adam animalibus imposuit.	381

INQUISITIO QUARTA

De homine.

TRACTATUS PRIMUS

DE ANIMA RATIONALI.

SECTIO I.

DE ANIMA SECUNDUM SUBSTANTIAM.

Q. 59		**Q. I. De anima secundum entitatem et quidditatem.**	
M. 1	320	c. 1. An sit anima rationalis	384
M. 2	321	c. 2. Quid sit anima secundum definitionem	384
Q. 60		**Q. II. De anima secundum causas.**	
		TIT. I. *De causa materiali animae.*	
M. 1	322	M. I. Utrum anima sit de substantia Dei	389
M. 2		M. II. Utrum anima sit de materia spirituali.	
a. 1	323	c. 1. Utrum anima Adae facta sit ex materia spirituali	391
a. 2	324	c. 2. Utrum anima Evae creata fuerit in opere sexti diei	393
M. 3		c. 3. Utrum anima sit ex anima.	
a. 1	325	a. 1. Utrum in plantis anima vegetabilis sit ex vegetabili	394
a. 2	326	a. 2. Utrum in animalibus anima sensibilis sit ex sensibili	395
a. 3	327	a. 3. Utrum anima rationalis sit ex traduce	396
Q. 61		TIT. II. *De causa formali, efficiente et finali animae.*	
M. 1	328	c. 1. Utrum anima humana sit composita ex materia et forma	398
M. 2	329	c. 2. De causa efficiente animae	400
M. 3	330	c. 3. De causa finali animae rationalis	401
		Q. III. De proprietatibus animae.	
Q. 62		TIT. I. *De proprietatibus animae secundum esse absolutum.*	
M. 1	331	c. 1. Utrum anima sit simplex an composita	403
M. 2	332	c. 2. Utrum anima sit una vel plures in tribus potentiis	403
M. 3	333	c. 3. Utrum omnes animae creatae sint simul vel non	405
M. 4		c. 4. De localitate animae.	
a. 1	334	a. 1. Utrum anima habeat locum spiritualem	407
a. 2	335	a. 2. Utrum anima habeat locum corporalem	407
M. 5		c. 5. De anima ut est ad imaginem Dei.	
a. 1	336	a. 1. An anima rationalis debeat dici imago aut tantum ad imaginem	408
a. 2	337	a. 2. Utrum esse ad imaginem Dei conveniat tantum animae humanae	409
a. 3	338	a. 3. Qua ratione dicatur anima ad imaginem Dei	410
a. 4	339	a. 4. Quae sit differentia inter imaginem et similitudinem	411
a. 5	340	a. 5. Secundum quid convenit homini esse ad imaginem Dei	412

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 6	341	a. 6. Utrum imago conveniat animae penes naturalia aut gratuita et utrum secundum potentias vel actus	414
a. 7	342	a. 7. Quo modo anima rationalis sit repraesentativa imaginis divinae	415
M. 6	343	c. 6. De ordine animae rationalis in universo	416
Q. 63		TIT. II. *De proprietatibus animae relate ad corpus.*	
		c. 1. De anima quantum ad coniunctionem.	
M. 1	344	a. 1. Utrum anima et corpus sint coniungibilia	417
M. 2	345	a. 2. Utrum anima et corpus coniungantur sine medio	419
M. 3	346	a. 3. Utrum anima et corpus uniantur per unum tantum medium	420
M. 4	347	a. 4. Quo modo anima et corpus coniungantur	421
Q. 64	348	c. 2. De modo essendi animae in corpore	422
		SECTIO II. DE ANIMA SECUNDUM POTENTIAS.	
Q. 65		**Q. I. De animae potentiis in genere.**	
M. 1	349	c. 1. An anima sit sua potentia	424
M. 2		c. 2. De potentiarum distinctione.	
a. 1	350	a. 1. Utrum in anima sit una vis tantum aut plures	425
a. 2	351	a. 2. Utrum omnes potentiae debeant dici partes animae	426
a. 3	352	a. 3. Secundum quid accipiatur distinctio potentiarum	427
	353	c. 3. De comparatione virium ad invicem	428
Q. 66		**Q. II. De vi sensibili.**	
		TIT. I. *De vi sensibili cognitiva.*	
		M. I. De vi sensibili cognitiva exteriori.	
M. 1	354	c. 1. Utrum sit unicus sensus aut plures.	430
M. 2	355	c. 2. Utrum sint quinque sensus an pauciores an plures	431
M. 3	356	c. 3. Penes quid accipiatur numerus sensuum.	432
Q. 67		M. II. De vi sensibili cognitiva interiori.	
M. 1	357	c. 1. Utrum omnes vires, quas ponit Damascenus, contineantur sub sensitiva.	434
M. 2	358	c. 2. An omnes istae differentiae virium contineantur sub imaginatione.	435
M. 3	359	c. 3. Utrum omnes istae vires utantur organo et quo organo utantur	435
M. 4		c. 4. De distinctione virium sensitivarum intrinsecus cognoscentium.	
a. 1	360	a. 1. Qualiter se habeat sensus communis ad sensus particulares	437
M. 5	361	a. 2. De numero virium sensibilium cognitivarum interius.	438
Q. 68		TIT. II. *De vi sensibili motiva.*	
		M. I. De vi sensibili motiva irrationali.	
	362	c. 1. Qualiter phantasia et aestimativa dicantur motivae.	439
		c. 2. De sensualitate.	
M. 1	363	a. 1. Utrum sensualitas sit partis sensibilis aut rationalis	440
M. 2	364	a. 2. In quo genere motivae sit sensualitas.	441
M. 3	365	a. 3. Utrum sensualitas sit idem quod inferior portio rationis	441
M. 4	366	a. 4. Utrum in sensualitate sit peccatum vel non	442
§ 2	367	M. II. De vi sensibili motiva quae est suadibilis ratione	444
		Q. III. De vi rationali.	
Q. 69		TIT. I. *De vi rationali cognitiva.*	
		M. I. De comparatione harum divisionum.	
M. 1	368	c. 1. Utrum quadruplex illa divisio sumatur secundum unum modum	446
M. 2	369	c. 2. Quis sit ordo istarum divisionum	449
		M. II. De singulis divisionibus et earum differentiis.	

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 1	370	c. 1. De prima divisione Augustini: ratio, intellectus, intelligentia	449
		c. 2. De divisione Aristotelis.	
a. 2	371	a. 1. De intellectu materiali	450
a. 3	372	a. 2. De intellectu agente	451
M. 3		a. 3. De intellectu possibili.	
a. 1	373	probl. I. Utrum sit intellectus possibilis	453
a. 2	374	probl. II. Utrum intellectus possibilis sit in anima secundum quod est actus corporis aut hoc aliquid	453
a. 3	375	probl. III. Utrum intellectus sit possibilis potentia essentiali vel accidentali.	455
M. 4		c. 3. De secunda divisione Augustini.	
a. 1	376	a. 1. Utrum ingenium et ratio sint eadem vis	455
	377	a. 2. Utrum memoria et intelligentia sint eadem vis	456
a. 2		c. 4. De divisionibus Damasceni.	
	378	a. 1. De differentia utriusque divisionis	457
	379	a. 2. De prima divisione: opinio, mens, intellectus	457
a. 3	380	a. 3. De secunda divisione: intelligentia, intentio, excogitatio, phronesis	458
Q. 70		M. III. De sensu interiori.	
M. 1	381	c. 1. An sensus interior dicatur spiritualis essentialiter tantum vel accidentaliter.	459
M. 2	382	c. 2. Utrum sit unus sensus interior vel plures	461
M. 3	383	c. 3. Utrum sensus interior sit separabilis a corpore vel inseparabilis	462
M. 4	384	c. 4. Utrum angeli habeant sensum interiorem vel animae tantum.	462
M. 5	385	c. 5. De quibus sit sensus interior	463
M. 6	386	c. 6. Utrum sensus interior impediatur per exteriorem	463
Q. 71		Tit. II. *De vi rationali motiva in genere.*	
M. 1	387	c. 1. Utrum una sola sit potentia motiva aut plures	464
M. 2	388	c. 2. Penes quid accipiatur divisio potentiae motivae	465
Q. 72		Tit. III. *De libero arbitrio.*	
M. 1	389	M. I. An sit liberum arbitrium	466
M. 2		M. II. Quid sit liberum arbitrium.	
		c. 1. Quid sit liberum arbitrium secundum rem.	
a. 1	390	a. 1. Utrum liberum arbitrium sit potentia vel habitus	468
§ 1	391	a. 2. Utrum liberum arbitrium sit una potentia vel multae	469
§ 2	392	a. 3. Utrum liberum arbitrium sit ratio vel voluntas	470
a. 2		c. 2. Quid sit liberum arbitrium secundum definitionem.	
		a. 1. De singulis definitionibus.	
§ 1	393	probl. 1. De definitione Anselmi	472
§ 2	394	probl. 2. De definitione Augustini	472
§ 3	395	probl. 3. De definitione Bernardi	473
§ 4	396	a. 2. Qualiter distinguantur istae tres definitiones inter se.	474
a. 3		c. 3. Quid sit liberum arbitrium secundum nomen.	
§ 1	397	a. 1. Utrum liberum arbitrium dicatur liberum eo quod sit boni et mali indifferenter	475
§ 2	398	a. 2. Utrum liberum arbitrium dicatur liberum ex parte rationis vel voluntatis.	476
§ 3	399	a. 3. Ex qua libertate principaliter liberum arbitrium nomen sortiatur	477
§ 4	400	a. 4. Quare liberum arbitrium duobus nominibus nominetur	477
§ 5	401	a. 5. Quare philosophi non pervenerunt ad notitiam liberi arbitrii	478
M. 3		M. III. In quibus sit liberum arbitrium.	
a. 1	402	c. 1. Utrum liberum arbitrium commune sit Creatori et creaturae	479
a. 2	403	c. 2. Utrum liberum arbitrium commune sit rationali et irrationali creaturae.	480
a. 3	404	c. 3. Utrum liberum arbitrium sit commune homini et angelo	481
a. 4	405	c. 4. Utrum liberum arbitrium homini commune sit in statu innocentiae, culpae et gratiae	482
a. 5	406	c. 5. Utrum liberum arbitrium sit commune Christo et aliis hominibus.	483

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 4		M. IV. De aequalitate liberi arbitrii et de coactione.	
	407	c. 1. Utrum liberum arbitrium aeque sit in omnibus quibus convenit . .	484
§ 1	408	c. 2. Utrum coactio possit cadere in rationalem creaturam	485
M. 5	409	M. V. Utrum liberum arbitrium possit amitti vel minui	486
M. 6		M. VI. Respectu quorum actuum sit liberum arbitrium.	
a. 1	410	c. 1. De differentia liberi arbitrii ab aliis causis actuum	486
a. 2	411	c. 2. Utrum liberum arbitrium sit causa contingentium actuum tantum . .	487
a. 3	412	c. 3. Respectu quorum actuum liberum arbitrium sit liberum. . . .	488
a. 4		c. 4. Quorum actuum sit proprie liberum arbitrium.	
	413	a. 1. Utrum aliquis illorum actuum sit principalis et quis sit . . .	488
	414	a. 2. Quare liberum arbitrium non denominetur ab actu eligendi . .	489
	415	a. 3. De ordine ipsorum actuum	489
M. 7	416	M. VII. Utrum secundum liberum arbitrium attendatur meritum vel demeritum.	490
		TIT. IV. *De synderesi et conscientia.*	
Q. 73		M. I. De synderesi.	
M. 1	417	c. 1. Utrum synderesis sit potentia vel habitus	491
M. 2	418	c. 2. Utrum synderesis sit ratio vel voluntas	492
M. 3	419	c. 3. Utrum secundum synderesim contingat peccare	493
M. 4	420	c. 4-5. Utrum et secundum quem actum contingat synderesim extingui. .	494
Q. 74		M. II. De conscientia.	
M. 1	421	c. 1. Utrum conscientia sit potentia vel habitus	496
M. 2	422	c. 2. Utrum conscientia sit habitus naturalis vel acquisitus	496
M. 3	423	c. 3. Utrum conscientia sit habitus cognitivus vel motivus	497
M. 4	424	c. 4. Utrum conscientia semper sit in actu	499
M. 5	425	c. 5. Utrum conscientia sit idem quod lex naturalis	499
M. 6	426	c. 6. Utrum conscientia sit idem quod synderesis	500
		TRACTATUS SECUNDUS	
		DE CORPORE HUMANO.	
		SECTIO I.	
		DE CORPORE HUMANO QUOAD FIERI.	
Q. 75		**Q. I. De causa efficiente corporis Adae.**	
M. 1	427	c. 1. Utrum corpus Adae fuit a Deo	501
M. 2		c. 2. Utrum corpus Adae potuit formari a creatura spirituali.	
a. 1	428	a. 1. Utrum corpus Adae potuit formari a bono angelo	505
a. 2	429	a. 2. Utrum corpus Adae potuit formari ab angelo malo	507
M. 3	430	c. 3. Utrum corpus Adae potuit formari a natura aliqua inferiori . . .	510
Q. 76		**Q. II. De causa formali corporis Adae.**	
M. 1	431	c. 1. Utrum corpus primi hominis fuerit creatum vel non	515
M. 2	432	c. 2. Utrum maioris potentiae fuerit creare de nihilo corpus primi hominis quam formare de limo	519
M. 3	433	c. 3. Utrum modus educendi corpus primi hominis pertineat ad perfectionem universi.	521
Q. 77		**Q. III. De causa materiali corporis Adae.**	
M. 1		TIT. I. *De corpore Adae quoad compositionem ex elementis.*	
a. 1	434	c. 1. Utrum corpus Adae debuit esse ex quatuor elementis	524
a. 2	435	c. 2. Quare corpus Adae dicitur factum de terra	526
M. 2		TIT. II. *De corpore Adae quoad aequalitatem elementorum in composito.*	
a. 1	436	M. I. Utrum elementa secundum aequalitatem molis fuerint in corpore Adae.	528
		M. II. De aequalitate virtutis et potentiae elementorum in corpore Adae.	

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
a. 2	437	c. 1. Utrum elementa erant aequalia secundum virtutem qualitatum elementarium in corpore Adae	531
		c. 2. De aequalitate qualitatum consequentium, scilicet gravitatis et levitatis.	
§ 1	438	a. 1. Utrum gravitas et levitas erant in corpore Adae secundum aequalitatem.	533
§ 2	439	a. 2. Utrum gravitas vel levitas praedominabatur in corpore Adae	534
a. 3		M. III. De aequalitate a iustitia in corpore Adae.	
§ 1	440	c. 1. Utrum aequalitas fuerit corpori Adae collata a divina iustitia	537
§ 2	441	c. 2. Utrum a divina iustitia sublata fuit aequalitas qualitatum mixtorum in corpore Adae.	540
§ 3	442	c. 3. Utrum illa aequalitas fuit divina iustitia restituta per gratiam	542
Q. 78		**Q. IV. De causa finali corporis Adae.**	
M. 1	443	c. 1. Utrum voluptas carnalis fuit finis corporis Adae	544
M. 2	444	c. 2. Utrum anima fuerit finis corporis Adae	546
M. 3	445	c. 3. Utrum Deus sit finis corporis Adae	548
		SECTIO II.	
		DE CORPORE HUMANO QUOAD ESSE.	
		Q. I. De corpore virili.	
Q. 79		TIT. I. *De conditionibus intrinsecis corporis Adae.*	
		M. I. De unitate corporis Adae.	
M. 1	446	c. 1. Utrum congruebat omnia corpora humana propagari ex corpore Adae	553
M. 2	447	c. 2. Utrum conveniebat ex uno homine totum humanum genus propagari propter causam mutuae dilectionis	556
M. 3	448	c. 3. Utrum propter hanc unitatem magis se debeant diligere individua speciei humanae quam aliarum specierum	558
Q. 80		M. II. De veritate corporis Adae.	
M. 1	449	c. 1. Utrum corpus Adae erat vere corpus humanum	561
M. 2		c. 2. De veritate propagata corporis Adae.	
a. 1	450	a. 1. Utrum tota veritas humanae naturae fuit in corpore Adae quoad esse corporale	564
a. 2	451	a. 2. De modo propagationis humani generis ab Adam	567
M. 3	452	c. 3. De veritate occasionata corporis Adae	573
Q. 81		M. III. De dignitate et nobilitate corporis Adae.	
M. 1	453	c. 1. De dignitate corporis humani quoad compositionem	577
M. 2	454	c. 2. De dignitate corporis humani quoad rectitudinem habitus	581
M. 3	455	c. 3. De dignitate corporis humani ex unione cum anima rationali	584
M. 4	456	c. 4. De dignitate corporis humani quoad locationem	586
Q. 82		M. IV. De animalitate corporis Adae.	
M. 1	457	c. 1. Utrum corpus Adae erat animale	589
M. 2	458	c. 2. Utrum magis conveniebat corpus Adae esse spirituale quam animale	592
		TIT. II. *De conditionibus extrinsecis corporis Adae.*	
Q. 83		M. I. De tempore conditionis corporis Adae.	
M. 1	459	c. 1. Utrum corpus Adae fuerit conditum simul cum aliis creaturis	595
M. 2	460	c. 2. Utrum corpus Adae conditum fuit ante alia vel post	598
Q. 84		M. II. De loco conditionis corporis Adae.	
M. 1	461	c. 1. Utrum corpus Adae fuerit conditum in paradiso	602
M. 2	462	c. 2. De loco habitationis primorum parentum.	604
Q. 85		**Q. II. De corpore muliebri.**	
M. 1	463	c. 1. Utrum corpus mulieris formari debuerit in viri adiutorium	610
M. 2	464	c. 2. Utrum costa vel aliud membrum fuerit materiale principium Evae.	616
M. 3	465	c. 3. Utrum formatio corporis Evae fuerit immediate a Deo	619

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 4	466	c. 4. De corporis Evae integritate	623
M. 5	467	c. 5. De fortitudine corporis Evae	626
M. 6	468	c. 6. De dignitate corporis Evae	629

TRACTATUS TERTIUS

DE CONIUNCTO HUMANO.

Q. 86 — **Q. I. De passibilitate naturae.**

TIT. I. *De quatuor primis modis passibilitatis.*

M. 1	469	c. 1. Utrum corpus primi hominis fuerit passibile	631
M. 2	470	c. 2. Utrum primus homo fuerit passibilis per impressionum extrinsecarum receptionem	633
M. 3	471	c. 3. Utrum primus homo fuerit passibilis per membri alicuius ablationem	636
M. 4	472	c. 4. Utrum in primo statu potuerit homo senescere	640
M. 5	473	c. 5. Utrum primus homo fuerit passibilis per corporis dissolutionem	643

TIT. II. *De passibilitate per animae separationem.*

Q. 87 — DIST. I. *De vita.*

M. I. Quid est vita.

M. 1	474	c. 1. Quid est vita secundum definitionem	645
M. 2		c. 2. Quid est vita secundum rem.	
§ 1	475	a. 1. Utrum vita sit substantia	646
§ 2	476	a. 2. Utrum vita sit anima	648
		a. 3. Utrum vita sit aliquid animae.	
§ 3	477	part. 1. An vita sit potentia animae	650
§ 4	478	part. 2. An vita sit actus animae	653
§ 5	479	part. 3. An vita sit habitus animae	655
M. 3		M. II. A quo sit vita.	
a. 1		c. 1. A quo sit vita effective.	
§ 1	480	a. 1. De causa efficiente vitae rationabilium	656
§ 2	481	a. 2. De causa efficiente plantarum et animalium	660
a. 2		c. 2. A quo sit vita originaliter.	
§ 1	482	a. 1. Utrum vita sit aliquid in substantia vivente ex se	665
§ 2	483	a. 2. Unde vivens ex se alii vitam tribuit	668
M. 4		M. III. Cuius est vita ut subiecti proprii.	
a. 1	484	c. 1. Utrum vita sit in natura increata	670
a. 2	485	c. 2. Utrum vita Creatoris et creaturae in aliquo conveniant	673
a. 3	486	c. 3. Utrum vita sit in creatura corporali	673
a. 4	487	c. 4. Utrum vita sit in corporibus supracaelestibus.	676
a. 5	488	c. 5. Utrum vita sit in animalibus quae carent sanguine	680
a. 6	489	c. 6. Utrum vita sit in embrione ante organizationem	681
a. 7	490	c. 7. Utrum vita sit in humoribus	684

Q. 88 — DIST. II. *De mortalitate primi hominis.*

M. 1	491	c. 1. Utrum primus homo in statu innocentiae erat mortalis	686
M. 2	492	c. 2. A quo erat primo homini immortalitas	687
M. 3	493	c. 3. Utrum immortalitas innocentiae eadem erat cum immortalitate gloriae	691
M. 4	494	c. 4. Utrum mortalitas et immortalitas eiusdem erant potentiae in Adam	695

Q. 89 — **Q. II. De prolis propagatione.**

M. I. De modo propagationis.

M. 1	495	c. 1. Utrum in statu innocentiae poterat esse seminis decisio.	698
M. 2	496	c. 2. Utrum in statu innocentiae fuisset intensa delectatio in coitu	701

Colon. 1622	Num. n. ed.		PAG.
M. 3	497	c. 3. Utrum solum causa prolis habendae fuisset tunc maris et feminae commixtio	704
M. 4	498	c. 4. Utrum illicita fuisset tunc continentia	707
Q. 90		M. II. De prole propagata.	
M. 1		c. 1. Quales filios genuissent primi parentes quantum ad iustitiam.	
a. 1	499	a. 1. Utrum geniti in illo statu essent heredes paternae iustitiae originalis	711
a. 2	500	a. 2. Utrum geniti in illo statu essent heredes paternae iustitiae gratuitae	713
a. 3	501	a. 3. Utrum geniti in illo statu essent heredes paternae iustitiae confirmatae	714
M. 2	502	c. 2. Quales filios genuissent primi parentes quantum ad scientiam	716
M. 3	503	c. 3. Quales filios genuissent primi parentes quantum ad virtutem corporalem	720
M. 4	504	c. 4. Quales filios genuissent primi parentes quantum ad sexum	723
Q. 91		**Q. III. De primo homine quantum ad gratiam.**	
M. 1		TIT. I. *De gratia homini in conditione data.*	
a. 1	505	c. 1. Utrum primus homo conditus fuit in gratia	727
a. 2		c. 2. Utrum primus homo poterat stare ex accepto in sui conditione.	
§ 1	506	a. 1. Utrum primus homo ex accepto in sui conditione potuit stare simpliciter	733
§ 2	507	a. 2. Utrum primus homo ex accepto in sui conditione fuerit invertibilis in malum	736
§ 3	508	a. 3. Utrum libero arbitrio hominis potuit dari invertibilitas per naturam	739
a. 3		c. 3. Utrum primus homo ex accepto in prima conditione proficere potuit in bonum.	
§ 1	509	a. 1. Utrum primus homo in primo statu fuerit acceptus Deo	741
§ 2	510	a. 2. Utrum primus homo ex accepto in primo statu proficere potuit in bonum	744
M. 2		TIT. II. *De gratia homini post conditionem superaddita.*	
a. 1	511	M. I. Utrum primus homo habuit gratiam et virtutes ante lapsum	749
M. 3		M. II. De quantitate gratiae et virtutum primi hominis.	
		c. 1. De quantitate donorum, virtutum et gratiarum quantum ad numerum.	
§ 1	512	a. 1. Utrum primus homo ante lapsum habuerit fidem	752
§ 2	513	a. 2. Utrum primus homo ante lapsum habuerit tot virtutes quot habuit post	753
		c. 2. De quantitate gratiarum et virtutum quantum ad efficaciam.	
§ 3	514	a. 1. Utrum primus homo in statu innocentiae potuit mereri	756
§ 4	515	a. 2. Utrum gratuita erant efficaciora ante lapsum quam post	757
Q. 92		**Q. IV. De primo homine quantum ad scientiam.**	
M. 1	516	M. I. Utrum homo conditus statim habuit scientiam perfectam	761
M. 2		M. II. De cognitione primi hominis quantum ad cognoscibilia.	
		c. 1. De cognitione Creatoris.	
a. 1	517	a. 1. Utrum Adam cognoverit Deum in specie	763
a. 2	518	a. 2. Utrum Adam cognoverit Deum per speculum creaturae	767
		c. 2. De cognitione creaturarum.	
a. 3	519	a. 1. Utrum Adam, si stetisset, profecisset in cognitione	770
a. 4	520	a. 2. Utrum Adam, si stetisset, potuisset in cognitione errare	772
Q. 93		**Q. V. De primi hominis dominio praesidentiae.**	
M. 1	521	c. 1. Utrum Adam dominabatur hominibus	778
M. 2	522	c. 2. Utrum Adam dominabatur animalibus	781
M. 3	523	c. 3. Utrum Adam dominabatur creaturis carentibus sensu	784

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 27, nota 3:	*codicis*	*codicib.*
» 31, var. *r*:	*VSLC om.; T om.* etc.	*T om.* etc.
» 44, nota 2:	*num. 115*	*num. 116*
» 47, var. *m*:	*m. e. m*	*m. v. m*
» 75b, lin. 16-17:	*ab ergo et*	*ab alio et*
» » » 17-18:	*Licet alio*	*Licet ergo*
» 80, » 14:	*64*	*65*
» 86b, » 28 et 30:	*voluit*	*noluit*
» » var. *t*:	*Ita R, alii noluit*	*R voluit*
» 198, nota 3:	*nota 10*	*nota 11*
» 203, » 8:	*igitur*	*agitur*
» 228, » 3:	*num. 175*	*p. 222, ad a*
» 248, » 9:	*sabaudi*	*subaudi*
» 306, » 4:	*IV, c. 4 (PG 94, 1105)*	*I, c. 4 (PG 94, 798)*
» 373, » 5:	*eccles.*	*schol.*
» 478, lin. 16:	*Articulus IV*	*Articulus V*
» 602, nota 2:	*dub. 1*	*dub. 2*
» 625, » 4:	*PL 41, 432*	*PL 41, 423*
» 644, » 3:	*num. 56*	*num. 56 et 471*
» 665, » 6:	*p. 669*	*p. 649*
» 702, » 2:	*Cf. Sermo 349* etc.	*Enarr. in Psalm. 118, sermo 17, n. 10 (PL 37, 1550); cf. Sermo 349* etc.

NIHIL OBSTAT.

Romae, 14 Iulii 1927.

Fr. BONAVENTURA MARRANI
Min. Gen. Ord. Frat. Min.

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae, 6 Iulii 1927.

† ALPHONSUS MARIA CARDINALIS MISTRANGELO
Archiepiscopus.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
OVERSIZE BX1749.A6 C001
DOCTORIS IRREFRAGABILIS ALEXANDRI DE HAL
2
3 0311 00079 5331

WITHDRAWN

Oversize
BX
1749 Alexander de Hales, d. 1245.
.A6
SUMMA THEOLOGICA.
v2,c1

DATE DUE | BORROWER'S NAME

DEMCO

HECKMAN
BINDERY INC.
JUN 91

3 0811 00079 5331